SC.SUP.26.Pl.2

Digitized by Google

43
6 F
26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNUS
APOSTOLICUS,
CONTINENS
CONCIONES
Omnibus & ſingulis totius Anni diebus Feſtivis
PRÆDICABILES,
STILO PERSPICUO ELABORATAS,
CLARAQUE METHODO CONCINNATAS.

AUCTORE R. P.
FR. ZACHARIA LASELVE,
SACR. THEOLOG. LECTORE, NECNON PROVINCIÆ RECOLLECTORUM
SS. SACRAMENTI SEU TOLESANÆ ALUMNO.

TOMUS SECUNDUS;
CUM NOVA APPENDICE,
IN QUA CONCIONES ADHUC VIII. PANEGYRICÆ
NOVISSIMI AC DISTINCTI ARGUMENTI,
EX P. PAULO SCHWENGER
NUNC PRIMUM EXCERPTÆ EXHIBENTUR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS MDCCXCIV.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IDEA CONCIONUM DE SANCTIS.

De S. Andrea. Concio prima.

IN corde S. Andreæ triplex fuit motus erga crucem: 1. Fuit motus deſiderii: 2. Fuit motus gaudii: 3. Fuit motus amoris. pag. 1.

De S. Andrea. Concio Secunda.

Crux S. Andreæ fuit: 1. Cathedra ſui Apoſtolatus: 2. Altare ſui ſacrificii: 3. Thronus ſuæ gloriæ. 5

De S. Franciſco Xaverio. Concio Prima.

S. Franciſcus Xaverius fuit Divi Ignatii filius, Sanctæ Sedis Legatus, & Indiarum Apoſtolus. Videamus: 1. Opera mirabilia quæ fecit hic ſancti Ignatii filius, antequam Legati fungeretur officio: 2. Opera mirabilia quæ fecit hic Legatus, antequam Apoſtoli gauderet titulo: 3. Opera mirabilia quæ fecit hic Indiarum Apoſtolus, antequam exiret de hoc mundo. 9

De S. Franciſco Xaverio. Concio Secunda.

S. Franciſcus Xaverius fuit verus Apoſtolus; quia cum aliis Apoſtolis fuit: 1. Lux mundi: 2. Sal terræ: 3. Amicus Dei: Ut lux mundi, populos multos illuminavit: Ut ſal terræ, eos beneficiis replevit: Ut amicus Dei, ineffabiles ab eo favores recepit. 14

De S. Barbara.

Inſpicitur B. Barbara in Turri, in Judicis tribunali, & in Cælo: 1. In turri, in qua clauditur: 2. in Judicis tribunali, ad quod ſiſtitur: 3. In cælo, in quo recipitur, & his omnibus in locis glorioſa & mirabilia de illa narrantur: *Glorioſa dicta ſunt de te*. 19

De S. Nicolao.

S. Nicolaus fuit dives, Prelatus & Juſtus. Fuit 1. dives, & pater pauperum: 2. Prælatus, & exemplar Epiſcoporum: 3. Juſtus, & protector afflictorum. 24

De S. Ambroſio.

S. Ambroſius fuit: 1. Speculum Prælatorum: 2. Flagellum hæreticorum: 3. Lumen populorum. 30

De B. V. Mariæ Conceptione. Concio Prima.

Maria fuit filia Adami, Dei & Joachim. In inſtanti autem Conceptionis Maria fuit: 1. Filia Adami, quin criminis ejus fuerit hæres: 2. Filia Dei, quin ejus gratia fuerit privata: 3. Filia Joachim, quin ejus miſeriarum fuerit particeps. 35

De B. V. Mariæ Conceptione. Concio Secunda.

Maria ſine originalis peccati labe eſſe conceptam teſtantur Deus, Angeli, & Eccleſia. Hoc teſtatur Deus, ecce primum teſtimonium: hoc teſtantur Angeli, ecce ſecundum: hoc teſtatur Eccleſia, ecce tertium. Triplici hoc teſtimonio freti, dicendum Mariæ: *Macula non eſt in te*. 41

De S. Thoma Apoſtolo.

D. Thomas de Chriſti Reſurrectione dubitavit, Chriſtum tetigit, & Chriſtum confeſſus eſt; dubitavit, ecce ejus crimen; tetigit, ecce ejus felicitatem; confeſſus eſt, ecce ejus fidem. Examinatur: 1. Peccatum Thomæ dubitantis: 2. Felicitas Thomæ tangentis: 3. Fides Thomæ confitentis. 46

De Chriſti Nativitate. Concio Prima.

Præſepe Chriſto fuit lectus, cathedra, thronus: fuit ei lectus doloris, cathedra Doctoris, & thronus honoris. Præſepe eſt: 1. Lectus Chriſti patientis: 2. Cathedra Chriſti docentis: 3. Thronus Chriſti regnantis. 51

De Chriſti Nativitate. Concio Secunda.

Chriſtum natum amat Maria, laudant Angeli, & quærunt Paſtores; ipſum autem pro nobis natum, & in præſepio reclinatum, debemus 1. Amare cum Maria: 2. Laudare cum Angelis: 3. Quærere cum paſtoribus. 56

De S. Stephano. Concio Prima.

S. Stephanus pro Chriſto loquitur, pro Chriſto patitur, & Chriſtum imitatur 1. Pro Chriſto loquitur generoſe: 2. Pro Chriſto patitur conſtanter: 3. Chriſtum imitatur fideliter. 61

Digitized by Google

De S. Stephano. Concio Secunda.

S. Stephanus paſſus eſt, oravit, & protexit. 1. Paſſus eſt ab inimicis jacunde: 2. Oravit pro inimicis ferventis: 3. Protexit inimicos efficaciter. 66

De S. Joanne Evangeliſta. Concio Prima.

Joannem Chriſtus dilexit 1. Amore liberali: 2. Amore ſincero: 3. Amore conſtanti. 71

De S. Joanne Evangeliſta. Concio Secunda.

S. Joannes fuit Diſcipulus, Apoſtolus, & animarum Paſtor. Fuit 1. Diſcipulus, qui myſteria altiſſima penetravit: 2. Apoſtolus, qui ardentiſſime Chriſtum amavit: 3. Paſtor vigilantiſſimus, qui ſollicite gregem curavit. 76

De SS. Innocentibus. Concio Prima.

In tragœdia Bethlehemitica apparent injuſtitia, crudelitas, & felicitas: 1. Injuſtitia Herodis: 2. Crudelitas ſatellitis: 3. Felicitas puerorum. 81

De SS. Innocentibus. Concio Secunda.

Innocentes conſiderantur in Judæa, in Lymbo, & in Paradiſo: 1. In Judæa ſunt Martyres admirabiles: 2. In Lymbo ſunt Præcurſores gratiſſimi: 3. In Paradiſo ſunt Sancti privilegiati. 86

De Chriſti Circumciſione. Concio Prima.

In Circumciſione eſt quod admiremur, quod amemus, & quod imitemur: in Circumciſione enim: 1. Chriſtus vocatur Jeſus, eſt quod admiremur: 2. Chriſtus ſanguinem fundit, eſt quod amemus: 3. Chriſtus virtutes elicit, eſt quod imitemur: 91

De Chriſti Circumciſione. Concio Secunda.

Circumciſione ſpirituali: 1. Abſcindenda ſunt omnia peccata: 2. Omnes affectus ad peccatum: 3. Omnes motus inordinati carnis noſtræ. Prima circumciſio fit gladio pœnitentiæ: Secunda fit gladio meditationis: Tertia fit gladio mortificationis. 97

In Feſto Epiphaniæ. Concio Prima.

Reges Magi Chriſtum agnoſcunt, prædicant, & honorant. 1. Chriſtum agnoſcunt in Oriente, unde proficiſcuntur; 2. Chriſtum prædicant in Jeroſolyma, qua tranſeunt: 3. Chriſtum honorant in ſpelunca Bethlehemitica, in quam ingrediuntur. 101

In Feſto Epiphaniæ. Concio Secunda.

Hodie glorioſiſſime triumphat Chriſtus de idololatria, de mundi ſapientia, & de majeſtate regia: 1. Triumphat Chriſtus de idololatria; quia Reges Magi in ipſum credunt: 2. Triumphat Chriſtus de mundi ſapientia; quia Reges Magi ad ipſum vadunt: 3. Triumphat Chriſtus de regia majeſtate; quia Reges Magi coram illo procidunt. 105

De S. Antonio Abbate.

S. Antonius, ſicut alter Paulus, bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit: 1. Ejus certamen fuit glorioſum: 2. Ejus curſus fuit perfectus: 3. Ejus fides fuit admirabilis. 109

In Converſione S. Pauli.

Converſionis D. Pauli: 1. Principia: 2. Perfectio: 3. Circumſtantiæ. 114

De S. Franciſco Saleſio.

In eo fuit ſpiritus Chriſti, ſpiritus Moyſis & ſpiritus Eliæ: 1. Fuit ſapientiſſimus; ecce ſpiritum Chriſti: 2. Fuit mitiſſimus; ecce ſpiritum Moyſis: 3. Fuit zelantiſſimus; ecce ſpiritum Eliæ. 119

De Purificatione B. V. Mariæ.

In templo Jeroſolymitano, Chriſtus, Maria, & Simeon hac die Deo ſacrificant. Videamus 1. Sacrificium Chriſti: 2. Sacrificium Mariæ: 3. Sacrificium Simeonis. 123

De S. Matthia.

Judas fuit apoſtata, proditor, & prodigus; ſed Matthias: 1. Ingreditur domum Chriſti, quam hic apoſtata reliquit: 2. Recipit favores Chriſti, quos hic prodigus diſſipavit: 3. Pro Chriſto patitur, quem hic proditor perſecutus eſt. 128

De S. Thoma Aquinate.

In eo fuit plenitudo ſcientiæ, veritatis, & ſanctitatis. Fuit 1. Plenus ſcientia: 2. Plenus veritate: 3. Plenus ſanctitate. 132

De S. Joſeph. Concio Prima.

S. Joſeph eſt 1. Pater, qui Jeſum nutrit: 2. Pater, qui Jeſum protegit: 3. Pater, cui Jeſus ſubditus eſt. 137

De S. Joſeph. Concio Secunda.

S. Joſeph eſt Mariæ ſponſus nobiliſſimus, ſanctiſſimus, & feliciſſimus: 1. Eſt ſponſus nobilis per claros nobilitatis titulos, quibus floret: 2. Eſt ſponſus ſanctus per virtutes & merita, quibus affluit: 3. Eſt ſponſus felix per glorioſam affinitatem, quam contrahit. 142

De S. Benedicto.

S. Benedictus: 1. Fuit prodigium pœnitentiæ in antro, in quo diu habitavit: 2. Fuit prodigium ſapientiæ in clauſtro, quod ſanctis Inſtitutis exornavit,

Digitized by Google

vitæ: 3. Fuit prodigium ſanctitatis in Eccleſia, quam virtutibus & miraculis illuſtravit. 148

De B. V. Annuntiatione. Concio Prima.

Glorioſum eſt hodie Mariæ: 1. Quod fiat Dei Mater: 2. Quod velit eſſe virgo: 3. Quod ſit ſimul mater & virgo. 152

De B. V. M. Annuntiatione. Concio Secunda.

Nuntiavit Mariæ Angelus Dominum eſſe cum illa: *Dominus tecum*; eſt autem Chriſtus in Mariæ utero. 1. Ut Rex in throno ſuo: 2. Ut Sacerdos in templo ſuo: 3. Ut Deus in Paradiſo ſuo. 157

De S. Franciſco de Paula.

Vita ejus fuit auſtera, glorioſa & fervens: 1. Fuit auſtera, ſed ſine imprudentia: 2. Fuit glorioſa, ſed ſine vanitate: 3. Fuit fervens, ſed ſine inconſtantia. 162

De S. Marco.

S. Marcus fuit Epiſcopus, Evangeliſta, & Martyr. Attente perpendamus, quid fecerit, quid ſcripſerit, & quid paſſus ſit. Videamus: 1. Quid fecerit, ut Epiſcopus: 2. Quid ſcripſerit, ut Evangeliſta: 3. Quid paſſus ſit, ut Martyr. 168

De S. Catharina Senenſi.

S. Catharina Senenſis, ſimul cum Chriſto habuit: 1. Cor vacuum: 2. Cor ardens: 3. Cor conſecratum. 173

De S. Crucis Inventione.

Crux eſt ad cælum: 1. Via brevis: 2. Via ſecura; 3. Via neceſſaria. 179

De S. Bernardino.

Super eum requievit: 1. Spiritus pietatis: 2. Spiritus ſcientiæ: 3. Spiritus fortitudinis. 185

De Chriſti Aſcenſione.

Videamus: 1. Quomodo in cælum aſcendat: 2. Quomodo in cælum intret: 3. Quomodo in cælo ſedeat. Perpendamus. Quomodo in cælum aſcendat, & timeamus; Quomodo in cælum intret, & admiremus; Quomodo in cælo ſedeat, & deſideremus. 189

De S. Antonio Paduano.

S. Antonius Paduanus fuit Apoſtolus, Doctor & Propheta. Fuit: 1. Apoſtolus cum Apoſtolis: 2. Doctor cum Doctoribus: 3. Propheta cum Prophetis. 194

De S. Joanne Baptiſta. Concio Prima.

S. Joannes Baptiſta in ſacra Scriptura dicitur Propheta, Pœnitens & Magnus. Fuit 1. Propheta ſine voce: 2. Pœnitens ſine crimine: 3. Magnus ſine vanitate. 199

De S. Joanne Baptiſta. Concio Secunda.

S. Joannes Baptiſta eſt homo miſſus a Deo, ſed eſt homo omni alio homine major, eſt homo qui vocatur Angelus, & eſt homo qui æſtimatur Chriſtus. S. Joannes: 1. Eſt homo omni alio homine major, & humilitatem ſectatur: 2. Eſt homo, qui vocatur Angelus, & pœnitentiæ adhæret: 3. Eſt homo, qui æſtimatur Chriſtus, & Chriſtum laudat. 204

De S. Petro Apoſtolo.

S. Petrus fuit pœnitens, & Prælatus, & Apoſtolus. Conſideremus: 1. Lachrymas hujus pœnitentis: 2. Elevationem hujus Prælati: 3. Amorem illius Apoſtoli. 209

De S. Paulo Apoſtolo.

S. Paulus, fuit Apoſtolus Chriſti, Doctor nationum, & vas electionis. Fuit: 1. Apoſtolus Chriſti, & inter Apoſtolos zelantiſſimus: 2. Doctor nationum, & inter Doctores humillimus: 3. Vas electionis, & inter electos Chriſto ſimillimus. 213

OCTAVA SS. SACRAMENTI.

Octo diſpoſitiones ad illud recipiendum.

Prima. Credere Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia: quod credendum: 1. Fide firma & conſtante: Fide generoſa & triumphante: 3. Fide efficaci & operante. 218

Secunda. Admirari in Euchariſtia: 1. Bonitatis Chriſti exceſſus: 2. Sapientiæ Chriſti adinventiones: 3. Potentiæ Chriſti prodigia. 223

Tertia. Cavere ab indigna Communione: quæ eſt: 1. Infanda hypocriſis: 2. Gravis ingratitudo: 3. Horrendum ſacrilegium. 229

Quarta. Eſt pœnitentia, quam ante Communionem ita agere debent peccatores, ut: 1. Recogitent peccata ſua per prudens conſcientiæ examen: 2. Ea deteſtentur per verum cordis dolorem: 3. Ea fateantur per ſinceram oris confeſſionem. 234

Quinta. Eſt vitiorum extirpatio, & præcipue luxuriæ, avaritiæ, & vindictæ: peccatores enim ante Communionem ſtatuere debent cultrum in gutture ſuo, & jugulare in ſemetipſis: 1. Spiritum luxuriæ: 2. Spiritum avaritiæ: 3. Spiritum vindictæ. 239

Sexta. Eſt vitæ mutatio: ante Communionem enim peccatores vitam mutare debent: 1. Vere: 2. Totaliter: 3. Conſtanter. 234

Septima. Sunt pia cordis ſuſpiria: ante Communionem enim ſuſpirandum: 1. Ex deſiderio: 2. Ex amore: 3. Ex gaudio. 249

Octava. Eſt ſe ad Communionem præparare: 1. Sicut

Digitized by Google

Sicut ad mortem: 2. Sicut ad judicium: 3. Sicut ad paradiſum. 255

De S. Martiale.

S. Martialis, fuit Chriſti Diſcipulus, S. Petri ſocius, & Lemovicum Antiſtes: Fuit: 1. Chriſti Diſcipulus, & amicus: 2. S. Petri ſocius, & adjutor: 3. Lemovicum Antiſtes, & Apoſtolus. 259

De Viſitatione S. Mariæ Virginis.

Maria, Eliſabetham viſitans, docet nos modum, quo religioſe fiunt viſitationes: 1. Feſtinat, & vadit ad domum Zachariæ: 2. Salutat Eliſabeth, & replet illam Spiritu ſancto: 3. Deum laudat, & officia charitatis impendit: quæ tria in mutuis viſitationibus ſervari debent. 263

De S. Bonaventura.

Seraphicus ille Doctor, in ſemetipſo ſimul conjunxit: 1. Scientiam cum amore: 2. Magnitudinem cum humilitate: 3. Vitam activam cum contemplatione. 267

De S. Alexio.

Chriſtus fuit peregrinus admirabilis, qui de ſeipſo loquens, ait: *Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Alexius autem, non ſecus ac Chriſtus, exivit a patre, venit in mundum, & rediit ad patrem. A patre exivit Alexius, cum ipſa nuptiarum ſuarum die, a patris domo clam aufugit: in mundum venit, cum varias mundi hujus provincias peragravit: rediit ad patrem, cum poſt ſeptemdecim annos a ſuo diſceſſu, ad paternam domum reverſus eſt. Ecce peregrinum vere mirabilem: 1. In egreſſu ſuo a domo patris: 2. In converſatione ſua extra domum patris: 3. In regreſſu ſuo ad domum patris. 272

I. Pars. S. Alexius fuit peregrinus admirabilis in diſceſſu ſuo a paterna domo; ſi conſiderentur tempus, celeritas & modus ſui exitus; ſeu, ſi conſiderentur: 1. Tempus, in quo exiit: 2. Celeritas, qua exiit: 3. Modus, quo exiit. 273

II. Pars. S. Alexius fuit peregrinus admirabilis in converſatione ſua extra domum patris, quia veri, & ſanctiſſimi peregrini leges perfectiſſime ſervat. Ipſe enim ſe exonerat, tranſit, & tendit ad patriam. Ipſe: 1. Se exonerat bonis temporalibus: 2. Tranſit ignotus omnibus: 3. Tendit ad patriam cæleſtem. 274

III. Pars. S. Alexius fuit peregrinus admirabilis in regreſſu ſuo ad domum patris. Ad eam enim rediit, ut hoſpitaretur, ut lateret, & ut pœnitentiam ageret. Ad eam rediit. 1. Ut in ea hoſpitaretur, & non ut dominaretur: 2. Ut in ea lateret, & non ut luceret: 3. Ut in ea pœnitentiam ageret, & non ut deliciis frueretur. 275

De Scapulari B. Virginis Mariæ.

Scapulare a Beata Virgine datum eſt, ut ſignum: *Ecce ſignum.* Et revera Scapulare eſt ſignum fœderis, protectionis & ſalutis. Scapulare eſt ſignum fœderis; quia qui illud pie geſtant, ſingulari fœdere ſunt Virgini Mariæ conjuncti. Eſt ſignum protectionis: quia illos Virgo efficaciter protegit. Eſt ſignum ſalutis: quia eorum ſaluti ſingulari cura, & ſollicitudine Maria invigilat: Scapulare iis qui illud pie deferunt, eſt: 1. Signum fœderis: 2. Signum protectionis: 3. Signum ſalutis. 277

De Sancta Margarita.

Sancta Margarita, vere gemma & margarita fuit ratione puritatis ſuæ, quæ fuit admirabilis; ratione ſoliditatis ſuæ, quæ fuit inflexibilis; & ratione pretii ſui, quod fuit inæſtimabile. Sancta Margarita fuit gemma myſtica: 1. Propter puritatem ſuam: 2. Propter ſoliditatem ſuam: 3. Propter pretium ſuum. 281

I. Pars. S. Margarita fuit gemma myſtica, ratione puritatis ſuæ; quia hæc virgo ſacra a paganiſmi, luxuriæ, & omnium vitiorum immunditia perfectiſſime elongata fuit. Nam: 1. Cum hæc inter Gentiles viveret, totaliter elongata eſt a paganiſmi immunditiis: 2. Cum inter impudicos degeret, ab omni luxuriæ inquinamento penitus libera fuit: 3. Cum inter homines omni vitiorum generi deditos verſaretur, ab omnis vitii turpitudine remota fuit. *ibid.*

II. Pars. S. Margarita fuit gemma myſtica, ratione ſoliditatis ſuæ; quia generoſe reſtitit Patri, Amaſio, & dæmoni: 1. Patri irato: 2. Amaſio amore ſuccenſo: 3. Dæmoni horrendo. 283

III. Pars. S. Margarita fuit gemma myſtica, ratione pretii ſui. Maximum fuit pretium ejus, ſi conſiderentur: 1. In ſe: 2. In caritate ſua: 3. In æſtimatione hominum. 284

De S. Magdalena.

Sancta Maria Magdalena dilexit multum; Deum enim dilexit: 1. Amore forti & generoſo: 2. Amore liberali & prodigo: 3. Amore ardenti & fervido. 285

I. Pars. Magdalena Chriſtum dilexit amore generoſo; Hæc etenim Chriſti amore ſuccenſa, triumphavit de deliciis, de pudore, & de timore. Triumphavit: 1. De deliciis, quibus fruebatur: 2. De pudore, quo afficiebatur: 3. De timore, quo angebatur. 286

II. Pars. Magdalena Chriſtum dilexit amore liberali, ei etenim dedit: 1. Totam mentem ſuam: 2. Totum cor ſuum: 3. Omnia obſequia ſua. 287

III. Pars. Magdalena Chriſtum dilexit amore ardente, ardentiſſime enim dilexit eum: 1. In cruce pendentem: 2. In ſepulchro jacentem: 3. In cælo regnantem. 288

Digitized by Google

De S. Jacobo Majore.

Petebat ambitioſa S. Jacobi mater, ut in Chriſti regno ſederet filius ſuus, *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei in regno tuo.* Jacobus autem in triplici Chriſti regno ſedet, in regno ſcilicet cæli, in regno Eccleſiæ, & in regno terræ. Sedet: 1. In regno cæli, ſupra thronum juſtitiæ: 2. In regno Eccleſiæ, ſupra thronum gloriæ: 3. In regno terræ, ſupra thronum gratiæ. 289

I. Pars. S. Jacobus ſedet in regno cæli ſupra thronum juſtitiæ, quia hunc thronum meruit, emit, & acquiſivit: 1. Illum meruit fideli obedientia, quam Deo præſtitit: 2. Illum emit voluntaria paupertate quam ſectatus eſt: 3. Illum acquiſivit gravi certamine, quod iniit. 290

II. Pars. S. Jacobus ſedet in regno Eccleſiæ ſupra thronum gloriæ, quia in ea ut conſanguineus, Apoſtolus & Martyr Chriſti honoratur: 1. Ut Chriſti conſanguineus, & unus ex propinquioribus: 2. Ut Chriſti Apoſtolus, & unus ex charioribus: 3. Ut Chriſti Martyr, & unus ex generoſioribus. 291

III. Pars. S. Jacobus ſedet in regno terræ ſupra thronum gratiæ & liberalitatis. Quia ibi dat: 1. Fidem infidelibus: 2. Victoriam militantibus: 3. Subſidia peregrinis. 292

De S. Anna.

Annam inſpicio reſpectu B. M. V. quæ eſt benedictus fructus quem Anna peperit; Maria autem ſpeciali & miro quodam modo fuit, reſpectu B. Annæ: 1. Fructus juſtitiæ: 2. Fructus lucis: 3. Fructus honoris. 293

I. Pars. Maria, reſpectu S. Annæ, eſt fructus juſtitiæ. Quia Maria eſt fructus, quem Anna juſte producere meruit. 1. Suis precibus: 2. Suis lacrymis: 3. Suis votis. 294

II. Pars. Maria reſpectu S. Annæ, eſt fructus lucis: Quia per Mariam clariſſime demonſtratur, Annam eſſe matrem: 1. Caſtiſſimam: 2. Prudentiſſimam: 3. Sanctiſſimam. 295

III. Pars. Maria, reſpectu S. Annæ, eſt fructus honoris. Quia per Mariam Beata Anna mirum in modum fuit: 1. Nobilitata: 2. Ditata: 3. Sublimata. 296

De S. Ignatio.

Sanctus Ignatius de Loyola, ſicut alter Paulus Apoſtolus, eſt vas electionis, quod repletum eſt: 1. Gratia Dei: 2. Amore Dei: 3. Zelo gloriæ Dei. 297

I. Pars. S. Ignatius fuit vas electionis, plenum gratia. Quia vir ille ſanctiſſimus, ipſo ſuæ converſionis tempore, plenus fuit gratia triumphante, operante & humiliante: 1. Gratia triumphante, quæ illum ad terrena omnia abjicienda impulit: 2. Gratia operante, quæ illum ad ardua ſuſcipienda movit: 3. Gratia humiliante, quæ illum ad vilia & abjecta multa pro Dei amore facienda inclinavit. *ibid.*

II. Pars. S. Ignatius, fuit vas electionis, plenum amore Dei. Deum enim ita dilexit, ut 1. De Deo ſolo cogitaret: 2. De Deo ſolo loqueretur: 3. Soli Deo placere optaret. 299

III. Pars. S. Ignatius, fuit vas electionis, plenum zelo ſalutis animarum, reſpectu ignarorum, peccatorum, & omnium hominum: 1. Reſpectu ignarorum, quos omnes illuminare voluit: 2. Reſpectu peccatorum, quos omnes ad Deum convertere optavit: 3. Reſpectu omnium hominum, quos omnes ſalvare deſideravit. 300

De S. Petro ad Vincula.

Sancti Petri, in carcere exiſtentis, magna eſt gloria, magna libertas, & magna beatitudo: 1. Magna eſt ejus gloria inter ignominias, quibus afficitur: 2. Magna eſt ejus libertas inter vincula, quibus conſtringitur: 3. Magna eſt ejus beatitudo inter ſupplicia, quæ patitur. 301

I. Pars. Magna eſt Petri gloria inter ignominias, quibus afficitur. Quia vincula ei fuere: 1. Pretioſa ornamenta: 2. Glorioſa præmia: 3. Sublimiora honoris inſignia. 302

II. Pars. Magna eſt Petri libertas inter vincula, quibus conſtringitur. Quia inter vincula eſt liber. 1. A ſervitute peccati: 2. A ſervitute concupiſcentiæ: 3. A ſervitute dæmonis. 303

III. Pars. Magna eſt Petri beatitudo inter ſupplicia quæ patitur. Quia inter vincula & ſupplicia beatior eſt. 1. Herode, qui eum carceri mancipavit: 2. Chriſtianis, qui ei compatiuntur: 3. Angelo, qui eum a carcere liberat. 304

In Feſto S. Mariæ Angelorum. Concio Prima.

Indulgentia ſanctæ Mariæ Angelorum, a Chriſto totaliter eſſe videtur: ab ipſo enim data, confirmata, & publicata eſt. Hæc indulgentia: 1. A Chriſto data eſt: 2. A Chriſto confirmata eſt: 3. A Chriſto publicata eſt. 305

I. Pars. Indulgentia ſanctæ Mariæ Angelorum a Chriſto data eſt: 1. Ut merces zeli, quo ardebat Franciſcus: 2. Ut ſignum amoris ſui erga peccatores: 3. Ut monumentum ſuæ liberalitatis erga omnes homines. 306

II. Pars. Indulgentia S. Mariæ Angelorum a Chriſto confirmata eſt: 1. Teſtimonio cæli: 2. Teſtimonio terræ: 3. Teſtimonio inferni. 307

III. Pars. Indulgentia ſanctæ Mariæ Angelorum a Chriſto fuit publicata: 1. In Eccleſia Portiunculæ, miniſterio Angelorum: 2. In urbe Aſſiſio, miniſterio Epiſcoporum: 3. In cordibus fidelium, miniſterio gratiæ ſuæ. 309

In Feſto S. Mariæ Angelorum. Concio Secunda.

Seraphicus Franciſcus pro peccatoribus orat ante Thronum Patris æterni, ante Thronum Chriſti, & ante Thronum ſummi Pontificis: Ante Thronum Patris æterni, priuſquam indulgentiam obtineat; Ante Thronum Chriſti, cum illam obtinet; Ante Thronum ſummi Pontificis, poſtquam illam obtinuit. Videamus Franciſcum: 1. Ante Thronum Patris æterni, a quo gratiam pro peccatoribus ſummo

mo cum zelo petit: 2. Ante Thronum Chriſti, a quo indulgentiam pro peccatoribus obtinet: 3. Ante Thronum ſummi Pontificis, a quo obtentam a Chriſto indulgentiam publicari impetrat. 310

De S. Dominico.

Sanctus Dominicus Prædicator extitit perfectiſſimus, cujus ſcientia fuit maxima, zelus ſanctiſſimus, & vita ſupra modum exemplaris. Perpendamus Concionatoris illius ſcientiam, zelum & ſancta exempla: 1. Scientiam, qua illuſtratus fuit: 2. Zelum, quo fuit accenſus: 3. Bona exempla, quæ edidit. 314

I. Pars. Sancti Dominici ſcientia fuit: 1. Univerſalis: 2. Fœcunda: 3. In oratione comparata. *ibid.*

II. Pars. Sancti Dominici zelus fuit: 1. Ardentiſſimus: 2. Generoſiſſimus: 3. Conſtantiſſimus. 316

III. Pars. S. Dominici exempla, admiranda fuere: 1. In verbis, quæ protulit. 2. In converſatione, quam cum hominibus habuit: 3. In charitate, qua exarſit. 317

De S. Laurentio.

Craticula Laurentio fuit Cathedra, Lectus & Thronus. Fuit ei: 1. Cathedra Doctoris & Prædicatoris: 2. Lectus quietis & dulcedinis: 3. Thronus gloriæ, & honoris. 318

I. Pars. Craticula Laurentio fuit Cathedra Doctoris & Prædicatoris. Quia in craticula exiſtens, homines exemplo ſuo mirabiliter docuit: 1. Patientiam: 2. Conſtantiam: 3. Dei amorem. 319

II. Pars. Craticula Laurentio fuit lectus quietis & dulcedinis: 1. Propter Chriſti præſentiam, qua recreabatur: 2. Propter Paradiſi gloriam, quam contemplabatur: 3. Propter inferni pœnam, a qua præſervabatur. 320

III. Pars. Craticula Laurentio fuit Thronus gloriæ & honoris: 1. In urbe Roma: 2. In toto terrarum orbe: 3. In cælo. 321

De S. Clara, Concio Prima.

S. Clara, fuit filia, pauper & virgo. Fuit: 1. Filia, & generoſiſſima: 2. Pauper, & ditiſſima: 3. Virgo, & fœcundiſſima. 323

I. Pars. Sancta Clara fuit filia, & generoſiſſima contra parentes, contra infideles, & contra Deum: 1. Contra parentes, qui vocationi ejus adverſabantur: 2. Contra infideles, qui monaſterium ejus invadere conabantur: 3. Contra Deum, a quo variis adverſitatibus probabatur. *ibid.*

II. Pars. S. Clara fuit pauper & ditiſſima; quia habuit omnia terræ bona, omnes virtutis divitias, & omnes cæli theſauros. 1. Habuit: 1. omnia terræ bona ſub pedibus: 2. Omnes virtutis divitias in anima: 3. Omnes cæli theſauros in poſſeſſione ſua. 324

III. Pars. S. Clara fuit virgo, & fœcundiſſima; quia genuit filias, Angelos, & Virgines. Genuit: 1. Filias Religioni: 2. Angelos Deo: 3. Virgines paradiſo. 325

De S. Clara, Concio Secunda.

Glorioſos tres S. Clara retulit triumphos; triumphavit enim de mundo, de ſeipſa, & de natura. Clara: 1. Triumphavit de mundo, omnem ejus gloriam contemnendo: 2. Triumphavit de ſeipſa, corpus ſuum domando: 3. Triumphavit de natura, miracula multa operando. 327

I. Pars. S. Clara triumphavit de mundo: 1. Relinquendo domum & parentes: 2. Mutando veſtimenta: 3. Radendo crines. *ibid.*

II. Pars. S. Clara triumphavit de ſeipſa; corpus enim variis mortificationibus domuit, & præcipue: 1. Jejuniis, quæ crebra erant & auſtera: 2. Lecto, qui durus erat & dirus: 3. Cilicio, quod vile erat & hiſpidum. 328

III. Pars. S. Clara triumphavit de natura, operando miracula: 1. In favorem ſororis ſuæ Agnetis: 2. In favorem filiarum ſuarum ſpiritualium: 3. In favorem ſui monaſterii. 329

De Aſſumptione B. V. M. Concio Prima.

Glorioſiſſimum eſt Mariæ ſepulchrum, quia in eo triumphat: 1. Amor de doloribus: 2. Sanctitas de corruptione: 3. Cælum de terra. 331

De Aſſumptione B. V. M. Concio Secunda.

Dies Aſſumptionis, eſt triumphalis beatiſſimæ Virginis dies, in quo triumphali apparatu ad cælum aſcendit, in cælo recipitur, & in cælo ſublimatur. Videamus 1. Currum triumphalem, quo Maria ad cælum vehitur, quo nullus eſt clarior: 2. Pompam, qua in cælo recipitur, qua nulla magnificentior: 3. Thronum ad quem in cælo ſublimatur, quo, poſt divinum, nullus eminentior. 334

I. Pars. Virtutes ſunt currus triumphales, quo Maria ad cælum evecta eſt, & præcipue puritas, humilitas & charitas. 1. Puritas intemerata, qua floruit: 2. Humilitas profunda, qua enituit: 3. Charitas ardentiſſima, qua ſuccenſa fuit. 335

II. Pars. Pompa, qua Maria in cælo recepta eſt, fuit maxima: ſi conſideremus. 1. Qualis fuerit cœtus, qui ei obviam ivit: 2. Quantum fuerit gaudium eorum, qui ei venienti occurrerunt: 3. Quæ & qualia extiterint munera, quæ illi oblata ſunt. 336

III. Pars. Thronus ad quem Maria in cælo exaltata

Digitized by Google

tata eſt, fuit 1. Thronus gloriæ & honoris: 2. Thronus juſtitiæ & meriti: 3. Thronus gratiæ & miſericordiæ. 337

De S. Rocho.

Sancti Rochi charitas, patientia, & poteſtas. 1. Charitas, qua infirmis peſte laborantibus ſervit: 2. Patientia, qua peſtis dolores ſuſtinuit: 3. Virtus & poteſtas, qua infirmos peſte correptos ſanat. 338

De S. Bernardo, Concio Prima.

Magnæ fuerunt ſancti Bernardi virtutes: 1. in ſæculo: 2. in clauſtro: 3. in Eccleſia.

I. Pars. Magnæ fuere ſancti Bernardi virtutes in ſæculo. Dum enim adhuc in ſæculo viveret: 1. Admirabilis fuit ejus puritas, quam ſervavit illæſam: 2. Prompta fuit obedientia, quam Deo vocanti præſtitit: 3. Ardentiſſimus fuit zelus animarum, quo exarſit. 342

II. Pars. Magnæ fuere ſancti Bernardi virtutes in clauſtro. Ibi enim in eo omnes eluxere virtutes, & præcipue: 1. Cordis humilitas: 2. Corporis mortificatio: 3. Mentis ad Deum elevatio. 343

III. Pars. Magnæ fuere ſancti Bernardi virtutes in Eccleſia. Pereximias enim ejus virtutes tota demirata eſt Eccleſia, & præcipue: 1. Magnam ejus in componendis diſſidiis prudentiam: 2. Magnam ejus in objurgandis peccatoribus generoſitatem: 3. Magnam ejus in benefaciendo cunctis charitatem. 344

De S. Bernardo, Concio Secunda.

Sanctus Bernardus, fuit Apoſtolus, Martyr, & Doctor. Sanctus ille Abbas, ſuo modo fuit Apoſtolus, & inter Apoſtolos Magnus: Fuit Martyr, & inter Martyres illuſtris: Fuit Doctor, & inter Doctores celeberrimus: Sanctus Bernardus fuit magnus Apoſtolus, Magnus Martyr, & magnus Doctor. Hæ ſunt tres hujus concionis partes, quibus eum magnum fuiſſe patebit: *Magnus vocabitur*. 346

I. Pars. Sanctus Bernardus fuit magnus Apoſtolus; quia cum Apoſtolis: 1. reliquit omnia: 2. Secutus eſt Chriſtum: 3. Pro hominum ſalute plurimum laboravit. 347

II. Pars. Sanctus Bernardus fuit magnus Martyr, & triplicter Martyr. Scilicet 1. Caſtitate perpetua: 2. Paupertate voluntaria: 3. Corporis mortificatione continua. 348

III. Pars. Sanctus Bernardus fuit magnus Doctor eumque Doctorem maximum extitiſſe patet, ſi conſideretur in ſilvis, in quibus habitavit, in prædicationibus, quas habuit, & in libris, quos compoſuit: 1. In ſilvis, ubi infuſam & cæleſtem ſcientiam recepit: 2. In prædicationibus, ubi miram & utiliſſimam effudit ſcientiam: 3. In libris, ubi doctrinam ſuavem & mellifluam manifeſtavit. 349

De S. Bartholomæo.

Sanctus Bartholomæus adhæſit Deo per amorem, per fidem & per crucem. Adhæſit Deo 1. Per amorem, quo exarſit: 2. Per fidem, quam ſectatus eſt: 3. Per crucem, quam generoſe portavit. 350

I. Par. S. Bartholomæus Deo adhæſit per amorem. Per amorem enim ejus: 1. Terrena cuncta contempſit: 2. Orationi aſſidue vacavit: 3. Propria pelle ſe ſpoliavit. 351

II. Pars. Sanctus Bartholomæus Deo adhæſit per fidem; fuit enim fidei diſcipulus, prædicator, & teſtis. Fuit 1. Diſcipulus, qui fidem recepit humiliter: 2. Prædicator, qui eam docuit publice: 3. Teſtis, qui eam teſtificatus eſt generoſe. 352

III. Pars. S. Bartholomæus Deo adhæſit per crucem, quia propter Deum: 1. Paſſus eſt multa: 2. Paſſus eſt gravia: 3. Paſſus eſt diu. 353

De S. Ludovico.

S. Ludovicus, Galliarum Rex. 1. Fuit fidelis Deo in ſtatu proſperitatis: 2. Fuit fidelis Deo in ſtatu adverſitatis. 354

I. Pars. S. Ludovicus, fuit fidelis Deo in ſtatu proſperitatis. Quia in hoc ſtatu: 1. Ab omni declinavit malo, ad quod proſperitas inclinare poteſt: 2. Omne fecit bonum, a quo proſperitas avertere ſolet. 355

II. Pars. Sanctus Ludovicus, fuit fidelis Deo in ſtatu adverſitatis: 1. Quia in omni adverſitate Deum ſemper benedixit; 2. Quia in omni adverſitate ſe ſemper ad divinam voluntatem conformavit. 356

De S. Juliano.

Sanctus Julianus martyrium fugit, martyrium quæſivit, & martyrium pertulit. Videamus: 1. Juliani, martyrium fugientis, prudentiam: 2. Juliani, martyrium quærentis, charitatem: 3. Juliani, martyrium patientis, conſtantiam. 358

De S. Auguſtino. Concio Prima.

In Auguſtino, ante converſionem illius, erant ſpiritus voluptatis, ſpiritus erroris, & ſpiritus obſtinationis. Sed Excelſi dextera Auguſtinum totaliter mutavit: per gratiam enim Dei: 1. Hic voluptuoſus, mutatus eſt in pœnitentem famoſum: 2. Hic hæreticus, mutatus eſt in Eccleſiæ Doctorem celeberrimum: 3. Hic homo obſtinatus in peccato, mutatus eſt in virum perfectiſſimum. 362

De S. Auguſtino. Concio Secunda.

Cordi Auguſtini infixæ fuerunt: 1. Sagittæ doloris: 2. Sagittæ timoris: 3. Sagittæ amoris. 366

De

Digitized by Google

De S. Joan. Baptiſtæ Decollat.

Ut tota deſcribatur Decollationis ſancti Joannis Baptiſtæ tragœdia, proponam Joannem, qui prædicat; Herodiadem, quæ illum proſequitur, & Herodem, qui illum ad mortem damnat. In Joannis prædicatione maximus elucet zelus; in Herodiadis perſecutione horrenda apparet malitia; in data ab Herode ſententia inaudita ineſt injuſtitia. Videamus 1. Zelum Joannis, qui prædicat: 2. Malitiam Herodiadis, quæ illum perſequitur: 3. Injuſtitiam Herodis, qui illum condemnat. 370

I. Pars. Zelus Joannis, qui contra Herodem prædicat, eſt 1. Ardens: 2. Prudens: 3. Generoſus. 471

II. Pars. Malitia Herodiadis, quæ Joannem perſequitur, tanta fuit, ut Joannis mortem cupierit, petierit, & procuraverit. Ejus mortem 1. Cupivit ardenter: 2. Petiit ſollicite: 3. Procuravit artificioſe. 372

III. Pars. Injuſtitia Herodis, qui Joannem ad mortem damnat, tanta fuit, ut eum morti adjudicaverit: 1. Quia ipſe Herodes vidit puellam ſaltantem: 2. Quia ipſe temere juravit: 3. Quia ipſe in peccato ſuo perſeverare intendit. 373

De Nativitate Virginis Mariæ.

Nativitas ejus fuit dies honoris, dies gaudii, & dies terroris. Fuit 1. Dies honoris & gloriæ, reſpectu Mariæ: 2. Dies gaudii & lætitiæ, reſpectu hominum: 3. Dies terroris & triſtitiæ, reſpectu dæmonum. 374

De S. Matthæo Apoſtolo.

Videamus S. Matthæi officia, convivium & dignitates: 1. Officia, quæ ante converſionem exercuit: 2. Convivium, quod in converſione Chriſto fecit: 3. Eminentes dignitates, quas poſt converſionem in Eccleſia obtinuit. 378

De SS. Coſma & Damiano.

Sancti Coſma & Damianus fuerunt Medici: 1. Doctrina fulgentes: 2. Charitate ardentes: 3. Pietate inſignes. 382

De S. Michaele Archangelo.

S. Michael eſt Princeps magnus per Deum, inter Angelos, & ſupra homines: 1. Per Deum, a quo ſublimatur: 2. Inter Angelos, quibus præeſt: 3. Supra homines, quos protegit. 386.

De S. Hieronymo.

S. Hieronymus fuit Sol, Angelus, & prodigium: Fuit 1. Sol in mundo: 2. Angelus in deſerto: 3. Prodigium in Eccleſia. 390

I. Pars. Sanctus Hieronymus fuit Sol in mundo, quia affulſit hæreticis, mundanis, & viris perfectis. Affulſit 1. Hæreticis, ut eos a via erroris averteret, 2. Mundanis, ut eos in via perditionis revocaret: 3. Perfectionis, ut eis altioris ſanctitatis viam aperiret. *ibid.*

II. Pars. S. Hieronymus fuit Angelus in deſerto: 1. Ratione puritatis, qua floruit: 2. Ratione abſtinentiæ, quam ſectatus eſt: 3. Ratione orationis, cui indeſinenter adhæſit. 391

III. Pars. S. Hieronymus fuit prodigium in Eccleſia: 1. Libris, quos compoſuit: 2. Oraculis, quæ protulit: 3. Virtutibus, quibus enituit. 392

De Angelis Cuſtodibus.

Cuſtodes Angeli tria nobis impendunt beneficia; ſunt enim Doctores, Protectores & advocati noſtri. Sunt 1. Doctores, qui nos erudiunt: 2. Protectores, qui nos defendunt: 3. Advocati, qui apud Deum nobis patrocinantur. 394

De B. V. Mariæ Roſario.

Beatæ Virginis Mariæ Roſarium, ſub diverſo reſpectu conſideratum, eſt oratio, myſterium, & confraternitas. 1. Eſt oratio, quæ ſæpe recitanda: 2. Eſt myſterium, quod ſerio meditandum: 3. Eſt confraternitas, quæ ſedulo ſectanda. 398

De Seraphico Franciſco. Concio Prima.

Super Franciſco requievit ſpiritus Chriſti: ſimul enim Chriſto habuit ſpiritum contemptus, amoris & odii. Habuit 1. Spiritum contemptus, reſpectu bonorum hujus mundi: 2. Spiritum amoris, reſpectu hominum. 3. Spiritum odii, reſpectu ſui ipſius. 402

De Seraphico Franciſco. Concio Secunda.

Sanctus Franciſcus habuit cor filii, matris, & judicis. Habuit 1. Cor filii, reſpectu Dei: 2. Cor matris, reſpectu hominum: 3. Cor judicis, reſpectu ſui ipſius. 406

I. Pars. Sanctus Franciſcus habuit cor filii, reſpectu Dei: habuit enim reſpectu ejus: 1. Cor, voluntati ejus penitus ſubditum & obediens: 2. Cor, gloriam ejus in omnibus exquirens: 3. Cor, amore ejus ſuccenſum. *ibid.*

II. Pars. Sanctus Franciſcus habuit cor matris, reſpectu proximi. Habuit enim 1. Cor beneficum, reſpectu omnium: 2. Cor ſollicitum, pro ſalute omnium: 3. Cor generoſum, pro defenſione omnium. 403

III. Pars. Sanctus Franciſcus habuit cor judicis, reſpectu ſui ipſius: fuitque judex in ſeipſum ſeverus & crudelis. Quia ſeipſum condemnavit. 1. Ad ignominias: 2. Ad dira ſupplicia: 3. Ad mortem. 409

De S. Thereſia.

Sancta Thereſia Chriſtum Sponſum amavit 1. Amore patiente: 2. Amore operante: 3. Amore languente. 410

De S. Petro de Alcantara. Concio Prima.

Vir Dei ſanctus extitit beatus Petrus de Alcantara, & ſanctitas ejus: 1. Magna fuit in ſe, & in cor-

corde ejus: 2 Magna fuit in manu Dei: 3. Magna fuit in hominum æſtimatione. 415

I. Pars. Sancti Petri ſanctitas magna eſt in ſe, & in corde ejus: quia terrena deſpexit, carnem mortificavit, & voluntatem ſuam divinæ conformavit: 1. Terrena deſpexit, ut cæleſtia amaret: 2. Carnem mortificavit, ut illam ſpiritui ſubjiceret: 3. Voluntatem ſuam divinæ conformavit, ut unus cum Deo ſpiritus fieret. 416

II. Pars. Sancti Petri ſanctitas magna eſt in manu Dei, qui ut ſanctitatem ejus magnificaret, & exaltaret, dedit ei: 1. Orationis & contemplationis ſpiritum: 2. Sapientiæ & intelligentiæ donum: 3. Gratiam miracula & prodigia operandi. ibid.

III. Pars. Sancti Petri ſanctitas magna eſt in æſtimatione hominum. Ubique enim ſanctitas ejus ſupra modum æſtimata eſt, & præcipue in Hiſpania, in urbe Roma, & in tota Eccleſia: 1. in Hiſpania, dum in hoc mundo viveret: 2. in urbe Roma, cum Sanctorum catalogo adſcriptus eſt: 3. in tota Eccleſia, poſtquam inter Sanctos annumeratus eſt. 418

De S. Petro de Alcantara. Concio Secunda.

Sanctus Petrus pœnitentiam quæſivit, pœnitentiam amplexus eſt, & pœnitentiam eſſe faciendam aliis inſpiravit: 1. Pœnitentiam quæſivit magna cum ſollicitudine: Pœnitentiam amplexus eſt ardenti cum fervore: 3. Pœnitentiam inſpiravit felici cum ſucceſſu. 419

De S. Urſula.

Urſulæ virginitas fuit impugnata, triumphans & præmiata. Videamus virginitatem ejus 1. Impugnatam: 2. Triumphantem: 3. Præmiatam. 423

De omnibus Sanctis.

Sancti in cælo 1. Beati ſunt, quia Deum vident: 2. Beati ſunt, quia Deum videntes, amant: 3. Beati ſunt, quia Deum videntes & amantes, gaudent. Sancti tandem in cælo beati ſunt, quia vident, amant, & gaudent. 427

De S. Martino Epiſcopo.

Sanctus Martinus fuit Miles, Monachus, & Pontifex. Videamus 1. Virtutes illius Militis: 2. Sanctitatem hujus Monachi: 3. Perfectionem hujus Epiſcopi. 432

I. Pars. S. Martinus in ſtatu militis virtutibus multis claruit, & præcipue: 1. Miſericordia erga pauperes: 2. Caſtitate in corpore ſuo: Fiducia in Deum. ibid.

II. Pars. Sancti Martini ſanctitas in ſtatu Monachi fuit 1. In humilitate fundata: 2. Mortificationibus illuſtrata: 3. Miraculis comprobata. 433

III. Pars. Sancti Martini in ſtatu Pontificis perfectionem manifeſtam eſſe patet, ſi ſolummodo ipſius charitatem contemplemur. Habuit enim 1. Charitatem beneficam: 2. Charitatem patientem: 3. Charitatem fervidam. 435

De Præſentatione B. V. Mariæ.

Maria offertur a parentibus, & a ſemetipſa. Conſideremus 1. Pietatem & devotionem parentum Mariæ, qui eam Deo offerunt: 2. Zelum & amorem Mariæ, qui ſemetipſam Deo offert. 436

I. Pars. Joachim & Anna Mariam Deo offerunt: 1. Licet unica eorum filia eſſet: 2. Licet perfectiſſima eſſet: 3. Licet ab iis ſupra modum dilecta eſſet. ib.

II. Pars. Maria ſeipſam Deo offert 1. Promptam, quia dat ſe cito: 2. Integram, quia dat ſe totaliter: 3. Irrevocabilem, quia dat ſe pro ſemper. 438

De Sancta Catharina.

Sancta Catharina fuit Filia, Virgo, & Martyr: Fuit 1. Filia doctiſſima: 2. Virgo puriſſima: 3. Martyr conſtantiſſima. 440

I. Pars. Sancta Catharina fuit filia doctiſſima, ejuſque ſcientia tanta fuit, ut ab ea 1. Imperator fuerit attonitus: 2. Philoſophi fuerint convicti: 3. Infideles ad Catholicam fidem fuerint converſi. ibid.

II. Pars. Sancta Catharina fuit Virgo puriſſima, ejuſque puritatem denotabit: 1. Annulus, quo ſubarrhavit eam Chriſtus: 2. Lac, quod ex amputato ejus capite fluxit: 3. Angeli, quod eam ſepelierunt. 441

III. Pars. Sancta Catharina fuit Martyr conſtantiſſima, ejuſque conſtantia enituit: 1. Contra Imperatorem, cui fortiter reſtitit: 2. Contra tormenta, quibus nunquam ceſſit: 3. Contra mortem, quam nullo modo expavit. 442

Octava. De Fidelibus Defunctis.

Octo hujus Octavæ Concionibus Purgatorium conſiderabimus: 1. Ut locum tormentorum: 2. Ut præcipitium horrendum: 3. Ut terrum carcerem: 4. Ut fornacem accenſam: 5. Ut terram infortunatam: 6. Ut miſeriarum lacum: 7. Ut puteum amaritudinis: 8. Ut baptiſmum acerbiſſimum. 444

Concio Prima.

Purgatorium eſt locus tormentorum, ubi fideles Defuncti tormenta perferunt: 1. Gravia: 2. Diuturna: 3. Juſta. ibid.

Concio Secunda.

Purgatorium eſt præcipitium: 1. In quod homines facile cadunt: 2. In quo homines dire cruciantur: 3. A quo homines difficile egrediuntur. 448

Concio Tertia.

Purgatorium eſt carcer conſtitutus: 1. In terræ centro: 2. In ignis abyſſo. Eſt in terræ centro: quid horribilius? Eſt in ignis abyſſo: quid terribilius. 452

Con-

Concio Quarta.

Purgatorium eſt fornax accenſa, cujus ignis eſt corporeus, violentus & ſapiens. Eſt 1. ignis corporeus, qui torquet ſpiritus: 2. ignis violentus, qui torquet Sanctos: 3. ignis ſapiens, qui quemlibet torquet juxta merita. 455

Concio Quinta.

Purgatorium eſt terra infortunata. Quia eſt 1. Terra dolorum: 2. Terra tenebrarum: 3. Terra oblivionis. 460

Concio Sexta.

Purgatorium eſt lacus miſeriarum. Fideles enim defuncti in hoc lacu ſunt, ut ſervi, ut debitores, ut exules. In eo ſunt 1. Ut ſervi, qui vincula ſua frangere nequeunt: 2. Ut debitores, qui debita ſua ſolvere non valent: 3. Ut exules, qui ad patriam ſuam ire non poſſunt. 464

Concio Septima.

Purgatorium eſt puteus amaritudinis; mœrore enim & amaritudine animæ conficiuntur fideles defuncti, cum in Purgatorio conſiderant 1. Peccata, quæ in hoc mundo perpetrarunt: 2. Virtutes, quas acquirere neglexerunt: 3. Paradiſum, quem non ſatis ardenter deſiderarunt. 468

Concio octava.

Purgatorium eſt baptiſmus acerbiſſimus; Eſt enim baptiſmus, qui fideles defunctos 1. igne a peccatis mundat: 2. igne nos ad Paradiſum introducit. 472

CON-

Digitized by Google

CONCIONES DE SANCTIS.

DE SANCTO ANDREA

CONCIO PRIMA.

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce. ad Galat. 2. 19.

CHriſtus Dominus mirabili, & divina ſapientiæ ſuæ face illuſtratus, crucem tanti fecit, ut ea aſſumpta, & conſtantiſſime retenta, propriam matrem alteri dare voluerit, *Matrem dedit, crucem vero reſervavit. Ambr.* Sanctiſſimus hic mundi Redemptor, qui toto vitæ ſuæ tempore erga omnes ſe liberalem exhibuerat, in cruce pendens & moriens, pretioſiora, & ſpecialiora *dedit hominibus;* tunc enim S. Joanni Matrem, Paradiſum latroni, inimicis veniam, gratiam peccatoribus, cunctiſque hominibus pretioſiſſimi ſui ſanguinis virtutem & efficaciam quam libentiſſime & liberaliſſime dedit; ſed *ſuam ſibi crucem reſervavit.* O quam pretioſa, quam amabilis, quamve optabilis crux, quam ſapientia æterna præeligit, prædiliget, ſibique tanto affectu, tantaque ſolicitudine reſervat! ejus tamen B. Andream participem & hæredem inſtituere voluit. Nec donum illud, quod exhorreſcunt Judæi, Gentiles contemnunt, & plerique fugiunt, ſanctus ille Apoſtolus recuſavit; quin e contra gratiſſimo illud percepit animo; crucem dilexit, crucem exquiſivit, & in cruce gloriam ſuam conſtituit: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce.* Contemplemur nunc pretioſum hunc theſaurum in corde ſanctiſſimi illius Apoſtoli; perpendamus varios, & mirabiles motus, quibus vere Apoſtolicum S. Andreæ cor fuit erga crucem concitatum, &c. *Ave.*

SAncti in cælo circa objectum beatificum triplici motu cientur; motu ſcilicet deſiderii, gaudii & amoris; ut enim ſacri docent codices, Sancti in cælo deſiderant, gaudent & amant; ipſi deſiderant continuationem contemplationis & viſionis Dei, a quo beantur: *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* 1. *Pet.* 1. 6. Ipſi etiam gaudent de gloria æterna, cujus ſunt poſſeſſores, *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum. Iſ.* 35. 10. Ipſi tandem amant Deum quem amaverant, dum in hoc mundo viverent; charitas enim quam habuerant in terris, perſeverat in cælis: *charitas numquam excidit.* 1. *Cor.* 13. 8. Ecce varios motus, quibus Beati in cælo degentes, erga objectum beatificum feruntur; ſed (quod mirum & portentoſum eſt) iiſdem pene motibus erga crucem cor B. Andreæ agitabatur; eam enim ardenter deſideravit, eam hilariter contemplatus eſt, eamque magno cum amore eſt amplexatus. Homines, qui mundi & carnis dediti ſunt voluptatibus, cruces & tribulationes fugiunt, timent & oderunt: aſt cor B. Andreæ aliis & totaliter oppoſitis fuit agitatum motibus, triplex namque in ejus corde erga crucem fuit motus. *Primus*, fuit motus deſiderii. *Secundus*, fuit motus gaudii. *Tertius*, fuit motus amoris. Triplex ille motus totam hujus concionis materiam ſubminiſtrabit.

PRIMA PARS.

In corde B. Andreæ fuit motus deſiderii erga crucem.

CHriſtus Dominus, non ſolum pro nobis vigilare, jejunare, concionari & peregrinari voluit, ſed & dira pati, crucisque mortem pro noſtra ſalute ſubire deſideravit. Propriam mortem, veluti ſacrum baptiſma, quo ſauciata, & originali labe fœdata protoparentis noſtri familia ſalvari & mundari debebat, ipſe contemplabatur; eoque intuitu talem baptiſmum, ſeu crucis mortem, ſummopere optabat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur? Luc.* 12. 50. Beatus autem Andreas eodem arſit deſiderio, fuitque in ejus corde ardens motus deſiderii erga crucem; illam ambiit, illam concupivit, ad eam hianter attendit, eique alligari tanto affectu peroptavit, ut illam non leviter & tranſeunter optatam, ſed ardenter, & diu deſideratam vocaverit: *O bona crux diu deſiderata!*

Sanctiſſimus Propheta Daniel vocatur *vir deſideriorum. Dan.* 9. 23. ſimiliter S. Andreas, qui interpretatur *virilis*, fuit *vir deſideriorum*, non inanium quidem aut malorum, quia ipſe nec vana, nec mala concupivit; ſed fuit *vir deſideriorum* bonorum, ipſe ſiquidem deſideravit cuſtodire juſtificationes Domini, deſideravit Deum laudari, ejuſque gloriam in toto terrarum orbe prædicari; deſideravit etiam, & ardenter ſitivit peccatorum converſionem, & omnium ſalutem; ſed ardentius, quo æſtuabat anima ejus, deſiderium, ad crucem dirigebatur, cui alligari toto cordis affectu deſiderabat; unde B. Bernardus ſanctiſſimum hunc Athletam cruci affixum repræſentans, ait, quod Deus ei tribuerit quod vehementer optaverat; *Deſiderium animæ ejus tribuit*

Digitized by Google

buit ei Dominus. Serm. 1. S. Andr. non tribuit ei Deus bona temporalia, & voluptates ſæculi, a quibus abhorrebat: ſed crucem, quam ardentiſſime optaverat: *O bona crux diu deſiderata!*

Fieri ſolet jucundus quidam ludus, qui vocatur *ludus deſideriorum*, in quo aliqui ſimul congregati, recreationis gratia, ſeu propalant deſideria, & quiſque ſuo ordine declarat, quid potiſſimum in hoc mundo optare poſſet; unus ait, quod vellet eſſe ſummus Pontifex: alius, quod totius orbis Imperator eſſe cuperet; hic, quod montem aureum poſſidere optaret; iſte, quod tot deſideraret habere nummos, quot ſtellæ ſunt in cælo, quot folia in arboribus & arenæ grana in littore maris: his autem & ſimilibus modis, quiſque ſuum patefacit deſiderium; unde, ſi intima cordis eorum intueri fas eſſet, videremus, quod ludentium quilibet arcanum cordis ſui deſiderium ſincere propalavit. O beate Andrea! dicito quæſo, qua tua afficiatur anima deſiderio? Pande tuos affectus, cordis tui deſiderium propala. An forte montes aureos, bonorum temporalium theſauros, vel ſupremas mundi dignitates deſideras? Apage; talia enim non cupit, qui terrena cuncta contemnit, talia non deſiderat ille crucis diſcipulus: ſed ipſam crucem, cui alligari ſummopere optat, hoc eſt deſiderium animæ ejus: *O bona crux diu deſiderata!*

Multi cum Chriſto eſſe cupiunt, quando ab eo gratias, favores & conſolationes percipiunt: ſed tempore tribulationis ab eo diſcedunt, ipſumque derelinquunt. Quando Apoſtoli in monte Thabor Chriſtum luce ſupercæleſti & gloria divina coruſcantem apprehenderunt, cum illo permanere optabant, & ideo tabernacula ibi fieri petebant: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum: Matth. 17. 4.* ſed cum tempus paſſionis advenit, cum Chriſtus crucifigi voluit, *Eo relicto fugerunt omnes. Matth. 26.* O Petre! ut quid derelinquis Magiſtrum tuum, benefactorem tuum, Dominum & Deum tuum, a quo tot & tanta beneficia recepiſti? Cum ipſo aſcendiſti in montem Thabor, cur & cum ipſo etiam in Calvariæ montem, & in crucis patibulum non aſcendis? Aſcendiſſet quidem Petrus, aſcendiſſent & omnes Apoſtoli, ſi non laboraſſent communi infirmitate hominum, qui cum Chriſto libenter eſſe volunt in monte Thabor, ſeu tempore conſolationis, & cum Chriſto eſſe nolunt in monte Calvariæ, ſeu tempore tribulationis. Aſt B. Andreas, non tam cum Chriſto gloria cæleſti ſuperfuſo & luce ineffabili circumfuſo, quam cum Chriſto cruci affixo, eſſe deſideravit; optavit particeps fieri paſſionum ejus & ad inſtar illius, crucis ſtipiti alligari concupivit: Andreas, ut ait D. Bernardus, *deſiderabat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Sed ubi S. ille Apoſtolus cum Chriſto eſſe volebat? Forte in monte Thabor, ubi *reſplenduit facies ejus ſicut ſol? Ubi ſup.* Nequaquam, ſed in cruce, *deſiderabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, ſed in cruce*, inquit Bernardus; unde non Chriſtum ſine cruce, ſed crucem cum Chriſto deſideravit.

Demiramur pereximium D. Pauli erga Chriſtum amorem, quo exardeſcens, propriam animam a corpore diſſolvi peroptabat, ut cum Chriſto amorem, quo exardeſcens, propriam animam a corpore diſſolvi peroptabat, ut cum Chriſto eſſe poſſet: *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: ſed quo in loco ille gentium Apoſtolus cum Chriſto eſſe appetebat? In Paradiſo; ubi Chriſtus eſt objectum Sanctos beatificans eoſque gloria & conſolatione infinita replens, cum Chriſto eſſe cupiebat in loco beatitudinis æternæ, *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* At longe mirabilior videtur S. Andreæ amor, quia diſſolvi optavit, ut eſſet cum Chriſto cruci affixo, *deſiderabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, ſed in cruce: Matth. 17. 2.* unde ſimul optavit Chriſtum & crucem ejus, eodemque motu, Chriſto adhærere & cruci affigi deſideravit.

Certiſſimum eſt, quod *per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* Antiquitus crux inſpiciebatur ſolummodo, ut ſupplicium reorum: ſed jam, ut ait S. Baſilius Seleuc. *Via ad ſalutem, paſſio & crux*, & ut loquitur S. Bernardus: *Crux eſt via vitæ, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni. Orat. 31. S. Bern. ſerm. 1. in Dom. Ram.* Hæc tamen eſt differentia inter pueros rationis expertes, & adultos rationis uſu pollentes: quod pueri abſque ullis propriis meritis & paſſionibus, per ſolam crucis Chriſti virtutem, ſeu per merita paſſionum ejus, gloriam æternam conſequuntur; adulti vero cruci Chriſti ſuam adjungere debent, & cum ipſo pati tenentur, ut æternam beatitudinem aſſequi valeant; unde Chriſtus Dominus ſententioſe profert, quod ſi quis cum ipſo regnare velit in cælo, ipſumque ſequi optet in gloria, crucem ſuam tollere, cruciſque dolores ſentire debeat; *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Luc. 9. 23.* O cæcitatem, & veſaniam hominum, quorum ne unus quidem eſt, qui cum Chriſto regnare nolit in patibulo! Omnes beatitudinem volunt aſſequi, & pauci volunt crucem amplecti; omnes æternam beatitudinem adipiſci cupiunt, pauci jejunare, injurias condonare, jugum legis Dei portare, & crucem ſuam tollere volunt. Non ſic autem B. Andreas, qui quidem voluit intrare in regnum cælorum, ſed per viam crucis; Andreas ut ait S. Bern. *deſiderabat regnum intrare, ſed per patibulum. Serm. 1. de S. Andr.* Unde ſimul Paradiſum & crucem deſideravit; Paradiſum, tamquam finem ultimum, & crucem, tamquam medium ad talem finem obtinendum; & ſub hoc reſpectu crucem ſummo affectu concupivit, ambivit, & ſollicite quæſivit, dicens: *O bona crux, diu deſiderata, ſolicite amata, ſine intermiſſione quæſita!*

Ecce primum cordis B. Andreæ motum; crucem deſideravit, quam plerique fugiunt. Inter homines, inquit S. Aug. *alius deſiderat aurum, alius deſiderat argentum, alius deſiderat poſſeſſiones, alius deſiderat hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios, In Pſ. 26. v. 2.* ardent omnes deſiderio, & ſæpe deſiderio rerum illicitarum, & a Deo prohibitarum; immo & quæ ſunt illicita, ardentius appetuntur: *Quidquid non licet, magis deſideratur. Hieron. in c. 13.* O cæci & inſani homines! *ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Oſ. Pſ. 4. 3.* ut quid vana & illicita concupiſcitis, & quæritis? Si diligitis, diligite quod dili-

Digitized by Google

diligere licet; ſi quæritis, quærite quod quærere convenit; & ſi deſideratis, deſiderate quod deſiderare licitum, bonum & ſanctum eſt; cum B. Andrea cruci alligari, & crucem portare concupiſcite. Habete cum illo erga crucem motum deſiderii, & *motum gaudii*.

SECUNDA PARS.

In corde B. Andreæ fuit motus gaudii erga crucem.

DEſiderium ex D. Auguſtino in *Pſ.* 118. eſt *rerum abſentium concupiſcentia*, gaudium vero ex D. Chryſoſtomo hom. 1. de verb. Iſaiæ, eſt *rerum jucundarum fruitio*, duplici autem illo motu, deſiderii ſcilicet, & gaudii, concitatum fuit cor B. Andreæ, crucem non ſolum concupivit abſentem, ſed de ipſa etiam præſente gaviſus eſt; ipſam videns præ gaudio exultavit & tripudiavit: *Inaudito a ſæculis gaudio tripudiabat, cum paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet. D. Bern. ſer. in Vig. S. Andr.*

Stricte prohibetur carnificibus, ne damnatis ad mortem ſui oſtendant inſtrumenta ſupplicii: quia talium inſtrumentorum idea nimium eis timorem incuteret; & forte mortem, ante executionem ſententiæ a judicibus latæ, eis cauſaret. At B. Andreas, ſui gaudens conſpexit inſtrumentum ſupplicii: videns enim paratam ſibi crucem, *nequaquam, ut exigere videtur mortalis infirmitas, facies ejus expalluit; nequaquam ſanguis ejus gelatus eſt: non ſtetere comæ, aut vox faucibus hæſit; non contremuit corpus, nec mens turbata eſt: non receſſit etiam, ut aſſolet, intellectus, S. Bern. ſerm. 2. S. Andr.* nec ejus mors, ſententiæ ab Ægea contra ipſum latæ executionem præcurrit; quin e contra ſtrenue ille Chriſti Athleta crucem ſcrutus & gaudens aſpexit, & in illius aſpectu, præ nimio quo agitabatur gaudio, tripudiavit: *Inaudito a ſæculis gaudio tripudiabat, cum paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet.*

Chriſtus Dominus, a quo omnium Sanctorum gaudium manat, in horto Gethſemani triſtis factus eſt uſque ad mortem, unde Pater æternus ad eum miſit Angelum conſolatorem: *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Lucæ* 22. 24. Quis eſt hic, qui triſtatur, & cujus triſtitia conſolatione angelica lenitur? is plane eſt, cui naſcituro clauſus patuit Virginis uterus; cujus nutu in vinum aqua mutata eſt, cujus tactu lepra fugata, ſub cujus plantis mare ſolidum ſtetit, & ad cujus vocem mortui ſurrexerunt: Hic eſt, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, per quem facta ſunt omnia, & per quem univerſa ſubſiſtunt: Hic tandem eſt, qui confortat & conſolatur, non ſolum Angelum confortantem, verum & omnem penitus creaturam rationalem. Sed cur quæſo, triſtatur ſupremus ille conſolator? Triſtatur quidem, quia omnia paſſionis inſtrumenta, omneſque, quos paſſurus eſt, dolores ipſi repræſentantur: *Sciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum.* Heu! ſi Chriſtus ad ſimplicem crucis ideam triſtatur, quid fiet de B. Andrea? Anne gaudere poterit ille Diſcipulus, ubi triſtatur Dominus & Magiſter ejus? gaudet utique & vehementer exultat; unde in memoriam vehementis gaudii, quod ad patibuli præſentiam prætulit, magnus ille Apoſtolus, hortatur nos D. Bernardus, ut cum illo gaudeamus & exultemus: *Quomodo*, inquit, *non exultemus in memoria triumphi ejus, quem in ipſa ſui præſentia ſupplicii, tam vehementer novimus exultaſſe? Serm. in Vig. S. Andr.* Exultavit quidem & tripudiavit Andreas ad ſibi parati præſentiam patibuli; ſed, quid fieri potuit, quod ad crucis præſentiam triſtaretur Chriſtus, & lætaretur Andreas? unde tanta diverſitas inter Magiſtrum & Diſcipulum, inter Chriſtum & Andream? unde eſt, quod triſtetur Chriſtus, ubi lætatur Apoſtolus? Triſtatur Chriſtus ad præſentiam ſupplicii, non ex infirmitate & conditionis neceſſitate, ſed ſuæ beneplacito voluntatis; triſtatur, quia triſtitia ſua, ſuiſque doloribus infirmitates, & iniquitates noſtras ſanare voluit. Gaudet autem Andreas per Chriſtum, qui fuit Angelus confortans eum, & qui gaudio cor ejus replevit: *unde*, inquit S. Bernardus, *in hoc infirmo nova hæc exaltatio & lætitia hactenus inaudita? abſit, ut a ſeipſo tantam ei credamus ineſſe virtutem; donum perfectum eſt, deſcendens a Patre luminum, ab eo utique, qui facit mirabilia magna ſolus. Serm. 2. S. Andr.* Dici etiam poteſt, quod gaudet S. Andreas per Chriſtum, quia Chriſtus ab ejus cruce amaritudinem abſtulerat; eique mirabilem dederit ſuavitatem: *Cruci ſuavitatem dedit, qui dedit & igni. S. Bern. ſer. 1. S. Andr.* Tantam Chriſtus igni, quo S. ardebat Laurentius, contulerat ſuavitatem, ut inſignis ille Levita, in medio ignis decumbens, irrideret carnifices, Judicem ſubſannaret, & jam Paradiſi gaudiis frui arbitraretur. Chriſtus ſimiliter tantam cruci S. Andreæ ingeſſit dulcedinem, tantave eum ſuavitate affecit, ut Sanctus hic Apoſtolus ad crucis ſibi paratæ præſentiam exultaverit & tripudiarit: *Tripudiabat, cum paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet.*

Cum Andreas ad paratam ſibi crucem pergeret, eam compellans, ſic allocutus eſt: *Securus & gaudens venio ad te.* Quale erat illud gaudium, quo impulſus S. Andreas, ad paratum ſibi patibulum currebat? Gaudium illud erat maximum, & ita præcellens, ut teſte Bernardo, præ magnitudine illius, Andreas, quaſi mente captus videretur, & ſeipſum non caperet: *Securus*, inquiebat *& gaudens venio ad te, ut & tu exultans ſuſcipias me.* O Andreas! attende ad verba quæ profers: an ignoras, quod crux, quæ eſt inſenſibilis, omnis penitus lætitiæ eſt incapax? An te latet, quod lignum illud tecum exultare nequit? Quomodo exultaret, & tripudiaret inanimatum illud patibulum, cui omnis ſive gaudii, ſive mœroris motus repugnat? exultare quidem non valet; cur ergo, o Andrea, illud ad exultationem invitas? *Ut & tu exultans ſuſcipias me.* Reſpondet Bernardus, quod S. Andreas non ſe capiebat, cum talia proferebat: *Videtis, quod non ſe capit præ magnitudine gaudii: dicens, ut & tu exultans ſuſcipias me. Ser. in Vig. S. Andr.* O præcellens Andreæ gaudium, quod tantum eſt, ut præ nimia jubilatione & lætitia, S. ille Apoſtolus ſuis non attendat verbis, nec ſeipſum capiat; *Videtis, quod præ magnitudine gaudii non ſe capit.* Debet religioſus, juxta S. Bernardi doctrinam, ire *ad menſam tamquam ad crucem*; ſed D. Andreas, ſancto & contrario motu compulſus, ad crucem, velut ad men-

menſam opiparam, & cibis exquiſitis conſertam, immo velut ad menſam Euchariſticam & cæleſtem ſe conferebat, cor enim ejus, ad crucem properantis, ſpirituali abundabat gaudio, & intellectus ejus tanta lætitia præoccupabatur, ut quaſi alter Petrus in monte Thabor, *neſciens quid diceret*, ipſam crucem ad exultandum invitaret. *Videtis, quod præ magnitudine gaudii non ſe capit. Luc. 9. 35.*

En ſecundum cordis S. Andreæ motum erga crucem, motum quidem gaudii ineffabilis, & exultationis inſolitæ. Heu! quam graviter falluntur, qui nullum in adverſitatibus, & tribulationibus gaudium inveniri poſſe arbitrantur, ut enim loquitur S. Bernardus: *Lignum crucis fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat: Ser. 1. S. Andr.* non omnibus quidem, ſed iis qui Dei amore ardent & divino ſpiritu aguntur; aliis vero, quorum infirmitas a Dei ſpiritu non adjuvatur, omnia ſunt dura, omnia ſunt aſpera, omniaque videntur importabilia, iis *moleſtus eſt omnis pænitentiæ labor, corporis afflictio gravis, abſtinentia oneroſa. S. Bern. ser. 2. de S. Andr.* Quare ſupplices a Deo petite ſpiritum pænitentiæ & mortificationis, quo dulcorantur omnia. Spiritus Dei eſt *ſuper mel dulcis*, hoc ſpiritu amara quævis molliuntur, & dulcia fiunt, hoc ſpiritu temperatur & dulceſcit ipſa crucis & mortis amaritudo; unde hoc ſpiritu ſuccenſi in mediis ſuppliciis, gaudebant, & exultabant Sancti: *Exultantes in preſſuris: Tertull. ſcorp. 13.* ſummo ergo affectu, ſummaque humilitate hunc a Deo ſpiritum poſtulate, ut eo ſuccenſi, in mediis tribulationibus gaudere & exultare valeatis cum D. Andrea, in cujus corde fuit motus gaudii, & *motus amoris* erga crucem.

TERTIA PARS.

In corde S. Andreæ fuit motus amoris erga crucem.

TRiplicem gradum bajulatorum crucis conſiderat D. Bernardus, incipientium ſcilicet, proficientium, & perfectorum; incipientes ducuntur timore, proficientes ſpe trahuntur, & perfecti charitate moventur: qui timore ducuntur, inquit Bernardus, crucem Chriſti portant patienter: *Qui initiatur a timore, crucem Chriſti portat patienter: S. Bern. ser. 1. S. Andr.* qui autem ſpe trahuntur, crucem libenter amplectuntur: *Qui proficit in ſpe, portat libenter*; qui tandem perfecto moventur amore, cruci ardenter adhærent: *Qui vero conſummatur in charitate, amplectitur jam ardenter.* Andreas autem, non ſolum crucem portavit patienter, & libenter, verum & eam ardentiſſime dilexit; nullus unquam procus ſuam ardentius adamavit amaſiam, quam Andreas ſibi paratam amavit crucem; pectus ejus erat quaſi ignita fornax, ex qua non niſi flammantia, & ardentiſſimum ejus amorem erga crucem manifeſtantia, prodibant verba; jam ſummo affectu dicebat: *o crux amabilis, o crux deſiderabilis.* Mox clamabat affectione magis, quam voce: *Salve crux pretioſa, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Dominicis accepiſti.* Interdum crucem ſalutabat, dicens; *Salve crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata*: Nonnunquam etiam a circumſtantibus audiebatur clamans: (o bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo.) Hæc & innumera alia ignita quæ proferebat verba, quo ardore crucem diligeret, teſtabantur; unde ſanctiſſimi hujus Apoſtoli amorem erga crucem demirans Bernardus, ait, quod omnia ejus verba ab ardenti, & ignito amore prodibant: *Fratres, ignis vibrans eſt, non lingua loquens; & ſi lingua, certe ignea eſt. Carbones ſunt ignis illius, quem de excelso Chriſtus miſerat in oſſibus ejus. Ubi sup.* Miramini ardentem hunc S. Andreæ amorem erga crucem.

Amor verus difficilia, & ardua quævis, ut levia, & facilia apprehendit; amanti nihil grave, nihil difficile apparet; ut enim ait S. Petrus Chryſologus: *Nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus. Serm. 40.* Talis autem fuit B. Andreæ amor erga crucem, nihil in ea amarum, nihil grave, nihil aſperum ſuſpicabatur; ſed omnia ei dulcia, ſuavia, jucunda, & optabilia in cruce apparebant; unde ei blandiebatur, ei applaudebat, eam laudabat, eamque ſuavem, deſiderabilem, nec non amabilem prædicabat; & hac in parte magnus ille Apoſtolus S. Petrum fratrem ſuum ſuperaſſe videtur; de his enim duobus fratribus loquens Petr. Damian. ait, quod crucis ſupplicium ambo paſſi ſunt, & quod, qui ejuſdem patris filii extitere in terra, ſunt in cælo filii ejuſdem matris, ſcilicet crucis: *Qui hic ſunt filii Joannis, illic ſunt filii crucis. Ser. 1. de S. Andr.* Videtur tamen, quod Andreas in amore crucis Petrum ſuperaverit; verum eſt, quod Petrus patienter, & conſtanter crucis mortem pertulit, ſed alia amoris ſui erga crucem teſtimonia non protulit; Andreas vero crucem voluntarie, & hilariter adivit, illam reverenter ſalutavit, in ejus laudes prorupit, variis eam blanditiis demulſit, aliaque multa amoris ſui erga crucem indicia dedit: *ubi*, inquit S. Bernardus, *Andreas paratum ſibi lignum intuitus eſt, ex hoc jam plane totus ignoſcens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ ſuæ, officioſiſſime ſalutabat, devotiſſime ſuſcipiebat, magnifice attollebat eam, & in ipſius præconio gloriabatur. Ser. in Vig. S. Andr.* O ingentia amoris S. Andreæ erga crucem teſtimonia! hæc enim verba, ut ait idem Bernardus, *ab interiori incendio emicant*; ſeu ab interiori, & ardentiſſimo amoris igne, quo æſtuabat.

Totus ille, qui vulgo appellatur amor, tantæ levitatis, & inconſtantiæ eſt, ut ne amoris quidem nomine dignus videatur; verus enim amor, non levis, & volatilis, ſed firmus, & conſtans eſſe debet; ut enim ait S. Ambroſius, *amor verus conſtantia probatur*; addit Seneca, quod amor verus ita conſtans eſſe debet, ut nunquam deſinat: *amare ſic incipe, tamquam non liceat deſinere.* Talis autem extitit S. Andreæ amor erga crucem, non enim ad tempus, & per intervalla; ſed ſemper, abſque ulla intermiſſione, eam adamavit; amore ita conſtanti crucem dilexit, ut eam ſemper amaverit: *amator*, inquit, *ſuus ſemper fui.* Subdit Bernardus, ſolum Andream vere dicere potuiſſe, quod crucem ſemper amaverit. *Solus etenim eſt, qui dicere poſſit, quia amator ſuus ſemper fui. Bern. ſer. 1. in Vig. S. Andr.* O egregium & conſtantem crucis amatorem!

rem! cui alius fu... (Chriſto excepto) inveniri nequiret.

De Chriſto Salvatore factum narrat Evangelium, quod, cum cruci affixus eſſet, adſtantes Judæi eum ad deſcendendum de cruce invitarent: *Deſcendat nunc de cruce*; deſcendiſſet quidem Chriſtus, ſi voluiſſet; tanto crucem proſequebatur amore, ut ab ea deſcendere renuerit; & in eâ pro hominum ſalute mori voluerit. Simili erga crucem arſit amore S. Andreas Apoſtolus; populum enim, ipſum e cruce eripere volentem, rogavit enixe, ut eum inter amatæ ſuæ brachia mori ſinerent; nec proinde ſteterit populus, ſed clamore importuno Ægeam proconſulem compulit, ut innocentem Andream de cruce deponi juberet; annuit Ægeas, juſſitque ſanctum hunc Apoſtolum de cruce tolli; ſed ipſe a cruce, quam ardenter amabat, ſeparari nolens, Deum inſtanter rogavit, ne ipſum a cruce ſolvi ſineret: *Tu me Chriſte ſuſcipe, neque famulum tuum, propter te in cruce pendentem, ſolvi permitte.* O ardentiſſimum & conſtantiſſimum erga crucem ſanctiſſimi hujus Apoſtoli amorem! Hic enim non ſolum crucem abſentem ſummo affectu deſideravit, non ſolum ad illius præſentiam lætabundus exultavit; ſed eam etiam ardentiſſime adamavit.

Hi ſunt ſacri & mirabiles cordis S. Andreæ motus erga Crucem, quibus quidem motibus quiſque cieri deberet. O utinam cum ſanctiſſimo illo Apoſtolo crucem optarent omnes! utinam crucem ſuam cuncti cum gaudio tollerent! ſed o utinam omnes cum Andrea crucem diligerent, eamque ſummo affectu amplecterentur, non enim Andream crucis amatorem digno proſequitur obſequio, qui crucis amore cum ipſo non æſtuat, *Merito crucis amatorem venerantur, qui ſunt ſervi crucis. S. Bern. ſerm. in Vig. S. Andr.* O Chriſtiane! vis Andreæ placere? vis illi debitum & gratum cultum exhibere? crucem dilige, crucem cum illo amplectere. Crucem non amat, qui carnis & mundi voluptatibus indulget, ſed crucem amat, qui auſteram & crucifixam ſectatur vitam: *Si crucem amarent, vitam crucifixam agerent. S. Chryſ.* O Chriſtiane! ita crucem diligas, ut vitæ pœnitenti & auſteræ inſiſtas. Scimus Deum a quolibet fideli non exigere, quod crucem tam duram, tamve acerbam, ac S. Andreas, portare pertentet; vult tamen, quod quilibet fidelis ſit crucis amator, & quod Andream crucis amatorem, ſaltem in aliquo, imitetur; vult Deus, ut ait S. Bernardus, quod *inveniamur vel in exiguo communicantes paſſionis ejus. Ubi ſup.*

Crucem Andreas *bonam* vocabat: *o bona crux!* Heu! ſi ſciremus, quam bona, quam utilis, quamve pretioſa ſit crux; nullus quidem pro Chriſto pati refugeret, ſed omnes crucem & quaſcumque tribulationes portare ambirent. Mementote, & paſſim recogitate, quod bonum & utiliſſimum eſt pro Chriſto pati, cruces noſtræ bonæ ſunt: *o bona crux!* Leves, tranſitoriæ, momentaneæ ſunt omnes tribulationes, quibus vexamur, tranſeunt quævis adverſitates, quibus concutimur, ſed tranſitoriæ, volatiles, & momentaneæ illæ cruces, bonæ & optimæ ſunt: quia immenſam, ſtabilem & perpetuam pariunt beatitudinem: *momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. 17.* O Chriſtiane! unicum da momentum Deo, unico momento pro illius gloria crucem porta, & æterna ab ipſo gloria in cælo præmiaberis. *Amen.*

DE SANCTO ANDREA

CONCIO SECUNDA.

Chriſto confixus ſum cruci. Ad Gal. 2. 19.

PRimi & antiquioris Chriſti Diſcipuli, primique legis novæ Chriſtiani ſolemnitas hodie celebratur, quam ſi pia ſolicitudine perſcrutemur, & ſi ſanctiſſimi hujus viri, cujus feſtum diem colimus, geſta ſedulo percontemur, multa haud dubie inveniemus, quæ omnium fidelium animas ſupra modum ædificare valeant. Andreas ſiquidem in ipſo ſuæ converſionis tempore, Chriſto vocanti humiliter paruit, terrena cuncta deſpexit, ſeque totum Deo conſecravit. In vitæ ſuæ progreſſu, ſeu cum apoſtolico functus eſt munere, magna patientiæ, humilitatis, mortificationis, zeli ſalutis animarum, aliarumque virtutum exempla edidit. Et in vitæ ſuæ termino, in crucem, tamquam in præeminentiſſimum gloriæ ſuæ theatrum aſcendit, in ea gloriam ſuam collocavit, eique, ad inſtar Chriſti, alligari concupivit: *Chriſto confixus ſum cruci.* Andream piſcantem, retia reficientem, omnia relinquentem, Chriſto obtemperantem, vel varias orbis terrarum provincias peragrantem ſpectare, mei nunc non eſt propoſiti, cum ſolummodo ſupra crucem, in qua paſſus & mortuus eſt, contemplari intendo, &c. *Ave.*

CRux Chriſto fuit cathedra, altare & thronus. Crux ei fuit cathedra, in qua verbis & exemplis, humilitatem, patientiam, benignitatem, charitatem, aliaſque virtutes prædicavit: *Crux Chriſti morientis, fuit cathedra magiſtri docentis. Auguſt. tract. 119. in Joann. c. 19.* Crux ei etiam fuit altare, in quo pro hominum redemptione ſe voluntarie Patri æterno in holocauſtum obtulit: *oblatus eſt, quia ipſe voluit. Iſaiæ 53. 7.* Crux tandem Chriſto thronus gloriæ extitit, quia per tormenta, quæ paſſus eſt, a Patre æterno exaltari & glorificari meruit: *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum. Ad Philip. 2. 9.* Chriſtus in hunc mundum venerat, ut Doctoris, Sacerdotis & Regis fungeretur officio; crux autem fuit cathedra hujus Doctoris, altare hujus Sacerdotis, thronus illius principis: a Chriſto nunc ad Andream tranſeo, a magiſtro ad diſcipulum propero, & dico, quod Andreæ, ſicut a Chriſto, crux fuit cathedra, altare, & thronus. Crux fuit cathedra, in qua populos docuit: altare, in quo ſe Deo in ſacrificium obtulit; & thronus, in quo maxime exaltatus & ſublimatus fuit. Crux tandem Sancto Andreæ fuit: 1. Cathedra ſui Apoſtolatus: 2. Altare ſui ſacrificii: 3. Thronus ſuæ gloriæ.

PRIMA PARS.

Crux S. Andreæ, fuit cathedra ſui Apoſtolatus.

PRæcipuum Apoſtolorum officium fuit prædicatio verbi Dei: *euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ, Marc. 16. 15.* Sanctiſſimo quidem huic muneri omnes ſummo ſtudio incubuere Apoſtoli, & præcipue S. Andreas, qui ut refert ſanctus Vincentius Ferrerius, poſt acceptam a Deo miſſionem, *Jeroſolimam*, *Galilæam*, *Samariam*, *Achajam*, aliaſque nonnullas regiones, ferventibus ſuis prædicationibus illuſtravit, ſed tandem in crucem aſcendit, tamquam in eminentiſſimam ſui Apoſtolatus cathedram, in qua gravi cum labore, ardenti cum ſpiritus fervore, magna animi conſtantia, magnoque cum animarum fructu populis prædicavit.

In prædicationis exercitio multus labor, pluresque difficultates occurrere ſolent; *Paſcere oves pabulo prædicationis, ſicut eſt officium magnæ dignitatis & pietatis, ſic grandis in eo difficultas invenitur. Joan. Gerſon. ſerm. in Concil. Rhem.* Sed, heu! ſi cunctis concionatoribus grave ſit muneris ſui exercitium, quantus labor, quantaque fuit difficultas ſancto Andreæ cruci alligato, injuriis laceſſito, doloribus oppreſſo, & inter ipſas mortis anguſtias degenti, tale munus exercere? illud tamen munus tunc generoſe obiit, prædicatoris officio ipſe moriens tanta cum ſolicitudine incubuit, ut toto biduo adſtanti populo prædicare non deſtiterit: *Cruci affixus eſt, in qua pendens, & Chriſti fidem prædicare numquam intermittens, ad Deum migravit.* Ægeas corpus Andreæ cruci alligaverat, ſed ejus linguam non ligaverat, verbum Dei in zelantiſſimo hoc Apoſtolo non erat alligatum; Doctor erat, cujus corpus cruci vinciebatur, ſed ejus doctrina vinciri & ligari nequibat: *Doctorem ſi vinxeris, doctrinam vincire non vales; lingua, non manu feritur verbum, quod nullis ſubjacet vinculis. D. Chryſ.* Adverſus Andream clamabat Ægeas, illi crudelem minabatur mortem, eique ſilere imperabat, ſed pereximii illius prædicatoris lingua & doctrina ligari non potuit; in cruce enim, tamquam in Apoſtolatus ſui cathedra, per duos dies continuos, magno cum ſpiritus fervore, populis prædicavit: *Interim ipſe prædicabat, & ſic vixit duobus diebus. S. Vinc. Fer. ſerm. de S. Andr.*

Crux, cui alligatus eſt Chriſtus, fuit cathedra, in qua efficaciſſimam habuit concionem, quam ad extremum uſque vitæ terminum protraxit, eo ipſo enim, quo ſuæ finem fecit concioni, dicens: *conſummatum eſt*, ipſe *inclinato capite emiſit ſpiritum.* O mirabilem & divinum concionatorem, qui tunc ſolum ceſſat prædicare, cum vivere deſinit, poſterne inveniri aliquis ei ſimilis? Occurretne, qui eum imitetur? Unus nobis ſeſe offert Andreas, qui in cruce ſimul cum Chriſto prædicavit, & qui concionem ſuam uſque ad extremum vitæ ſuæ terminum protelavit. Andreas *crucifixus crucifixum prædicabat*, inquit S. Chryſoſtomus, ſed Chriſtum crucifixum Andreas crucifixus prædicare non deſtitit, donec animam emiſit. De S. Hieronymo, acerrimo hæreticorum impugnatore, fertur, quod non ſolum fortiſſimis & ſolidiſſimis eos r[illegible]ibus, verum & mordacibus illos verbis inſectaretur; cum autem ipſi minis eum terrere pertentaverint, reſpondit generoſus hic Chriſti Athleta, quod etſi ipſi linguam præſcinderent, adhuc præciſa lingua adverſus eos balbutiendo clamaret: *Licet hydra ſibilet, victorque Simon incendia jactet, nunquam meum, juvante Chriſto, ſilebit eloquium, etiam præciſa lingua balbutiet. Hieron. in Præf. ſupra Eſdram.* Eodem prorſus modo, S. Andreas cruci alligatus, Chriſtum crucifixum populo prædicabat, & licet Ægeas ei minas intentaret, eumque variis modis a prædicatione arcere conaretur, zelantiſſimus tamen ille Chriſti Apoſtolus, lingua jam inanime, & quaſi vitæ experte, adſtantibus balbutiendo prædicavit, nec concionari ceſſavit, donec animam efflavit.

Cognoſcitur, quantæ virtutis & efficaciæ ſint verba prædicatorum, per fructus uberes quos faciunt, ſeu per animas errantes, quas in viam ſalutis adducunt: *Manifeſtatur virtus prædicantium, ubi ſurgit ſeges animarum: S. Greg. l. 6. in Regiſt.* Andreas autem in cruce prædicans, unus fuit ex his concionatoribus, qui potentes ſunt opere & ſermone, innumeri enim ex ejus auditoribus a via ſua peſſima converſi ſunt, clamantes; *Innocens ejus ſanguis ſine cauſſa damnatur.* Non fuit Andreas ex his concionatoribus, qui, Deo ita diſponente, poſt multos exantlatos labores, ne minimum quidem concionum ſuarum fructum ſenſibiliter agnoſcunt; ipſe enim fructuoſius laboravit, quia in unica concione, quam in cruce habuit, glorioſum viginti duorum millium fidelium ſemen Chriſto protulit. D. Auguſt. ait, quod *unuſquiſque Evangelii prædicator ita debet in Eccleſia laborare, ut defuncto fratri (hoc eſt Chriſto) ſuſcitet ſemen: Lib. 32. contra Fauſt.* Sanctus autem Andreas ferventibus ſuis prædicationibus in Scythia, in Judæa, & aliis pluribus locis, glorioſum fratri & Domino ſuo Chriſto ſemen ſuſcitaverat, ſeu innumeros ad veram ejus fidem infideles converterat: ſed tandem, antequam exiret de hoc mundo, in crucem, velut in cathedram magiſtralem aſcendit, in qua tanta virtute, tantaque efficacia concionatus eſt, ut viginti duo hominum millia ad Chriſti fidem converterit.

O prædicatorem Angelis & hominibus mirabilem! quis audivit unquam talem, aut quis vidit huic ſimilem? Andreas cruci alligatus, in tenebris, & quaſi in umbra mortis ſedens, prædicare non ceſſat, mortis dolores patitur, & concionatur, anima exhalat, & verbum Dei diſſeminat, vita cadit, & vitam ſpiritualem pluribus communicat. O mirandum animarum paſtorem! cui optime congruunt verba S. Auguſtini ſerm. de S. Cypriano, dicentis: *Vicina corporis morte, non moriebatur in animo Paſtoris vigilantia paſtoralis, & cura tuendi gregis. Non excutiebat ab animo diligentiam fideliſſimi diſpenſatoris manus cruenti carnificis. Ita ſe Martyrem cogitabat, ut eſſe non obliviſceretur Epiſcopus:* Sanctus enim Andreas inter tortorum manus, & in mediis ſupliciis exiſtens, non obliviſcebatur ſe eſſe Apoſtolum & animarum Paſtorem; meminerat commiſſi ſibi gregis; recordabatur, quod ſibi, ſicut & aliis Apoſtolis, dictum fuerat: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, rege-*

Digitized by Google

negere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Act. 20. 28. Quare, ſummo accenſus zelo, uſque ad ultimum vitæ exitum ardentiſſime, generoſiſſime, & efficaciſſime prædicavit.

Heu! quam multi nunc ſunt concionatores, qui non ſolum coram Ægea, ſeu coram tyrannis, verum & coram populis, verba veritatis proferre, & vitia objurgare erubeſcunt. Hi ſunt *canes muti non valentes latrare. Iſaiæ* 56. 10. Sed væ hujuſmodi concionatoribus, & præcipue ſi animarum ſaluti ex officio iis invigilare incumbat: *Diſpenſatio eſt nobis cæleſtis ſeminis injuncta, væ ſi non ſparſerimus, væ ſi tacuerimus, In Decret.* 1. *diſt.* 43. inquiebat ſummus Pontifex Nicolaus, ut refertur in S. Canone; Non ergo taceant Prædicatores, cum impii, & Impietates eorum ſunt redarguendæ, clament indeſinenter, & quaſi exaltent vocem ſuam, magnoque cum zelo populis prædicent, ad inſtar S. Andreæ, qui in cruce, ut in ſui Apoſtolatus cathedra, uſque ad mortem prædicavit: *& in ea ſui ipſius ſacrificium obtulit.*

SECUNDA PARS.

Crux S. Andreæ, fuit altare ſui ſacrificii.

Deus, qui dominatur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum, in teſtimonium ſupremi ſui in homines dominii, ab iis omni tempore ſacrificia ſibi offerri poſtulavit: *Perpetuo Deus ſacrificium, non quaſi indigeat, quæris: D. Baſil. ep. 87. ad Simplic.* Tempore legis naturæ, ei terræ fruges offerebantur, tempore legis Moſaicæ, ei pecora immolabantur, & tempore legis gratiæ non fructus & bruta, ſed noſmetipſos ipſi offerri & ſacrificari poſtulat. Verum eſt, quod, quemadmodum totum quod homo eſt, poteſt & habet, a Deo omnipotenti accepit; ſic totum quod eſt, quod poteſt, quod habet, Deo rependat & offerat neceſſe eſt: ſed nihil Deo gratius offerre poteſt homo, quam ſeipſum, hæc eſt victima omnium plane gratiſſima: *Quidquid præter teipſum das, nihil curat Deus quia non quærit datum tuum, ſed te. Sicut non ſufficeret tibi, omnibus habitis præter Deum, ita nec illi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. Thom. a Kemp. l. 3. c. 7.* Hujuſmodi autem ſui ipſius ſacrificium omnes Sancti Deo obtulerunt: ſed S. Andreas, modo quodam mirabiliori, ſe ipſum Deo in crucis altari ſacrificavit, de illo enim ſancta canit Eccleſia, quod *homo Dei ducebatur ad ſacrificandum:* quo ducebatur Andreas, ut ſuum offerret ſacrificium? ad crucis patibulum, hoc erat altare, in quo ſacrificaturus erat. Sed quæ erat victima, ad quam in crucis altari ſacrificandam ducebatur? ipſe erat hæc victima: non enim tauros, vitulos, boves, vel oves ſectas, ſed ſeipſum Deo ſacrificavit, ipſe enim aſcendit in crucem, ut eſſet ſimul ſacerdos & victima: fuit quidem ſacerdos, quia Deo gratum obtulit ſacrificium: fuit etiam victima, quia ſeipſum in crucis altari Deo in ſacrificium obtulit, & pro illius gloria immolari voluit.

Chriſtus Dominus, in hunc mundum veniens, novit, quod vetera illa boum, & aliorum pecorum ſacrificia, ſuo non placerent Patri, quare ab illis abſtinens, ut ei gratum & placabile offerret ſacrificium, ſeipſum in holocauſtum obtulit, ſic enim æternum Patrem alloquitur: *Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio, Heb.* 10. 5. ut ſcilicet corpus illud, quod dediſti mihi, & me totum tibi in ſacrificium offeram. Et revera tale ſui ipſius ſacrificium in primo ſuæ incarnationis momento initiavit Chriſtus, illudque conſummavit in ara crucis, in qua pro totius mundi ſanctificatione & ſalute ſanguinolentum ſui ipſius ſacrificium obtulit: *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Heb.* 10. 10. O quantum fuit hoc ſacrificium! O quam grata extitit hæc victima! Sed, heu! quis mirabile hoc ſacrificium imitari valebit? Andreas quidem, qui non terræ fructus, non pecora, non exteras victimas, ſed ſemetipſum Deo in ſacrificium obtulit. Audite miranda illius ſacrificii verba, qui a longe crucem videns clamat: *Suſcipe me, o bona crux, & redde me Magiſtro meo;* quaſi diceret: o bona crux, ſis, quæſo, ſacrificii mei altare, in quo totus Deo meo immoler, totuſque in ejus gloriam ſacrificer.

Ex D. Auguſtino, in omni ſacrificio attendendum eſt, *cui offeratur, quid offeratur, & a quo offeratur. In c. 8. ep. ad Heb.* Attendendum 1. *cui offeratur;* quia ſacrificia ſunt cultus, non hominibus, vel Angelis, ſed ſoli ſupremo numini debiti: *Sacrificium certe nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi Deo ſoli. Aug. l. 10. de Civ. c. 4. S. Hier.* Videndum 2. *quid offeratur:* in nova enim lege, non tam noſtra, quam nos ipſos Deo offerre debemus: *Placere non poteris quidquid dederis, te non oblato.* Videndum *a quo offeratur;* Sacrificia enim ab iniquis & peccatoribus oblata Deo, cujus infinita eſt puritas & ſanctitas, placere nequeunt: hujuſmodi hominum oblationes ſunt Deo abominabiles: *Sacrificia reprobantur oblationum, niſi purus & ſanctus fuerit animus offerentis. tom. 8. ep.* 8. Hæc autem tria in ſuo ſacrificio perfectiſſime obſervavit S. Andreas: illud enim non creaturis obtulit, ſed Deo, ſeu Chriſto Domino, cujus divinitatem negabat Ægeas. In ſuo etiam ſacrificio, non pecuniam, non pecora, ſed ſemetipſum Deo conſecravit. Tale tandem ſacrificium oblatum fuit, non per hominem peccatorem, ſed per ipſum Andream, qui ab omnibus agnoſcebatur ut homo juſtus, & ſanctus. *Ne interficias hominem juſtum, Deo carum.* Quare juxta Auguſtini leges, perfectiſſimum extitit S. Andreæ ſacrificium. Aliam nihilominus in S. Andreæ ſacrificio adverto circumſtantiam, a qua maxime commendatur, ardentem ſcilicet charitatem, qua ſuccenſus illud obtulit.

Deus non tam reſpicit ad munera ſeu ad res quæ ipſi offeruntur, quam ad offerentis cor; non tam attendit, quanti valoris ſit res oblata, quam ex quanto cordis ardore, & ex qua charitate ipſi offeratur: *Cor & non ſubſtantiam penſat Deus; non perpendit quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto offeratur. S. Bonav. ſer. 2. Dom. 5. poſt Pent.* In lege veteri holocauſta, quæ Deo ſacrificabantur, igne elementari comburebantur, & in novæ legis ſacrificiis, quidquid Deo offertur, igne charitatis ſuccendi debet: *Hoc ſolum Deus ſacrificium accipit, quod flamma charitatis incendit. S. Greg. hom. 35. in Evang.* Demiremur nunc S. Andreæ ſacrificium qui ſeipſum in crucis altari ardentiſſimo cum Dei amo-

amore immolavit. Dum ſeipſum offerebat, interioris flamma charitatis cor ejus incendebat, unde D. Bernardus ait; quod S. Andreæ in cruce ſe ſacrificantis, verba erant ſcintillæ, quæ ab interiori charitatis ejus incendio procedebant: *Quales*, inquit, *ſcintillæ ſunt iſtæ, aut a quanto incendio micant? ſerm. in Vig. S. Andr.* Idem Bernardus ait, quod cor Andreæ, in cruce ſacrificantis, ardebat amore, & quod in eo erant carbones accenſi, quos Chriſtus inſufflaverat: *Carbones ſunt ignis illius, quem de excelſo Chriſtus miſerat in oſſibus ejus. Ubi ſup.* O quam ardens, quantaque charitate accenſum fuit S. Andreæ ſacrificium!

O Chriſtiane! memento, quod a Deo factus es ſacerdos: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Apocal. 5. 10.* Sacerdos es, non ut tauros & vitulos, ſed ut te ipſum Deo offeras: *Non pecora, non vitulos, ſed te totum Deo offeras ſacrificium. Chryſoſt. hom. 32. in Joann.* Exigit a te Deus, ut ipſi offeras ſacrificium, non tale, quale volueris, ſed ſacrificium juſtitiæ: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ. Pſ. 46.* Accepiſti ab eo intellectum? juſtum eſt, ut eum illi ſacrifices, captivando illum omnibus fidei myſteriis a Chriſto revelatis: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2. Cor. 10. 5.* Ab illo habes voluntatem tuam? juſtum eſt, quod eam illi ſacrifices, omnibus ejus mandatis obtemperando: *Melior eſt obedientia quam victimæ. 1. Reg. 15. 22.* Corpus dedit tibi Deus? æquum eſt, ut illud ei ſacrifices, jejuniis, vigiliis, aliiſque pœnitentiæ operibus illud mactando: *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem; ſanctam, Deo placentem. Rom. 12. 1.* Juſtum eſt tandem, quod te totum Deo offeras; hoc eſt ſacrificium juſtitiæ debitum; *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* Sed, heu! quam multi non Deo ſuo, ſed diis alienis ſacrificant; alii Veneri, alii Plutoni, & alii Aſmodæo ſua offerunt ſacrificia: iniqua quidem ſunt, & injuſta hæc ſacrificia, a quibus abſtinere debetis, ut vos totos ſummo cum charitatis ardore Deo ſacrificetis, ad inſtar S. Andreæ, cui crux fuit altare ſui ſacrificii, *& thronus ſuæ gloriæ.*

TERTIA PARS.

Crux Sancti Andreæ fuit thronus ſuæ gloriæ.

TYrannis illudunt Martyres apud Tertullianum, dicentes, quod ſupplicia, & opprobria quæ patiuntur, ipſis ſint glorioſa: *Crudelitas veſtra, noſtra gloria eſt. Lib. adv. Scap. 4.* Id potiſſimum exprobrare poterat S. Andreas tyranno Ægeæ; ille ſiquidem crucem paraverat, ut Andreæ eſſet inſtrumentum mortis & infamiæ titulus; aſt revera crux ei honoris & gloriæ thronus extitit, tum quia, dum penderet in cruce, ab aſtantibus plurimum honorabatur: tum quia propter mortem crucis, quam paſſus eſt, univerſa eum veneratur Eccleſia: tum quia propter tormenta quæ in cruce pertulit, a Deo glorioſe præmiatus & coronatus fuit.

Ægeas Cruci, quæ erat prædonum ſupplicium, Andream affixit, ut ejus gloriam obtenebraret, eumque gravi infamiæ nota inureret. Ægre patiebatur ſceleſtus ille tyrannus, quod Andreas diis gentilium illudendo, idola ſubvertendo, Chriſtumque prædicando, honorem magnum magnamque ſibi apud populos venerationem conciliaret: quare, non ſolum in pœnam, ſed etiam in ignominiam; non ſolum, ut eum puniret, ſed etiam, ut ejus famam denigraret, ad probroſam & infamem crucis mortem eum damnavit. Aſt tantum abeſt, quod iniqui hujus tyranni maligna adimpleta fuerint vota, quodque Andream cruci affixum adſtans populus contempſerit; quin e contra Andreas in cruce velut in throno gloriæ ſuæ exiſtens, a circumſtantibus populis fuit honoratus; adſtantes enim, Andream venerantes, clamabant eum eſſe *hominem pium, hominem ſanctum, hominem juſtum.* Ægeas Andream ad crucem damnaverat, ut ſuaderet populis, eum haud dubie eſſe impium, qui ad tam immane & vile mortis genus damnabatur; at populus non eum impium eſſe cenſebat, ſed illum ut hominem piiſſimum venerabatur: *ne interficias hominem pium, hominem ſanctum.* O admirabilem Dei providentiam, quæ res ita diſpoſuit, ut inde gloriam traxerit Andreas, unde ejus ignominiam ſibi proponebat Ægeas! *Quæ eſt iſta rerum, & quam ſtupenda diverſitas: unum & idem pœnæ ſecum cauſam portat & gloriæ? Euſeb. Emiſſ. ſer. de S. Roman.* Stupendum eſt, & portentoſum, quod crux, cui alligatus fuit Andreas, ei inſtrumentum pœnæ, & cauſa gloriæ ſimul extiterit: pœnam paſſus eſt in cruce, & gloriam adeptus eſt in cruce; in eadem cruce ſimul patiebatur & honorabatur; inclytus ille Martyr in cruce ab Ægea puniebatur, & identidem a circumſtantibus honore afficiebatur; crux ſui inſtrumentum ſupplicii, ſuæque gloriæ thronus ſimul exiſtebat.

D. Paulus ſuam omnem gloriam in cruce conſtituebat: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Gal. 6. 14.* Quæ verba expendens D. Anſelmus ibi, ait, quod nec in ſapientia, nec in poteſtate, nec in majeſtate Jeſu Chriſti gloriabatur Apoſtolus, ſed in cruce: *Mihi abſit gloriari in potentia Chriſti, vel in majeſtate, ſeu in poteſtate; ſed in cruce.* Quid? an nefas eſt Paulo gloriari in ſapientia Chriſti, qua illuſtratus, Doctor gentium factus eſt; aut in potentia, qua confortatus, tot miracula edidit; aut in majeſtate, qua ſublimatus, a magnatibus, & mundi ſapientibus fuit honoratus? abſit, longe ſit a me, inquit Apoſtolus, in iſtis gloriari, major mea gloria eſt, pro Chriſto cruci alligari, cruciſque ignominiam pati? *Nihil ſibi glorioſius putat, quam Chriſti portare opprobrium. S. Bern. ſer. 25. in Cant.* O Paule! ut quid tam de cruce gloriaris? de cruce & in cruce gloriatur, quia nil homini Chriſtiano glorioſius eſt, quam crucis Dominicæ contumelia; major ejus gloriatio eſt, pro Chriſti amore pati & crucem portare: *Gloriatio gloriationum eſt crux. Cyrillus Hieroſ. Catech. 13.* Quod quidem veriſſimum eſſe comprobatur in D. Andrea, cui crux eminentiſſimus gloriæ, & honoris thronus extitit: ſi enim in Regum purpura, vel inter ſæculi divitias & delicias mortuus eſſet Andreas, jam de illo forte non audiretur quidquam apud homines, & oblivioni traditus eſſet, tamquam mortuus a corde; ſed quia in cruce pro Chriſto generoſe mortem obiit, Eccleſia ſolemne in ejus honorem feſtum inſtituit; coram ejus Reliquiis genua flectunt Reges & Principes, ejus merita totus concionatur orbis, illum

illum cuncti venerantur fideles, & ut loquitur S. Bernardus: *Crucis amatorem venerantur, quicumq; e ſunt ſervi crucis. Serm. in Vigil. S. Andreæ.* Crux tandem eſt ei gloriatio gloriationum, & gloriæ thronus: *gloriatio gloriationum eſt crux.*

Chriſtus Dominus, morti proximus, clarificari & glorificari poſtulavit a Patre. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Joann. 17.* Quomodo tunc Pater æternus filium clarificavit? eum clarificavit, cum eum cruci affigi permiſit: *clarificat Pater filium; quomodo? ſuffigitur cruci. S. Hilar. l. 3. de Trinit.* Cum maledicitur, conſpuitur, alapis percutitur, & in cruce moritur Chriſtus, major hæc eſt ejus gloria; tum quia per mortem crucis gloria, & honore decoratus fuit in hoc mundo: tum quia per crucis mortem, quam paſſus eſt, gloriam immenſam, & coronam immarceſcibilem ſibi comparavit in cælo: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum. Hebr. 2. 9.* Iiſdem autem ferme titulis crux S. Andreæ thronus gloriæ extitit; propter paſſionem ejus crucis multo honore affectus eſt in terra, & glorioſam aſſecutus eſt coronam in cælo; unde, ut ait S. Bernardus, Andreas populum, cum a crucis morte liberare volentem, prohibuit, timens ne crucis gloriam, & coronam in cælo ſibi præparatam perderet: *Prohibuit eos, ne non coronaretur. Serm. 1. S. Andreæ.* O quam glorioſa S. Andreæ crux extitit, in qua ſtans, a circumſtantibus fuit honoratus, qua meruit, ut eum Eccleſia religioſiſſime veneraretur, & per quam in cælum aſcendere, & in eo glorioſe coronari valuit, ei crux vere thronus gloriæ extitit.

O utinam, non in divitiis, aut mundi dignitatibus, ſed in Chriſti cruce noſtram inquireremus gloriam! utinam crucem generoſe portaremus, omneque mortificationum genus ſectaremur, ut coronam gloriæ adipiſci mereremur! pro Chriſto conſtanter patiamur cum Andrea, ut cum ipſo æternæ beatitudinis coronam conſequamur. Imitamini Andream, ſi glorificari cupitis cum Andrea. Si tanta, quæ paſſus eſt, ſupplicia vos terreant, ſaltem in aliquo pœnarum ejus ſitis participes; ſi crucis patibulum aſcendere non valeatis, cum ipſo ſaltem jejunate, injurias inimicis condonate, & propter Jeſu crucifixi amorem alicui mentis, vel corporis mortificationi inſiſtite: *Inveniamur vel in exiguo, communicantes paſſioni ejus. S. Bern.*

Dices forte, quod Andreas erat Apoſtolus, quodque tuæ poteſtatis non eſt, id omne facere, quod fecere Apoſtoli, qui Chriſti amici fuere, gratiiſque abundantioribus irrorari meruere. At, ſi non in omnibus, ſaltem in aliquo imitare Andream; vel, ut monet S. Bernardus, ſi quod fecit Andreas, facere non valeas, fac bona, quæ a multis conſodalibus & amicis tuis fieri vides: *Si dicis, Andream Apoſtolum eſſe, nec poſſe te, qui puſillus es, ejus ſequi veſtigia: pudeat, vel eos qui tecum ſunt, non imitari. Serm. 1. S. Andreæ.* Vides multos ex amicis, aut ex contribulibus tuis, qui orationi vacant, jejuniis corpora ſua exſiccant, terrena omnia deſpiciunt, omnique mortificationum generi inſiſtunt. *Pudeat eos non imitari;* Tales ſaltem imitari conemini, ut æternam beatitudinem conſequi valeatis. *Amen.*

DE SANCTO FRANCISCO XAVERIO.

CONCIO PRIMA.

Abundetis in omne opus bonum.
2. Cor. 19. 8.

TAlis morum eſt corruptio, tantaque hominum perverſitas, ut quamplurimi malis, pauciſſimi vero bonis operibus incumbant; tot ſunt, qui ſe peccatis coinquinant, tot ſceleroſis vacant operibus, ut omnia pene vitia in mundo inundare aſſerat Oſeas Propheta: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt: Oſeæ 4. 2.* tam paucos etiam repetire eſt, qui bonis ſe dedant operibus, ut ne unum quidem agnoſcat Vates Regius, qui bonorum operum exercitio indulgeat: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Pſ. 14. 3.* Omne hominum genus luſtrate, ut qui bonis, & qui malis vacent operibus, inquiram, mei jam non eſt muneris, unicum duntaxat intueor Xaverium, qui quidem non ſolum a malis abſtinuit, verum, S. Pauli monitis obtemperans, humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum operibus abundavit: *Abundetis in omne opus bonum.* Natus eſt vir ille incomparabilis in Navarræ regno, a parentibus nobilitate fulgentibus, qui eum ſtudiorum cauſa Pariſios miſerunt, ubi a S. Ignatio ad mundi contemptum, voluptatum abnegationem, divitiarum abdicationem, & omnis virtutis amorem vocatus & allectus, ita ſub tanti magiſtri diſciplina profecit, ut perfectionis ſtudio ſe totum dederit, totoque deinceps vitæ ſuæ tempore altiſſimæ pietatis, & perfectiſſimæ ſanctitatis operibus incubuerit. Contemplemur & demiremur pia & portentoſa opera, quibus zelantiſſimus, & perfectiſſimus ille vir abundavit, &c. *Ave.*

SAnctus Franciſcus Xaverius fuit S. Ignatii filius, Sanctæ Sedis Legatus, & Indiarum Apoſtolus. *Fuit ſpiritualis Sancti Ignatii filius;* ejus enim conſiliis, pioque ejus regimini Pariſiis ſe commiſit. *Fuit Sanctæ Sedis Legatus;* a Summo enim Pontifice, Paulo III. Legati Apoſtolici honore inſignitus eſt. *Fuit tandem Indiarum Apoſtolus;* in Indiis enim tot prodigia totque converſiones operatus eſt, ut harum regionum Apoſtolus dici & eſſe meruerit: *Orientalium Indiarum Apoſtolus a toto orbe chriſtiano appellatus. Bulla Canoniz.* Hic Beati Ignatii filius, ſanctiſſima fecit opera, quæ ad patris ſui honorem, ſocietatiſque decus redundarunt. Hic Sanctæ Sedis Legatus mirabilia multa fecit opera, quæ ad fidelium utilitatem, & Eccleſiæ incrementum profuerunt. Hic tandem Indiarum Apoſtolus, innumera & portentoſa fecit opera, quæ ad Dei gloriam, religioniſque augumentum ceſſerunt. Hæc omnia ſanctiſſimi hujus viri opera examinavi, conſideravi & demiratus ſum; ſpero, quod & ea admirabuntur, quicumque illa ſerio perpendent, & atten-

te

Digitized by Google

te meditabuntur; ut autem cuivis clare & perfecte innoteſcant, enarrabimus ſingillatim opera quæ Sanctus Xaverius fecit, ut S. Ignatii filius, ut Sanctæ Sedis Legatus, & ut Indiarum Apoſtolus. Videbimus 1. opera quæ fecit hic Sancti Ignatii filius, antequam legati fungeretur officio. 2. opera, quæ fecit hic Legatus, antequam Apoſtoli gauderet titulo. 3. opera, quæ fecit hic Indiarum Apoſtolus, antequam exiret de hoc mundo. Ex his quiſque facile adnotabit, Sanctum Xaverium in omne opus bonum abundaſſe: *Abundetis in omne opus bonum.*

PRIMA PARS.

Bona opera, quæ fecit Sanctus Xaverius, Sancti Ignatii filius, antequam Legati Apoſtolici fungeretur officio.

SAnctus Franciſcus Xaverius in ipſo vitæ ſpiritualis tyrocinio, & antequam Legatum ageret, ardua multa altiſſimæ perfectionis opera edidit; quæ quidem omnia fuerunt mirabilia, ſed ea potiſſimum, quæ fecit 1. in mortificationis exercitio. 2. in ægrotorum obſequio. 3. in Sacerdotali miniſterio.

1. Certum eſt, quod hoſtis truculentus eſt caro, & quod corpus noſtrum eſt implacabilior, & pernicioſior animæ, & perfectionis noſtræ inimicus: *Nemo gravior domeſtico adverſario: Ambroſius in Pſalm.* 43. quare contra infenſiſſimum hunc hoſtem, gravibus mortificationibus eſt decertandum: *luctandum eſt igitur adverſus hujus carnis illecebras. Ambroſius ubi ſupra.* Hanc luctam generoſe ſuſcepit Xaverius; ut primum enim ſpirituali militiæ, ſub ſapientiſſimo patre Ignatio, nomen dedit, crudele corpori ſuo indixit bellum, illudque tot attrivit mortificationibus, ut in hoc genere, famoſiſſimos multos pœnitentes ſuperaverit. Viliſſimis cibis hoſtem illum parciſſime nutriebat, aſſiduis, & arctis jejuniis illum debilitabat; omnis fere carnis, panis, vini, & ſomni uſu illum privabat, necnon acerbis flagellationibus ita illum cruentabat, ut ſæpe copioſo ſanguine diffluere.

De Illuſtriſſimo illo pœnitente plerumque narratur, quod adinvento novo mortificationis genere, nodoſis funibus ita tibias ſuas ſtrinxerit, ut nodi, diſſecta pelle, cum carne ſe intexuerint, & quaſi adunarint. De Sancto Pontifice Martino refert D. Paulinus, quod tam recte diro ſtringeretur cilicio, ut ipſe Martinus contextus ſacco, aut ſaccus ipſi Martino contextus videretur: *Quin & contextus ſetis coopertis amictu: Lib. 1. de vita S. Mart.* Non diſſimiliter Xaverius ita corpus ſuum funibus ſtrinxerat, ut funes carni contexti eſſe viderentur. Incomparabili huic pœnitenti parum erat jejuniis, & flageliis corpus domare: illud inſuper ita funibus conſtrinxit, ut vix incedere, & dolores a tali mortificatione cauſatos tolerare valeret. Ecce hominem vere mirabilem in mortificationis exercitio, *& in ægrotorum obſequio.*

2. Hoc eſt alterum bonorum operum genus, cui ſe addixit Xaverius; completo enim Pariſiis Sacræ Theologiæ curriculo, Venetias ſe contulit; ubi in xenodochio ſe totum infirmorum obſequio conſecravit; iiſque, omnia quæ potuit, charitatis officia impendit. Audierat vir ille piiſſimus, Spiritum Sanctum dicentem; quod viſitandi ſunt infirmi, *Non te pigeat viſitare ægrotum*, ſeu ut explicat Toſtatus, *non te pigeat videre; & opem re, ac verbis, impendere ægrotanti: Eccl. 7. 39. q. 377. in Matth.* quare *re, & verbis*, ægrotantibus ſubvenit, cibos ei porrigendo, lectos verſando, medicamenta adhibendo, vulnera alligando, de calamitate aliquid percontando, de patientia orationem habendo, aliaque multa charitatis officia eis exhibendo.

Obſequia infirmis præſtita, ita Chriſto Domino placent, ut ea, non ſecus ac ſibi eſſent exhibita, largiſſime compenſet; unde in tremendo judicii die his, qui ægrotis inſervierunt, tanquam ſi ſibi inſerviviſſent, dicet: *Infirmus fui, & viſitaſti me. Matth.* 25. 36. Et ideo Doctor Seraphicus ait, quod Chriſtus in xenodochiis, & infirmariis invenitur: quia ſcilicet, in quolibet infirmo infirmatur, & repræſentatur: *Chriſtus in infirmaria jacet, ibi anguſtiatur, ibi torquetur; curre & ipſi miniſtra, i ſi compatere infirmanti. D. Bonaventura in ſtimul. divini amor. cap.* 1. Mirabilis vir Sanctus Franciſcus Xaverius Chriſtum inveniebat in oratione, ubi ejus familiari colloquio fruebatur; in Sacræ Euchariſtiæ receptione, ubi Sanctiſſimo ejus corpore ſaginabatur, & in cruce, ubi ei aſſociabatur; ſed inſuper eum quæſivit in infirmariis, & xenodochiis, eum in perſona infirmorum viſitavit, illos conſolando, dolores illorum leniendo, omniaque ardentioris charitatis officia eis impendendo; in tantum, ut manantem ex horrendo alicujus pauperis ulcere ſaniem, ſemel atque iterum ſuxerit.

De Beato Baſilio narrat Sanctus Gregorius Nazianzenus quod xenodochium extra urbem Cæſaream exædificaverit; ubi infirmos frequens inviſebat, & leproſorum vulnera lubens oſculabatur. *Ne labia quidem vir generoſus, & generoſis parentibus ortus, nominiſque ſplendore clariſſimus, ægrotis admovere gravabatur. Nazianzenus Orat. in laud. Baſil.* At Sanctus Franciſcus Xaverius, licet ſanguine clarus, & nobilitate ſua illuſtris, non ſolum ægrotos, & eorum vulnera oſculabatur; ſed horrenda etiam ulcera lingua lambebat, ore ſugebat, & fluentem feculentam ſaniem exhauriebat. Demirata eſt olim Senenſis civitas ſuam Sanctam Catherinam, quæ loto prius fœtido cujuſdam pauperis ulcere, aquam, quæ huic charitatis muneri inſervierat, tanquam liquore exquiſitum hauſerat; ſed noſtrum miror magis Xaverium, qui os ulceri horrendo admovit, & manantem inde ſaniem, veluti pretioſum & ſuaviſſimum liquorem ſuxit & exhauſit. O qualia charitatis officia! o quam miranda hujus viri opera in ægrotorum obſequio! Et miranda ſunt ejus opera, *in Sacerdotali miniſterio.*

3. Sanctus Franciſcus Xaverius Venetiis Romam perrexit; & inde, viſitatis prius Sanctorum Petri & Pauli ſepulchris, aliiſque pietatis chriſtianæ præſtitis operibus, Venetias repetiit: ubi ſacrum Presbyteratus ordinem ab hujus civitatis Archiepiſcopo percepit; eoque charactere inſignitus, omnia veri Sacerdotis munia perfectiſſime adimplevit; ipſe etenim magno cum zelo in compitis & plateis prædicavit; ipſe Sacramenta magno cum cordis affectu miniſtravit; & Auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium tanto cum ſpiri-

tus

tus fervore Deo obtulit, ut præ mentis jubilo, prima die, qua Altiſſimo ſacrificavit, torrentem lacrymarum effuderit, & aliquoties deinde, inter ſacrificandum, extra ſe raptus, a terra ſurſum elevatus viſus ſit. Auguſtiſſimum hoc ſacrificium tam pie, tam attente, tam ferventer celebrabat, *ac ſi*, (ut verbis utar Chryſoſtomi) *in ipſis cælis collocatus, inter celeſtes illas virtutes medius ſtaret. Lib. 2. de Sacerd.*

Proprium & perfectiſſimum Sacerdotum miniſterium eſt, Deo ſacrificium offerre; dicuntur enim Sacerdotes, quaſi ſacra dantes, vel ſacrificantes. Ut autem Sacerdotes illo digne fungantur miniſterio, magna debent corporis puritate nitere; nam, ut ait Sanctus Hieronymus, *Sacerdotalis dignitas clamat puritatem. Hier. in Epiſt.* Hi etiam debent per actus fidei, amoris, deſiderii, alioſque pios cordis affectus, ad celebrandum tantum myſterium ſe præparare, quia, ut monet Thomas a Kempis, *Non homini præparatur habitatio, ſed Deo. Lib. 4. de imit. cap. 5.* Debent tandem ſacrificium magna cum reverentia & devotione Deo offerre. *Sacerdos factus es?* inquit præfatus Auctor, *vide, ut fideliter & devote Deo ſacrificium offeras.* O quam pauci Sacerdotes hac corporis puritate nitent, hanc mentis præparationem adhibent, & cum hac reverentia & devotione Deo ſacrificium offerunt! Sed Sanctus Franciſcus Xaverius tanta corporis puritate polluit, ut illibatam virginitatem ſemper ſervaverit, tantam adhibuit mentis præparationem, ut quadraginta dierum ſpatio ſub tugurio latens, ad ſacrum prima vice celebrandum ſe præparaverit; tanta tandem reverentia & devotione hoc ſacrificium offerre ſolitus eſt, ut interdum a nimio ſpiritus fervore in extaſim raperetur & ſurſum ſublevaretur, *Eo devenit, ut in verum contemplatione defixus, a terra aliquando ſublimis elevaretur, quod illi ſacrificanti coram populi multitudine aliquoties evenit.* Ecce aliqua ex bonis operibus, quæ fecit Sanctus Xaverius, ut Sancti Ignatii filius, antequam Legati fungeretur officio. Videamus jam bona opera, quibus abundavit, *ut Legatus, antequam Apoſtoli titulo inſigniretur.*

SECUNDA PARS.

Bona opera, quæ fecit Sanctus Xaverius, ut Legatus, antequam Apoſtoli inſigniretur titulo.

SAnctus Franciſcus Xaverius Venetiis Romam rediit, quo vocatus eſt a Sancto Patre Ignatio, ut quoddam Societati Jeſu initium daretur, utque ea in Religionis formam erigeretur, quod vix factum fuit; cum Luſitaniæ Rege per ſuum Procuratorem, ſeu Nuncium, petente a Summo Pontifice Paulo III. aliquos hujus Societatis Religioſos, qui ad Indias, pro Indorum converſione, mitterentur; Sanctus Franciſcus Xaverius, ad hoc munus obeundum, fuit deſtinatus, & Legati Apoſtolici per Indias dignitate honoratus. Ad tantum opus ſe accinxit vir ille ſanctiſſimus, & antequam Goam appelleret (ubi Indiarum Apoſtolus eſſe cœpit) mirabilia fecit opera. 1. Humilitatis profundæ. 2. Paupertatis voluntariæ. 3. Charitatis fraternæ.

Non omnia percontabor profundiſſimæ humilitatis exercitia, quibus vacavit novus hic Legatus; unum enarrabo, quod alia multa includit; nempe, quod Roma Goam verſus pergens in tam longo itinere non miniſtrari, ſed miniſtrare voluerit. Miniſtros ei plures obtulit Regis Portugalliæ Nuncius, rogans, & ſolicite urgens eum, ut ſi non omnes, ſaltem eorum aliquem, ſuo manciparet obſequio: ſed advertens humilis Xaverius, quod *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: Matth. 10. 2.* ut Magiſtrum, & Dominum ſuum perfecte imitaretur, oblatos ſibi quoſque Miniſtros recuſavit; &, ſive in ſpiritualibus, ſive in corporalibus officiis, aliorum ſeſe miniſtrum præbuit; ipſe enim infirmorum confeſſiones audiebat, ſordes eorum extergebat, & pannos abluebat; ipſe ſociis & aliis multis in vilioribus quibuſque miniſteriis inſerviebat; ipſe, non ut Legatum Apoſtolicum, ſed ut omnium miniſtrum ſe inſpiciens, tanta cum ſui abjectione ſervorum & miniſtrorum ſe immiſcebat officiis, ut dixerit nonnullus, hæc indigna eſſe Legato Apoſtolico; quod cum audierit Xaverius, magna cum modeſtia reſpondit: *Nihil dignius eſſe humilitate chriſtiana. Cornel. a Lapide in Matth.*

Sanctus Paulus Apoſtolus, Doctor Gentium, & orbis præceptor, ſervorum examina non accumulavit: ſed Chriſtum Salvatorem imitatus, aliorum ſe miniſterio ſubdidit: *Neceſſitatibus meis*, inquit, *& his, quæ mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. Act. 20. 34.* O Chriſtiane, inquit S. Chryſoſtomus, *tu, niſi multos poſt te ſervorum greges trahas, turpe putas: Chryſoſtomus homil. 40. in Epiſt. ad Cor.* Vide Paulum, attende Doctorem Gentium, reſpice orbis præceptorem, & hominem cælo dignum, qui aliis innumeris hominibus ſervire non eſt dedignatus: *Ille orbis præceptor, & vir cælo plane dignus, ſervire mortalibus innumerabilibus veritus non eſt.* O Chriſtiani! videte Paulum: ſed & Xaverium inſpicite, attendite hunc Legatum Apoſtolicum, cujus tanta extitit humilitas, ut vilibus quibuſque (humilitatis ergo) ſe ſubdiderit miniſteriis, æſtimans *nihil dignius eſſe humilitate chriſtiana.* O quam mirabilia fuere opera humilitatis ejus, *& paupertatis ejus!*

2. Sæpe ſæpius excogitavi, quam diverſa, in Chriſti mente, pauperum & divitum ſit ſors; divitibus enim, non niſi mala prophetat; pauperibus vero, æterna pollicetur bona. Cum divites alloquitur, ait: *væ vobis divitibus*; cum autem de pauperibus ſermonem inſtituit, ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum; Matth. 5. 3.* unde, ut ait Auguſtinus, Paradiſus ad pauperes, infernus ad divites attinet: *Si eſt Regnum cælorum pauperum, reſtat, ut infernus ſit divitum. Auguſtinus lib. de contemp. mund. art. 8.* O quam felices ſunt pauperes ſpiritu, qui propter Chriſti amorem voluntariam ſectati ſunt paupertatem! O quam infelices ſunt divites, qui divitiis temporalibus nimio cum affectu adhæſerunt! ſed o quanta felicitas Xaverii, qui Roma profectus eſt, ut Goam adiret, nihil aliud ad ſui uſum habens, quam Breviarium & veſtem obſoletam, & qui in toto hoc itinere, nec domum, nec locum, nec aliquam rem ſibi propriam habere voluit: ſed ut vilis pauperculus, ex emendicatis ubique victitavit. Cum Luſitania tranſiret,

obcu-

Digitized by Google

obtulit ei Rex Portugalliæ Regiam, ut in ea diverſaretur; obtulit ei & amplam pecuniam, qua mediante commodius iter perageret; ſed utrumque recuſavit, ut cum pauperibus in xenodochiis habitaret, & ut tanquam egenus, humili mendicatione, ſibi ad victum, & veſtitum neceſſaria quæritaret. O Xaveri! recordare, quod Legatus es Apoſtolicus; memento, quod ad Indias Legatus mitteris ad inſtantiam Regis potentiſſimi, qui beneficium percipere cenſebit, cum oblatas acceptabis pecunias. Adverte, quod grandis tibi reſtat via, & quod, ſive in mari ſive in terra verſeris, multa tibi deeſſe poſſent: quare a tanto Rege accipe, quibus, ſi non opipare, ſaltem frugaliter & religioſe nutriri valeas. Apage: Franciſcus paradiſum, ut regnum pauperibus debitum inſpicit; quare tanquam peregrinus incedere, & velut egenus, quotidiana mendicatione, ſibi neceſſaria procurare intendit. O altiſſimam Xaverii paupertatem, & *o ardentiſſimam ejus erga homines charitatem!*

3. Ab inſtanti, quo Roma profectus eſt, uſque ad inſtans, quo Goam appulit, piis fraternæ charitatis officiis incumbere non deſtitit; nunc enim pueros prima fidei Catholicæ elementa docebat; nunc indurata impiorum corda ferventibus prædicationibus concutiebat; nunc familiaribus colloquiis peccatores ad pœnitentiam & infideles ad Chriſti fidem vocabat. Carceres frequens, & xenodochia luſtrabat, illic mœſtos conſolabatur, & hic infirmos ſublevabat; ubique diſcurrebat benefaciendo, & ubique pia fraternæ charitatis officia impendebat; unde ſanctiſſimi hujus Legati charitatem mire depinxiſſe videtur Auguſtinus, dicens: *Charitas alios parturit, cum aliis infirmatur: alios curat ædificare, ad alios ſe inclinat, aliis blanda, nulli inimica, omnibus mater; De catechizand. rudibus c. 15.* ipſe etenim, charitatis fraternæ igne ſuccenſus, multos Chriſto parturiebat, cum infirmis infirmabatur, omnes verbis, & exemplis ædificare ſatagebat; ad multos ſe ſtudioſe inclinabat, ut eos verſus cælum ſublevaret; blandis colloquiis complures ad Dei obſequium ſuaviter attrahebat, nulli erat inimicus, & omnes, tanquam pia, & charitativa mater ardenter diligebat: ut omnes ad Chriſti, & cæleſtis beatitudinis amorem alliceret. O quanta, in uno Xaverio, videntur fraternæ charitatis officia! Tanta quidem, ut quidquid potuerit, pro hominibus feciſſe videatur.

Ut Deus manifeſtet quantis beneficiis vineam ſuam, ſeu animam fidelem affecerit, ait, quod pro ea egerit, quidquid facere debuit, *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Iſaiæ 5. 4.* Pro animarum noſtrarum ſalute fecit Deus quidquid, juxta infinitæ ſuæ ſapientiæ leges, debuit & potuit. Sanctus Franciſcus Xaverius, charitatis fraternæ igne accenſus, ſuo etiam modo, omnia quæ potuit charitatis officia hominibus impendit; ipſe etenim omnibus ſe debitorem arbitrabatur: quare erga omnes magno charitatis affectu ferebatur, & unicuique, omnia quæ poterat, charitatis officia præſtabat; unde, ſi quæras, quæ Legatus ille zelantiſſimus infirmis, quæ ignaris, quæ peccatoribus, quæ fidelibus & infidelibus, quæ domeſticis & alienigenis, quæ tandem omnibus, cum quibus converſatus eſt, charitatis officia præſtiterit, uno verbo reſponderi poſſet, quod omnia præſtitit, quæ præſtare valuit: *Quid potui facere, & non feci?* Ecce opera, quæ Sanctus Xaverius fecit, ut Legatus; videamus ea, quibus, ut Indiarum & Japoniæ Apoſtolus, abundavit: *Abundetis in omne opus bonum.*

TERTIA PARS.

Bona opera, quæ Sanctus Franciſcus Xaverius fecit, ut Indiarum & Japoniæ Apoſtolus.

TAndem Sanctus Franciſcus Xaverius Goam appulit, & Indias peragravit; ubi & Apoſtoli nomen meruit, & Apoſtolica munia perfectiſſime exercuit. Omnia autem, quæ ibi fecit bona opera, vix & ipſi cæleſtes ſpiritus enarrare valerent: quare aliquid ſolum dicam de peregrinationibus, converſionibus & miraculis, quæ ibi operatus eſt. 1. De peregrinationibus, quæ fuere difficillimæ. 2. De converſionibus, quæ innumeræ extitere. 3. De miraculis, quæ fuere maxima.

1. De humano animo ſcribit Zeno Veronenſis, quod *dicto citius, nunc ultra Oceanum eſt, nunc in cælos evolat, nunc in abyſſis eſt, nunc Orientem Occidentemque perluſtrat; Zeno in Pſ. 129.* quo perfecte noſtrum delineaſſe videtur Xaverium, qui ratione variarum peregrinationum, quas breviſſimo tempore perfecit, non corporeus, ſed totus ſpiritualis fuiſſe diceretur: ipſe etenim, breviſſimo temporis intervallo, a Goa adivit Cammorinum, a Cammorino Japoniam, e Japonia in Sinarum oras ſe tranſtulit: in vaſtiſſimis tandem illis orbis terrarum ſpatiis diverſa regna, *& innumeras provincias pedibus ſemper, & ſæpe nudis peragravit: Brev. Rom.* Ita ut undecim annorum ſpatio, quo in his regionibus permanſit, undecim leucarum millia peragraſſe credatur. Unde ſi de D. Paulo dicat Chryſoſtomus, quod, *tanquam pennatus, totum dicendo pervolavit orbem, Chryſoſt. homil. 2. de laud. Paul.* quidni de Xaverio dicemus, quod, quaſi pennatus & alatus fuerit, innumera ſemotarum illarum regionum loca pervolavit? *Provincias innumeras, pedibus ſemper, & ſæpe nudis peragravit.*

Apoſtolos alloqui videtur Iſaias Propheta, dicens: *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius; Iſ. 18. 2.* ſed hæc verba Apoſtolo etiam noſtro Xaverio perfectiſſime conveniunt; ipſe etenim fuit Angelus, ratione puritatis Angelicæ, qua floruit; hic Angelus, ad Indias ſe conferens, ivit *ad gentem convulſam & dilaceratam*, ſeu ad Indos a vitiis & dæmonibus convulſos & dilaceratos: ivit *ad populum terribilem*, ſeu ad Indos, qui modo terribili adverſus eum inardeſcentes, venena illi pararunt, ſagittis illum petierunt, illumque fluviis & mari pluries naufragum expoſuerunt. Ivit tandem ad populum *poſt quem non eſt alius:* quia ad terræ uſque terminos ſe contulit: ſed hæc omnia loca pervolavit, tanquam Angelus velox: *ite Angeli veloces*; quia Goam, Cammorinum, Japoniam, Sinas, & alia multa regna, tanta velocitate peragravit, quanta ſi fuiſſet Angelus: quare ſi de D. Paulo dicat Chryſoſtomus, quod *mundi regiones omnes, quaſi libero a corpore animo, pervolavit. Homil. 8. de laud. Paul.* cur, de Xaverio Indiarum & Japonum Apoſtolo non dicemus,

quod

quod vaſtiſſimas illas regiones, *quaſi libero a corpore animo*, & quaſi eſſet Angelus, velociſſime peragraverit?

Non facile concipitur, quæ fuerit mens Regii Prophetæ, cum a Deo petiit, quod cælos ſuos inclinet: *Domine, inclina cælos tuos & deſcende: Pſ. 143. 5.* qui ſunt cæli, quos inclinari poſtulat? anne hi, qui circa nos volvuntur? nequaquam, ſi enim inclinarentur verſus terram, tota mundi perturbaretur machina; qui ergo ſunt cæli, quos inclinari poſcit Propheta? acutiſſime reſpondet Auguſtinus: *Cæli inclinati, ſunt Apoſtoli humiliati; isti enim cæli enarrant gloriam Dei: & de his Cælis enarrantibus gloriam Dei mox dicitur: in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. O mirabilem explicationem; ſed o quam perfectiſſime Apoſtolo noſtro Xaverio congruit! ipſe etenim cælum extitit, radiis divinæ gratiæ emicans, virtutum ſideribus ſtellatum, miraculis tonans, apoſtolicisque facinoribus & tropheis coruſcans. Illud cælum, ſeu ille Apoſtolus, ſe inclinavit, tanta enim erat ſanctitate conſpicuus, ut multi ex barbaris eum, veluti quoddam numen e cælo delapſum, reſpicerent; eique, tanquam a Deo, delubra, aras & victimas obtuliſſent, niſi ipſe ſe inclinaſſet, & humiliter clamaſſet, ſe eſſe hominem infirmum, & non Deum omnipotentem: ecce cælum inclinatum: ecce Apoſtolum humiliatum; ſed Apoſtolum, cujus ſonus prædicationis exivit uſque ad fines orbis terræ; nam ipſe *Paravis, Malais, Jais, Acenis, Mindanis, Malacenſibus, & Japonibus Evangelium Chriſti annunciavit: Bulla Canoniz.* Haſque & alias multas regiones, uſque ad fines terræ habitabiles, peragravit, & quaſi *libero a corpore animo pervolavit*. O quam mirabilis extitit hic Apoſtolus in peregrinationibus, quas perfecit, *& in converſionibus, quas operatus eſt!*

2. Non credendum, quod Xaverius inutiliter & quaſi aerem verberans, præfatas regiones percurrerit; eas quippe peragravit, peccatorum ſpinas evellens, verbum Dei ſeminans, fugans errores, idola ſubvertens, ex hominibus Angelos faciens, & innumeros ad Fidem Catholicam, necnon ad veri Dei cultum adducens: *Fidem Japoniæ & aliis ſex regionibus invexit, multa centena hominum millia ad Chriſtum in Indiis convertit, magnoſque Principes, Regeſque complures ſacro fonte expiavit. Bulla Canoniz.* Nonnulli Auctores opinantur, Xaverium trecenta hominum millia ſacro baptiſmate laviſſe, & ad Chriſtum convertiſſe; alii plures; & alii pauciores recenſet. Thomas Boſius comparans idololatras, quos Xaverius ad Chriſti fidem adduxit, cum Catholicis, quos Hæretici a vera Religione avocarunt, ait: *Xaverium plures Chriſto aggregaſſe de idolorum veneratoribus, quam ſuos traduxerint ad errores, quotquot unquam extiterunt hæretici a Servatore paſſo per decem & ſex ſæcula. Apud Sherlog.* Heu! quam multæ idololatrarum converſiones a ſancto illo Indiarum Apoſtolo factæ fuerunt.

De Fratre Martino a Valentia, Seraphici Franciſci filio, & viro vere Apoſtolico, fertur, quod, cum aliis undecim Fratri[illegible] ejus ſociis, in America quater decies dena cen[illegible] hominum millia baptizaverit; unde Auctores hunc Martinum a Valentia, Martino Luthero, famoſo hæreſiarcha, conferentes, aſſerunt, quod plures Martinus a Valentia in America ad Chriſti fidem converterit, quam Martinus Lutherus in Germania a fide avocaverit. Hoc quidem mirabile; ſed mirabilius eſt, quod Xaverius *plures Chriſto aggregaverit de idolorum veneratoribus, quam ſuos traduxerint ad errores, quotquot unquam extiterunt hæretici a Chriſto paſſo per decem & ſex ſæcula. Martyrol. Franc.* Miremur has idololatrarum converſiones, & aliquid dicamus *de miraculis, quæ hic Sanctus operatus eſt*.

3. S. Bernardinus Senenſis advertit, Chriſtum miracula feciſſe *in Angelicis ſpiritibus, in hominibus, & in creaturis irrationabilibus: Tom. 2. Serm. 56.* Miracula fecit *in Angelicis ſpiritibus*, dæmones a corporibus humanis expellendo; *in hominibus*, eos a variis infirmitatibus ſanando; varioſque mortuos ad vitam revocando, *& in creaturis irrationabilibus*, ut in aere, & in aqua, cum *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. O mirandam Chriſti poteſtatem! cui ſimilem dedit Xaverio; ipſe enim, per poteſtatem a Chriſto acceptam, miracula fecit *in dæmonibus*: quia eos ab idolis ejecit; *in hominibus*: quia multis ægris ſanitatem, pluribuſque mortuis vitam reſtituit; *in aqua*: quia ſolo crucis ſigno, multum aquæ marinæ convertit in dulcem: & *in aere*: quia ipſis barbaris, in mari periclitantibus, fauſtos a Deo obtinuit ventos. Alia multa, ab ipſo facta, paſſim ab Auctoribus referuntur miracula; a quibus patrandis, etiam poſt mortem non ceſſavit: mortuum enim ejus corpus odorem efflabat ſuaviſſimum; & licet viva calce per multos menſes bis obrutum fuerit, penitus incorruptum permanſit, purpureoque ſanguine manavit, & ubi Malacam delatum eſt, urbem illam a ſæviſſima peſte liberavit. Quo, quanta in cælo Sancti illius ſit gloria, facile auſpicari quiſque poteſt.

Sanctus Hilarius cilicium vocat *habitum prophetalem: Cant. 2. in Matth.* quia cilicium, quo homo pœnitens veſtitur, eſt inexiſtentis virtutis indicium, & futuræ beatitudinis prophetia. Sed non minus convenienter de Xaverii corpore dicere poſſumus, quod fuit *corpus prophetale*: quia tot miracula, quæ in hoc corpore, vel ad præſentiam & contactum hujus corporis facta fuere, ſunt prophetia cæleſtis beatitudinis, & gloriæ præcellentis, qua vir ille ſanctiſſimus in cælo præfulget. Vel etiam dicamus, quod omnia bona opera, quibus abundavit Xaverius ſive ut S. Ignatii filius, ſive ut S. Sedis Legatus, ſive ut Indiarum Apoſtolus, ſint certiſſima eminentis gloriæ, qua fruitur in cælo, prophetia. Vir ille ſanctiſſimus, *ut S. Ignatii filius*, mirabilia fecit opera in mortificationis exercitio, in ægrotorum obſequio, & in Sacerdotali miniſterio. *Ut Sanctæ Sedis Legatus*, mirabilia fecit opera humilitatis profundæ, paupertatis voluntariæ, & charitatis fraternæ. Tandem, *ut Indiarum Apoſtolus*, peregrinationes difficillimas, converſiones innumeras, miracula portentoſa, & alia multa fecit opera; quæ omnia ſunt *opera prophetalia*, quia Xaverii maximam in cælo gloriam eſſe indicant & prophetant.

Sed, heu! quid noſtra prophetant opera? alia quidem Infernum, alia Purgatorium, & alia Paradiſum. Sunt qui gravibus non timent ſe implicare criminibus, quorum alii ventri ſerviunt, alii luxuriæ indulgent, alii avaritiæ adhærent, & alii ſuperbia inflantur:

flantur:

ſtantur: hi, & alii omnes peccatores, qui mortalibus ſe inquinant peccatis, ad tartara in æternum cruciandi trahentur, niſi convertantur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum*; *Matthæi* 25. 46. eorum opera illis inferni ſupplicia prophetant. Alii ſunt, qui a gravibus quidem abſtinent peccatis; venialibus vero facile indulgent, mentiri non timent, otioſa & vana proferre diligunt, magis occupari quærunt, & in minimis, a Dei & Eccleſiæ legibus deficere parvipendunt: hi congregant *lignum*, *fœnum*, *ſtipulam*, 1. *Corinth.* 3. 13. quibus in Purgatorio componetur ignis, quo eorum delicta purgentur; hujuſmodi enim opera illius Purgatorium prophetant. Sunt tandem alii, qui a peccatis pro viribus abſtinent; qui miſericordiæ & pietatis operibus vacant, qui orationi, piorum librorum lectioni, & frequenti Sacramentorum Eccleſiæ perceptioni ſe occupant; qui tandem quæcumque Dei gloriam, ſuique ſalutem ſpectant, ferventer operantur: hi ibunt in vitam æternam, opera eorum prophetant, quod cæleſtem beatitudinem conſequentur.

Videte N. N. quod veſtra prophetent opera; huc uſque forſitan infernum ſemper prophetaverunt, quia hucuſque in ſtatu peccati mortalis commorati eſtis. O quales Prophetæ! qui perpetua vobis prophetant mala; tales prophetas pro viribus extinguere contendite; opera veſtra mala, ſeu peccata, quæ æternam prædicunt vobis damnationem, per pœnitentiam deſtruite. Abluite etiam levia quæque delicta, quæ veſtram coinquinant animam, & quæ Purgatorium ignem vobis prophetizant. Bona tandem opera facere ſatagite; quod poteſt manus veſtra, inſtanter operetur: *Abundetis in omne opus bonum*, ſicut Sanctus Franciſcus Xaverius, ut cum eo æternam beatitudinem aſſequi mereamini. *Amen.*

DE SANCTO FRANCISCO XAVERIO.

CONCIO SECUNDA.

Vocatus Apoſtolus. Rom. 1. 1.

SAnctus Xaverius, non Apoſtolus ſimpliciter, ſed Indiarum & Japoniæ Apoſtolus vocatur: quia ibi potiſſimum verbum Dei diſſeminavit, miracula multa fecit, innumeroſque infideles ad veram Chriſti fidem & religionem adduxit. Natus eſt novus ille Apoſtolus, non in Galilæa, ſed in Navarra; non inter retia, ſed inter divitias; non ex patre piſcatore, ſed ex parentibus nobilitate ſua fulgentibus, qui eum, ſtudiorum & educationis cauſa, Pariſios miſerunt; ubi altiſſimæ perfectionis viam, ſub ſpirituali ſuo parente Sancto Ignatio, didicit, & ſummo cum ſpiritus fervore amplexatus eſt. In Italiam deinde, Luſitaniam, aliaſque nonnullas Europæ partes exivit ſonus virtutum ejus; & tandem in fines orbis terræ exiere verba ejus: ad remotiſſimas enim, & vaſtiſſimas Indiarum & Japonum regiones ſe contulit, eas peragravit, & in iis luxit virtutibus, miraculis coruſcavit, tonavit prædicationibus, totque centena hominum millia ad Deum convertit, ut harum nationum Apoſtolus dici & eſſe meruerit: *vocatus Apoſtolus*. In naſcentis Eccleſiæ primordio, demirata eſt Antiochia Apoſtolum ſuum Petrum, Hiſpania Apoſtolum ſuum Jacobum, Achaja Apoſtolum ſuum Andream, Aſia Joannem, & Æthiopia Mathiam; noviſſimis autem temporibus, Indiæ & Japonia Apoſtolum ſuum Xaverium audierunt, & demiratæ ſunt. Iſtius novi Apoſtoli labores nunc enarremus, virtutes manifeſtemus, privilegia propalemus, & elogia pro viribus contexamus, &c. *Ave.*

CHriſtus Dominus (ut ex variis Sancti Evangelii locis conſtat) Apoſtolos, mundi lumina, ſal terræ, & amicos ſuos vocavit: *Vos eſtis lux mundi. Vos eſtis ſal terræ. Vos autem dixi amicos. Matthæi* 5. 14. Totus mundus in tenebris ignorantiæ ſedebat: quare Chriſtus Apoſtolos velut cæleſtia lumina delegavit, quorum radiis totus illuſtraretur orbis: *vos eſtis lux mundi*. Univerſa humani generis infatuata erat natura, & ſtultorum, ſeu peccatorum infinitus erat numerus: quare Chriſtus Apoſtolos, tanquam ſapientiæ ſuæ ſalem, miſit, ut eorum mores condiret, & infatuatos homines cæleſti ſapientia repleret: *vos eſtis ſal terræ. Matth.* 5. 13. Omnes tandem fere homines, tum per originale, tum per actualia peccata, inimici Dei erant conſtituti, quare Chriſtus Apoſtolos ſibi amiciſſimos eſſe voluit, ut iis, ad peccatores ſibi reconciliandos, uteretur. *Vos autem dixi amicos. Joann.* 1. 5. Quis non miretur duodecim illos Apoſtolos, qui ut mundi lumina, totum terrarum orbem illuminarunt; ut ſal terræ, multa hominibus beneficia impenderunt; &, ut Dei amici, maxima ab eo privilegia perceperunt? At & eſt, quod miremur novum Apoſtolum Xaverium, qui cum aliis Apoſtolis Apoſtolus fuit, illorumque favores & privilegia participavit; ipſe etenim ſimul cum aliis Apoſtolis fuit 1. Lux mundi. 2. Sal terræ. 3. Amicus Dei. *Ut lux mundi*, populos multos illuminavit. *Ut ſal terræ*, eos beneficiis replevit; *& ut amicus Dei*, multos ab eo favores recepit.

PRIMA PARS.

Sanctus Franciſcus Xaverius fuit lux mundi.

CHriſtus Dominus, qui ſeipſum mundi lucem vocaverat, eadem qualitate Apoſtolos ſuos honorat. De ſeipſo dixit Chriſtus; *Ego ſum lux mundi*, *Joann.* 11: ſuis etiam Apoſtolis ait: *Vos eſtis lux mundi*. Magna tamen inter utramque hanc lucem eſt differentia; quia Chriſtus eſt lux primordialis, per ſeipſam lucens, & alios illuminans; Apoſtoli vero ſunt lux de luce, ſeu lux a Chriſto, & per Chriſtum lucens: *Chriſtus eſt lux primitiva*; *Apoſtoli, quaſi lumina a Chriſto derivata. Hugo Cardinalis.* Vera autem & miranda mundi lumina extitere omnes Apoſtoli, qui [illegible] unam dumtaxat, aut alteram civitatem, ſed [illegible]ſum mundum doctrina, virtutibus & miraculis illuſtrarunt; ſed lux etiam fulgentiſſima fuit Xaverius, qui variis populis & præ-

Digitized by Google

præcipue Indiis & Japoniæ 1. Luxit ſcientia 2. Luxit virtutibus 3. Luxit miraculis.

1. Quicumque ad erudiendos populos eſt vocatus, doctrina, vel infuſa, vel acquiſita pollere debet, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Ad Tit.* 1. 9. ſed ſcientiæ lumine in primis fulgere debebant Apoſtoli, qui, ut ait Sanctus Hilarius, a Chriſto erant *vocati, ut mundum, errorum, vitiorumque tenebris obſcuratum, luce doctrinæ illuminarent.* Et reverа, ſi Apoſtoli ignorantiæ tenebris fuiſſent obvoluti, non lux, ſed potius tenebræ mundi fuiſſent: quare ſicut in principio Deus Soli lucem dedit, ut toti luceret mundo; ita & Chriſtus Apoſtolis ſcientiæ cæleſtis & Evangelicæ lucem infudit, ut omnibus populis illuceſcere valerent. Eadem prorſus luce ſuperfuſus fuit Xaverius, qui non ſolum acquiſita; verum & infuſa polluit ſcientia, qua abſtruſas, & reconditas quaſque Japoniæ & Indiarum partes mirabiliter illuminavit, & cæcos illos populos perfectiſſime irradiavit.

Innumeri harum regionum populi in denſiſſimis ignorantiæ, erroris & idololatriæ tenebris jacebant; diligebant magis tenebras, quam lucem; in via ſalutis ambulabant & palpabant, ut cæci; ſed Xaverius, quaſi novum ſidus, & quaſi ſol oriens ex alto, iis mirabili & cæleſti ſua ſcientia illuxit; hic horum populorum fuit Doctor a Deo miſſus, qui eos prædicationibus, catecheſibus, colloquiis familiaribus, & publicis diſputationibus mirabiliter erudivit & illuminavit; vel dicamus, quod Xaverius in medio ſemotarum illarum regionum fuerit, quaſi una ex templi Salomonis baſibus, in quibus erant *leones & boves & Cherubim*; 3. *Reg.* 7. ipſe etenim, inter barbaras illas gentes, fuit quaſi leo generoſiſſimus, charitatis flammas undique ſpirans; ibi etiam fuit, veluti bos fortis & patiens, labores multos, & ærumnas graves, magna cum manſuetudine & patientia portans; ibi tandem fuit, velut Cherubinus, ſcientiæ ſuæ fulgore Reges, Principes, & innumeros populos illuminans. *Quos etiam illuminavit virtutibus ſuis.*

2. Explanavit Chriſtus, quomodo populis potiſſimum lucere deberent Apoſtoli & viri Apoſtolici, dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt: Matth.* 5. 16. quaſi diceret (ut exponit & ponderat Cajetanus) *ſic luceat lux veſtra*, id eſt doctrina veſtra, *coram hominibus*; non videntibus cor, nec ea quæ interius fiunt, *ut videant opera veſtra*, non mala, nec habentia ſpeciem mali, *& glorificent Patrem veſtrum.* O pulcherrimam Chriſti doctrinam! ſed, o quam perfectiſſime illam profeſſus eſt Xaverius! ipſe enim Goam, Cammotinum, Japoniam, Sinas, aliaſque multas regiones, non ſolum ſcientiæ ſuæ ſplendore, ſed mirabilibus etiam ... operibus & virtutibus illuſtravit: non ſolum hi populi eum audierunt docentem, verum & eum viderunt facientem: Non apprehenderunt in eo vel minimam gravis cujuſvis peccati ſpeciem; ſed viderunt opera ejus bona, & in eo heroicas omnes virtutes demonſtrati ſunt. In eo, quaſi ſtupentes, talem viderunt abſtinentiam, ut ſæpe biduo, & interdum triduo, cibum non ſumeret. Tantam in ſuo Apoſtolo intuiti ſunt carnis mortificationem, ut corpus ejus, præ nimio onere, quaſi fatiſceret. Tantus ei inerat puritatis amor, ut virginitatem illæſam perpetuo ſervaverit. Talis ejus erat obedientia, ut per unicam vocalem I Pater Ignatius eum ad nutum movere, eumque ad extremas uſque orbis oras mittere potuiſſet. Paupertatem tantam coluit, ut Breviarium & veſtis obſoleta totam ſuam ſupellectilem componerent. Humilitate tandem, manſuetudine, charitate, & aliis omnibus virtutibus ita præfulſit, ut mihi figuratus videatur Xaverius per candelabrum illud, in quo erant lucernæ ſeptem, ut lucerent ex adverſo, de quo ſic habetur Exod. 25. *Facies candelabrum ductile ex auro puriſſimo: facies & lucernas ſeptem, & ponas eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo.* Xaverius enim fuit quaſi *candelabrum ex auro puriſſimo*, ratione ſanctitatis & vitæ ſuæ puriſſimæ; in hoc candelabro ſeptem fuere lucernæ, ſeu tres virtutes Theologicæ, & quatuor Cardinales, ad quas cunctæ penitus virtutes reducuntur; ipſe autem ſeptem illarum virtutum fulgore hominibus illuxit *ex adverſo*, quia illuxit peccatoribus, qui averſi erant a Deo. Per fidem, illuxit infidelibus & idololatris; per ſpem, præſumptuoſis & deſperatis; per charitatem, invidis & obduratis. Superbos iradiavit per humilitatem; avaros, per paupertatis amorem; guloſos, per abſtinentiam; iracundos, per manſuetudinem; & deſides, per Spiritus ſancti fervorem, quo agitabatur: hæ autem omnes virtutes fuere quaſi faces, & quaſi lucernæ ardentes, quibus ita affulſit, ut ſupra trecenta hominum millia, ab ignorantiæ, erroris, & peccati tenebris eduxerit, & ad lumen veritatis, & Evangelii adduxerit. O quam perfectiſſime luxit Xaverius virtutibus quas coluit! & *miraculis quæ edidit.*

3. A nobis exigit Chriſtus, quod lucernas ardentes in manibus geſtemus: *Lucernæ ardentes in manibus veſtris: Luc.* 12. 35. hæ lucernæ ardentes, ſunt virtutes animam *pulchrificantes*, ut ait S. Vincentius Ferrerius, *ſerm. de S. Auguſt.* eaſque lucernas in manibus portare debemus; quia, ut aliis luceamus, ad opus nos accingere, & virtutum operibus incumbere neceſſe eſt. Sed præter has virtutum lucernas, alias in manibus portarunt Apoſtoli: nempe miracula, quæ, poteſtate ſibi a Deo tradita, operati ſunt; hæc fuere quaſi faces, quibus fidei myſteria manifeſtarunt, quibuſque homines illuminarunt, & in fide confirmarunt. Unde D. Auguſtinus miracula vocat ſplendida & lucida: *ſplendor miraculi, Aug. in Pſ.* 96. quia miracula ſunt lucernæ, per quas Sancti ſplenduerunt, & hominibus illuxerunt. Has autem lucernas manibus geſtavit novus Apoſtolus Xaverius, qui cæcos illuminavit, ægros ſanavit, mortuoſque plurimos ad vitam revocavit. His populis illuceſcebat Xaverius doctrina & virtutibus, quibus affluebat; ſed cum hæc ad fugandas errorum tenebras, & ad ſuos auditores convincendos, non ſufficiebant, miraculis ſuis dicta confirmabat, & *ſplendor miraculi* eos penitus illuſtrabat.

Poſtquam Chriſtus in cælum aſcendit, Apoſtoli *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; Marc.* 16. 20. illi prædicationibus ſuis populos docebant, & illuminabant; lucique prædicationum Deus addebat lu-

cem

Digitized by Google

cem miraculorum, qua perfectius, & clarius populi illuſtrabantur. Quod accidit Apoſtolis, accidit & Xaverio; populi enim audientes doctrinam ejus, & videntes portentoſa virtutum ejus exempla, mirabantur; ſed ſæpe non convertebantur: at deinde ſequebantur & ſuperveniebant miracula, quæ erant quaſi faces, quibus omnino illuſtrabantur, & ad fidem chriſtianam amplectendam adducebantur.

O quam perfectiſſime populis illuxit Xaverius! & o utinam omnes Prædicatores, Paſtores, & Superiores, ſuis auditoribus, ovibus, & ſubditis ſimiliter illuceſcerent! Heu, quot converſiones in mundo fierent: ſi hi qui præſunt, & a Deo conſtituti ſunt, ut aliis luceant, illos (ſi non miraculis) doctrina ſaltem & virtutibus illuminarent? *Unus profecto Paulus*, inquit Chryſoſtomus, *hom.* 10. *in epiſt.* 1. *ad Timoth. tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes eſſemus hujuſmodi, quos terrarum orbes attrahere & ipſi poſſemus?* Heu! *ſi nos eſſemus hujuſmodi*; ſi Paulum, ſi Xaverium imitatemur: ſi vos Paſtores, ſi vos Prædicatores, ſi vos patresfamilias, ſi vos omnes qui aliis præeſtis, iis, ſaltem bonis moribus & virtutibus illuceſceretis; *Quos terrarum orbes attrahere & ipſi poſſetis?* Sed, heu! qui alios illuminare tenentur, perſæpe eos obcæcant, ſcandalizant, & ad mala pertrahunt. Væ vobis, qui talia agitis! deſinite perverſe agere, & qui alios obcæcaſtis, illis in poſterum virtutibus illuceſcite; eſtote lux mundi, ſicut Xaverius, qui fuit etiam *ſal terræ*.

SECUNDA PARS.

S. Franciſcus Xaverius fuit ſal terræ.

CArolus Quintus, Imperator, feſtive dicere ſolebat, ſe conjicere de cujuſvis Civitatis, vel Reipublicæ ſtatu ex triplici littera, P, ſeu ex Præceptoribus, Prætoribus, & Paſtoribus: *ex Præceptoribus*, qui ſunt quaſi ſal Scholarum; *ex Prætoribus*, qui ſunt quaſi ſal Reipublicæ; & *ex Paſtoribus*, qui ſunt quaſi ſal Eccleſiæ. Sed dicamus etiam, quod ex unica littera X, ſeu ex unico Xaverio conjectari poteſt de Japoniæ & Indiarum orientalium ſtatu; ipſe enim harum regionum fuit ſal 1. Sapientiam inſpirans. 2. Corruptionem tollens. 3. Fœcunditatem communicans.

1. Sapientia a ſapore, dicitur, eo quod ipſa ſit quaſi ſapor mentis, & ex hoc ſal ab omnibus agnoſcitur, ut ſapientiæ ſymbolum: quia, ſicut ſal condit cibos, ut ſapidi ſint; ita ſapientia condit animos, ut ſapientes ſint. Unde de inſipientibus dici ſolet, quod inſulſi ſint, & quod ſale careant, juxta illud Catulli: *Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis*. Et e contra, de viris ſapientibus dicitur: quod habeant ſal, & quod ſaliti ſint; unde comicus, virum ſapientem alloquens, ait: *Si quis haberet ſalem, qui in te eſt.* Sale ſapientiæ non carebat Xaverius, qui altiſſimam poſſidebat ſapientiam, qua profundiora divinitatis ſcrutabatur myſteria; & qui veram ſapientiam aliis inſpirabat, qua inſulſos & ſtultos quoſvis peccatores, ſapidos & ſapientes efficiebat. Ipſe non fuit ſal inſatuatum, alios ſalire & condire non valens; ſed fuit ſal mirabile, non mundi, ſed Chriſti ſapientiam Indis & Japonibus inſpirans; hic etenim, non honorum culmina quærere, non injurias injuriis reddere, non ſummo affectu divitias appetere, non cor machinationibus tegere, nec alia multa, quæ apud mundi ſapientes pluris ſiunt, eos docuit; ſed fuit ſal mirabile, & verus Apoſtolus, qui mala libenter tolerare, injurias condonare, bonum pro malo reddere, terrenas opes contemnere, & alia multa, quæ Chriſtianam & Evangelicam redolent ſapientiam, facere, iis inſpiravit.

Non fuit Xaverius ſimilis malis iis Paſtoribus, qui ſal infatuatum dicuntur, quia cum ipſi, quaſi Eccleſiæ ſal, fidelium mores condire deberent; per gulam, luxuriam, errorem, ambitionem, aliaque vitia, quibus indulgent, ſuum ſpiritualis ſalis vigorem perdunt. De iis loquens Chriſtus, ait: *Si ſal evanuerit, in quo ſalietur? Matth.* 5. 13. Seu, qua ratione avaritiam, luxuriam, & honores fugere docebit, qui talia ambit, & ſolicite quærit? Quomodo humilitatem inſpirabit ſuperbus, caſtitatem luxurioſus, & liberalitatem avarus? Hoc certe nequiter. Xaverius autem non fuit ſal hujuſmodi, non fuit ſal inſulſum, & infatuatum, quia ab avaritia, gula, luxuria, aliiſque vitiis, quæ Paſtores inſulſos, & inſipientes efficiunt, maxime abhorruit; ſed ipſe fuit ſal mirabile, caſtitatem, patientiam, benignitatem, humilitatem, aliaſque virtutes, quæ Verbi incarnati ſapientiam redolent, perfectiſſime poſſidens, & aliis inſpirans. Ipſe fuit, quaſi univerſalis Indiarum, & Japoniæ Paſtor, qui ſale ſapientiæ Chriſtianæ & Apoſtolicæ repletus fuit, populiſque talem ſapientiam inſpiravit. Et ab iis *peccati corruptionem ſuſtulit*.

2. Sal materiale carnes integras ſervare valet; jam vero putridas, & corruptas ſanare, & redintegrare non poteſt: *Sal poteſt carnem ſervare incorruptam; putridam autem mundare non poteſt; Chryſ.* ſed S. Xaverius fuit ſal mirabile, quod Indos, & Japones jam vitiis putridos, & corruptos ſanavit; eiſque integritatem, quam nunquam habuerant, indidit. Unde, ſi de Apoſtolis ait Euthimius, quod ſint *ſal terræ*, quia *Chriſto fuere electi ad tollendam totius mundi putredinem*; Xaverius etiam fuit ſal Indorum, & Japonum, quia ab iis corruptionem, & putredinem vitiorum maxima cum ſolicitudine ſuſtulit.

Temporibus Noe tot vitiis homines erant addicti, totque peccatis coinquinati, ut ſacer textus dicat, quod *omnis caro corruperat viam ſuam. Gen.* 6. 12. Idem ſane dici poterat de Indis, & Japonibus, antequam ad eorum regiones veniſſet Xaverius, ibi enim idolorum cultus, carnis illecebræ, Dei oblivio, avaritia, luxuria, & omnia vitia [illegible] communia, ibi *omnis caro corruperat viam ſuam*, ſeu omnes homines peccatorum ſuorum putredine erant corrupti. Xaverius autem harum regionum Apoſtolus, fuit ſal ſpirituale & mirabile, quo idololatræ, avari, luxorioſi, & innumeri omnis generis peccatores, a ſuorum vitiorum corruptione fuere liberati; ipſe enim Goam, Malacam, Japoniam, & innumeras Provincias prædicando, & peccatorum putores tollendo, peragravit. Hic, undecim

Digitized by Google

cim annorum ſpatio, undecim leucarum millia percurrit, ubique dæmonum diſſolvens opera, ubique vitia extirpans, & ubique homines a peccatorum ſuorum corruptione liberans; *necnon bonis operibus eos fœcundans.*

3. Sal aptum eſt ad terram, quæ ex ſe fœcundiſſima eſt, ſterilem reddendam; ſic enim legimus, nonnunquam exercituum duces, civitate aliqua expugnata, ſal ſeminaſſe, ut fundus ſterilis fieret, & nil viride in eo creſceret: *Sal reddit terram ſterilem: Imperatores enim olim ſolebant ſeminare urbes ſale, ne quod in eis germen oriretur. Hugo Card. in c. 3. Matth.* In hoc ſenſu dici poſſet, quod Xaverius fuit ſal admirabile, quia deſtructo in Indiis regno peccati, germen vitiorum compeſcuit; illamque terram, quæ vitiis luxuriabat, in omni peccatorum genere erat fœcunda, vitiis & peccatis ſterilem reddit. Sed quid adhuc mirabilius ad Xaverii laudem eſt proferendum; cum nempe ſal extitiſſe, quod fœcunditatem communicavit, quodque innumeros populos, qui ſpinas ſolum & tribulos peccatorum producere ſoliti erant, virtutibus, & bonis operibus fœcundavit.

Poſtquam Elias curru igneo in cælum vectus eſt, Eliſæus, ejus diſcipulus, venit trans Jordanem circa civitatem Jericho, & filii Prophetarum acceſſerunt ad eum dicentes: *Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu Domine perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. 4. Reg. 2.* Eliſæus autem ut terræ tolleret ſterilitatem, eamque fœcundam efficeret, ait: *Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal.* Attulerunt ſal, & miſit illud Propheta cum vaſe novo in aquas, dicens: *Hæc dicit Dominus, ſanavi aquas has, & ſanatæ ſunt aquæ*; aquis autem ſanatis, terra fertilis facta eſt per ſalem in ea projectum. O mirum modum fœcundandi terram! ſed, o mirabilem etiam figuram eorum, quæ in Indiis, & Japonia facta ſunt! harum enim regionum terra erat plane ſterilis, eo quod corda hominum nullos in ea pietatis, & virtutis fructus producerent, & quod aquæ doctrinæ in ea eſſent amaræ & peſſimæ; verus autem Eliſæus Chriſtus ſumpſit vas novum ſale plenum, ſeu novum Apoſtolum S. Franciſcum Xaverium, qui erat vere vas electionis, quod Spiritus Sanctus ſapientiæ ſale repleverat; & mediante illo ſale, ſeu mediante Xaverio, Indiarum & Japoniæ terra, quæ erat ſterilis, ſeu illarum regionum homines, qui erant bonis operibus & virtutibus infœcundi, facti ſunt fœcundiſſimi; qui erant avari, erga pauperes facti ſunt liberales; qui erant libidinoſi, caſtitatem coluerunt; qui ſuperbi, humilitatem ſunt ſectati; & alii innumeri, qui benefacere neſciebant, facti ſunt in productione bonorum operum fœcundiſſimi.

Quare Xaverium in medio vaſtiſſimarum illarum regionum, veluti petram ſalis intueor: *quaſi inter bruta animalia petra ſalis debet eſſe ſacerdos in populis*, inquiebat S. Gregorius: *Hom. 17.* Vere bruta animalia erant Japones & Indi ob carnalia, quibus adhærebant, vitia; Xaverius autem in medio eorum erat, velut ſal ſpirituale, iis ſapientiam chriſtianam inſpirans, ab iis vitiorum omnium corruptionem tollens, eoſque bonis operibus fœcundans. O utinam quilibet animarum Paſtor in medio ovium ſuarum, quilibet pater familias in medio domeſticorum, & quilibet ſuperior in medio inferiorum, eſſet *petra ſalis*, ab iis omnem fugans peccati corruptionem, eoſque ad omnium virtutum exercitium inducens! Sed, heu! non pauci, in medio ſuorum, non ſunt petra ſalis, ſed potius *lapis offenſionis, & petra ſcandali, 1. Petr. 2. 8.* quia eos a virtutis ſemita avertunt, & ad pravas peccatorum vias alliciunt. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Matth.* 18. væ vobis, qui aliis eſtis petra ſcandali; eſtote iis impoſterum quaſi *petra ſalis*, ſicut Xaverius, qui fuit ſal terræ, & *amicus Dei.*

TERTIA PARS.

S. Franciſcus Xaverius fuit amicus Dei.

TAnta amoris ſui ſigna dedit Deus Xaverio, ut interdum chariſſimus hic Dei amicus, quaſi iis obrutus clamaret: *ſatis eſt Domine, ſatis eſt Domine.* Noſtrum non eſt, Seraphici Xaverii cor penetrare, ut ibi adnotemus, quanto eum Deus amore affecerit: quare ad exteriora, & pluribus nota me convertens, magnam Dei erga Xaverium amicitiam, ex tribus ſolum donis ſpecialibus colligam. 1. Ex dono linguarum, quo illum ditavit. 2. Ex dono prophetiæ, quo illum honoravit. 3. Ex dono incorruptionis, quo illum decoravit.

1. Chriſtus Dominus ita Apoſtolos ſuos dilexit, ut iis dona linguarum largitus ſit; quo dono honorati, aliquando variis loquebantur linguis; & aliquando una lingua loquentes, tamquam ſi variis linguis locuti eſſent, audiebantur. Ipſi, divinitus edocti, variis linguis loquebantur; de iis enim dicitur, quod *repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis. Act. 1. 4.* Ipſi etiam, unico idiomate, diverſarum nationum populis concionantes, ab unoquoque audiebantur, tanquam ſi propria cujuſque lingua locuti fuiſſent; de iis enim dicitur, quod *audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Act. 2. 6.* Deus autem tanto amore proſecutus eſt Xaverium, ut utroque modo donum linguarum ei conceſſerit; ipſe nam illico miraculoſe variis linguis loquebatur, & ut primum in Indias appulit, *illico variarum gentium difficillimis & variis linguis inſtructus apparuit.* Ipſe etiam unica lingua loquens, a diverſarum linguarum populis fuit intellectus: *cum quandoque unico idiomate ad diverſas gentes concionantem, unaquæque ſua lingua loquentem audirent. Brev. Rom.*

Erant Jeroſolymis viri *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt*; ſeu ex diverſis nationibus orti: ibi erant Parti & Medi, Cretes & Arabes: ibi erant ex his qui habitant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam: qui Apoſtolos prædicantes ſic audierunt, quaſi ſi propria cujuſque ex his nationibus lingua locuti fuiſſent: *Quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Act. 2. 8.* Dubitant Auctores, quomodo loquentibus Apoſtolis, tot populi, ex tam diverſis nationibus oriundi, concipere & intelligere poſſent quæ dicebant, ac ſi illi propria cujuslibet auditoris lingua, locuti fuiſſent. Reſpondent aliqui, quod revera Apoſtolis ita conceſſum erat donum linguarum, ut his omnibus

linguis ſucceſſive loquerentur, prædicando modo una ex his linguis, & modo altera. Alii dicunt, quod Apoſtolis ita datum erat donum linguarum, ut unica loquentes lingua, a diverſarum nationum hominibus ſic audirentur, ac ſi diſtincte, ſeorſimque variis linguis locuti fuiſſent. Sed Xaverium (ita dilexit Deus, ut ei utroque illo modo donum linguarum impertitus ſit; ipſe enim divinitus ita fuit inſtructus, ut diverſorum populorum, cum quibus converſabatur, linguis omnibus loqueretur; ipſe etiam unico idiomate diverſis gentibus prædicans, unaquæque ſua lingua eum loquentem audiebat. Ecce ſelectum Dei amicum, cui Deus donum linguarum conceſſit. Et *donum prophetiæ*.

2. Dono prophetiæ Deus B. Virginem Mariam, Eliſabetham, Zachariam, Joannem Baptiſtam, pluresque alios ex ſuis amicis decoravit, & ſpecialiter Apoſtolos, quibus dedit, quod abſcondita penetrarent, & futura prædicerent. Prophetavit Petrus, prophetavit Paulus, prophetavit Joannes Evangeliſta, prophetaverunt & alii Apoſtoli: hi etenim fuere filii Dei chariſſimi, ſuper quos effudit de ſpiritu ſuo, & quibus donum prophetiæ conceſſit: *effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri. Act.* 2. 16. O magnum Dei erga Apoſtolos amicitiæ ſignum! Quod Apoſtolo etiam noſtro Xaverio non denegavit; tanto enim illum proſecutus eſt amore, ut ſuper eum prophetiæ ſpiritum effuderit, quo afflatu, plurima & loco & tempore remotiſſima enuntiavit. Unde ſicut de quibuſdam Diſcipulis habetur in novo Teſtamento, quod *venit Spiritus ſanctus ſuper eos; & loquebantur linguis, & prophetabant; Act.* 19. 6. ita dicendum, quod Xaverius fuerit dilectus Chriſti Diſcipulus, ſuper quem venit Spiritus ſanctus, qui ei linguarum & prophetiæ dona conceſſit. Et ei *donum incorruptionis largitus eſt*.

3. Sanctiſſimo Chriſti corpori, ratione unionis hypoſtaticæ, debebatur incorruptio: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Act.* 2. 27. Licet autem nulli alteri de jure deberetur incorruptio, eam tamen nonnullis amicis ſuis, ut donum ſingulare conceſſit Chriſtus; & ſpecialiter Apoſtolis, quorum corpora, a tot ſæculis, nondum ſunt totaliter corrupta, ut patet ex eorum reliquiis, quæ variis in locis adhuc aſſervantur. Quam etiam gratiam impertitus eſt Apoſtolo Xaverio; tanto eum proſecutus eſt amore, ut ejus corpus diu incorruptum ſervari voluerit. Proprium corpus ſanctificaverat, & quaſi angelificaverat Xaverius, exſiccans illud jejuniis, funibus conſtringens, dilanians flagellis, viliſſimis obſequiis mancipans, aliiſque modis innumeris illud affligens: quare noluit Chriſtus, quod ſanctum illud corpus videret corruptionem. Sanctiſſimum Chriſti corpus, ut ait Andreas Cretenſis, fuit corruptionis expers, *propter præſentiam Verbi*: *Orat.* 1. *Nazianz.* & S. Xaverii corpus diu ſervatum fuit incorruptum, per potentiam & ſingularem protectionem Verbi incarnati, ſeu Chriſti, qui ita Xaverium dilexit, ut ejus corpus incorruptum ſervaverit.

Chriſtus Dominus erga aliquos ex ſuis Sanctis tanto afficitur amore, ut de ipſis eorum crinibus, & oſſibus mortuis cuſtodiendis ſit ſolicitus: *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur. Pſ.* 34. 21. Sed majorem curam habuiſſe cenſetur de Xaverii cadavere: ſanctum enim hunc Apoſtolum ita amavit, ut corpus ejus pluries calce viva coopertum, incorruptum ſervaverit; ita quod, diu poſt mortem, ex eo ſanguis manaverit.

O verum & novum Chriſti Apoſtolum! qui non ſecus ac alii Apoſtoli, fuit lux mundi, ſal terræ, & amicus Dei. Fuit *lux mundi*, fulgens doctrina, virtutibus & miraculis. Fuit *ſal terræ*, ſapientiam inſpirans, corruptionem tollens, & homines bonis operibus fœcundans. Fuit tandem *amicus Dei*, quem Deus dono linguatum ditavit, dono prophetiæ honoravit, & dono incorruptionis decoravit.

O quantum, & quanta veneratione dignum Apoſtolum! Deus ſupra modum ſuos honorari voluit Apoſtolos: *nimis honorati ſunt*; *Pſ.* 138. 17. honoremus & nos novum Apoſtolum Xaverium. Cum turbæ Paulum & Barnabam, miracula facientes viderunt, eos ut deos inſpexerunt, vocaruntque Barnabam *Jovem*, Paulum vero *Mercurium*; tantoque eos honore affecerunt, ut iis, tanquam diis, ſacrificare vellent. Xaverio pariter multis ex Indiis & Japonibus tantum impenderunt honorem, ut illi, tanquam Deo, victimas & libationes offerre contenderent, & revera obtuliſſent, ni ille præ humilitate eos cohibuiſſet. Ad hoc quidem idololatriæ genus declinare impium eſſet & gentile; ſed ſi Barbari, tanto venerationis affectu, erga novum hunc Chriſti Apoſtolum exarſerunt; ſi illum honore ſummo proſequi cogitarunt & voluerunt; nos qui chriſtiani ſumus, & qui ejus merita rectius ponderare novimus, omni ſaltem quo poterimus honore, eum afficere contendamus.

Honoremus Xaverium, ejuſque patrocinium imploremus. Cum mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, Chriſtum tetigit, virtus ex illo exivit, qua hæc infirma ſanata eſt: *Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiſſe. Loc.* 8. 46. Tangamus ſimiliter Xaverium precibus, ejuſque nos protectioni ſubdamus; & virtus de illo exibit. Si ſuperbiæ ſpiritu torqueamini, ad Xaverium accurrite, crebris orationibus eum invocate; orabit pro vobis Deum, & illius interventu humilitatis virtutem obtinebitis. Si luxuriæ ſpiritu agitemini, ad puriſſimum & caſtiſſimum Xaverium advolate, ejus favores precibus multis implorate; & ab eo exibit ad vos virtus caſtitatis. Si invidia, avaritia, vel aliud aliquod vitium vos premat, petite a Xaverio quod his vitiis oppoſitas a Deo vobis virtutes obtineat, & ejus meritis tales vobis infundentur virtutes; cognoſcet ille, quod hæ virtutes ad vos exierint: *ego novi virtutem de me exiiſſe*. Dum ſanctiſſimus ille Apoſtolus in hoc mundo converſatus eſt, cæcos illuminavit, infirmos ſanavit, & mortuos multos ſuſcitavit; hæ virtutes ab illo exierunt, & eædem virtutes ab illo nunc exirent, ſi ardentibus illum precibus exoraremus: quare in omni tribulatione & anguſtia, ad eum confugite, eumque ſupplices orate. De illuſtris illius Indiarum Apoſtoli reliquiis fertur, quod ubi Malacam delatæ ſunt, urbs illa a ſæviſſima peſte fuit liberata; hæ reliquiæ fuere quaſi fimbria veſtimenti Sancti Xaverii, quam ut primum Malacenſes cives tetigerunt, ab ea exivit virtus ſanitatis: tangite pariter reliquias

Xa-

Digitized by Google

Xaverii: tangite reliquias animæ ejus, ſeu virtutes illius, eas imitando: tangite & reliquias corporis illius, eas venerando; & ex his reliquiis, ſic tactis, ad vos effluent ſanitas corporis, & media efficacia ad ſalutem æternam conſequendam. *Amen*.

DE SANCTA BARBARA.
CONCIO UNICA.

Glorioſa dicta ſunt de te. Pſalm. 87. 3.

SIcut pulchri e ſentibus flores, & venuſtæ ac fragrantiſſimæ e ſpinoſa ſtirpe roſæ prodeunt: ita non raro ex maligna radice fructus pietatis aſſurgunt, & a parentibus infidelibus & impiis, filii fideles, & omni pietate ornati naſcuntur. Hujus veritatis celebre præfert teſtimonium S. Barbara; quæ, licet a parentibus infidelitatis errore obcæcatis, idololatriæ totaliter deditis, indole ſua barbaris, & a Deo ad æterna incendia deſtinatis, originem duxerit; ipſa tamen Chriſtianæ Religioni nomen dedit, virginitatem ſuam Deo vovit, Chriſti Martyr extitit, & ab eo in cælis recepta, ac glorioſe coronata fuit. Nata eſt illuſtris hæc virgo in civitate Nicomedienſi a patre nobili & prædivite, cujus nomen erat Dioſcorus, & cujus natura ita agreſtis erat & barbara, ut inſontem filiam in alta turri diu clauſam detinuerit; eamque inde eductam, ad Præſidis Martiani tribunal, tanquam ream raptaverit; & tandem propria manu, parricidiali magis quam paterna, ei caput amputaverit. Hæc ſunt glorioſa & mirabilia, quæ de S. Barbara narrantur: *Glorioſa dicta ſunt de te*; ſed glorioſiora hæc apparebunt, cum ea in toto hoc diſcurſu encomiaſtico ſerio perpenderimus, &c. *Ave*.

DIoſcorus, teſte S. Damaſceno, *ſer. de S. Barb. in Biblioth. Pat. conc.* erat vere Princeps & Regulus; ac proinde S. Barbara, non plebeji cujuſdam, ſed Principis filia extitit. Unde ei merito, ſicut Sponſæ Canticorum dicere poſſumus: *Quam pulchri ſunt greſſus tui filia Principis! Cant. 7. 1.* Quocumque enim graderetur illa Principis filia, tanta ejus erat modeſtia, tanta prudentia, tantaque pietas, ut omnes ejus greſſus pulcherrimos, Deoque gratiſſimos extitiſſe, nemo non videat. Sed tres potiſſimi, & ſpecialiter notandi ejus fuere greſſus. *Primus* fuit a patre domo nativitatis ſuæ ad altam turrim, in qua a patre clauſa, & diu detenta eſt. *Secundus* fuit ab excelſa illa turri ad Tribunal Judicis Martiani, in quo audita & judicata eſt. *Tertia* fuit ab hoc Tribunali ad Paradiſum, in quo a Chriſto, ſacrarum Virginum ſponſo, benigne recepta, & glorioſe præmiata eſt. S. Barbara, propter pudicitiam, in turri fuit clauſa; propter fidem, ad Judicis Tribunal fuit vocata; & propter ſanctitatem, in cælo recepta eſt. Contemplemur puriſſimam hanc Virginem in turri, in Judicis Tribunali, & in Cælo. 1. In Turri, in qua clauditur. 2. In Tribunali, ad quod ſiſtitur. 3. In Cælo, in quo recipitur; & in his omnibus locis admirabimus glorioſa & mirabilia, quæ de illa narrantur; *Glorioſa dicta ſunt de te*.

PRIMA PARS.

Glorioſa narrantur de S. Barbara, dum in turri clauditur.

DIoſcorus in Barbara, velut in unica ſibi filia, ſpem omnem defixerat; eamque adhuc balbutientem, nobiliſſimo cuidam deſtinarat connubio: quare cum eſſet formoſiſſima, illam in excelſa clauſit turri, ut eam vir aliquis, nec ipſis oculis attingere valeret; vel etiam ne ab aliquo ſibi parum grato, ad matrimonium ſolicitaretur. Intrat in hoc puritatis ſuæ fortilitium Virgo prudens, ibique glorioſa feciſſe narratur, ibi enim idola deſpexit, Fidem Catholicam ſectata eſt, & virginitatem vovit. Ibi 1. Hæc hominis idololatræ filia, idola deſpexit. 2. Hæc hominis infidelis filia, Fidem Catholicam amplexata eſt. 3. Hæc hominis impuri filia, virginitatem vovit.

1. S. Barbara ab ineunte ætate idola in corde ſuo deſpiciebat; ſed cum intra altæ turris parietes fuit incluſa, ibi a ſæculi tumultibus elongata ſerio, & majori cum ſolicitudine de vera divinitate cogitavit. Vexatio ſubtiliorem ei dedit intellectum, & ſolitudo, quæ altiorum cogitatuum, ſenſorumque parens eſſe ſolet, ei opportunam præbuit occaſionem verum a falſo diſcernendi, ac dignoſcendi, deos gentium eſſe dæmonia; & idola vilia ſolummodo eſſe hominum opera, quæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt: quare idola, eorumque cultum ex tunc maxime deſpexit, & execrata eſt: *Idolorum errorem ac cultum execrationi habebat. S. Damaſc. ubi ſup.*

S. Barbara in excelſa illa turri, velut in ſpecula, mundi molem ſæpe ſæpius intento animo contemplabatur, ejus pulchritudinem & magnitudinem demirabatur; & cæli, ſolis, necnon ſtellarum ſplendorem, terræque ornatum & fœcunditatem perpendens, hæc omnia ei pro codice erant, in quo legebat, quod cunctæ creaturæ eſſent opera veri Dei, cujus poteſtas eſt infinita: non autem idolorum, quæ manus habent, & non palpant, & quæ, ne unicum quidem culicem, vel vilem vermiculum efformare valerent: quare idola & idololatriam ita ſprevit, exhorruit & deteſtata eſt, ut ad ſimulacra, quibus impius pater incenſa adolere ſolitus erat, accedens, *in eorum deſpicabiles vultus deſpuerit, opportune Davidicum illud melos uſurpans: ſimiles vobis fiant, qui faciunt vos, & omnes qui confidunt in vobis: S. Damaſc. ubi ſup.*

Per idololatriam, ſeu idolorum cultum, triplex, ut ait S. Bernardinus Senenſis, Deo fit injuria: *Prima ex eo, quod ei debitæ honorificentiæ cultus ſubtrahitur. Secunda ex eo, quod alii impenditur, & appropriatur. Tertia ex eo, quod ei aliud æquatur. tom. 1. ſerm. 10. art. 2.* Deus autem in corde S. Barbaræ intra turrim latentis, illud præceptum ſculpſerat: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: Matth. 4.* Quare Deo, quem unicum adorandum eſſe credebat, cultum debitum non ſubtraxit; talem etiam cultum alicui creaturæ, ſeu idolo, non impendit; nec ſupremo Numini aliquam

creaturam adæquavit; ſed idola ita deſpexit, & execrata eſt, ut *in eorum deſpicabiles vultus deſpuerit.* Miramini ſervidum ſanctæ illius Virginis zelum, quæ licet patrem haberet idolis ſenſu carentibus, ad inſaniam uſque devotum; illa tamen maxime deſpexit; & quæ, *licet eſſet hominis infidelis filia, Fidem Chriſtianam amplexata eſt.*

2. Facile eſt homini a creaturis ad Creatorem, & a factura ad opificem aſcendere; ex ipſa enim creaturarum conſideratione facile cognoſcitur & infertur ſupremum quemdam eſſe conditorem, a quo ipſæ factæ fuere: *Inviſibilia ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus divinitas. Rom.* 1. 20. Hanc divinitatis cognitionem S. Barbara in turri commorans, per creaturas habere potuit; ſed inſuper, ibi de altioribus Fidei Chriſtianæ myſteriis fuit erudita; tum a Deo, qui ſpirat ubi vult, & qui facientibus quod in ſe eſt, nunquam deeſt; tum ab Origene qui per epiſtolas, quæ credenda, & quæ agenda eſſent, eam docuiſſe creditur; tunc etiam a Valentino Presbytero piiſſimo, a quo fuiſſe edoctam & baptizatam nonnulli arbitrantur; ſed undecumque fidei lumine fuerit illuſtrata, certum eſt innocentem hanc puellam in turri degentem, de immortalitate animæ, de cæleſti beatitudine, de ſupplicits perverſorum, necnon de altiſſimis divinæ Incarnationis, & ſanctiſſimæ Trinitatis myſteriis fuiſſe eruditam, Fidemque Catholicam fuiſſe amplexatam: *Veram Chriſtianorum Fidem, velut in cælos ſubvehentem, confovebat, ac totam amplexabatur. S. Damaſc. ubi ſup.*

Fides eſt ad ſalutem abſolute neceſſaria; nam *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo: Ad Hebr.* 11. 6. & ut aſſerit Chriſtus, Marci ultimo: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Unde Auguſt. ait, quod, *ſi non fuiſſet Cornelio neceſſaria Fides Chriſti ad ſalutem, non fuiſſet ad illum ædificandum miſſus Architectus Petrus Apoſtolus. Aug. l. de correct. & grat. c.* 7. Poſito autem quod fides ſit abſolute neceſſaria ad ſalutem; quærunt Theologi, quid fieret de puero in ſilvis enutrito, qui ad ætatem adultam perveniens, aliquamdiu bene uteretur ratione naturali, & recte juxta illius Leges viveret? ad quod indubitanter reſpondendum, quod Deus hunc hominem de fidei myſteriis erudiret; quia ſicut certum eſt, quod ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, ita & certum eſt, quod Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Joann.* 1. 9. illum autem hominem illuminaret, & fidei myſteriis Deus erudiret, vel exterius per homines, vel interius miniſterio Angelorum, vel etiam per ſe ipſum, modo ſuæ providentiæ congruo. Quod & factum eſt in S. Barbara, quæ licet intra excelſæ turris mœnia latitaret, Deus tamen eam de myſteriis fidei, ſive per homines, ſive per Angelos, ſive per ſeipſum, ita erudivit, ut altiſſima etiam Incarnationis & ſanctiſſimæ Trinitatis myſteria eam non laterent. Noverat Incarnationis & Paſſionis Chriſti myſterium; parietibus enim crucis figuram, in teſtimonium ſuæ in Chriſtum crucifixum fidei, efformabat: noverat etiam, & palam profitebatur fidem de auguſtiſſimo ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio; cum enim Dioſcorus pater ejus in turri, in qua ipſa habitabat, duas ſolum feneſtras fieri imperaſſet; hæc Trinitatis ancilla, ut triplicem feneſtram ſtructuræ apparent, operarios compulit: patre autem ex ea percontante, cur tertiam illam feneſtram præceperit? conſtanter reſpondit, id ſe præcepiſſe cæmentariis, ob reverentiam Trinitatis; indeque occaſionem ſumpſit de Trinitatis myſterio coram patre diſſerendi: *Commodiſſimum argumentum nacta Virgo inclyta, Trinitatis palam gloriam ac divinitatem (incredulum patrem ad fidem cohortans) prædicabat. S. Damaſc. ubi ſup.* O mirabilem adoleſcentulam, quæ altiſſimorum fidei myſteriorum facta eſt magiſtra! illa credit, illa explicat, illaque patri infideli ſummo cum fervore prædicat & *licet hominis impuri eſſet filia, virginitatem ſuam Deo vovit.*

3. Interim Dioſcorus pro filia (jam nubili) ſollicitatus fuit a multis nobilibus, & prædivitibus viris, qui ejus pulchritudine & opulentia allecti, eam in matrimonium expetebant: quare Barbaram opportuno tempore ipſe convenit, ejus exploraturus voluntatem, ejuſque conſenſum eliciturus. At ipſa, animo immobili, declaravit patri, quod nil ſibi cum terrenis hominibus, quodque mortali ſponſo numquam nuberet, utpote quia immortali Deo ſe jampridem, per caſtitatis perpetuæ votum, totaliter dicaverat. Inſtitit pater, ei repræſentans, quanto affectu optaret, quod ſociale connubium iniret, quod prolis ſuſceptione domui ſuæ hæredem relinqueret, quodque magnatis cujuſdam matrimoniali fœdere, totius familiæ ſuæ baſis, columna, & fundamentum evaderet; utque fortius, ad ſuæ conſentiendum voluntati, eam moveret: *Jubet ipſam votis annuere,* inquit S. Damaſcenus: *At illa ſermones ejuſcemodi, velut nugas intuens, denuntiat patri; nem hujuſmodi numquam ſuggerat. Nempe ridiculum, prorſuſque abſurdum cenſuit Virgo, quæ ſe ſemel cæleſti, ac immortali ſponſo addixiſſet, eique adhæſiſſet, ut iis qui, vermium inſtar, in gentilitio fœtulento luto verſabantur, obſecundaret. S. Damaſc. ubi ſup.*

O præclaram puellæ, quæ virginitatem ſuam Deo voverat, reſponſionem! ſed, o quam diverſæ etiam, & oppoſitæ ſunt Dioſcori & S. Barbaræ cogitationes! Cogitaverat ille, cum filiam ſuam intra turrim clauſerat, eam intactam, inviolatam, & ab omni ſuſpicione læſæ integritatis immunem ſervare, ut per hoc gratior iis fieret, qui eam in matrimonium poſtularent. At illa, intra turrim commorans, cogitavit ſe caſtam, puram, & illibatam ſervare, non ut terrenum, & carnalem virum, ſed ut Chriſtum ſponſum habere mereretur. Cogitabat Dioſcorus, non quæ Domini ſunt, ſed quæ ſunt mundi, & Barbara cogitabat, non quæ mundi, ſed quæ Domini ſunt: *Virgo cogitat quæ Domini ſunt.* 1. *Cor.* 7. 34. Cogitabat hic infidelis domus ſuæ incrementum, familiæ ſuæ ſplendorem, & filiæ ſuæ temporalem profectum; ſed Barbara, quæ erat virgo mente, & corpore, cogitabat ſolum, quomodo placere poſſet Chriſto ſponſo, quomodo ad altius perfectionis chriſtianæ faſtigium conſcendere valeret, & quomodo ad cæli ſedes evehi mereretur: quare de nuptiis temporalibus contrahendis non curavit, oblatos ſibi quoſque ſponſos reſpuit; & animo ita ge-

ne-

Digitized by Google

neroſo, & conſtanti, virginitatis votum, quo ſe adſtrinxerat, ſervare ſtatuit, ut abſurdum cenſuerit, relicto immortali ſponſo, terreni ei proponerentur, & mortales, qui, reſpectu illius, ſunt veluti viles vermiculi: *abſurdum cenſuit virgo, quæ ſe ſemel cæleſti, ac immortali ſponſo addixiſſet, ut iis qui, vermium inſtar, in gentilitio luto verſabantur, obſecundaret.* Sciebat puriſſima hæc Virgo, quod *bona eſt pudicitia conjugalis, melior eſt continentia vidualis, optima autem caſtitas virginalis. Aug. de S. Viduitate.* Quare eligens quod optimum eſt, ſuam virginitatem Chriſto dicavit, & non obſtantibus paternis conatibus illæſam ſervavit. Ecce quæ de B. Barbara in turri exiſtente narrantur; ſed ab illa turri ad Præſidis Martiani Tribunal tranſeamus, ibi innocentem hanc contemplemur adoleſcentulam, & ſemper dicamus glorioſa, quæ de illa narrantur: *Glorioſa dicta ſunt de te.*

SECUNDA PARS.

Glorioſa narrantur de Sancta Barbara, dum ad Tribunal Judicis ſiſtitur.

CUm Dioſcorus audivit a Barbara, quod eſſet Chriſtiana, & virginitatis voto adſtricta, patris ſe eſſe oblitus, & ira ſupra modo exæſtuans, illam coma arripuit, latera pedibus, ſcapula pugnis contudit, & per viam aſperrimam ſumma violentia illam raptavit, ut Præſidi Martiano traderet cruciandam; ad cujus Tribunal cum fuit adducta, iniquus ille Judex nil intentatum reliquit, ut eam a propoſito dimoveret, & ad diis ſacrificandum compelleret: uſus eſt enim blanditiis, & minis; imperavit inſuper eam flagellis, & ignibus torqueri; iniqua tandem ſententia eam ad uberum & capitis amputationem damnavit. Glorioſa autem ſunt, quæ hic de S. Barbara narrantur: ipſa etenim 1. Generoſe reſtitit blanditiis & minis. 2. Suſtinuit patienter flagella & ignes. 3. Paſſa eſt conſtanter uberum, & capitis abſciſſionem.

1. Blanditiæ, inquit S. Joannes Damaſcenus, *ſunt diaboli prima eſca: Damaſc. ubi ſup.* quia veterator ſatanas tyrannis inſpirat, ut primo blanditiis Chriſtianos ineſcare, & pervertere contendant. Tali eſca erga S. Barbaram uſus eſt Præſes Martianus: ſedens enim pro Tribunali, & conſpecta virginis illius florente vultus forma, in ſtuporem actus, blanditiis eam tentare cœpit, oſtendens, quam chara eſſet patri jam ſeni, cujus unica erat filia, in qua ſpem totam defixerat; eique perſuadens illam non decere, quod tot amaſios deſpiceret, quos maxima, qua rutilabat, pulchritudo ipſi conciliaret. Affirmans inſuper quod, ſi a nova Chriſtianorum ſecta diſcederet, toto vitæ ſuæ tempore deliciis multis frueretur, divitiiſque & honoribus cumularetur; quod tandem, ſi diis immolare, & incenſa adolere vellet, parentibus, amicis, & ipſi Imperatori opus pergratum faceret: ſed his & aliis ſimilibus blanditiis generoſe reſtitit S. Barbara, *illaſque, velut vanas incantationes, ac ſerpentis virus, horrendaque venena, deteſtata eſt. S. Damaſc. ubi ſup.*

Quare Præſes ad aliud tentationum genus animum convertit, & quam blanditiis vincere nequivit, minis ſuperare pertentavit, irato vultu ipſi indicens, quod, ſi diis non ſacrificet, acerba experietur ſupplicia mortemque crudeliſſimam patietur. Sed ipſa, ut ſubjungit S. Joannes Damaſcenus, *minas pariter ac blanditias deriſit*, dicens: Ego parata ſum, ut immolem Domino meo Jeſu Chriſto, qui fecit cælum, & terram, ac mare, & omnia quæ in eis ſunt, veſtros autem deos pulchre Propheta his verbis ſubſannavit: *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, &c. Pſ.* 113. O generoſam Virginem, quæ Martiani minas non extimuit; non fuit ipſa ſimilis tyrannis, qui ad rumuſculos, & ad minimum auræ flatum trepidant, timent, nullus licet eis minas inferret; *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur: Job 15. 21.* Barbara autem, licet mortem minaretur Præſes nequaquam trepidavit: *ſed minas pariter, ac blanditias deriſit.* Quare ſceleſtiſſimus ille tyrannus, humani ira commotus, alio animum ſuum convertit, & pertentavit, *an flagellis, & ignibus innocentem virginem ſuperare poſſet.*

2. Flagellatio apud Romanos vile & probroſum erat ſervorum ſupplicium, ut habetur *ff. de pœnis, l. Servorum.* Hinc Martyres ſæpe ad ignominiam flagellabantur: & veluti viliſſima mancipia, virgis vapulabant. Unde in aliquorum Martyrum actis legimus: *Martyr catomo*, id eſt in ſcapulis, *cædatur, aut virgis flagelletur.* O immanitatem, & ſævitiam Martiniani: qui Barbaram, non quidem conditione ſua ſervam, ſed unicam Dioſcori filiam, ad ignominioſum illud ſervorum damnavit ſupplicium! ſed o inauditam tortorum barbariem, qui immane decretum executioni mandantes, nudatæ hujus virginis carnes teneras nervis bubulis dire ciderunt, inflictaſque ex verberibus plagas acriter perfricarunt; ita ut totum corpus, horrendum in modum, cruore ruberet: nec a planta pedis uſque ad verticem aliqua in eo appareret ſanitas! ipſa autem, tanquam ovis coram tondente, obmutuit, & non aperuit os ſuum, ſed pro ſponſi ſui Chriſti amore cuncta patientiſſime ſuſtinuit. Unde ſi de Chriſto flagellato dicitur, quod in toto illius corpore amor ejus deſcriptus cerneretur: *cernitur in toto corpore ſculptus amor:* Ita, & cum flagellis cæſa fuit S. Barbara, in toto illius corpore deſcripta, & exarata ejus erat patientia, qua magis & magis exardeſcebat Præſidis ira: quare flagellis ignes ſuperaddidit, & quam flagellari juſſerat, *flammis torreri imperavit.*

Ignium pœnam, quam Tertullianus ſummam vocat: *Summam ignium pœnam, l. ad Mart. 4.* tanta cum patientia ſuſtinuere tres pueri in fornace accenſa incluſi; ut in medio ignis gaudentes deambularent: *Legimus Ananiam, Azariam, & Miſael in camino ignis incluſos, in pœnarum ſudarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe. Ambr. serm. de SS. Laur. & Cypr.* Similem in puella Barbara demiror patientiam: diſcerpto enim, & dilaniato ejus corpuſculo, juſſu Præſidis, ignitæ faces ſunt admotæ, ut ſic tenella ejus caro adureretur: ſed cum ſic cruciaretur virgo, gaudebat & jubilans dicebat: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

Rom. 8. O mirabilem hujus virginis patientiam! quam perfecte delineaſſe videtur Auguſt. ſerm. de Sanct. Vinc. ubi de illuſtri illo Martyre ait, quod *tanta pœna erat in membris, tanta ſecuritas in vocibus, tamquam alius torqueretur, alius loqueretur*; dum enim S. Barbaræ corpus dilaniaretur, & flammis aduretur, alia videbatur eſſe quæ torquebatur, & alia quæ loquebatur: quia tanta ejus in mediis ſuppliciis erat patientia, ut cum torqueretur, lætaretur, omniaque tormenta, velut oblectamenta reſpiceret, ajens: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. O miram Barbaræ patientiam! ſed o ſtupendam Præſidis rabiem, qui innocentis hujus victimæ ſanguinem flagellis elicitum, & carnes aduſtas videns, nullatenus immoratur, ſed nova excogitans ſupplicia, *ei ubera & caput amputari juſſit*. *Chryſoſt. hom.* 30. *in* 1. *Cor.*

3. Pereximie dicit Chryſoſtomus, quod *Virgo a bello numquam ceſſat*; quod patet in B. Barbara, quæ quidem a bello numquam ceſſavit: a teneris enim annis a patre fuit impugnata; & deinde a Præſide Martiano acerbiſſime experta eſt certamina, dum ejus juſſu flagella, & ignium vim paſſa eſt; & nondum hæc tranſierant prælia, cum novum ei certamen obeundum occurrit: quia ab iniquo hoc tyranno ad uberum abſciſſionem Virgo præclara damnatur. O ſupplicium omni exceptione majus; ſed o intolerandam Præſidis immanitatem! cui quidem S. Barbara (S. Agathæ verba aſſumens) dicere potuiſſet: *Impie & crudelis tyranne, non te pudet in fœmina amputare, quod in matre ſuxiſti?* Aſt glorioſa & conſtantiſſima Chriſti Martyr, non ad tyrannum, ſed ad Deum oculos & verba ſua convertit, dumque ejus cæderentur, & avellerentur ubera, cælum inſpiciens, ait: *Ne projicias me Domine a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me*; *Pſ.* 50. 13. hanceque plagam, ut refert S. Damaſcenus, *conſtanti animo, inque gratiarum actione effuſa, accepit*.

O ſpectaculum horrore plenum! Virgini ætatis duodecim annorum, puriſſimæ, innocentiſſimæ, & ſanctiſſimæ avelluntur ubera, conſentiente inſenſibili patre, ordinante impio Judice, & exequente barbaro carnifice. O Angeli Dei! hanc demiremini adoleſcentulam virginitate ſua ſororem veſtram, quæ ubera non habet: *Soror noſtra parvula ubera non habet*; *Can.* 8. Sed tu, o nequiſſime tyranne, erubeſce, quod tam immaniter hujus Chriſti oviculæ ubera avulſeris! excogita jam, ſi poſſis, moleſtius aliud cruciationis genus; imaginare novum aliquod tormentum muliebri durius ſexui; adde ſi lubet, & aggera ſuppliciis ſupplicia, invenies ſemper Barbaram Virginem ad diriora quæque perferenda conſtantiſſimam: *Adamantem invenies, ipſeque firmiorem adamante*. *S. Damaſc.* Certe crudelius & acerbius tormentum adinvenire nequibat Præſes: quare morte vitam ejus cito extinguere cogitavit, & iniqua ſententia *caput amputari imperavit*.

Virginis Barbaræ in ultimo hoc certamine nunc contemplemur & demiremur conſtantiam; conſtans fuit & adamante firmior, cum ei abſciſſa ſunt ubera: ſed cum ferale ei denuntiatur decretum, tanta ejus eſt conſtantia, ut gaudium, & inſolitam quandam præferat alacritatem; mori gaudet, quia feſtinat ad palmam: *Cum gaudio pulchra hæc columba, Chriſti cauſa, necem ſuſcipit*. *S. Damaſc. ubi ſup.* Sed, quis iniquæ hujus ſententiæ erit actor, a quo occidetur innocens hæc victima! ab ipſo patre, cui innocens Virgo toto animo cervicem protendit, & ipſe propriæ prolis carnifex immani feritate ictum adegit. O infeliciſſime & miſerande pater: vel potius, o dire tyranne! quomodo non horruiſti ſanctæ hujus Martyris cervicem abſcindere; quomodo non obtorpuit dextera qua propriæ filiæ lethalem ictum inferre pertentaſti. O patris inſani rabiem! O feritatem inauditam! O veſaniam furentis idololatriæ: ſed o admirabilem inclytæ hujus Virginis conſtantiam! Quæ animo hilari mortem recipit & patitur: *Cum gaudio pulchra hæc columba, Chriſti cauſa, necem ſuſcipit*. *Michææ* 7. 6.

Docet nos Spiritus Sanctus, quod *inimici hominis domeſtici ejus*, cujus dogmatis veritas ſæpiſſime probata eſt apud Gentiles, qui a fide catholica aberrantes & abhorrentes, eorum inimici facti ſunt, qui eam amplexabantur, licet propinquiſſimo cognationis gradu ipſis eſſent conjuncti. Sic S. Thecla propriæ matris conſilio accuſata eſt, & Judici tradita, ut viva exureretur. Sic S. Lucia Romana ab Eutropio ejus filio chriſtianæ religionis coram Præfecto fuit accuſata. Sic S. Chriſtina virgo, jubente & præſente patre, ungulis ferreis toto corpore fuit dilacerata. Sed quid dirius, & immanius in Dioſcoro deprehenditur, qui propriam filiam ad Judicis Tribunal raptavit, ad mortem damnari curavit, & ferali gladio caput ei amputavit? O ſpectaculum omnibus ſæculis deteſtandum, & o in æternum prædicandam manſuetudinem & conſtantiam S. Barbaræ, quæ antequam gladio feriretur, patri non improperavit, immo nec adverſus eum muſſitavit, ſed flexis genibus aliquantulum oravit, paranſque collum gladio conſtanter ictum percepit, & feliciter in Domino obdormivit. Ecce glorioſa quæ narrantur de S. Barbara, dum ad Judicis Tribunal ſiſtitur. Jam autem ſurſum corda & mentem elevemus: contemplemur nunc ſanctam illam Virginem in cælo, & glorioſa in ejus laudem ſemper enarremus: *Glorioſa dicta ſunt de te*.

TERTIA PARS.

Glorioſa narrantur de Sancta Barbara, dum in cælo recipitur.

CErtiſſimum eſt S. Barbaram in cælo a Deo fuiſſe receptam, ibi cum aliis Sanctis mercedem laborum, & coronam gloriæ percepiſſe, ibique cum aliis Virginibus & Martyribus, duplici virginitatis & martyrii aureola fuiſſe redimitam. In his autem, quæ ipſi cum aliis Sanctis ſunt communia, non immoror, ſed ut ſpecialiora de præclara hac Virgine in cælo exiſtente enarrem; dico, quod ibi potentiſſima eſt, reſpectu eorum qui illam pie invocant: quia eos efficaciter protegit in vita, in morte, & in die judicii. Unde, ſi ei ſimus devoti, & ſi ejus auxilium precibus noſtris humiliter & ferventer imploraverimus, ipſa nos proteget 1. In vita noſtra, quæ eſt plena miſeriis. 2. In morte, quæ eſt plena periculis. 3. In judicio, quod eſt plenum terroribus.

1. Quamdiu homo in hoc mundo degit, morbis & miſeriis obruitur: *Homo natus de muliere, brevi vi-*

vivens tempore repletur multis miſeriis: Job 14. 1. non unica ei ineſt miſeria, ſed multis repletur miſeriis *exterioribus & interioribus*, ut exponit Hugo Card. & ut habetur in gloſſa interlineari, omnibus miſeriis homo circumdatur, & repletur, *quia omnia hic miſera ſunt*. Quare potenti quodam egemus protectore, cujus auxilio, aut a mundi hujus miſeriis tueamur, aut ab iis liberemur, aut ſaltem in iis aliquomodo adjuvemur. Sed quis erit nobis adjutor in tribulationibus, & in omnibus infelicis vitæ noſtræ miſeriis? Hoc beneficium libenter & efficaciter nobis impendet S. Barbara, ſi ad ejus confugiamus patrocinium, ejuſque auxilium devote imploremus; quicumque enim ferventi fide ad ſanctam hanc Virginem accurrunt, eamque pie & enixe invocant, in omnibus morbis, periculis, & adverſis caſibus eam adjutricem experiuntur: *omni liberantur periculo, adverſoque caſu, qui te adjutricem, tuamque vindicem opem invocant. S. Damaſc. ubi ſup.*

Mirabili Dei providentia ordinatum eſt, ut Sancti in cælo exiſtentes, ſpecialem habeant poteſtatem curandi morbos iis ſimiles, quibus ipſi laboraverunt, & infirmitates in ſimilibus partibus, quibus ipſi paſſi ſunt, advenientes tollendi. Sic S. Rochus, qui peſte laboravit, eodem morbo laborantibus ſubvenit. Sic S. Appolonia, cui avulſi fuere dentes, dolorem dentium patientibus ſuccurrit. Sic S. Lucia pro infirmitatibus oculorum ſpecialiter invocatur. Et ſic S. Barbara, cui abſciſſæ fuere mamillæ, a mulieribus in mammis infirmitatem quamdam patientibus invocari ſolet, ejuſque interceſſione a talibus infirmitatibus plerumque liberantur. At non eſt hic unicus morbus, & unica miſeria, a qua Barbaram invocantes liberantur; ipſa enim in omni morbo, & in omni adverſo hujus vitæ caſu ſuis clientibus eſt propitia: *Omni liberantur periculo, adverſoque caſu, qui te adjutricem, tuamque vindicem opem invocant*. O miram protectricem in vita noſtra, quæ eſt plena miſeriis, *& in morte noſtra, quæ eſt plena periculis*.

2. In magnis verſabatur periculis D. Paulus, dum in hoc mundo cum hominibus converſaretur: *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. 2. Cor. 11. 26.* His autem immo & gravioribus in hora mortis verſamur periculis; tum ex parte peccatorum, quibus obruimur; tum ex parte dæmonum, a quibus tentamur; tum a doloribus, quibus gravamur; tum ſæpe ex parte hominum, a quibus ſeducimur. Tunc torrentes & flumina iniquitatum noſtrarum conturbant nos: *Periculis fluminum*. Tunc dæmones, quaſi latrones infenſiſſimi, animam noſtram furari & abripere conantur: *Periculis latronum*. Tunc ſæpe homines ex genere Chriſtianorum, vel etiam Gentiles, ſeu religionem chriſtianam odio habentes noſtræ ſaluti adverſantur: *Periculis ex genere, periculis ex gentibus*. Tunc timemus, ne nobis claudatur civitas ſancta Jeruſalem: *Periculis in civitate*. Tunc nonnumquam Angeli ob ingratitudinem noſtram ſolos nos deſerunt: *Periculis in ſolitudine*. Tunc mare variarum cogitationum in intellectu noſtro periculoſas excitat tempeſtates: *Periculis in mari*. Tunc multi inveniuntur falſi fratres, immo & falſi filii, qui non de ſalute noſtra, ſed de temporalibus bonis auferendis, ſunt ſoliciti: *Periculis in falſis fratribus*. Sed quod magis formidandum eſt; tunc in magno damnationis æternæ periculo verſamur. *Pericula inferni invenerunt me. Pſ. 114. 3.* Heu! quis inter tot pericula nos proteget? Deus quidem, qui protector eſt omnium ſperantium in ſe, omnes etiam Sancti, ſi eos pio cum affectu invocaverimus; ſed ſpecialiter S. Barbara, quæ non ſine ratione a fidelibus pro mortis tempore invocari ſolet; eos enim, qui ipſi fuere devoti, tunc fideliter & efficaciter protegit; cujus rei plura adduci poſſent exempla, quorum aliqua qui ſcire volueris, legat Pepinum ſerm. de S. Barbara, ubi de quodam mercatore huic ſanctæ Virgini devoto refert, quod *cum illum latrones decapitaſſent, caput non ceſſavit clamare pro confeſſione, quouſque venit Sacerdos, qui conjungens caput corpori, alter revixit, & confeſſus eſt: atque ſacra Communione percepta obdormivit in Domino*. Ibi etiam de alio, ſanctæ huic Virgini devoto, narrat, quod cum a carnifice in patibulo fuiſſe ſuſpenſus, vixit, donec ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum receperit. His & aliis exemplis, necnon quotidiana experientia conſtat, S. Barbaram clientes ſuos protegere in hora mortis, quæ eſt plena periculis, & eos etiam protegit *in extremo judicio, quod eſt plenum terroribus*.

3. Cum venerit formidanda extrema judicii dies, *cælum, & cæli cælorum, abyſſus & univerſa terra, quæ in eis ſunt, in conſpectu illius commovebuntur: montes ſimul, & colles & fundamenta terræ, cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur. Eccli. 16. 18.* Sicut Principe pro Tribunali ſedente, non ſolum adſtantes rei, verum & qui nil ſibi conſcii ſunt, timore, & tremore comprehenduntur propter judicis terrorem; ita, inquit S. Auguſtinus, cum genus humanum judicabitur, non ſolum peccatores: *ſed etiam homines pii, immo & cæleſtes miniſtri pavebunt & contremiſcent. Aug. in Pſal. 62.* Heu! ſi tunc cælum & terra, homines juſti, & ipſi Angeli paveant; qualibus concutientur terroribus peccatores, & impii? magnis quidem, & inexplicabilibus: quare, ſive juſti, ſive peccatores ſimus, timeamus, & potentiſſimum quendam inquiramus patronum, qui in hac die nos protegat; vel qui ita pro nobis intercedat, dum in hoc mundo vivimus, ut in ſtatu gratiæ morientes, ſaltem æternæ damnationis ſententiam devitemus. Sed ubi talis invenietur patronus? in terra viventium, ſeu in cælo: ibi eſt S. Barbara, quæ clientibus ſuis pro die judicii efficaciter patrocinatur; de ea enim legitur, quod antequam mortis ſententiam ſubiret, flexo poplite, hanc ad Deum orationem fuderit: *Da Domine ancillæ tuæ gratiam, ut quiſquis mei meminerit, tu Domine ne memineris illius peccatorum in die judicii; ſed illi propitius efficiaris:* Et tunc, ut ait Damaſcenus: *Facta eſt vox de cælo dicens: quæ poſtulaſti, omnia conceſſi. Damaſc. ubi ſup.* O qualem S. Barbaræ in cælo poteſtatem!

Aſtrologi ita ſigna in Zodiaco diſpoſita eſſe adnotant, ut ſignum Virginis inter Leonis & Libræ ſigna collocetur. In die autem judicii terribilis apparebit Zodiacus, in quo Chriſtus, velut Leo ru-

giens, videbitur; libramque dextera tenens, homines librabit, ut in infernum mittantur hi, quorum opera non erunt plena; ii vero, quorum opera erunt plena, & charitatis auro fulgentia, ad cæleſtes thronos ſublimentur. Ecce in hoc Zodiaco ſigna Leonis & Libræ; Chriſtus eſt Leo; Libramque manu geſtat; ſed ubi eſt ſignum Virginis? Erit ſane, ſi velimus, in hoc Zodiaco ſignum Virginis nobis fauſtiſſimum, pie & ferventer, dum in hoc mundo vivimus, ſanctam virginem Barbaram invocemus, ad ejus patrocinium confugiamus; eam in ſingularem patronam eligamus; ſingulis diebus ferventi quadam oratione ejus propitiationem nobis conciliare conemur, & in die judicii Barbara nobis erit in ſignum; tunc hæc Virgo, Chriſti, Leonis de Tribu Juda, iram mitigabit, ejuſque Libram in noſtri gratiam inclinabit; vel ita res componet, quod Chriſtus in die judicii nobis propitius ſiet.

Ecce mirabilia quæ de B. Barbara in turri, in Judicis Tribunali, & in cælo exiſtente narrantur. *In turri*, hæc hominis idololatræ filia idola deſpexit, hæc hominis infidelis filia fidem catholicam ſectata eſt, & hæc hominis impuri filia virginitatem vovit. *In Judicis Tribunali*, hæc eadem adoleſcentula reſtitit generoſe blanditiis & minis: ſuſtinuit patienter flagella & ignes, & paſſa eſt conſtanter uberum & capitis abſciſſionem. *In cælo* tandem, tanta ejus apud Deum eſt poteſtas, ut nos protegat in vita noſtra, quæ eſt plena miſeriis; in morte, quæ eſt plena periculis; & in die judicii, quæ eſt plena terroribus.

Miramini glorioſa hæc, quæ dicuntur de S. Barbara: miramini, & his ad inſtructionem veſtram utimini. Verum eſt, quod *omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio: S. Bern. tom. 2. ſerm. 31. art. 1. c. 2.* ſed velim etiam, quod ex actis S. Barbaræ duplicem eliciamus inſtructionem. *Prima* & potiſſima inſtructio ſumetur ex hoc, quod S. Barbara, intra turrem ſolitaria remanens, ſanctificata ſit. Heu! ſi vanis & perverſis juvenum converſationibus fuiſſet expoſita, forſan periiſſet; & quia in ſolitudine permanere coacta eſt, eminentem nacta eſt ſanctitatem. Diſcite ex hoc mulieres, non circumcurſare, non frequentibus juvenum colloquiis & converſationibus vos immiſcere, ſed domi tacere, ibi clauſo oſtio orare Dominum, vel ſedulo domeſtico cuidam negotio incumbere. O quam deploranda eſt ſors quarumdam adoleſcentularum, quæ inter juvenum greges libere converſantur, ludunt, choreas ducunt, colloquia nocturno etiam tempore miſcent, rident, impuras narrationes audiunt, & alia his ſimilia faciunt, quorum finis eſt infamia & interitus. O patres! o matres! ſerio perpendite, quantum in his converſationibus inſit caſtitatis, & ſalutis periculum, & ab iis filias veſtras pro viribus elongate: *Filiæ tibi ſunt, conſerva corpus illarum; Eccl. 7.* veſtras ſolicite filias cuſtodite, ne illas vagari, talibuſque converſationibus illaqueari ſinatis: ſed a veſtro non diſcedant conſpectu, vos comitentur in Eccleſia, a qua redeuntes, maneant vobiſcum in domo, ibi laborent, orent, peccata defleant, & animam ſuam ſanctificent, ad inſtar Beatæ Barbaræ, quæ in ſolitudine ſanctificata eſt. Hæc eſt prima inſtructio.

Secunda deſumi poteſt ex his quæ paſſa eſt S. Barbara. Heu! ſi hæc virgo duodecim ſolum annos nata, tot & tanta pro Dei gloria perpeſſa eſt tormenta; nonne nos pudebit, vel minimum quid, pro Chriſto nolle pati? Heu! ſi tam immania animo hilari hæc Virgo devoravit ſupplicia; nonne nos pudebit, nolle jejunare, injurias condonare, & alia, quæ in lege Dei ſunt difficilia, obſervare? Attendite illuſtrem illam Martyrem, quæ graviſſima pro Chriſto patitur; & illius exemplo excitati, quæcumque dura & gravia in obſervatione Præceptorum Dei occurrunt, generoſe portate, ut aliquando cum illa in cælis beari mereamini. *Amen*.

DE SANCTO NICOLAO.

CONCIO UNICA.

Vir fidelis multum laudabitur. Prov. 28. 20.

SEmper quidem operæ pretium fuit, illuſtria Sanctorum geſta enarrare, portentoſa eorum propalare miracula, & cæleſtem illorum vitam populis annuntiare. Sed ſi Sanctis omnibus illud obſervantiæ, & religionis noſtræ impendi debet officium, iis maxime, qui præ ceteris in Eccleſia, non ſolum heroicis virtutibus, verum & mirandis affulſere prodigiis, qualis haud dubie extitit S. Nicolaus Myræ Epiſcopus, cujus tanta fuit abſtinentia, ut ab incunabulis jejunare inceperit; cujus talis in oratione extitit perſeverantia, ut ab ea vix aliquando deſtiterit; cujus tanta erga pauperes liberalitas, ut omnia ſua in eleemoſynas erogaverit; cujuſque tot & tanta fuere miracula, ut juvenum & virginum, ſenum, & jun orum omniumque penitus hominum laudes ſibi conciliarit: *Hic eſt Nicolaus onem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus laudant nomen ejus. S. Bern. ſerm. de S. Nicol. in Bibl. Patr. concionat.* Laudavit eum Conſtantinus Magnus, qui cum ejus ſanctitatem inſpiciebat, ſuſpiciebat. Laudavere eum omnes Concilii Nyſſeni Patres, qui ejus prudentiam, gravitatem, & eminentem ſanctitatem demirati ſunt. Laudaverunt illum omnes pauperes, omneſque ſuæ Diœceſis miſeri, qui ejus beneficia ſenſerunt, & perceperunt. Virum tandem hunc fidelem, & ſanctiſſimum in præteritis ſæculis laudarunt, in futuris laudabunt omnes populi: *Vir fidelis multum laudabitur*. Eum & nos in hac concione pro viribus laudare conabimur, &c. *Ave*.

SAnctus Nicolaus fuit dives, Prælatus & juſtus. Fuit dives, non quidem avarus & immiſericors; ſed erga Chriſti pauperes & egenos maxime liberalis. Fuit Prælatus, non ſuo ſane indignus miniſterio; ſed eo ſupra modum dignus. Fuit tandem homo juſtus, non ſane juſtitia apparenti & phariſaica; ſed vera, Deo grata, multiſque miraculis famoſa. Hic homo dives, fuit pauperum pater; hic Prælatus, fuit Epiſcoporum exemplar; & hic homo juſtus, fuit afflictorum protector. Unde S. Nicolaum inſpicio, reſpectu pauperum, quibus abundan-

undanter ſubvenit, *ut dives*, reſpectu gregis, cui ſollicite invigilavit, *ut Prælatus*; & reſpectu afflictorum, quos efficaciter protexit, *ut juſtus*. Nicolaus, *ut homo dives*, ita pauperibus ſuccurrit, ut eorum pater dici debeat; *ut Prælatus*, ita de grege fuit ſolicitus, ut Epiſcoporum exemplar vocari queat; & *ut homo juſtus*, tantos in afflictorum gratiam a Deo favores impetravit, ut eorum protector nuncupari poſſit. Quæ omnia, ut fuſius, & clarius ad ſanctiſſimi hujus Pontificis laudem explicentur: dicamus, quod fuit pater pauperum, exemplar Epiſcoporum, & protector afflictorum. S. Nicolaus fuit 1. Dives, & pater pauperum. 2. Prælatus, & exemplar Epiſcoporum. 3. Juſtus, & protector afflictorum. Hæ ſunt laudes, quibus S. Nicolaum proſequi intendimus, *Vir fidelis multum laudabitur*.

PRIMA PARS.

Sanctus Nicolaus fuit Pater pauperum.

JOb vir ditiſſimus pariter ac ſanctiſſimus, ſe pauperum patrem vocabat: *Pater eram pauperum. Job 29. 16.* Quo quidem titulo merito inſigniri debet S. Nicolaus, qui reſpectu pauperum fuit pater amantiſſimus, beneficus, & ſapientiſſimus. Fuit 1. *Pater amantiſſimus*, qui eos ut filios adamavit. 2. *Pater beneficus*, qui eorum miſerias ſublevavit. 3. *Pater ſapientiſſimus*, qui eorum neceſſitates prævenit.

1. Job, qui non minus charitate, quam patientia ſua a cunctis laudari meruit, pauperum pater dicitur, ob ſingularem affectum, quo erga pauperes ferebatur: *Job vocatur pauperum pater*, inquit S. Gregorius, *quia nimirum magno charitatis officio, ſtudium miſericordiæ vertit in affectum naturæ*. Paterna erga pauperes erant Jobi viſcera, & ſicut pater naturaliter ptolem diligit; ita (ut habetur in gloſſa interlineari) Job pauperum pater appellatur, *quia eos ut filios cernebat per amorem*; non eos ſolum, ut clientes inſpiciebat, qui ejus patrocinio indigerent; nec ſolum, ut miſeros, qui ejus egerent auxilio, ſed ut filios cariſſimos, quos non ſecus ac filios magno affectu diligebat. Jobi erga pauperes amorem demiror; ſed in Jobo S. Nicolaum intueor, qui eodem ſpiritu accenſus, ſimul cum ipſo fuit pauperum pater amantiſſimus; eos amavit ut pater, eos fovit ut pater, eoſque non minori proſecutus eſt amore, quam ſi proprii filii extitiſſent; unde ſicut Judæi dicebant; *Pater noſter Abraham eſt?* ita & pauperes dicere poterant & debebant: *Pater noſter Nicolaus eſt*, *Joann. 8. 39.* quia erat pater amantiſſimus, qui eos ut filios diligebat.

Deus mirabili ſua providentia ita naturales hominum inclinationes diſponit, ut in diverſis diverſæ eſſe ſoleant: alius enim ex innata ſibi propenſione ad divitias comparandas fertur, & alius ad eas effundendas movetur; iſte ludere amat, & ille refugit; hic cum hominibus converſari appetit, & ille vitam ſolitariam ſupra modum diligit. Diverſæ etiam & oppoſitæ hujuſmodi propenſiones in viris ſanctis adnotantur: aliqui enim ſunt proni ad liberalitatem, & alii ad caſtitatem; aliqui ad opera miſericordiæ ſunt propenſi, & alii ad paupertatis, obedientiæ, vel alterius cujuſdam virtutis actus ſunt proclives. Talis autem innata propenſio in viris ſanctis, per Dei gratiam, & per continuum exercitium ita creſcere ſolet, ut quilibet in virtute, ad quam ſpecialiter eſt proclivis, plurimum proficiat, immo & aliquando ita progrediatur, ut hac in parte nullus eis videatur æqualis: *Non eſt inventus ſimilis illi*. O Nicolae! quæ tua fuit propenſio? ad cujus potiſſimum virtutis actus naturaliter fuiſti proclivis? *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*; ipſe ex ingenita ſua propenſione ad pauperum amorem ferebatur: & ſicut Job dicitur *pater pauperum*, quia *per affectum paternum eos ut filios ſuos diligebat*, inquit Lyranus; ita Nicolaus reſpectu pauperum fuit pater amantiſſimus, qui per affectum paternum eos ut filios dilexit. Cor ejus paterno erga pauperes affectu indeſinenter movebatur; ſi languebant pauperes, languebat ipſe; ſi dolores patiebantur, dolore etiam cor ejus afficiebatur; ſi illi infirmabantur, infirmabatur & ipſe; iis condolebat ut pater, iis compatiebatur ut pater, erat tandem pater amantiſſimus, qui eos ut filios adamabat: *Et pater beneficus, qui eorum miſerias ſublevabat*.

2. Job fuit pauperum pater, non ſolum per affectum, ſed etiam per effectum, ut ait Lyranus; quia ſcilicet non ſolum paterno corde eos diligebat, ſed etiam quia manus ſuas ad illos extendebat, & largis quas erogabat eleemoſynis, paternum ſuum erga illos patefaciebat affectum. O Nicolae! quis eſt paternus ille amor, quo pauperes proſequeris? Eſtne amor pure internus, in ſolo cordis affectu conſiſtens? Nequaquam: Nicolaus enim non affectu ſolum, verum & effectu pater fuit pauperum; fuit enim pater beneficus, qui iis benefacere numquam deſtitit: quippe qui ab adoleſcentia ſua magnam divitiarum copiam, quarum hæres factus erat, eis elargitus eſt; ita quod ille cum pauperibus pauper remanſerit: ſed per adventitium Epiſcopatum dives factus, quidquid de redditibus ſuis carpere poterat, pauperibus erogabat; oblata etiam ſibi a fidelibus bona ipſe confeſtim in eleemoſynas impendebat; & non raro accidit, quod cum non haberet quo pauperum miſerias ſublevaret, ei divinitus daretur, quo illis ſubveniret; ipſe vero, tamquam legitimus Dei miniſter, & veluti talium bonorum diſpenſator fidelis, nil de iis ſibi retinens, ea pro cujuslibet neceſſitate diſtribuebat. Unde hujus ſancti viri manus tornatiles videbantur: *manus ejus tornatiles*, quia fere nihil de propriis, & de oblatis ſibi bonis, ſuis uſibus reſervabat. Vel etiam dicendum, manus ejus fuiſſe quaſi canales, quibus bona temporalia, ſive a parentibus, ſive a fidelibus, ſive immediate a Deo ad ipſum venientia, ad pauperes meabant. Vel etiam manus ejus erant quaſi vehicula, quibus talia bona ad pauperes deferebantur, quia tamquam pater beneficus, quidquid ſui juris erat, iis diſpergebat. Unde Andreas Cretenſis illum vocat *annonæ emporium*, *In Laudat. S. Nicol.* quia in ejus manibus, velut in emporio, pauperes annonam, omniaque ſibi neceſſaria reperiebant.

Luculenter de ſeipſo dixit Ambroſius, quod pauperibus, quantum poterat, & plus quam poterat, ero-

garet: *Neceſſitates aliorum quantum poſſumus, juvamus; interdum plus quam poſſumus.* O mirabilem Antiſtitem Ambroſium, qui & id quod poterat, & ſupra id quod poterat, in eleemoſynas effundebat! Sed, o mirabilem etiam Pontificem Nicolaum, qui, in quocumque ſtatu fuerit, quod potuit, & plus quam potuit, pauperibus erogavit! In ſtatu laicali ſuum eis diſtribuit patrimonium, ecce *quod poterat*; ſed illud ita iis diſtribuit, ut nec ad victum neceſſaria ſibi reſervatit, ecce *plus quam poterat*. In ſtatu clericali, & cum ad inſulas fuit ſublimatus, hanc proventuum ſuorum dedit pauperibus portionem, quæ ab Eccleſia illis deſtinatur, ecce *quod poterat*: ſed inſuper alias eis elargitus eſt portiones, ita quod vix aliquid ad ſui ſuſtentationem, ſervaverit, ecce *plus quam poterat*. In ſtatu ſanctitatis pereximiæ, ad quam evectus eſt, pluries Deus arcam & crumenam, quas prodiga ejus charitas evacuaverat, pecuniis replevit: ſed quo magis erga ipſum Deus erat liberalis, eo ipſe erga pauperes, magis erat prodigus; ita quod vix retineret, quo arcte victitaret, ecce *quod poterat, & plus quam poterat*. O quam erga pauperes beneficus fuit S. Nicolaus, ſed *fuit etiam pater ſapientiſſimus, qui eorum neceſſitates prævidit, & prævenit*.

3. Cum Job, vir utique ſanctiſſimus, ſe pauperum patrem vocat: *Pater eram pauperum*, protinus ſubjungit, ſe patrem eſſe providum, eorum neceſſitatibus invigilantem, eaſque ſedulo inveſtigantem: *Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Job 29. 16.* Sciebat Job, quod patris prudentis & ſapientis eſt, nedum præſentes filiorum neceſſitates ſublevare, verum & futuras prævenire, iiſque obviam ire. Quod & probe novit S. Nicolaus, qui tamquam verus pauperum pater, non ſolum a præſentibus, ſed etiam ab imminentibus & futuris neceſſitatibus eos liberavit; ſupra egenum & pauperem intelligebat, ſeu intra eorum domos, & corda legebat; ibi, divino affulgente lumine, latentes, & imminentes eorum neceſſitates ſcrutabatur, & paterni amoris ſpiritu accenſus, iis ſolicite occurrebat. Videte qualis ejus fuerit ſapientia, quantaque charitas & miſericordia erga patrem illum nobilem & pauperem, qui de tribus filiabus ſuis proſtituendis cogitabat; divino enim Nicolaum irradiante lumine, in hujus patris cor & mentem penetravit, peſſimam ejus novit cogitationem; novit etiam, quod tam immania cogitaret, quia non habebat, quo filias ſuas jam nubiles, juxta earum ſtatum & conditionem, maritaret: quare ut tanto occurreret malo, & ut afflicti parentis neceſſitati ſubveniret, noctu & clam tantum pecuniæ per feneſtram in ejus domum injecit, quantum unius virginis doti ſatis eſſet, quod cum iterum, & tertio feciſſet, tres illæ virgines honeſtis viris in matrimonium datæ ſunt; unde dici poteſt, quod in hoc caſu Sancti Nicolai manus *diſtillaverunt myrrham*: quia ſicut myrrhæ proprium eſt res integras ſervare, eaſque ne corrumpantur impedire; ita eleemoſyna, qua Nicolaus afflicti hujus patris neceſſitatem ſublevavit, fuit quaſi myrrha, quæ ejus filias peccati corruptione defendit. Vel etiam dicendum, quod in hoc caſu Nicolaus uſus ſit arte Hippomenis, de quo (forte fabuloſe) narratur, quod ut Athalantæ velociſſimum curſum retardaret, tria poma aurea ſucceſſive ei obviam projecerit, ad hoc ut illa, auri nimis avida, collectione pomorum ſuum interrumperet curſum. *Pauſan. l. 4.* Nicolaus autem, modo quodammodo ſimili, prævidens tres præfatas virgines ad corruptionem, & damnationem præcipites currere, tria poma aurea, ſeu tres crumenas pecuniis refertas jecit obviam, ut earum curſum retardaret, & totaliter ſiſteret: o miram patris ſapientiſſimi induſtriam! De Ariſtippo refert Seneca, quod cum unum ex amicis infirmum & pauperem inviſerit, crumenam denariis plenam ſecreto & induſtrie ſub ejus pulvinari poſuerit; quam cum invenit infirmus, confeſtim clamavit: *O bonam Ariſtippi adinventionem! Seneca de benef.* Clamemus ſimiliter ad Sancti Nicolai laudem, quod magna ejus ſapientia, mirabiliſque ejus fuerit adinventio ad ſubveniendum harum puellarum neceſſitatibus: *O bonam Nicolai adinventionem!*

Duos Deus in Arca aureos voluit eſſe Cherubim: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies*; voluit inſuper, quod hi duo Cherubim ſe invicem reſpicerent: *Reſpiciantque ſe mutuo*. Aurum, ex quo conflati erant duo illi Cherubini, auream proximi charitatem denotat. Hi autem Cherubim ſe mutuo reſpiciebant, quia qui proximum diligit, illum ſolicite inſpicit, ejuſque ſerio ſcrutatur neceſſitates, ut præſentibus occurrat, ut futuras præveniat. O quam paucos hujuſmodi in mundo reperire eſt Cherubinos, qui auro charitatis erga proximum fulgeant, & qui oculos pauperum neceſſitatibus apertos habeant, ut eas miſericorditer præveniant! At his Cherubinis ſimillimus fuit Nicolaus; quippe qui totus aureus extitit, ratione amoris paterni, quo erga pauperes, velut erga filios, exarſit; idemque amor, quo cor ejus ſuccendebatur, ei oculos dedit lynceos, ad prævidendas, & præveniendas eorum neceſſitates; prævidit quidem, ut diximus, prædicti patris neceſſitatem, quæ tanta erat, ut ad ei ſubveniendum filiarum ſuarum pudicitiam vendere cogitaret: ſed prævidit etiam ſæpe ſæpius quid ægrotis, quid eſurientibus, quid navigantibus, quid gregi ſuo penuria afflicto, quid miſeris multis ab ipſo longe diſtantibus, quidque aliis pluribus eſſet neceſſarium; prævidit, & paterno affectu neceſſitates prævisas prævenit, & ſublevavit. Ecce verum patrem pauperum: ſed Sanctus Nicolaus fuit etiam *exemplar Epiſcoporum*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Nicolaus fuit exemplar Epiſcoporum.

ITa in Eccleſia Mediolanenſi, fide, ſapientia, & ſanctitate effulſit S. Carolus Borromæus, ut merito vocatus ſit *exemplar vivum Prælatorum, norma Epiſcoporum*: aliud autem Epiſcoporum exemplar, Nicolaum ſcilicet Myrenſem Epiſcopum jam propono. Hunc Andreas Cretenſis *Paſtorum optimum, ac Antiſtitum gloriam. Ubi ſup.* vocat; ſed fuit etiam Epiſcoporum exemplar. 1. In vocatione ſua ad Epiſcopatum. 2. In exercitio bonorum operum. 3. In ſolicitudine gregis.

5. Ambitio eſt peſſimum vitium, quod ſæpe in corda

Digitized by Google

da etiam hominum aliunde piorum ſe diffundit, illoſque ad multa crimina pertrahit: *Sæpe quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubvertere, facit ambitio criminoſos. Ambroſ. in c. 4. Luc.* Non enim *quiſquam ſumit*, ſeu ſumere debet *ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: ad Heb. cap. 4.* Unde qui non divina vocatione, ſed cæca ambitione ducti, ad Eccleſiaſticas dignitates aſcendunt, fiunt facile criminoſi, & ut ait S. Anſelmus, explicans præfata D. Pauli verba, hi ſæpe æterna maledictione feriuntur: *Qui ſe ingerit, & propriam gloriam quærit, non ſumit honorem, ſi Pontifex aut Prælatus in Eccleſia factus fuerit; ſed gratiæ Dei rapinam facient, jus alienum uſurpat. Et ideo non accipit benedictionem, ſed maledictionem.* Hi utique accipiunt maledictionem, quia ſi pœnitentiam non egerint, iis a Deo dicetur: *Diſcedite a me maledicti.* Tali autem maledictione feriri nequibat Sanctus Nicolaus, utpote qui fuit exemplar Epiſcoporum in vocatione ſua: non enim caro & ſanguis revelaverunt illi, quod Epiſcopalem ambiret dignitatem: non ad illam adſpiravit, ut oves tonderet, & de illarum pinguedine ſaginaretur; non in ovile Myræum intravit ut lupus rapax, ſed ut Paſtor ſanctiſſimus, a Deo ad illud cuſtodiendum mirabili & inſolito modo vocatus; mortuo enim Myrenſi Epiſcopo, cum Provinciales Epiſcopi ad eligendum ſucceſſorem fuere congregati, divinitus admoniti ſunt, ut eum eligerent, qui poſtridie mane primus in Eccleſiam ingrederetur Nicolaus nomine; quod ipſi unanimi conſenſu exultantes fecerunt, renuente etiam Nicolao, qui tali ſe dignitate indignum cenſebat; illamque ſolummodo acceptavit, ut obtemperaret evidenti Dei vocationi, cui ſine peccato reſiſtere nequibat.

Lege Cæſarea ſancitur, ut in Epiſcopos eligantur, non ambitioſi, ſed qui inviti ſunt, qui cogendi ſunt, & qui veluti indigni talem honorem fugiunt: *Quæratur cogendus, qui rogatus recedat, invitatus fugiat. Profecto indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus. Lege, ſi quemquam Cod. de Epiſcop. & Cler. Apud Talamat. ſerm. de S. Leon.* Hujuſmodi utique fuit S. Nicolaus, qui cum audivit ſe eſſe electum in Epiſcopum, in corde ſuo, quaſi alter S. Leo, dixit: *Quid tam inſolitum, tam pavendum, quam labor fragili, ſublimitas humili, dignitas non merenti.* Hæ tunc fuerunt piæ cordis ejus cogitationes, quas verbis ſuis propalavit: omnibus enim quibus potuit rationibus, electoribus ſuadere conatus eſt, ſe tali indignum eſſe miniſterio, nec illud acceptavit niſi invitus; immo nec illud unquam acceptaſſet, ſi Dei vocationi reſiſtere non credidiſſet. Unde Doctor Angelicus Nicolaum omnibus ad Epiſcopatum aſpirantibus, in exemplum vocationis proponit: *Tales*, inquit, *debent aſſumi, qui non ſe ingerunt, ſed qui a Deo vocantur: ſicut patet de beato Nicolao. D. Thom. in c. 5. Ep. ad Hebr.* Fuit ergo Sanctus Nicolaus exemplar Epiſcoporum in vocatione ad Epiſcopatum, & *in exercitio bonorum operum.*

2. *Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris: S. Auguſtinus l. 19. de Civ. c. 19.* quia Epiſcopi de dignitate ſua non debent ſuperbire, ſed indeſinenter bonis operibus inſiſtere. Unde Chriſtus Apoſtolis (quorum Epiſcopi ſunt ſucceſſores) dixit, quod populis per bonorum operum exempla lucere deberent. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. Matth. 5. 16.* Et ideo etiam D. Paulus Titum Epiſcopum hortatur, ut non in aliquo ſolum, ſed in omnibus ſe præbeat exemplum bonorum operum: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum. Ad Tit. 2. 7.* Nicolaus autem in Epiſcopatu, non honorem, ſed opus & onus quæſivit: ad hanc dignitatem evectus bonis, & mirandis luxit operibus, necnon in omnibus, ubique, & ſemper ſe bonorum operum exemplar præbuit. Ipſe, ut de S. Cornelio Pontifice ait S. Cyprianus: *Epiſcopatum non poſtulavit, nec voluit, nec vi, ut ceteri quos arrogantia & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, invaſit, ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, vim paſſus eſt, Epiſcopatum coactus excepit: S. Cypr. l. 4. epiſt. 2.* ſed poſtquam ad Epiſcopalem aſſumptus eſt dignitatem, bonis, & ſuo munere dignis operibus indeſinenter vacavit. Antequam fieret Epiſcopus, jejuniis, orationibus, eleemoſynis, & piis aliis continue inſiſtebat operibus a quibus nullatenus deſtitit, cum ad Epiſcopatum fuit ſublimatus, immo ivit de virtute in virtutem, & ardentius quibuslibet pietatis operibus incumbit; jejunia ejus crebriora fuere & arctiora; ferventiores & prolixiores ejus extitere orationes, charitas in eo eluxit ardentior, humilitas profundior, paupertas gravior, ſemperque ſeipſum ad perfectius, & ſublimius bonorum operum exercitium ineundum excitabat, dicens: *O Nicolae! dignitas ad quam evectus fuiſti, a te perfectiorem requirit vitam, ut aliis ſis in exemplum bonorum operum.*

Ad ſummi Pontificis Clementis quarti laudem dici ſolet, quod *quo magis crevit dignitate; eo magis floruit ſanctitate. Gallia purpur.* Quod quidem aptiſſime Nicolao congruit; cum enim Monaſterio fuit præpoſitus, pluribus & altioribus emicuit virtutibus, quam cum eſſet homo privatus; cum deinde ex Abbate factus eſt Epiſcopus, adhuc meliora æmulatus eſt chariſmata: tunc quod potuit, inſtantes operata eſt manus ejus, tunc ad omnium virtutum faſtigium majori cum ſolicitudine contendit, tunc viliori uſus eſt veſte; tunc minus delicati eſſe cœpere cibi quibus veſcebatur, ſemel duntaxat in die deinceps comedit, & reliquo vitæ ſuæ tempore altioribus humilitatis, patientiæ, paupertatis, & omnium virtutum operibus generoſe incubuit. Unde vere dici debet exemplar Epiſcoporum in bonorum operum exercitio, ac etiam in *ſolicitudine gregis.*

3. Bonitas paſtoris non eſt ſolummodo ponderanda ex virtutibus, quibus, ut homo privatus, incumbit: ſed etiam ex iis, quas, ut Paſtor, in cura & ſolicitudine gregis ſectatur; nam *boni[illegible] Paſtoris oſtenditur, cum ſolicite [illegible], & [illegible] gem ſuum. S. B[illegible] ſerm. 1. Dom. 1. p[illegible]* gregis ſolicitudin[illegible]m Paſtorib[illegible]s animar[illegible] Deus, ita quod non ſola[illegible] ipſis, [illegible] de omnibus animab[illegible]s eorum curæ dema[illegible] tionem ſint reddituri: *Quaſi ra[illegible] animabus veſtris. Heb. [illegible] 3.* [illegible] tremendo Judicii die duplex ſubibi[illegible]

Digitized by Google

ur homo privatus, & aliud ut Paſtor: ut homo privatus, de ſeipſo: & ut Paſtor, de grege reddet rationem. *Paſtor non ſolum de ſe, ſed de grege ſibi credito rationem Paſtori Paſtorum omnium reddet. S. Proſper, lib. 1. de vita contemp. cap. 16.* Heu! quale onus Prælatis, & omnibus animarum Paſtoribus incumbit! Sed, o quanta illorum erga gregem debet eſſe ſolicitudo! Magna quidem, & o utinam tanta eſſet in quolibet Paſtore, quanta in S. Nicolao extitit! ipſe enim, exple is his quæ ad Deum ſpectabant, ſuo totus eſſe videbatur gregi, ipſe populis efficaciter prædicabat, inſtabat opportune, importune arguebat, & increpabat in omni patientia & doctrina. Ipſe ardentiſſimo accenſus zelo viduas ad continentiam, conjugatos ad caſtitatem conjugalem, avaros ad liberalitatem, iracundos ad manſuetudinem, & omnes peccatores ad veram morum converſionem hortabatur. Ipſe doctos & pios inſtituit Paſtores, qui tam corporalibus, quam ſpiritualibus gregis neceſſitatibus ſublevandis invigilarent. Ipſe quod infirmum fuit, conſolidavit; quod ægrotum extitit, ſanavit: quod contractum, alligavit, quod abjectum, reduxi, & quod perierat, quæſivit. Ipſe oves ſuo regimini creditas, verbo, orationum ſuarum ſtudio, & piæ converſationis exemplo ſolicite pavit. Ipſe ſtrenue pugnavit contra Arianos, Sabellianos, & alios multos Hæreticos gregem ſuum infeſtantes. Ipſe ſimulacrorum aras, dæmonumque ſedes evertit, Chriſto Eccleſias erexit, ac ſacra Martyrum Templa plurima extruxit. Ipſe tandem fuit Paſtor de grege ſibi credito ita ſolicitus, ut eum depinxiſſe videatur Hugo a Sancto Victore, dicens, quod Paſtor *oves agneſcit, infirmas conſolidat, ad paſcua ducit & reducit, lupos arcet, morbidas ſanat, errantes reducit, debiles portat, pereuntes requirit. Lib. 4. de proprieta rerum cap. 14.* O verum Paſtorem animarum, qui dem aliorum fuit Paſtorum exemplar, & *fuit etiam protector afflictorum.*

TERTIA PARS.

Sanctus Nicolaus fuit protector afflictorum.

REges, & Magnates in potentiæ ſuæ partem eos vocare ſolent, quos ſpeciali amore proſequuntur: *Principes amicos ſuos participes facit ejus potentiæ, qua ipſe cæteris antecellit. Plato in Georg.* Deus ipſe, qui nullius eget, quos amici ta ſua honorare dignatur, potentiæ etiam ſuæ participes efficit: & ſicut ipſe protector eſt omnium ſperantium in ſe; ita & ſibi amicis clientes ſuos protegendi poteſta em conferre ſolitus eſt. Unicum ex Dei amicis ad hujus rei confirmationem adducam, nempe S. Nicolaum, qui Dei ſubſidio fretus, protexit. 1. Navigantes horribili tempeſtate jactatos. 2. Innocentes ad mortem injuſte damnatos. 3. Infirmos variis morbis gravatos.

1. Cum die quadam Chriſtus naviculam ſimul cum Diſcipulis conſcendiſſet, magna in mari exorta eſt tempeſtas, ita ut navicula operiretur fluctibus. Tunc Apoſtoli dormientem ſuſcitavere Magiſtrum, dicentes: *Domine, ſalva nos perimus. Matth. 8.* Jeſus autem ſurgens, imperavit ventis & mari, & *facta eſt tranquillitas magna.* Quid ſimile S. Nicolao, pietatis cauſa Jeroſolymam adeunti, accidit; cum enim navim conſcendiſſet & cum aliis multis mari ſe commiſiſſet, repentina coorta eſt tempeſtas, quæ tanta fuit, ut tota pene fluctibus operiretur navis; tunc nautæ, qui Nicolai ſanctitatem prænoverant, ad eum, velut ad protectorem, cucurrerunt, clamantes: O Nicolae! in manibus tuis noſtræ ſunt ſortes: ſcimus, quod homo ſanctus ſis, quodque tempeſtatem ſedare, & nos a preſenti periculo liberare valeas, ſi velis: quare ſupplices rogamus te, quod a Deo noſtram impetres ſalutem: *Salva nos perimus.* Oravit Nicolaus, & ſubito *facta eſt tranquillitas magna in mari*, omneſque in navicula degentes, per ejus protectionem, evidens illud naufragii periculum evaſerunt. Quod & in aliis pluribus evenit caſibus, in quibus navigantes Nicolaum, & dum viveret, & poſt ejus mortem, ut potentiſſimum protectorem experti ſunt: eos enim, ut ait Andreas Cretenſis, pluries ad optatum portum, quaſi manu duxit: *O Nicolae, ad te de accedentes ad portum manu ducis. And. Cret. ubi ſup.*

Finxere Poetæ, Neptunum, Saturni & Opis filium, Deum eſſe maris. Fallebantur equidem, nam unicus eſt qui dominatur poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigat; hic autem non eſt Neptunus, ſed Chriſtus Dominus, cui ut Deo, ut creatori, & moderatori ſuo, mare fideliter obtemperat: *Venti & mare obediunt ei. Matth. 8. 27.* Quæ verba explicans Lyranus, ait, quod *ei obediant ut creatura Creatori.* At licet Deus ſolus per ſe, & ex ſe poteſtatem habeat ſupra mare, ita quod ipſe ſolus poteſtate ſibi propria, motus ejus mitigare, & tempeſtates ſedare valeat; Nicolaus tamen intravit in potentias Domini, & per poteſtatem ſibi a Deo traditam navigantibus ſubvenit, eoſque a gravibus imminentis naufragii periculis ſæpe eripit: *Qui deſcendunt mare in navibus*, inquit S. Bernardus, *ipſi viderunt opera Domini, & Nicolai per Dominum in profundo. S. Bern. ubi ſupr.* Unde ſicut S. Rochus a peſtilentia afflictis, & Sanctus Laurentius a dolore dentium laborantibus invocantur; ita & Sanctus Nicolaus navigantium patronus & protector agnoſcitur, ut enim ſubjungit Sanctus Bernardus: *Si corruſcationes fulgurant, & procellis detonantibus a ſupernis vindicta procedit, Nicolaus in patronum adſumitur, Nicolaus dulciter invocatur. Si tempeſtas ſæviens & crudelitas maris navigantibus intentantur, flebiliter exoratur ut audiat, ſupliciter invocatur ut veniat, ut eruat miſericorditer, acclamatur.* O potentiſſimum protectorem navigantium, ac etiam *innocentium ad mortem damnatorum!*

2. De ſanctiſſimo Chriſti præcurſore dicitur, quod venerit *in ſpiritu & virtute Eliæ; Luc. 1. 16.* in eodem etiam ſpiritu veniſſe videtur Nicolaus: ſimilis enim fuit Eliæ in abſtinentia, in amore ſolitudinis, in vitæ auſteritate, in paupertate, in mundi contemptu, in zelo ſalutis animarum, & libertate prædicandi: magna tamen videtur differentia Eliam inter & Nicolaum, in uſu poteſtatis ipſis a Deo commiſſæ; nam poteſtate ſibi a Deo tradita utebatur Elias ad plectendos peccatores, & Nicolaus ad protegendos innocentes. Elias terribili exardeſcens zelo, minas, terrores, & flammas adverſus

ſus

Digitized by Google

ſus iniquos ſpirabat, eoſque igne de Cælo miſſo comburi, & quaſi annihilari optabat; Nicolaus autem poteſtate ſibi a Deo data utebatur, non ad impiorum deſtructionem, ſed ad protectionem innocentium, quos a mortis faucibus pluries eripuit. Unde Andreas Cretenſis illum vocat *velociſſimum adjutorem injurias patientium, inſontes liberantem e periculis. Andr. Cret. ubi ſup.*

Cum Civitatis Myrthæ Præfectus Euſtachius tres cives ad mortem injuſtam damnaſſet, de iniqua hac ſententia admonitus fuit Nicolaus, qui ſubito ad locum ſupplicii cucurrit, ubi tres illos innocentes, velatis oculis, manibus ligatis, flexiſque genibus, feralem ictum expectantes invenit. Paraverat jam carnifex gladium, aptatus erat ad amputanda eorum capita; ſed ſicut olim Abrahamum Angelus cohibuit, ne ſupra Iſaacum ſuam extenderet manum: *Non extendas manum ſuper eum; Geneſ. 22.* ita Nicolaus, quaſi alter Angelus, enſem jam evaginatum e tortoris manibus eripuit; inſonteſque morti judicatos ab imminenti ſupplicio generoſe & religioſe liberavit, tanta cum auctoritate & majeſtate, ut præ reverentia ne unus quidem ei reſiſtere attentaverit. De aliis tribus innocentibus injuſte ab Imperatore ad mortem damnatis fertur, quod in ſomnis Imperatori apparuerit Nicolaus, quod illum acriter objurgaverit; illumque ad innocentes illos libertate donandos compulerit: unde præfatus Andreas Cretenſis Nicolaum ſic affatur: *Eos qui velint injuriam facere, cohibes, clara in ſomnis viſione ipſos Imperatores informans. Ubi ſup.* O mirandum protectorem innocentium! *ac etiam infirmorum.*

3. In Verbo Incarnato infirmitatum & neceſſitatum omnium remedium eſſe dignoſcitur: *in Verbo ſunt omnia; ibi remedium vulnerum, ibi ſubſidia neceſſitatum. S. Bern. in Cant. ſer.* 86. Verbum autem incarnatum, ſeu Chriſtus, qui poteſtatem habuit curandi omnes infirmitates, hujuſce poteſtatis Nicolaum participem effecit: quandiu enim ſanctus hic Pontifex in hoc mundo cum hominibus converſatus eſt, non animarum ſolum, ſed corporum fuit medicus, qui poteſtate ſibi data deſuper, innumeros infirmos miraculoſe ſanavit. Quæ poteſtas non ad tempus ſolum, ſed in æternum a Deo ipſi conceſſa videtur. In Sanctis pluribus hæc poteſtas ſanandi infirmos, non permanens, ſed tranſitoria fuit, quia ſimul cum ipſis mortua eſt; in Nicolao vero permanens, conſtans, & perpetua extitit, quia ipſo moriente non eſt mortua, nec languores curare ceſſavit, cum vivere deſiit: ſed etiam poſt mortem innumeros curavit infirmos, & per liquorem quemdam pretioſum & ſacrum, qui ex ejus fluit reliquiis, variis gravatos infirmitatibus adhuc curat, & ut credibile eſt, uſque ad finem ſæculorum curare non deſinet: *Crebreſcunt quotidie mirabilia, ubi requieſcit ſpiritus Dei ad memoriam militis ſui ſua continuare miracula. S. Bern. ſerm. de Sancto Nicol.*

Deus piis nonnumquam Sanctorum obſecundat inclinationibus, eorumque innatis favet propenſionibus; ſic cum D. Paulus zelo ſalutis animarum quaſi ſibi innato uteretur, Deus, ut illius faveret inclinationi, omnes qualitates, quæ perfectum efformare valent Concionatorem, ei conceſſit: *Factus ſum ego Prædicator.* Et quod mirum eſt, voluit etiam Deus, quod prædicationis donum in Paulo mortuo perſeveraret, & quod hic Gentium Doctor per Epiſtolas quas ſcripſit, & per virtutum exempla quæ reliquit, populis concionaretur: *Paulus etiam poſt mortem prædicat*, inquit Chryſoſtomus. Sic S. Nicolaus, cui ab adoleſcentia innata quædam ad infirmos, & omnes miſeros ſublevandos inerat propenſio, a Deo infirmos curandi poteſtatem obtinuit, ſed poteſtatem firmam, & conſtantem, quæ poſt ejus etiam mortem perſeverat: ejus enim reliquiæ pretioſam diſtillant myrrham, ſeu ſacrum quemdam liquorem effundunt, qui perpetuo, & ſubſiſtenti quodam miraculo, pluribus infirmis ad medelam prodeſſe non deſinit. Unde licet mortuus ſit Nicolaus, non eſt ſimul cum illo mortua poteſtas ſanandi languores: vivit enim in hoc liquore, qui eſt quaſi perpetuum medicamentum, quo mediante ſanctus ille Pontifex adhuc infirmos conſolatur, protegit, & ſanat.

O mirandum Pontificem Nicolaum, qui non ſolum pater pauperum, & exemplar Prælatorum, ſed etiam protector fuit afflictorum: *Fuit pauperum pater amantiſſimus*, qui eos ut filios adamavit: *Pater beneficus*, qui eorum miſerias ſublevavit: & *Pater ſapientiſſimus*, qui eorum neceſſitates prævenit. Fuit etiam S. Nicolaus *exemplar Epiſcoporum* in vocatione ſua ad Epiſcopatum, in exercitio bonorum operum, & in ſolicitudine gregis. Fuit tandem *protector afflictorum*, qui protexit navigantes horribili tempeſtate jactatos, innocentes ad mortem injuſte damnatos, & infirmos variis morbis gravatos.

Ecce laudes, quas ad Sancti Nicolai honorem promere fas mihi fuit. Miramini nunc N. N. ſanctum hunc Antiſtitem, in multis vere mirabilem: ſed & virtutes ejus pro viribus imitari conamini. Parum eſt, quod ejus merita & miracula laudemus, & demiremur, ſi ejus virtutes, & ſanctos mores non imitemur: oportet, quod *qui Sanctorum merita religioſa charitate miratur, quique Juſtorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores ſanctos atque juſtitiam imitetur. S. Chryſ. de Martyr.* Optarem in primis, quod eum omnes in amore, & charitate erga pauperes imitarentur. O utinam divitibus hujus ſæculi ſimilis ineſſet erga pauperes amor! utinam omnes divites eſſent pauperum patres! Sed, heu! eorum plurimi pauperum ſunt peremptores, potius quam patres: eos enim ut quietis ſuæ perturbatores, & bonorum ſuorum prædones ſæpe reſpiciunt, iiſque pluries dare renuunt quod ſine quadam immanitatis nota brutis denegare nequirent: *Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra ſupportat: Aug. tract. 6. in Joann. c. 1.* ſed pauperibus ſubveniendi Deus divitibus onus impoſuit: divitibus a Deo relicti ſunt pauperes, ut eorum neceſſitatibus occurrant: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Aug. ſerm. 25. de verb. Domin.* Pauper a divite debet petere quæ ſibi ſunt neceſſaria, & dives ad ea eroganda tenetur: *Pauperis eſt rogare, & divitis erogare.* Heu! ſi ſcirent divites, quantum a Deo amentur qui pauperes diligunt, & quanto Deus proſequatur odio eos qui pauperes oderunt;

eos

eos utique diligerent, & erga illos ſe miſericordes exhiberent. Certiſſimum eſt, quod qui facit miſericordiam, a Deo miſericordiam conſequetur: & quod judicium erit ſine miſericordia ei qui miſericordiam non fecerit: quare, o viri divitiarum, eſtote miſericordes, ut a Deo miſericordiam conſequi valeatis. Peccaſtis? Eſtote miſericordes erga pauperes, & eleemoſyna a peccatis vos liberabit: *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*. *Tob.* 4. 11. Superſunt vobis aliquæ peccatorum reliquiæ, ſeu aliquæ pœnæ exſolvendæ? eleemoſynis eas ſolvite: *Peccata tua eleemoſynis redime*. *Dan.* 4. Timetis ad tartara detrudi, & in infernum præcipitari? Facite eleemoſynam, & ipſa vos ab æterna morte liberabit: *Eleemoſyna a morte liberat*. Eleemoſyna tandem a Deo impetrabit, ut cum S. Nicolao ad æterna tabernacula perduci valeatis. *Amen*.

DE SANCTO AMBROSIO.

CONCIO UNICA.

Miniſterium tuum imple. Timoth. 4. 5.

SI ad Illuſtriſſimum Mediolanenſem Archiepiſcopum hominibus commendandum facundus quidam & diſertus requireretur Orator, meis, fateor, humeris hoc impar eſſet onus. Si ſanctiſſimi hujus Antiſtitis ſcientia, virtutes & merita artificioſis & exquiſitis ſublimis eloquentiæ floribus eſſent exornanda, mihi ipſi nunc altum indicerem ſilentium, & ingenue faterer, me neſcire loqui: *Ecce neſcio loqui*. Sed rem jam millies factam, iterum faciendam aggredior, & merita proclamanda ſuſcipio quæ a fama, veluti ſonora quadam tuba, jamdudum divulgata ſunt: ſancti enim Ambroſii fama per omnem jamdiu volavit Europam, quam ſcriptis ſuis ditavit; per univerſam diffuſa eſt Eccleſiam, quam virtutibus & meritis ſuis exornavit; & per totum diſperſa eſt terrarum orbem, cujus decus, ſidus, & quaſi Sol extitit. Quare huic ſideri novum decus, huicve Soli novam lucem afferre nec intendo, nec valeo: ſed ut in tam digna, tamque ampla dicendi materia non totaliter immuteſcam, dicam ſolummodo, quod Epiſcopale miniſterium digne impleverit Ambroſius: *Miniſterium tuum imple*. Epiſcopalem dignitatem tanti fecit ſanctus ille Antiſtes, ut eam omnibus mundi dignitatibus prætulerit: *Nihil in hoc ſæculo ſublimius Epiſcopis reperitur*. *Ambr. l. de dignit. Sacerd. cap.* 3. Ardentiſſime tamen optabat, quod quilibet Epiſcopus digne ſuum impleret miniſterium: ad hoc *ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane: ne ſit honor ſublimis & vita deformis*. *Ambroſ. ubi ſup.* Quod autem in aliis Epiſcopis deſiderabat Ambroſius, ipſe perfectiſſime poſſedit: ipſe enim digniſſime ſuum miniſterium implevit, ut videbimus, &c. *Ave*.

UT Epiſcopus digne miniſterium ſuum impleat, mores ſuos componere, hæreticos arcere, & populo ſibi credito lucere debet. Neceſſe eſt, quod Epiſcopus a ſeipſo incipiat, moreſque ſuos ita componat, ut aliis ſit in exemplum: *Teipſum præbe exemplum*. *Ad Tit.* 1. Poſtquam autem Epiſcopus mores, & vitam ſuam debite compoſuit, a grege ſuo lupos arcere, ſeu hæreticos gregem infeſtantes vitare, & exterminare debet: *Hæreticum hominem devita*. *Ad Tit.* 3. Debet tandem Epiſcopus populo ſibi commiſſo lucere, eumque pro viribus inſtruere: *Luceat lux veſtra coram hominibus*. Hæc tria qui perfecte obſervaverit, recte miniſterium ſuum implevit; & eo quis ſuum dignius adimplevit miniſterium, quo perfectius hæc executioni mandaverit. Ex quo auſpicari quiſque facile poteſt, quam digne, & quam perfecte Epiſcopale miniſterium adimpleverit ſanctus Ambroſius: ipſe namque mores ſuos ita compoſuit, ut vita ejus aliis Epiſcopis in ſpeculum exponi queat. Ipſe etiam Hæreticos ita impugnavit, ut eorum fuerit flagellum. Ipſe tandem populis ita illuxit, ut fulgentiſſimum eorum lumen extiterit. S. Ambroſius fuit 1. Speculum Prælatorum. 2. Flagellum Hæreticorum. 3. Lumen populorum. Tribus his honoris titulis clariſſime conſtabit, quam perfecte ſanctus hic Antiſtes miniſterium ſuum impleverit. *Miniſterium tuum imple*.

PRIMA PARS.

S. Ambroſius fuit Speculum Prælatorum.

DIvus Ambroſius ſe Epiſcopatu indignum, & omnium Epiſcoporum minimum eſſe arbitrabatur: *Non enim*, inquit, *dignus vocari Epiſcopus, & ſum quidem minimus omnium Epiſcoporum, & infimus meritis*. *Ambr. l.* 2. *de pænit. cap.* 8. Aliter de ſancti Ambroſii meritis ſentiebat Theodoſius Imperator, qui dicere ſolitus erat: *Solum Ambroſium novi Epiſcopum dignum eo nomine*. *Theod.* 5. *Hiſt. c.* 17. Ipſe quidem Epiſcopatu ita dignus fuit, & Epiſcopale miniſterium tam perfecte implevit ut in omnibus Prælatorum ſpeculum extiterit, & præcipue 1. In fuga dignitatum. 2. In diſpenſatione bonorum ſuorum. 3. In innocentia vitæ.

1. Epiſcopali dignitati grave onus eſt annexum: *Nomen Epiſcopi plus ſonat operis, quam honoris: quoniam Epiſcopus non tam ut præſit, quam ut proſit, eligitur*. *S. Innoc.* 3. *l.* 1. *myſter. Miſſæ c.* 6. Unde in S. Concilio Tridentino habetur, Epiſcopatum eſſe *onus Angelicis humeris formidabile*. Et ſanctus Vincentius Ferrerius ait, illud onus eſſe cuilibet importabile, niſi ſpeciali Dei auxilio adjuvetur: *Prælatio habet onus importabile, niſi Deus juvet*. Non deſunt tamen, qui ad Epiſcopalem dignitatem evehi ambiant, quia non onus, ſed honorem inſpiciunt. Vel, ut loquitur ſanctus Bernardus, quia *ſola attenditur gloria, non pæna*. *S. Bern. epiſt.* 24. *ad Epiſc. Londin.* At S. Ambroſius onus, pœnam, & pericula, quæ a dignitatibus ſunt inſeparabilia, perfecte concipiens, ad Epiſcopalem dignitatem ſublimari pro viribus recuſavit omnemque movit lapidem, ut oblato huic ſe ſubduceret honori. Audita erat, in medio eligentium cœtu, infantis vox miraculoſe formata, dicentis. *Ambroſius Epiſcopus*. Huic voci omnium electorum acceſſerant vota; gaudebat omnis populus, quod in Epiſcopum

pum eligeretur vir prudentiſſimus, qui cum inſignibus Conſularibus ad gubernandam Mediolanenſem Provinciam miſſus fuerat: ſed Ambroſius graviſſimum Prælaturæ onus extimeſcens, nil intentatum reliquit, ut illud declinaret.

De ſancto Gregorio, revera magno, narratur, quod cum totius Eccleſiæ votis in ſummum Pontificem fuerit electus, enixe efflagiravit fieri irritam electionem ſuam; quod ut nequit impetrare, diſſimulato habitu Roma excedens, in ſylva aliquandiu latuit, donec Deus columna ignea ejus latebras aperuit. *Joannes Diac. l. 2. vita S. Greg. c. 54.* O mirabilem Pontificem, qui exemplo ſuo dignitatum fugam omnes Eccleſiaſticos docet! Sed in hoc genere mirabilis etiam extitit ſanctus Ambroſius, qui non ſolum electionem ſuam irritam fieri petiit; verum, ut populum ad ſuæ electioni contradicendum moveret, nunc gravibus uſus eſt minis, nunc ſe eſſe crudelem finxit, & nunc ſuadere voluit, ſe eſſe impudicum, ac proinde tali munere indignum: ſed cum has omnes induſtrias ſibi inutiles eſſe novit, Imperatorem rogavit, ut electionem irritam faceret; quod cum impetrare minime potuiſſet, noctu ſemel & iterum clam e civitate fugit, nec non aliquandiu abſconditus delituit. Unde ſi de homine ambitioſo dicat Sidonius, quod *per fas, nefaſque creſcere affectat: S. Sidon. l. 1. Epiſt. 11. ad Montium*, videtur, quod e contra Ambroſius per fas, nefaſque decreſcere conatus ſit; dixi per nefas, quia, ut non eligeretur in Epiſcopum, finxit ſe eſſe impudicum, non bonæ famæ mulieres in ſuam inducens domum, quod quidem nefas, & malum fuiſſet, ſi Sancti hujus intentio, quod de ſe, & ex ſui natura malum erat, bonum, ſanctum, & omnibus ſæculis mirandum non effeciſſet. Viri ambitioſi Dei gloriam non reſpiciunt, ſed ſolum dignitates, quas ambiunt: *Hoc maximum habet vitium ambitioſus, quod non reſpicit Deum, ſed per fas & nefas ad dignitatem tendit. S. Anton. part. 2. tit. 3. c. 5.* Sed ſancti Ambroſii intentio ſemper fuit ſancta, ſemper Deum, & Dei gloriam reſpexit, in omnibus induſtriis ad quas ſe vertit, ut Epiſcopatui ſe ſubduceret, ſemper Dei gloriam intendit; nec illum unquam acceptaſſet, ſi Dei gloriæ voluntati contradicere non rimuiſſet. O mirabilem Prælatum, & vere ſpeculum Prælatorum in fuga dignitatum, *ac etiam in diſpenſatione bonorum temporalium.*

2. Peſſimum vitium eſt avaritia, quo innumeri, & omnes fere homines ligantur: *A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, & a Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Jerom. 6. 13.* Exitioſum illud vitium, omnium peccatorum radix & cauſa eſſe videtur: *Radix omnium malorum cupiditas. 1. Tim. 3.* Quare D. Paulus quemlibet Epiſcopum ſpecialiter hortatur, ut omnem avaritiæ ſpiritum a ſe ableget; Oportet, inquit, Epiſcopum non eſſe litigioſum: *non cupidum*; ſeu, ut explicat D. Hieronymus, oportet Epiſcopum *eſſe ſine avaritia*. Præfata etiam D. Pauli verba explanans S. Ambroſius, ait, Epiſcopum ab omni avaritia ita debere eſſe alienum, ut nulla ſuperflua ambiat, ſed ex paucis Eccleſiæ quos recipit, proventibus, quod poterit, pauperibus diſtribuat. *Penitus non ambiat, quæ intelligit eſſe ſuperflua, ſed de ipſa potius paupertate Eccleſiæ ſuæ libenter impertiat pauperibus Chriſti. Ambroſ. l. de Dign. Sacerd. c. 4.* Ecce regulam perfectionis, quam Epiſcopis præſcribit ſanctus Ambroſius, & quam ipſe perfectiſſime tenuit; poſtquam enim ad Epiſcopalem Cathedram aſcendit, non ſolum Eccleſiaſticos proventus, ſed etiam patrimonium, quod pinguiſſimum erat, in eleemoſynas, alioſque pios uſus erogavit: *Omne aurum, & argentum quod habere potuit, Eccleſiæ, vel pauperibus contulit: prædia autem, quæ habebat, donavit Eccleſiæ, ut nudus, & expeditus miles Chriſtum Dominum ſequeretur. S. Paulin. in vita S. Ambroſ.*

Sanctus Gregorius, re & nomine magnus, vult, quod *Epiſcopus longam manum habeat.* Heu! debetne Epiſcopus aliis longiorem habere manum? eam utique ita longam habere debet, ut plus quam cæteri eam ad pauperes & neceſſitatem patientes extendat, *longam manum habeat, neceſſitatem patientibus occurrat, S. Greg. l. 5. in Regiſt. ind. 14. c. 129.* Manus Epiſcopi non debent eſſe contractæ & clauſæ, ſed pauperibus apertæ & extenſæ, ut eorum neceſſitatibus provideat: *Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ providere. Hieron. epiſt. 2. ad Nepot.* Hæc eſt gloria Epiſcopi, inquit Sanctus Hieronymus, & ſi cuique diviti turpe, & indecorum eſt pecunias coacervare, & mendicantibus eleemoſynam denegare, maxime Epiſcopo; nam, ut ait ſanctus Auguſtinus, *non eſt Epiſcoporum ſervare aurum & argentum, & a ſe revocare mendicantis manum. Auguſt. cit. in Decret. 12. quæſt. 2. can. Nolo.* Hoc probe noverat Sanctus Ambroſius, qui *omne aurum & argentum, quod habere potuit, Eccleſiæ, vel pauperibus contulit.* Unde Sanctus Ambroſius talis extitit, qualem eſſe optabat quemlibet Epiſcopum S. Bruno: *Verus Epiſcopus deſiderat non aurum, non divitias, non jucunditatem ſæculi, ſed laborem utilem ſibi, & his ſupra quos intendit. S. Bruno in 1. Tim. 3.* Talis autem extitit ſanctus Ambroſius, qui pro ſalute populi ſibi crediti ſollicite laboravit, pugnando contra Hæreticos, hæreſum exſcindendo ſpinas, vivam pietatis doctrinam affatim ſeminando, & omnia boni Paſtoris munia adimplendo, utque expeditior eſſet ad laborandum pro ſalute proximi: *omne aurum & argentum quod habere potuit, eccleſiæ vel pauperibus impendit.* O non ſatis commendabilem Epiſcopum! qui vere fuit ſpeculum Prælatorum in diſpeniatione bonorum temporalium: *ac etiam in innocentia vitæ.*

3. Chriſti ſummi, & divini Pontificis innocentiam prædicat D. Paulus, dicens: *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, Hebr. 7. 26.* tantamque ejus innocentiam extitiſſe declarat, ut a peccatis, & peccatoribus totaliter elongatus fuerit: *Segregatus a peccatoribus.* O utinam huic ſimilem omnes penitus homines haberent innocentiam! Sed, væ nobis miſeris, qui in hoc mundo diu vivere non valeamus, quin in aliquod, ſaltem leve, peccatum incidamus: *Neque enim eſt homo qui non peccet. 2. Paral. 6. 36.* Unde cum dicit Apoſtolus: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. 1. Timoth. 3.* non debet intelligi, quod tanta Epiſcoporum eſſe debeat innocentia, ut non in quodque, vel minimum peccatum incidant: ſed quod tanta eſſe debeat, ut ſint bonæ famæ, & propter ali-

quod

quod grave crimen non male audiant. Et hac innocentia perfectiſſime potitus eſt Sanctus Ambroſius; ita innocens fuit, ut de aliquo crimine vere argui non potuerit; nam cujus, quæſo, criminis reus dicetur ſanctus hic Antiſtes? Dicetne quis illum fuiſſe avarum? Heu! cuncta ſua in pios impendebat. Forte quis ſuſurrabit, illum fuiſſe luxuriæ obnoxium? Sed heu! ſi credimus Hieronymo, Ambroſius virginitatem perpetuo ſervavit illæſam. Suſpicabimurne illum fuiſſe gulæ addictum? Heu! ad convivia invitatus, numquam acceſſit, & maximam ſectatus eſt abſtinentiam. De quo ergo peccato illum arguemus? Non de ſuperbia, cum humilitatis ergo, ad Eccleſiaſticas dignitates ſublimari renuerit. Non de hæreſi, cum Hæreticos fortiter confutaverit, & pro fide Catholica generoſe decertaverit. Non de vindicta, cum omnibus benefacere ſtuduerit. Non tandem de aliquo crimine, cum enim, ut in Epiſcopum non eligeretur, ſe ſceleroſum eſſe finxit, hoc populis ſuadere nequivit. Unde ſi de Juditha dicatur, tantam ejus extitiſſe innocentiam, quod non eſſet *qui loqueretur de ea verbum malum*; *Judith* 8. ita Sancti Ambroſii tanta extitiſſe videtur innocentia, ut non eſſet qui de eo loqueretur verbum malum; nec revera de eo quis verbum malum abſque injuſtitia loqui poterat, quia, ut ait Divus Bonaventura, in Ambroſio nullum peccatum, nullaque immunditia apparebat: *Fuit*, inquit, *Divus Ambroſius candor lucis æternæ, id eſt, candidus inſtar lucis æternæ, nihil habens immunditiæ. Serm. de S. Ambroſ.* Ecce in Ambroſio verum ſpeculum Prælatorum, qui fuit etiam *flagellum hæreticorum*.

SECUNDA PARS.

S. Ambroſius fuit flagellum Hæreticorum.

ATila, qui cuncta ferro, & flammis vaſtare ſolitus erat, ut omnibus terrorem incuteret, ſe *flagellum Dei* nuncupabat; flagellum etiam Dei S. Ambroſium fuiſſe dicam, non quidem flagellum, quo Deus uſus eſt ad profliganda regna, & ad crudelia multa perpetranda, ſed fuit flagellum Dei adverſus Hæreticos, ſeu flagellum Hæreticorum, quod eorum 1. Potentiam compreſſit. 2. Audaciam coercuit. 3. Sectas diſſipavit.

1. Hæretici, ab iis qui ad eorum converſionem non ſunt miſſi, ſummo ſtudio ſunt vitandi: tum quia parvum omnino, & undequaque corruptum animum habent: tum quia, ut ait Bernardus, homo Hæreticus eſt *inimicus crucis Chriſti*, *ſeminator diſcordiæ*, *fabricator ſchiſmatum*, *turbator pacis*, *unitatis diviſor*; *Epiſt. 195. ad Epiſcopum Conſtantinop.* ſed ob hoc maxime vitandi ſunt, quod maligna ſua doctrina, eos cum quibus converſantur, decipere feſtinent. Hi ſunt ſerpentes venenati, qui undique ſerpunt, & omnes quibus ſe affricant, veneno ſuo intoxicare conantur, & eos præcipue, qui ſunt divites, & potentes in ſæculo, quorum animos, & benevolentiam ſibi conciliare contendunt, ut eorum auctoritate fulti, ſi rationibus, & argumentis vincere non valeant, ſaltem minis & tormentis terreant; immo & ut eorum auctoritate freti, impune trucident quos ad ſectas ſuas adducere non valent: *Solent*, inquit Bernardus, *ſibi allicere blandis ſermonibus, & ſimulatione virtutum, divites, & potentes, juxta illud: Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Ibidem.* Fraudulento hoc artificio uſi ſunt Hæretici, ut de Sancto Ambroſio triumpharent; divitum multorum & hominum auctoritatem habentium ſibi conciliarunt animos, & præcipue Imperatricis Juſtinæ, quæ adverſus ſanctum Pontificem ſæviebat, ejuſque libertati Evangelicæ adverſabatur. At ille, Hæreticorum potentia non timuit, eorumque minas parvipendit: ſic enim alloquitur aliquem ex hujus farinæ hominibus, qui ei mortem minabatur: *Minas tuas non timeo: carnem enim occidere potes, animam autem non potes. Ambroſ. Epiſt.* 14. Ipſe cum Dei agebatur gloria, omnis penitus formidinis erat inſcius, ignis, gladius, beſtiæ, & ungulæ carnes lacerantes, voluptati potius ipſi fuiſſent, quam terrori: unde pio voto dicebat: *Utinam Deus avertat hoſtes ab Eccleſia & in me omnia tela convertat, ut meo ſanguine ſitim ſuam expleant. Ubi ſupra.*

Ecce Antiſtitem vere intrepidum, & impavidum, cum res Dei agitur: quid ergo Diœceſis ſuæ Hæreticis proderit, adverſus illum divites, & potentes armare? Eorum forte minis terrebitur, fietque tamquam canis mutus non valens latrare? Abſit hoc a tam generoſo Pontifice, qui trepidare non novit; accedat Imperatrix Juſtina, in ipſum ſpumans minarum, & cædis; veniant Arianorum, Priſcillianorum, Novatianorum, & aliarum ſectarum capita, & protectores; inſurgant contra ipſum ſatellites, exercituum Duces, & Imperatores: tantum abeſt, quod eorum minas, potentiam, & ſævitiam metuat, quinimmo ipſorum, & omnium Hæreticorum potentiam contemnit, & comprimit. Videte quomodo Jovinianum ab Italia expellit; quomodo Priſcillianum Hæreſiarcham ad ſe venientem rejecit: quomodo interdictionis pœnam Valentiniano Imperatori comminatur, ſi idola reſtituendi facultatem concedat. Videte tandem quomodo Juſtinæ potentiam compreſſit: ipſa, cum eſſet imperatrix, auctoritate ſua, Eccleſiæ Sirmienſi, Paſtore ſuo orbata, Arianum Antiſtitem dari curavit; ſed Ambroſius, invita Juſtina Auguſta, Avennium, virum orthodoxum, ejuſque civitatis Epiſcopum conſtituit. Eidem Juſtinæ aliquam Arianis Eccleſiam tradere volenti, fortiter obſtitit Ambroſius, & prævaluit. Dum tandem necari tentaretur a Juſtina, ipſe ei ſemper conſtantiſſime reſtitit, & de ea triumphavit. Unde Ambroſius in medio Hæreticorum fuit quaſi alter Judas Machabæus, qui *ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis*. 1. *Mach.* 3. 4. ſeu, ut explicat Lytanus, *quaſi leo fuit, cujus rugitu terrentur beſtiæ, & fiunt ſtupidæ, ſic gentis idololatræ audito nomine Judæ*. Cur non idipſum dicemus de S. Ambroſio, qui tantum abeſt, quod hæreticorum potentia territus ſit; quin contra quaſi leo fortiſſimus, rugitu ſuo Hæreticos terruit, eorumque potentiam debilitavit, & compreſſit? Sed *eorum etiam audaciam coercuit*.

2. Hæretici audaces, & impudentes eſſe ſolent, ſub pelle ovina animam operiunt leoninam: ſpeciem

Digitized by Google

ciem quandam pietatis præſerunt; ſed hypocritarum more, boni non eſſe, ſed videri ſtudent. Sæpe exterius videntur agni, & ſemper exterius ſunt lupi rapaces; vel, ut ait S. Auguſtinus, ſunt *lupi ſemitarii induti ovina pelle: Aug. de Cantico novo c. 4. tom. 9.* interna tamen eorum malitia pluries ad extra manifeſtatur, & præſertim cum de ſtabilienda, vel propugnanda ſua ſecta agitur: ipſi enim tunc ſunt canes impudentiſſimi, qui audacter, & temerarie omnia petunt, omniaque moliuntur, quæ pravæ ſuæ intentioni ſuffragari arbitrantur. Hanc eorum eſſe audaciam adnotavit Apoſtolorum Princeps, dicens, quod hi *poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, non metuunt introducere blaſphemantes. 2. Pet. 2. 10.* Hujuſmodi erat vita, & audacia, vel potius impudentia Hæreticorum, qui tempore divi Ambroſii in Italia vigebant: erant omnes amantes ſemetipſos, abdomini, & concupiſcentiæ carnis erant dediti; eorum aliqui pœnitentiam, alii jejunium, & alii virginitatem averſabantur, & damnabant. Obſcœni illi ſatanæ filii dominationem ſpernebant, & poteſtati, ſive Eccleſiaſticæ & ſpirituali, ſive civili & temporali, ſubdi renuebant; ſed effræno ſectas ſuas inducendi, & firmandi deſiderio ducti, audacter, & impudenter petebant, & moliebantur quidquid votis ſuis favere auſpicabantur. Alii ſanctas Catholicorum Eccleſias, ut ex iis imaginariæ ſuæ Religionis delubra, vel potius ſectæ ſuæ fortilitia conficerent, petulanter ſibi dari poſtulabant. Alii majori cum audacia ad dignitates Pontificias ſublimari contendebant. Alii ſe ſolos veros Catholicos proclamabant, & ut tales ab Imperatoribus, & ſummis Pontificibus agnoſci, & recipi impudenter petebant. Aſt S. Ambroſius iis ſemper & ubique fortiter reſtitit, & eorum audaciam ita generoſe coercuit, ut ejus hac in parte generoſitatem explicare non valeamus: *Quis ſufficienter dicat, quam conſtanter Ambroſius Hæreticis reſtiterit, quam lucide hæreſes confuderit? S. Bonav. ſerm. de S. Ambr.* Certe hoc nullus explicare valeret. Videtur, quod nunc maxime Ambroſius leonis naturam induerit: *Epiſcopus*, inquit S. Bonaventura, *debet eſſe leo fortiſſimus, ut ad nullius paveat occurſum. In c. 6. Luc.* Ambroſius autem, quaſi leo generoſiſſimus, non ſolum Hæreticorum potentiam confregit, ſed eorum etiam audaciam ita coercuit, ut quam generoſus in hac expeditione fuerit, explicari non valeat: *Quis ſufficienter dicat?* Sed eorum etiam *ſectas diſſipavit.*

3. Cum in Archiepiſcopum Mediolanenſem electus fuit S. Ambroſius, variis Hæreticorum ſectis univerſa Mediolanenſis Diœceſis, immo & tota Italia infeſtabatur: *Terra Mediolanenſis frugifera, converſa erat Ambroſie in ſalſuginem a malitia Hæreticorum habitantium in ea; tota etiam in Italia erat ſqualens, Horrenſque deſertum ſpinis obſitum, invium, feris* (id eſt Hæreticis) *tantummodo pervium.* Ibi triumphabant Ariani, ibi Priſcillianiſtæ, ibi varii aliarum ſectarum Hæretici florebant; immo, & ibi nonnulli Gentiles idolis incenſa adolebant: Sed adveniens D. Ambroſius, feras peſſimas, ſeu Hæreticos totam infeſtantes Italiam fugavit, ſpinas hæreſum avulſit, errores extinxit, & tamquam flagellum a Deo miſſum, ita hæreticorum ſectas diſſipavit, ut omnem Italiam ad veram Chriſti fidem converterit: *Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur. S. Hier. in Chron. ann. 11. Val. Imperat.*

Zorobabel a Rege Cyro miſſus, loca ſancta purgavit, templum reſtituit, & altare reædificavit, ut Altiſſimo holocauſta medullata offerrentur: *Surrexit Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Iſrael, ut offerrent in eo holocautomata.* D. Ambroſius ad Epiſcopatum Mediolanenſem ſublimatus, quaſi alter Zorobabel, opportune a Deo miſſus, loca ſacra ab Hæreticis profanata purgavit, templa diruta reſtituit, altaria ſolo æquata reædificavit, Altiſſimo ſacrificia offerri curavit, & graſſantes undique errores expulit, Hæreticorumque ſectas ita diſſipavit, ut avitam Chriſti fidem, jam ab aliquo tempore multis in locis exulem, feliciter revocaverit, totamque Italiam ad veram Chriſti fidem converterit: *Mediolani Ambroſio Epiſcopo conſtituto, omnis ad fidem rectam Italia convertitur:* Ecce quomodo S. Ambroſius fuit flagellum Hæreticorum; ſed fuit etiam *lumen populorum.*

TERTIA PARS.

Sanctus Ambroſius fuit lumen populorum.

SIcut Sol omnium lumen eſt populorum, omnibuſque, ſive piis, ſive impiis, illuceſcit; ita, inquit Doctor Seraphicus, *inſtar ſolis, omnibus lumen præſtat Ambroſius, omnibuſque lucet, magnis & parvis, Catholicis & Hæreticis, peccatoribus & juſtis. D. Bonav. ubi ſup.* Et revera lumen populorum dici debet S. Ambroſius, quia populis illuxit 1. Libris quos compoſuit. 2. Prædicationibus quas habuit. 3. Virtutibus quibus floruit.

1. Optime dixit Sapiens, Solem ſuo lumine cuncta reſpicere: *Sol illuminans per omnia reſpexit; Eccl. 42. 16.* quæ verba varias ob rationes D. Ambroſio conveniunt, & in primis ratione librorum quos compoſuit, quibus cunctis pene illuxit populis; hos typis mandari curavit Roma, illos ſummo affectu tota apperiit Italia, eos omnis demirata eſt Europa, *illoſque magno authoritatis præconio ſancta Mater Eccleſia confirmavit. Trithem. Abb.* Eos plurimum laudat Doctor mellifluus S. Bernardus, iiſque ad dictorum ſuorum confirmationem uſi ſunt duo Eccleſiæ lumina SS. Auguſtinus, & Hieronymus, quorum ultimus ait, quod Ambroſii *omnes ſententiæ fidei, & Eccleſiæ, & omnium virtutum ſunt columnæ, Hieron. de 12. Doct.* & D. Auguſtinus aſſerit, Ambroſium *de humilibus ſubmiſſe loqui, de mediocribus temperate, de magnis ſublimiter, pro rerum varietate, ac dignitate, ſed arguta, & ſuccincta brevium ſententiarum copia.* Addam ex Abbate Trithemio, quod S. Ambroſius *in divinis Scripturis, atque in ſæcularibus Literis omnium facile doctiſſimus, Græco atque Latino ſermone ad perfectum inſtructus, in exponendis, declarandiſque divinis Scripturis omnes Doctores vicit.* Ecce qualia fuere ſcripta, qualeſque libri S. Ambroſii, quibus, doctis & indoctis, Hæreticis & Catholicis, juſtis

& peccatoribus, necnon cunctis ſere hominibus illuxit.

Luculenter dixit Tertullianus, quod *Cœlum luminibus floret*: *Tertull. l. 4. adverſ. Marc. 42.* quod intelligi poteſt, non ſolum de cælo empyreo, in quo *fulgebunt juſti ſicut Sol in conſpectu Dei*; nec etiam ſolum de firmamento, in quo innumeræ rutilant ſtellæ; verum & de Eccleſia, quæ eſt cælum myſticum, in quo tot ſunt lumina, quot Doctores, qui eam ſcriptis ſuis illuſtrarunt. Inter prima autem Eccleſiæ lumina agnoſcitur D. Ambroſius, qui ſcriptis ſuis illuxit juvenibus, quos mundi contemptum docet in libro *de fuga ſæculi*; puellis, quibus virginitatis amorem inſpirat in libris *de Virginibus*; viduis, quas ad continentiam allicit in libro *de viduis*; Sacerdotibus, quos perfectiſſime inſtruit in libro *de inſtructione Sacerdotum*. Illuxit etiam Paſtoribus, & peccatoribus in libris *de cura Paſtorali, & de Pœnitentia*. Alios tandem multos compoſuit libros, quibus omnis generis, & conditionis hominibus mirum in modum affulſit. Unde dici poſſet, quod S. Ambroſius ratione librorum quos compoſuit, ſit *lucerna lucens*; quia iis mirabiliter hominum mentes illuminat. At ſi Ambroſius illuxit populis per libros, quos compoſuit, iis etiam illuxit *prædicationibus, quas ad populum habuit*.

2. Tria ſunt prædicatorum genera, inquit Hugo Cardinalis. *Primi male vivunt, & male docent. Secundi bene docent, ſed male vivunt. Tertii bene vivunt, & bene docent. Hugo ſuper Gen. c. 37.* Hi qui *male vivunt, & male docent*, tenebræ potius quam lux dici debent: quia ſuper populos tenebras, & non lucem diffundunt. Qui *bene docent, & male vivunt*, verbis lucent, non operibus, & quæ verbis ſuis facienda eſſe docent, operibus ſuis non eſſe facienda ſuadent. Qui tandem *bene vivunt, & bene docent*, ſunt vera mundi lumina, quia populis per ſuas prædicationes vere illuceſcunt, & de iſtis ultimis vere dici poteſt, quod ſint lux mundi, & quod per prædicationem, & declarationem ſermonum Dei homines illuminent: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*. Sed hoc potiſſimum dicamus de S. Ambroſio, qui cum ſanctiſſime viveret, & aſſidue ferventibus prædicationibus faciendis inſiſteret, innumeros omnis generis homines illuminavit. Unde de eo dixit Doctor Seraphicus, quod fuerit lux ſe cunctis varie communicans, & præcipue per prædicationes ſuas, quæ ita fuere efficaces, ut quot ſuis concionibus peccatores converterit, dici nequeat: *Quis ſufficienter dicat, quam fideliter, & prudenter Sanctus hic docuerit, & quantos prædicando converterit? D. Bon. ubi ſup.* Sanctus ille Antiſtes ad prædicandum populo ex officio, & ex præcepto teneri ſe arbitrabatur: *Nos*, inquit, *quibus verbis divina credita eſt diſpenſatio, & qui gregem Chriſti alendum, nutriendumque ſuſcepimus, non ſine ingenti periculo nos credimus evaſuros, ſi non ſecundum hunc modum vivamus, aut etiam ſi minime prædicemus, & licet ad hæc prædicanda nos retardet hujus vitæ improbitas, invitat nos tamen præcepti neceſſitas. Et væ mihi ſi minime prædicavero. Ambr. L. de dign. Sacerd. c. 1.* Quare, cum S. Ambroſius ex præcepto, & ſub damnationis æternæ periculo, ad prædicandum populum ſe teneri cenſeret, ſingulis diebus Dominicis, & ſæpe etiam aliis diebus concionabatur, ſuarumque concionum ita felix erat ſucceſſus, ut multos in peccatorum ſuorum tenebris, & in umbra mortis ſedentes, illuminaverit, necnon innumeros ad Deum converterit: *Quis ſufficienter dicat, quantos prædicando converterit?* Scimus, quod D. Auguſtinum Doctorum aquilam, ſuis concionibus illuminaverit S. Ambroſius, illum concionantem frequens audiebat Auguſtinus ante ſuam converſionem: *Sæpe*, inquit, *in popularibus ſermonibus ſuis Ambroſium lætus audiebam. Aug. l. 6. conf. c. 3.* Ambroſium audiebat, & ſermonibus ejus illuminabatur; verba Ambroſii prædicantis erant quaſi faces, quibus illuſtrabatur Auguſtinus, & ab errorum ſuorum tenebris revocabatur. At non ſolum D. Auguſtinum, verum & innumeros alios ſuis prædicationibus illuſtravit Ambroſius: *Quis ſufficienter dicat, quantos prædicando converterit?* Sed populis illuxit etiam S. Ambroſius *virtutibus quibus floruit*.

3. Epiſcopum, qui populo ſibi credito virtutibus non illuceſcit, quid monſtruoſum eſſe cenſet D. Bernardus; *Monſtruoſa res, gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima. S. Bern. l. 2. de conſid.* Nec una, aut altera, ſed pluribus virtutibus florere debent Epiſcopi, ut ait S. Antoninus: *Multis virtutibus debet ſplendere vita Pontificis, ut gradui conferat ſplendorem. S. Anton. part. 1. tit. 3. c. 7.* Virtutes etiam Epiſcopi non debent eſſe communes, & repentes, ſed ſublimes, & heroicæ, ſeu illas in gradu perfecto, & ſublimi ſectari debet, inquit S. Gregorius: *Dignitas Epiſcopi non conſtat in ambitione culminis, ſed in ſublimitate virtutis. S. Greg. L. 5. in 1. Reg. 1.* O mirabilem Epiſcopum Ambroſium; qui ſupra Eccleſiæ candelabrum poſitus, multis, hiſque ſublimibus, populo ſuo illuxit virtutibus, quibus indeſinenter incubuit; charitas ejus fuit ardentiſſima; indefeſſus ſalutis animarum zelus, vigilia circa gregem continua, non ſatis laudabilis ejus patientia in adverſis, generoſitas illius ad ardua ſuſcipienda intrepida ſimul fuit & religioſa; magnanimitas in eo profundæ fuit humilitati adjuncta; ejus abſtinentia fuit cum prudenti moderatione rigida, mortificationes ejus graves fuere, ejuſque orationes aſſiduæ extitere; unde de ipſo vere dici poteſt, quod multis, & magnis virtutibus populo illuxerit: *iſte eſt qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt*.

Dicebat S. Ambroſius *Epiſt. 82.* quod *in Epiſcopo vita formatur omnium*; quare primus ipſe vitam ſuam formavit; nam ad Epiſcopalem evectus dignitatem, relicta rerum domeſticarum cura, ipſe totum ſe ſpiritualibus negotiis mancipavit, ſacrificium quotidie, ſumma prævia animi præparatione, celebravit, quolibet die Dominico in Eccleſia concionatus eſt, pœnitentium confeſſiones magno motus commiſerationis affectu aſſidue audivit, lites tamquam æquiſſimus arbiter frequentiſſime compoſuit, proprium corpus tanta diſciplina coercuit, ut continuo illud jejunio afflictarit, magnis, & arduis totius Eccleſiæ negotiis ſumma cum religione indeſinenter vacavit. Tanta ejus fuit humilitas, ut ſe Epiſcoporum minimum, & Epiſcopatu indignum judicaret; tanta ejus liberalitas, ut diceret: *Omnia, quæ mea ſunt,*

ſunt, *pauperum ſunt*, tam conſtans, & generoſa ejus extitit fides, ut aſſeruerit, quod prius ei auferetur anima, quam fides; charitatem qua ardebat, ſatis ſuperque manifeſtarunt lacrymæ, quas pluties pro aliorum culpis abundantiſſime fudit. Mirabilis in omnibus fuit ejus zelus & præcipue in tuitione Eccleſiaſticæ libertatis, & in expellendo ab Eccleſia Theodoſio Imperatore. Alias multas ejus virtutes taceo, quæ omnes magnæ ſunt; in magno enim Ambroſio omnes virtutes fuere magnæ: *Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt*.

Miramini ſanctum hunc Epiſcopum, qui vere miniſterium ſuum implevit, cum fuerit ſpeculum Epiſcoporum, flagellum Hæreticorum, & lumen populorum: *Speculum fuit Epiſcoporum* in fuga dignitatum, in diſpenſatione bonorum ſuorum, & in innocentia vitæ: *Fuit flagellum Hæreticorum*. Qui eorum ſectas diſſipavit, eorumque audaciam coercuit. Fuit tandem *lumen populorum*, quia populis illuxit libris quos compoſuit, prædicationibus quas habuit, & virtutibus quibus floruit.

Ecce Pontificem, qui veriſſime, & perfectiſſime miniſterium ſuum implevit. O utinam omnes penitus homines ſic ſuum miniſterium implerent! o Sacerdos, o Religioſe, o Mercator, o vos omnes, quot in hoc mundo vivitis, attendite quod ſit miniſterium veſtrum, videte ad quod miniſterium a Deo vocati ſitis, ſedulo inquirite, & probate quid a vobis Deus exigat: *Probetis quæ ſit voluntas Dei bona, ac beneplacens & perfecta*: *Coloſſ*. 8. agnita autem Dei voluntate, ei adimplendæ inſiſtite; poſtquam noveritis ad quod Deus vos miniſterium vocavit, illud ſollicite, & perfecte adimplete. O Sacerdos, ea fac quæ veri Sacerdotis ſunt! o Religioſe, ea adimple quæ ſtatum tuum ſpectant! o Judex, o Medice, tu qualiſcumque ſtatus, & conditionis eſſe poſſis, adimple perfectiſſime quæcumque ad miniſterium tuum pertinent. Philoſophia Chriſtiana hæc eſt: digne ambulare vocatione, qua vocati ſumus; ſeu, quod idem eſt, miniſterium noſtrum implere, hæc eſt vitæ ſpiritualis compendioſa ſumma, & in tremendo judicii die non a nobis inquiret Deus, an mortuos ſuſcitaverimus, an montes ex uno loco in alium tranſtulerimus, vel alia miracula fecerimus: ſed an miniſterium noſtrum impleverimus. Non quæret etiam Deus a Sacerdote ſæculari, an vitam eremiticam ſectatus ſit; nec a Judice, vel Medico poſtulabit, an Ordinis cujuſdam regularis ſtatuta obſervaverit: ſed a Sacerdotibus, a Judicibus, & a cunctis hominibus exquiret, an ipſi vocanti obtemperaverint, & an in ſtatu, ad quem vocati fuerant, miniſterium ſuum impleverint; hos autem ſervos, qui ſuum non impleverint miniſterium, mittet in tenebras exteriores: *Mittite eum in tenebras exteriores*. *Matth*. 25. 13. Cuique autem illorum, qui pie & perfecte miniſterium ſuum impleverint, dicet Deus: *Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui*. Eſtote ergo fideles in adimplendo miniſterio veſtro, ut aliquando in gaudium Domini intretis, & æternam beatitudinem obtineatis. *Amen*.

DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO PRIMA.

Quæ eſt iſta? Cant. 6.

SI cuncta totius vitæ Marianæ momenta ponderare, penetrare, & oratorio ſermone illuſtrare liceret, ne unicum totius vitæ ejus inveniretur inſtans, in cujus elogia facundus Orator erumpere non valeret: quippe quæ ſingulis quibus in hoc mundo vixit momentis, mente, corde, tota denique anima mirabiliter Deo placuit, eique charitatis ardentiſſimæ vinculo perfectiſſime unita fuit. Aſt feliciſſimum Conceptionis momentum, in quo puriſſima ejus anima corpori fuit infuſa, ſpecialioribus dignum videtur encomiis, cunctiſque hodie Concionatoribus ampliſſimam, & ſubtiliſſimam dicendi materiam ſubminiſtrat. Verum quidem eſt, quod ſacrum illud Marianæ Conceptionis inſtans fuerit quaſi abyſſus, antiquioribus ſacræ Theologiæ Magiſtris impenetrabilis, illud momentum perfecte noſſe, non eorum erat: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta*; illius momenti plenior, & perfectior notitia Doctori ſubtili, & aliis qui poſt ipſum floruerunt, Doctoribus reſervata fuiſſe videtur: Hi abditiſſimum illud myſterium ſcrutati ſunt, & innumeris argumentis Mariam in Conceptione ſua originale peccatum non contraxiſſe probarunt. In adducendis eorum argumentis non immorabor, ſed ſolummodo Dei Genitricem in inſtanti Conceptionis ſuæ conſiderabo, laudabo, & mirabilem prædicabo; quod fiet explicando, quæ & qualis in hoc momento Maria extiterit: *Quæ eſt iſta*, &c. *Ave*.

DEum, Adamum, & Joachim Beatæ Virginis Mariæ patres extitiſſe cuncti fatentur. Deus ejus fuit pater creatione, Adamus origine, & Joachim generatione. Deus fuit *Mariæ* pater, cum communis omnium penitus hominum ſit pater: *Unus eſt pater veſter*. *Matth*. 23. 9. Adamus fuit ejus pater, cum omnes ab eo, ut ab hominum primo, proceſſerint; *Adam enim primus formatus eſt*. 1. *Timoth*. 2. 13. Joachim tandem ejus pater extitit, cum a Sanctis Joachim & Anna fuerit genita. *Fructum hujuſmodi germinaverunt*. *S. Epiph. Orat. de laudib. Virg.* Unde, ſi quæratur, quæ & qualis Maria ipſo ſuæ conceptionis inſtanti fuerit; *Quæ eſt iſta?* omnes une ore reſpondebunt, quod in illo momento Dei Adami, & Joachim filia fuerit. Sed quis forte dicere poſſet: Verum eſt, quod Maria in primo Conceptionis ſuæ momento fuerit Adami filia, ſed identidem fuit & hæres criminis ipſius, verum eſt etiam, quod in eo inſtanti Maria fuerit Dei filia, ſed & fuit etiam ejus inimica, ejuſque gratia totaliter orbata; verum eſt tandem, quod in hoc momento Maria Joachim filia extiterit, ſed ex tunc fuit etiam miſeriarum & infortuniorum ejus particeps. Heu! Si ſic res ſe haberent, quam infelix, & quam miſera extitiſſet Maria in ſuæ Conce-

ceptionis momento? Fauſtiora de illa penſemus, glorioſiora de illa ſentiamus. Fateor quidem, quod hæc in eo inſtanti Adami, Dei, & Joachim filia extiterit, ſed fuit 1. *Filia Adami*, quin criminis ejus fuerit hæres. 2. *Filia Dei*, quin ejus gratia fuerit privata. 3. *Filia Joachim*, quin ejus miſeriarum fuerit particeps. En tres hujus Orationis partes, quibus dignoſcere quiſque poterit, quæ & qualis in Conceptionis ſuæ momento Maria extiterit; *Quæ eſt iſta?*

PRIMA PARS.

Maria in ſuæ Conceptionis momento fuit filia Adami, quin criminis ejus fuerit hæres.

ADamus eſt communis omnium hominum pater, ex eo, ut protoparente, cuncti deſcendunt, ex eo Chriſtus etiam, & Maria, non ſecus ac alii homines, originem duxere, cum hac tamen differentia, quod alii ita Adami ſint filii, ut ſint etiam criminis ejus hæredes: *Si filii & hæredes*, *Rom.* 8. At Chriſtus & Maria tam probroſam non ſunt nacti hæreditatem; non quidem Chriſtus, qui cum Deus eſſet, nulla cujuslibet peccati macula denigrari poterat; non etiam Maria, quæ Adamatici ſceleris rea & hæres eſſe nequibat, cum in hunc mundum veneric, ut eſſet Mater Dei ſui, Creatoris ſui, & Redemptoris ſui, ut eſſet Mater 1. *Dei ſui*; qui eam elegit. 2. *Creatoris ſui*, qui eam formavit. 3. *Redemptoris ſui*, *qui* eam redemit.

1. Cum Chriſtus, ut Verbum, ab æterno incarnari ſtatuerit, decrevit identidem in S. Mariæ Virginis utero carnem aſſumere, eam prælegit in matrem, ex tunc hæc ei ita placuit, ut ejus humilitatem, virginitatem, aliaſque virtutes proſpiciens, illam in parentem futuram ſelegerit: *Elegit eam Deus, & prælegit eam.* Non fortuito factum eſt, quod Maria Chriſti Mater extiterit, non forte & caſu hoc evenit, ſed ex divina prælectione: *Beata Virgo fuit electa divinitus, ut eſſet Mater Dei. D. Thom.* 3. *p. q.* 27. *art.* 4. *in Opusc.* Quare cum Chriſtus Dominus eam in matrem elegerit, quis eam peccatricem, & infelicem Adamatici ſceleris hæredem fuiſſe, rationabiliter aſſerere poſſet? Non eſt, quod talia ſentiamus, ut enim ait Petrus Damianus, *Chriſtus Matrem talem ſibi elegit, qualem meruit habere, de qua non erubeſceret. Petr. Damian.* Et non ſolum talem ſibi elegit, de qua non erubeſceret, ſed etiam talem, quæ ipſum deceret; *Talem ſibi ſcivit eligere, qualem & ſe decere ſciebat. D. Bern. serm.* 2. *ſuper Miſſus.* Dicat nunc quis, an Chriſtum deceret, in Matrem elegiſſe filiam ſceleroſam, originalis criminis ream, & Adamitici ſceleris hæredem? Non deceret quidem, ſed eum plurimum dedeceret, & ex hoc ei maximus erubeſcendi locus ineſſet. Velim, quod Maria unico dumtaxat momento communis hujus criminis rea, & Adamitici ſceleris hæres extiterit; momentanea tamen hæc infamiæ nota in omnia Marianæ vitæ momenta aliquo modo reſpergeretur, & ſemper vere de Maria diceretur, quod in aliquo vitæ ſuæ momento fuerit peccatrix, & Dei inimica. Sicut enim urbi Romæ æternum erit dedecus, quod a ſuo principio fraterna fuerit cæde fœdata. *Hoc dedecus nunquam haſtenus consequens poſteritatis gloria potuit delere; Tit. Liv.* ita, ſi Maria ab inſtanti Conceptionis originali peccato fœdata fuiſſet, ignominia, quam in hoc momento contraxiſſet, fuiſſet indelebilis, & æternum perſeveraſſet. Quæ autem, quæſo, Chriſto ineſſet gloria, quis ei honor, quod talem ſibi elegiſſet Matrem? Non honor quidem, ſed magnum dedecus, & maxima ignominiæ, & confuſionis cauſa, quia ei homines, vel etiam dæmones exprobrare potuiſſent, quod conceptus fuerit in ſinu peccatricis; & ſicut Judæi de ipſo dicebant: *Nonne hic eſt fabri filius? Matth.* 13. 55. Ita & dæmones jactanter, ei dicere potuiſſent; Nonne tu es filius Mariæ, quæ originali peccato fuit fœdata? Nonne tu es filius hujus puellæ, quæ fuit ſerva noſtra, & quæ fuit Adamitici ſceleris hæres? Scimus, quod tu illam Angelorum Reginam, Imperatricem hominum, Patris Æterni filiam, & Spiritus Sancti ſponſam eſſe proclames, ſed tamen fatendum, quod aliquando nobis fuerit mancipata, & quod, non ſecus ac alii homines, ipſa criminis Adamatici hæres fuerit. Heu quanto cum rubore talia audiſſet Chriſtus! Certe tunc magna ei infuiſſet erubeſcendi cauſa, ex hoc quod talem ſibi elegiſſet Matrem: quare non eſt, quod credamus, Mariam in Conceptionis ſuæ momento Adamitici criminis hæredem extitiſſe, cum fuerit Mater Dei ſui, qui eam in Matrem elegit.

Doctor Angelicus in ſua ſumma docuit, quod cum Chriſtus Mariam in Matrem ſibi elegerit, non eſt dubitandum, quin eam ad hoc miniſterium idoneam reddiderit; *Quia illos, quos Deus ad aliquod elegit, ita præparat & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei: Ubi ſup.* Maria autem, inquit, non idonea fuiſſet Chriſti Mater, ſi peccaſſet aliquantulum, ſed ſi unicum peccatum, etiam veniale, perpetraſſet: quia *ignominia Matris ad Filium redundaſſet*. Peccatum veniale, quantumvis leve, eſt ſemper animæ macula, Dei offenſa, & aliqua ignominiæ nota; ſi autem tali quodam peccato Maria ſe coinquinaſſet, idonea non fuiſſet, ut eſſet Mater Chriſti: quia talis *ignominia Matris ad Filium redundaſſet*, & ſemper vere dici potuiſſet, quod Chriſtus ſibi elegiſſet Matrem peccatricem; ac proinde inquit D. Thomas, Maria nullum unquam commiſit peccatum veniale, cum illam Chriſtus in Matrem elegerit. Demiror illud Doctoris Angelici principium; ſed ex illo a fortiori infero, quod Maria Adamatici ſceleris hæres nunquam fuerit: quia ſi hæc peccatum originale contraxiſſet, non fuiſſet idonea Chriſti Mater: nam *ignominia Matris ad Filium redundaſſet*. Majorem procul dubio turpitudinem, majoremque ignominiam ingerit peccatum originale, quam peccatum veniale; peccatum enim originale tollit gratiam, a Deo ſeparat, animæ necem infert, jure ad beatitudinem privat, & dæmonis ſervituti ſubdit: quos omnes malignos effectus non cauſat peccatum veniale; ac proinde gravius, & turpius eſt, peccato originali, quam peccato veniali inquinari, & ſi Maria peccatum originalem contraxiſſet, major *ignominia ad Filium redundaſſet*, quam ſi illa veniale aliquod peccatum per-

pe-

petraſſet. Quare ſic inſert D. Thomas, quod Maria nullum unquam veniale peccatum commiſerit, quia eam Chriſtus elegit in Matrem; a fortiori inferendum eſt, quod originale peccatum non contraxerit, & quod Adamitici ſceleris hæres non fuerit: quia Chriſtus eam in Matrem ſibi elegit. Sed ſi Maria non fuerit Adamatici ſceleris hæres, quia fuit Mater Dei ſui qui eam elegit; non fuit etiam illius hæres; *quia fuit Mater Creatoris ſui, qui eam formavit.*

2. Quærunt legum Doctores, an amor tantum aſcendere poſſit, quantum deſcendit? ſeu an filiorum erga parentes amor tantus eſſe poſſit, quantus eſt amor parentum erga filios! Ad quod reſpondent cuncti, quod cum amor per effectus, ſeu per beneficia exhibita dignoſcatur, fieri nequit, quod filius tantum parentes diligat, quantum ab iis fuit dilectus; quia ab iis beneficium percipit, cujus non poteſt reddere æquivalens; ab iis enim accepit eſſe, iiſque eſſe dare non poteſt. Hæc quidem ratio reſpectu aliorum valet: ſed reſpectu Chriſti nullius eſt momenti & valoris; quia ipſe Matri ſuæ eſſe, & vitam contulit; non ſolum eam ab æterno in Matrem elegit, ſed eam etiam in tempore creavit, eamque formavit, antequam in ejus utero ipſe per Spiritus Sancti operationem formaretur. Unde Spiritus Sanctus ſic Mariam loquentem inducit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo; Eccli. 24. 12.* quaſi diceret, aliæ matres non portant in ſinu ſuo creatores ſuos, & factores ſuos, ſed divinus hic puer, quem geſtavi, & qui novem menſium ſpatio in ſinu meo requieſcere voluit, factor meus, & creator meus eſt; & ideo apud D. Auguſtinum ſic Chriſtus loquitur: *Ego Matrem, de qua naſcerer, feci.* Quare cum Maria Creatoris ſui, & Factoris ſui ſit Mater; quis credet, quod ab eo, non in ſtatu gratiæ, ſed in ſtatu peccati originalis creata fuerit? Scimus, quod Angelos (qui ſunt ſolummodo miniſtri ejus) in ſtatu gratiæ creaverit; *In Angelis erat Deus condens naturam, & largiens gratiam. Aug. l. 22. de Civit.* Quis autem credet, quod durius erga Matrem, quam erga miniſtros ſuos ſe habuerit? quis non cenſebit, quod erga Matrem, ſaltem æque beneficus, ac erga Angelos extiterit, quodque illam, non in ſtatu peccati, ſed in ſtatu gratiæ, ſimul cum Angelis condiderit? Abſit talia de Chriſto, Matris ſuæ conditore, cogitare; ipſe enim Mariam Angelis ſubliniorem, & puriorem creavit. *Sublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, tanquam ancilla digna, & Mater ſancta, & Mater immaculata. Gloſſa in ordin. in c. 5. epiſt. ad Rom.* Ecce quomodo Chriſtus Matrem ſuam puram, & immaculatam creavit.

Quod ut adhuc probetur, claram, ſolidam, omnibuſque Theologis familiarem adduco rationem, quam ſic efformo: Si Chriſtus condens Mariam, eam originale peccatum contrahere permiſiſſet, hoc factum eſſet, vel quia neſciſſet, vel quia non potuiſſet, vel quia noluiſſet eam a tali piaculo immunem ſervare: dicere, quod neſcierit, blaſphemia eſt: quia *omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, Heb. 4. 13.* dicere quod non potuerit, impietas eſt: quia, ut ipſe loquitur, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: Matth. 28. 18.* dicere tandem, quod noluerit, abſurditas eſt: ridiculum enim eſſet, quod Chriſtus ſciens, & potens Matrem ſuam in ſtatu gratiæ formare, eamque ab originali noxa tueri valens, hoc facere noluerit, & ſi hoc noluiſſet, ipſa de Filio conqueri potuiſſet, dicens: *Fili quid feciſti nobis ſic?* O Fili, poteras a me originale peccatum avertere; cur illud non avertiſti? Noveras modum, quo me ab Adamitici ſceleris hæreditate excludere poſſes, cur ab ea me non excluſiſti? *Quid feciſti nobis ſic?* Immo ſi Chriſtus Mariam immunem ſervare noluiſſet, ſibimetipſi injuriam irrogaſſet: dicit enim Tertullianus, *Chriſtum per Mariam eſſe cenſendum; L. Adv. Jud. 6.* certum eſt, quod Maria per Chriſtum, cujus eſt Mater, plurimum cenſetur, & a cunctis æſtimatur; ſed aliquo modo Chriſtus etiam cenſetur; & æſtimatur per Mariam. Quid autem homines de Chriſto cenſuiſſent, & credidiſſent, ſi Matrem ſuam omnibus numeris perfectam non formaſſet, & ſi eam ab originali labe & hæreditate immunem non creaſſet? Certe non bene de Chriſto ſenſiſſent. Quare fatendum, Mariam Adamitici ſceleris hæredem non fuiſſe: quia fuit Mater Creatoris ſui, qui eam formavit; ac etiam, *quia fuit mater Redemptoris ſui, qui eam redemit. Tom. 4.*

3. Mariæ Redemptor fuit Chriſtus; immo, ut ait S. Bernardinus Senenſis, *Chriſtus plus pro redimenda Virgine venit, quam pro omni alia creatura.* Non tamen inde inferendum, Mariam a primo Conceptionis momento in dæmonis, & peccati ſervitutem incidiſſe; ſed inferendum e contra, Chriſtum illam ſollicite ſervaſſe, ne caderet; ut enim ait D. Auguſtinus: *Duplex eſt redimendi modus: unus redimendo lapſum, & alter redimendo jam jam lapſurum, ne cadat. In Pſ. 85.* Vel, ut loquuntur Theologi, duplex eſt redemptio; una dicitur liberativa, qua quis liberatur a peccato, quod jam contraxit, & altera vocatur præſervativa, qua quis impeditur, & ſervatur, ne in peccatum cadat; iſta autem redemptio eſt melior, & perfectior: ut enim ait S. Antoninus, *nobilius liberatur, & redimitur, cui providetur, ne cadat, & ſervitutem incurrat, quam ut lapſus erigatur, & factus ſervus redimatur. S. Ant. p. 2. tr. 3. c. 2.* Et ratio eſt, quia ſicut melior eſt medicina, quæ prævenit ægritudinem; ita & melior eſt redemptio, in qua gratia prævenit crimen, & ab eo contrahendo ſervat. Talis autem fuit redemptio, qua Chriſtus Matrem redemit; non enim eam a peccato jam contracto liberavit, ſed eam, ne in peccatum caderet, ſervavit. Alios homines redemit Chriſtus, liberando eos a peccato originali, quod contraxerant: Mariam vero redemit, illam præliberando, ſeu illam ſervando, ne in peccatum caderet: *Prælibératorem Virgo ſancta habuit, alii liberatorem, Card. Cuſan. l. 8. exercit.* vel, ut loquitur Doctor Seraphicus, *eam Spiritus Sanctus a peccato originali, non quod infuit, ſed quod infuiſſet, redemit, atque ſingulari gratia præſervavit.*

Miſſus Jonas ad prædicandum Ninivitis, divino reluctans præcepto, alio viam paravit, & navi, quæ in Tarſum pergebat, conſcenſa, Dei præceptum declinare intendebat: *Dominus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis periclitabatur conteri. Jonæ 1. 4.*

Nautæ congertici, ad ſortes, tanti periculi cauſam exploraturi, recurrunt; cecidit ſors ſuper Jonam, qui adjudicatus fuit fluctibus, & in mare projectus: ſed *præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam*, ſeu, ut explicat S. Hieronymus, *ibi ſubito adeſſe fecit piſcem grandem, ut præcipitem Jonam in ſuo reciperet ſinu*. Non expectavit Deus, ut Jonam a mari abſorberetur; ſed antequam mare quaſi attingeret, a piſce liberatur: optimo modo liberavit Jonam, præveniendo ſcilicet malum, & eripiendo eum antequam in imam maris mergeretur abyſſum. Mariam ſimiliter nobiliori modo redemit Deus, præveniendo ſcilicet, & præcavendo, ne in altam peccati originalis abyſſum caderet; *Domina noſtra*, ut ait S. Bonaventura *ſer.* 2. de B. Virgine Maria, *habuit gratiam præſervativam contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratia præventa, præſervataque fuiſſet*. Quare concludamus, Mariam Adamitici criminis hæredem non fuiſſe. Sed ſi Maria in momento Conceptionis ſuæ fuit Adami filia, quin criminis ejus fuerit hæres; *fuit etiam Dei filia, quin ejus gratia fuerit privata.*

SECUNDA PARS.

Mariæ in Conceptionis ſuæ momento fuit Dei filia, quin ejus gratia fuerit privata.

CONceptio noſtra ænigma quoddam eſt, cum in ea, ſeu in eo inſtanti, quo anima corpori noſtro infunditur, ſimus filii naturæ, & filii iræ; filii Dei & filii diaboli; filii gratiæ, ſeu per Dei gratiam formati, & filii peccati, ſeu peccato inquinati, & omni gratia orbati. At Maria in ſua Conceptione fuit quidem filia naturæ, cum modo naturali fuerit genita, fuit etiam filia Dei, cum a Deo ejus anima creata, & corpori infuſa fuerit; ſed non fuit filia iræ, & filia dæmonis, cum ut jam diximus, peccatum non contraxerit, quo iræ & dæmonis filia fieret. ſed illa Dei filia, fuit etiam filia gratiæ, non ſolum quia per Dei gratiam, verum & quia in ſtatu gratiæ fuit creata; illa enim Dei filia in ſua Conceptione Dei gratia non fuit privata, cum e contra in eo inſtanti habuerit 1. Gratiam ſanctificantem, & gratum facientem. 2. Gratiam abundantem, & ſuperfluentem. 3. Gratiam conſtantem; & permanentem.

1. Maria a Deo in Chriſti Matrem erat electa; ipſe in ejus utero, quaſi in templo, & veluti in ſanctificato quodam tabernaculo, novem menſium ſpatio commoraturus erat. Quare ſicut ſapientiſſimus Salomon multa arte, & labore plurimo, templum Deo dignum conſtrui, & præparari curavit; ita Chriſtus, qui eſt ſapientia increata, templum ſuum & tabernaculum ſuum præparavit; & per gratiam gratum facientem ſanctificavit: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Pſ. 46. 5.* Nec fuit mora inter conſtructionem, & ſanctificationem hujus templi; quia ſanctificavit illud Chriſtus *mane diluculo*, id eſt, ab inſtanti ſuæ conſtructionis, quod & ipſa Virgo Maria S. Brigittæ revelavit, dicens: *Anima mea ſancti ficabatur, & corpori ſuo jungebatur*, ſeu in eodem inſtanti fui ſanctificata, quo fui creata, nec prius creata fui, quantum ad naturam, quam fuerim ſanctificata per gratiam.

Luculentiſſime explicat D. Damaſcenus, quomodo Maria in inſtanti Conceptionis ſuæ gratia ſanctificante fuerit ornata, dicens: *Natura gratiam antevertere auſa non eſt, ſed tantiſper expectavit, dum gratia produxiſſet fructum ſuum. Orat. 1. de Nat. Virg.* In nobis natura gratiam antevertit; quia ſumus prius quoad eſſe naturæ, quam quoad eſſe gratiæ; ſed mira Dei providentia factum eſt, quod in Maria gratiam natura antecedere auſa non fuerit, ſed gratiam expectaverat; unde ſimul quoad naturam, & quoad gratiam condita eſt. *Unus eſt Altiſſimus, Creator omnipotens, ipſe creavit illam in Spiritu Sancto. Eccli. 1. 8.* Deus creavit illam, non originali peccato obnoxiam, nec ſolam in ſtatu naturæ; ſed in *Spiritu Sancto*, id eſt, in ſtatu gratiæ ſanctificantis, qua, ut ait D. Thomas a Villanova, facta eſt *in utero ſanctiſſima, & in Conceptione ſanctiſſima. Conc. 3. de Nativ. B. M.*

Mariam Angelus ſalutavit dicens, quod gratiam apud Deum invenerit: *Inveniſti gratiam apud Deum.* Quæ eſt illa gratia, quam apud Deum invenit Maria? Reſpondet Bernardus: *Nacta eſt gratiam apud Deum, quam Eva perdiderat. Hom. 3. ſuper Miſſus.* Eva in conceptiono gratiam ſanctificantem, & juſtitiam originalem acceperat, quam deinde per peccatum perdidit: Maria autem in ſua conceptione invenit gratiam ſanctificantem, quam Eva perdiderat, ſeu aliam ei ſimilem accepit, immo & majorem, ut ait Cardinalis Cuſanus: *Ipſa ſola poſt Adæ lapſum non indiga, ſed plena originali juſtitia, ut Eva, & multo magis*; habuit enim, non ſolum gratiam ſanctificantem in gradu remiſſo, ſed habuit gratiam ſanctificantem, *abundantem, & ſuperfluentem.*

2. In veteri Teſtamento duplex erat menſura, communis una, & ſanctuarii altera. Cum autem de gratia ſanctificante agitur, Maria non eſt menſuranda menſura communi; non eſt dicendum, quod Petrum, Paulum, vel alium aliquem ex Sanctis in gratia adæquaverit, ſed menſuranda eſt menſura ſanctuarii; ipſa enim fuit divinitatis ſanctuarium, omni gratiarum genere confertum. Ut enim ait Doctor Seraphicus, ſicut omnia flumina intrant in mare; ita *flumen gratiæ Angelorum intrat in Mariam: flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum intrat in Mariam; flumen gratiæ Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum intrat in Mariam; omnia flumina intrant in Mariam. D. Bonav. ſecul. c. 3.* Tota hæc gratiarum abundantia, & multitudo in Mariam intravit, & in ea reſplenduit: nam *nihil eſt virtutis, nihil ſplendoris, nihil gratiæ, quod non reſplendeat in Virgine glorioſa*: ſed quando, & quomodo magna gratiarum abundantia B. Virginis animæ fuit infuſa? Non per intervalla, nec per partes, ut ait D. Hieronymus, ſed ab ipſo Conceptionis momento: *Cæteris præſtatur per partes, Mariæ vero tota ſimul ſe infundit pleniudo gratiæ. S. Hier. ſerm. de Aſſumpt.*

In Canticis Canticorum legitur, quod tres Perſonæ divinæ ſic ad invicem quaſi ſe interrogaverint. *Quid faciemus ſorori noſtræ? Ubi ſup.* quaſi dicerent: quibus donis, quibuſque afficiemus gratiis Mariam,

quam

Digitized by Google

quam ſumus creaturi? *Hoc quærit S. Trinitas*, inquit Hugo Cardinalis, *non dubitans, ſed exaggerans; quaſi dicat: magna faciemus ei. Cant.* 8. Et revera dona pereximia, magnamque gratiarum abundantiam ei Deus contulit: *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Sed quæ ſunt illa dona, quæ eſt illa gratiarum abundantia, quam Deus dedit Mariæ, cum illam creavit? Ea dona tanta fuiſſe aſſerit D. Thomas a Villanova, ut dubitet, an Maria earum magnitudinem comprehenderit: *Fecit in me magna, qui potens eſt, ſed quam, o Virgo! neſcio, an ipſamet valuit ſuam comprehendere magnitudinem. Conc. 3. de Nat. Virg.* Si tanta autem fuerint gratiarum dona, quæ Deus Mariæ in ſua Conceptione contulit; certum eſt, quod nullus homo ea concipere valuerit, quodque hæc cognitio ſoli Deo ſit reſervata: *tanta fuit perfectio Virginis, ut ſoli Deo cognoſcenda reſervetur. S. Bern. tom. 2. ſerm. 5. art. 3. c. 2.* O quam ingentia Mariæ fuere privilegia! o quam magnam in creatione ſua a Deo gratiarum abundantiam accepit!

De Zeuxi pictore famoſiſſimo fertur, quod Junonis imaginem depicturus, pulchriores totius Græciæ ſtudioſe conſpexerit virgines; ſummaque induſtria adnotans, & ſeligens quidquid in ſingulis erat perfectiſſimum omnibus numeris abſolutiſſimam Junonis imaginem effinxerit. Non abſimiliter Deus, Mariam creare intendens, perfectiſſimas quas proſpexit creaturas, & *de magis eminentiora præſumpta ſunt. S. Greg. Emiſſ. hom. 1. de Symb. cit. a Celada in Judith.* Reſpexit Deus quidquid gratiarum, & perfectionum in Angelis, Apoſtolis, Martyribus, & aliis Sanctis erat diſperſum, & omnia hæc in Maria congregans, fecit *ſimulacrum ex omnium defloratione conſtructum*, ut fatur Tertullianus; ſeu Mariam omni perfectionum genere completam, magnaque gratiarum abundantia ornatam creavit. At Maria in conceptione ſua, non ſolum habuit gratiam abundantem: ſed *habuit etiam gratiam conſtantem, & permanentem.*

3. Sanctificavit Deus B. Virginem ab inſtanti Conceptionis ejus: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus; Pſ. 46. 5.* ſanctificavit autem tam per gratiam conſtantem, & permanentem, quam ipſa nunquam amiſſura erat. Unde ſubdit vates Regius, quod Deus per gratiam ſuam in ea habitans, nullatenus movendus eſſet: *Deus in medio ejus non commovebitur. Joann. 14. 23.* Cum ſanctificamur, Deus ad nos per gratiam ſuam venit: *Ad eum veniemus;* ſic etiam in nobis per gratiam ſuam remanere intendit: *Et manſionem apud eum faciemus*; in nobis tamen modo quodam mobili habitat: quia cum per gravia quæ committimus peccata, a nobis expellitus; ſed in Maria non fuit Deus per gratiam, modo mutabili, quia ab inſtanti Conceptionis, quo Deus in eam per gratiam ſuam intravit, nunquam ab ea diſceſſit, & immobilis in ea permanſit: *Deus in medio ejus non commovebitur.* Verum eſt quod Maria, ratione gratiæ ſanctificantis, qua ab inſtanti Conceptionis fuit exornata, dicitur *pulchra ut luna: Cant. 6. 9.* ac proinde ſicut luna eſt mutationi obnoxia, & *menſtruis modulationibus variat; Tert. de Pell. c. 2.* ita & gratia in Maria mutabilis fuiſſe videtur. Sed, ut ait S. Ambroſius, *pulchritudo Mariæ nullis fuit obnoxia caſibus; Ambr. l. de Virg.* ſeu pulchritudo, quam a gratia ſanctificante habuit, fuit immobilis: quia gratia in ea fuit conſtans, permanens, & quaſi immobilis: *Deus in medio ejus non commovebitur.* Unde, ſi Maria lunæ comparetur, dicendum, quod fuerit ſimilis lunæ in novilunio. Advertunt Aſtrologi, quod in novilunio eclypſim nunquam patiatur luna; Maria autem in Conceptione ſua, per gratiam, qua decorata eſt, pulchra fuit veluti luna in novilunio; quia percepit gratiam permanentem, & nulli eclypſi, nullique mutationi obnoxiam: *Deus in medio ejus non commovebitur.*

Arbitrabatur Doctor Angelicus, omnibus in utero materno ſanctificatis, collatam eſſe gratiam ita conſtantem, & permanentem, ut eam nunquam amiſerint; quia eis datum fuit a Deo, quod nunquam in quodvis mortale peccatum caderent: *Sanctificati in utero creditur præſtitum eſſe, ut de cætero mortaliter non peccarent. D. Th. 3. p. q. 27. art. 6. ad 2.* Heu! ſi S. Joanni Baptiſtæ, & aliis in utero ſanctificatis data eſt gratia ſanctificans modo quodam inamiſſibili; quis idem privilegium Mariæ conceſſum fuiſſe dubitabit? Immo & fatendum, hoc privilegium Mariæ modo quodam perfectiori & nobiliori fuiſſe datum; quia gratiam in aliis conſtans fuit & permanens, ex hoc ſolum, quod Deus eis dederit, quod in aliquod mortale peccatum nunquam caderent; ſed Mariæ datum eſt, non ſolum quod non peccaret, ſed etiam quod non poſſet peccare mortaliter, nec etiam venialiter, ſi fidem adhibeamus Nominalium Principi, dicenti, quod Mariæ non ſolum a Deo conceſſum eſt, quod non committeret aliquod peccatum mortale, verum & quod nec in aliquod peccatum veniale cadere poſſet. *Ocham in 3. D. 3. q. 2. art. 3.* O Maria! o perfectiſſima Dei filia! demiror abundantem, & permanentem hanc gratiam, quam Deus ab inſtanti Conceptionis tibi elargitus eſt. Sed ſi Maria in momento Conceptionis fuit Dei filia, quin ejus gratia fuerit privata; *fuit etiam Joachim filia, quin ejus miſeriarum particeps fuerit.*

TERTIA PARS.

Maria in Conceptionis ſuæ momento fuit filia Joachim, quin miſeriarum ejus fuerit particeps.

AB ipſo Conceptionis noſtræ momento, ſeu ab inſtanti quo animæ noſtris infunduntur corporibus, tot miſeriis & infirmitatibus replemur, ut ad intellectum, ad cor, & ad totam denique animam ſe extendant; ex tunc etiam tenebris intellectus noſter involvitur; ex tunc etiam fomite peccati (qui bellorum, quæ voluntatem inter & appetitum inſunt, exitioſa eſt origo) anima noſtra infeſtatur, & tandem cor noſtrum, quod ad hoc duntaxat videtur eſſe formatum, ut Deum ſuum, & factorem ſuum diligat, ita inſenſibile eſt, & omnis boni incapax, ut ne unicum amoris actum elicere valeat. Hæ ſunt miſeriæ quibus ſubduntur infelices Adami filii, & quæ a parentibus ad filios, quaſi hæreditario jure deſcendunt. At B. V. Maria harum patris ſui Joachim miſeriarum non fuit particeps: quia a Conceptionis ſuæ momento habuit Lu-

Lumen in intellectu. 2. Pacem in anima. 3. Amorem in corde.

1. Cum Deus viſibilem hunc mundum condidit, prima die creationis dixit: *Fiat lux, & facta eſt lux. Gen. 1. 3.* Similiter cum Deus mundum univerſum reparaturus, B. V. Mariam formavit, in Conceptionis ejus inſtanti dixit: *Fiat lux*, ſeu voluit eam rationis uſu pollere, & lux in ejus intellectu facta eſt; ita quod in eodem inſtanti, quo anima corpori illius fuit infuſa, ipſa ratiocinari cœperit: *Formato corpore, & anima creata, tunc fuit rationalis. Vinc. Ferr. ſer. de Concept.* & ut ait S. Bernardinus Senenſis, *B. Virgo, dum erat in utero matris, habuit uſum liberi arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu. S. Bern. ſerm. de Concept.* Et revera, ſi multi ex S. Patribus ſanctiſſimum Chriſti Præcurſorem, a ſuæ ſanctificationis tempore, in utero materno rationis uſum habuiſſe doceant; quidni dicemus, Dei Genitricem Mariam eodem privilegio fuiſſe nobilitatam, & a tempore ſuæ ſanctificationis, ſeu ab inſtanti ſuæ Conceptionis, uſu rationis fuiſſe præditam?

Anaſtaſius Sinaita, ſic dictus, quia ex Monaſterio montis Sinai fuit extractus, ut ad Patriarchatum Antiochenum ſublimaretur, ait, quod Maria fuerit *integra, & illæſa ſui fœtus imago.* Richardus etiam a S. Victore aſſerit, quod fuerit *Chriſto ſimillima. Rich. l. de vera Incarn.* Quod concordat cum variis Auctoribus dicentibus, Chriſtum Matri omnia contuliſſe privilegia, quæ ei conferre potuit; eique quantum fas fuit, omnia ex privilegio conceſſiſſe, quæ ſibi ex natura competebant. Et revera, ſi juxta leges humanas, *parentes eodem quo filii, gaudent privilegio*, & ſi *Reginæ Princeps eadem tribuit privilegia, quæ ipſe habeat, Cod. de Metat. L. penult. l. 12. ff. L. Princeps*, cur non aſſeremus, quod Chriſtus, qui a Conceptionis ſuæ momento, ratione unionis hypoſtaticæ, de jure, perfectiſſimum habuit rationis uſum, idem, *ex ſingulari privilegio*, Matri ſuæ conceſſerit? Id tanquam certum ſupponit Albertus Magnus, dicens: Mariæ ab inſtanti Conceptionis infuſam eſſe ſcientiam perfectiorem ea, quam Angeli & Adamus in momento ſuæ creationis perceperunt. Ex quo facile infertur, quod ex illo inſtanti Maria Dei exiſtentiam & perfectiones, SS. Trinitatis & divinæ Incarnationis myſteria, Synagogæ & Eccleſiæ Sacramenta, necnon alia multa perfecte noverit. Nihil tandem ei Deus abſcondit, ut ait Rupertus, qui in hæc verba: *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, ſic Mariam loquentem inducit: *Nihil a me abſcondit, qui Verbum ſuum, quod eſt in corde ſuo, totum mihi infudit.* Habuit ergo Maria in Conceptione ſua lumen in intellectu; & *habuit etiam pacem in anima.*

2. Propheta Regius de Chriſto Domino ait, quod *factus eſt in pace locus ejus. Pſ. 6. 3.* Quis eſt ille Chriſti locus, qui factus eſt in pace? Sinus utique B. V. Mariæ, in quo ipſe in hunc mundum veniens, primo fuit locatus, & in quo diu permanſit. Sed quomodo in pace factus eſt ille locus? Per extinctionem fomitis peccati, a quo interna rationem inter & appetitum oriuntur certamina; hic fomes in ea extinctus eſt ab inſtanti ſuæ Conceptionis, ſeu illam Deus a tali fomite liberam creavit: quare perfectiſſima gaviſa eſt pace, nec internum bellum, quo alii homines agitari ſolent, ipſa quomodocumque experta eſt: *Legem mentis lex carnis non infeſtabat, rebellio nulla quietem ſpiritus affligebat. S. Cypr. ſer. de Nat. Chr.*

Idem Regius Vates omnes penitus homines invitat ad videnda prodigia, quæ Deus ſuper terram operatus eſt: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Pſ. 46. 9.* Narra nobis, o Propheta ſanctiſſime, portentoſa hæc prodigia; quæ ſunt hæc Dei prodigia, ad quæ auſcultanda omnes advocas? *Auferens bella uſque ad finem terræ.* Hæc prodigia in hoc verſantur, quod Deus pacem in terra firmarit, quodque omnia bella ab ea penitus abſtulerit. Sed dicat quis, quæ ſit illa terra feliciſſima, in qua nulla ineſt pugna, & in qua optatiſſima pax eſt ſolidata? *Iſta terra eſt Maria, de qua omnis pugna tollitur, & in qua pax plena reparatur; Rich. a S. Vict. l. 2. de Emman. p. 1. c. 29.* hæc terra eſt Maria, in qua extinctus eſt fomes peccati, qui internorum eſt origo bellorum, & in qua firmiſſima pax eſt ſtabilita. Eminent. Card. Cuſanus, qui ſæculo decimo quinto floruit, cum multis aliis docet, in Maria non fuiſſe hunc peccati fomitem: *Ab initio lex membrorum, ſtimulus ſcilicet peccati, & fomes in ea non regnaverunt. Cuſan. l. 9. exerc.* Et ratio eſt, quia, ut ait doctiſſimus Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, *in Maria Virgine fuit, quoad omnia intrinſeca, ſtatus naturæ integræ primitus inſtitutæ, Gerſ. tr. 4. ſuper Magnif. In c. 12. 1. Cor.* in ea fuit ab initio mirabilis ille ſtatus, in quo non regnabat fomes peccati, & in quo quiſque pace interna fruebatur; ac proinde Maria ab inſtanti Conceptionis non fuit particeps miſeriarum patris ſui Joachim, cum habuerit pacem in anima, & *amorem in corde.*

3. Doctor Angelicus aſſerit, quod Moyſes & Paulus in via Deum tranſeunter videre meruerunt; Moyſes, ut miniſter veteris Teſtamenti, ad Judæos miſſus; & Paulus, ut miniſter novi Teſtamenti, ad Gentiles delegatus. Heu! ſi hi duo Dei miniſtri Deum, *per modum tranſeuntis*, in via viderint; quis idem privilegium Mariæ Dei Genitrici denegaret? Si hi, qui non fratres, nec aliquo modo Chriſti conſanguinei, ſed ſolummodo Dei erant miniſtri, Deum in via videre meruerint; quis Mariam, Chriſti Matrem, Deum etiam vidiſſe diffitebitur? Nullus equidem hoc negare debet. Si autem Deum intuitive vidit, eum etiam amore beatifico amavit: non enim contemplari potuit objectum illud infinite amabile; quin cor ejus amore erga illud arderet. Sed quando, quæſo, Deum Maria videre, & amare incœpit? Forte immediate poſt nativitatem, aut aliquibus ſolum diebus antequam ex utero exiret? Nequaquam: Deum ea ab inſtanti ſuæ Conceptionis vidit, & amavit cum ab eo inſtanti, ut ſentit Joannes Gerſonius, illa beata fuerit: præfatus enim Auctor explanans hæc verba, *Beatam me dicent omnes generationes*, ait Mariam fuiſſe beatam etiam ab inſtanti ſuæ Conceptionis: *Beatam me dicent etiam ab inſtanti meæ Conceptionis*; quare cum Sancti ſiant beati per Dei viſionem, & amorem; dicendum, quod Maria ab inſtanti ſuæ Conceptionis Deum viderit & amaverit.

Nonnulli Auctores arbitrati ſunt, Mariam toto tempore vitæ ſuæ permanenter fuiſſe beatam, non ſecus

ac

Digitized by Google

ac Chriſtum: quod tamen facile non crederem; ſed non denegandum videtur, eam interdum lumine gloriæ fuiſſe ſuperfuſam, *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ut loquitur unus ex Prophetis: *Ezechiel* 1. nam, ut ait Gerſon: *fulgurabat in Maria ſplendor divinæ gloriæ. Geneſ. ſup. Magnif. Alphab.* 82. Unde, ut ſubdit idem Cancellarius Pariſienſis, ratione viſionis beatificæ, Maria interdum ſimul erat viatrix, & beata: *Particeps fuit in via utriuſque beatitudinis, via ſcilicet & patriæ.* Hoc autem privilegio gaviſa eſt, non ſolum in inſtanti, quo Verbum in ejus ſinu carnem ſumpſit: ſed etiam in inſtanti Conceptionis ſuæ, ut docent S. Bernardinus, S. Petrus Damiani, S. Antoninus, & Albertus Magnus apud Vegam: & ratio eſt, quia ſi, ut ait Vaſquez, Mariæ ſunt tribuendæ omnes gratiæ, omnes perfectiones, omnia privilegia, & generaliter *quidquid non repugnat fidei, & rationi; Vaſquez tom.* 1. *in p. diſput.* 56. *c.* 2. *n.* 5. cur non dicemus, Mariam ab inſtanti Conceptionis, per Dei viſionem, & amorem fuiſſe beatam; cum hoc rationi, fidei, & pietati non repugnet?

Attendite nunc & videte, quæ & qualis fuerit Maria in inſtanti Conceptionis: *Quæ eſt iſta?* in hoc momento fuit quidem *filia Adami, ſed criminis ejus hæres non extitit*: quia ipſa futura erat Mater Dei ſui, qui eam elegit; Creatoris ſui, qui eam formavit; & Redemptoris ſui, qui eam redemit. Fuit etiam Maria in hoc inſtanti *Filia Dei, ſed ejus inimica, ejuſque gratia privata non fuit*: cum ex tunc gratiam ſanctificantem, abundantem, & permanentem habuerit: In hoc tandem inſtanti fuit *filia Joachim, ſed miſeriarum ejus non fuit particeps*; cum ex tunc habuerit lumen in intellectu, pacem in anima, & amorem in corde.

Ecce qualis fuerit Maria in inſtanti Conceptionis; ecce privilegia, quibus ditata fuit, quæ ſine ſufficienti fundamento ei fuiſſe attributa, forte quis judicabit; ſed ſciant omnes, quod hæc, & alia multa privilegia non ſine fundamento Mariæ adſcribuntur. *Quodcumque ſenſeris, ratio eſt: Tertull. adv. Prax. c.* 3. quodcumque ſentiamus, & in Mariæ laudem dicamus, magna ratione ſolidatur, nempe, quod ab æterno electa fuerit in Chriſti matrem: *Ab æterno ordinata ſum*; ac proinde nunquam ſine ratione dicitur, quidquid in ejus laudem dicitur, modo fidei, & pietati non contradicat, quia credendum, quod cum in Chriſti Matrem electa fuerit, Deus eam ita puram & perfectam crearit, totque eam donis & privilegiis ditarit, ut nihil ei addi poſſe videatur.

O quam ſpecioſa, quam perfecta, quantoque digna fuit honore Maria in Conceptione ſua, in quocumque vitæ ſuæ inſtanti ſpectetur! Hanc quidem venerari debemus; ſed præcipue in momento quo concepta eſt, cum tunc immaculata, ſancta, multiſque gratiis & privilegiis fuerit præventa. Nabuchodonoſor Rex ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta fieri curavit, & congregatis Satrapis, Judicibus, Magiſtratibus, & Principibus, præcepit eis, ut adorarent ſtatuam, quam ipſe iis conſtituerat: *Cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchod. noſter Rex. Dan.* 3. Maria quidem non eſt ſtatua, ſeu idolum, quod veluti divinitatem quamdam adorare debeamus; vocatur tamen Maria ab Andrea Cretenſi: *a Deo ſculpta ſtatua, Orat. de dorm. B. V.* ſeu perfectiſſima creatura, quam Deus formavit, ut in ejus utero Verbum æternum incarnaretur, illam autem nobis hodie venerandam proponit: quare cadentes adorate Mariam, ſeu illam ut ſanctam & puriſſimam colite.

At non ſolum cultu religioſo hodie Mariam veneremur; ſed inſuper ex ejus Conceptione immaculata potentiſſimum ſumamus motivum, quo, ad quodcumque peccatum a nobis expellendum, inducamur. Heu! ſi Deus eam ita ſanctam, & perfectam formavit, ut noluerit, unico dumtaxat momento, ejus animam a peccato contaminari; diſcamus inde, quantum timere, quantaque ſolicitudine peccatum a nobis expellere debeamus. Caveamus, ne peccatum in noſtram intret animam, aut ſaltem ne in ea regnet, & diu commoretur: *Non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Roman.* 6. 12. Tanquam a facie colubri peccatum fugiamus: ſi tamen ex ignorantia, malitia, aut infirmitate in aliquod peccatum inciderimus, ne permittamus illud regnare ſuper nos; ſed quam primum illud a nobis per pœnitentiam ſalutarem expellamus: *Deſtruatur corpus peccati, Rom.* 6. 6. & peccato deſtructo, gratiam & gloriam obtinebimus. *Amen.*

DE CONCEPTIONE

B. VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO SECUNDA.

Macula non eſt in te. Cant. 4. 7.

AD Mariam pro meritis laudandam, omnes prorſus homines, quantumvis eruditi & facundi ſint, impares ſe fateri debent: ut enim ait S. Auguſtinus: *Quid nos tantilli? Quid actione puſilli? Quid in ejus laudibus referemus? Cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. Ser.* 2. *de Aſſumpt. B. V.* Addit S. Bernardus, quod non ſolum homines quique, ſed nec ipſi Angeli, Mariam digne laudare poſſent: *Quænam potuerit lingua, etiamſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, non cujuſcumque, ſed Dei? D. Bern. ſuper Miſſus.* Fateor, quod ſi linguis Doctiſſimorum hominum loquerer & Angelorum, eam dignis proſequi laudibus non valerem: tritas tamen aliorum Concionatorum tenens vias, eam ab originalis peccati macula vindicare optarem, omnibuſque notum facere, quod in ea talis macula non fuerit: *Macula non eſt in te. Serm. de Aſſumpt.* Eam talis maculæ immunem fuiſſe docuit Petrus Damiani, dicens: *Caro Virginis ex Adam ſumpta, maculas Adæ non admiſit.* Eminentiſſimi & ſanctiſſimi hujus Cardinalis teſtimonium magni videtur ponderis: alia tamen tot & tanta adducam, ut iis auditis, ſpero, quod non ſit qui Mariæ non dicat: *Macula non eſt in te,* &c. *Ave.*

CUm duo aut tres teſtes, omni exceptione majores, ad unum quid confirmandum conveniunt,

non

Digitized by Google

non eſt amplius ambigendum, ſed firmiter credendum, quod vera, certa, & firma ſint quæ ipſi teſtantur; quia *in ore duorum, vel trium teſtium ſtabat omne verbum*: 2. *Cor.* 13. 1. beatiſſimam autem Virginem Mariam in Conceptionis ſuæ momento immaculatam extitiſſe, innumeri fide digni teſtantur Doctores; & videtur, quod jam illius veritatis tot ſint teſtes, quot homines Catholicam ſectantes Religionem; qui omnes, piiſſimo erga beatiſſimam Virginem affectu, nec non ſolidis rationibus concitati, eam in inſtanti Conceptionis puriſſimam proclamant, & magna pietate venerantur. Hos omnes audite teſtes, litemque in forma contentioſa ordinare, mei nunc non eſt inſtituti; nec enim judex conſtitutus ſum ad judicium decretorium, & deciſivum pronuntiandum in veritate nondum de fide declarata: tres tamen teſtes, quibus majores eſſe nequeunt, ad illam confirmandam adducam; Deum ſcilicet, Angelos, & Eccleſiam: *Deum*, qui eſt veritas æterna: *Angelos*, qui ſunt teſtes incorruptibiles; & *Eccleſiam*, quæ eſt infallibilis. Teſtimonium Dei eſt auguſtum, & mirabile: teſtimonium Angelorum eſt verum, & acceptabile: teſtimonium Eccleſiæ eſt certum, & infallibile. Unde ſi hæc teſtimonia nobis clare paterent, nullus amplius eſſet dubitandi locus: ea ex ſacris Scripturis, & S. Eccleſiæ archivio pro viribus colere conabor, eaque omnibus auditoribus diſcutienda, & ponderanda proponam; dicamus ergo, quod Mariam ſine originalis peccati labe fuiſſe conceptam, teſtentur Deus, Angeli, & Eccleſia. Hoc teſtatur Deus, *ecce primum teſtimonium*; hoc teſtantur Angeli, *ecce ſecundum*: hoc teſtatur Eccleſia, *ecce tertium*. Triplici hoc teſtimonio freti, libenter Mariæ dicemus: *Macula non eſt in te*.

PRIMA PARS.

Mariæ immunitatis teſtatur Deus.

NOnnullis hominibus talem adhibemus fidem, ut de iis quæ ipſi aſſeruere, nullatenus dubitemus; ſed velim, quod omnes totius mundi homines ad unum quid teſtificandum conveniant; firmius tamen ſoli Deo quam iis omnibus credendum eſt: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*. 1. *Joann.* 5. Sed unde elici poterit Dei teſtimonium, ut Mariæ probemus immunitatem? Ex ſancta utique Scriptura, quæ eſt quaſi Epiſtola ſacra, a Deo ad nos miſſa, ut quid ipſe ſentiat, quidve velit, nobis manifeſtet: *Literæ quæ de cæleſti Civitate nobis venerunt, ipſæ ſunt Scripturæ*: *Aug. in Pſ.* 90. *Conc.* 1. Volvamus ergo ſacros Codices, ſcrutemur Scripturas; ibi inquiramus Dei teſtimonia, ad probandum, Mariam originalis peccati maculam non contraxiſſe.

Geneſeos cap. 3. habetur, quod poſtquam Dei præceptum tranſgreſſus eſt Adamus, de fructu vetito comedens, ſerpenti, ſeu dæmoni ſeepentis figuram præferenti, dixit Deus; *Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipſa conteret caput tuum*. Quæ eſt illa mulier, inter quam & ſerpentem Deus inimicitias ponere ſtatuit? Hæc mulier non eſt Eva: quia, ut advertit S. Cyprianus, *Deus non dicit; pono, ne ad Evam pertinere videretur; ſed ponam, id eſt, ſuſcitabo mulierem. Cypr. lib. 2. adv. Jud. c.* 9. Quæ ergo eſt iſta mulier, dæmonis inimica, eique infenſa? Hæc mulier eſt ſanctiſſima Virgo Maria: *Beata mulier illa eſt, inter quam & ſerpentem inimicitias poſiturum ſe dicit, & poſuit Deus. Rupert. lib.* 3. *de Trin. c.* 19. Quæ & qualis hæc fuit inimicitia quam Mariam inter & dæmonem poſuit Deus? Hæc talis & tanta fuit, ut Maria caput ejus contriverit: *Ipſa conteret caput tuum*. Dæmon caput noſtrum conterit, quia in capite, & principio vitæ noſtræ, ſeu in inſtanti conceptionis noſtræ, per peccatum originale nos ſuo dominio ſubdit; Maria vero caput dæmonis contrivit; quia, cum in inſtanti conceptionis e peccato originali immunis fuerit, tunc de dæmone triumphavit: *Cum ſubjectio originali peccati caput ſit diaboli, tale caput Maria contrivit; quia nulla peccati ſubjectio ingreſſum habuit in animam Virginis, & ideo ab omni macula immunis fuit. Aug. lib.* 12. *de Gen. ad Litt.* S. Auguſtino accinit Joannes Gerſon, dicens, æquiſſimum fuiſſe, quod Maria caput dæmonis contereret, ita quod nunquam ei ſubjecta eſſet, ratione peccati originalis: *Juſtum eſt, quod Regina Cæli, Magiſtra Angelorum contriverit caput ſerpentis, id eſt, infernalis inimici, ut non ſit ullo tempore membrum ſuum, & ſubjecta ejus. Gerſon. ſerm. de Concept.*

Majus & clarius Dei teſtimonium pro Mariæ immunitate habetur in Lib. Proverbiorum, ubi dicitur, quod *Sapientia ædificavit ſibi domum. Cap.* 9. 1. Quæ ſit illa ſapientia, & quam domum ædificaverit, explicat S. Bernardus his verbis: *Hæc itaque ſapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de ſinu Patris ad nos veniens, ædificavit ſibi domum, ipſam ſcilicet Matrem ſuam Virginem Mariam. Serm.* 9. *in Cant.* Hæc ergo ſapientia eſt Chriſtus, ſeu Verbum æternum, & domus quam ædificavit, eſt ſanctiſſima Virgo Maria, quam creavit, ut in ejus utero novem menſium ſpatio habitaret: quare cum hanc domum, ſeu Matrem ſuam Chriſtus condiderit, eſtne credibile, quod aliquando hæc domus ſordida fuerit, & quod Maria originalis peccati ſordibus aliquando fuerit inquinata? *Unde ſordes in domo, ad quam nullus habitator acceſſit, & ad quam ſolus Dominus, & fabricator ejus venit? Aug. lib. de quinq. hæreſ. c.* 6. Nullæ quidem ſordes in hac domo eſſe potuerunt; ſeu Mater Chriſti, quam ipſe formavit, ut in ejus utero carnem ſumeret, nullius peccati, ſive actualis ſive originalis, ſordibus inquinari debuit: *Abſit, ut proprii quidquam inquinamenti hæc aliquando habuiſſe dicatur. S. Bern. ferm. de Aſſumpt.* Tantum abeſt, hanc domum ſordibus peccati fuiſſe inquinatam; quin contra, inquit Auguſtinus, omnibus virtutibus, omnibuſque Spiritus Sancti donis fuit ornata. *Nullam ſibi digniorem domum Filius Dei ædificavit, quam Mariam, quæ nunquam fuit a latronibus perfoſſa, nunquam ab hoſtibus capta, neque ſuis unquam ornamentis ſpoliata; in qua ſeptem columnas excidit, omnes, inquam, virtutes, & omnia dona Spiritus Sancti.*

Tranſeamus ad librum Canticorum, ubi præclara Dei pro Mariæ immunitate afferuntur teſtimonia: ibi enim dicit Deus, Mariam eſſe hortum concluſum: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus. Cant.* 4. Mariam per hunc hortum deſignari,

ri, docent S. Damaſcenus, Alanus, & multi ſacræ Scripturæ Interpreres: dicitur autem, quod Maria fuerit *hortus concluſus*, ut manifeſtetur quæ ſit differentia inter iſtum hortum, & eum, in quo poſitus fuerat Adamus: hortus enim, ſeu paradiſus voluptatis, in quo poſitus fuit Adamus, non fuit ita clauſus, quin in eum ingreſſus ſit ſerpens; ſed Maria fuit hortus ita concluſus, ut in eum ſerpens tartareus intrare nequiverit. Hunc hortum ita concluſit Deus, ut dæmoni nullus patuerit ingreſſus: In paradiſum voluptatis intraverat ſerpens infernalis, ut Adamum & Evam ad peccatum alliceret; ſed Maria fuit hortus clauſus, ad quem non intravit ſerpens, ut eam aliquo peccato inquinaret: *Ad hunc paradiſum ſerpens aditum non habuit*, *Damaſc. Orat. 2. de B. M. V. dormit.* Et ut ait Alanus, Maria fuit *hortus concluſus undique nullis diabolicis patens acceſſibus*. Ecce hortum perfecte undique clauſum, in quem dæmon intrare nequivit, ut Mariam peccato inquinaret. Sed advertendum, quod Maria bis dicatur hortus clauſus. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Et ratio eſt, quia ipſa ita fuit clauſa, & ita per Dei providentiam ſervata, ut ad eam nec actuale, nec originale peccatum intraverit: *Originale namque peccatum nunquam contraxiſti, quemadmodum & peccatum actuale nullum commiſiſti. Dion. Carth. de perf. char. n. 49.*

In Libro etiam Canticorum cap. 4. habetur, quod Deus Mariam alloquens, dicat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Si Maria originali peccato fœdata fuiſſet, tota pulchra non diceretur; ſed tota pulchra a Deo vocatur, quia ab omnis peccati inquinamento libera & elongata fuit: *Tota pulchra fuit, quam totam poſſedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum. Richard. a S. Vict. in hunc locum.* O Domine Chriſte, ſcimus, quod *tu pulcher es*, & ita pulcher es, ut impoſſibile fuerit, quod aliqua peccati, ſive originalis ſive actualis, turpitudo ad te appropinquaret; ſed idemne dicendum de Maria Matre tua? Nonne hæc aliquam peccati habuit maculam? Nonne hæc, ſaltem originalis peccati, maculam ſimul cum aliis hominibus contraxit? Nequaquam, inquit Joannes Gerſon his verbis: *Tota pulchra eſt amica Dei noſtri omni tempore, in ſua Conceptione, & poſt, abſoluta, libera a damnifero tyranno, peccato originali. Gerſon. ſerm. de Concept.* Et non ſolum ita pulchra extitit, ut peccato originali, ſed etiam ut nullo prorſus peccato, ſive originali ſive actuali, fœdata & maculata fuerit: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima*, inquit ſapientiſſimus Idiota, *non in parte, ſed in toto; & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis, non eſt in te, nec unquam fuit, nec erit. In contemplat. Deip. cap. 2.* O pereximia in favorem immaculatæ Conceptionis teſtimonia!

Alia multa his ſimilia ex Sacra Scriptura facile educi poſſent: ſed ne nimis iſta orationis meæ pars protrahatur, compendioſe dicam, quod non dictis ſolum, verum & factis Mariæ immunitatem teſtatæ ſunt tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ. Pater æternus hoc teſtatus eſt, cum Mariam modo ſpecialiſſimo & nobiliſſimo in filiam adoptavit; Filius, cum illam in Matrem elegit; & Spiritus Sanctus, cum illam in ſponſam aſſumpſit: nec enim Pater, Filius, & Spiritus Sanctus firmius, & clarius teſtari poterant, Mariam originalis peccati maculam non contraxiſſe, quam cum aſſumpſerunt eam, unus in Filiam, alius in Matrem, & alius in Sponſam. Cum enim Pater Mariam modo ſpecialiori in Filiam adoptavit, eo ipſo teſtatus eſt, quod in ea nulla eſſet, nec futura eſſet peccati macula: quia non eam in Filiam adoptaſſet, ſi peccato inquinata fuiſſet, aut ſi a peccato illam præſervare noluiſſet, & ſi *corona ſenum filii filiorum*, *Prov. 17. 6.* quæ corona, quæve gloria Patri æterno fuiſſet, ſi peccatricem filiam adoptaſſet? Idem dicendum de Filio, qui authentico teſtimonio manifeſtavit, Mariam ab originali labe fuiſſe immunem, cum eam in Matrem elegit: nec enim Matrem peccatricem ſibi eligere voluiſſet: *Non eſt credendum, quod ipſe Filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere ejus carnem, ſi eſſet maculata aliquo peccato originali. S. Bernardus tom. 4. ſerm. 49.* Idem aſſerendum de Spiritu Sancto, qui majus pro immunitate Mariæ teſtimonium dare non poterat, quam cum eam in Sponſam accepit. Si enim Abraham noluit, quod filius ſuus in Sponſam ſumeret Filiam de genere quodam malo; *Noli accipere conjugem de genere Chanaan; Geneſ. 28. 1.* quis credet, Spiritum Sanctum, omnis ſanctitatis & puritatis auctorem, in Sponſam ſumpſiſſe Filiam peccato originali maculatam? Hoc eſt incredibile: unde D. Damaſcenus ait, quod Maria *immaculata conſervata eſt in Dei ſponſam*. Ecce Dei teſtimonium pro immaculata Conceptione: inquiramus *teſtimonium Angelorum*.

SECUNDA PARS.

Mariæ immunitatem teſtatur Angeli.

LIcet Dei plus quam ſufficiens ſit teſtimonium, Angelos tamen audire non diſpliceat, qui Mariam ab originali labe immunem extitiſſe pluries declarant, eique ut immaculatæ congratulantur. Inter cæleſtes illos Spiritus primus occurrit mihi Sanctus Gabriel Archangelus, cujus quot verba, tot fuere pro immunitate Mariæ teſtimonia: ipſe enim eam ſalutavit, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, &c. Lucæ 1. 28. Quæ verba ſi æqua lance pendantur, ea eſſe gravia pro immaculata Virginis Conceptione teſtimonia quiſque fatebitur.

Dixit enim primo Gabriel Archangelus Virgini Mariæ: *Ave*, id eſt, ſine *væ*. O Angele Dei! ſine quo *væ* eſt Maria? Scimus eam eſſe ſine *væ* peccati mortalis, & venialis; ſed dicas, quæſo, an ſit etiam ſine *væ* peccati originalis? Pro illo Angelo alius reſpondebit Angelus, Doctor ſcilicet Angelicus qui Angelicam explicans ſalutationem, ait: *Fuit Maria ſine triplici væ, ſine væ peccati venialis, ſine væ peccati mortalis, & ſine væ peccati originalis. S. Bernardus tom. 4. ſerm. 52.* Reſpondebit etiam Sanctus Bernardinus Senenſis, puritate ſua vere Angelicus: *Ave*, inquit, *beata Virgo ſine væ, id eſt, ſine tyranno peccati originalis, quia ſine ea concepta es.* His duobus adjungam Dionyſium Carthuſianum, dicentem: *Maria ſemper fuiſti ſine omni væ culpæ per gratiam, ſicut Filius tuus per naturam. Dionyſius Carth. de perfect. charit. art. 49.*

Di-

Dixit ſecundo Gabriel Archangelus, Mariam eſſe gratia plenam: *Ave gratia plena*. Plerique hominum avaritia, ſuperbia, dolo, immunditia, & aliis multis vitiis ſunt pleni: at Maria, non peccato, ſed gratia fuit plena, fuitque in gratia plena, inquit, D. Thomas, ut totam Spiritus Sancti gratiam quaſi exhauſerit: *Virgo ſancta totam ſibi hauſerat Spiritus Sancti gratiam. D. Thom. in Cat. ad cap. 1. Luc.* Et Sanctus Bernardinus ait, quod *excepto Chriſto, tanta gratia Virgini data eſt, quanta uni creaturæ puræ dari poſſibile eſt. S. Bernard. tom. 3. ſerm. 61. art. 2.* O magnam gratiarum abundantiam in Maria, ſed inquiramus, quo tempore gratiæ plenitudine ipſa obtinuerit? Forte tunc ſolummodo gratia plena fuit, cum Verbum æternum in ejus utero carnem ſumpſit? Verum eſt, quod tunc majorem habuerit gratiæ plenitudinem; fuit tamen gratia plena ab ipſo Conceptionis inſtanti: *Domina noſtra fuit plena gratia præſervativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ex ſpeciali gratiâ præventa, præſervataque fuiſſet. D. Bonav. ſerm. 2. de B. V. M.* ſic loquitur Doctor Seraphicus. Et Cardinalis Cuſanus ait, Mariam in inſtanti Conceptionis, non ſolum gratia, verum & juſtitia originali fuiſſe plenam: *Ipſa ſola poſt Adæ lapſum, non indiga, ſed plena originali juſtitia, ut Eva, & multo magis Card. Cuſan. lib. 8. exercit.*

Dixit 3. Mariæ Archangelus Gabriel, Dominum cum illa eſſe, eamque inter mulieres eſſe benedictam: *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Dominus erat cum illa per gratiam, qua fuerat repleta ab inſtanti Conceptionis; eratque vere benedicta, quia *ab omni preſſura maledictionis, non ex ſe, ſed ex virtute Altiſſimi aliena fuit. S. Ildeph. de B. V. M. c. 10.* Sicut enim primus Adam ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus fuerat; ita & ſecundus Adam, ſeu Chriſtus, formatus fuit ex terra nunquam maledicta; ſeu genitus fuit a Maria, quæ maledicto peccati nunquam ſubjacuerat: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra antequam eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terra virginea, nunquam maledicta. Andreas Apoſt. apud Salazar de Concept.*

Dixit tandem Mariæ Gabriel, Spiritum Sanctum in eam superventurum: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* Cur non dixit Angelus, Spiritum Sanctum in ea eſſe venturum, ſed ſuperventurum: *Superveniet?* Huic dubio claram, noſtroque propoſito conformem ſolutionem dat Lyranus, dicens, Angelum aſſeruiſſe, Spiritum Sanctum ſuperventurum, ſeu iterum venturum: quia jam ad eam ab inſtanti Conceptionis per ſuam gratiam venerat: *Bene dixit, ſuperveniet in te, quia prius venerat Spiritus Sanctus ſuper Virginem adhuc in utero matris exiſtentem, illam ab originali præſervando. Lyranus in cap. 1. Lucæ.*

His teſtimoniis liquet, Sanctum Gabrielem Archangelum a partibus Mariæ ſtare, illumque immunitatis ejus & præconem eſſe, & teſtem; at habemus etiam aliorum Angelorum teſtimonia: multi enim ex cæleſtibus illis ſpiritibus, Mariam demirantes, dixerunt: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata? Cant. 6. 9.* In quibus verbis plurima Angelorum teſtimonia in Conceptionis immaculatæ gratiam coacervata ſunt, & conglobata: Mariam enim primo comparant auroræ: *Quaſi aurora conſurgens.* Maria eſt aurora puriſſima, quam Deus formavit: *Tu fabricatus es auroram Pſ. 74. 6.* Hæc eſt aurora pulcherrima, quæ originalis peccati noctem & tenebras non ſupponit: *Maria eſt aurora, quam nox tenebrarum originalis peccati non vidit. Petr. Dam. ſerm. de Aſſumpt.* Mariam duo Angeli pulchram ut lunam proclamant: *Pulchra ut luna*, ſicut enim luna in primo ſuæ creationis inſtanti rutilantibus ſolis radiis fuit illuſtrata; ita & Maria in ſuæ Conceptionis momento, ſolis juſtitiæ gratia, & divino lumine coruſcavit; in hoc inſtanti non fuit luna imperfecta, ſed *luna perfecta in æternum. Pſ. 88.* tunc fuit luna perfectiſſima, & pulcherrima, quæ per peccatum originale nullatenus fuit deturpata. *Tota pulchra fuit, quam totam poſſedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum. Richard. a S. Vict. in c. 4. Cant.* Addunt Angeli, quod Maria fuerit *electa ut ſol*. Ex S. Iſidoro, ſol dicitur, *quia ſolus eſt & unicus; Iſidor. lib. Etymol.* ita beata Virgo Maria, inſtar ſolis, ſola fuit & unica inter puras creaturas ab originalis peccati labe præſervata. Alii nonnulli in utero materno fuere quidem ſanctificati, ſed non ab inſtanti Conceptionis: Maria enim eſt ſol, cui ſoli hoc privilegium fuit conceſſum: *Sola glorioſiſſima Virgo non reperitur tempore ullo, peccato originali ſubjacuiſſe. Card. Cuſan. lib. 8. exerc.* Dicunt tandem Angeli, quod Maria ſit *terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Maria Virgo*, ut ait Origenes, *neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, neque ejus afflatibus infecta eſt; Orig. homil. 1. in diverſ.* quin contra in hunc mundum ingreſſa eſt dæmonibus terribilis ac formidabilis, velut exercitus ad certamen paratus; non in hunc mundum ingreſſa eſt, ut captiva dæmonis per peccatum originale, ſed ut Virgo ſanctiſſima dæmoni terribilis, *ut caſtrorum acies ordinata.* Ecce teſtimonium Angelorum pro immaculata Conceptione. Veniamus ad *S. Romanæ Eccleſiæ teſtimonium.*

TERTIA PARS.

Mariæ immunitatem teſtatur Eccleſia.

CUm aliqua quæſtio, vel dubitatio in rebus fidem, vel pietatem ſpectantibus inſurgit, ſolutio, quantum fieri poteſt a S. Eccleſiæ teſtimonio ſumenda eſt: *Non oportet apud alios veritatem quærere, quando facile eſt ab Eccleſia ſumere. S. Iren. lib. 3. adv. hæreſ.* Eſt autem facillimum pro immunitate Mariæ teſtimonium Eccleſiæ ſumere, cum ipſa in hac materia locuta ſit ore Apoſtolorum, ſummorum Pontificum, & Conciliorum; *ore Apoſtolorum*, qui Eccleſiam ſtabilierunt; *ore ſummorum Pontificum*, qui eam rexerunt; & *ore Conciliorum*, quæ eam repræſentarunt.

Omnes Apoſtoli, qui Mariæ morienti divinitus adſtitere; conveniſſe etiam videntur ad eam orientem laudandam, & ad illam in Conceptione immaculatam prædicandam. Teſtimonium S. Andreæ jam retulimus, dicentis, ſecundum Adam, ſeu Chriſtum, natum eſſe ex terra non maledicta, ſeu ex immacula-

ta

a Virgine. S. Jacobus Minor, Apoſtolus, & Epiſcopus Hieroſolymitanus in ſua Liturgia, cujus pluries mentionem facit ſexta Synodus c. 32. *Mariam immaculatam, & glorioſiſſimam Dominam noſtram Dei Matrem vocat.* Eam pariter S. Marcus in Liturgia *immaculatam, & omnibus modis irreprehenſibilem appellat.* Alia his ſimilia aliorum Apoſtolorum teſtimonia, ex libro quodam Valliſoleti ſervato deſumpta, refert illuſtr. Dom. Franc. de Souza, Epiſcopus de Oſman, in libro mirabili, quem pro Mariæ immunitate compoſuit. S. Mathias Apoſtolus, inquit, hoc modo loquitur: *O beata Maria, non fuiſti concepta in peccato; immo ſemper plena omni gratia ac ſapientia.* S. Thomas Apoſtolus ſic fatur. *O felix, quæ in principio viarum fuiſti electa, & in præviſo peccato Adami non fuiſti cum aliis damnata.* S. Matthæus dixit: *O Maria immaculata, Spiritus Sanctus ab æterno te præſervavit.* Sed non diutius immoremur in exquirendis ſpecialibus Apoſtolorum pro immunitate Mariæ teſtimoniis; quid ſenſerint omnes, habemus ex concilio Apoſtolorum Hieroſolymis congregato; ubi, ut conſtat ex libris SS. Cæcilii & Teſiphontis, omnes unanimiter dixerunt, & declararunt, quod *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta, præſervata fuit a peccato originali in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.* Ecce teſtimonium Eccleſiæ ore Apoſtolorum prolatum; audiamus eam loquentem ore *ſummorum Pontificum.*

Doctor Angelicus probat, Mariam Virginem in ſua Nativitate fuiſſe ſanctam & immaculatam: quia, inquit, *non celebratur Feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo ſancto; D. Th. 3. p. q. 27. art. 1.* ex quo inferri poteſt a ſimili, Mariam in ſua Conceptione ſanctam fuiſſe & immaculatam, cum plures ex ſummis Pontificibus Feſtum de immaculata Virginis Conceptione celebrari permiſerint, & ordinaverint; ſed alia plurima, atque non contemnenda, pro immunitate Mariæ habemus ſummorum Pontificum teſtimonia. Sixtus IV. qui magna qua ad myſterium Conceptionis B. Virginis devotione ferebatur, quatuor edidit Conſtitutiones, quarum duabus primis præcipit in tota Eccleſia Romana celebrari Officium ſub titulo *Immaculatæ Conceptionis.* Aliis vero duabus Conſtitutionibus approbat Officia Conceptionis a Bernardino de Buſtis, & Leonardo Vogarolis compoſita. Innocentius VIII. anno 5. ſui Pontificatus approbavit, & confirmavit religionem immaculatæ Conceptionis Monialium Toleti. Julius II. Leo X. Clemens VIII. & alii nonnulli ſummi Pontifices, plures Indulgentias immaculatæ Conceptionis Feſtum celebrantibus conceſſerunt, multaſque Eccleſias, & Monaſteria ſub titulo Immaculatæ Conceptionis erecta approbarunt, confirmarunt. Paulus V. in ſua Conſtitutione: *Regis pacifici*, prohibuit cunctis, *ne audeant in concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Præclara ſummorum Pontificum pro immaculata Virginis Mariæ Conceptione teſtimonia; ſed omnibus aliis clarius, & ſublimius locutus fuiſſe videtur Alexander VII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Sollicitudo Eccleſiarum:* ubi renovat quæ a Prædeceſſoribus ſuis in gratiam immaculatæ Conceptionis dicta, conceſſa fuerant, & inſuper ait: *animam B. M. V. in ſua creatione, & in corporis infuſione, Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe;* quo nihil clarius pro immunitate Mariæ aſſeri poſſe videtur: quare, cum ſummi illius Pontificis verba mente revolvo, mihi in mentem venit egregium Gelaſii Papæ effatum lib. de Sanctiſſima Euchariſtia, ubi agens de forma, qua Chriſtus Dominus ſacroſanctum hoc Sacramentum inſtituit, ait Pontifex: *Cum Chriſtus Dominus tam apertis verbis dixiſſet: Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei, proprio ore, tanquam gladio acutiſſimo, omnes Hæreticos jugulavit, ac iniquorum ora obſtruxit.* Dicam; modo aliquatenus ſimili, quod cum Summus Pontifex, Chriſti in terra vices gerens, apertis & clariſſimis verbis teſtatus fuerit, animam Beatæ Virginis *in ſua creatione, & in corpus infuſione* Spiritus Sancti, gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe; jam ejus ore oppoſita ſententia jugulata, omniumque adverſariorum ora obſtructa eſſe videntur. Sed audiamus breviter Eccleſiam *ore Conciliorum* pro immunitate Mariæ loquentem.

In Concilio ſexto generali, actione 2. habentur hæc verba: *Quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis: quia paritura eras Creatorem totius ſanctitatis.* In Concilio Niceno, actione 3. dicitur: *Veneramur etiam, & adoramus imaginem Deiparæ, & Dominæ noſtræ irreprehenſibilis, & immaculatæ.* In Concilio Toletano 2. in profeſſione fidei hæc leguntur verba: *Solam filii perſonam de ſancta & immaculata Maria Virgine carnem credimus aſſumpſiſſe.* In aliis non paucis Conciliis ſimilia pro immunitate Mariæ hæc verba reperiuntur: & noviſſime in Tridentino facta eſt ſequens Declaratio: *Declarat Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam. Trident. ſeſſ. 5.* Inſuper declarat ibidem eadem Sancta Synodus, obſervandas eſſe præallatas Sixti Papæ IV. Conſtitutiones, ſub pœnis in iiſdem Conſtitutionibus contentis, quas innovat.

Ecce quæ pro Immunitate Mariæ adducere propoſueramus teſtimonia, quæ credibilia facta ſunt nimis. Heu ſi bene perpendantur, quis eam in Conceptione ſua immaculatam extitiſſe dubitavit? quis non ei ex corde dicet: *Macula non eſt in te.* O Maria! teſtes advocavimus cælum & terram, Deum Angelos & Eccleſiam, eorumque convenientia ſunt teſtimonia, in hoc conveniunt omnes, quod originalis peccati maculam non contraxeris: *Macula non eſt in te.* Miramini Mariam, in qua *nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Eam miramini, & diſcite, toto corde exhorreſcere, totiſque conatibus peccatum fugere. Heu! Maria nec unico momento fuit peccato inquinata, & tot ſunt, qui pluribus menſibus, immo & multis annis, in peccato ſuo dormiunt, & torpeſcunt. Heu peccator! ſi ſcires quid ſit peccatum mortale, ſi noſſes qui ejus ſint effectus, ab eo profecto plus quam a facie colubri declinares; ſi ſerio perpenderes, quod Deus factus ſit homo, ut pro peccato de rigore Juſtitiæ ſatisfacere valeret; ſi animo ponderares, quomodo unum peccatum mortale æternis plectatur ſuppliciis, ſi ſolicite meditareris illam pœnarum Infernalium æternitatem, cui etiam pro unico mortali pec-

cato

Digitized by Google

cato homines addicuntur, certe plus mortale averſareris peccatum, quam ipſam mortem corporalem, immo & plus quam ipſum dæmonem. Sed, o veſaniam, & cæcitatem multorum hominum, qui licet mortali quodam peccato ſint inquinati, epulantur tamen, rident, choreas agunt, & dormiunt, ac ſi ipſis revelaſſet Deus, quod eſſent de ſua ſalute ſecuri. Mirabatur Cæſar Auguſtus, hominem multis gravatum debitis, ſomno poſſe indulgere: ſed quanto majori admiratione & ſtupore dignum videtur, quod homo in ſtatu peccati mortalis, ac proinde infinitis & æternis gravatus debitis, dormire poſſit? O peccator, ſi in peccato tuo diu dormiviſti, *exurge qui dormis*, ſurge nunc a peccato, ne in illo amplius immoreris, nec ultra patiaris illud in te inhabitare; expelle a te omnes iniquitates tuas, lava te ſalutari pœnitentiæ baptiſmo, nulla tandem in te remaneat macula, ut aliquando cum Maria in Cælo æterna beatitudine perfruaris. *Amen*.

DE SANCTO
THOMA APOSTOLO.
CONCIO UNICA.

Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Joann. 20. 27.

SIcut in damnatis peccata, quæ per pœnitentiam non abluerunt, ſunt maculæ perpetuæ, quibus fœdantur, & deturpantur; ita in Beatis crimina, quæ ſalutaris pœnitentiæ lavacro expiarunt, ſunt velut ornamenta, quibus in perpetuum decorabuntur, & nobilitabuntur. Unde licet nimio Sanctos ſuos Deus afficere ſoleat honore: *Nimis honorati ſunt*; eorum tamen non reticet peccata; quin contra clariſſimis & exaggerativis ea verbis explicat; nec eſt quiſquam, qui tam graviter inimici ſui crimen efferat quam Deus electorum ſuorum, qui prius peccatores extiterunt, culpas aggravat, & amplificat. Videte, quam clare Davidis adulterium, homicidio contectum, cum omnibus circumſtantiis utrumque illud crimen aggravantibus deſcribat. Attendite, quomodo Petri negationem a quatuor Evangeliſtis conſcribi, & vivis coloribus depictam noſtris oculis objici curet. Perpendite, quomodo Magdalenæ peccata delineari ſatagat: immo & peccatricem famoſam illa vocari ſinat; *Erat in civitate peccatrix*. Animo tandem revolvite, quomodo vel ipſorum Apoſtolorum, quos eramus in totius vitæ exemplum habituri, nec affectus naturæ imbeciliiores, nec caſus etiam graviores ab Evangeliſtis diſſimulari velit, & præcipue Divi Thomæ Apoſtoli, cujus dubium, & incredulitatem narrant, & manifeſtant: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Dei hac in parte nunc me menti conformabo, & Divi Thomæ peccata ſimul cum ejus virtutibus, non in dedecus, ſed in laudem illius deſcribere, & manifeſtare pertentabo: ſi enim magna gloria eſt, monſtra domaſſe; non parva gloria eſt Divi Thomæ, quod peccata, quæ horrenda ſunt monſtra, e corde ſuo ejecerit, & penitus extirparit. Loquar ergo & de peccato, & de virtutibus illuſtris illius Apoſtoli, &c. *Ave*.

DIvus Thomas dubitavit, tetigit, & credidit: *Dubitavit*, an Chriſtus a mortuis ſurrexerit, & an eum alii viderint Apoſtoli: *Tetigit* vulnera Chriſti, eum ad ipſa tangenda invitantis: *Credidit* tandem quia de rei veritate convictus, clamavit dicens: *Dominus meus, & Deus meus*. Sanctus Gregorius Papa advertit, non fortuito factum eſſe, quod Divus Thomas dubitaverit, tetigerit, & crediderit: *Numquid caſu geſtum creditis, ut electus ille audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Sanctus Gregorius homil. 26. in Evangelium*. Fateor, me non omnia concipere myſteria, quæ in hoc dubio, in hoc contactu, & in hac Sancti Thomæ confeſſione latent: ſed ut Sancti hujus Apoſtoli panegyricum clare & dilucide contextam; illum, ut hominem, ut Chriſti amicum, & ut fidelem ejus ſervum inſpicio. Divus Thomas, *ut homo* dubitavit: *ut amicus*, tetigit, & *ut fidelis* credidit. *Dubitavit Thomas*, ecce ejus crimen; *tetigit*, ecce ejus felicitatem; *confeſſus eſt*, ecce ejus fidem. Videamus 1. Peccatum Thomæ dubitantis. 2. Felicitatem Thomæ tangentis. 3. Fidem Thomæ confitentis.

PRIMA PARS.

Peccatum Sancti Thomæ dubitantis.

CUm Sancto Thomæ, ſe Chriſtum ſuſcitatum vidiſſe, alii dixerunt Apoſtoli, iis ipſe non credidit, aſſeruitque, ſe numquam crediturum, reſurrexiſſe Chriſtum, niſi ejus vulnera, & viderit, & tetigerit: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in loco clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. *Joann*. 20. Ecce Sancti Thomæ dubium, in quo Sanctus hic Apoſtolus mihi peccaſſe videtur graviter, leviter, & utiliter; ejus peccatum 1. Fuit grave ex ſe, & ex ſui natura. 2. Fuit leve ex quibuſdam circumſtantiis. 3. Fuit utile, ratione fructus qui ex eo manavit.

1. Certum eſt, quod cuilibet leviter, & abſque ſolido fundamento non ſit credendum: *Qui enim cito credit, levis eſt corde. Eccli*. 19. 4. Sed ſi quis Deo, Angelis, Apoſtolis, & aliis quibuſdam Dei amicis, unum quid aſſerentibus, credere renueret; hic procul dubio ab omnibus incredulus, & infidelis cenſeretur. Talis autem extitit Divus Thomas reſpectu myſterii Reſurrectionis; Chriſtus enim ſe reſurrecturum pollicitus erat: *Poſt tres dies reſurgam*; Angeli Chriſtum a mortuis ſurrexiſſe aſſeruerant: *Surrexit, non eſt hic*: *Lucæ* 9. Maria Magdalena, ſe illum ſuſcitatum vidiſſe dixerat: *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi*; *Lucæ* 24. duo Diſcipuli ex Emmaus reverſi, ſe cum illo in via proceſſiſſe affirmarant, & tandem alii Apoſtoli Thomæ dixerant: *Vidi Dominum*; hic tamen iis omnibus fidem non adhibet, dicens ſe numquam crediturum, ſurrexiſſe Chriſtum, niſi illum videret: *Niſi videro, non credam*. Quare ſi in ſe, & ex ſui natura ſpectetur Thomæ peccatum, vera, & gravis fuit incredulitas; & ideo dixit ei Chriſtus, quod in poſterum non eſſet incredulus, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Et

San-

Digitized by Google

Sanctus Auguſtinus D. Thomam graviter peccaſſe indicat, dicens: *Dum curioſus extitis in vulnere, mortem incurrit in fide. Aug. ſer. 159.*

Ingemiſcit Salvianus, quod nonnulli ita miſeri ſint, & perverſi, ut hominibus credant, & non Deo: *O miſeria! o perverſitas! creditur homo ab homine, & non creditur Deo. Salv. l. 2. ad Eccleſ.* At S. Thomas iis etiam miſerior, & perverſior fuiſſe videtur: quia nec Deo, nec hominibus, ſed propriis ſolum ſenſibus credere voluit, & per continuos octo dies in ſuo pertinaciter errore permanſit, credere nolens, niſi videat, & tangat: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* O Thoma! vidiſti Chriſtum cæcos illuminantem, ægrotos ſanantem, mortuos ſuſcitantem, & multa prophetantem: quare, cum ſe reſurrecturum prædixerit, ei credere non deberes? *Non credam.* O Thoma! & ſi Chriſtus ad te Angelorum legionem mitteret, qui omnes, ipſum a mortuis ſurrexiſſe teſtarentur, nonne ei crederes? *Non credam.* Et ſi ad te veniret ſanctiſſima ejus Mater, quæ ſimul cum aliis multis Filium reſurrexiſſe aſſereret? *Non credam.* Quid ſi ad te veniret ipſe Chriſtus; ita tamen ut eum non videres, ſed ſolum audires illum dicentem, quod reſurrexerit? *Niſi videro, non credam.* Crederes ergo ſaltem, ſi eum videres, licet ejus vulnera non tangeres? *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* O gravem D. Thomæ incredulitatem! o magnam pertinaciam, ſi in ſe, & ex ſui natura ſpectetur! Nonnulli tamen Auctores hujus Apoſtoli peccatum ex aliquibus circumſtantiis minus, quam primo intuitu appareat, grave fuiſſe probant. Eorum rationes adducemus, ex quibus conſtare poterit, Thomæ, quod ex ſui natura grave eſt, *leve eſſe ex aliquibus circumſtantiis.*

2. D. Auguſtinus, qui dixerit, Thomam mortem incurriſſe in fide, eum excuſat, dicens, quod *vox iſta, niſi videro, inquirentis eſt, non negantis. Aug. ſer. 159.* D. Ambroſius, Thomam non de Chriſti reſurrectione, ſed ſolum de reſurrectionis modo dubitaſſe aſſerit: *Non de reſurrectione, ſed de reſurrectionis qualitate dubitavit: Ambr. l. 10. in Luc. c. 24.* ſicut Maria Angelo Verbi Incarnationem annuntianti credidit: & tamen ab illo modum quæſivit, quo Chriſti Mater fieri poſſet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Lucæ 1.* Ita, inquit D. Ambroſius, non dubitavit Thomas de Chriſti reſurrectione quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; non ipſum reſurrexiſſe, ſed de modo reſurrectionis ejus dubitavit.

S. Cyrillus Alexandrinus, ut S. Thomam excuſet ait, eum non tam ex infidelitate, quam ex mœrore, hæc verba protuliſſe: *Niſi videro, non credam; S. Cyr. l. 12. in Jo. c. 13.* tanta hujus Apoſtoli fuit triſtitia, ex eo quod ſimul cum aliis Chriſtum a mortuis ſuſcitatum non viderit, ut in præfata verba ex mœrore magis, quam ex infidelitate proruperit: *Mihi videri ſolet Thomas, non infidelitate magis, quam ſolo mœrore perturbatus fuiſſe: quia Dominum ſuum oculis non viderit.*

Simon Metaphraſtes præallata D. Thomæ verba, novo & ſubtili modo, in hujus Apoſtoli gratiam explicat, dicens, quod ea, non ex infidelitate, ſed ex maxima lætitia protulerit: *Simeon Metaph. in vita S. Thomæ Apoſt.* ſicut enim mater, cujus unicus eſt filius, qui a multo tempore in regionem longinquam abiit, & quem jam mortuum eſſe ſuſpicatur, maxima in adventu ejus afficitur lætitia; & cum ei primo filium veniſſe nuntiatur, ipſa, licet de ejus adventu nequaquam dubitet, præ nimio tamen quo capitur gaudio, clamat: niſi filium meum videro, eum veniſſe non credam; ita D. Thomas, licet Chriſtum reſurrexiſſe non dubitaret, præ nimio tamen gaudio clamavit: *Niſi videro, non credam.*

Dici etiam poſſet cum aliis quibuſdam Auctoribus, hæc verba protuliſſe Thomam ex primo impetu, & quaſi ex motu primo; vel etiam in ejus favorem dici poſſet, ipſum ex ignorantia magis, quam ex malitia peccaſſe. His, & aliis præſumptionibus, S. Thomæ peccatum non ita grave extitiſſe, pie credi poteſt; at ſi peccavit leviter, *peccavit etiam utiliter, ratione fructus, qui ex ejus peccato proceſſit.*

3. Numquam facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona; nec aliquando cujuſvis, ſive ſpiritualis, ſive temporalis emolumenti intuitu quam leviſſime peccare licet, peccata tamen jam perpetrata nonnumquam cooperantur in bonum, & ex iis multa occaſionaliter eliciuntur bona: ut enim ait S. Ambroſius: *etiam lapſus Sanctorum utilis eſt. Ambr. lib. 10. in Jo.* Quis protoparentum lapſum aliquando utilem forte credidiſſet? Fuit tamen, & maxime; idcirco de illo loquens Eccleſia, læta canit: *O felix culpa! quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Omnibus etiam nota ſunt emolumenta, quæ ex Davidis lapſu percepimus: ſi enim non peccaſſet, non habuiſſemus adeo evidens divinæ miſericordiæ erga peccatores teſtimonium, nec tam efficax pœnitentiæ obeundæ documentum: *Cæteris ejus caſus medicina fuit, & illius naufragium fuit iis portus. Eucher. ad c. 3. l. 3. Reg.* Petri lapſum nobis utilem fuiſſe docet S. Ambroſius: *Ecce,* inquit, *nobis nihil nocuit, quod negavit, ſed plurimum profuit, quod flevit. Ambr. ſerm. de neg. Petri.* Similiter D. Thomæ lapſum nobis utilem fuiſſe declarat S. Gregorius: ſiquidem ex eo, quod in incredulitatem lapſus ſit, occaſionaliter accidit, nos in fide reſurrectionis Chriſti fuiſſe firmatos: *Dum vulnera in Magiſtro palpat carnis, in nobis vulnera ſanat incredulitatis. S. Greg. hom. 21. in Evang.* Quod mirabili gradatione explicat, & confirmat S. Chryſoſtomus, dicens: *Divinæ erat diſpenſationis myſterium, ut Diſcipulus non adeſſet. Si quidem enim adfuiſſet, minime dubitaſſet; ſi autem non dubitaſſet, non etiam palpaſſet; ſi vero non palpaſſet, neque ſic crediſſet; niſi denique ſic crediſſet, non ſic alios credere docuiſſet: Chryſ. in Dom. in Albis:* quare de primo ad ultimum optime ſequitur, Thomæ peccatum nobis occaſionaliter utile fuiſſe, quia reſurrectionis myſterium clarius cognoſcendi, & firmius credendi nobis occaſionem præbuit. O magnam utilitatem!

Optarem tamen, quod ex hujus Apoſtoli caſu aliud eliceremus emolumentum, quod ſcilicet, quantumvis juſti, & ſanctiſſimi, numquam ſuperbiamus, nec de ſalute noſtra præſumamus; ſed plurimum ſemper timeamus: *Noli altum ſapere, ſed time.*

Heu!

Heu! ſi cæli commoveatur columna, quid fiet de arundine? Si D. Thomas, qui in Chriſti ſchola fuerat eruditus, qui in collegio Apoſtolico, veluti ſtella fulgentiſſima rutilabat, & qui a Chriſto, ut Eccleſiæ columna fieret, fuerat vocatus, miſere, & flebiliter cadit; quis, quantumvis ſanctus ſit, non trepidabit? Si peccavit zelantiſſimus hic Apoſtolus, qui ante caſum ſuum miracula feciſſe, & revelationes habuiſſe creditur; quis non pavebit? Eſt certe quod timeamus, & quod ſalutem noſtram cum timore operemur: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini. Ad Philipp.* 2. Quamdiu in hoc mundo moramur, numquam, abſque ſpeciali Dei revelatione, de ſalute ſecuri ſumus: *Non Monachus ſecurus in Clauſtris, non Eremita ſecurus in ſolitudine: Innoc. III. de contemptu mundi*; quare timor, & tremor veniant ſuper nos, & cum ſancto timore in via ſalutis incedamus, quo nobis utilis fiet D. Thomæ caſus; ſed poſtquam de Thomæ dubitantis peccato aſſeruimus, *ejuſdem tangentis felicitatem demiremur.*

SECUNDA PARS.

Felicitas S. Thomæ tangentis Chriſti vulnera.

CHriſtus Dominus miſericordia motus erga Apoſtolum ſuum Thomam, a miſero, in quo verſabatur ſtatu, illum eruere voluit: quare poſt octo ab ejus caſu dies ſe ei manifeſtavit, eique tangenda exhibuit manum, & lateris ſui vulnera; *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Jo.* 20. Hæc Chriſti vulnera non ſolum vidit Thomas, ſed tetigit: *Videbat, tangebatque. S. Aug. tr.* 121. *in Jo.* Nimia curioſitate, & præſumptione illa tangere petierat: ſed illa tetigiſſe, maxima ejus fuit felicitas; quia per hunc tactum factus eſt ſapientior, ardentior, & generoſior; ex hoc enim tactu 1. Intellectus ejus repletus fuit lumine. 2. Voluntas ejus repleta fuit amore. 3. Cor ejus repletum fuit fortitudine.

In tetris erroris ſui tenebris octo diebus jacuerat D. Thomas: toto hoc tempore ejus obſcuratus fuerat intellectus; ſed tandem Chriſti tetigit vulnera, & ex hoc tactu mens ejus ita illuſtrata remanſit, ut fugatis omnium errorum tenebris, ipſe noverit myſterium Reſurrectionis, de quo antea dubitaverat; & Chriſtum, non ſolum Hominem, ſed etiam Deum eſſe proclamaverit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*, Deum peccato ſuo perdiderat Propheta Regius; Deum etiam infidelitate ſua perdiderat Thomas; Deum, quem perdiderat, manibus ſuis quæſivit Propheta: *Manibus meis Deum exquiſivi, & non ſum deceptus. Pſ.* 76. Deum etiam ſuum manibus exquiſivit Thomas, quia Chriſtum tetigit, palpavitque, & non fuit deceptus: quia hoc tantum lumen in ejus intellectum illapſum eſt, ut noverit Chriſti reſurrectionem, & divinitatem: *Tangebat hominem, & confitebatur Deum, quem non tangebat. S. Auguſtinus ubi ſup.* Quare ſi Ariſtides olim dixerit, quod ex Socratis contubernio & tactu fieret ſapientior, & doctior: *Proficiebam, o Socrates, quotieſcumque tecum eram, & longe magis, cum ad te ſedens, te tangebam: Apud Plat. in Theol.* quanto magis profecit S. Thomas ex tactu vulnerum Chriſti, ex quo ita ſapiens, & illuſtratus evaſit, ut protinus Chriſti reſurrectionem, & divinitatem confeſſus ſit? *Dominus meus, & Deus meus.*

Chriſti vulnera *fontes* vocat Propheta Evangelicus: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. Iſaiæ cap.* 12. Hæc quidem vulnera fontes fuere ſanguinis reſpectu omnium hominum: ſed reſpectu ſancti Thomæ fontes etiam fuere luminis. Eſt in Epiro fons effundens lumen ſicut aquam: quia ſi in eum extinctæ immergantur faces, ſtatim reaccenduntur: *Si extinctas faces demerſeris, inflammat. Boccac. de fontib.* Vulnera autem Salvatoris huic fonti quodammodo ſimilia reſpectu S. Thomæ: in hoc enim Apoſtolo extinctum fuerat fidei lumen: quare erat veluti fax extincta: ſed cum fax illa in Chriſti vulneribus fuit immerſa, mox accenſa fuit; poſtquam incredulus hic Diſcipulus vulnera Chriſti tetigit, divino ita irradiatus fuit lumine, ut divinitatis arcana clarius noſſe videatur, quam Sanctus Joannes Evangeliſta: quia, ut ait S. Thomas a Villanova, Chriſtum Joannes tetigit ſolum dormiendo: Thomas vero illum tetigit vigilando: *Ab illo pectore arcana cæleſtia Joannes hauſerat dormiendo, in illo Thomas grandes theſauros reperit ſcrutando. Concion. in oct. Paſch.*

De magno quodam Duce fertur, quod aliqui ejus æmuli, invidia in illum tabeſcentes, ut ejus gloriam, & famam denigrarent, illum in tabella depictum expoſuerunt, non vigilantem, & urbium mœnia profligantem, ſed dormientem, manibuſque rete tenentem, in quod urbes ex ſe ipſis, abſque ullo externo impulſu, ſe projiciebant: ſapiens autem ille Dux, ut inimicorum confunderet invidiam, præclare dixit: *Si tot urbes capio dormiens, quid facerem vigilans?* Hæc optime, meo quidem judicio, Sanctis Apoſtolis Joanni & Thomæ applicari poſſunt: Joannes enim dormiens, Thomas vero vigilans Chriſtum tetigit. Si ergo Sanctus Joannes dormiens tanta novit divinitatis myſteria; quanto majora noſſe videtur Thomas, qui Chriſtum non dormiens, ſed vigilans, tangere meruit? Tanta quidem novit, ut digitus Thomæ tangentis, non ſolum ipſius Thomæ, verum & totius mundi factus ſit Magiſter & Doctor: *Thomæ digitus factus eſt magiſter mundi. Petr. Dam. ſerm.* 41. O vere magnam Thomæ tangentis felicitatem! cum per tactum vulnerum Chriſti intellectus ejus repletus fuerit lumine: *ac etiam voluntas ejus repleta fuerit amore.*

2. Nonnulla ſunt amoris, & charitatis vulnera: *Eſt vulnus boni amoris, ſunt vulnera charitatis. Sanctus Ambroſius.* Hujuſmodi haud dubie Chriſti fuere vulnera, non ſolum, quia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ea pertulit; verum & quia ea contemplantibus, & tangentibus charitatem inſpirant, & infundunt, ut videre eſt in Sancto Thoma, qui mox ut ſacra hæc tetigit vulnera Chriſti exarſit amore, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*: ſeu tu es, quem, ut Dominum, & Deum meum, ſuper omnia diligo. Chriſti pectus, ut loquitur Sanctus Bernardus, erat *amoris domicilium*. Sanctus Thomas in hoc domicilium, ſeu in hanc amo-

ris

ris divini fornacem mittens manum, quaſi alter Prometheus, ignem ſacrum abſtulit, quo accenſus, clamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Non dixit: Dominus noſter, & Deus noſter; ſed: *Dominus meus, & Deus meus:* quia tanto ergo eum æſtuavit amore, quanto ſi ſui ſolius eſſet Dominus, & Deus: *Meus dixit, non noſter, quia ex magno affectu amoris vocat ſuum. S. Ambr. in Pſ. 49.*

Cum Magdalena pedes Chriſti oſculabatur, lacrymis rigabat, & capillis capitis ſui tergebat, Phariſæus murmurans, de Chriſto dicebat: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt. Luc. 7.* O Phariſæe! ſi tu ſcires quæ eſt illa mulier, quæ Chriſtum tangit, non illam peccatricem vocares, ſed amantem: quia lacrymis peccata ſua lavit, & cum Chriſti pedes tetigit, Chriſtus cor ejus divino amore accendit; Chriſti pedes ipſa lavit, & Chriſtus cor ejus charitate inflammavit: unde ex tactu pedum Chriſti, facta eſt amore ejus accenſa: *Dilexit multum.* Quod de Magdalena diximus, de S. Thoma etiam dicamus; ipſe enim non ſolum Chriſti pedes, ſed manus & latus ejus tetigit; ex hoc autem contactu ita Chriſti amore fuit ſuſflammatus, ut eum tota mente, toto corde, totiſque affectibus dilexerit; cum etiam ita amavit, ac ſi non aliorum, ſed ſui ſolius eſſet Dominus & Deus: *Meus dixit, non noſter, quia ex magno affectu amoris vocat ſuum.* Miramini Thomæ felicitatem, quæ tanta fuit, ut per Chriſti tactum voluntas ejus amore repleta fuerit: *ac etiam cor ejus fortitudine.*

3. Chriſti vulnera mente tangebat D. Bernardus, ea crebro contemplabatur, in ea ingrediebatur, & in iis commorabatur cogitatione & affectu: ibique ſtans, & requieſcens ſpiritualiter, ita fortis fiebat & generoſus ut nec dæmonis inſidias, nec mundi fraudes, nec carnis illecebras aliquatenus timeret: *Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado. S. Bernard. ſerm. 6. in Cant.* O miram vim vulnerum Salvatoris, etiamſi ſola mente contrectentur! At S. Thomas non mente ſolum ea tetigit, ſed ea manu palpavit, & in lateris vulnus manum immerſit: *Mitte manum tuam*: quare ex hoc contactu tantam percepiſſe videtur fortitudinem, ut labores, paſſiones, & ipſam mortem non timuerit. Unde hoc fortitudinis ſpiritu roboratus, totum, ut ait Chryſoſtomus, percurrit terrarum orbem; & barbaras gentes, necnon populos ferociſſimos, qui eum occidere cogitabant, & quærebant, impavidus peragravit: *Solus orbem terrarum percurrit, & in mediis plebibus volvebatur, volentibus eum interficere. In Cathedr. S. Thom. in c. 11. Joan.*

De Achille fertur, quod cum ſtygii fluvii aquis immerſus fuerit, ex iis ita fortis & robuſtus exierit, ut a nemine ſuperari valeret. In has quidem aquas immerſus non fuerat S. Thomas, ſed digito vulnera Chriſti tetigerat, manum in latus ejus immerſerat, ex quo ita fortis & generoſus evaſit, ut nec dæmonis tentationes, nec hominum perſecutiones, nec ipſam mortem amplius timuerit: ſed inter populos ſibi infenſiſſimos, ipſum interficere volentes, intrepidus ſteterit. Judæorum, Parthorum, Medorum, Perſarum, Hircanorum, Indorum, & aliorum populorum Chriſtianæ Religioni infenſorum, regiones luſtravit: ubique innumera occurrebant mortis pericula; & ubique fortiter & generoſe ea parvipendit, & impavidus fuit: *Solus orbem terrarum percurrit, & in mediis plebibus volvebatur, volentibus eum interficere.*

O quam felix fuit S. Thomas, poſt peccatum ſuum Chriſti tetigiſſe vulnera; cum ex eis tanta emolumenta perceperit. Heu! ſi ita infelices ſimus, ut in aliquod grave peccatum incidamus, ad Chriſti advolemus vulnera, ea contemplemur ut ſaluiferos redemptionis noſtræ fontes, in hæc ingrediamur ſanctuaria, & enixe Chriſtum rogemus, ut virtute ſanguinis per ſacra hæc vulnera fuſi, a noſtris mundare nos dignetur criminibus. Cum hæc Chriſtus in corpore ſuo paſſus eſt vulnera, purpureis ſanguinis ſui characteribus, in ſuis manibus, pedibus & latere nos deſcripſit: *In manibus meis deſcripſi te. Iſ. 49. 16.* Supplices ab ipſo petamus cum D. Auguſtino, quod hanc legat ſcripturam, & quod horum vulnerum virtute nobis indulgeat, noſque ſalvare dignetur: *Lege ſcripturam, & ſalva me.* Sic mente illa tangemus vulnera, & cum D. Thoma, ab iis uberes fructus eliciemus. Sed poſtquam vidimus Thomam tangentem: *audiamus illum confitentem, ejuſque fidem demiremur.*

TERTIA PARS.

Fides Sancti Thomæ confitentis.

ÆTernum nomini ſuo dedecus intuliſſet S. Thomas, ſi in infidelitate ſua permanſiſſet, & a via ſua prava non receſſiſſet; ſed per Dei miſericordiam, qui antea de Chriſti reſurrectione, & divinitate dubitaverat, ad ſe reverſus, Chriſtum glorioſe confeſſus eſt ſermone, opere, & paſſione. S. ille Apoſtolus Chriſtum confeſſus eſt publice, efficaciter, & conſtanter; eum confeſſus eſt. 1. *Publice* ſermonibus ſuis. 2. *Efficaciter* operibus ſuis. 3. *Conſtanter* paſſionibus ſuis.

1. S. Thomas, qui in ſua pertinax fuerit incredulitate, audito Chriſto ipſi dicente: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*; ſtatim palam, & coram aliis Apoſtolis illum ore, & ſermone confeſſus eſt, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis, ut ait Theophilactus, duplicem in Chriſto naturam, divinam ſcilicet & humanam confeſſus eſt: *Dicendo Dominus meus, humanam, & Deus meus, divinam confeſſus eſt naturam. Theophylactus in cap. 21. Joann.* Chriſtus eſt Deus ſimul & homo: eſt homo, ratione naturæ humanæ; eſt Deus; ratione naturæ divinæ, & ſuppoſiti divini, ſeu perſonalitatis Verbi utramque hanc naturam terminantis: Thomas autem utramque hanc naturam in Chriſto agnoſcens, eum Deum & hominem eſſe, palam confeſſus eſt, clamans: *Dominus meus, & Deus meus*; quaſi diceret: O Chriſte! te hominem eſſe confiteor: quia in corpore tuo vulnera video, quæ, ut homo, pro mei ſalute in crucis patibulo pati dignatus es; ſed te etiam Deum eſſe fateor: quia propria virtute a mortuis ſurrexiſti, ſicut prædixeras.

Myſteria divina corde credere non ſufficit, ſi fidem ore, & ſermonibus non manifeſtemus: *Corde enim*

creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Rom.* 10. 10. Omnes autem Apoſtoli corde, & ore procul dubio crediderunt; ſed ut ait S. Vincentius Ferrerius, videtur, quod S. Thomas aliis clarius & perfectius fidem ſuam manifeſtarit: *Inter Apoſtolos Sanctus Thomas, quia ore palam confeſſus eſt fidem, fuit clarior.* Scimus, plurimum laudari Petrum, eo quod Chriſtum eſſe Deum, & Patris æterni Filium ore confeſſus ſit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: Matthæi* 16. ſed Thomas, Chriſtum non ſolum Deum, ſed etiam hominem eſſe, palam confeſſus eſt, ejuſque confeſſio clarior fuit, & expreſſior: *Expreſſius intonat Thomas: Dominus meus, & Deus meus. S. Thom. a Villanova Conc. in oct. Paſch.* Palam negaverat Thomas, & palam confeſſus eſt; pluſque palam confeſſus eſt, quam palam negaverat: quia negaverat ſolum reſurrexiſſe Chriſtum, & confeſſus eſt, non ſolum eum reſurrexiſſe, verum & eum Deum ſimul, & hominem eſſe prædicavit. Ut enim ait Theophilactus: Divus Thomas factus eſt magnus Theologus, qui utramque Chriſti naturam, divinam ſcilicet, & humanam, palam docuit & prædicavit: *Qui prius fuerat infidelis, poſt lateris tactum, optimum ſe Theologum oſtendit, duplicem naturam, & unam hypoſtaſim differens. Dicens enim: Dominus, naturam humanam dicens: Deus, divinam confeſſus eſt in uno, & eodem. Theophilactus in c. 1. Joann.* O magnam S. Thomæ fidem, qui Chriſtum confitetur publice ſermonibus ſuis: *ac etiam efficaciter operibus ſuis.*

2. Fides, ſi vera ſit, operibus manifeſtari, & probari debet: *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Jacobi* 2. Fides non eſt otioſa, ſed laborioſa; & qui vere credit, opera fidei ſuæ conformia elicit: unde S. Jacobus Apoſtolus fidem quæ non operatur, non vivam, ſed mortuam & exanimem vocat: *Fides ſine operibus mortua eſt.* O Thoma! dicito nobis, quæ fuerit fides tua? Fuitne viva, an mortua? Fuitne otioſa, an ſanctis operibus probata, & confirmata? Tranſiitne ab ore tuo ad manus tuas? Laborioſa utique, & efficax fuit D. Thomæ fides: non enim Chriſtum eſſe Deum ſpeculative ſolum credidit; ſed etiam practice & efficaciter, faciendo ſcilicet opera ſuæ fidei, & confeſſioni conſona; Chriſtum enim, ut Deum, veneratus eſt, ei, ut Deo ſuo, in omnibus obtemperavit, ejuſque gloriam, virtutes, merita, & divinitatem ubique prædicavit. Sanctus ille Apoſtolus non fuit ſimilis iis Chriſtianis, quorum opera ſuæ ſunt fidei valde diſconvenientia, qui aliud credunt, & aliud faciunt, qui ore Deum confitentur, & factis illum negant: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Ad Tit.* 1. 16. Sanctus enim Thomas, non ore ſolum, ſed etiam operibus Chriſtum confeſſus eſt; hic ſemel coram aliis Apoſtolis illum ore confeſſus eſt, dicens: *Dominus meus, & Deus meus,* & millies deinde ſanctis ſuis eum confeſſus eſt operibus. Hic Judæam, Parthos, Medos, Regna Congi, & Narzingæ, necnon alias multas regiones peragravit, ubique Evangelium diſſeminavit, ubique Chriſtum prædicavit, & quod de Chriſto palam prædicavit, & profeſſus eſt, operibus ſuis confirmavit; cum prædicavit, Chriſtum eſſe Deum, eum ut Deum veneratus eſt; cum populis annuntiavit, Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe, iis identidem indicavit, ſe eſſe paratum ad dira quæque tormenta, & ipſam mortem pro illius gloria perferendam; cum de humilitate, patientia, manſuetudine, & aliis Chriſti virtutibus ſermonem habuit, ipſe ſe earumdem virtutum perfectum imitatorem exhibuit, eo ipſo tandem quo Chriſtum ore confeſſus eſt, operibus fidem ſuam oſtendit, & confirmavit: *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Sed Chriſtum etiam *confeſſus eſt paſſionibus ſuis.*

3. Fides paſſionibus probatur, & cum quis, ad confirmationem fidei quam profitetur, gravia patitur, ejus fides vera eſſe facile creditur; & tunc maxime, cum pro veritate fidei quam ſectatur, mortem ſubire non dedignatur: ut enim ait S. Bernardinus Senenſis: *Per martyria veritas fidei clarius eluceſcit, quando paratus eſt homo mori pro veritate, quam prædicat. Bern. ſerm. 1. Dominic. Quinquag.* Et revera, non magnum videtur, quod quis Chriſtum coram populis ipſum laudantibus, ipſiſque plaudentibus confiteatur; ſed Chriſtum coram Tyrannis, & in mediis ſuppliciis conſtanter confiteri, hoc magnum, & glorioſum eſt, & eo fides eſt clarior, quo quis graviora pro illius confirmatione patitur: *Confeſſio quanto in paſſione fortior, tanto clarior, & major in honore. S. Cypr. epiſt. 9. ad Martyr.* O quam clara, & quam mirabilis fuit Sancti Thomæ fides, qui pro Chriſto, & in Chriſti confeſſione gravia tormenta, mortem acerbam, & glorioſum martyrium perpeſſus eſt: *Tantum Thomæ fides convaluit, ut poſt conſummatum curſum Apoſtolicæ prædicationis, poſt innumerabilium converſionem populorum, ad triumphalem palmam pervenerit martyrii. Laurent. Juſtin. ſer. de S. Thom.* Non fuit Thomas ex his fidelibus mollibus, & delicatis, qui Chriſtum confitentur; cum omnia ſunt proſpera, ſed uſque ad ſanguinem reſiſtere non valent: ipſe enim uſque ad ſanguinis effuſionem, & ad diræ mortis paſſionem, Chriſtum conſtanter confeſſus eſt. Damnatus fuit Thomas ad incedendum ſuper laminas ferreas ignitas, ut ad Chriſtum negandum cogeretur, & ipſe illum ſemper confeſſus eſt. Miſſus fuit in furnum ferreum ignitum, ut ad a fide ſua diſcedendum compelleretur, & ut ait S. Vincentius Ferrerius, in eo per diem integrum remanſit orans, non ſecus ac ſi in oratorio extitiſſet. Ductus eſt ad Templum Solis, ut ad Solem adorandum adigeretur: ſed ipſe obedire renuit, dicens: *Ego adoro, non Solem, ſed Deum, non creaturam, ſed Creatorem. S. Vinc. Ferr. ſerm. de S. Thom.* Ipſe ſemper Chriſtum confeſſus eſt; ipſe ſemper dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Quare Pontifices, & Sacerdotes eum in confeſſione ſua conſtantem, & invictum videntes, ad tela, & lanceas cucurrerunt, quibus ſanctum Apoſtolum confoderunt, & interfecerunt.

O Thoma! quam magna eſt fides tua! Peccaveras quidem incredulitate tua; ſed ita felix fuiſti, ut per contactum vulnerum Salvatoris, intellectus tuus repletus ſit lumine, voluntas tua repleta ſit amore, & cor tuum repletum ſit fortitudine. Sed tandem magna fuit fides tua: qui Chriſtum confeſſus es publice ſermonibus tuis, efficaciter operibus tuis, & conſtanter paſſionibus tuis.

O utinam ſancti hujus Apoſtoli fidem omnes imi-

ra-

Digitized by Google

tarentur! Sed, heu! multi ſunt Chriſtiani nomine tenus. Sciunt cuncti, quod *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & tamen arbitrantur, ſatis eſſe, quod hominis Chriſtiani nomen habeant, licet fidem non habeant. O cæcos, & inſenſatos homines! Sciant velim, quod non *ſatis eſt habere fidem, niſi vita ſit fidelis. S.Greg. l.* 23. *Moral. c.* 10. non ſufficit palam verbis profiteri, quod credamus, ſi fidem operibus, & paſſionibus noſtris non manifeſtemus. Credis, inquis, in Chriſtum? Fac opera digna Chriſto, & pro illius gloria patere quæ in obſervatione legis ejus perferenda ſeſe offerunt. Heu! quo titulo, & qua fronte ſe Chriſtianos dicere audent, qui Chriſtianam vitam moribus ſuis non ſectantur? *Quomodo tu Chriſtianus diceris, in quo nullus Chriſtiani actus apparet? S. Aug. tr.* 5. *in Ep. Joann. c.* 3. Quid prodeſt nomen, ubi res non eſt, & quid in tremendi judicii die dicent hujuſmodi, qui Chriſtiani nomen habent, rem non habent? *Quid ergo dicturus es in judicio, ſolo nomine, & profeſſione Chriſtianus, vita & moribus pluſquam paganus; S. Thom. a Villanov. ſerm.* 3. *advent.* Quid dices, cum a te rationem Deus exiget fidei quam animæ tuæ infudit, gratiarum quibus te ornavit, Sacramentorum quæ pro te inſtituit, & tot bonorum ſpiritualium, quæ tibi liberaliter largitus eſt? Certe a Dei judiciis magis timere debent Chriſtiani, quam infideles: quia de pluribus bonis ſpiritualibus a Deo perceptis rationem ſunt reddituri; & quia ſi æternis addicantur ſuppliciis, gravior eorum erit pœna, quam paganorum. *Eſt enim gehennalis pœna paganorum infinite minor, quam malorum Chriſtianorum. Euſeb. Cæſarien.* Quare ſi Chriſtiani eſtis nomine, Chriſtiani ſitis & moribus; aut nomen, aut mores mutate.

De generoſo quodam Duce, me apud Plutarchum legiſſe memini, quod cum in exercitus ſui medio militem videret, Alexandrum nomine, corde vero ignavum & debilem; dixit ei: Amice, cum Alexander voceris, aut Alexandri Magni, totius orbis Monarchæ & Ducis generoſiſſimi nomen depone, aut tanti Viri mores geras: *Vel nomen muta, vel te gere ut Alexander. In vita Alexand.* Idem dico vobis. NN. Chriſtiani eſtis nomine, ſitis & moribus veſtris Chriſtiani, habetote fidem efficacem, & conſtantem, ſicut S. Thomas; ut aliquando audire valeatis Chriſtum dicentem, quod fides veſtra vos ſalvos fecerit: *Fides tua te ſalvum fecit. Amen.*

DE NATIVITATE

CHRISTI

CONCIO PRIMA.

Reclinavit eum in præſepio.
Luc. 2.

CHriſtum ut Verbum inter Cælites regnantem hac in concione non intueor; ſed eum ut Hominem in ſtabulo naſcentem admiror. In cælo, ut Verbum, eſt Patris æterni unigenitus; & in ſtabulo, ut Homo, eſt unigenitus Mariæ. In cælo natus eſt ex Patre ſine Matre, & in ſtabulo natus eſt ex Matre ſine Patre; in cælo naſcitur ſemper, & in ſtabulo naſcitur ſemel; in cælo naſcens, requieſcit in Patris æterni ſinu: *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris: Joan.* 1. 18. & in ſtabulo naſcens, reclinatur in præſepio: *Reclinavit eum in præſepio*. Pluries demiratus ſum hujus mundi ſtructuram, ſtabilitatem terræ, ſolis regulares motus, lunæ defectum & incrementum, necnon temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modo videntur, deinceps reviviſcunt; ſed hodie cum D. Auguſtino miror magis Dominum, & Deum cæli & terræ, in vili præſepio decumbentem: *Expaveſcere me feciſti, quia Verbum, per quod facta ſunt omnia, in præſepio jacuiſti. S. Aug. orat. contra Judæos c.* 13. ibi eum reclinavit Maria, ibi eum pie contemplemur, &c. *Ave.*

CHriſtus, qui hodie in Bethlehem naſcitur, eſt Puer, Doctor, & Rex. Eſt Puer: quia ut nos ad ſui amorem alliceret; pueri figuram & corpuſculum ſumere voluit: *Parvulus natus eſt nobis.* Eſt Doctor; quia in hunc mundum venit, ut omnes homines ſcientiam ſalutis doceret: *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Matth.* 23. Eſt tandem Rex, cujus dominium ad omnia creata ſe extendit: *Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Huic puero danda ſunt incunabula, in quibus decumbat; huic Doctori erigenda eſt cathedra, in qua doceat; & huic Regi componendus eſt thronus, in quo ſedens præſit, legem ferat, & ſuo nomini debitos honores percipiat. Sed ubi invenientur incunabula tanto puero digna? Ubi occurret cathedra tanto Doctori congrua? Ubi reperietur Thronus tanto Regi conveniens? Hæc omnia in cælo inveniri poſſent: ſed in terra unicum, & humile præſepium tria hæc ei ſuo modo præſtat officia; in eo enim jacet, velut in humili lecto, in quo gravia patitur; in eo reſidet, velut in Doctoris cathedra, in qua præclara, eaque ad ſalutem proficua, nos docet; & in eo velut in gloriæ & honoris throno ſedet, in quo ab Angelis, & hominibus honoratur. Præſepe tandem eſt Chriſto lectus, cathedra, & thronus: eſt ei *lectus* laboris & doloris, *cathedra* Doctoris & Prædicatoris, *thronus* gloriæ & honoris. Vel, ut melius meam explicem mentem, præſepe eſt. 1. *Lectus* Chriſti patientis. 2. *Cathedra* Chriſti docentis. 3. *Thronus* Chriſti regentis. En tres Orationis hujus partes, quibus Chriſtum in præſepio contemplabimur, in quo reclinavit eum Maria: *Reclinavit eum in præſepio.*

PRIMA PARS.

Præſepe eſt lectus Chriſti patientis.

SIcut ſecundum Divinitatem, qua unum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, neque Patrem natum credimus, neque Spiritum Sanctum, ſed ſolum Filium: ſic etiam ſecundum carnem, ſolum Filium natum catholica fides credit & prædicat. Deus erat, & homo factus eſt; non amiſit divinitatem, ſed ſuſcepit humanitatem; manſit ſublimis, & factus eſt humilis; non deſtitit eſſe Deus, & factus eſt homo; non ceſſavit eſſe magnus, & natus eſt

parvus: *Parvulus natus eſt nobis*. Ubi quæſo habitabit puer hic recenter natus? Quæ ei parabuntur incunabula? Quod ei cubile dabitur? Maria *reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio*. Non fuit in alieno hoſpitio locus illi qui condidit locum, illi qui omnem replet locum, & illi qui cunctorum ipſe eſt locus: quare Maria *reclinavit eum in præſepio*. Ecce ejus incunabula: ecce ejus lectus, qui quidem non ei lectus quietis & voluptatis, ſed lectus mœroris & doloris extitit: quia ibi ploravit, ibi vagiit, ibi naturæ humanæ infirmitates expertus eſt, ibique crucis ignominias & dolores aliquo modo prægustavit.

Tertullianus lectum in quo Chriſtus naſcens decumbit, anguſtum vocat, & durum: *Diverſoria anguſta, & ſordidos pannos, & dura præſepia. Lib. de Carn. Chriſt. 1.* Ei quidem durum eſt præſepe, ei durus eſt lectus in quo reclinatur, tum ob hiberni injurias temporis, tum ob fœtorem quem ex pecorum excrementis odoratur, tum ob viles panniculos, quibus involvitur, tum quia ibi, non in molli pluma, ſed ſupra paleam ſolummodo recumbit. Quæ quidem omnia ipſi dura & acerba extitere: non enim penſandum, Chriſtum Dominum aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, æthereum, vel quocumque modo impaſſibile: corpus enim ejus, non ſecus ac alia corpora, doloribus & paſſionibus fuit obnoxium: *Natus eſt Deus, Verbum ex Virgine, veſtitus corpore obnoxio iiſdem paſſionibus nobiſcum. S. Ignat. Martyr. Ep. 5. ad Trallian.* Quare cum Chriſtus fuerit ſenſibilis & paſſibilis ſicut nos, ei præſepe lectus duriſſimus, & lectus patientis vere extitit: *Sordidos pannos, dura præſepia*.

Chriſtus Dominus, ut quantam profiteretur paupertatem manifeſtaret, ait: *Filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet*. Non habuit quidem Chriſtus *reclinatorium aureum*, nec in culcitris, & ſericis recubuit: duos tamen habuiſſe videtur lectos, in quibus caput ſuum reclinavit; unum in morte, & alterum in nativitate; lectus in quo mortuus, non alius eſt quam ipſa crux, in qua inclinato capite *emiſit ſpiritum*; lectus in quo naſcens politus, non alius eſt quam vile præſepium, *Et reclinavit eum in præſepio*. Durus fuit lectus mortis, & durus fuit lectus nativitatis; crux Chriſto morienti fuit lectus duriſſimus, & vere lectus doloris: quia ibi paſſus eſt opprobria, ſputa, ſpinarum aculeos, clavorum ſævitiam, & acerbiſſimæ mortis dolores. Sed præſepe fuit etiam Chriſto naſcenti lectus doloris: quia ibi frigus, paupertatem, & ipſos crucis dolores præſenſit, & prægustavit: *Vix natus eſt Cœli gloria, Cœli divitiæ, Cœli deliciæ, dulcis Jeſus, & ecce recentior tui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur. S. Bern. l. de paſſ. Dom. c. 5.* Hæc omnia copulata ſunt Chriſto naſcente, & in præſepio recumbente: unde præſepe ei vere lectus doloris extitit. Mirabatur Tertullianus Chriſtum in Virginis utero novem menſibus remanentem, & ibi expectantem: *Naſci ſe Deus patitur in utero Matris, & expectat. Tertull. de patient. c. 3.* Quid expectabat Chriſtus in utero Matris? ibi expectabat, quod colligeretur ſanguis, quem pro hominum ſalute fuſurus erat; ibi expectabat, inquit Auguſtinus, quod formarentur membra, quæ cruci erat traditurus: *Deſcendit Chriſtus in uterum Virginis, ut exinde acciperet membra quæ traderet cruci. S. Auguſt.* Hæc membra in Mariæ utero ſumpſit Chriſtus, & poſtquam ex ejus utero egreſſus eſt, ea in præſepio reponi voluit; ibi primus ejus fuit lectus, non quidem deliciarum, ſed doloris: quia ibi dolores tantos pertulit, ut Martyrii paſſiones ibi ſentire, & ferre inceperit: *Chriſtus in præſepio reclinatur, legem Martyrii præfigebat. Petrus Dam. ſerm. 11.* In cruce Martyrium conſummavit, cum pro noſtra ſalute paſſus eſt; & in ſtabulo illud inchoavit, cum in præſepio, velut in lecto doloris, plurima perpeſſus eſt. Videte eum ibi plorantem, audite eum vagientem: *Vagit infans inter arcta condita præſepia.* Quid tot lacrymæ, quid tot vagitus ſignificant, niſi eum gravia multa, & quaſi martyrium pati? *Plorat Chriſtus*, inquit S. Bernardus, *ſed non ſicut cæteri: S. Bern. ſer. 3. de Nat.* alii pueri in ſuis cunis, non voluntarie, ſed mere naturaliter, & ex ſolo motu & impetu naturæ flent; Chriſtus vero in præſepio recubans, flet voluntarie & libere, propter acerbos quos patitur dolores, quibus quaſi martyr in cunis efficitur: *In præſepio reclinatus legem martyrii præfigebat*.

Chriſtum in præſepio contemplatur Hugo Cardinalis; & omnibus penſatis, & ſerio ponderatis, ait, illud præſepe in quo Chriſtus decubuit, ejus crucem fuiſſe: *Præſepe Domini, crux Domini. Hugo Car. in c. 2. Luc.* Heu! quomodo præſepe Chriſto crux eſſe potuit, cum in illud voluntarie ſe inclinari, illudque omnibus terrenis ſoliis prætulerit; Quomodo præſepe crux ei fuit, cum aſſeruerit, quod deliciæ ſuæ eſſent, cum hominibus converſari: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*? Verum eſt, quod Chriſtus in præſepio jacuerit, non coactus, ſed quia ipſe voluit: certum eſt etiam, quod gratiſſimum ei fuerit eſſe cum filiis hominum; per hoc tamen non ſtat, quin præſepio ei crux fuerit: *Præſepe Domini, crux Domini*. Præſepium ei vere crux extitit, non ſolum ob incommoda, & dolores quos in eo pertulit; ſed etiam quia in eo recubans, omnia prævidebat, quæ in crucis patibulo paſſurus erat; immo & quia maxima erat convenientia præſepis in quo jacebat, cum cruce cui affigi debebat.

Chriſtus in præſepio, velut in myrrhæ faſciculo decumbens, non ſolum dolores in corpore ſuo actu portabat; verum & mente revolvebat, quanta ab hominibus paſſurus erat. Dormiebat ſimul & vigilabat: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Per infinitam ſcientiam ſuam omnia noverat, & ſuper omnia vigilabat, quæ adverſus ipſum homines moliebantur; in lectulo ſuo recumbens, videbat, quomodo Mater ſua longum iter ſuſcipere coacta fuerat, ut Auguſti Edictis obtemperaret; videbat quomodo nullum locum in diverſorio ipſa paritura invenerat; videbat etiam quomodo Herodes ipſum ad mortem quæſiturus, & innocentes innumeros morti erat adjudicaturus: quare præſepe ei vere crux, & lectus doloris extitit: *Præſepe Domini, crux Domini*.

Alio mentem noſtram feramus, dicamuſque præſepium gravem Chriſto fuiſſe crucem, quia ipſe in præſepio degens, omnia ſcrutabatur, dinumerabat, & ponderabat ſupplicia quæ in crucis patibulo paſſurus erat. Hic puerulus tanta rerum pollebat no-

Digitized by Google

notitia, & præſcientia, quanta Pater æternus: quare in humili decumbens præſepio, ſe a Juda tradendum, a Petro negandum & ab aliis Apoſtolis derelinquendum eſſe prænoverat. Inde prævidebat contumelias quibus tempore paſſionis afficeretur, blaſphemias quibus peteretur, flagella, quibus plecteretur, & omnes ignominias quibus ſubderetur. Prævidebat quomodo Judæi illum Barabbæ poſtponerent, quomodo in deriſionem illum purpurea veſte induerent, quomodo ſpinea caput ejus corona redimerent, cumque diro patibulo affigerent: horum autem omnium præſcientia, & præviſio fecit, quod præſepe ipſi lectus doloris, & crux fuerit: *Præſepe Domini, crux Domini.*

Alio tandem ſenſu explanari poſſent præclara præfati Cardinalis verba, dicendo, præſepe Chriſto crucem fuiſſe: quia magna eſt convenientia præſepii in quo decubuit, cum cruce cui affixus fuit; quod ut pateat, Chriſtum in præſepio ſimul & in cruce contemplemur; In cruce nudus eſt, & in præſepio vilibus involvitur pannis; in cruce duos inter latrones locatur, & in præſepio duo inter bruta reclinatur; in cruce eum perſequuntur Judæi, & in præſepio Herodes; in cruce a ſatellitibus percutitur, & in præſepio corpus ejus frigore congelatur; facies ejus in cruce conſpuitur, & in præſepio lacrymis irrigatur; in cruce tandem moritur, & in præſepio vitam ipſa morte amariorem incipit: quare præſepe ei vere crux, & lectus patientis extitit, *Præſepe Domini, crux Domini.*

Heu! quam fallebantur, qui Meſſiam venturum, corporis addictum voluptatibus auſpicabantur: vir dolorum futurus erat, non vir voluptatum; non in deliciis, ſed in doloribus eſſe debebat a juventute ſua; non inter roſas, ſed inter ſpinas commoraturus erat; non in molli culcitra, ſed in duro præſepio reclinandus erat; ibi recubuit in meridie, & tota die. O Chriſte Salvator, ſi humilem naturæ humanæ carnem, & amabilem pueri formam ſumere dignaris; cur tibi ab Angelicis incunabula auro & gemmis rutilantia fabricari non imperas? cur ſtratum molle, & tibi ad requiem commodum ab his aptari non jubes? Abſit hoc a Chriſto, qui in hunc mundum venit, non ut delicias & requiem, ſed ut dolores & labores amplecteretur.

Diſcite, o viri deliciarum, crucem diligere, & toto corde amplecti! *Diligenda res eſt homini, quæ Deo chara eſt: S. Cypr. l. de bon. patient. Idem ſer. de Stell. & Mag.* quare cum ab infantia Chriſtus pati amaverit, & voluerit, cum ipſo pati diligite. Chriſti nativitas a S. Cypriano vocatur *jugulatrix voluptatum*: quia Chriſto in cunis vagiente & patiente, illicitas quiſque voluptates abjicere & jugulare debet: quare mundi & carnis delicias toto cordis affectu abjicite, & cum Chriſto in cunis patiente, pati & doloribus affici ambite. Omni tempore in Chriſtum peccat, qui illicitis voluptatibus vacat, & præcipue ſi in die nativitatis ejus iis indulgeat: quare *nolite peccare in puerum, frater enim & caro noſtra eſt. Gen. 3.* Nolite peccare in Chriſtum naſcentem, impudicitiis, & aliis prohibitis voluptatibus inhærendo; ſed eſtote participes dolorum divini hujus pueri, cui præſepium eſt lectus patientis, *ſed etiam cathedra docentis.*

SECUNDA PARS.

Præſepe eſt cathedra Chriſti docentis.

FIlium ſuum unigenitum in hunc mundum miſit Pater æternus, ut duo ſpecialia obiret munera, Ducis ſcilicet & Doctoris. *Ducem ac Præceptorem gentibus dedi eum. Iſaiæ 55.* Parvulus hic in ducem datus, ita impigre ac celeriter ſtrenuum ſe ducem exhibuit, ut in ipſis cunis vagiens, potentiſſimum idololatriæ imperium profligaverit & evertit: *Statim ut natus eſt, demolitus eſt idololatriam. S. Cyrillus Alex. in c. 1. Iſa. Auguſt. l. 22. in Fauſt.* Sed inſuper, ut ait Auguſtinus, hic puer recens natus, in Bethlemitica Academia Doctoris & Prædicatoris functus eſt officio: *Chriſtus non ſolum loquendo, ſed etiam naſcendo Magiſter fuit:* Unde dici poteſt, quod ſicut crux Chriſti morientis fuit cathedra, in qua ultimam ſuam concionem habuit; ita & præſepium Chriſti naſcentis fuerit cathedra, in qua primo ſcientiam ſalutis homines docuit, populiſque prædicavit.

Sapientiores ſunt Prædicatores hi, quorum ſancta opera ſunt quaſi verba, quibus prædicant, quia licet verbis prædicare ceſſent, ſemper tamen operibus prædicant: *Sapiens eſt Prædicator, cujus verba ſunt opera: quia quando ſilet a prædicatione, prædicat tamen in operatione. Hugo Card. in 1. Theſ. 1.* Chriſtus autem, qui eſt ſapientia æterna, hoc modo in præſepio prædicavit: non ibi concionatus eſt verbis, ſed exemplis: ibique id exemplis ſuis prædicavit, quod verbis ſuis in reliquo vitæ ſuæ curſu concionaturus erat: *Jam clamat exemplo, quod poſtmodum prædicaturus erat verbo. S. Bern. ſerm. 1. de Nat.* Ipſe in monte, & alibi verbis ſuis mundi contemptum, voluptatum abnegationem, divitiarum abdicationem, paupertatis, humilitatis, & aliarum virtutum amorem prædicaturus erat; & hæc eadem exemplis ſuis in præſepio prædicat: *Jam clamat exemplo*; immo & videtur, quod omnia quæ in Chriſto naſcente ſunt, hæc prædicent. *Nondum loquitur lingua, & quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, & evangelizant; ipſa quoque infantilia membra non ſilent. S. Bern. ſer. 3. de Nat.* Chriſtus in præſepio non loquebatur, ſed omnes virtutes quas ſectabatur, omniaque ejus membra in quibus patiebatur, clamabant & prædicabant; ejus paupertas prædicabat, ejus humilitas prædicabat, ardentiſſima ejus charitas prædicabat, lacrymantes ejus oculi prædicabant, totum ejus corpuſculum temporis inclementiæ expoſitum prædicabat: *Quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant*, eaque omnia prædicant & evangelizant exemplo: *Jam clamat exemplo.* Unde ſi dixerit S. Gregorius Thaumaturgus, quod in ſchola Origenis plus oculis, quam auribus diſcipuli ejus ediſcerent, quia Origenes multa dicebat, ſed plura faciebat; longe potiori jure dicere debemus, quod in Academia Bethlehemitica ipſis oculis homines doctiſſimi fieri poſſunt: quia ibi Chriſtus divinis ſuis exemplis mirabiliter prædicavit: *Jam clamat exemplo.*

In Bethlehemiticam ergo ingrediamur ſpeluncam, ubi Sapientia æterna, ſeu Verbum infans concionatur;

tur; audiamus, vel potius videamus hunc Prædicatorem, qui non verbis arte oratoria contextis, nec elaborata utitur eloquentia, ut vana & inutilia auditoribus ſuadeat; ſed raris omnium virtutum exemplis prædicat; & ſi quis ſcire cupiat quæ fuerit concionis ejus materia, & in quas partes illam diſtribuerit? Reſpondebit S. Petrus Chryſologus, ejus concionem duabus conſtitiſſe partibus, quarum prima homines docuit omnia vitia fugere; & ſecunda eos ad virtutes ſectandas allicere conatus eſt: *Nativitas Chriſti*, inquit, *mors vitiorum, via virtutum. Chryſol. ſerm. de Nativ.* Antequam in hunc mundum veniret Chriſtus, homines innumeris dediti erant vitiis, plerique in vitiorum ſuorum cœno volutabantur, & delectabantur; Chriſtus autem in præſepe, velut in cathedram magiſtralem, aſcendit, in qua contra hominum vitia prædicavit: *Chriſti Nativitas mors vitiorum.* Ante Chriſti adventum pauci vitam ſpiritualem ſectabantur, virtutum exercitio pauci vacabant; ſed Chriſtus in præſepio, quaſi ex cathedra locutus eſt, ut homines ad omnium virtutum exercitium alliceret; ibi, non ſolum vitia eradicanda, ſed virtutem etiam ſectandam eſſe prædicavit: *Chriſti Nativitas mors vitiorum, vita virtutum.*

Poſtquam diſceſſere Angeli, qui Chriſtum in præſepio jacere annuntiaverant, Paſtores dixerunt invicem: *Transeamus uſque ad Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt.* Juxta Philoſophorum dogmata, voces & verba non ſunt objecta viſus, ſed auditus; audiuntur, ſed non videntur: cur ergo Paſtores Bethlehemiticum antrum adire volunt, non audituri, ſed viſuri Verbum: *Et videamus hoc Verbum?* Certe ſapientes, & plus quam Philoſophi ſunt Paſtores hi: nam Chriſtus eſt Verbum, quod in præſepio videtur. Ante incarnationem erat Verbum hominibus inviſibile, ſed Verbum illud caro factum, eſt viſibile; totum ejus corpus eſt verbum viſibile, ejus lacrymæ, ejuſque tremor ſunt verba, omnia tandem quæ in eo ſunt, verba ſunt quæ prædicant & evangelizant: *Quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant.* Hæc omnia clamant, hæc omnia prædicant, quod a vitiis declinare, & virtutes ſectari debeamus: *Chriſti Nativitas mors vitiorum, via virtutum.*

D. Paulus ait Chriſtum Salvatorem nobis apparuiſſe; *Apparuit gratia Salvatoris noſtri. Ad Tit. 2.* Ante Incarnationem erat Deus abſconditus, qui non apparebat, & qui carneis oculis videri nequibat, ſed in præſepio, humana indutus carne, Regibus, Paſtoribus, & aliis ſe viſibilem exhibuit: *Apparuit gratia Salvatoris noſtri. Ib.* Si autem D. Paulo credamus, ibi apparuit Chriſtus ſub figura Doctoris & Concionatoris. Apparuit, inquit, gratia Salvatoris noſtri *erudiens nos*. O novum & mirabilem Concionatorem! Sed operæ pretium eſt ſcire quid prædicet, & quid ſit concionum ejus argumentum. De altiſſimo forte Trinitatis myſterio ſermonem habet? Forte inenarrabilia prædeſtinationis, vel præſcientiæ divinæ arcana propalat, vel aliam aliquam abſtruſam, & curioſam pertractat materiam? Ad talia ejus non vertitur oratio, inquit D. Paulus: in ſua enim concione duo duntaxat ſuadere intendit, fugam ſcilicet vitiorum, & virtutis amorem. In prima concionis ſuæ parte vitiorum fugam ſuadet: *Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria*; in ſecunda vero ad virtutis amorem nos vocat: *Sobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.* Ibi Chriſtus humilis & parvulus ab omni ſuperbia declinari, humileſque & parvulos fieri nos docet; ibi Chriſtus propter nos egenus & pauper factus, avaritiam fugiendam, omniaque terrena deſpicienda eſſe prædicat; ibi Chriſti patientia ad carnis mortificationem nos ſtimulat; ibi Chriſti inſontis lacrymæ, cordis noſtri duritiam arguunt, & lacrymas ad expianda noſtra crimina a nobis exigunt; ibi tandem Chriſtus, non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed exemplis ſuis clamat, ut *abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria; ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.*

O egregium Prædicatorem! ſed o perexim iam ejus concionem! audite N. N. divinum hunc Concionatorem in præſepio prædicantem, miramini ejus doctrinam, eam mente revolvite, & quæ facienda eſſe docet, ſedulo facite. Volens Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos difficillimam humilitatis doctrinam edocere, *ſtatuit parvulum in medio eorum, & dixit illis: Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum Cælorum!* Heu! inquit S. Bernardus, alius alius parvulus in medio poſitus eſt, Chriſtus ſcilicet: *Ecce in præſepii medio parvulus poſitus eſt, ſtudeamus effici ſicut parvulus iſte. S. Bern. ſer. 3. ſuper Miſſus.* Hic puer in præſepio poſitus, ſuperbiæ, avaritiæ, voluptatum, & omnium vitiorum fugam ſuo nos docet exemplo; ipſe etiam humilitatem, paupertatem, mundi contemptum, & omnium virtutum amorem exemplis ſuis prædicat; quare *ſtudeamus effici ſicut parvulus iſte*, ejuſque virtutes pro viribus imitemur. Non loquitur hic Concionator, ſed facit; faciamus & nos quod ipſe facit, ut nobis fructuoſa & efficax ſit ejus concio. Sed poſtquam Chriſtum in præſepio vidimus, velut in cathedra docentis; *eum in eodem præſepio, tamquam in throno regnantis contemplemur.*

TERTIA PARS.

Præſepe eſt thronus Chriſti regnantis.

CHriſtus in hoc labili mundo vivens, duplici, ut homo, potitus eſt regno, ſpirituali uno, & temporali altero. Spirituale ejus regnum fuit Eccleſia, quæ eſt quaſi omnium fidelium reſpublica, quam ipſe inſtituit, cui leges dedit, & quam adhuc per ſummos Pontifices, quaſi Proreges & Vicarios ſuos regit. Temporale autem ejus regnum fuit totus mundus, inquit Doctor Angelicus, cujus dominium ipſi etiam ut homini, erat debitum ratione unionis hypoſtaticæ; ratione cujus cum fuerit adſcitus in Dei Filium, hæres etiam factus eſt Dominus univerſorum; nec non *Princeps Regum terræ*, *Rex Regum, & Dominus dominantium. Apoc. c. 2. & c. 19.*

Licet autem Chriſtus proprie, & directe totius mundi regnum, & dominium habuerit, quoad jus, & poteſtatem; ea tamen in terris non eſt uſus poteſtate, nec in aliquo hujus mundi loco regalem ſuum thronum erexit; nihilominus dici po eſt, quod

quod ipſi præſepe quaſi thronus regalis fuerit, aliiſque omnibus Regum ſoliis longe nobilior, & fulgentior. Ut enim ait S. Bernardus: ſi Chriſtus Rex eſt, *ubi aula regia ubi thronus? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium? Serm. 1. Epiph.* Fuit utique, inquit idem Bernardus, præſepe Chriſti thronus, qui nobilitate & gloria auratos omnium Regum thronos anteceſſit: *Pretioſiores ſunt panni Salvatoris omni purpura, & glorioſius ejus præſepe auratis Regum ſoliis. S. Bern. ſer. 4. in Vig. Nat.* In urbe Roma toto orbe celeberrima ſuum conſtituat thronum Auguſtus Cæſar; illum, ſi velit, auro, & gemmis rutilantibus adornet, triumphorum ſuorum titulis illum inſigniat, & in eo ſedens, univerſi terrarum orbis clavum ſe tenere glorietur; Chriſti tamen in præſepio vagientis thronus, & Cæſaris, & omnium Regum thronos gloria & majeſtate longe ſuperat: *Glorioſius ejus præſepe auratis Regum ſoliis.*

In hodiernæ ſolemnitatis Officio pluries Chriſtus in præſepio inclinatus, vagiens, & humiliatus proponitur; nihilominus ibidem dicitur, quod ſit magnificatus: *Rex pacificus magnificatus eſt*, diciturque magnificatus ſupra alios mundi hujus Reges: *Magnificatus eſt Rex pacificus ſuper omnes Reges univerſæ terræ.* Quomodo humiliatus ſimul & magnificatus eſt Chriſtus? Si in vili & humili decumbit præſepio, quomodo in illo ſupra omnes mundi Principes magnificari potuit? In eo vere magnificatus eſt, & præſepium illud in quo recubuit, omnibus aliis thronis regalibus longe nobilius, & glorioſius extitit: quia ſicut dicitur de Mida, quod quidquid tangeret, in pretioſum mutaret aurum: ſicut & de ſanctis Martyribus, quod carceres in quibus detinebantur, ſua ſanctitate in templa & ſanctuaria converterent: ita Chriſtus Dominus in præſepio reſidens, illud ſua præſentia in thronum aliis omnibus thronis regalibus glorioſiorem immutavit: *Glorioſius ejus præſepe auratis Regum ſoliis.*

Quod ut, quam verum ſit, pateat: Chriſtum Regem in præſepio reclinatum, cum aliis Regibus in thronis ſuis ſedentibus & triumphantibus conferamus. Alii Reges in ſoliis ſuis ſedentes leges ferunt, ſed fallibiles ſæpe, & ſæpe iniquas; Chriſtus autem in præſepio reſidens, toti terrarum orbi infallibiles & æquiſſimas præſcribit leges, quas & ipſa inanima adamuſſim obſervant: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Alii Reges e thronis ſuis adverſus nonnullos ſceleroſos mortis ſententiam ferunt; & Chriſtus in præſepio jacens, omnes penitus homines ad ſemel moriendum condemnat: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Regem terrenum in throno ſuo ſedentem clientes venerantur, & timent; Chriſtus vero in præſepio decumbens, non ſolum plebejis, verum & ipſis Regibus terræ formidabilem ſe & venerandum exhibet. Cum Rex terrenus in ſolio ſuo ſedet, ab aliquibus Aulicis ſibi ſubditis circumdatur; & ad Chriſtum in præſepio reclinatum accedunt Reges Magi, qui ad ipſius pedes procidunt, eique pretioſa munera offerunt. Reges tandem terreni in thronis ſuis regnantes, poteſtate quadam fruuntur, ſed a Chriſto accepta, eaque tranſitoria & limitata: ſed regnum Chriſti regnum æternum, eique data eſt omnis poteſtas: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in terra.* Ecce quomodo *glorioſius Chriſti præſepe auratis Regum ſoliis.* Quod & ipſi Angeli noverunt, qui Chriſti Domini præſepium, & Principum palatiis, & Templo Hieroſolymitano, auro, argento, pretioſiſſimiſque lapidibus fulgenti, prxpoſuerunt: *Regum palatiis, ipſoque Templo Hieroſolymitano, pauperculum illud ſtabulum Angeli anteponebant. Chryſipp. orat. 2. de Virg. Deip.*

Tantam præſepii, in quo requievit Chriſtus, gloriam extitiſſe arbitratur ſanctus Epiphanius, ut illud cælo empyreo, in quo Deus viſibiliter manifeſtatur, æquiparare non dedignetur. *Stabulum viſum eſt eſſe cælum in terra, in quo Virgo Deipara citra laborem prægnans, cæli & terræ Dominum depoſuit, in quo omnes Angelorum Ordines circumſtabant Virginem cum clamore dicentes: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Epiph. or. de Virg. Deip.* Et revera, ſi tota cæli gloria a Deo eſt, nonne in præſepio idem Deus reſidet, qui in Cælo manifeſtatur: *Deus erat Verbum? Joan. 1.* Si tres Trinitatis Perſonas habet cælum, nonne eas habet & præſepium, non ſecus ac cælum empyreum? ibi enim eſt ſecunda, ſeu Verbum æternum humanitati Chriſti hypoſtatice unitum; ibi etiam ſunt prima & tertia Trinitatis Perſonæ per circuminſeſſionem, ut fantur Theologi. Si in cælo ſunt Angeli, adſunt etiam cæleſtes illi Spiritus Chriſto in præſepio vagienti; quod ſi tandem in empyreo cælo ex Dei intuitu beentur Juſti, id profecto Chriſti præſepio non defuit: quia, ut ait S. Cyprianus, *præſentia Parvuli ſic eorum, qui aderant, oculos occupabat, ſic illuminabat animos, ſic alliciebat corda, ut in hoc ſummo bono, omnium bonorum unita collectio videretur. S. Cypr. de Nativ.* Quare tanta extitit præſepii gloria, ut cælum empyreum fuiſſe videatur: *Stabulum viſum eſt eſſe cælum in terra.*

Præfatis addere non verebor, in Chriſti præſepio aliquid gloriæ reperiri, quod cælo empyreo deerat: nam Virgo Deipara, & Joſeph caſtiſſimus ejus ſponſus, quos nondum cælum empyreum poſſidebat, Chriſto in præſepio jacenti aderant. Dicam tandem, thronum Chriſti Bethlehemiticum alio titulo cæleſti ejus throno aliquo modo glorioſiorem extitiſſe: quia ſcilicet in præſepio perfectiones Chriſti magis manifeſtabantur. Gloria, ut ait Doctor Angelicus, eſt *clara cum laude notitia*: quare hic majori afficitur gloria, cujus perfectiones magis notificantur, & manifeſtantur: Chriſti autem in cæleſti throno reſidentis perfectiones non ita hominibus notificantur, ac cum in Bethlehemitico throno fuit reclinatus: cum enim homo factus eſt, & in præſepio jacuit, ejus magis patuere ſapientia, potentia, bonitas, clementia, & miſericordia; ac proinde tunc magis (ſaltem coram hominibus) glorificatus eſt; tunc *vidimus gloriam ejus, Joan. 1.* quæ antea quaſi non videbatur: quare fatendum, glorioſiſſimum extitiſſe Chriſti naſcentis thronum eumque in præſepio, velut in gloriæ ſuæ throno decubuiſſe.

Sed quos honores Regi noſtro, Imperatori noſtro, & Deo noſtro in Bethlehemitico throno reſidenti & regnanti impendemus? Heu! quam multi eum ibi non honore, ſed potius contumeliis & dedecore afficiunt! multi ſunt Gentilibus ſimiles, qui

Digitized by Google

Imperatorum ſuorum feſta impudicitiis, ebrietatibus, & iniquis aliis actionibus celebrare ſoliti erant. Eos præclariſſimis verbis increpat Tertullianus, dicens: *Grande videlicet officium, focos, & toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentia, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine ſolemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Tert. Apol.* 33. Ecce quomodo non pauci honorant, vel potius exhonorant Regem & Imperatorem noſtrum in throno ſuo Bethlehemitico regnantem! ecce quomodo Nativitatis Chriſti diem feſtum recolunt & celebrant! Heu! ſi Chriſtus in præſepio, velut in gloriæ ſuo throno reſidet, cur eum ibi non venerabimur? Ibi paſtores, Reges, & Angeli laudibus multis & honore maximo eum proſecuti ſunt; eum ibi & nos corde, ore, & omnibus actionibus noſtris hodie veneremur. *Poſtquam*, inquiebat Ambroſius, *te Domine vidi pro me humiliatum, a cælis deſcendiſſe, lacrymas fundentem, infantulum natum, in præſepio jacentem, tante amoris pondere victus, in terram proſtratus adoravi te. Ambr. l. de fuga ſæculi.* Eum hodie in eodem præſepio recumbentem contemplemur, cum ibi totis affectibus honoremus: & ſi eum in hoc mundo honoraverimus, ipſe coram Patre ſuo nos glorificabit in cælo. *Amen.*

DE NATIVITATE CHRISTI
CONCIO SECUNDA.

Peperit Filium ſuum primogenitum. Luc. 2. 8.

CUm temporalis Chriſti Nativitatis myſteria mente revolvo, ea penitus inenarrabilia eſſe agnoſco. Et ut S. Ambroſii verbis utar: *Mihi impoſſibile eſt generationis ejus ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet, non mea tantum, ſed etiam Angelorum. Ambr. l. 8. de fide ad grat. c.* 1. Quis enim, quantumvis ſubtili polleat ingenio, explanare poſſet quomodo Deus, abſque ulla ſui mutatione, fiat homo? Quo modo ex Matre Virgine naſcatur? Quomodo humana Chriſti natura ſola Verbi perſonalitate terminetur? Quomodo natura divina, & natura humana Chriſti, quæ infinite inter ſe diſtant, unica hypoſtaſi ſubſiſtant, & ex his non duo fiant, ſed unus Chriſtus: *Non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus?* Certe hæc, & alia multa inexplicabilia ſunt Nativitatis myſteria; & dicendum cum S. Athanaſio, quod *Chriſti inenarrabilis ſecundum Carnem Nativitas cenſetur. S. Athan. de Incarn. Verbi.* Quare non tam intellectu, quam corde ad Chriſti præſepium accedamus: intellectus mirari poteſt, ratiocinari poteſt, ſed in obſequium fidei captivandus eſt: cor autem, quantum voluerit, dilatet ſe, & pios erga Chriſtum natum, quantum libuerit, eliciat affectus; pios illos, & ſanctos cordis affectus, quos hodie erga divinum hunc Puerum excitare quiſque debet, explicabimus &c. *Ave.*

CHriſtum recenter natum amavit Maria, laudarunt Angeli, & paſtores quæſierunt: illum amavit Maria quæ meliorem partem elegit, & Chriſto recens nato per contemplationem & amorem totaliter adhæſit; eum etiam laudarunt Angeli, qui mirabili concentu ad ejus gloriam decantarunt: *Gloria in Altiſſimis Deo: Luc.* 2. eum tandem quæſierunt paſtores, qui ab Angelis de ejus nativitate moniti, tranſierunt uſque Bethlehem. *Chriſtum amavit Maria*, ut filium ſuum unigenitum, ut filium divinitus procreatum, & ut filium infinite perfectum, tantuſque Mariæ erga ipſum amor extitit, ut ipſa, præ amoris ardore, ſimilis fuerit rubo accenſo, quem vidit Moyſes: *Electiſſima illa Mater flammanti rubo, ſed laſionis inexperte, quem vidit Moyſes, congrue ſimilatur. S. Brigit. in ſer. Angelico c.* 15. Chriſtum natum *laudarunt etiam Angeli*, ut Deum ſuum, ut Creatorem ſuum, & ut beatificatorem ſuum, eorumque cæleſtis concentus a plurimis auditus eſt: *Audita eſt multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo. Luc.* 2. Eum tandem *paſtores quæſierunt*, ut Meſſiam natum, & ut Verbum incarnatum: *Videamus Verbum hoc.* Illumque ita quæſierunt, ut ipſum invenerint. *Venerunt feſtinantes, & invenerunt.* Miremur Mariam amantem, Angelos laudantes, & paſtores Chriſtum quærentes; ſed & hos omnes imitemur, Chriſtum natum amemus, laudemus, & quæramus. 1. *Amemus eum* cum Maria. 2. *Laudemus eum* cum Angelis. 3. *Quæramus eum* cum paſtoribus. Hi ſunt pii affectus quibus filium quem peperit Maria, proſequi debemus: *Peperit filium ſuum primogenitum.*

PRIMA PARS.

Chriſtus naſcens a nobis eſt amandus.

CHriſtus ubique, & ab omnibus ſemper eſt diligendus; ſed ſpecialiori, & ardentiori amore eum naſcentem proſequi debemus. Eum ardentiſſime dilexit Maria, eum & nos toto corde diligamus; & extranea & remota non inquiramus amoris motiva; amemus eum, quia fit homo, ad præſepe deſcendit, & naturæ noſtræ miſerias ſumit. 1. *Quia fit homo*; ut nos deos faciat. 2. *Quia deſcendit ad præſepe*, ut ad cælos nos evehat. 3. *Quia naturæ noſtræ miſerias ſumit*, ut nos bonis repleat.

1. In omnibus, ſive naturæ ſive gratiæ operibus, infinitum ſuum erga homines Deus patefacit amorem, ſed tunc maxime cum humanam carnem ſumere, & homo fieri voluit; & ideo hanc Dei charitatem *nimiam* vocat D. Paulus: *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos. Epheſ.* 2. 4. Hanc Dei charitatem vere *nimiam* fuiſſe ait D. Bernardus: quia omnem menſuram & omnem modum tranſcendit: *charitatem vere nimiam, quæ omnem menſuram excedit, modum tranſcendit, ut ſuperemines univerſis.* Sed hæc Dei charitas magis eluceſcet majorque videbitur, ſi ſerio pendamus, cur ſe hominem fecerit: ut enim ait Sanctus Auguſtinus, *Deus factus eſt particeps noſtræ mortalitatis, ut homo fieret particeps ſuæ divinitatis. S. Aug. tract.* 49. *in Joan.* Et ut ait Sanctus Anſelmus; *Deus factus*

eſt

eſt homo, ut homo fieret Deus. O vere nimiam, & ſupereminentem Dei erga homines charitatem!

Adamo per peccatum ſuum originali juſtitia jam ſpoliato dixit Deus; *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt. Gen. 3. 22.* Quomodo Adam tunc quaſi Deus factus eſt? Cum enim contra Deum peccaverit, videtur quod tunc non Deus, ſed Dei inimicus factus ſit; quare ergo dicitur, quod Adam quaſi Deus factus ſit? Reſpondet Tertullianus, quod hoc dixerit Deus, *de futura cogitans ad injectione divinitatem. Tertull. lib. 2. cont. Marc.* Id eſt, quod tunc cogitaret Deus de futura Verbi Incarnatione, in qua Adam, ſeu natura humana, quaſi Deus, & Deus vere facta eſt, ſaltem in illo individuo, quod aſſumpſit Verbum divinum: ſic enim Deus honoravit limum noſtrum, ut illum aſſumere, & deificare voluerit; tanto nos Deus proſecutus eſt amore, ut noſtram ſumens humanitatem, nos Deos effecerit, ſuamque nobis divinitatem communicaverit: *Suſcepit virtus excelſa humanitatem noſtram, ut retribueret divinitatem ſuam. Euſebius Emiſſ. hom. 9. de Paſch.* O inexplicabilem, & o vere nimiam Dei erga nos charitatem! quæ quidem omnem modum, & omnem menſuram tranſcendit: quare cum tantopere nos dilexerit, eum redamemus neceſſe eſt. Scripta lex *a natura, ut amati amemus: S. Gregor. Nazianz. orat. 17. 1. Cor. 16. 23.* cur ergo non amabimus Deum, a quo tantum amati ſumus? *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*, inquit Paulus, & merito: quia cum præ nimio ſui erga nos amore factus ſit homo, ut nos deos faceret, anathematis pœna digni ſunt, qui eum amare renuunt: amemus ergo Deum, quia ſe hominem fecit, ut nos deos faceret; ac etiam *quia deſcendit ad præſepe, ut nos ad cælos eveheret.*

2. Ante Verbi Incarnationem, Deus non hominum, ſed Angelorum Deus eſſe videbatur, quia Angelos beabat in cælo; homines vero in terra militantes, in limbo expectantes, vel in inferno patientes relinquebat: ſed in Chriſti Nativitate Deus factus eſt hominum Deus, cum pro ipſis incarnatus, & natus eſt. Unde Iſaias Propheta ait: *Parvulus natus, & Filius datus eſt nobis*. Quæ verba ſic explicat Divus Bernardus; *Parvulus natus eſt nobis, non ſibi, non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Sanctus Bernardus hom. 3. ſuper Miſſus*. O nos felices, quod parvulus datus ſit nobis! Sed ubi invenietur hic parvulus? Ubi reperietur Chriſtus infans? O Chriſte Salvator, dicito nobis ubi paſcas, ubi cubes? Scimus, quod a ſummo cælo ſit egreſſio tua, doce nos ubi habites, & ubi requieſcas? *Maria reclinavit eum in præſepio*. Cur ille, quem cæli capere non poſſunt, in arcto, & humili præſepio collocatur? Cur Deus tantæ majeſtatis in humili præſepio reclinari voluit? Certe ut nos ad cælum eveheret: peccato enim Adami cælorum fores hominibus fuerant clauſæ, nulli cæleſtis patebat aditus, nullus ad cælos aſcendere valebat; ſed Chriſtus ad præſepium deſcendit, ut nos ad cælum extolleret: ipſius *ad creaturam deſcenſio, credentium eſt æterna ſubvectio. S. Leo ſerm. 5. de Nat. c. 4.* Homo ceciderat, quia ſuperbiendo ſe nimis exaltaverat, & Chriſtus ſe humiliat, & uſque ad præſepe deſcendit, ut hominem lapſum erigat, & uſque ad cælum ſublevet: *Exaltavit ſe homo, & cecidit: humiliavit ſe Deus, & erexit. S. Auguſtinus lib. 1. de Symbol. cap. 3.*

O magnum Dei erga homines amorem! nunc admiratur S. Thomas a Villanova, dicens: O inenarrabilem charitatis ardorem! Deus immenſus, omnipotens, infinitus, æternus, ille qui ſumme beatus & felix eſt, in ſinu Patris inenarrabilibus gaudiis & deliciis fruens, *ſuæ creaturæ amore ſuccenſus, ad ima deſcendit, in ſtabulo inter animalia naſci dignatus eſt, ne Paradiſi deliciis homo privaretur. S. Thom. a Villan. ſerm. de dom. 1. Adv.* Hunc Dei erga homines amorem tanti facit Hugo a S. Victore, ut eo majorem vix reperiri poſſe credat. *O charitas*, inquit, *magnam vim habes, quæ Deum de Cælo potuiſti trahere ad terram! Deum de Cælo traxiſti in terram, ut hominem ad Cælum levares de terra. Hugo lib. de chari.* Quare cum Dei tantus erga nos amor extiterit; cujus cor ita durum eſt, & inſenſibile, ut ad eum redamandum non moveatur? tantus Dei erga nos amor, quam barbariem non vincit? quam feritatem non mitigat? quam duritiam non reſolvit? quid amoris non expoſtulat? quid non affectionis extorquet? Heu! ſi Dei erga nos amor eum ad præſepe reclinavit, ut nos ad cælos extolleret; tantus ejus amor ſaltem tenuem, exilem & contemptibilem noſtrum amorem exigit; eum ſane diligere debemus, cum ipſe prior nos dilexerit; *Dignus plane qui redametur, quia ipſe prior dilexit nos. S. Bern. tr. de dilig. Deo.* Diligamus ergo Deum, quia ipſe deſcendit ad præſepium, ut ad cælos nos eveheret; ac etiam quia *ipſe miſerias noſtras ſumpſit, ut nos bonis repleret. 1. Reg. 16.*

3. Cum a Deo miſſus eſt Samuel in domum Iſai, ut unum ex filiis ejus in Regem ungeret, varii ei fuere propoſiti, de quibus aſſeruit Propheta, quod eos non elegiſſet Deus; ut enim narratur in Libris Regum, vocavit Iſai filium ſuum Abinadab, & adduxit eum coram Samuele, qui dixit: *Nec hunc elegit Dominus*. Adduxit Iſai filium ſuum Samma, de quo ait Samuel: *Etiam hunc non elegit Dominus*. Adduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, & ait, Samuel ad Iſai: *Non elegit Dominus ex iſtis*. O Propheta! ſi hos non elegit Dominus, quem ex filiis Iſai elegit? Alium, qui supereſt elegit Deus, parvulum ſcilicet David, qui paſcit oves, & qui ruri commorari ſolet, ubi omnibus temporum injuriis exponitur: hunc parvulum, hunc deſpectum, hunc qui multa patitur, hunc & non alium elegit Deus. Ecce aliquam eorum quæ in Verbi incarnatione facta ſunt, ideam: cum enim Verbum divinum ut hominem redimeret, ab æterno alicui naturæ hypſtatice uniri ſtatuiſſet, menti ejus nobiliſſima Seraphinorum charitate ardentium ſeſe obtulit natura; ſed hanc non elegit Dominus: ſublimem Cherubinorum ſcientia ſua fulgentium contemplatus, & demiratus eſt naturam, ſed hanc etiam non elegit Dominus: vidit Thronos Principatus, Poteſtates, & Dominationes perfectionibus multis affluentes; ſed hos etiam non elegit Dominus. O Domine! ſi ſuperiorum illorum Spirituum te naturæ unire nolis, alicujus ſaltem ex inferioris ordinis Angelis naturam aſſume; nec hos etiam ele-

git

Digitized by Google

git Deus: Angelorum quorumque naturæ uniri noluit, ſed humanæ, eique infirmitatibus, & miſeriis multis ſcatenti: *Nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Hebr.* 2. Ita nos dilexit, ut naturam noſtram, ſiti, fami, frigori, calori, vulneribus, doloribus, & aliis multis miſeriis obnoxiam aſſumpſerit: *Per omnes humanæ naturæ contumelias volutatus eſt*, inquit Tertullianus; & ideo naturæ noſtræ miſerias aſſumpſit, ut bonis, & divitiis ſpiritualibus nos repleret. *Suſcepit mala noſtra, ut tribueret bona ſua. Euſebius Emiſſ. homil. de Paſch.* & ut ait Thomas a Kempis, *venit bonis omnibus te replere, & ab omnibus malis eripere.*

O ineffabilem Dei erga nos amorem! quo quidem ad illum redamandum ſtimulamur, immo cogimur. Heu! quis non amabit eum, qui tanto nos affecit amore? Charitas Chriſti *urget nos*, 3. *Cor.* 5. immo cogit nos ad illum redamandum; ſi enim ſerio perpenderimus quomodo Chriſtus noſtras voluit miſerias aſſumere, ut nos bonis ſpiritualibus cumularet, certe tanto ejus amori vicem rependeremus, tantuſque ejus erga nos amor ad eum redamandum nos cogeret & conſtringeret: *Charitas Dei nos conſtringit, nec ſinit quieſcere. S. Chryſoſt. homil.* 1. *in* 2. *Corinth.* 5. Hac charitate conſtringebatur Seraphicus Pater Franciſcus, qui Nativitatis Chriſti ſolemnitate, inter concionandum, Chriſtum natum dulciſſime compellabat, & non aliud ingeminabat, quam hoc: *Amemus parvulum de Bethelem.* Eodem nos NN. accendamur amore, contemplemur ſerio Chriſtum natum, & eum ardenter amemus; ac etiam *eum ſedulo laudemus.*

SECUNDA PARS.

Chriſtus naſcens a nobis eſt laudandus.

CEstum eſt, Chriſtum omni tempore a nobis eſſe laudandum: *Qui verus Chriſtianus eſt, ſemper debet Domino laudes dicere. S. Max. Epiſc. Taur. homil.* 2. *de non timend.* Sed in hac præcipue ſolemnitate cæleſtes ſpiritus imitari, & cum ipſis Chriſtum natum laudare debemus vocibus, vita, & operibus. *S. Auguſt. in Pſ.* 143. A nobis laudandus eſt 1. Vocibus: *Cantet vox*: 2. Vita: *Cantet vita*: 3. Operibus: *Cantent facta.*

1. Ananias, Miſael, & Azarias, nolentes adorare ſtatuam, quam Rex Nabuchodonoſor erexerat, ligari mittuntur in fornacem ignis ardentis, in qua illæſi manentes, Deum laudare non deſinunt, & ignem, lucem, ſolem, ſtellas, terram, maria, omnes denique creaturas ad eum laudandum invitant: *Liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. Daniel.* 3. Laudo eos, eo quod Deum ſedulo laudarint, eumque laudare debebant, qui eos illæſos in medio fornacis accenſæ ſervaverat: ſed potiori jure ad Verbum incarnatum, & hominem factum laudandum tenemur, quia venit, non ut a Babylonica, ſed ut a tartarea nos fornace præſervaret, & ut ſalvaret nos: *Perierat homo, & venit Deus homo; perierat homo per liberam voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem. Auguſt. ſerm.* 8. *de verb. Apoſt.* Quare cum Deus venerit, & hodie natus ſit, ut nos a tartari faucibus erueret, & ad cæleſtia regna perduceret; illum præ illis pueris laudare, & benedicere debemus.

Angelos, virtutes, ſolem, lunam, cælos, & omnes creaturas ad Dei laudes decantandas hortatur Vates Regius: *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus: laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen, &c. Pſalm.* 148. Optat etiam David, quod ad Deum laudandum, tympana, organa, cymbala & alia muſica ſumantur inſtrumenta: *Laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo: laudate eum in cymbalis, &c. Pſalm.* 150. Cur tanto affectu laudat, & ab aliis Deum laudari deſiderat Propheta? Quia, inquit, *ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Sed quanto magis in Dei præconia hodie erumpere debemus, cum ipſe veniat, non ut det ſua, ſed ut det ſe; non ut unico verbo cælum, & terram efficiat; ſed ut carnem aſſumens, multis laboribus redimere, & ſalvare valeat: *Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere; nulla cauſa veniendi Chriſto, niſi peccatores ſalvos facere: Auguſt. ſerm.* 9. *de verbis Apoſt.* laudemus ergo, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Iſraelitæ, trajecto mari rubro, inſtrumenta muſica cum ſuis vocibus temperantes, laudarunt Altiſſimum, dicentes: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt. Exod.* 15. 21. Ratio autem propter quam tunc Deum laudarunt, hæc eſt, quod ſcilicet Pharaonem, ipſos perſequentem, ſimul cum exercitu ejus, in mare dejecerit: *Equum & aſcenſorem ejus dejecit in mare.* Magna quidem laudandi Deum eis ratio inerat; ſed eſt magis cur Deum hodie laudemus, quia non ad Pharaonem aquis immergendum, ſed ad principem tenebrarum, cum omnibus ei adhærentibus, ab hoc mundo expellendum venerit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras Joann.* 12. 32. Ad Deum ergo hodie laudibus noſtris extollendum plus tenemur, quam pueri in fornace exiſtentes, plus quam Propheta Regius, & plus quam Iſraelitæ, immo & plus quam ipſi Angeli, qui eum hodie naſcentem laudant. *Angeli, ut nos ad laudem Conditoris accenderent, orta per carnem luce, clamarunt: Gloria in excelſis Deo, S. Gregorius in Job c.* 38. nos autem ad Deum laudandum præ ipſis conſtringimur, quia *nobis datus, nobis natus*, Angelis autem non eſt natus, ut arbitratur Sanctus Gregorius: *Angeli electi Incarnationis myſterio redempti non ſunt. S. Gregor. ubi ſup.* Quare Deum corde & ore hodie laudemus: *Cantet vox*; ſed eum etiam laudare debemus vitæ innocentia: *Cantet vita.*

2. Doctor Seraphicus explanans hæc verba: *Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo*, ait, Deum hodie laudandum eſſe, & glorificandum pro bonitate, ſapientia, potentia, & juſtitia; *pro bonitate*, quia non deſpexit plaſmatis noſtri infirmitatem; *pro ſapientia*: quia invenit difficillimi ſolutionem decentiſſimam; *pro potentia*, quia nihil potentius, quam Deum fieri hominem; *pro juſtitia*, quia ſimile ſimili te ſalvavit. Hæc ſunt potiſſima motiva, quibus ad Chriſtum naſcentem, & in præſepio degentem laudandum allici, & allectari debemus; eſtque a nobis laudandus, non ſolum vocibus,

Digitized by Google

bus, verum & vita, ita quod vita noſtra non ei diſpliceat: *Non ſolum lingua noſtra, & vox noſtra laudet Deum; ſed & conſcientia noſtra, vita noſtra. Aug. in Pſ.* 148. Hi, quorum vita eſt ſceleroſa, flagitioſa, multiſque criminibus inquinata, quamvis Deum aliquando laudare videantur, eorum coram Deo non eſt jucunda, decoraque laudatio. Et ut ait S. Auguſtinus, hi *blaſphematores Dei potius dicendi ſunt, quam laudatores: Auguſt. in cap. 5. Apoc.* quare, ut Chriſto placeant laudes, quas hodie ore ad ejus gloriam effunditis, eum & vita laudate; ſeu facite, ut hujuſmodi laudes e corde puro, & e conſcientia nullis ſauciata criminibus procedat: *Non ſolum lingua noſtra laudet Deum, ſed & conſcientia noſtra, vita noſtra.*

Cum conditus eſt orbis terrarum, Deum laudarunt Angeli, hi ſunt aſtra matutina, & filii Dei, qui matutino mundi tempore laudarunt Altiſſimum: *Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent filii Dei. Job* 38. Deum etiam laudibus affecerunt Angeli, cum natus eſt Creator orbis Chriſtus Dominus; tunc audita eſt vox cæleſtium illorum ſpirituum dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo*; ſed ſive in mundi creatione, ſive in Chriſti nativitate, non ſolis vocibus & concentu ſuo Deum laudarunt Angeli; verum & ſanctitate ſua, qua ei gratiſſimi extitere. O quam parum Chriſto placeret hodie linguæ noſtræ laudatio, ſi eum cum Angelis vitæ noſtræ innocentia non laudaremus. Laus Dei in ſacris codicibus *ſacrificium laudis* vocatur. Hoc ſacrificium parum gratum eſt & acceptabile, cum a viris, quorum vita criminibus eſt inquinata, offertur: *Nullus immolat Deo ſacrificium laudis, niſi qui e terrenis vitiis fuerit ſegregatus: Caſſiod. in Pſ.* 149. quare ut digne hodie ſimul cum Angelis Chriſtum laudare valeatis, abjicienda ſunt omnia veſtra crimina, mundanda eſt conſcientia veſtra, vita veſtra eſt recte ordinanda; & tandem Chriſtus naſcens laudandus eſt ſanctis operibus: *Cantens opera.*

3. In Athenienſi *Lycæo* celebratiſſima agitata eſt quæſtio, videlicet quæ res maxima ſimul, & minima eſſet; omnes qui in famoſiſſima hac Academia tunc aderant Philoſophi, in varias abiere ſententias; quidam enim id eſſe dixerunt pupillam oculi, quæ licet in ſe minima, ſolem tamen, lunam, & alia quævis corpora, quantumlibet magna, ſibi propoſita ſaltem per repræſentationem, includit. Alii illud magnum ſimul & parvum, de quo erat quæſtio, cor hominis eſſe cenſuerunt: quoniam, licet in ſe ſit parvum, capacitate tamen ſua unum, immo & plures mundos continet, ut contigiſſe cernimus Alexandro, qui lacrymatus fuiſſe dicitur, audiens alios eſſe mundos, cum nondum ille unum ſuo Imperio ſubjugaſſet. *Plutarch. in vita Alexand.* Nonnulli aſſeruerunt id eſſe proprium intellectus humani, qui licet ita parvus ſit, ut omni careat quantitate, non ſolum viſibilem hunc complectitur mundum, verum & alios innumerabiles, quos agitatione mentis fabricare poteſt. Hæ omnes opiniones Philoſophorum, Chriſtum natum non agnoſcentium, ingenio dignæ ſunt; ſed ſi chriſtiane philoſophetur, nil aliud ſimul maximum, & minimum agnoſcendum eſt, quam Chriſtus Dominus pro nobis homo factus, & in præſepio reclinatus; nil quidem illo majus, cum Deus ſit: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Ad Philip.* 2. 6. Nil etiam illo minus, cum licet Deus eſſet, & eo nil majus excogitari poſſet, pro nobis tamen incarnari, naſci, & quaſi annihilari voluerit. O quam magnus eſt Chriſtus! o quam parvus eſt Chriſtus! Si pro nobis parvus factus eſt, illum ardentiſſime amare debemus: *Parvus Dominus, & amabilis nimis: S. Bern. ſerm. 48. in Cant.* Si autem magnus eſt, a nobis quam maxime laudandus eſt: *Illum toti laudate, Aug. in Pſ.* 148. Quomodo autem Chriſtum natum toti laudare valeamus, idem Auguſtinus docet, dicens, quod non ſolum vocibus, ſed & operibus laudandus eſt: *Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed & opera tua concordent cum voce tua. In Pſ.* 146. Cum cantat vox, cantare debent & opera: ex vocibus, & bonis operibus gratus hodie debet formari concentus, ut toti Chriſtum naſcentem laudemus.

Miror Regium Prophetam, innumeris implicatum negotiis, & tamen Dei laudibus effundendis tota die vacantem: *Lingua mea meditabitur juſtitiam, tota die laudem tuam. Pſ.* 34. 28. Quomodo tota die Deum laudat Propheta? Non utique vocibus, ſed operibus: *Tota die Deum laudat, qui omnia bene agit*, ut explicat Gloſſa Interlinearis. Et ut ait S. Auguſtinus: *tota die vis laudare Deum? quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum. Aug. in Pſ. 34. Conc.* 2. Laudatur Deus tota die, cum tota die bona fiunt opera: omnibus quidem vitæ noſtræ diebus ſic a nobis laudandus eſſet Chriſtus; ſed præcipue in die nativitatis ejus, in qua in hunc mundum venit, ut redimat, & ſalvet nos; tota hac die bonis, & ſanctis operibus noſtris eſt laudandus; aliquod quidem inſumendum eſt tempus in laudibus ad ejus gloriam ore promendis; ſed reliquo totius diei tempore bonis operibus eſt vacandum; hodie viſitandus eſt Chriſtus in tabernaculis reſidens; hodie recipiendus eſt reverenter in Communione ad nos veniens; hodie parandum eſt ei hoſpitium per ſinceram peccatorum confeſſionem, hodie ſpecialiter cibandus eſt in pauperibus famelicis, hoſpitandus in pauperibus peregrinis, & operiendus in pauperibus nudis: horum, & aliorum his ſimilium operum bonorum exercitio tota hac die laudandus eſt, & glorificandus: *Tota die vis laudare Deum: quidquid egeris, bene age, & laudaſti Deum.*

Sed o quam pauci Chriſtum vita, & operibus hodie laudant! eum blaſphemant multi, laudant pauci. Eum omnibus, & ſingulis vitæ noſtræ momentis amare, ac laudare tenemur, & præcipue hac die, in qua amandi, & laudandi Chriſtum nova, & maxima nobis objiciuntur motiva: multi tamen eum nec amant, nec laudant: ſed eum maligne oderunt, ſuiſque criminibus ſuis conviciantur. Heu! quid dignius, quam ut homo amet, & laudet Creatorem ſuum, & benefactorem ſuum? Quid facilius quam modo exercere quod ſperamus in futura beatitudine peragere? Nihil melius, nil ſalubrius, nil ſuavius, nil jucundius, nil dignius, nil altius, nil felicius, nil perfectius, nil beatius, quam ardentiſſime amare, & altiſſime laudare Deum. *Thom. a Kemp. in Valle Lilior. cap.* 29. Hoc centies dico, hoc millies replico: nullum ſtudium elegantius,

Digitized by Google

tius, nullum opus eminentius, quam amare, & laudare Deum:) quare toti, & totaliter hodie Chriſtum natum amemus, & laudemus; eum amemus cum Maria; eum laudemus cum Angelis; ac etiam *eum quæramus cum paſto ibus.*

TERTIA PARS.

Chriſtus naſcens a nobis eſt quærendus.

CHriſtus, ut Deus, ubique eſt per ſuam præſentiam, & eſſentiam; ſed non eſt ubique per ſuam gratiam, qua privantur peccatores; nec per ſuam familiaritatem, qua ſæpe viri etiam ſanctiſſimi non fruuntur: quare ſive juſti, ſive peccatores ſimus, a nobis quærendus eſt, eoque verius, & ſincerius a nobis quæretur, quo per fidei, contritionis, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum actus ferventius ad eum properabimus. Eum quæſierunt paſtores, & invenerunt; ut autem a nobis inveniatur ſimul cum paſtoribus, 1. Quærendus eſt in Bethlehem. 2. Quærendus eſt ſollicite. 3. Quærendus eſt generoſe.

1. Chriſtus pretioſa eſt margarita, quæ a nobis ſedulo quærenda eſt: *Si enim*, ut ait Doctor Seraphicus, *libenter, & diligenter quæret homo gemmam valentem mille marchas; quanto magis quærere debet hanc margaritam, quæ melior eſt toto mundo? S. Bonavent. ſerm. 6. in Rogat.* A nobis quidem inquirendus eſt Chriſtus; ſed ſi in locis in quibus inveniri nequit, eum inquiramus, vana, & inutilis erit noſtra ſollicitudo; ideo monet nos S. Ambroſius, ut *nequaquam ibi quæramus Chriſtum, ubi invenire non poſſumus. Ambr. lib. 3. de Virg.* Varia autem enumerat loca D. Auguſtinus, in quibus non invenitur Chriſtus. (Quærendus, inquit, eſt Chriſtus, ſed non in platea, ubi eſt magna vanitas. Quærendus eſt Chriſtus, ſed non in foro, ubi eſt grandis iniquitas. Quærendus eſt Chriſtus, ſed non in taberna, ubi eſt ſumma ebrietas. Quærendus eſt Chriſtus, ſed non in ſæculari curia, ubi eſt maxima falſitas. Quærendus eſt Chriſtus, ſed non in ſcholis mundanorum Philoſophorum, ubi eſt infinita perverſitas. *Auguſt. ſerm. 43. ad Fratr. in Erem.*) Si autem in tot locis non invenitur Chriſtus, ubi eum quæremus, & ubi eum inveniemus? In Bethlehem: *Ubi eſt quem quærimus? In Bethlehem Judæ. S. Bonav. de 5. Feſtivit. Pueri Jeſu;* ibi quærendus eſt ibi invenitur.

Non perfecte ſacra noverat Sponſa, quo in loco reſideret Chriſtus, idcirco illum ſollicite rogat, ut ipſi locum indicet in quo inveniri poſſit: *Indica mihi, quem diligis anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie;* Non etiam probe ſciebant Magi in loco in quo commoraretur; & ideo inquirentes dicebant: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Sed paſtores ab Angelis edocti perfectiſſime noverant ubi eſſet Chriſtus: *Tranſeamus*, inquiunt, *uſque Bethlehem:* ibi eum quæſierunt, ibi eum invenerunt, & ibi ab omnibus quærendus eſt, ut inveniatur: *Ubi eſt quem quærimus? in Bethlehem Judæ.* Non eſt quærendus Chriſtus in ſuperbis palatiis, non enim ibi habitat; ſed in humili ſpelunca Bethlehem. Non eſt quærendus in locis immundis: non enim ibi; ſed in Bethlehem cum puriſſimis parentibus Joſepho, & Maria reſidet. Non eſt quærendus inter mundanas vanitates, & voluptates; ſed in Bethlehem inter cruces, & dolores, ibi invenitur Chriſtus, qui non in throno, ſed in humili reclinatur præſepio. Ibi reperitur Chriſtus egenus & pauper, qui cum multas manſiones haberet in Cælo, voluit naſci in ſtabulo. Ibi reperitur Chriſtus amabilis, qui ibi pro noſtro amore multa, eaque gravia patitur; ibi eum quæramus pie per veram cordis contritionem, per ſinceram peccatorum noſtrorum confeſſionem, & per ardentes fidei, humilitatis, & omnium virtutum actus; ſed *eſt quærendus ſollicite.*

2. Paſtores deſides non fuere, & pigri in quærendo Chriſtum: ut enim refert S. Lucas, prompte, & feſtinanter eum quæſierunt: *Venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. Luc. 2.* Dicitur Paſtores Chriſtum quæſiſſe feſtinantes, & illum inveniſſe: *Venerunt feſtinantes, & invenerunt;* ut diſcamus, quod ſi Chriſtum invenire optemus, quærendus ſit, non tarde, non ſegniter, nec deſidioſe; ſed prompte, ferventer, & ſollicite: *Vides feſtinare Paſtores*, inquit S. Ambroſius: *nemo enim deſidia Chriſtum requirit. Ambr. in c. 2. Luc.* In via virtutis non pauci ſunt deſides, & ad benefaciendum tardi, qui Chriſtum quærere vellent, ſed non tam cito ad Chriſtum accedere cuperent, ſed lento gradu; virtutibus, quibus quæritur, & invenitur Chriſtus, vacare intenderent, ſed ſegniter; ab his haud dubie non invenietur Chriſtus, quia ab iis ſolummodo reperitur, qui eum feſtinanter, & ſollicite quærunt: *Feſtinant paſtores*, inquit Ven. Beda, *neque enim enim deſidia eſt quærenda Chriſti præſentia; & ideo forte nonnulli quærentes invenire non merentur, quia deſidioſe Chriſtum quærunt. Beda in c. 2. Luc.*

In molli lectulo cæleſtem quærebat Sponſum Sponſa Canticorum: *In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea. Cant. 3. 1.* Ibi eum quæſivit, ſed ibi eum non invenit: quia non invenitur a pigris, a deſidibus, & ab his, qui in paſſionum ſuarum lectulo quieſcunt: *Quæſivi, & non inveni:* quare ut Sponſa divinum ſuum inveniret Sponſum, ſurrexit prompte, eumque ſollicite quæſivit: *Surgam, & circuibo civitatem.* Sic multi oſcitanter, & in lectulo Chriſtum quærentes, illum invenire nequeunt, quia ut inveniri poſſit, ſurgendum eſt a lectulo; & non cum deſidia, ſed ferventer, ſollicite, & toto corde quærendus eſt: *Neceſſe eſt, ut quæramus Deum toto corde, & tota mente in hac præſenti vita.* Sed *quærendus eſt etiam Chriſtus generoſe. S. Bernard. ſerm. 79. ad ſoror.*

3. Cum de quærendo Chriſto agitur, dæmon, & natura corrupta plures ſuggerunt rationes, multaque objiciunt impedimenta, ut a contemplato propoſito avertant. Heu! inquit dæmon intus loquens, quomodo peccata tua tam pudenda Confeſſario aperire audebis? Quomodo huic creaturæ, quam tantopere diligis valedicere poteris? Quomodo ab inveterata, qua ligaris conſuetudine te extricare valebis? Quomodo jejuniis, vigiliis, orationi, & aliis, quibus quæritur, & invenitur Chriſtus, operibus vacabis? Hæc tibi quidem eſſent impoſſibilia: quare vive ut ſolitus es. Ecce impedimenta quæ occurrere ſolent, cum nobis Chriſtus quærendus proponitur; ſed ea omnia generoſe ſuperanda ſunt, ut quæratur, & inveniatur-

Digitized by Google

veniatur. Cum Angeli de Chriſti nativitate paſtores monuerunt, nox erat, frigidum tempus erat; congruum etiam non videbatur, quod errantes greges ſelinquerent; ſuperatis tamen iis omnibus impedimentis, dixerunt: *Tranſeamus uſque Bethlehem*. Similiter, ut Chriſtum quæramus, & inveniamus, de omnibus quæ obſtant generoſe triumphemus. Suffluat dæmon, quod peccata confitcri non audebimus: *Tranſeamus*. Suggerit caro, quod ſine ſolitis vivere nequibimus voluptatibus: *Tranſeamus*. Trahit mundus, ut a viis noſtris peſſimis non diſcedamus: *Tranſeamus*. Generoſe tandem omnia vincamus impedimenta, ut tranſeamus uſque Bethlehem, & Chriſtum inveniamus.

Naaman leproſus, ut ſanaretur a lepra, e Syria magno cum apparatu venit in Samariam ad Eliſæum Prophetam, qui miſit ei nuntium, dicens: *Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipies ſanitatem caro tua, atque mundaberis*. Quo audito, iratus Naaman recedebat, dicens: *Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me*. Miramini Naaman, qui vult curari e lepra, & ut ſanetur, non vult lavari in Jordane; quærit ſalutem, ſed ſine proprio labore; cupit munditiem, ſed refugit nudare corpus, & tangere aquas fluminis. Hic eſt agendi modus multorum, qui Chriſtum invenire, ei adhærere, & ſalvari vellent; ſed minimo occurrente impedimento, hærent, nec ultra progrediuntur. At ut inveniatur Chriſtus, vigilandum eſt, laborandum eſt, & obvia quæque generoſe ſunt ſuperanda impedimenta, dicendumque cum paſtoribus; *Tranſeamus uſque Bethlehem*, tranſeamus uſque ad Chriſtum: nec quocumque obſtante impedimento hærendum eſt, donec inveniatur Chriſtus.

Ecce pios motus, quibus ad Chriſtum hodie tendere debemus: a nobis amandus eſt, laudandus eſt, & quærendus eſt: *A nobis eſt amandus*, quia fit homo, ut nos ad cælos evehat; & quia mala noſtra ſumit, ut nos bonis repleat. *A nobis etiam Chriſtus eſt laudandus* lingua, vita, & ſanctis operibus. *A nobis tandem* cum paſtoribus *quærendus eſt* in Bethlehem, *quærendus eſt* diligenter, & *quærendus eſt* generoſe.

Sed heu! quam pauci hodie Chriſtum ardenter amant, debite laudant, & ſincere quærunt. Multi non eum amant cum Maria, non laudant cum Angelis, nec quærunt cum paſtoribus; ſed potius eum cum Herode perſequuntur. Audite illum apud Pſalmiſtam dicentem: *Iniqui perſecuti ſunt me; Pſam. 118. 86.* iniquus cum perſecutus eſt Herodes, & iniqui eum perſequuntur peccatores. O Peccator impie! quid tuæ ſunt blaſphemiæ, quid ebrietates? Quid laſciviæ tuæ, quam peccata, quibus Chriſtum perſequeris? Si hodie ebrietati vaces, Chriſtum perſequeris; ſi detractionibus os tuum aperias, Chriſtum perſequeris; ſi illicitis voluptatibus indulgeas, Chriſtum perſequeris. O Chriſtiane nequam! o Chriſti perſecutor! o alter Herodes! cur Deum tuum, factorem tuum, Salvatorem tuum, tam inique perſequeris? Ipſe venit ut ditet te, ut ſalvet te, ut deificet te; cur ergo eum criminibus tuis immaniter perſequeris? Audivit S. Paulus divinum hunc Salvatorem ipſi clamantem: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Audi & tu, o peccator, eumdem Chriſtum tibi intus dicentem, & clamantem: o impie! o ingrate! o inhumane! cur immunditiis tuis, voluptatibus tuis, & omnibus criminibus tuis me perſequeris? Siſte gradum, o peccator! ne ultra puerum Jeſum perſequaris, ſi Herode, & ipſis Turcis, necnon Barbaris barbarior cenſeri nolis.

Cum Solimanus Turcarum Imperator Eunuchum ſuum in Pruſam delegaſſet ad occidendum Bajazethem, ſimulque cum illo parvulum ejus filium; hic delegatus, præ cordis teneritudine, noluit peccare in puerum, aut ſaltem manu propria eum occidere recuſavit, tamque immane facinus Janithzario commiſit; qui cum ad puerili cunas acceſſiſſet, ejuſque collo laqueum aptaſſet; ipſi tanta ſuavitate arridentem vidit infantem, ut emollitum ejus fuerit cor, & a cæde pueruli abſtinuerit. O peccator! in cunis hodie contemplare puerum Jeſum: ibi pro ſalute tua plorat, & ibi etiam beneficiis, & gratiis ſuis tibi ridet: quare tuum emolliatur cor; ne ultra ſceleribus tuis illum perſequaris; ſed potius illum toto corde diligas, illum totis affectibus laudes, illumque ſedulo, & ferventer quæras, ut aliquando in Cælo eum invenias, & poſſideas, *Amen*.

DE SANCTO STEPHANO.

CONCIO PRIMA.

Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu. Actor. 7.

HEri Chriſti naſcentis humiliationes ſancta nobis propoſuit Eccleſia, & hodie S. Stephani triumphos nobis ob oculos ponit. Heri ſolemne Regis Martyrum celebrabamur feſtum, & hodie ſpeciali feſto Martyrum Primicerium honoramus. Heri Martyrum Rex ingreſſus eſt in hunc mundum, & hodie Martyrum primus ex hoc mundo eſt egreſſus. Ingreſſus eſt in hunc mundum Rex Martyrum ut humilitatem ſectaretur, amplectaretur paupertatem, & gravia pro noſtra ſalute pateretur; egreſſus vero eſt ex hoc mundo primus Martyrum, ut lauros in cælo carperet, mereret coronas, & æternam beatitudinem adipiſceretur. Sanctiſſimus hic Protomartyr magna & glorioſa ſubiit certamina, antequam pervenerit ad palmas; generoſe decertavit in hoc mundo, antequam corona redimitus fuerit in cælo. Ejus gloriam, & triumphos Angeli demirantur in cælis; nos autem ejus certamina, paſſiones, & virtutes contemplabimur, &c. *Ave*.

SAnctus Stephanus in medio ſævientium Judæorum ſtans, pro Chriſto loquitur, pro Chriſto patitur, & Chriſtum imitatur. Sanctus hic Levita pro Chriſto loquitur, ecce imaginarium ejus crimen; pro Chriſto patitur, ecce ejus ſupplicium; & Chriſtum imitatur, ecce ejus perfectio. Sanctus Stephanus Doctor, Martyr, & Chriſti Diſcipulus extitit. Ut Doctor zelantiſſimus, pro Chriſti gloria locutus eſt; ut Martyr generoſiſſimus, pro Chriſti amore multa paſſus eſt; & ut Chri-

ſti

ſti Diſcipulus, ſancta ejus exempla perſectiſſime imitatus eſt. Unde cum in mediis ſuppliciis clamabat Stephanus: *Domine Jeſu*; idem fuiſſe videtur, ac ſi dixiſſet: o Jeſu! tu es Dominus meus, pro cujus gloria loquor iu conſpectu Judæorum, pro cujus amore dira patior manibus perſecutorum, & cujus exempla imitari intendo, ut perveniam ad regna cælorum. Videamus generoſitatem Doctoris illius zelantiſſimi, qui pro Chriſto loquitur; conſtantiam Martyris illius generoſiſſimi, qui pro Chriſto patitur; & fidelitatem Diſcipuli illius perfectiſſimi, qui Chriſtum imitatur. Hæc omnia patebunt, cum probaverimus, quod S. Stephanus 1. Locutus ſit pro Chriſto generoſe. 2. Paſſus ſit pro Chriſto conſtanter. 3. Imitatus ſit Chriſtum feliciter.

P R I M A P A R S.

S. Stephanus pro Chriſto generoſe locutus eſt.

UNcto Davide in Regem, ſimul cum Iſraelitis ipſe Jeroſolymam verſus perrexit; in qua cum habitarent Jebuſæi, Davidi inſenſiſſimi, clauſis civitatis januis, ei obſtiterunt, eique proteſtati ſunt, quod in eam non ingrederetur: *Non ingredieris huc. 1. Paralip.* 11. Tunc novus, & generoſus ille Rex ſancivit & declaravit, eum futurum Principem exercituſque ſui Ducem, qui primus rebelles percuteret Jabuſæos: *Omnis qui percuſſerit Jebuſæum in primis, erit Princeps & Dux*: Joab autem filius Sarviæ primus civitatis muros conſcendit, Jabuſæos percuſſit, & factus eſt Princeps. Quid ſimile in Chriſto, & Stephano hodie intueor; Chriſtus enim, qui verus erat David, in Regem ab æterno Patre unctus fuerat; ipſe ſuper Iſrael, & ſupra univerſam regnabat Eccleſiam. Quidam tamen Jebuſæi, ſeu maligni Judæi, Jeroſolymis degentes, Chriſto Regi obſtabant, ei improperabant, regiam, & divinam ejus dignitatem agnoſcere renuebant; ſed Sanctus Stephanus, quaſi alter Joab, Jebuſæos illos primus aggreditur: eorum duritiam, & improbitatem generoſe arguit, ſumptoque ſancto verbi Dei gladio, plenus gratia, & fortitudine, Chriſti tuetur jura, necnon pro illius gloria ita generoſe & fortiter loquitur, ut ipſi nullus reſiſtere valeat: *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.*

Apud Jeremiam Prophetam iis maledicit Deus, qui gladiis ſuis graviter non feriunt: *Maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine. Jer.* 48. 10. Deus fraternam charitatem in ſacris Codicibus crebro inſpirat, & præcipit; ad pacem, concordiam, & benignitatem nos indeſinenter ſollicitat; non ſolum propinquos & amicos, verum & extraneos, necnon inimicos nos amare jubet: cur ergo his maledicit, qui gladios ſuos fraterno non cruentant ſanguine: *Maledictus, qui prohibet gladium ſuum a ſanguine?* Myſterium illud pereximie aperit Petrus Damiani, per *gladium* intelligens linguam noſtram, quæ acutiſſimus eſt gladius, quo detractores & maledici, ad inique percutiendos ſanctiſſimos quoſque viros, uti ſolent; maledicit autem Deus iis qui hoc non utuntur gladio, non ad calumnias, & detractiones, ſed ad defendendum ejus cauſam; cum enim res Dei agitur, omnes a partibus ejus ſtare, necnon pro illius gloria generoſe loqui tenentur, iiſque maledicit Deus, qui tunc pro ipſo ſtare, & loqui renuunt: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum a ſanguine.* In hanc autem maledictionem incurrunt potiſſimum Magnates potentes, & omnes in poteſtate conſtituti, cum a ſibi ſubditis Deum graviter offendi ſcientes, ejus cauſam non tuentur, nec pro illo loquuntur, eos corripiendo, qui illi injuriam inferunt. Aſt hanc nullatenus ſubiit maledictionem Stephanus: qui Judæos Chriſto inſenſiſſimos eſſe videns, eoſque adverſus divinitatem ejus blaſphemantes audiens generoſe pro illo ſtetit, & in conſpectu Doctorum Legis, necnon aliorum plurimorum Judæorum in Chriſti Diſcipulos ſævientium ſanctiſſimus hic Levita pro Chriſti divinitate ab eorum blaſphemiis vindicanda libenter locutus, & argumentatus eſt. Noverat S. Stephanus, apud Judæos prohibitum eſſe, ne quis pro Chriſti gloria loqueretur: *Ne omnino loquerentur in nomine Jeſu: Actor.* 5. 40. præſciebat etiam, quod ſi pro Chriſti gloria palam loqueretur, protinus Judæi in ipſum irruerent, ipſumque morti traderent; ſed ſanctus hic Levita nec minas, nec mortem timet, cum Chriſti cauſa agitur: quare coram Judæis ſævientibus, & blaſphemantibus pro Chriſti gloria libere loquitur, eoſque acriter increpat, propterea quod non illi credant, eumque non ut Deum ſuum venerentur, tunc *S. Stephanus non tacuit, non defecit, nec blaſphemantibus ceſſit. S. Fulg. ſerm. de S. Steph.*

Se infelicem cenſebat Iſaias Propheta, quia ſiluerat: *Væ mihi, quia tacui. Iſaiæ* 6. Heu! o Propheta ſanctiſſime, cur te tacuiſſe tædet? In multiloquio peccatum non deeſſe noſti? omnium etiam ſapientum judicio non nocet moderatum ſilentium, ſed nimia verborum effuſio: *Nam tacuiſſe nocet nulli, nocet eſſe locutum: Cato.* Cur ergo te tacuiſſe pœnitet? hominum ſapientiſſimus adoleſcentem in ſua cauſa vix loqui patitur: *Adoleſcens loquere vix in tua cauſa. Eccli.* 32. 10. S. Jacobus eum religioſum, & virtute præditum eſſe negat, qui linguæ ſuæ frænum non adhibuerit: *Qui ſe putat religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio; Jacobi* 1. omnes tandem Sancti Patres ſilentium, & taciturnitatem perquam maxime laudant, cur ergo ſe infelicem judicabat Propheta, eo quod tacuerit: *Væ mihi, quia tacui?* Reſpondet S. Hieronymus, quod Iſaiam tacuiſſe pœniteret, quia tacuerat, & non locutus erat, ut impium Oziam Deo injuriam irrogantem corriperet: *Nam impium Oziam non reprehendit. S. Hieronym. in hunc locum.* Verum quidem eſt, non ſat laudari, & exaltari poſſe ſilentium, non tamen ſemper tacendum eſt: quia, ut ait Sapiens, eſt *tempus loquendi: Eccleſ.* 3. hoc autem loquendi tempus tunc potiſſimum eſt, cum Dei cauſa agitur: quare cum in Dei cauſa locutus non fuiſſet Iſaias, eum tacuiſſe pœnitebat: *Væ mihi, quia tacui.* At S. Levita Stephanus in Dei cauſa non ſiluit: cum enim Chriſtum a Judæis deſpectum, & blaſphematum eſſe novit, ipſe non tacuit; ſed pro illius gloria generoſe locutus eſt: *S. Stephanus non tacuit, non defecit, nec blaſphemantibus ceſſit.* Unde S. Auguſtinus Stephanum jucunde ſic affatur: O Stephane ſi pro Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto loquaris, a Judæis occideris; ſi pro illius gloria proferas verba, hi adverſum te vibrabunt ſaxa: *Dic aliquid de eo, cujus nomen nolunt audire, & tabeſcens, & ſæviens; profer verba, & accipe ſaxa. S. Auguſt. ſerm. de S. Stephan.* Hoc quidem prænoverat Stephanus; non tamen inde factum eſt, quod ſiluerit; quin contra generoſe a Chriſti partibus ſtetit, & pro ejus gloria palam locutus eſt. *Non tacuit, non defecit, nec blaſphemantibus ceſſit.*

Diſcipulos ſuos Chriſtus, velut oves ſimplices, & mites, inter ſævos, & rapaces lupos miſit: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Matth. 9. 16.* Judæi erant lupi crudeles, qui Prophetas perſecuti erant, qui Chriſti prænuntios occiderant, & qui ipſum Chriſtum cruci affixerant; poſt mortem autem Chriſti feroces inter hos lupos, velut oves mitiſſimæ, ſancti ejus adiere Diſcipuli: *Sicut oves in medio luporum.* Quæ autem ex illis ovibus balare, aut quis ex Chriſti Diſcipulis pro illius gloria primus coram Judæis loqui audebit? *Prima ovis eſt Stephanus S. Fulg. ubi ſup.* hæc eſt ovis generoſiſſima, quæ præſentibus lupis balare non timet; hic eſt generoſus Diſcipulus, qui contra Judæorum impietatem ſine timore prædicat; qui immanitatem, & injuſtitiam, qua erga Chriſtum uſi ſunt, verbis acribus arguit, & qui pro ejus gloria generoſiſſime loquitur & clamat: *Inter mortuos clamabat, qui inter lupos coruſcabat. S. Fulg. ubi ſup.* Judæi mortui ſimul erant, & lupi; mortui erant ſpiritualiter per crimina quæ patraverant; & lupi erant feroces, ratione crudelitatis, qua Chriſtum occiderant: Stephanus autem eſt ovis ſanctiſſima, quæ coram mortuis, & rapacibus illis lupis generoſe, & intrepide pro Chriſti gloria loquitur: iraſcantur quantum voluerint Judæi, ſæviant & rabie tabeſcant quantum placuerit, uſque ad mortem teſtificari, & pro Chriſti gloria loqui non ceſſabit Stephanus: *Non tacet ovis, teſtificando, etſi lupi clament blaſphemando S. Fulg. ubi ſup.* Apoſtoli oves fuere, non meticuloſæ, ſed audaces nimis, quæ palam balare non pertimuerunt, hi fuere Athletæ generoſiſſimi, qui prius etiam locuti ſunt pro Chriſto, quam Stephanus; nihilominus *prima ovis eſt Stephanus*, quæ uſque ad ſanguinis effuſionem balavit; ſeu primus ille fuit ex Chriſti Diſcipulis, qui pro ejus gloria generoſe uſque ad mortem locutus eſt.

Chriſtus Gentibus erat ſtultitia, & Judæis ſcandalum: *Judæis quidem ſcandalum, & Gentibus ſtultitia. 1. Cor. 1. 10.* Illum ita oderant Judæi, ut nec nominaretur in illis, & gravis cenſeretur criminis reus, qui illum eſſe Deum profiteretur: Stephanus tamen illum eſſe Deum, & Meſſiam promiſſum ita evidenter probavit, & demonſtravit, ut ſapientiæ, & ſpiritui, qui per os ejus SS. Levitæ loquebatur, nullo modo poſſent reſiſtere Judæi: quare, ut ei ſilentium imponerent, falſos ſuſcitaverunt teſtes, qui illum blaſphemiæ accuſarent: *Tunc ſubmiſerunt viros qui dicerent. ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & Deum. Act. 6.* At maligna hac adinventione a ſua prædicatione cohiberi nequit Stephanus, pro Chriſti gloria ſemper generoſe locutus eſt, donec animam efflavit: *Ipſum prædicat, cui teſtis erat, ipſum præconizat, cui eſt famulus in agone perfectus. S. Fulg. ubi ſup.*

O Athletam generoſiſſimum! o Doctorem zelantiſſimum! qui pro Magiſtri, & Dei ſui gloria, etiam cum vitæ ſuæ diſpendio, palam loquitur. Heu! cur & nos a Chriſti partibus non ſtabimus? & cur, cum ſeſe occaſio offeret, pro illius gloria non loquemur? Væ illis qui loquuntur perverſa; væ illis quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt; væ illis quorum os locutum eſt ſuperbiam; ſed væ illis qui, cum Chriſti cauſa agitur, pro illius gloria non loquuntur. Væ vobis Magiſtratibus, qui pro Chriſto non ſtatis, cum coram vobis blaſphematur. Væ vobis Judicibus, qui Chriſti cauſam in perſona pauperum non defenditis. Væ vobis animarum paſtoribus, qui ut canes muti, adverſus ſceleroſos Chriſto injuriam irrogantes latrare non valetis. Væ vobis parentibus, qui filiis peccantibus adulamini, & qui pro Chriſti honore non loquimini. Velim ſciatis omnes, quod a Chriſto ad ejus cauſam tuendam delegati ſitis: *Pro Chriſto legatione fungimur. 2. Corinth. 5. 20.* Sub forma viſibili non apparet Chriſtus, ut peccatores corripiat, ſuamque palam cauſam defendat; ſed legatos ſuos miſit, ut ejus impleant vices, & pro illius gloria loquantur. Cum filii veſtri per pravas incedunt vias, & a juſtitiæ ſemitis deflectunt; tunc vos, o parentes, a Chriſto ad eos corripiendos delegati eſtis: *Pro Chriſto legatione fungimur.* O Paſtores! o Prælati! o vos omnes, qui ad aliorum regimen eſtis vocati, eadem vobis legatario demandata eſt reſpectu eorum quibus præeſtis; eos corripiendi vobis munus incumbit, & cum adverſus Chriſtum Dominum peccant, ejus cauſa a vobis ardenter eſt ſuſcipienda, & pro eo generoſe loquendum eſt. Nec dicant Paſtores, parentes, & alii omnes qui præſunt, quod pro Chriſto loqui non audeant, & quod taceant, ut quiete & pacifice vivant: quia, ut ait Sanctus Bernardus, tunc *tacere impietas eſt*. Quare loquimini pro Chriſto ſicut Stephanus, qui pro eo locutus eſt generoſe: *ac etiam pro eo paſſus eſt conſtanter.*

SECUNDA PARS.

S. Stephanus pro Chriſto conſtanter paſſus eſt.

COmmuni axiomate apud Philoſophos antiquitus dicebatur, pacem, amicitiam, & veritatem eſſe matres illuſtres, quarum partus erant peſſimi; quia pax otium, amicitia contemptum, & veritas odium parit. Multis conſtat experimentis hujuſmodi eſſe talium matrum fœtus; & ut de unica loquar veritate, ad unum Stephanum oculos converto, eumque a Judæis odio habitum, accuſatum, morti adjudicatum video, quia pro veritate ſtetit, & veritatem prædicavit: ſi enim cum Judæis judaizaſſet, ſi in Chriſtum ſimul cum iis falſa debacchatus eſſet, non illum profecto odio habuiſſent; ſed quia pro Chriſto (qui eſt ipſa veritas) vera coram Judæis locutus eſt, ipſi ira, & odio tabeſcentes, adverſus eum inſurrexerunt, eum ad diram mortem inique damnarunt, eumque immaniter lapidibus obruerunt: *Impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapi-*

lapidabant. *Actor.* 7. In hoc caſu tot fuere Stephani tortores, quos Judæi præſentes adſtitere: tunc quiſque carnificis munus obiit, quiſque cucurrit ad lapides, quiſque quidquid habuit virium contra innocentem Levitam collegit, ut toto robore lapides vibraret; illeque majori cenſebatur honore dignus, qui virginalem ſancti hujus Diaconi carnem gravius percutiebat, & immanius mactabat. Simul & ſemel mille brachia armata, milleque lapides adverſus Stephanum immiſſi cernuntur; & identidem ejus obterritur caput, oſſa ejus confringuntur, illius diſrumpuntur viſcera, & totum illius corpus contunditur. Heu! quanta in hoc agone paſſus eſt tormenta S. Martyr; ſed, o quanta ejus in patiendo conſtantia extitit? tanta quidem; ut lapidantibus Judæis numquam ceſſerit, tanta, ut venientes contra ſe lapides benigne receperit; & tanta, ut ab hoſtibus ſuis vinci numquam potuerit: *Venientibus in ſe lapidibus non eſt victa charitas*. *Auguſt. in Pſalm.* 151.

Magnam S. Stephani in perferendis tormentis conſtantiam non parum indicat mirabilis vultus ejus ſplendor: in mediis enim ſuppliciis: *Stephanus aſſumpſit ſpeciem reſurgentis*, *S. Hilarius Arelatenſis homil. de S. Stephano*. D. Auguſtinus ait, *tunc faciem Stephani radiaſſe inſtar ſolis*; *Auguſt. ſerm.* 99. *de div.* & ſacer Textus aſſerit, quod dum Sanctus hic Protomartyr altercaretur cum Judæis, & ab iis varia pateretur, *viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli*. *Actor.* 6. Unde tanta pulchritudo in S. Stephani vultu? A conſtantia haud dubie, cum qua tormenta patitur; conſtantia enim eſt quædam firmitas, & animi immobilitas inter adverſa; hanc autem animi immobilitatem manifeſtavit Stephanus vultus ſui pulchritudine & decore; qui enim ſunt timidi, & meticuloſi, inter adverſa vultum gerunt pallidum & demiſſum; ſed tanta extitit S. Stephani conſtantia, ut in mediis ſuppliciis hilarem, formoſam & rutilantem faciem gereret, omnibuſque adſtantibus manifeſtaret.

At non ſolum Stephani conſtantiam a pulchritudine vultus ejus auſpicabor; ſed etiam a Chriſto, quem in cælis vidit: *Video*, inquit, *cælos apertos, & Filium Hominis ſtantem*. De Alexandri militibus fertur, quod per famoſiſſimi illius Ducis præſentiam fiebant impavidi, & intrepidi; ita quod ipſo præſente nullatenus trepidarent: *Ipſo præſente, nec hoſtes, nec tela timebant*; *Juſtin. Hiſtor.* ſic Sanctus Stephanus per Chriſti, quem in cælo intuebatur, præſentiam, ita fiebat impavidus, & conſtans, ut nec Judæorum calumnias, nec eorum minas, nec quæcumque ſupplicia timeret. Sed advertendum, Stephanum vidiſſe Chriſtum ſtantem: *& Filium Hominis ſtantem*. Sancta Eccleſia canit, quod ſedeat ad dexteram Patris, quomodo ergo eum ſtantem videt Stephanus? *Stabat Chriſtus adjuvans illum*. *Sanct. Bernard. ſup. verb. Iſaiæ Vidi hominum, &c.* quare a Chriſto, quem videbat, & a Chriſto, a quo adjuvabatur, tantam ſumpſit conſtantiam, & animi firmitatem, ut convicia, calumniæ, immo, & ipſi lapides, quibus feriebatur, ipſi dulces fuerint: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*.

Conſtantia, inquit Doctor Angelicus, *facit firmiter perſiſtere in bono contra difficultatem, quæ provenit a quibuſcumque aliis exterioribus impedimentis*. *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 157. *art.* 5. Unde vir vere conſtans, ſimul eſt perſeverans, & patiens; eſt perſeverans, in quantum perſiſtit in bono; & eſt patiens, in quantum dolores, labores, & quæcumque gravia libenter patitur, ut in propoſito ſibi bono perſeveret. Hanc conſtantiam perſeverantem ſimul & patientem habuere quidem omnes Martyres, qui in Chriſti confeſſione, non obſtantibus quibuſcumque ſuppliciis, uſque ad mortem præſtitere; ſed Sanctus Stephanus aliis conſtantior fuiſſe videtur, quia cum paſſus ſit omnium primus, aliorum exemplo ad perſeverantiam moveri non poterat: nihilominus in bono propoſito firmiſſime perſtitit, non obſtantibus graviſſimis difficultatibus, quæ ſeſe obtulerunt: bonum enim quod intendebat Stephanus, non aliud erat, quam Chriſtum confiteri, ejus cauſam defendere, & pro illius gloria decertare; in hoc autem bono uſque ad mortem conſtanter perſeveravit Sanctus hic Levita, licet maximæ occurrerint difficultates. Doctores enim Legis adverſus Stephanum diſputarunt, ut eum a Chriſti confeſſione averterent, & ipſe in ejus confeſſione perſeveravit: Judæi in illum ſævierunt, ut eum a Chriſti cauſa tuenda revocarent, & ipſe perſeveravit: advocati ſunt falſi teſtes, qui eum blaſphemiæ accuſarent; & ipſe in promendis Chriſti laudibus perſeveravit: duxerunt illum Judæi extra civitatis muros, ibique eum conviciis affecerunt, & lapidibus obruerunt; ipſe autem libenti animo, & convicia, & lapides excepit, & in Chriſti confeſſione uſque ad mortem firmiter perſeveravit. O magnam ſanctiſſimi hujus Protomartyris conſtantiam!

Aliquid ferocitatis præſeferre videtur conſtantiæ virtus in hoc, quod acerbiora quæque ſupplicia, & ipſam mortem contemnere faciat: *Conſtantia vim quandam, ferocemve virtutem habet mortem contemnere*. *S. Ambroſ.* Et ideo ad hanc animi conſtantiam, & in virtute perſeverantiam exprimendam, refert Paulus Jovius emblema, in quo erat Siren maritima cum hac epigraphe: *Contemnit tuta procellas*. Ferox illa virtus in omnibus Martyribus emicuit; quia pro Chriſto duriora quæque ſupplicia & ipſam mortem perpeſſi ſunt; ſed omnibus conſtantior fuiſſe videtur Stephanus, tum quia dira tormenta & ipſam mortem ita jucunde paſſus eſt, ut in mediis ſuppliciis genua flecteret, oraret, cælum contemplaretur, & Angelicum præferret vultum, non ſecus ac ſi tormenta, & mortem contemneret, & pro nihilo haberet: tum etiam quia a Chriſti morte ipſe omnium primus acerbum paſſus eſt martyrium, non habens exemplum quod imitaretur, & quo mors illi tolerabilior, & dulcior redderetur: *Primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conflictum*. *Chryſolog. ſerm.* 154.

O magnam Stephani conſtantiam, quam pro viribus imitari tenemur: non enim in cælo coronabitur, niſi qui in via virtutis uſque ad mortem fortis & conſtans extiterit: *eſto fortis uſque ad mortem, & accipies coronam vitæ*. Dum patiebatur Stephanus, ad ipſum, velut ad primum Martyrum, e cælo corona deſcendit, qua ipſe coronatus eſt, & quæ

ab

Digitized by Google

ab ipſo ad omnes, qui ejus conſtantiam imitabuntur, eſt tranſitura: *Quando beatus Stephanus pro Chriſto primus ſanguinem ſuum fudit, quaſi corona proceſſit de cœlo, ut eam ſumerent ſequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in præſio.* S. *Aug. ſer.* 96. *de diverſ.* O Chriſtiane! vis in cælo coronari cum Stephano? quidquid in via ſalutis durum, & difficile occurret, generoſe, & conſtanter pro Chriſto patere; eſto conſtans cum Stephano, qui pro Chriſto dira conſtanter paſſus eſt: *ac etiam Chriſtum perfecte imitatus eſt.*

TERTIA PARS.

S. *Stephanus Chriſtum fideliter imitatus eſt.*

CHriſtum Pater æternus miſit in mundum, non ſolum ut Redemptoris fungeretur officio; ſed etiam ut in omnis virtutis exemplar a cunctis imitandum proponeretur: hic enim eſt dilectus Patris æterni Filius, quem ut Redemptorem venerari, & ut totius perfectionis exemplar imitari tenemur: *Imitentur ſenes mores Tobiæ*, inquit S. Auguſtinus: *imitentur adoleſcentes Joſeph caſtum, pulchrum corpore, pulchriorem mente;* S. *Aug. de Cataclyſmo c.* 6. imitentur adoleſcentulæ Agnetem & Catharinam; ſed imitentur omnes Chriſtum: *Fias imitator Chriſti, non Antichriſti.* S. *Aug. ſer.* 2. *exercit.* Eum Sancti, dum in hoc mundo viverent, varii imitati ſunt, ſed Martyres ſpecialiter eum *imitati ſunt in morte ſua, & ideo coronas triumphales meruerunt.* Protomartyr autem Stephanus & in vita, & in morte eum perfectiſſime imitatus eſt, adeo glorioſam, & ſublimem in cælo aſſecutus eſt coronam: *Stephanus humiliter lapidatur, ſed ſublimiter coronatur. Aug. ſer.* 1. *in Pſ.* 58.

Non immorabor in enumerandis ſingulis virtutibus, quibus ſimul cum Chriſto adhæſit Stephanus: norunt enim omnes, ipſum ſimul cum illo virginitatem illibatam ſervaſſe, voluntariam ſectatum eſſe paupertatem, humilitatis profundæ exercitiis incubuiſſe, charitate erga Deum & proximum exarſiſſe, ejuſque alias virtutes imitatum eſſe. Sed maxime mirabile, & omni admiratione dignum cenſeo in beato Stephano, quod in dilectione inimicorum fideliſſime, & perfectiſſime imitatus ſit Chriſtum Dominum, qui dum graviſſima in cruce pateretur ſupplicia, perſecutoribus pepercit, pro iis oravit, multiſque eos beneficiis affecit: quod ut clarius pateat, Stephanum cum Chriſto conferamus, & cuique evidenter conſtabit, quod ſervus Dominum, & Diſcipulus Magiſtrum hac in parte perfecte imitatus ſit.

De Chriſto refert Princeps Apoſtolorum, quod cum gravia a Judæis pateretur ſupplicia, iis ne minimum quidem minitatus ſit malum: *Cum pateretur, non comminabitur.* 1. *Petr.* 2. Et non ſolum non comminabatur a Judæis; verum & omnium injuriarum, ſibi ab iis illatarum, quaſi immemor videbatur: *Qui flagellis cæſus, clavis confoſſus, patibulo affixus, opprobriis ſaturatus: omnium tamen dolorum immemor.* S. *Bern. ſer.* 50. *in Cant.* Similiter S. Stephanus a Judæis dira perpeſſus eſt tormenta: contra eos tamen nequaquam iratus eſt, nec aliquam iis minitatus eſt pœnam; ſed quaſi omnium injuriarum ſibi factarum immemor, facie hilari, oculiſque ad cælum elevatis, Chriſtum Jeſum ſedulo contemplabatur: *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem.*

Injuriarum ab inimicis ſuis acceptarum ita immemor fuit Chriſtus, ſeu inimicis ita pepercit, ut pro iis patrem oraverit: ſed & pro inimicis, & perſecutoribus ſuis enixe oravit Stephanus. Chriſtus pro inimicis orans, clamavit: *Judæi clamabant: crucifige: ille clamabat, ignoſce.* S. *Bern. ſer.* 4. *paſſ. Heb.* 5. Stephanus etiam pro inimicis ſuis orans clamavit: *Poſitis autem genibus clamavit.* Chriſtus pro crucifixoribus ſuis orans, clamavit voce magna: *Cum clamore valido*, ut ait D. Paulus, Stephanus non abſimiliter pro perſecutoribus orans: *clamavit voce magna.* Chriſtus pro inimicis ſuis orans clamavit, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt; Luc.* 23. Stephanus autem ſimilem pro inimicis ſuis orationem fudit, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act.* 7. Hac oratione, quam pro perſecutoribus ad Patrem direxit Chriſtus, plus de venia iis impetranda, quam de propriis doloribus ſolicitus eſſe videbatur: inſtanter enim rogabat Patrem, ut illis ignoſceret: *Pater, dimitte illis;* ſimiliter Stephanus *plus perſecutorum dolebat peccata, quam ſua vulnera; plus illorum impietatem, quam ſuam mortem.* Quid plura? Chriſtum veniam pro multis ex ſuis perſecutoribus obtinuit, & S. Stephanus *novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Chriſtus a Judæis crucifixus, ſpiritum Patri commendavit. *In manus tuas commendo ſpiritum meum;* & Stephanus a Judæis lapidatus, clamavit: *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum. Pſ.* 4. Chriſtus tandem in cruce moriens, emiſit ſpiritum, & quaſi dulci ſomno obdormivit: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam;* & S. Stephanus inter lapides, quibus ab inimicis mactatus eſt, *obdormivit in Domino.*

O mirabilem Chriſti imitatorem! & o maximam Stephani cum Chriſto conformitatem! non ſolum enim pro Chriſto generoſe locutus eſt, & pro Chriſto conſtanter paſſus eſt; ſed & Chriſtum perfectiſſime imitatus eſt. Unde *ſi nihil eſt dignius quam quod homo ſit ſui auctoris imitator;* S. *Leo ſerm.* 5. *Quadr.* quantus honor, quantaque eſt gloria Stephano, quod auctorem ſuum, & Redemptorem ſuum Chriſtum perfecte imitatus ſit? Maxima quidem ei gloria maximaque felicitas ineſt: ipſe enim actu Chriſtum imitans in dilectione inimicorum, *obdormivit in Domino.* O qualem felicitatem! o felicem ſomnum! *Felix ſomnus cum requie*, inquit Petrus Damiani, *requies cum voluptate, & voluptas cum æternitate. Petrus Dam. ſerm. de S. Steph.* Et ut clamat S. Auguſtinus: *O ſomnum pacis! quid illo ſomno tranquillius? quid illo ſomno quietius?* S. *Aug. ſerm. de S. Steph.*

Ecquis tali ſomno dormire, & tali morte mori non ambiret? Quis peſſimam peccatorum mortem vitare, & feliciſſima Juſtorum morte mori non optaret? Certe non eſt qui non dicat: *Moriatur anima mea morte Juſtorum. Num.* 23. Sed ut morte Juſtorum moriamur, imitandus eſt Stephanus: *Imitare Stephanum, qui dum poteretur lapidibus, ut eis peccatum remitteretur, orabat.* S. *Chryſ. homil.* 63. *in c.* 17. *Matth.*

Matth. Si Stephanus inimicis non pepercipiſſet, morte peccatorum peſſima mortuus eſſet; ſed quia pro iis oravit, iiſque benefecit; morte Juſtorum mortuus eſt, & *obdormivit in Domino. Act. 7.* Vultiſne NN. morte Juſtorum mori cum Stephano? Imitamini Stephanum. Mihi cum audire videor in cælo clamantem: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; ſeu, in multis imitatus ſum Chriſtum Salvatorem, & præcipue in amore inimicorum; in hoc & vos imitatores mei eſtote, inimicos veſtros toto corde diligite, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, benefacite iis qui oderunt vos; & poſtquam inimicos dilexeritis, mors gratiſſimus vobis erit ſomnus, & feliciſſimus ad æternam beatitudinem tranſitus, in qua in æternum regnabitis. *Amen.*

DE SANCTO STEPHANO.

CONCIO SECUNDA.

Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu. Act. 7.

SI ſanctus Stephanus perſecutores non habuiſſet, Protomartyris nomen & gloriam non obtinuiſſet; ſi ſanctus hic Levita inimicis non pepercisset, cælos apertos non vidiſſet; & ſi generoſus hic Athleta tam gravia ab inimicis perpeſſus non eſſet in terris, ad thronum tam excelſum ſublimatus, & corona tam pretioſa redimitus non fuiſſet in cælis. Unde ſi parvulis innocentibus Herodis, & ſatellitum crudelitatem multum profuiſſe aſſerat S. Auguſtinus; *Profanus hoſtis numquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio; Aug. ſer. 10. de Sanctis.* Dicendum pariter de ſancto Stephano, quod inimici, a quibus dira paſſus eſt tormenta, ei plurimum profuerint: quod officioſiſſimis quibuſque amicis ei utiliores extiterint. Verum eſt, quod maligni, duri, & ſaxei erant Judæi, qui Stephanum perſecuti ſunt; ſed ipſe, ut perfectiſſimus Chriſti Diſcipulus, maximam ex eorum malitia utilitatem elicere novit, amplamque & prædivitem laudum ſuarum ſegetem omnibus Concionatoribus ſubminiſtravit. Laudari quidem poſſet Stephanus a nivea virginitate, qua floruit, a zelo ſalutis animarum, quo accenſus fuit; a paupertate Evangelica, & aliis multis virtutibus, quibus eminuit; ſed nihil in eo eminentius, nihil rutilantius, nihil divinius, quam quod ſuos perfectiſſime dilexerit inimicos: quare hunc ſolum contemplabimur, ut ab inimicis dura patientem, & inimicis benefacientem; ſed prius cum ipſo oculos & mentem ad cælum elevemus, &c. *Ave.*

ADverſus Chriſtum corde, ore, & opere graviter peccaverant Judæi: *corde*, per malitiam, qua ſuccenſi erant; *ore*, per blaſphemias, quas in illum evomuerant; & *opere*, per dira & horrenda ſupplicia, quibus illum cruciaverant. Chriſtus autem reddens bona pro malis, corde, ore & opere eos dilexit; *corde* quidem, quia cor ejus amore illorum maxime exarſit; *ore*, quia pro iis Patrem enixe rogavit; & *opere*, quia pro eorum ſalute pretioſum ſanguinem fudit, & acerbiſſimam mortem voluntarie pertulit. Unde, ſi probe res perpendantur, Chriſtus inimicorum ſuorum fuit victima, advocatus & protector; eorum fuit victima, quia ab iis crucifixus, & morti traditus eſt; eorum advocatus extitit, quia pro iis ardenter deprecatus eſt; & eorum fuit protector, quia iis fortiter & efficaciter patrocinatus eſt. Ecce magnum dilectionis inimicorum exemplar, quod a Patre æterno nobis propoſitum eſt, & quod perfectiſſime imitatus eſt Stephanus: ipſe enim, ſicut & Chriſtus, fuit victima, advocatus, & protector inimicorum ſuorum; *ut victima*, ab inimicis gravia jucunde paſſus eſt; *ut advocatus*, pro iis ferventer deprecatus eſt; & *ut protector*, iis efficaciter patrocinatus eſt. S. Stephanus paſſus eſt, oravit, & protexit. 1. *Paſſus eſt* ab inimicis jucunde. 2. *Oravit* pro inimicis ferventer. 3. *Protexit* inimicos efficaciter.

PRIMA PARS.

Sanctus Stephanus ab inimicis jucunde paſſus eſt.

TAntam eructabat ſapientiam Stephanus, ut in publicis, quas contra Legis Doctores inierat, diſputationibus, ſapientiæ, & ſpiritui, qui per os ejus loquebatur, nullus reſiſtere valeret; quare Judæi, invidia & ira exardeſcentes, falſos teſtes adverſus eum adduxerunt, calumniis eum denigrare conati ſunt, & tandem *impetum fecerunt unanimiter in eum: & ejicientes eum extra civitatem lapidabant. Act. 7.* Unde S. Stephanus, qui prius erat Doctor contra Judæos diſputans, factus eſt deinde eorum victima; ſed victima voluntaria: quia non invite, non coacte, ſed jucundo & hilari animo convicia, calumnias, & omnes lapidantium inimicorum impetus ſuſtinuit. Quod ſatis ſuperque manifeſtant ejus vultus, ejus oculi, & ejus os. Hoc manifeſtant. 1. *Ejus vultus*, qui Angelicus eſt. 2. *Ejus oculi*, qui cælum inſpiciunt. 3. *Ejus os*, quod ſilet.

1. Cum S. Stephanus adverſus Judæos diſputaret, omnes adſtantes vultum ejus ad inſtar faciei Angelicæ renitentem, intuiti ſunt: *Viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli. Act. 6.* Non Angelus, ſed homo erat Stephanus; & tamen Angeli vultum præferebat, vultumque illum Angelicum habebat, cum illum perſequebantur Judæi. Cum S. hic Levita in xenodochiis innumera charitatis officia impendebat, Angeli faciem non habebat; cum in domibus infirmorum portentoſa operabatur miracula, tunc etiam Angelica non ei facies inerat; ſed cum Judæi eum calumniabantur, & crudeliter perſequebantur, tunc radiantem, & Angelicum præferebat vultum, ut inde teſtaretur ſe eſſe paratum ad gravia quævis ſupplicia hilari & jucundo animo perferenda: ut enim ait S. Gregorius, *novit patientia levigare quod grave eſt: S. Greg. l. 7. in Regiſt. indict.* 1. Stephanus autem, cujus patientia erat maxima, gravia quæ ipſi minabantur Judæi ſupplicia, tamquam leviſſima reſpiciebat. Unde vultum geſtabat Angelicum, quaſi pulchritudine vultus Judæis dixiſſet: Gravia putatis tormenta quæ patior, & quæ mihi inferre intenditis; ſed quæ vobis gravia videntur, mihi leviſſima ſunt, eaque lubenter

benti & jucundo perferam animo. Ne credatis Judæi, quod ægre injurias, calumnias, & quævis ſupplicia feram: hæc omnia mihi placent, hæc mihi arrident; vultum attendite, & ex pulchritudine vultus facile judicabitis, me gravia quævis ſupplicia jucunde & hilariter eſſe paſſurum.

Chriſtus in die transfigurationis ſimul cum Apoſtolis in monte Thabor de ſpinis, clavis, cruce, & omnibus, quæ in toto paſſionis ſuæ decurſu paſſurus erat, loquebatur: *Loquebatur de exceſſu*, & tunc *reſplenduit facies ejus ſicut ſol*. Cum Chriſtus Apoſtolis prædicabat, cum iis de regno ſuo loquebatur, & cum in conſpectu illorum multa operabatur miracula, vultus ejus pulchrior & ſplendidior non apparebat; ſed cum Apoſtolos de iis quæ paſſurus erat in Jeruſalem, allocutus eſt, vultus ejus ad inſtar ſolis rutilans viſus eſt: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol*. O Chriſte! cur cum de his quæ paſſurus es, loqueris, pulchram & radiantem geris faciem? Num convenientius eſſet, quod dum de triſtibus, & duris ſermonem habes, triſtis etiam & mœſta eſſet facies tua? Non equidem; tunc enim prudentiſſime faciem prætulit hilarem, & ad inſtar ſolis radiantem, ut pulchritudine & hilaritate vultus Apoſtolis pateſaceret, ſe non coacte, ſed libenter & hilariter omnia paſſionis ſuæ tormenta portaturum: *Oblatus eſt quia ipſe voluit: Iſa. 53. 7.* Ecce myſterium, propter quod Chriſti facies reſplenduit ſicut ſol; ſed ecce etiam myſterium, propter quod facies Stephani, tamquam facies Angeli viſa eſt: ut enim ait Tertullianus: *Stephanus inſtar Chriſti in transfiguratione: Tertull. l. de reſurr. c. 53.* quia ſi Chriſtus in transfiguratione coram Apoſtolis faciem ad inſtar ſolis radiantem prætulit, ut inde æquo, jucundo, & gratiſſimo animo ſe cuncta paſſionis tormenta portaturum oſtenderet; ita & Stephanus in conſpectu Judæorum faciem prætulit Angelicam, & *ad inſtar ſolis radiantem. S. Aug. ſerm: 99. de div.* ut ſpectantibus Judæis declararet, quod non ægre, ſed jucunde eorum convicia & calumnias perferret, quodque ad gravia quævis ſupplicia lubenter, & gratiſſimo animo perferenda paratus eſſet. Sed ſi quam jucunde patiatur Stephanus, manifeſtet vultus ejus, *hoc etiam manifeſtant oculi*.

2. In mediis tormentis non terram, non tortores, nec ſpectatores, ſed cælum, & Jeſum reſpicit Stephanus: *Video*, inquit, *cælos apertos, & Jeſum ſtantem*. O Stephane! nonne vides duros & diros quos adverſum te vibrant lapides Judæi? nonne vides iniquos illos calumniatores, qui adverſum te locuti ſunt falſa, & inſenſiſſimos illos tortores, qui crudeliter innocentem tuam mactant & lacerant carnem? Sed, o Martyr inviƈtiſſime! nonne vides innocuum illum ſanguinem, qui undequaque e tuo corpore copioſiſſime fluit? Non equidem ad illa attendit Stephanus: ipſe nec hoſtes, nec lapides, nec proprium reſpicit ſanguinem, ſed quaſi extra ſe raptus, cælum ſolum intuetur, & Jeſum intra cælos ſtantem: *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem*. Cælos videt ſibi apertos, intra quos brevi recipiendus eſt, & videt identidem intra cælos Jeſum qui inimicos dilexit, Jeſum qui pro inimicis gravia æquo animo perpeſſus eſt, & intuens cælum ſimul & Chriſtum, tormentorum quaſi obliviſcitur, eaque non ſolum æquanimiter, ſed etiam hilariter ſuſtinet. Si enim *nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cælo eſt: Tertull. ad Matth. cap. 2.* quid dicemus de ſancto Stephano, cujus animus, & oculi non ſolum in cælo extitere, ſed etiam Chriſtum in cælo ſtantem contemplati fuere: *Video cælum apertum, & Jeſum ſtantem*; certe inter tormenta non ſolum quaſi inſenſibilis extitit, verum & ea pergratiſſimo animo pertulit.

Ante oculos vobis proponite illuſtrem Leviram Stephanum, carnificibus, & aliis Judæis ſibi inſenſiſſimis circumdatum, quorum quiſque ad lapides currit & quiſque lapides toto robore contra innocens ejus corpus vibrat; clamant omnes, lapidant omnes, carnemque ejus innocuam omnes malitioſe percutiunt, & crudeliter contundunt. Stephanus autem nec lapides, nec tortores, ſed cælum, & Jeſum in cælo ſtantem aſpicit: *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem: Plut. in Apoph.* videt cælos ſibi patentes, & Jeſum ipſum expectantem; cælum videt ut locum; & Jeſum ut objectum ſuæ beatitudinis; & intuitu Chriſti & cæli, ei dulcia & gratiſſima fiunt tormenta, quæ patitur; ſi enim antiquitus, interea dum fieret pugna, præmia victoribus danda, alicui columnæ pugnantium conſpectui expoſita ſuſpendabantur, ut præmiorum quæ aſſequi ambiebant præſentia, ad generoſius dimicandum moverentur; quanta generoſitate decertavit, & quanta alacritate gravia quævis paſſus eſt tormenta Stephanus, æterna præmia ſibi propoſita, ſeu cælos apertos, & Jeſum videns: *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem*? Sed Stephanum ab inimicis jucunde paſſum eſſe, auſpicari etiam poſſumus *ex ſilentio oris ejus*.

3. Scio locutum eſſe Stephanum, ſed eum etiam tacuiſſe non me latet; in Dei cauſa generoſe loquebatur, ſed in propria religioſe tacebat. Unde D. Auguſtinus ait, quod S. Stephanus *ſæviebat & amabat. S. Aug. ſerm. de S. Steph. Tom. 10.* Cum Dei res agebatur, Stephanus libenter loquebatur, & adverſus Dei hoſtes maximo cum zelo decertabat, *ſæviebat*; cum autem Stephani res agebatur, ipſe mutus fiebat, tunc adverſus proprios hoſtes os ſuum non aperiebat, ſed eos toto corde diligebat, *& amabat*; Judæi Chriſti ſimul & Stephani erant inimici, utrique erant inſenſi, & contra utrumque inſurgebant. Cum autem Judæi Chriſtum aggrediebantur, contra ipſum, & ejus Evangelium blaſphemantes, Stephanus a Chriſti partibus ſtans, adverſus Judæos libenter loquebatur, eoſque libere increpabat, tunc *ſæviebat. Eccleſ. in Offic. S. Steph.* Sed cum Judæi aggrediebantur Stephanum, calumniis illum afficientes, illumque lapidibus obruentes, ipſe tamquam mutus fiebat, adverſarios ſuos tunc amabat, & ipſos lapides adverſus illum immiſſos benigne recipiebat; durum illi erat offendi Chriſtum: ſed calumniis affici, & lapidari ipſi ſuave & jucundum erat: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*.

In Templo Hieroſolymitano erant boves ærei, & clypei aurei; beatus autem Stephanus æreus ſimul & aureus erat. Cum adverſus Chriſtum inſurgebant Judæi, Stephanus totus æreus erat: quia tunc perſonatum *velut æs ſonans*, perſonabat ejus vox, perſonabant argumenta, quæ adverſus impiam illorum doctrinam adducebat, & perſonabant verba,

quibus illos generoſe redarguebat & increpabat. Sed cum adverſus Stephanum inſurgebant Judæi, ipſe totus aureus erat: quia tunc non perſonabat, ſed ſilebat; ut enim ait Tertullianus, *aurum percuſſum ſilet*; cum autem Stephanus, qui totus aureus erat, conviciis afficiebatur, & lapidibus impetebatur, ipſe animo ita hilari & jucundo hæc omnia perferebat, ut ne unicum verbum adverſus hoſtes ſuos proferret, ſed ſileret. Tunc, ut ait S. Gregorius Nyſſenus, S. Stephanus adverſus inimicos non loquebatur, ſed pro Chriſto pati gaudebat, & lapides velut rorem gratiſſimum percipiebat: *Magnus ille Stephanus gaudet lapidibus, ac veluti ſuavem quemdam rorem crebros lapidum iſtus benigne recipit. Greg. Nyſſen. tr. de beatit.*

Mirare, o Chriſtiane, S. Stephani patientiam, & illius exemplo diſce illatas ab inimicis injurias patienter ſuſtinere. Duo tibi patientiæ exempla proponit Auguſtinus, Chriſtum ſcilicet & Stephanum: *Æſtuas*, inquit, *furis, anhelas, feſtinas de adverſario vindicari? attende Chriſtum Redemptorem animæ tuæ, medicum ægritudinis tuæ, qui ideo pati voluit, ut tibi patientiæ ſuæ monſtraret exemplum. S. Aug. ſer. 2. de S. Steph.* Ecce magnum patientiæ exemplum. Sed quia forte quis diceret: non poſſum ego homo infirmus hoc facere quod Chriſtus Deus Homo fecit; ideo aliud patientiæ exemplum proponit S. Auguſtinus, nempe Stephanum, qui non Deus erat, ſed homo ſicut & alii. *Reſpice Martyrem*, inquit, *vicinam grandinem inſpice, ingentem acervum lapidum intuere, ferventes jam vide manus, anhelantia ora jam conſpice, ignita rabie lumina jam contemplare: ecce acies funeſta appropinquat, jam lapides vibrat: fremebant impii cordibus ſuis & ſtridebant dentibus adverſus eum; S. Aug. ſerm. 4. de S. Steph.* & tamen hæc omnia patientiſſime, & jucunde patitur Stephanus. O Chriſtiane! ſi non potes imitari Chriſtum, imitari Stephanum: *Si non poteſtis imitari Dominum, imitamini conſervum, imitamini Stephanum. S. Aug. ubi ſup.* Velim, quod contumeliis vos inimicus afficiat, quod bona, & famam auferat, immo & quod graviter feriat. & hæc & alia quantumvis gravia, patienter ſuſtinenda ſunt; imitandus eſt Chriſtus, qui graviſſima ab hoſtibus ſumma cum patientia ſuſtinuit; ſed *ſi non poteſtis imitari Dominum, imitamini conſervum, imitamini Stephanum*, qui gravia ab inimicis illata jucunde paſſus eſt ſupplicia; & *qui pro inimicis ferventer deprecatus eſt.*

SECUNDIA PARS.

S. Stephanus pro inimicis ferventer deprecatus eſt.

DUplici amore, Dei ſcilicet, & proximi, exarſit cor Protomartyris Stephani; amor Dei omnes iræ & vindictæ motus in ejus corde ſopivit, fecitque quod omnia ſupplicia jucunde & hilariter pertulerit; amor vero proximi eum ad orandum pro inimicis allexit; pro iis autem non remiſſe & inaniter, ſed ferventiſſime deprecatus eſt: quia dum lapidaretur, pro iis oravit 1. Flexis genibus. 2. Clamans. 3. Clamans alta voce.

1. Dum Stephanus lapidibus quateretur, Deum ardenter pro percutientibus oravit: *Dum ſuper eum torti lapidum vortices deciderent, & rotatæ aggeres torquerentur, pro ſævientibus ſic orabat. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum; S. Aug. ubi ſup.* ſed, quod mirum eſt, pro inimicis ipſe *flexis genibus* oravit; circumdabatur Judæis ululantibus, blaſphemantibus, & crebros lapides vibrantibus; ipſe autem, ut pro perſecutoribus oraret, inter lapidum aggeres genuflexit. Cur tantam ſibi vim facit Stephanus moriens, & quaſi exanimis? Nonne ſatis fuiſſet, quod rectus, humi cubans, vel in ſitu in quo a lapidantibus, & a jactatis lapidibus ponebatur, pro iis oraret? Non equidem ſatis fuiſſet reſpectu charitatis, qua erga inimicos ardebat Sanctiſſimus hic Levita: ipſos enim ita diligebat, ut pro iis orare voluerit flexis genibus, ad hoc ut facilius a Deo iis veniam & miſericordiam impetrare valeret: *Ventum eſt, ut oraret pro lapidatoribus ſuis, attendit multam & magnam eſſe impietatem illorum, quæ difficillime domari poſſet: genuflexit. S. Aug. ſer. 3. de S. Steph.*

Pro ſeipſo, & pro inimicis oravit Stephanus, cum hac tamen differentia, quod pro ſeipſo orans ſteterit; pro inimicis vero orans genua flexerit: *Pro ſe orans ſtat & erigitur*, inquit Petrus Damiani, *pro lapidantibus flectit genua*. Cur Stephanus pro inimicis, & non pro ſeipſo genua flectit? Reſpondet præfatus Petrus Damiani, ſic ſe geſſiſſe Stephanum quia *plus dolebat perſequentium peccata, quam ſua vulnera: illorum iniquitatem, quam ſuam mortem. Petrus Damiani ſer. de S. Steph.* Aliam huic non multum diſſimilem & præclaram adducit reſponſionem S. Thomas a Villanova: Stephanus, inquit, orans, non pro ſe, ſed pro lapidantibus genuflectit, *quia ſibi patens cælum videbat, lapidantibus vero infernum imminere. S. Thom. a Villanova ſerm. de S. Steph.* Cum ergo videret S. Stephanus ſe gratia eſſe plenum, ſibique cælum patere; & e contra agnoſcens gravia eſſe perſequentium peccata, & os inferni ad eos deglutiendos patere, ferventius pro inimicis, quam pro ſeipſo oravit, & ideo non pro ſe, ſed pro iis orans genua flexit. O fervidam ſancti Stephani orationem! ſed ferventer etiam pro inimicis Deum deprecatus eſt: *quia pro iis oravit clamans.*

2. Cum S. Stephanus pro ſeipſo oravit, non clamavit: *Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum:* pro ſe orabat, Deum invocabat, ipſique ſpiritum ſuum commendabat, non clamans, ſed dicens: *invocantem & dicentem*. Non eſt mirum, quod Stephanus innumeris lapidum ictibus impetitus, & quaſi obrutus, non clamet cum pro ſe Deum deprecatur; ſed cum pro ſe orans non clamaverit, cur pro inimicis, & lapidatoribus ſuis orans, clamat: *Poſitis autem genibus clamavit?* Dionyſius Carthuſianus ait, Stephanum pro inimicis orantem clamaſſe, quia pro iis ardenter, & ex magno affectu orabat: *Clamavit, quia ex magno, & intimo cordis affectu oravit. Dionyſ. in hunc locum.* Et Lyranus ait, quod pro inimicis orans Stephanus, clamaverit, quia ejus oratio *procedebat ex magno affectu erga proximum.*

Chriſtus cruci affixus pro perſecutoribus oravit, cla-

clamans: *Pater ignoſce illis*; clamabant Judæi adverſus Chriſtum ſævientes, & clamabat Chriſtus pro Judæis Patrem deprecans: *O mira res, Judæi clamant, Crucifige: ille clamat, Ignoſce; S. Bern. ſerm. Fer. 4. Paſſ.* Dominum autem & exemplar ſuum Chriſtum perfectiſſime imitatus eſt Stephanus: contra ipſum enim clamabant & dentibus ſuis ſtridebant Judæi; ipſe vero pro iis Deum rogabat, tantoque affectu pro iis orabat, ut pro iis orans clamaverit: *Poſitis autem genibus clamavit.* Clamabat Stephanus dicens: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; quaſi diceret: velim ſciant Angeli, & homines, me inimicis ex toto corde parcere; meque toto affectu pro iis veniam a Deo poſtulare. Clamabat Stephanus, dicens: *Domine*; quaſi Deum ſic affaretur: o Domine vides caput, maxillas, & omnes corporis mei partes lapidibus attritas; vides carnem meam undique contuſam, & ſanguinem ex corporis mei membris undequaque fluentem: ſupplex autem te rogo, ut virtute ſanguinis mei pro te fuſi, & pœnarum quas pro tui gloria pertuli, ad veniam, & ad miſericordiam perſecutoribus meis concedendam flectaris. Clamabat tandem, dicens: *Domine*; quaſi dixiſſet: de profundis clamo ad te, Domine, & licet lapidibus jam ſim obrutus, quidquid tamen mihi ſupereſt virium colligo, ut clamem ad te, non vindictam, ſed miſericordiam; ex magno quo erga inimicos affectu ardeo, ad te clamo, & uſque ad mortem clamabo, ut a te pro iis gratiam & veniam impetrem: *Clamavit, quia ex magno, & intimo cordis affectu oravit.* Sed ferventer enim Stephanus pro inimicis deprecatus eſt, quia pro iis orans, clamavit *voce magna.*

3. Lapidabant Judæi Stephanum, & ipſe pro iis orabat; *Judæi ictibus lapidum corpus ejus quatiebant, & hic pro eis orabat: contundebatur homo exterior, & ſupplicabat interior; S. Aug. ſerm. 4. de S. Steph.* Magnus erat ſtrepitus lapidum quos adverſus ſanctum Levitam vibrabant Judæi; & magnus erat clamor Stephani Deum pro lapidantibus deprecantis: ut enim ait ſacer textus, *Stephanus clamavit voce magna. Act. 7.* Cur ſanctus hic Protomartyr jam expirans, & cum morte conflictatus, pro inimicis oravit, clamans *voce magna?* Præclaram, & propoſito noſtro congruam hujus rei rationem affert S. Petrus Damiani, dicens: *Clamat Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat. S. Petr. Dam. ſer. d. S. Steph.* Cor Stephani erat quaſi fornax & quaſi rogus igne charitatis ardens. Hunc ignem nec calumniæ, nec lapides, nec quarumvis tribulationum aquæ extinguere valuerunt: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*; quin contra, quo plus percutiebatur, eo ignis charitatis in ejus corde magis accendebatur: quare charitatis igne exardeſcens, clamavit *voce magna*, Deum rogans, ut lapidantibus Judæis hoc peccatum non ſtatueret: *Clamat Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat.*

Dum lapidaretur Stephanus, duplex audiebatur clamor, lapidantium ſcilicet, & Sancti Stephani; clamabant illi, clamabat ille; illi clamabant alta voce: *Exclamantes voce magna*; ille etiam alta voce clamabat: *Clamavit voce magna.* Sed o quanta eſt differentia inter clamorem, & clamorem, ut enim ait S. Petrus Damiani, *clamor lapidantium furoris erat, clamor Stephani amoris. Ubi ſup.* Furor, & rabies, quibus adverſus ſanctum Levitam exardeſcebant Judæi, ad clamandum eos movebant: *Clamor lapidantium furoris erat*; Stephanus vero ardentiſſimi amoris igne accenſus, clamavit voce magna, Deum deprecans, ut perſecutoribus ſuis parceret: *Clamabat Stephanus voce magna, quia magna utique charitate ardebat.*

Ecce differentiam inter bonum & malum Chriſtianum; orat bonus, orat malus; ſed bonus bene, & malus male orat; clamat bonus orans Deum, ut inimicis parcat, & clamat malus, orans Deum, ut inimicos plectat: *Numquid dicis: oro Dominum, ut moriatur inimicus meus? Deus meus, ſi quid apud te promerui, occide inimicum meum?* O peſſimam orationem! *Cum enim oras Dominum, ut occidat inimicum tuum, te facis Judicem, & Deum conſtituis tortorem. S. Aug. ſer. 2. de S. Steph.* Sed o exitioſam etiam orationem, qua malus fit & peccator, & qui taliter orat: *Sic orando facti eſtis ambo mali: ille mala agendo, tu male orando. Ubi ſup.* Quare reſpectu inimicorum non mala, ſed bona ſit oratio veſtra: S. Stephanus a Deo vindictam non petiit, ſed inimicis a Deo ferventiſſime poſtulavit veniam; ſimiliter a Deo inimicis gratiam, & miſericordiam ſupplices petite. Non dixit Deus: orate *contra*; ſed *orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: Matth. 5.* quare pro inimicis ardenter orate, ad inſtar S. Stephani, qui pro inimicis ferventer deprecatus eſt: *& qui inimicis efficaciter patrocinatus eſt.*

TERTIA PARS.

Sanctus Stephanus inimicos protexit efficaciter.

CHriſtum morientem inimicis ſuis efficaciter patrocinatum eſſe ait Auguſtinus, quia pro iis oravit *prece miſericordiſſima & potentiſſima; S. Aug. ſer. 92. de diverſ.* Miſericordiſſimas ſimiliter Stephani preces extitiſſe jam vidimus; ſed potentiſſimæ etiam fuerunt reſpectu inimicorum ejus, quia precibus ſuis obtinuit. 1. Saulo converſionem. 2. Multis gratiam. 3. Aliquibus gloriam.

1. Saulus adhuc juvenis S. Stephani martyrio adfuit, & lapidantium pallia ſervavit, ut hi ad vibrandos lapides magis eſſent expediti, & ut ipſe omnium manibus lapides in S. Levitam torqueret: *Omnium veſtimenta ſervabat, tamquam manibus omnium lapidabat. S. Aug. ſer. 4. de S. Steph.* Si Saulus ſimul cum aliis lapidantibus, propria manu Stephanum lapidaſſet, aliquos ſolum lapidum ictus, eoſque leves vibraſſet; ſed lapidantium veſtes ſervans, omnium manibus ſanctum Levitam lapidabat; quare ſancti hujus protomartyris infenſiſſimus perſecutor fuiſſe videtur Saulus. Illi tamen potentiſſime, & efficaciſſime patrocinatus eſt ſanctus Stephanus, quia a Deo ejus converſionem impetravit, ita quod perditus, & damnatus fuiſſet Saulus, niſi pro eo oraſſet Stephanus: *Perdi debuerat Saulus, ſed pro eo oravit Stephanus; ſi Martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet; ſed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus eſt Stephanus. S. Aug. ubi ſup.* Hæc ſunt verba ſancti Auguſtini, & ſanctus Fulgentius ait, quod Stephanus, *quem habuit in ter-*

ra perſecutorem, in cœlis meruit habere conſortem. S. Fulgent. ſerm. de S. Steph.

S. Paulus ante converſionem erat lupus rapax, in Chriſtianos ſæviens; ſed precibus S. Stephani totaliter converſus eſt, & ex lupo in agnum mutatus eſt. Saulus, inquit S. Thomas a Villanova, *Martyris merito ex lupo factus eſt agnus: S. Thom. a Villanova ſerm. de S. Steph.* & D. Auguſtinus ait quod Paulus, qui lupus erat rapiens, perſecutor ſæviens, & filius perditionis, ſancti Stephani precibus factus eſt agnus, prædicator, & vas electionis: *Pro eo oravit Stephanus: unde eliſus eſt ſæviens, erectus eſt credens: eliſus eſt lupus, erectus eſt agnus; eliſus eſt perſecutor: erectus eſt prædicator. Dicam planius, dicam apertius: eliſus eſt filius perditionis, erectus eſt vas electionis; eliſus eſt Saulus, erectus eſt Paulus. Aug. ubi ſup.* O miram D. Pauli converſionem, quam precibus ſuis obtinuit S. Stephanus: *ſed a Deo obtinuit veniam multis perſecutoribus ſuis.*

2. Chriſtum in cælo vidit Stephanus ſtantem: *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem.* Cur non illum videt ſedentem ad dexteram Patris, ſed ſtantem? Stabat Chriſtus in cælo, inquit Hugo Cardinalis, ut hoc ſitu indicaret, ſe eſſe paratum ad vindictam de S. Stephani lapidatoribus ſumendam; *Per illud verbum ſtandi habitus injurias vindicantis exprimitur.* Quis ergo exarmabit Chriſtum iratum, & ad vindictam aptatum? Stephanus equidem, qui gratiam & miſericordiam a Chriſto pro perſecutoribus ardenter petiit: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum:* ejus enim oratio ita potens, & efficax extitit, ut iis a Chriſto gratiam, & miſericordiam impetrare meruerit: *Qui novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Unde ſi de Chriſto moriente, & pro perſecutoribus orante dicat Petrus Damiani, quod ejus oratio non potuerit eſſe inefficax, quodque ejus oratione numerus perſecutorum tranſierit in numerum amicorum Dei; *Non potuit eſſe inefficax oratio morientis: unde & inimicorum numeroſitas ad numerum amicorum tranſivit;* dicendum ſimiliter de S. Stephano in extremis orante, non inefficacem, ſed ita efficacem ejus extitiſſe orationem, ut pro perſecutoribus veniam & gratiam obtinuerit: *Qui novit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum.*

S. Gregorius Nyſſenus ait, Stephanum in medio perſecutorum fuiſſe quaſi Sacerdotem, qui ſui ipſius, ſuarumque orationum ſacrificium Deo offerebat, ut pro inimicis veniam, & gratiam impetraret: *Tamquam Sacerdos hoſtiam puram immolans oratione.* Lapides quibus obruebatur Stephanus, altare hujus ſacrificii formabant: Stephani ſanguis, qui copioſe fluebat, & corpus quod mactabatur, erant quaſi hoſtia, quam ſanctiſſimus Protomartyr pro perſecutoribus ſuis Chriſto offerebat, & identidem Deum enixe rogabat, ut lapidatoribus ſuis parceret, eiſque veniam, & gratiam concederet, quæ oratio Stephani morientis, juncta ſacrificio quod offerebat, efficaciſſima fuit: *Non potuit eſſe inefficax oratio morientis.* Sed ſi precibus ſuis veniam multis obtinuit, *multis etiam gloriam æternam impetravit.*

3. Dum lapidaretur Stephanus, cælos omnes ſibi patentes vidit: *Video cælos apertos. Act. 7.* Cæli ita patuere S. Stephano, ut eorum latera diſrupta fuerint: *Patuit ſedes Dei, & ſulcato aere, cælorum latera perpenderunt, hiavit lucidus axis, & cæli omnes. S. Aug. ubi ſup.* Quare cælorum rumpuntur latera? cur omnes cæli ita aperiuntur Stephano? non cælos ſibi apertos, ſed aliquod ſolummodo cæli oſtium apertum vidit S. Joannes Evangeliſta: *Ecce oſtium apertum in cælo; Apoc. 4.* cur ergo Stephanus non unicum oſtium, ut S. Joannes, ſed omnes cælos patentes, & ſibi apertos vidit? Cælos apertos vidit, quia triumphali pompa, non ſolus, ſed ſimul cum perſecutoribus, pro quibus Chriſtum exoraverat, cælum ingreſſurus erat. Vetus erat apud Romanos conſuetudo, *Alexand. ab Alex. l. 9.* ut qui in ludis Olympiacis victoriam reportaverat, magnifico apparatu in urbem ingrederetur, non per oſtium commune, ſed per aditum everſione murorum factum, quo victor, ſimul cum magna hominum eundem comitantium, illique plaudentium multitudine in urbem intrabat; ſic B. Stephano, qui de carnis illecebris, de mundi fallaciis, de Doctoribus, & de tortoribus glorioſe triumphaverat, non unica cæli janua, ſed omnes cæli aperti ſunt, ut ipſe triumphans, ſimul cum ſuis perſecutoribus, aut illum comitantibus, aut poſt ipſum venientibus, ingrederetur. Hunc, ut ait S. Fulgentius, Stephanum ſecutus eſt Paulus: *Quo præceſſit Stephanus, illuc ſecutus eſt Paulus, adjutus precibus Stephani.* At non ſoli Paulo, ſed multis etiam aliis ex ſuis perſecutoribus cælum ſuis precibus aperuit Stephanus, eiſque gloriam, & beatitudinem æternam a Deo obtinuit, quia *non potuit eſſe inefficax oratio morientis.*

O pereximium inimicorum ſuorum amatorem! qui non ſolum ab iis dira jucunde paſſus eſt, nec ſolum pro iis ferventer oravit; verum & eos beneficiis cumulavit. De Alexandro refert Plutarchus, ſubditum quemdam perperam de eo loquentem, multis muneribus affeciſſe, quibus gratiam illius adeo conciliavit, ut qui antea fuerat ejus obtrectator, poſtea in laudem ejus orator fieret. Quod cum noviſſet Alexander, dixit: *Hæc eſt gloria Alexandri, inimicos reddere amicos. Plut. de Alex.* Sed ad S. Stephani honorem dicamus, ipſum majoribus inimicos affeciſſe donis, cum iis & gratiam, & gloriam obtinuerit: *Hæc eſt gloria Stephani. Matth. 5.* Ad cujus imitationem vos iterum invitare vellem; benefecit ille inimicis: *benefacite* & vos *iis qui oderunt vos.* Crucifixoribus ſuis benefecit Chriſtus, & lapidatoribus ſuis benefecit Stephanus, ut Chriſtum, & Stephanum imitemini: *benefacite iis qui oderunt vos.*

Cum quidam juvenis ira percitus adverſus Lycurgum, ei oculum eruiſſet, Senatus Lycurgo illum tradidit, ut ex propria ſententia, & ad libitum, illatæ injuriæ de eo vindictam ſumeret; at tantum abeſt, quod eo vindictam ſumpſerit Lycurgus, quin contra eum in domum ſuam recipit, eum ut proprium filium aluit, eumque bonis moribus imbuit. *Plutarch. in Apoph.* Heu! ſi hic infidelis, cui numquam Chriſti & Stephani propoſita fuerant exempla, benefecit hoſti ſuo, hoſti infenſiſſimo, hoſti qui ipſi oculum erueratj cur, o Chriſtiani, veſtris non benefacietis inimicis? nondum vobis oculos

Digitized by Google

los eruerunt; & licet oculos eruiſſent, licet vos lapidibus obruiſſent, licet, ut ita dicam, vos crucifixiſſent, ad eos tamen diligendos, & ad iis benefaciendum movere vos deberent exempla Chriſti & Stephani, qui crucifixoribus, & lapidatoribus benefecerunt: quare *benefacite iis qui oderunt vos*. Durum eſt benefacere calumniantibus & perſequentibus nos; ſed, o quam ſuave, & quam jucundum erit audire Chriſtum dicentem: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum!* Inimicis ergo benefacite cum Stephano, ut cum illo regnum percipiatis æternum. *Amen*.

DE SANCTO
JOANNE EVANGELISTA.
CONCIO PRIMA.

Vidit Diſcipulum, quem diligebat Jeſus.
Joann. 21.

SIcut omnium malorum primum, & omnium infelicitatum potiſſima eſt, a Deo odio haberi; ita bonorum omnium maximum, omniumque felicitatum noſtrarum fons & origo eſt, a Deo, omnis boni principio, amore ſpeciali diligi: *Amor Dei unicum mundi beneficium eſt, & cauſa bonorum omnium. Plato in conviv. Socrat.* Sed quis, dum in hoc mundo vivit, ſe a Deo diligi aſſerere poterit, cum abſque ſpeciali revelatione ſcire nequeamus, an in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu peccati mortalis exiſtamus; ſeu, an Dei amore, vel odio digni ſimus: *Neſcit homo, utrum amore, vel odio dignus ſit? Eccleſ. 9. 1.* Quis, dum in miſero hoc mundo converſatur, de Dei erga ſe amore certus erit, cum D. Paulus, qui uſque ad tertium cælum raptus, arcana viderat quæ non licet homini loqui, ingenue ipſum latere fateatur, an ſit in ſtatu gratiæ illius, qua homo formaliter juſtus, & Dei amicus conſtituitur: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus non ſum? 1. Cor. 4. 4.* Pauciſſimis quidem hoc revelatur myſterium; ſed S. Joannes Evangeliſta, qui in Chriſti corde, velut in libro vitæ, ſe ſcriptum viderat, Diſcipulum a Chriſto dilectum ſe libere nuncupat, & in toto Evangelii ſui decurſu non ſe alio, quam dilecti Diſcipuli nomine vocitat: *Diſcipulum quem diligebat Jeſus.* Et revera *Joannem*, ut ait S. Auguſtinus: *Dominus præ cæteris diligebat*; & Tertullianus eum *dilectiſſimum Domino* vocat. Quis, & quantus Chriſti erga Joannem fuit amor, hæc explicabit concio, &c. *Ave*.

MUndi erga ſuos amorem avarum, & tenacem, fictum & fallacem, inconſtantem & mutabilem eſſe quiſque fatebitur. Amat clientes ſuos mundus amore avaro & tenaci: quia illis aut nihil dat, aut parum dat, vel etiam nonnumquam bonis imaginariis, & umbris eos paſcit: *Omnia tranſierunt tamquam umbra. Sap. 5. 9.* Amat etiam ſuos mundus amore ficto & fallaci: quia omnes ejus favores ficti ſunt & fallaces; *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo; Prov. 31. 30.* ſeu, ut ait D. Auguſtinus, totum mundi ſtudium in hoc eſt, quod ſuos fallat, & decipiat: *Fallit, & decipit*. Mundus tandem ſuo amore inconſtanti, & mutabili diligit: quia quos hodie amare fingit, cras aperto proſequitur odio: quos hodie aliquo afficit beneficio, cras malis obruit, gloriamque, necnon omnia quæ largitur bona, brevi in ignominiam & mala plurima commutat; *Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Oſeæ 4.* Ecce turpes characteres amoris mundi erga ſuos, a quibus toto cælo diſtat, & ex diametro oppoſitus eſt Chriſti Domini erga Joannem amor: nam amore *liberali*, & non avaro; *ſincero*, & non fallaci; *conſtanti*, & non mutabili eum dilexit. Chriſtus Dominus amavit Joannem amore liberali, amore ſincero, & amore conſtanti. Amavit eum 1. *Amore liberali*, quo eum beneficiis cumulavit: 2. *Amore ſincero*, quo ei altiſſima myſteria revelavit. 3. *Amore conſtanti*, quo ei etiam poſt mortem benefacere non deſtitit. En tres hujus orationes partes, quibus patebit, quantum Chriſtus Joannem dilexerit: *Vidit Diſcipulum, quem diligebat Jeſus.*

PRIMA PARS.

Chriſtus Joannem dilexit amore liberali.

OMnes penitus ſapientes amorem liberalem, & prodigum eſſe noverunt: quia communi experientia conſtat, eum qui ardenter amat, ſuis ſe facile ſpoliare bonis, ut ea dilecto largiatur. Unde Alciatus in ſuis emblematibus amorem ſub figura pueri veſtibus ſuis exuti proponit:

Convenit hoc, quod veſte caret, quod corpore parvus. Embl. 113.

Et ideo alius quidam Poeta egregia apoſtropha amorem compellans, ab eo quærit, cur eum mater ejus nudum incedere pateretur:

Dic mihi te nudum cur tua mater alit? Angerianus.

Nudus quidem depingitur amor, quia tanta ipſius eſt liberalitas, ut ſuis omnibus ſe ſpoliet bonis, ad ea in perſonam amatam transferenda. Et hic verus eſt character amoris Chriſti erga Joannem, quem amore ita liberali dilexit, ut ei dignitates ſuæ Eccleſiæ, cor ſuum, & matrem ſuam dederit. Et dedit 1. *Dignitates ſuæ Eccleſiæ*, ut eas exerceret. 2. *Cor ſuum*, ut illud poſſideret. 3. *Matrem ſuam*, ut illam conſolaretur.

1. Hanc inter divinum & humanum amorem differentiam conſtituit Doctor Angelicus, quod amor divinus *ponit*, amor vero humanus *ſupponit*; amor humanus, qui plerumque inops eſt, & omni bono vacuus, ſupponit in objecto amato aliquod bonum, quo amabile fiat; amor vero divinus, qui dives & liberalis eſt, ponit in perſona amata, ſeu illi largitur bona, quæ illam amabilem efficiunt. Deus autem hoc amore benefico & liberali dilexit Joannem, quia in eo poſuit, ſeu illi omnes Eccleſiæ ſuæ dignitates, & prærogativas liberaliter conceſſit: *Omnes dignitatum titulos, omnes gratias, & honores, quos per alios domus ſuæ famulos ſparſim diviſit Deus, in hoc uno plenius accumulavit, & acervavit: hic Apoſtolus, Propheta, Evangeliſta, Martyr,*

Confeſſor, Virgo, Doctor. *S. Thom. a Villan. ſer. de S. Joan. Evang.* Deus ab æterno Petrum elegerat, ut eſſet Apoſtolus; Iſaiam, ut eſſet Propheta; Lucam, ut eſſet Evangeliſta; Stephanum, ut eſſet Martyr; Martinum, ut eſſet Confeſſor; Paulum, ut eſſet Virgo; & Auguſtinum, ut eſſet Doctor. Sed amor Dei fuit erga Joannem liberalior, qui ipſi dedit, ut ſimul eſſet *Apoſtolus, Propheta, Evangeliſta, Martyr, Confeſſor, Virgo, & Doctor.*

Deus mirabili providentia ab initio Eccleſiam ſuam regit, & ſicut ſapientiſſimus œconomus, ſuum cuique in ea exercendum dare conſuevit officium. Unde videmus, quod hunc Prophetam, illum Apoſtolum, iſtum Evangeliſtam & alium Doctorem, vel Paſtorem faciat: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores. Epheſ. 4. 11.* Sed Chriſtus erga Diſcipulum ſuum Joannem ita liberalis extitit, ut in eo uno omnes Eccleſiæ ſuæ dignitates collegerit, & adunarit: Prophetam enim cum Prophetis, Apoſtolum cum Apoſtolis, Evangeliſtam cum Evangeliſtis, cum Martyribus Martyrem, & cum aliis Doctoribus, Confeſſoribus, & Virginibus, cum Doctorem, Confeſſorem, & Virginem effecit. Immo & illum quodammodo ſupra alios ſublimavit; fuit namque inter Apoſtolos ille *quem diligebat Jeſus*; inter Evangeliſtas non bos ruminans, vel leo rugiens, ſed aquila furſum volans extitit; inter Prophetas fuit perſpicaciſſimus; inter Martyres conſtantiſſimus, ſapientiſſimus inter Doctores, inter Confeſſores fideliſſimus, & inter Virgines puriſſimus. Unde reſpectu S. Joannis Chriſti gratiæ non fuere diviſæ, ſed Chriſtus theſaurizavit ſuper eum, ejuſque erga Joannem amor ita ſe liberalem exhibuit, ut omnes gratias omneſque Eccleſiæ ſuæ dignitates, quæ inter alios ſunt diſperſæ, in eo uno collegerit, & coacervaverit: *Hic Apoſtolus, Propheta, Evangeliſta, Martyr, Confeſſor, Virgo, Doctor.* Sed Chriſti erga Joannem amor fuit adhuc liberalior, *quia ei dedit cor ſuum.*

2. Joannes, ut ait Origenes, interpretatur, *cum donatum eſt*; & merito quidem ſic vocatur, quia multa & maxima a Chriſto dona percipere meruit, quorum potiſſimum & pretioſiſſimum haud dubie fuit divinum illud cor, quod illi tradidit Chriſtus, cum ſupra pectus ejus requievit. *Qui & recubuit in cœna ſupra pectus ejus. Joan. 21. 20.* Cum requievit Jacob ſupra montem Bethel, dixit ei Deus: *Terram in qua dormis, tibi dabo*: Chriſtus ſimiliter ſupra cor ſuum Joannem requieſcere voluit, velut ſupra terram ſacram, & divinam, quam illi tradebat poſſidendam. Petro Chriſtus claves regni cœleſtis dedit: *Tibi dabo claves regni cælorum; Matth. 16. 19.* Magdalenæ pedes ſuos tradidit: *Stans vero ſecus pedes ejus; Luc. 7. 38.* Sponſæ Canticorum ſua donavit labia. *Oſculetur me oſculo oris ſui: Cant. 1. 1.* S. Thomæ Apoſtolo latus ſuum conceſſit: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, Joann. 20.* ſed erga S. Joannem Evangeliſtam longe munificentior & liberalior extitit, quia dedit ei cor ſuum, dedit ei cor illud, quod eſt ſubſtantialiter & hypoſtatice Verbo divino unitum; cor illud, in quo velut in throno ſuo reſidet plenitudo divinitatis; cor illud divinum, quod in ſinu Mariæ formaverat Spiritu Sanctus; ei tandem dedit cor illud, cujus omnes cogitationes, affectus, & motus erant theandrici, & cujus valor infinitus erat, & incomprehenſibilis. O magnam Chriſti erga Joannem liberalitatem!

Deus a nobis non facultates, non corpora, ſed corda petit: *Præbe fili cor tuum mihi.* Sed o rem omnibus ſæculis admirandam! quod Chriſtus ab aliis petit, ipſe Joanni tribuit: ab aliis corda petit, & ipſe proprium cor Joanni concedit. Dederat cor ſuum Joannes Chriſto, quem ardentiſſime diligebat, & cujus cor Chriſti amore ita ardebat, ut *velut caminus quidam divini videretur incendii. Petr. Dam. ſer. 64.* Chriſtus autem e converſo cor ſuum tradidit Joanni, quem præ aliis Apoſtolis amavit: *Joannem Dominus præ cæteris diligebat. S. Aug. tr. 16. in Joann.* In corde Patris requieverat Chriſtus ab æterno: *Qui eſt in ſinu Patris*, & in tempore vult Chriſtus, quod ſupra cor ejus requieſcat Joannes; vult quod ibi paſcat, quod ibi cubet, quodque divini hujus cordis fiat inquilinus, & poſſeſſor. Quod præclara viſione S. Geltrudi fuit revelatum: ipſa etenim in extaſim rapta, in cælo Chriſtum vidit multis undequaque circumdatum Sanctis, calamos, ſeu fiſtulas dextera geſtantibus; quas alii ſupra caput, alii ſupra oculos, alii ſupra labia, & alii ſupra alias nobiliores corporis ejus partes flectebant; ſed S. Joannes Evangeliſta ſuam ſupra cor illius deflectebat, ut indicaret, quod Chriſtus eum divini hujus cordis poſſeſſorem effeciſſet. O portentoſam Chriſti liberalitatem erga S. Joannem, cui dedit cor ſuum, & *cui dedit etiam Matrem ſuam.*

2. Chriſtus in Cruce pendens authenticum fecit teſtamentum: *Diſpoſui teſtamentum electis meis: Jo. 19.* hoc teſtamentum animam Patri, Petro Eccleſiam, paradiſum latroni, corpus ſuum terræ, militibus veſtem, veniam peccatoribus, ſanguinem ſuum omnibus penitus hominibus dedit; ſed Joanni largitus eſt, quod ſibi erat carius, & quod pretioſius eſſe cenſebat, Mariam ſcilicet, quam ei in matrem conceſſit: *Fili*, inquit, *ecce Mater tua*; ſeu ecce Mariam matrem meam, quæ in poſterum tua erit mater. O Joannes, hanc tibi do in matrem, quæ eſt Regina Angelorum, hominum Imperatrix, protectrix totius mundi, & gubernatrix cæli & terræ: *Ecce Mater tua*; illa erit mater tua, & tu filius ejus eris; accipe illam in matrem tuam, & ipſa te in filium ſuum accipiet. O prodigium Chriſti amorem erga Diſcipulum ſuum Joannem, cui Matrem ſuam Mariam in Matrem tradidit! Videtur, inquit S. Thomas a Villanova, quod Chriſtus majorem gratiam Joanni conferre, nec erga illum liberalior eſſe poterat: *O magnum dilectionis indicium! ſuo loco apud matrem ſubſtituit eum, & per ſe in filium Virginis reliquit eum: huic gratiæ quid amplius dari poteſt? S. Th. a Villan. ſer. de S. Joann. Evang.* Et revera, ſi de Artemidoro, cui Theodoricus Rex Romam cuſtodiendam commiſerat, dixit Caſſiodorus, quod non poſſet altius ſublimari, quam cum ei Roma commiſſa eſt: *Nemo poteſt amplius erigi, quam cui potuit Roma committi: Caſſiod. Ep. 42.* quanto potiori jure de Joanne dici debet, quod non poterat Chriſtus eum altius evehere, nec erga illum ſe liberaliorem exhibere, quam cum Mariam ei in Ma-

trem

trem dedit: *Huic gratiæ quid amplius addi poteſt?* Maria, ut ait Doctor Angelicus, *ex hoc quod eſt Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: Div. Thom. 1. part. qu. 25. art. 6.* quare Chriſtus Joanni Mariam dans in Matrem, ei donum largitur quodammodo infinitum. Quid ergo majus ei conferre poteſt: *Huic gratiæ quid amplius addi poteſt?*

Merito dicitur, bonum eſſe adſtare ſervum juxta domini morientis lectulum, cum teſtamento de rebus ſuis diſponit: quia ſi eum amat, illi aliquid legare ſolet. In duro Crucis lecto jacebat Chriſtus, dumque ibi teſtamentum ſuum conderet, juxta Crucem ſtabat dilectiſſimus Diſcipulus Joannes: quare Chriſtus non ejus immemor fuit; ſed amore ita liberali eum dilexit, ut ei propriam matrem dederit: *Fili, ecce mater tua;* dedit ei matrem, quam poſt animam ſuam plus cæteris omnibus amabat; dedit ei matrem ſuam, quæ omnibus puris creaturis ſanctior, perfectior, & excelſior erat; dedit ei matrem, quæ Patris æterni filia, & Spiritus Sancti erat ſponſa. Quid amplius dare poterat Joanni: *Huic gratiæ quid amplius addi poteſt?* Ecce quomodo Joannem Chriſtus amaverit amore liberali; videamus nunc *quomodo illum amore ſincero dilexit.*

SECUNDA PARS.

Chriſtus Joannem dilexit amore ſincero.

QUI aliquem non ficte, ſed ſincere diligit, ſua ei ſecreta libenter aperit: quia cum amantis, & amati debeat eſſe cor unum, ſecreta etiam inter eos debent eſſe communia; nec quis alium ſincere & perfecte amare cenſetur, ſi ſua ingenue ei non aperiat ſecreta: *Nihil occultat amicus, ſi verus eſt, & effundit animum in amicum ſuum. Ambr. l. 3. Offic. c. 19.* In hoc autem maxime enitet ſinceritas amoris, quo Chriſtus Joannem perſecutus eſt; eum dilexit amore ſincero, quia ei manifeſtavit, 1. Secreta ſuæ divinitatis. 2. Secreta ſuæ humanitatis. 3. Secreta ſuæ Eccleſiæ.

1. Non humanæ ſolum, ſed etiam Angelicæ menti incomprehenſibilia ſunt divinitatis myſteria: *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Rom. 11. 33.* nihilominus amore ita ſincero Joannem dilexit Chriſtus ut multa de divinitate, quæ aliis ſunt incomprehenſibilia, ei manifeſtaverit, eique de divinitate longe majorem, quam aliis Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis notitiam dederit: *In ſpeculanda ſummæ divinitatis eſſentia præcedit Prophetas; ſupergreditur Patriarchas, Apoſtolos ſuperat. S. Joann. Damaſ. Orat. 22.* In corde Chriſti erant abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; ibi erant delineata altiſſima ſanctiſſimæ Trinitatis myſteria; Joannes autem, ut ait S. Gregorius Nyſſenus, os ſuum cordi Chriſti tamquam ſpongiam appoſuit, ut divinitatem epotaret. S. vero Auguſtinus dicit, quod Joannes fuerit *avidiſſimus epulator, qui de arcanis pectoris fluenta bibit ſapientiæ. S. Aug. in 1. ep. Joann.* Et Venerabilis Beda aſſerit, Joannem non ſemel dumtaxat, ſed pluries ſupra Chriſti pectus recubuiſſe, ad hoc ut avidus ille epulator altius, & perfectius divinitatis myſteria penetraret: *Supra pectus Domini recumbere ſolitus erat, ut ſecretum divinitatis uberius biberet. Beda in c. 1. Jo:* Ipſe tandem ſupra Chriſti pectus recumbens, factus eſt quaſi theſaurarius arcanorum, quæ in ſacro illo pectore, veluti in locupletiſſimo ærario deliteſcebant: quare in notitia myſteriorum divinitatis aliis multis antecelluit: *In ſpeculanda ſummæ divinitatis eſſentia præcedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, Apoſtolos ſuperat.*

Aquila, ut ait S. Iſidorus, dicitur *ab acumine oculorum, S. Iſid. l. 1. Etim.* quia tanto oculorum viget acumine, ut fixis palpebris ſolem intueatur. Advertit autem Plinius, quod ex pullis aquilæ ille vegetiori, & perſpicaciori oculorum acumine polleat, *qui ad latus cordis, cum mater ova fovet, adhæret. Plin. l. 2. Hiſt. nat. c. 9.* Joannes autem fuit filius cordis Chriſti, ibi requievit, ibi adhæſit: quare ad contemplandam eſſentiæ divinæ, & SS. Trinitatis ſolem fuit aliis perſpicacior. Sanctiſſimum generationis æternæ myſterium ineffabile eſſe fatetur Iſaias: *Generationem ejus quis enarrabit. Iſa. 53. 8.* S. Paulus, qui ad tertium cælum raptus fuerat, quaſi mutus hærebat, cum altiſſimi Trinitatis myſterii explicandi locus erat. Alii Prophetæ multa quidem futura prædicunt; alii etiam Evangeliſtæ quæ Chriſtus in in hoc mundo fecit, enarrant; ſed ſolus S. Joannes Evangeliſta, ut aliis perſpicacior, æternam Verbi generationem, Perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis diſtinctionem, & alia reconditiſſima divinitatis myſteria explicat; hic eſt filius cordis Chriſti, quem Chriſtus corde ita ſincero dilexit, ut ei ſecreta ſuæ divinitatis manifeſtaverit; *ac etiam ſecreta ſuæ humanitatis. Ezech. 12.*

2. Per quatuor facies animalium, hominis ſcilicet, leonis, bovis, & aquilæ, de quibus loquitur Ezechiel, quatuor Evangeliſtas ſignificari vult Auguſtinus, faciemque Aquilæ Joanni convenire cenſet, quia, velut aquila, ipſe aliis altius volavit: alii enim, quaſi animalia terreſtria, & alas non habentia, ſurſum non tetenderunt; ſed Joannes uſque ad Patris æterni ſinum volavit, ibique Verbum æternum, Juſtitiæ ſolem, fixis palpebris intuitus eſt. *In principio,* inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; Jo: 1.* ecce quouſque volavit hæc aquila, ecce aquilam altiſſime ſublimatam: *In principio erat Verbum; ecce aquila Dei ad cæli verticem ſublimiter evolans,* ut ait Petrus Damiani. *Serm. 1. de S. Jo: Evang.* Sed ſicut aquila nunc ſurſum volat, & nunc ad ima deſcendit; ita & Joannes, contemplatis altioribus divinitatis Chriſti myſteriis, ad ea quæ humanitatem ejus ſpectant conſideranda, & explicanda deſcendit: *Aliquando divinitatis alta, aliquando humanitatis infima deſcribit.* Evangelium ſuum ab his verbis incipit Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum;* ecce aquilam ad ſublimia evolantem; ecce Joannem de æterna Verbi generatione differentem, ſed deinde ad ea quæ humanitatis Chriſti ſunt explicanda deſcendens, ait: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis:* quaſi diceret: Illud Verbum, ſeu Chriſtus, ut Verbum, a Patre æterno in principio, ſeu ab æterno fuit genitus; & ut homo, in tempore a Maria Matre ejus fuit productus. Æterna Chriſti generatio tota ſpiritualis eſt: quia in

ea

Digitized by Google

ea ex mente Patris procedit; generatio vero ejus temporalis carnalis eſt, ſeu ſecundum carnem: quia in iſta generatione Verbum, quod ab æterno erat genitum, unitum eſt hypoſtatice naturæ humanæ Chriſti, quæ per Mariam fuit genita: *Verbum caro factum eſt*.

In perſcrutandis deitatis myſteriis alios Evangeliſtas longe anteceſſit Joannes; *Facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor*, inquit Ezechiel. *Ezech.* 1. Quæ verba ſic explicat Sanctus Gregorius: *Locus aquilæ non juxta, ſed deſuper eſſe deſcribitur: quia Joannes Verbum Patris, dum apud Patrem eſſe denuntiat, ſuper cæteros Evangeliſtas virtute contemplationis excelluit*. Sed cur dixit Ezechiel, *Facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor?* Cum enim tres ſolummodo ſint alii Evangeliſtæ, videbatur dicendum: facies aquilæ deſuper ipſorum trium, & non *deſuper ipſorum quatuor?* Reſpondet ſubtiliſſime Sanctus Auguſtinus, quod facies aquilæ fuerit deſuper quatuor Evangeliſtas: quia Sanctus Joannes non ſolum alios, ſed etiam ſeipſum tranſcendit, cum de æterna Chriſti generatione, & de ejus divinitate diſſeruit: tunc Joannes fuit *aquila grandis magnarum alarum, quæ in Libanum aſcendit, atque inde medullam cedri tulit*. *Ezech.* 7. Sed iſta aquila ab æterna Chriſti generatione, ad temporalem explicandam deſcendit; non divinitatis ſolum, ſed etiam humanitatis Chriſti myſteria in ſuo Evangelio, in Epiſtolis, & in Apocalypſi explicavit, multaque de Chriſti humanitate dixit quæ alii tacuerant, necnon ea perfectius, & clarius explanare videtur, quam alii: unde Divus Hieronymus dicit, Joannem aliorum extricaſſe retia: *Compoſuit retia aliorum*: ſeu clare multa expoſuiſſe de humanitate Chriſti myſteria, quæ alii Evangeliſtæ vel tacent, vel non ita clare explicant. Sed ſi Chriſtus ſincere Joannem dilexit, quia ei ſecreta ſuæ humanitatis manifeſtavit, eum etiam ſincere dilexit: *quia ei Eccleſiæ ſuæ ſecreta aperuit*.

3. Alii Prophetæ aliqua de Eccleſia prædixerunt *in ſpeculo & ænigmate, in viſione & ſomnio*, ut loquitur Tertullianus; *Tertull. l. adverſus Prax.* 14. ſed S. Joanni multa Eccleſiæ ſuæ myſteria clare manifeſtavit Chriſtus; dilecto huic Diſcipulo dedit noſſe myſteria regni ſui, quod eſt Eccleſia; ei notabiliores ejus eventus notificavit; ei patefecit futuras Cæſarum perſecutiones, Arianorum implacabiles tumultus, aſtutias Neſtorianorum, Pelagianorum dolos, furias Iconoclaſtarum, Lutheranorum impudentiam, & Calviniſtarum pertinaciam ſimul cum effrænata rabie conjunctam; ei aperuit Chriſtus varia certamina quæ ſubiit, & innumeras tempeſtates, quibus uſque ad mundi finem expoſita erit Eccleſia. Joannes tandem, ut ait Petrus Damiani, *Serm.* 64. fuit *Argus univerſalis Eccleſiæ*; quia maxima totius Eccleſiæ ſecreta novit, & alios docuit. Sanctus Petrus, qui ad univerſæ Eccleſiæ regimen deſtinatus erat, ſcire voluit, quis Chriſtum traditurus erat: ecce Eccleſiæ ſecretum, quod a Joanne didicit. Hereſiarcha Cerinthus noſſe optabat, an Chriſtus eſſet ab æterno; ſed hoc ei Joannes aperuit ſecretum, dicens Chriſtum, ut hominem, factum eſſe in tempore; & ut Deum, eſſe ab æterno: *In principio erat Verbum*. *Joann.* 1. Manichæi concipere nequibant, unicum eſſe Deum, a quo bona & mala fierent; ſed hoc ſecretum iis explicaverat Joannes, dicens, malum culpæ a Deo non fieri: *Sine ipſo factum eſt nihil*; unicum tamen eſſe Deum, a quo omnia alia, ſive bona, ſive mala fiunt: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Berengarius, Calvinus, & eorum ſectatores negabant, Chriſtum eſſe realiter ſub ſpeciebus euchariſticis; ſed illud myſterium Joanni revelatum fuiſſe videant in ejus Evangelio, ubi ait, quod Chriſtus propriam ad manducandum dare promiſerit carnem, & quod mortem minatus ſit iis qui carnem ſuam non manducaverint. Alia Eccleſiæ ſpecialia ſecreta, quæ refert Joannes, non referam; dicere enim ſufficit, quod Joannes fuerit *Argus univerſalis Eccleſiæ*, quia altiſſima Eccleſiæ myſteria novit; nec unquam Beſeleel ita perfecte tabernaculi mobilis ſtructuram, & varias partes concepit, ut Sanctus Joannes initia, incrementa, & exitus omnium hæreſum, necnon alia Eccleſiæ totius myſteria penetravit: quare fatendum, Chriſtum amore ſincero Joannem dilexiſſe, cum ei tot ſecreta revelaverit; *ſed amavit eum etiam amore conſtanti*.

TERTIA PARS.

Chriſtus Joannem dilexit amore conſtanti.

Conſtantia eſt veri amoris certiſſima nota; non enim bene amat, qui inconſtanter amat; & amare ad tempus, eſt quaſi nunquam amare. Unde optime dixit Doctor Angelicus, *Opuſc.* 51. eum qui vere amat, non ſolum pro re amata multa & magna, ſed etiam conſtanter operari: *Amor operatur diu*; & in eodem ſenſu aſſerit S. Bernardus, quod *amor facit operari indeſinenter*, ſeu conſtanter: quia qui bene amat, ſemper amat. Et hic eſt etiam character amoris Chriſti erga Diſcipulum ſuum Joannem, quem dilexit amore conſtantiſſimo: quia eum dilexit in vita, in morte, & poſt mortem. Eum dilexit 1. *In vita*, dum ei familiariſſimus fuit. 2. *In morte*, dum ei præſens adſtitit. 3. *Poſt mortem*, dum eum ad cælos ſublimavit.

1. Pereximii amoris, quo Joannem, quamdiu in hoc mundo vixit, Chriſtus proſecutus eſt, varia, eaque mirabilia vidimus indicia: novum tamen addam divini hujus amoris teſtimonium erga dilectum Diſcipulum, familiaritatem ſcilicet qua erga illum uſus eſt Chriſtus: ſi enim, ut ait Ariſtoteles, *Ethic.* 8. qui bene amat, *convivit delectabiliter*; Joannem haud dubie præ cæteris dilexit Chriſtus: quia ei ita delectabiliter & familiariter convixit, ut eum præcipuarum actionum ſuarum quaſi ſocium inſeparabilem, & teſtem eſſe voluerit: cum enim ſanavit Chriſtus Principis Synagogæ filiam, huic miraculo præſens fuit Joannes; cum aſcendit Chriſtus in montem Thabor, ubi gloriam ſuam manifeſtavit, eum ſecutus eſt Joannes; in die Cœnæ cum ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtus inſtituit, tanti myſterii ſpectator fuit Joannes; cum in horto Olivarum uſque ad mortem triſtatus eſt Chriſtus, dolorum ejus Joannes particeps fuit; cum in Cruce pro totius humani generis ſalute dira

Digitized by Google

dita paſſus eſt Chriſtus, ſimul cum Maria huic ſpectaculo Joannes adſtitit; ſemper tandem & ubique Joannem, ut individuum comitem vult habere Chriſtus. Unde ſi de Chriſto dixerit Tertullianus, quod *nuſquam ſine Angelis erat*; dicendum pariter, quod *nuſquam ſine Joanne erat*. O magnam familiaritatem, & o conſtantem Chriſti amorem erga Joannem!

Adverterat Sanctus Hieronymus, *ſuper Joannem cap.* 2. quod *præ cæteris Diſcipulis diligebat Jeſus familiarius unum, nempe Joannem*; & hæc familiaritas ſatis ſuperque nota videtur ex jam dictis: addam tamen, tantam Chriſti erga Joannem fuiſſe liberalitatem, ut ſicut Joannes in ſinu ejus requievit, ita & viciſſim ipſe ſuper Joannis pectus requieverit: *In triplici ſinu Chriſtus requievit*, inquit S. Ambroſius, *ſerm.* 1. *de Epiph. in ſinu Patris in cælo, in ſinu Matris & Joannis in terra*. Omni admiratione dignum eſt, tantam Joannis cum Chriſto fuiſſe familiaritatem, ut ſupra pectus ejus requieverit, & incubuerit: *Joannem pectori Domini incubantem; Tertull. l. de præſcr. Hæret.* 22. ſed longe mirabilius eſt, Chriſtum ex familiaritate voluiſſe ſupra dilecti Joannis pectus recumbere. Sacrum Domini verticem contingere non audebat Baptiſta, Magdalena cum timore, & tremore pedes tetigit, Thomas niſi juſſus manum miſit in latus; tanta autem Chriſtum inter & Joannem eſt familiaritas, ut Joannes confidenter, non petita venia, ſupra pectus Dominicum recumberet; & viciſſim Chriſtus ſupra pectus Diſcipuli caput ſuum reclinare non dedignetur: *Requievit in ſinu Matris & Joannis in terra*. O mirandam Chriſti erga Joannem familiaritatem! o ſtupendum ejus erga dilectum hunc Diſcipulum ſuum amorem! quem etiam *in morte dilexit, dum ei præſens adſtitit*.

2. S. Petrus de Joanne ſolicitus, a Chriſto petiit, quæ ejus futura eſſet ſors. *Domine, hic autem quid?* Cui reſpondit Chriſtus: *Sic eum volo manere donec veniam: Joann.* 21. Quæ reſponſio, cum non facile intelligatur, in cauſa fuit, varios varie de Joannis morte ſenſiſſe. aliqui enim eum non eſſe mortuum crediderunt, ſed venturum cum Elia & Enoch, ut certet contra Antichriſtum: alii autem, quos refert & refellit S. Auguſtinus, *tract.* 124. *in Joann.* eum adhuc intra ſepulchrum vivere opinati ſunt. At cum S. Eccleſia S. Joannis Feſtum celebret, eum vita functum, & beatum eſſe, nec non cum Chriſto in cælo regnare ſupponit; & plerique ex SS. Patribus eum naturali, & non violenta morte Epheſi eſſe mortuum aſſerunt, de quo nullum videtur eſſe dubium. Sed poſito quod ſit mortuus, quomodo intelligenda ſunt hæc verba: *Sic eum volo manere donec veniam?* Pereximie ea explicat Petrus Damiani, dicens; *ſerm.* 2. *de S. Joann. Sic eum volo manere, donec veniam*, id eſt, *donec in morte ejus veniam*: quia Chriſtus, inquit, Joanni morienti viſibiliter præſens adfuit: unde Chriſtum ſic loquentem inducit præfatus Auctor: *Veniam, non miſſam videlicet ſupernam aliquam virtutem, non Angelicam poteſtatem, ipſe per memetipſum veniam, & ipſe egredientem ejus animam in gloriæ meæ claritate ſuſcipiam*. O inſignem Chriſti amorem erga Joannem! ſed ejus adhuc erga dilectum hunc Diſcipulum ita conſtans fuit amor, *ut eum etiam poſt mortem dilexerit*.

3. Mors omnium amicitiarum meta, & terminus eſſe ſolet: pauciſſimi enim mortuos amant, & plerique eorum obliviſcuntur, at Chriſtus Joannem amore ita ſpeciali poſt ejus mortem dilexit, ut noluerit ejus corpus uſque ad judicium extremum ſub terra remanere; ſed illud ſimul cum anima ad cælum tranſtulerit, ut ibi beatitudine æterna frueretur. *Pium eſt arbitrari*, inquit Petrus Damiani, *Ubi ſupr. ut ſicut de B. Genitrice, ita etiam B. Joannes jam reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur; quatenus ſicut in virginea fuerunt integrita e participes, ita in anticipata reſurrectione merito videantur æquales*. O conſtantem Chriſti amorem erga Joannem, quem ita amavit, ut ejus corpus incorruptum ad cælum transferri voluerit; ſed majori adhuc amore eum poſt mortem dilexit: quia eum ad altiores cæli dignitates ſublimavit.

Tanta inſignis Poetæ Homeri in univerſo orbe extitit fama, ut de eo contenderint ſeptem magnæ urbes, quarum quælibet in civem eum ſibi arrogare volebat:

Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri;
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios,
Argos, Athenæ.

Similem quamdam, amicabilem tamen inter ſeptem Sanctorum Choros de Joanne contentionem fuiſſe ſenſit, & typis mandavit novus, & ſatis novus Concionator: Anachoritæ, inquit, eum ſolitarium fuiſſe dicebant, ac proinde cum ipſis in cælo collocandum; Virgines Virginem, Doctores Doctorem, Concionatores Concionatorem, Evangeliſtam Evangeliſtæ, Martyres Martyrem, & Apoſtolum Apoſtoli eum fuiſſe contendebant; ac proinde expetebant Virgines, quod in cælo locaretur cum Virginibus: Apoſtoli inter Apoſtolos, Evangeliſtæ inter Evangeliſtas, & Doctores inter Doctores ejus ſedem conſtitui poſtulabant; ſed Chriſtus totam litem compoſuit, & controverſiam diremit, dicens ſe velle Joannem ad altiores ſedes ſublimari, & ſimul cum Maria Dei Genitrice non longe ab ipſo ſedere.

O magnum Chriſti erga Joannem amoris teſtimonium! hic vere fuit Diſcipulus, *quem diligebat Jeſus*; illum quippe dilexit *amore liberali*, cum ei dignitates ſuas, cor ſuum, & matrem ſuam dederit; illum dilexit *amore ſincero*, cum ei divinitatis ſuæ, humanitatis ſuæ, & Eccleſiæ ſuæ ſecreta aperuerit; eum tandem amavit *amore conſtanti*, cum eum in vita, in morte, & poſt mortem dilexerit. Ecce quomodo diligebat eum.

O utinam divini hujus amoris participes eſſe poſſemus! utinam Chriſtum Dominum ad nos amore ſpeciali diligendos movere, & adducere poſſemus! hoc fieret utique, ſi illum ardenter amaremus. Pereximie dixit S. Auguſtinus, *lib. de Confeſſ.* ſe Dei amicum fieri, quoties volebat: *Amicus Dei, ſi voluero, ecce nunc fio*; nos ſimiliter, quoties voluerimus, Dei amicitiam nobis conciliare valeamus; amemus eum, & ipſe nos redamabit; amemus eum, & amor noſter quaſi magnes erit, quo ad nos amandos allicietur. Aſſeruit ipſe, quod diligentes diligeret: *Ego diligentes me diligo*; quare diligamus eum, & ille nos diliget. Diligamus autem eum,

eum, non verbis ſolum, ſed factis; non ſermone, ſed opere. Non illos imitemur, qui dicunt ſe amare Deum, & qui factis illum oderunt; ſed illum toto corde, verbo, & opere diligamus. Non dicamus ſolum verbo: ego diligo Deum; ſed quod ore dicimus, opere compleamus: diligamus eum operibus, & præcipue perfecta, & integra mandatorum ejus obſervatione: ut enim ait Sanctus Auguſtinus, *lib. 1. de viſit. infirm. Dilectionis Dei probatio, mandatorum ejus eſt completio.* Si erga Deum blaſphemus es, eum non diligis; ſi parentes non honoras, Deum non diligis; ſi mœcharis, furaris, vel aliam aliquam ex Dei legibus violas, Deum non diligis: quia tunc Deum amamus, cum ejus omnibus mandatis perfecte obtemperamus: *Dilectionis Dei probatio, mandatorum ipſius eſt completio.* Quare Deum ſic diligite, ut omnia ejus ſervetis mandata, & poſtquam eum in hoc mundo dilexeritis, diliget vos in æternum in gloria. *Amen.*

DE SANCTO
JOANNE EVANGELISTA.
CONCIO SECUNDA.

Domine, hic autem quid? Joann. 21.

NOn meæ mentis eſt nunc cum Divo Petro, quid de S. Joanne futurum ſit, a Christo percontari; ſed ut in aliquam virtutum, perfectionum, & privilegiorum, quibus dilectus ille Diſcipulus floruit, agnitionem venire valeam, Principis Apoſtolorum verbis utar, & quis, qualiſve Joannes extiterit, ſollicite inquiram: *Hic autem quid?* Altiſſimæ huic quæſtioni protinus reſpondet Petrus Damiani, *ſerm. 1. de S. Joann.* quod Joannes fuerit *lingua Spiritus Sancti, cedrus Paradiſi, lux Eccleſiæ, decus orbis, præco cœli, lumen mundi, ſidus hominum, & ſpecimen Angelorum*; a S. Bernardo, *ſerm. 3. de Cœna Domin.* Joannes *Diſcipulus felix, & honoratus* vocatur; a Dionyſio Carthuſiano *Theologorum altiſſimus*; a Sancto Chryſoſtomo *ſublimium Prædicator*; & a D. Auguſtino *aquila, ſeu lucis æternæ, & internæ fixis oculis contemplator* appellatur. Alii multi Auctores, ut quis fuerit S. Joannes exprimere valeant, variis honoris, & gloriæ titulis eum inſignire conantur; ſed paucis multa dixiſſe videtur Doctor Seraphicus, cum eum *Microcoſmum ſanctitatis* nominat; in Joanne etenim non unica elucet virtus, non unica perfectio emicat; ſed ipſe omnium virtutum, omnium perfectionum, omniumque prærogativarum centrum, ſpeculum, & quaſi parvus mundus extitit. Unde ſicut quidquid malitiæ in cæteris hominibus erat diſperſum, in uno Nerone natura collegerat; ita & quidquid in aliis hominibus eſt virtutis & perfectionis, in uno Joanne Deus coacervaſſe videtur. Ex innumeris his perfectionibus, quæ in ſanctiſſimo hoc Christi Diſcipulo rutilant, aliquas colligam, ut quis ille fuerit, aliquatenus patefaciam: *Hic autem quid?* &c. *Ave.*

JOannem Diſcipulum, Apoſtolum, & animarum Paſtorem extitiſſe neminem latet. Fuit quidem Christi Diſcipulus, cum inter omnes Diſcipulos hic ei carior extiterit: *Diſcipulum quem diligebat Jeſus.* Fuit etiam Apoſtolus, cum inter Apoſtolos fuerit honoratior: *Cæteris altius meruit honorari.* Fuit tandem animarum Paſtor, cum in tota Aſia Paſtoris univerſalis munere diu functus ſit: *Joannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia. Apoc. 1.* Verus Christi Diſcipulus Magiſtri ſui ſcientiam participare debet: quia *per Diſcipulos Magiſter innoteſcit. Greg. Naz.* Verus Apoſtolus Christum ardenter amare debet, & cum D. Paulo dicere: *Charitas Christi urget nos.* Verus tandem fidelium paſtor gregi invigilare, & pro eo animam ponere tenetur: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joann. 10. 11.* Has veri Diſcipuli, veri Apoſtoli, & veri Paſtoris qualitates perfectiſſime poſſedit S. Joannes Evangeliſta, qui inter Christi Diſcipulos doctiſſimus, inter Apoſtolos amantiſſimus, & inter Paſtores vigilantiſſimus extitit. Unde ſi jam a me quæratur, quis, & qualis fuerit S. Joannes: *Hic autem quid?* Diſcipulum, Apoſtolum, & Paſtorem eum fuiſſe dicam. Fuit 1. *Diſcipulus*, qui myſteria altiſſima penetravit. 2. *Apoſtolus*, qui ardentiſſime Christum amavit. 3. *Paſtor vigilantiſſimus*, qui ſollicite gregem curavit. Scientia illius Diſcipuli, amor illius Apoſtoli, & vigilantia illius Paſtoris tres orationis hujus partes conſtituent, quibus, quis fuerit S. Joannes Evangeliſta, facile innoteſcet: *Hic autem quid?*

PRIMA PARS.

S. Joannes fuit Diſcipulus, qui myſteria altiſſima penetravit.

MUltos licet Christus habuerit Diſcipulos, Joannes tamen Diſcipuli nomine ſpecialiter inſignitur, eſtque Christi Diſcipulus per antonomaſiam: *Hic eſt Diſcipulus ille.* Et revera S. Joannes fuit Diſcipulus, in ſchola Christi factus eſt doctiſſimus: ſub divino hoc Magiſtro altiſſima myſteria, & ſecreta abditiſſima penetrare valuit: Christus enim ei revelavit ſecreta. 1. Regni ſui. 2. Domus ſuæ. 3. Cordis ſui.

1. Regnum Christi eſt Paradiſus: hoc eſt regnum æternum quod Christus animabus juſtis dabit poſſidendum: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; Matth. 25. 34.* hoc eſt regnum, in quo gaudent Angeli, lætantur Archangeli, & triumphant omnes Sancti; hoc eſt regnum, cujus incolæ gaudio perpetuo, & ſempiterna lætitia perfruuntur; hoc tandem eſt regnum, in quo ſunt myſteria inexplicabilia, & *arcana quæ non licet homini loqui*, ut ait Divus Paulus. Quis ergo hujus regni valebit penetrare myſteria? Joannes quidem, cui Christus ea revelavit: *Beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cæleſtia.* Sed ſi myſteria cæleſtia homini explicare non liceat, quomodo ſancto Joanni ea explicare licebit? Reſpondet Divus Auguſtinus: *Quod homini non licet, Joanni aquilæ licet.* Reſpondet etiam Origenes, Joannem non hominem, ſed pluſquam hominem fuiſſe, ac proinde illi ſecreta cæleſtia penetra-

netra-

Digitized by Google

nectare, & enarrare licuiſſe: *Joannes non erat homo, ſed pluſquam homo, quando & ſeipſum, & omnia cœleſtia ſuperavit. Orig. hom. 21. de diverſ.* Raptus fuerat uſque ad tertium cælum D. Paulus; Joannes vero ſuper omnes cælos, & *in Paradiſum Paradiſorum. Orig. ubi ſupr.* D. Paulus in cælum raptus, arcana viderat, quæ non licet homini loqui; & Sanctus Joannes ſuper omnes cælos raptus, ſecreta etiam viderat, quæ non licet homini loqui; ea tamen penetravit, & explicuit S. Joannes, quia non homo, ſed aquila, & plus quam homo fuit: *Joannes non erat homo, ſed plus quam homo, quando & ſeipſum, & omnia cæleſtia ſuperavit.*

Altiſſima regni cæleſtis myſteria ita penetravit, & tam perfecte enarravit Sanctus Joannes, ut dicere non vereatur Sanctus Chryſoſtomus, Angelos fuiſſe quaſi Joannis Diſcipulos, & cæleſtes illos Spiritus ab eo multa ſecreta cæleſtia didiciſſe: *Nihil nobis humanum, ſed a Spiritus Sancti profundis & abditis theſauris omnia proloquitur Joannes, quæ neque Angeli prius quam diceret, noverunt: namque & ipſi nobiſcum per Joannis vocem didicerunt.* Sic loquitur Chryſoſtomus Prologo in Joannem: quod alibi confirmat, dicens: *Angeli plura myſteria didicerunt a Joanne.* Nec ſolius Chryſoſtomi hæc fuit ſententia, verum & Divi Hieronymi, dicentis: *S. Hieronym. in Zachar. Joannes ea auſus eſt propalare myſteria, quæ forte mens neſcivit Angelica.* Angeli in cælo habitant, ibi ſemper vident faciem Patris, ibi Deus iis, velut amicis, regni ſui ſecreta manifeſtat; nihilominus illis profundius Joannes in abyſſum myſteriorum Dei intraverat; divinam eſſentiam, emanationes Perſonarum, decretorum divinorum myſteria, & altiora Dei, & regni cæleſtis ſecreta ita penetraverat, ut per eum ipſi Angeli multa didicerint: *Plura myſteria didicerunt a Joanne.* Quis non miretur hunc Diſcipulum, cui Chriſtus ita perfecte revelavit ſecreta regni ſui; *ac etiam ſecreta domus ſuæ?*

2. Eccleſia eſt myſtica Chriſti domus: *Quæ domus ſumus nos: 2. Cor. 12.* in hac autem domo multa erant ſecreta, quæ Diſcipulo ſuo Joanni Chriſtus revelare voluit, non ſolum in cœnaculo, ubi ſupra pectus Domini recubuit; ſed etiam in Inſula Pathmos, ubi pluries in extaſim raptus, non triumphantis tantum, verum & militantis Eccleſiæ myſteria abditiſſima didicit. Joannes erat fideliſſimus Chriſti ſecretarius, cui confidenter domus ſuæ ſecreta committebat, ut videre eſt in Apocalypſi, quam doctiſſimus hic Diſcipulus conſcripſit, & quæ Eccleſiæ ſecretis a Chriſto ipſi revelatis eſt referta; ibi Joannes prophetico ſpiritu Agni victorias, Tyrannorum malitiam, Imperatorum perſecutiones, hæreticorum futuram rabiem, aliaque multa Eccleſiæ ſecreta, quæ a Magiſtro ſuo Chriſto didicerat, prædicit & enarrat; nec illa myſteria uni duntaxat, aut alteri Eccleſiæ particulari, ſed omnibus totius mundi Eccleſiis, vel potius univerſæ Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ aperit: *Joannem omnem Eccleſiæ per totum orbem diffuſa, non dubitent communem ſe habere Doctorem. Petr. Dam. ſerm. 2. de S. Joann.* Ecce Diſcipulum, quem totius Eccleſiæ Chriſtus Magiſtrum & Doctorem fecit, quia totius Eccleſiæ ei ſecreta revelavit.

Eccleſiæ Chriſti ſecreta multa noverant Prophetæ, quorum prædictiones ſub umbris, & figuris latentes habemus: aliquid etiam de Eccleſiæ regimine a Chriſto didicerant Evangeliſtæ, & omnes Apoſtoli, qui per orbem terrarum diffuſi, myſteria domus Dei, ſeu Eccleſiæ prædicarunt; at cæteris omnibus altius Joannes, & profundius Eccleſiæ ſecreta penetravit: hic enim ſolus de Antichriſto Eccleſiæ perſecutore clare loquitur, hic ſolus futuras Eccleſiæ perſecutiones enarrat; ipſe ſolus ejus certamina, & triumphos perfecte deſcribit: de ea namque non ſolum loquitur ut Evangeliſta, qui ea, quæ ſunt facta, referat: ſed etiam ut Propheta, qui, quæ in ea ſunt futura, quantumvis abdita, prævidet, & elucidat. Apocalypſis, quam ſcripſit S. Joannes, nil aliud eſt, quam *revelatio, qua ſtatus Eccleſiæ præſentis, & futura deſignatur,* inquit S. Bernardinus, *in c. 1. Apoc.* & ut ait Gilbertus Pictavienſis, *in Præf. ſupr. Apoc. Apocalypſi Græce, revelatio latine dicitur; quia in ea continentur quæ Deus revelavit Joanni, & Joannes Eccleſiæ: quanta ſcilicet Eccleſia paſſa ſit tempore primitivo, & nunc patiatur, atque in noviſſimis temporibus Antichriſti paſſura ſit.* O felicem Apoſtolum, o Diſcipulum eruditiſſimum, cui Chriſtus revelavit ſecreta domus ſuæ, & *ſecreta cordis ſui.*

3. In corde Chriſti prædeſtinationis æternæ, divinarum Proceſſionum, & aliorum plurium myſteriorum plurima latebant ſecreta: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Coloſſ. 2. 3.* Sicuti autem Alexander Magnus amico ſuo Hephæſtioni ſecreta cordis ſui detegebat; ita & Chriſtus dilecto Diſcipulo Joanni intima divini ſui cordis ſecreta aperire voluit: *Joannes*, ut ait Sanctus Ambroſius, *in Pſalm. 118. tum caput ſuum ſupra pectus Domini Jeſu reclinaret, hauriebat profunda ſecreta ſapientiæ.* Unde D. Auguſtinus cor Chriſti uberrimo ſecretorum fonti comparat, de quo ubertim bibit Joannes, cum ſupra pectus ejus recubuit: *De alto illo fonte ſapientiæ ſecreta bibebat. S. Auguſt. hom. 19.* Nec communia ſolum, ſed & altiora, & profundiora e divino illo corde manantia ebibit ſecreta: *Secreta altiora de intimo ejus corde potabat. S. Aug. tract. 18. in Joann.* In Lybia ultra Cyrenaicam regionem, juxta Jovis Ammonis Oraculum, eſt fons, cui ſol ſpeciali quodam modo dominatur; unde, teſte Herodoto, vocatur *fons ſolis.* Talis utique fons fuiſſe videtur cor Chriſti reſpectu Joannis: ſacrum enim illud cor fuit fons ſolis & lucis, quo illuſtratus fuit Sanctus hic Evangeliſta, & cujus altiora ſecreta ebibit: *De alto illo fonte ſapientiæ ſecreta bibebat.*

Joannem S. Auguſtinus avidiſſimum vocat epulatorem, qui de ſecretis e Chriſti corde manantibus avidiſſime potabat: *Avidiſſimus epulator, qui de arcanis pectoris fluenta bibebat ſapientiæ. In 1. Epiſt. Joann* Tanta autem extitere ſecreta, quæ e Chriſti corde hauſit S. Joannes, ut ſi credamus D. Bernardo, eadem e corde Chriſti ſecreta hauſerit Joannes, quæ Chriſtus e Patris æterni ſinu hauſerat: *Hauſit Joannes de ſinu Unigeniti, quod de paterno hauſerat ille. S. Bern. in Jos. 1. qui eſt in ſinu Pat.* Chriſtus a Zenone Veronenſi vocatur paterni cordis inhabitator: *Cordis paterni nobilis inquilinus.* Sicut autem

tem Chriſtus paternum cor inhabitavit, ita & Joannes ſupra Chriſti cor requievit; ſed, ut addit S. Bernardus, ſicut Chriſtus cor paternum inhabitans, multa ex eo hauſit ſecreta; ita & Joannes de ſinu *Chriſti hauſit quod de paterno hauſerat ille*. O doctiſſimum Diſcipulum, qui altiſſima regni, domus, & cordis Chriſti rimatus eſt ſecreta! Mirabatur Philo, quod aliqua Abrahamo ſecreta Deus revelare voluerit; ſed o quam mirabilius eſt, Chriſtum Diſcipulo ſuo Joanni tot & tanta revelaſſe ſecreta!

Mirentur cuncti, Chriſtum altiſſimorum myſteriorum notitiam Joanni dediſſe: ſed identidem advertant, Deum ea manifeſtaſſe Joanni humillimo, & manſuetiſſimo: quia non revelat ea ſuperbis, ſed humilibus: *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis. Matth. 11. 25.* Quare ſi quis Dei, ſacræ Scripturæ, fidei, ac etiam propriæ ſalutis ſecreta penetrare velit, Joannem imitetur, non tumeſcat ſuperbia, non inflectur arrogantia; ſed ſancta ſimplicitate, & humilitate Deo placere ſtudeat: *Si vis*, inquit Theophylactus, *ipſe prope Chriſtum recumbere, & in pectus ejus cadere, & myſtica ab eo diſcere, da operam, ut propter ſimplicem, bonamque mentem ab eo diligaris; talis eſto, qualis Joannes, & dignabitur te pectoris ſui recubitu.* Et ut ad talium agnitionem facilius perveniamus, invocemus ſanctum Joannem, qui altiſſima myſteria penetravit, & *qui etiam Chriſtum ardentiſſime amavit.*

§SECUNDA PARS.

Sanctus Joannes fuit Apoſtolus, qui ardentiſſime Chriſtum amavit.

JOannes præ aliis Apoſtolis a Chriſto fuit dilectus: *Joannem Dominus præ ceteris diligebat; S. Auguſt. in cap. 36. Joann.* Sanctus autem hic Diſcipulus pro viribus Chriſto rependit vicem, amorem amore compenſavit, diligentem ſe dilexit, & ubique ardentiſſimi hujus amoris flammas emiſit; ubique *charitatis vapores effundere, & charitatis ardoribus videtur æſtuare. Petr. Dam. ſerm. 64.* Sed ardentiſſimus hic Joannis erga Chriſtum amor eluxit potiſſimum in cœnaculo, in horto, & in monte Calvariæ: 1. *In cœnaculo*, ubi ſupra Chriſti pectus recubuit. 2. *In horto*, ubi Chriſtum non dereliquit. 3. *In monte Calvariæ*, ubi Chriſtum cruci affixum contemplatus eſt.

1. Dubitant Expoſitores, an Chriſtum Joannes plus quam Petrus dilexerit? Hoc dubium perfectiſſime ſolvit Doctor Angelicus, dicens, quod *Petrus plus dilexit Chriſtum in membris, Joannes vero plus dilexit Chriſtum in ſemetipſo*: ſicut enim de duobus Alexandri Magni amicis, Cratero ſcilicet & Hephæſtione, olim dicebatur, quod primus amaret Regem, ſecundus vero Alexandrum; ita & Petrus plus Chriſtum amabat in membris ejus, ſeu in fidelibus, quorum Paſtor univerſalis futurus erat; Joannes vero plus Chriſtum diligebat in ſemetipſo, quia ardentiſſimo ejus perſonam amore proſequebatur. Magnus autem hic Joannis erga Chriſtum amor in cœnaculo perfectiſſime eluxit, ubi non ex præſumptione, nec ex nimia libertate ſupra pectus ejus recubuit; ſed maximo quo erga Chriſtum ardebat amore, in extaſim raptus, & quaſi inebriatus, ſupra dilecti ſui pectus caput reclinavit: *Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit*: pereximie dixit Sanctus Bernardus, quod *amat ardenter, qui ita proprio inebriatur amore, ut majeſtatem non cogitet; Serm. 47. in Cant.* & ſic Sanctus Joannes in cœnaculo ita Chriſti inebriatus erat amore, ut majeſtatis ejus oblitus, ſupra illius pectus recumbere auſus: *Joannes non juſſus, non petita venia, confidenter recumbit ſupra Dominicum pectus. S. Thomas Villan. ſerm. 2. de S. Joann. Evang.* Nec Petrus, nec Andreas, nec alius quiſquam auſus eſt aliquando formidabile illud incarnati Verbi pectus attingere; neque illud attigiſſet Joannes, ſi plus ceteris Chriſtum non dilexiſſet; ſed magno quo erga Chriſtum inflammabatur amore, in extaſim raptus, & quaſi ebrius, majeſtatis oblitus eſt, & ſupra dilecti ſui pectus recubuit: *Amat ardenter, qui ita proprio inebriatur amore, ut majeſtatem non cogitet.*

Præſumptuoſa prima fronte, & temeraria videtur Sponſa ſacra, dum a Sponſo oſculum petit: *Oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. 1. 1.* Si enim Sponſi ſacri, ſeu Chriſti caput in Jordane attingere timuerit S. Joannes Baptiſta; ſi pedes illius cum tremore tetigerit Magdalena; ſi mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur, veſtimenti ejus fimbriam tangere vix auſa ſit; ſi Centurio ſe indignum putaverit, ut in ejus intraret domum; nonne frontuoſa & ſuperba nimis cenſebitur Sponſa, quæ non pedes vel caput tangere, ſed oſculari, & labia labiis apponere petit? *Oſculetur me oſculo oris ſui? Ubi ſup.* Nequaquam, inquit S. Bernardus, quia Sponſa non ex ſuperbia, nec ex nimia libertate, ſed amore ſacro in extaſim rapta, & quaſi ebria, majeſtatis Chriſti erat oblita: unde confidenter oſculum petit: *O quanta vis amoris*, exclamat S. Bernardus, *quanta in ſpiritu libertatis fiducia!* Sic S. Joannes Evangeliſta, ob maximum quo erga Chriſtum accendebatur amorem, non ſolum pedes, aut caput attingere petiit; ſed quaſi amoris ebrius, majeſtatis Chriſti oblitus eſt, & confidenter ſupra divinum ejus pectus recubuit: *Amat ardenter, quia ita proprio inebriatur amore, ut majeſtatem non cogitet.* Sed ſi S. Joannis erga Chriſtum amor fuit magnus in cœnaculo, ubi ſupra pectus ejus recubuit; *fuit etiam magnus in horto, ubi eum non dereliquit.*

2. Cum in horto Gethſemani in Chriſtum manus injecerunt Judæi, ejus Diſcipuli, ipſo relicto, fugerunt omnes, excepto quodam adoleſcente, quem Joannem Evangeliſtam fuiſſe dicit V. Beda (*in cap. 14. Marc.*) qui amictus ſindone, Chriſtum adhuc ſequebatur; & cum Judæi illum capere vellent, ipſe *relicta ſindone nudus profugit ab eis; Marc. 14.* ut tamen, ait V. Beda, ipſe *mox ſumpto veſtimento rediit*, & Chriſti amore ardens, eum deinceps non deſeruit; ab eo amplius non divulſus eſt, ſed illum ubique eſt comitatus. Chriſtum funibus ligatum ad Caiphæ domum ducunt Judæi, eum ſequitur Joannes; trahunt illum ad prætorium Pilati, ut Præſidi ſiſtatur, ab eo non ſeparatur Joannes; flagellatur, ſpinis coronatur, cruci affigitur, & ſepulchro mandatur Chriſtus, ejus ſemper & ubique inſeparabilis comes eſt Joannes; tanto amore erga Chriſtum ardebat hic Diſcipulus, ut eum non vide-

re

Digitized by Google

re non poſſet: *Amor vehemens non poteſt non videre quem amat. Richard. Vict. part. 1. cap. 1. de variis.*

Gregorius Nazianzenus refert, Baſilium Magnum aliquem ex amicis ſuis in carcere detentum, etiam cum vitæ ſuæ diſcrimine, inviſiſſet; cumque aliquis ei dixerit, quod magno ſe mortis periculo exponeret; reſpondit: *Aliter amare non didici, niſi ut vitam meam in diſcrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare opus eſt. Greg. orat. pro Baſil.* Sic ſane amare didicerat Joannes, qui Chriſtum in horto, in Judicum tribunali, & ubique comitatur; non fames, non nuditas, non perſecutio, non gladius, non mortis periculum, non creatura aliqua eum ſeparare poteſt a Chriſto ſuo; veniat in hortum Gethſemani Judas cum innumeris ſatellitibus armatis, Joannem capere attentent, ei multa ſupplicia, & ipſam mortem minentur, ipſe Magiſtrum ſuum ita diligit, ut ab eo ſeparari non poſſit: *Amor vehemens non poteſt non videre quem amat.* Sed magis adhuc enituit Joannis amor erga Chriſtum *in monte Calvariæ, ubi eum cruci affixum contemplatur.*

3. Stabat juxta crucem Jeſu Joannes: ſtabat, & quem amabat, dira pati, crucifigi, & mori videbat; ſtabat, & præ amoris magnitudine, omnes cruciatus quos Chriſtus patiebatur in corpore, ipſe perſentiebat in corde. Cum Abrahamus intuebatur dilectum filium, quem ad ſupplicium ducebat, tantos in corde illius patris dolores cauſabat amor, ut ejus viſcera dire cruciaverit, & quaſi ſacrificaverit. *Cognovit Abrahamus ſacrificium ex ſuis viſceribus fieri, S. Chryſoſt. ſerm. 4. de verbis Iſaiæ:* inquit. De matre Machabeorum ait idem Chryſoſtomus, quod illa magis torqueretur, quam proprii filii: quia ſupplicia filiorum ad cor ejus pertranſibant; & dum illi cruciabantur in corpore, illa affligebatur in corde: *Gravius in ſuppliciis filiorum puniebatur, quam ipſa pateretur; & major erat paſſio in viſceribus matris, quam in corporibus filiorum. Chryſ. de 7. Mach.* Similiter Joannes Chriſtum videns cruci affixum, graviſſimos in corde patiebatur dolores; & dum Chriſti corpus crudeliter ſauciabant carnifices, amor erat carnifex internus, qui Joannis cor ſupra modum torquebat; offerebat Chriſtus in Cruce ſacrificium doloris, & in Joannis corde fiebat ſacrificium amoris: *Cognovit ex ſuis viſceribus ſacrificium fieri.* Unde S. Idelphonſus Joannem juxta Chriſti crucem ſtantem plus quam martyrem vocat: quia amor, quo Chriſtum proſequebatur, varie cor ejus torſit, ibique plura paſſus eſt ab amore, quam a carnificibus alii pati ſoleant Martyres: *Plus quam Martyr fuit, quia in ejus anima non minus amoris, quam mœroris fuit.* Sicut Judæi torquebant Chriſtum, ita & amor Joannem; cruciabant Judæi corpus Chriſti, & amor cor Joannis affligebat; Judæi Chriſti caput ſpinis coronabant, clavis manus perforabant, & lancea cor tranſverberabant; amor vero cordi Joannis ſpinas, clavos, & lanceam infigebat: unde per amorem plus quam Martyr, immo & pluries Martyr Joannes factus eſt: *Multoties mortuus eſt Joannes. Chryſ. hom. 33. ad pop.*

Petiit a Joanne Chriſtus, an poſſet bibere calicem: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Hieron. in c. 2. Matth.* Per calicem intelliguntur tormenta, & paſſiones: *Calicem in Scripturis divinis paſſionem intelligimus*, inquit D. Hieronymus: unde cum a Joanne petiit Chriſtus, an poſſet bibere calicem, idem erat, ac ſi ab illo petiiſſet, an gravia pro ipſius gloria pati poſſet ſupplicia? Reſpondit autem Joannes ſimul cum fratre ſuo Jacobo, quod calicem bibere poſſent; *Poſſumus.* Et revera calicem bibit Joannes, cum paupertatis incommoda, abſtinentiæ rigorem, & Tyrannorum perſecutiones ſuſtinuit; calicem bibit, cum Chriſtus a Juda tradi, a militibus ligari, a populo illudi, & a carnificibus flagellari vidit; ſed calicem potiſſimum bibit ſtans juxta Chriſti crucem, ibi Maria & Joannes acerbum Chriſti calicem biberunt: *An non calicem Domini bibit, qui in hora qua Dominus ipſe bibebat, juxta crucem cum Matre ejus ſtetit? Rupert.* A Patre petierat Chriſtus, ut a ſe tranſiret calix paſſionis: *Tranſeat a me calix iſte.* Petebat, ut explicat S. Hilarius, quod a ſe ad alios tranſiret: *Tranſeat a me calix iſte: id eſt, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur. S. Hilar. in c. 31. Matth.* Tranſivit autem calix paſſionis Chriſti ad omnes martyres, qui dira ſupplicia, & mortem cruentam pro Chriſto paſſi ſunt: ſed tranſit ſpecialiter ad Mariam & Joannem juxta Chriſti crucem ſtantes: quia ibi amor quo erga Chriſtum exardeſcebant, ſæviſſimus eis tyrannus extitit; ibique ab amore diriora perpeſſi ſunt tormenta, quam quivis Martyres a carnificibus paſſi ſunt; ibi plus quam Martyr facta eſt Maria, & ibi plus quam Martyr ab amore factus eſt Joannes: *Plus quam Martyr fuit, quia in ejus anima non minus amoris, quam mœroris fuit.*

O magnum S. Joannis erga Chriſtum amorem! hic fuit Diſcipulus, quem *diligebat Jeſus*; ſed fuit etiam Diſcipulus, qui diligebat Jeſum: & ſi Jeſum non dilexiſſet, a Jeſu non ita amatus fuiſſet. Joannem multum dilexit Chriſtus; & Chriſtum Joannes multum dilexit. O quam felices eſſemus, ſi mutuum hunc amorem inter Chriſtum & nos ſimiliter inſtituere poſſemus! Dilexit quidem nos Chriſtus, & in nativitate, & in toto vitæ ſuæ decurſu; ſed nos amori ejus vicem non rependimus; ardentiſſime eum dilexit Joannes, & nos tepide, frigide, & forte nullo modo eum diligimus. Heu! ſi tanti Apoſtoli ad Chriſtum amandum nos non moveant exempla; ad eum amandum ejus certe nos compellere deberent verba: audiamus chariſſimum hunc Chriſti amicum, dicentem, quod *qui non diligit, manet in morte*; 1. *Joann.* 2. audiamus eum, & Chriſtum diligamus, ut in morte non maneamus, & ut morte æterna non pereamus; amemus Chriſtum, qui totus amabilis eſt; amemus Chriſtum non ex parte cordis, ſed ex toto corde, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Diligamus Chriſtum cum Sancto Joanne, qui eum ardentiſſime amavit, *& qui fuit Paſtor vigilantiſſimus, qui ſollicite gregem curavit.*

TERTIA PARS.

Sanctus Joannes fuit Paſtor vigilantiſſimus, qui ſollicite gregem curavit.

Sicut Chriſtus proponi ſolet ut bonus Paſtor, qui ovem perditam ſollicite quærit, & inventam pro-

propriis ſuperponit humeris, ut eam ad ovile portet; ita & de Sancto Joanne Evangeliſta refert Clemens Alexandrinus, quod ovem perdiderat, nempe juvenem quemdam, qui eorum, quæ a Joanne didicerat, & propriæ ſalutis oblitus, dux latronum factus erat. Hanc ovem perditam cum mœrore ſollicite quæſivit bonus Paſtor Joannes, eam feliciter invenit, eamque quaſi ſuper humeros ſuſtulit, & ad Chriſti ovile reduxit. Hoc exemplum, quanta fuerit Joannis cura & ſollicitudo reſpectu illius ovis, clare demonſtrat; ſed hic non ſtetit ejus ſollicitudo: hic etenim fuit Paſtor vigilantiſſimus, qui totum gregem ſibi commiſſum pavit, præivit, & defendit. Illum 1. Pavit verbis. 2. Præivit exemplis 3. Defendit ſcriptis.

1. Sicut brutorum cibus, ſunt gramina, ita animarum cibus ſunt verba ſalutis per Doctores, vel Paſtores ipſis adminiſtrata: nam *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth.* 4. Quoad corpus, pane materiali paſcitur homo; quoad animam, quæ ſpiritualis eſt, verbo Dei paſcitur & nutritur. Spirituali autem hoc pabulo gregem ſuum veri Paſtores paſcere non deſinunt: ut enim ait S. Bonaventura, *Paſtor dicitur a paſcendo, quia paſtum dat ovibus, ſive quia depaſcit oves; S. Bonavent. collat. 49. inc. 10. Joann.* & ut monet Dionyſius Carthuſianus, verus Paſtor plebem ſibi creditam continue paſcere debet verbo ſalutis: *Paſcenda eſt plebs prædicatione continua. Dionyſius Carthuſ. Epiſt. 1. Pet. c.* 4. Paſtor autem perfectiſſimus extitit Sanctus Joannes, qui ſpirituali hoc cibo gregem ſuum paſcere non deſtitit: ſalutiferum hunc panem in Samaria, in Judæa, in Phrygia, in Inſula Pathmos, multiſque aliis in locis diſtribuit, & præcipue in Aſia, ubi plures Eccleſias erexit, multos Epiſcopos ordinavit, & indeſinenter per illos, & per ſeipſum, verbum diſſeminavit: *Joannes*, ut ait Sanctus Auguſtinus, *a tempore Aſcenſionis per annos quadraginta quinque verbum Dei uſque ad ultima Domitiani tempora prædicavit. Aug. in Prol. ſup. Evang. Joann.* Et quod mirum eſt, Joannes a Spiritu Sancto ita erat doctus, ut doctrina ejus non poſſet eſſe niſi ſana, recta, & ad paſcendas oves idonea: *A Spiritu ſancto Joannis intellectus eſt illuminatus, lingua edocta, & calamus ita directus, ut a veritate aberrare non poſſet. S. Auguſt. in Pſalm.* 140. O mirabilem Paſtorem, qui gregem ſuum pavit verbis, *& praivit etiam exemplis.*

2. In Judæa, ut ait Lyranus, hunc modum habent Paſtores, quod præcedant oves ſibilando ore & inſtrumento, ad cujus auditum oves diriguntur, & ſequuntur. *Paſtor*, ut ait Chriſtus, *cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit; Joann.* 10. 4. ſic pariter quilibet fidelium Paſtor debet eſſe anteambulo & dux, oveſque ſibi commiſſas virtutum ſuarum exemplis præire tenetur: ut enim docet Sanctus Petrus, non ſunt a Deo vocati Paſtores, ut fidelibus ſuperbe dominentur, ſed ut eos ſanctitate antecedant, iiſque omnium virtutum exempla præbeant: *Non dominantes in Cleris; ſed forma facti gregis ex animo. 1. Petr.* 5. 3. Et ideo præclarum animarum Paſtorem Titum imprimis hortatur Divus Paulus, ut ovibus ſuis ſit omnium virtutum forma, norma, & exemplar: *Teipſum præbe exemplum bonorum operum; Tit.* 2. 7. Hanc autem veri Paſtoris qualitatem perfectiſſime poſſedit Sanctus Joannes; qui populo ſibi credito puritatis, humilitatis, patientiæ, & omnium virtutum mirabilia exhibuit exempla: in eo tanta eluxit puritas, ut virginitatem illibatam perpetuo ſervaverit; invicta ejus patientia in multis enituit, & tunc maxime, cum ab Epheſo ductus eſt Romam ligatus, & cum deinde ibi flagellatus, & in ferventis olei dolium miſſus eſt. Tanta ejus erat humilitas, ut ad impiiſſimorum hominum pedes ſe inclinaret, ſupplex eos rogans, ut vitiis valedicerent, & ſalutaris pœnitentiæ exercitiis ſedulo incumberent. Quis explicare valeret quo ejus cor erga Deum accenderetur amore, & qua erga proximum charitate arderet? quis obedientiæ, paupertatis voluntariæ, & aliarum virtutum exempla, quibus oves anteivit, enarrare poſſet? Nullus equidem: quare dixiſſe ſufficiat, quod fuerit Paſtor ſanctiſſimus, qui raris omnium virtutum exemplis gregem præivit; *ac etiam illum ſcriptis ſuis generoſe a lupis defendit.*

3. Boni Paſtoris eſt, non ſolum ut oves congreget, nutriat, & impinguet, ſed etiam ut eas ſedulo cuſtodiat, & a lupis defendat: *Boni Paſtoris hoc ſemper eſt proprium, ut oves ſolerti cura ab incurſibus ſilveſtrium cuſtodiat beſtiarum. Laur. Juſt. de contemp. mund. c.* 15. Lupus rapaciſſimus, a quo Paſtores ovile tueri debent, eſt dæmon, qui ut ait Sanctus Gregorius, *rapit oves, cum hunc ad luxuriam pertrahit, alium ad avaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia ſtimulat, illum fallacia ſupplantat. S. Greg. hom.* 14. Et ab hoc lupo precibus ſuis, vigiliis, jejuniis, conſiliis, & crebris adhortationibus gregem ſuum cuſtodivit Sanctus Joannes; ſed eum etiam ab aliis lupis ferociſſimis defendit, nempe ab Hæreticis, quos mirabilibus ſuis ſcriptis terruit, fugavit, & penitus debellavit: *Hæreticorum tergiverſationibus metam figit*, inquit Petrus Damiani, *& Catholicorum fidem perpetua certitudine roboravit.* Joannes a Chriſto *Boanerges*, ſeu filius tonitrui vocatus eſt, quia fuit quaſi tonitru, quo Cerinthus, Apollo Tianæus, & alii multi Hæretici territi ſunt: Vel, ut ait Divus Baſilius: *Sicut aquila deſuper conſpecta futili loquacitati garrularum avium ſilentium indicit; ita Joannes Hæreticis: S. Baſil. in Iſa.* cum enim Hæretici S. Joannis Evangelium, Epiſtolas, & Apocalypſim legunt, confunduntur, nec habent quod amplius loquantur, ut ſuos tueantur errores; ibi Eccleſia arma, & machinas invenit, quibus omnes impugnentur Hæretici, & ibi Cerinthus Ebionitæ, Ariani, Lutherani, necnon omnes Hæretici ſuorum errorum condemnationem legunt. Unde ſicut de Maria canitur, quod omnes hæreſes ſola interemit, per filium ſuum ſcilicet; ita & de Sancto Joanne Evangeliſta aſſerit Sanctus Hieronymus, quod omnes hæreſes per ſua ſcripta aliquo modo interemerit.

O mirabilem, & omnibus ſæculis prædicandum Paſtorem! Fuit quidem Joannes *Diſcipulus dilectiſſimus*, qui ſecreta regni, domus, & cordis Chriſti penetravit. Fuit etiam *Apoſtolus amantiſſimus*, qui Chriſtum ardentiſſime dilexit in cœnaculo, ubi ſupra pectus ejus recubuit; in horto, ubi eum non dereliquit; & in monte Calvariæ, ubi eum con-

tem-

templatus eſt. Sed fuit tandem *Paſtor vigilantiſſimus*, qui gregem pavit verbis, præivit exemplis, & ſcriptis defendit. Ecce quis fuerit S. Joannes: *Hic autem quid?*

Demiremur nunc eruditiſſimum hunc Diſcipulum; Apoſtolum hunc, Chriſtum ardenter amantem, imitemur; ſed & hunc Paſtorem ſedulo contemplemur; ejus adhuc apud nos manent ſcripta, ejuſque habemus exempla; ſcripta ejus frequenter, & reverenter legamus; ejus vero exempla pro viribus imitemur. Quod ſi hunc Paſtorem jam non audiamus prædicantem; habemus Paſtores noſtros, quorum ore Joannes adhuc concionatur, illos audiamus, & quæ dicunt, faciamus: *Quæ dicunt vobis facite.* Ut autem ea adimplere valeamus, Joannem invocemus, & ad ejus patrocinium confugiamus. Aſſerebat S. Eliſabeth Hungariæ Regina, ſe omnia impetraſſe quæ per S. Joannis interceſſionem a Deo petierat. Scimus etiam, S. Petrum, licet Apoſtolorum Principem, mediante Joanne, inveſtigaſſe quis Chriſtum traditurus eſſet. Heu! inquit S. Petrus Damiani, ſi S. Joannes ab Apoſtolis invocatur; quanto magis a nobis ejus implorandum eſt patrocinium: *Qui advocatus factus eſt ſummis, quam humiliter implorandus eſt a minimis?* Ferventer ejus auxilium imploremus; oremus autem in primis eum, ut a Deo nobis obtineat gratiam, qua illi placere, & vitam æternam aſſequi poſſimus. *Amen.*

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

CONCIO PRIMA.

Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra. Matth. 2.

CUm hodie Bethlehemiticum ſolum mente revolvo, mihi videri videor portentoſam carnificinam, in qua undique efferari ſpectantur carnifices, qui trucidant & mactant; & in qua undique innocentes videntur victimæ, quæ ferali Herodis ambitui ſacrificantur. Hæ victimæ ſunt innumeri pueri, ad ſummum biennales; carnifices vero ſunt ab Herode miſſi ſatellites, qui, ut iniquo huic Regi obtemperarent, domos, vicos, & plateas circumeunt, undequaque mactantes pueros: *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra.* Ob tam crudele ſpectaculum ubique luctus, ubique clamor auditur; lachrymantur, clamant, & ita vociferantur matres, ut earum gemitus cælos penetraverint, earumque clamores in Rama, longe a Bethlehem diſtante, auditi ſint: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus.* Hæc eſt famoſa & lamentabilis tragœdia, quam nobis hodie ſancta proponit Eccleſia, quæ tam luctuoſi ſpectaculi non eſt immemor, & quæ adhuc quaſi ingemiſcit, dum aliqua gaudii Cantica, in aliis ſolemnitatibus recitari ſolita, ab hodierno Officio ſubtrahi præcipit. Hæc eſt pia mater, quæ filios ſuos luget; lugeamus & nos cum illa, & tam horrendam contemplemur tragœdiam, &c. *Ave.*

TRia perſonarum genera in tragœdia Bethlehemitica intueor, Herodem ſcilicet, ſatellites, & pueros; Herodem, qui lethalem adverſus infantes ſententiam dicit; ſatellites, qui eam executioni mandant; & pueros, qui eam ſubeunt. *Herodes* ſententiam ſuam juſtam, & in æquitate eſſe fundatam, ſibi animo fingit; *ſatellites* ſe nimis ſævire non poſſe credunt in pueros, quos ut Regis ſui hoſtes inſpiciunt; *pueri* vero, qui morti addicuntur, a matribus, & ab aliis eorum cruciamenta ſpectantibus, miſeri, & infeliciſſimi cenſentur. At ſi de his probe judicemus, judex iniquus eſt Herodes, crudeles nimium ſunt ſatellites, & felices ſupra modum ſunt hi pueri. *Iniquus eſt Herodes*, qui ut Chriſtum interimat, tot infantes ad mortem damnat; *crudeles ſunt ſatellites*, qui ſanguinem innocentem inaudita cum ferocitate effundunt; & *felices ſunt pueri*, quî pro Chriſto morientes, martyrii gloriam & coronam obtinent. Videamus ergo illa tragœdia injuſtitiam, crudelitatem, & felicitatem. 1. Injuſtitiam Herodis. 2. Crudelitatem ſatellitum. 3. Felicitatem puerorum.

PRIMA PARS.

Herodis injuſtitia.

SEmper & in omnibus crudelis, & injuſtus fuit Herodes, qui æquitatem odio habuit, & iniquitatem dilexit: *Herodi odioſa eſt æquitas, iniquitas ſemper eſt amica. Chryſol. ſer.* 152. Ejus autem injuſtitia in ſtrage Innocentium fuit maxima reſpectu Chriſti, puerorum, & matrum. 1. *Reſpectu Chriſti*, quem interficere intendit. 2. *Reſpectu puerorum*, quos ad mortem damnavit. 3. *Reſpectu matrum*, quarum filios rapuit.

1. Ut Chriſtum interimere valeret, innocentes pueros morti adjudicavit Herodes: *Si parvulos interficiat, Jeſum ſibi videtur interficere, quod utique facere ſine ceſſatione molitur. S. Leo ſerm. 2. de Epiph.* Unica impii illius Regis intentio, unicumque ejus votum erat, Chriſtum occidere; & ideo tot infantes trucidari præcepit, ut Chriſtus ſimul cum aliis interficeretur, & necem ſubiret: *Tot infantes, ut ad Chriſtum perveniret, occidit. S. Auguſtin. tract. 115. in Joann.* Hæc Herodis iniqua, & perverſa fuit intentio; quæ ut melius concipiatur, ſciendum, quod ſceleſtus ille Princeps cæca ambitione, & immenſa cupiditate ſervandi, augendique regni Judææ angeretur: quocirca certior factus, verum Meſſiam natum eſſe in Bethlehem, illum veniſſe credit, ut ipſi ſceptrum auferret, & ut Judææ regnum occuparet: quare eum interficere ſtatuit; ſed ignorans ex qua domo, & familia Bethlehemitica originem duceret, omnes infantes, qui erant in Bethlehem, & finibus ejus, occidi imperavit, ut ſimul cum aliis occideretur Chriſtus: *Tot infantes, ut ad Chriſti perveniret, occidit.* In hac autem Herodis opinione & ſententia gravem hujus Principis errorem, & infandam injuſtitiam adverto;

errat Herodes, cum imaginatur Chriſtum, qui regna dat cæleſtia, in hunc mundum veniſſe, ut terrenum ejus regnum eriperet: ut enim ait S. Auguſtinus, *Chriſtus non venerat, ut regnum terreſtre præriperet, ſed ut cæleſte donaret. S. Aug. ſerm. 9. de Sanct.* Maximus ergo fuit Herodis error; ſed & maxima ejus fuit injuſtitia reſpectu Chriſti, quem occidere intendit: ipſe enim divinum hunc infantem, omnis innocentiæ & ſanctitatis auctorem, creatorem ſuum, & benefactorem ſuum, nullo ſervato juris ordine, immo & contra omne jus ad mortem quæſivit, & occidere intendit. O qualem, & quantam impii hujus Principis injuſtitiam!

Omnium plane judicio iniquiſſimus judex extitit Pilatus, quia verum Meſſiam Deum, & hominem, Univerſi creatorem, nullius criminis reum, & omni virtute præditum ſine ulla cauſſa ad mortem damnavit; ſed eadem, & forte gravior Herodis fuit injuſtitia reſpectu Chriſti, quem lactantem, & in cunis jacentem morti adjudicavit, & ad mortem quæſivit. Nonne idem eſt Chriſtus, nonne idem eſt Meſſias a Lege & Prophetis promiſſus? & nonne æque eſt innocens, & juſtus, cum bimulus eſt, ac cum ad triginta trium annorum ætatem pervenit? Semper idem eſt Chriſtus, ſemper eadem ejus eſt innocentia: quare non minor Herodis, quam Pilati fuit injuſtitia; immo & longe major extitit, tum quia aliquem juris ordinem ſervavit Pilatus, Herodes nullum: tum quia Pilatus videns Chriſtum jam hominem factum, & de multis accuſatum, aliquo modo ſuſpicari poterat, eum forte alicujus eſſe criminis reum; at Herodes nil tale de Chriſto adhuc puero cogitare, & ſuſpicari poterat: quare major fuiſſe videtur Herodis, quam Pilati injuſtitia. Sed ſi maxima extitit injuſtitia Herodis Chriſti mortem intendentis, & eum ad mortem quærentis; maxima etiam ejus fuit injuſtitia *reſpectu puerorum, quos ad mortem damnavit.*

2. Ab Herode petit S. Petrus Chryſologus, quo crimine rei eſſent pueri, qui nondum videbant, nondum audiebant, & nondum loquebantur: *Infantes quid? quorum lingua tacuit, oculi nil viderunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerunt, & quibus actus nullus eſt, unde culpa? Ubi ſup.* O Herodes, ut loquitur præfatus Chryſologus, tu qui eſſe debes *morum cuſtos, diſciplinæ cenſor, juſtitiæ indagator, æquitatis defenſor, ſervator innocentiæ*, dicito quæſo, quod crimen in his infantibus advertiſti? quo ſcelere ab iis perpetrato ad illos morti adjudicandos moveris? Ipſi contra Deum non blaſphemarunt, nec te conviciis affecerunt, cum nondum loquantur; ipſi viſu & auditu non peccaverunt, cum licet forte colores videant, & ſonos audiant, diſtinguere tamen non valent inter hunc & illum colorem, nec inter hunc & illum ſonum: manus eorum ad homicidia, & latrocinia perpetranda non ſunt apta, pedes eorum ad malum non currunt, eorum mens omnis doli & mali eſt incapax. Quod ergo eſt horum puerorum ſcelus? *Unde culpa?* Forſitan, o Herodes, hi pueri adverſus te pugnaturi, aciem inſtruebant, haſtas vibrabant, enſes exerebant, arcus tendebant, & ſagittas jaculabantur? Reſponde, o ſceleroſe tyranne, eoſque pueros innocentes eſſe fatere; aut ſi quod eorum ſit crimen, manifeſta illud? Reſpondet Chryſologus, hos pueros in Herodis mente reos fuiſſe, & unicum illorum crimen extitiſſe, quod nati fuerint in Bethlehem tempore, quo Chriſtus natus eſt; *Apud Herodem ſolum quod nati ſunt, hoc fuit crimen.* O grave crimen! quod quidem nullatenus eſt crimen.

Adoleſcenti cuidam ægrotanti, qui mori plurimum timebat, dixit Seneca: *Morieris, non quia ægrotas, ſed quia vivis*; ſimiliter S. Petrus Chryſologus ait, pueros innocentes ad mortem damnari, non quod aliquod crimen perpetraverint, ſed quia nati ſunt: *Apud Herodem ſolum quod nati ſunt, hoc eorum crimen. Chryſol. ſerm. 152.* Non eſt crimen quod hi pueri nati ſint tempore, quo natus eſt Meſſias, orbis conditor, & mundi redemptor; non eſt crimen, ſed magna felicitas, quod nati ſint tempore quo natus eſt Chriſtus, quem Prophetæ prædicaverunt, Patriarchæ optaverunt, & omnes homines expectaverunt: quare cum alio crimine rei non fuerint, iniquiſſimus eſt Herodes, qui eos ad mortem damnat. Juſti judicis eſt innocentes tueri: & ſi eorum innocentiam non tueantur, iniqui ſunt, & a Deo ſevere judicabuntur: *Non enim poterat evitare judicium, qui juſti innocentiam judicando cuſtodire neglexerit; Laur. Juſt. de triumph. Chriſti agon. cap. 12.* quanto ergo major eſt Herodis injuſtitia, qui non ſolum non protexit innocentes, verum & eos ad mortem damnavit? Sed maxima adhuc fuit Herodis injuſtitia *reſpectu Matrum, quarum pueros rapuit.*

3. *Omnis qui juſte judicat*, inquit S. Antoninus, *ſtateram in manu portat; S. Antonin. 1. p. tit. 9. c. 1.* ad hoc ſcilicet, ut jus cujuſque ita examinet, & ponderet, ut nulli injuriam faciat. Verum eſt, quod judex fortis eſſe debet, & generoſus ad extirpanda ſcelera; ſed ſtateram ſemper manu geſtare debet, ad hoc ut jus ſuum cuique tribuat. Unde inter ſigna cæleſtia *Virgo*, quæ juſtitiam indicat, inter *Leonem & Libram* ſedem habet: hoc enim ordine numerantur, *Leo, Virgo, Libra*. Hic locus juſtitiæ debetur: oportet ex una parte *Leonem*, id eſt, ſummam fortitudinem habeat; ex altera vero *Libram* juris, qua jus ipſum ponderet. Aſt Herodes non fuit leo fortiſſimus ad diſrumpendas iniquitates, nec juſtitiæ libram manu geſtâvit; ſed iniquiſſime innocentes Matres ſuis orbavit filiis, quos contra omne jus rapi, & trucidari ordinavit. Herodes, ut ait S. Petrus Chryſologus, *cauſas innocentiæ non requiris, jus abrogas, confundis fas, nefaſque. Ubi ſupr.*

Præclare dixit Ariſtoteles, *Judicem eſſe oportere centro ſimilem*; quia quemadmodum centrum eſt punctum in medio globi exiſtens; ita judex medium tenere debet in adminiſtratione juſtitiæ, ita quod nec ad unam, nec ad aliam partem declinet, nullique injuriam faciat, ſed jus ſuum cuique tribuat. Multi quidem ſunt boni, & æquiſſimi judices, in quibus juſtitia, quaſi in centro reſidet. Herodes autem, non juſtitiæ, ſed omnis iniquitatis, univerſæ impietatis, & totius malitiæ centrum extitit: ipſe enim iniquiſſimus fuit, non ſolum reſpectu Chriſti, & puerorum, ſed etiam reſpectu matrum, quarum filios abſque ullo jure immaniter rapuit. Heu! ſi omnium judicio iniquiſſimus erga ſanctam

Fe-

Digitized by Google

Felicitatem extiterit Publicus Præfectus, cum ſeptem ejus filios rapuit, & crudeli morti adjudicavit; quanto iniquior fuit Herodes, qui non unius dumtaxat, ſed millium & ultra matrum filios, nulla juris ſervata forma, & abſque ulla ratione rapi, & enecari ordinavit?

O impie Herodes, quam gravis tua fuit injuſtitia! Certe tu centro ſimilis non fuiſti ratione juſtitiæ, & æquitatis quam ſervaſti; ſed ſi inique in hoc mundo alios judicaſti, in alio mundo juſte a ſupremo Judice judicaberis. Hic non fuiſti juſtitiæ centrum; quare in mundi centro, ſeu in inferno, qui eſt circa terræ centrum, in æternum habitabis, ibi in æternum manebis, ibi in æternum cruciaberis, & ibi in æternum tecum cruciabuntur Magnates iniqui, & injuſti quique Judices, qui pauperes, & innocentes opprimunt: *Illic denudati, & capitaliter mortui in perpetuum demergentur*, illic gravia patientur ſupplicia, & potenter torquebuntur: *Potentes potenter tormenta patientur. Euſeb. Emiſſen. hom. 3. de Epiph. c. 6. 7.* O quam durum erit Magnatibus, & iniquis Judicibus, illic ſempiternis addici ſuppliciis! *Quæ tunc ſpectaculi latitudo! tot ſpectant Reges, qui in cælum recepti nuntiabantur, cum ipſo Jove, & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes; item Præſides, perſecutores Dominici nominis, ſævioribus, quam ipſi contra Chriſtianos ſævierunt, flammis inſultantibus liqueſcentes. Tertul. lib. de Spect. 30.* Quam durum erit his Magnatibus ſupplicia inferni tolerare! *Ab æſtu byſſus non defendit, purpura non reſiſtit inferno*, inquit Chryſologus; quin contra longe duriora, & acerbiora erunt inferni ſupplicia his qui in hoc mundo divitiis & deliciis abundarunt: quare deſinant inique agere pauperum, & pupillorum perſecutores non ſint cum Herode, ſi cum illo in æternum cruciari non intendant. Sed *ab Herodis injuſtitia tranſeamus ad ſatellitum crudelitatem. Chryſol. ſer. 122.*

SECUNDA PARS.

Satellitum crudelitas.

CUm ſacer Evangeliſta ait, Herodem Bethlehemiticos occidiſſe pueros, intelligendum, quod non per ſe, ſed per ſuos ſatellites tale facinus objerit; *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus.* Maxima autem horum ſatellitum fuit crudelitas, ſi attendantur qualitas occiſorum, numerus eorum, & modus, quo occiſi ſunt; ſeu ſi attendatur qui, quot, & quomodo occiſi ſint. 1. *Qui*, quia pueri. 2. *Quot*, quia multi. 3. *Quomodo*, quia modo immaniſſimo.

1. Qui occiſi ſunt, non erant provectæ ætatis homines, ſed pueri innocentes: ut enim ait S. Petrus Chryſologus, Herodes ſuos congregavit, & miſit milites, non ad pugnandum contra fortiſſimos hoſtes, vel ad impugnandam aliquam arcem, ſed ad occidendos pueros in cunis vagientes, vel in finibus matrum degentes: *Ad ſinus matrum militum cogit caſtra.* Suis ſatellitibus dixit Herodes: *Satelles i, ferrum rape, perfunde cunas ſanguine. Ubi ſup.* Ipſique immane exequentes mandatum, non homines, ſed puerulos occiderunt, a quorum ſanguine abhorret natura, quos occidere omnes leges prohibent, & quibus barbaræ quævis nationes parcere ſolent. Hi quidem ſatellites non fuere ſimiles Gentili cuidam Præfecto, cui cum Imperator, etiam Gentilis, præcepiſſet, ut ingentem Chriſtianorum multitudinem in odium fidei interficeret; tam immane mandatum exequi renuit, eo quod hi Chriſtiani ſuos deferrent, & ſtricte amplexarentur pueros, ut ſimul cum illis martyrio coronarentur: ad Imperatorem enim rediens Præfectus, dixit ei: *Sereniſſime Princeps, mori poſſum, ſed hos Chriſtianos cum parvulis ſuis occidere non poſſum; Pepinus ſer. de Sanctis Innocent.* & revera mori maluit, quam crudele Imperatoris decretum exequi. Sed hujus indolis non fuere Herodis ſatellites: ipſi namque iniqui Regis crudeles fuere miniſtri, qui Herodem a puerorum occiſione non averterunt; quin contra, ut ait S. Vincentius Ferrerius, illi ſuaſerunt, bonum eſſe hos pueros occidere, illum ad immane decretum ferendum moverunt, & crudeliter in pueros deſævierunt. O magnam horum ſatellitum crudelitatem, quæ major adhuc apparebit, *ſi ſpectetur numerus puerorum, qui ab iis occiſi ſunt.*

2. Antequam baptizaretur Conſtantinus, æquiſſima lege ſancierat, ut quicumque ex ſuis militibus in bello aliquem occidiſſet infantem, capitali ſententia puniretur. Iniquiſſimus autem Rex Herodes totus in pueros ſævijt, & impio mandato juſſit, ut omnes pueri, ad ſummum bimuli qui erant in Bethlehem, & finibus ejus, interficerentur. Ejus mandato obtemperaverunt ſatellites, qui omnes illos pueros immaniſſime occiderunt. O magnam puerorum ſtragem! quorum tamen numerus præciſe ſciri nequit. Eos fuiſſe centum quadraginta quatuor millia inferunt nonnulli, ex hoc quod in Officio hodierno legatur ex Lib. Apocal. 14. quod Joannes viderit Agnum ſtantem, *& cum eo centum quadraginta quatuor millia*: ſed valde improbabile erit, in Bethlehem civitate parva, una cum oppidulis circumadjacentibus, tot inveniri potuiſſe infantes. Unde alii complures Auctores cum Genebrardo quatuordecim millia occiſos fuiſſe, probabilius ſentiunt. Sed melius, meo quidem judicio, loquitur S. Vincentius Ferrerius, dicens, quod Herodis ſatellites *tot Innocentes occiderunt, ut innumerabiles quaſi fuerint.* O qualem carnificinam! o quantam horum ſatellitum immanitatem! Heu! ſi crudelis æſtimatus fuerit puer Spartiatas, qui unius perdicis adhuc viventis oculos eruerat; quanta fuit horum ſatellitum crudelitas, qui non unius dumtaxat avis oculos eruerunt, ſed qui innumerorum infantium ſanguinem effuderunt? Hi barbari, ut ait Tertullianus, in infantes innumeros, nullius inimicos, nulliuſque criminis reos, ſumma crudelitate, enſes demerſerunt: *Demergis ferrum in infantem, nullius inimicum, nullius reum. Tertull. Apol. 8.* O qualem crudelitatem! quæ adhuc major cenſebitur, *ſi attendamus modum, quo tot pueros interfecerunt.*

3. Illi crudeles vere ſunt, qui in puniendo modum debitum non ſervant: *Illos crudeles vocabo, qui*

puniendi cauſam habent, modum non habent. Seneca l. 2. de clement. c. 4. Herodis autem ſatellites in occiſione puerorum nullum humanitatis, & clementiæ modum habuerunt; ſed ſævientes in hos infantes, ſumma eos ferocitate interfecerunt: alii etenim pugionibus pectora illorum transfodiebant, & alii gladiis capita eorum amputabant, pedibus parvulos conculcabant aliqui, eoſque alii ſtrangulabant & ſuffocabant; iſte pueros ad parietem allidebat, & ille eos in cunis dormientes extinguebat. Evaginatis gladiis undique currebant ſatellites, undique hos agnellos mactabant & occidebant. Complures eorum cum matribus & nutricibus de prole contendebant, & interdum pueros in duas partes ſecabant, una parte in matrum, & altera in carnificum manibus remanente. *Pugnabant mater & carnifex*, inquit Sanctus Auguſtinus, *trahebat ille, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat, quid ſeparas a me quem genui ex me? uterus meus genuit, & tu crudelis interimis. S. Auguſt. ſerm. 8. de Sanct.* O magnam crudelitatem! quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Quæ crudelitas horum ſatellitum ferocitati æquiparari poteſt? Nulla equidem, ſed ſi hi in pueros ſævierunt, in eos & dæmones ſævient, & erga crudeles hos ſatellites crudeliſſimi erunt.

Æquiſſima hæc eſt regula a Chriſto poſita: in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: quare cum adverſus innocentes pueros crudeliſſimi extiterint ſatellites Herodis, adverſus ipſos ſe crudeliſſimos exhibebunt dæmones. Audite hæc vos qui obliviſcimini Deum; audite hæc vos qui pauperes, viduas, & pupillos opprimitis; audite Chriſtum dicentem, quod *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7. 2.* Tempus adveniet, in quo ad Chriſti tribunal, de omnibus vitæ veſtræ actionibus rationem reddituri apparebitis; tunc clamabunt viduæ, tunc clamabunt pueri, & pauperes quos oppreſſiſtis, tunc clamabunt, & dicent: *Vindica ſanguinem noſtrum*: o Domine, vindictam ſumas de his qui oppreſſerunt nos. Heu! *quantus tremor eſt futurus, quando Judex eſt venturus, cuncta ſtricte diſcuſſurus?* Quantus erit horum impiorum pavor, cum Chriſtum judicem iratum videbunt? Sed quantus erit fletus, quantus dolor, quanta deſperatio, cum hic homo dives, & hic homo nobilis, qui pauperes oppreſſerunt, ad tartara æternum cruciandi detrudentur? Attendite hæc, talia mente crebro revolvite vos qui pauperes opprimitis, & diſcite impoſterum iis benefacere, iiſque ſatisfacere, ut in ſempiternum cum Herodis ſatellitibus in inferno non torqueamini. Sed viſa horum ſatellitum crudelitate, *puerorum pro Chriſto occiſorum felicitatem contemplemur.*

TERTIA PARS.

Puerorum felicitas.

SI oculis carnis inſpiciantur Innocentes Martyres, infelices quidem ſunt & miſeri; ſed ſi fidei oculis eos contemplemur, feliciſſimi ſunt, quia æternam beatitudinem conſequuntur. 1. Etiamſi de ea non cogitaverint. 2. Etiamſi eam non voluerint. 3. Etiamſi eam non meruerint.

1. Ut nos adulti æternam beatitudinem aſſequi valeamus, de ea, & de mediis ad illam aſſequendam neceſſariis ſerio cogitare debemus; eſt enim corona, quam Deus non dat dormientibus, ſed vigilantibus; & eſt merces, quæ non datur deſidioſis, & iis qui ejus obliviſcuntur, ſed iis qui eam crebro mente revolvunt, & qui de ea ſolicite, & efficaciter cogitant. At Innocentes Martyres nobis longe feliciores extitere, quia æternam gloriam obtinuerunt, licet de ea in hoc mundo nunquam cogitaverint, nec cogitare potuerint. Ut enim de iis loquitur Chryſologus: *Ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Serm. 153.* Hi pueri ignari erant de omnibus quæ in hoc mundo fiebant; quia nondum rationis uſu pollebant; quare de iis ne quidem cogitare noverant; & tamen ita beati & felices fuere, ut quamvis ne minimam de cæleſtibus bonis cogitationem habuerint, ea aſſecuti fuerint. De Sancto Antonio Abbate, & aliis ſanctis Viris, qui humanas non callebant ſcientias, dicebat Sanctus Auguſtinus, quod licet indocti eſſent, & ignari, cælos tamen rapiebant: *Ecce indocti rapiunt cælos.* Sed id ſatius de Sanctis Innocentibus dici poſſet: eorum quippe tanta fuit felicitas, quod licet de beatitudine cæleſti ita ignari eſſent, ut ne quidem de ea cogitaſſent, ad eam tamen pervenerint: *Ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.*

Sanctus Joſeph ab Angelo monitus, accipiens Chriſtum, & Mariam, fugit in Ægyptum: *Accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. Matth. 2.* Cur Chriſtus, qui tempore paſſionis exultavit ut gigas ad currendam viam, & qui in hunc mundum venit, ut pro hominum ſalute pateretur, & moreretur, voluit in hoc caſu a conſpectu & ira Herodis fugere? Anne impium hunc timebat Regem? Nequaquam, inquit Sanctus Petrus Chryſologus: non enim fugit, eo quod Herodem timeret, ſed eo quod pueros amaret. *Fugere iſtud eſt amoris intimi, non timoris ignavi. Ubi ſupr.* Sed quis eſt ille Chriſti erga hos pueros amor? Nonne illos magis amaſſet, ſi ipſe non fugiſſet, ſed in Bethlehem remanens, aliquos ex ſuis Angelis, ad hos Innocentes ab Herodis manibus liberandos advocaſſet? Nequaquam: neque enim majus amoris ſui teſtimonium iis dare poterat Chriſtus, quam cum fugiens, illos Herodis furori, & ſatellitum crudelitati commiſit: quia inde iis occaſionem dedit pro ipſo moriendi, & vitam æternam aſſequendi, antequam de ea cogitaſſent. Unde ex hoc illos feliciſſimos fuiſſe cenſet Divus Auguſtinus: *Quam feliciter nati, inquit, quibus in primo naſcendi lumine æterna vita obviam venit. S. Auguſt. ſerm. 9. de Sanct.* Nobis æterna felicitas non obviam venit, ſed ut illam obtineamus, eam ſolicite quærere, & de ea ſerio cogitare debemus. Petimus ſæpe a Deo, ut ad nos talis veniat beatitudo: *Adveniat regnum tuum*; ſed ad nos non venit, ſi prius de ea, & de mediis ad illam aſſequendam neceſſariis ſerio non cogitaverimus. Innocentes autem Martyres ita felices ex-

Digitized by Google

extitere, ut iis obviam venerit, etiam *in primo naſcendi lumine*, ſeu antequam de ea cogitaſſent. O magnam horum puerorum felicitatem! ſed tanta etiam eorum fuit felicitas, ut æternam beatitudinem obtinuerint, *licet eam non voluerint*.

2. In poteſtate noſtra eſt æternam beatitudinem velle, aut nolle, ad utrumque ſumus liberi; ſed ut eam revera aſſequamur, illam ardenter & efficaciter velimus neceſſe eſt, ita quod media ad illam obtinendam ſumamus. Verum eſt, quod omnes penitus homines ſalvi fieri vellent; ſed ſimplex velleitas non ſufficit: ad ſalutem enim requiritur firma, conſtans, & efficax voluntas, quæ ad media apponenda ordinetur. Unde non dixit Deus, quod quomodocumque beatitudinem velle, & quærere debeamus; ſed quod debeamus illam ſolicite quærere & quærentes quærere: *Si quæritis, quærite*. At Innocentes Martyres nobis longe feliciores extiterunt: quia æternam beatitudinem conſecuti ſunt, licet in hoc mundo eam numquam voluerint; ut enim ait Chryſologus, *in parvulis quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva eſt ipſa naturæ? Ubi ſupr.* Horum quidem parvulorum captivæ & ligatæ erant internæ omnes animæ potentiæ, quia nondum rationis uſum aſſecuti erant; quare velle bonum aut malum, velle aut nolle æternam beatitudinem, in eorum non erat poteſtate, & ſic eam aſſecuti ſunt ex vera Dei miſericordia, licet eam nullo modo voluerint. Unde Sanctus Bernardus hanc ſtatuit differentiam inter Sanctum Stephanum & Innocentes Martyres, quod Sanctus Stephanus Martyr fuerit opere & voluntate; Innocentes vero opere ſolum, & non voluntate: *Habemus in Sancto Stephano martyrii ſimul & opus & voluntatem; habemus ſolum in Beatis Innocentibus opus. S. Bern. ſerm. de Ss. Innocent.* Certum eſt, hos pueros æternam beatitudinem æque vere obtinuiſſe ac Beatum Stephanum, martyrii laurea ſimul cum illo præmiantur; ſed felicitatem æternam, & martyrii coronam aſſecuti ſunt per ſimplicem paſſionem a Chriſto acceptatam, abſque eo quod eorum aliquis præceſſerit voluntatis actus, quo Martyres, & beati fieri vellent: *Habemus ſolum in Beatis Innocentibus opus.*

Per Baptiſmum ab originali culpa lavantur, gratiaque divina donantur pueri; unde ſi accepto Baptiſmo moriantur, antequam rationis uſu polleant, æternam obtinent gloriam, licet nunquam aliquem voluntatis ſuæ actum elicuerint. Eodem autem privilegio gaviſi ſunt Innocentes Martyres: eorum enim martyrium fuit Baptiſmus ſanguinis, cujus virtute ab originali peccato loti fuere, & abſque ullo voluntatis propriæ actu æternam beatitudinem obtinuere: *Quemadmodum*, inquit S. Bernardus, *baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem; ſic pro Chriſto ſuſceptum martyrium pueris ſufficit ad ſanctitatem. Ubi ſup.* In adultis, ut gratiam & gloriam aſſequi valeant, duo requiruntur, applicatio ſcilicet meritorum Chriſti, & actus efficaces propriæ voluntatis; ſed Innocentes Martyres omnibus adultis feliciores extitere, quippe qui per ſimplicem applicationem meritorum Chriſti, quæ ſunt infiniti valoris, abſque ullo voluntatis ſuæ actu, æternam beatitudinem ſunt aſſecuti. Sed inſuper tanta eorum fuit felicitas, ut beatitudinem æternam obtinuerint, *licet eam nullo modo meruerint*.

3. Certum eſt, martyrium eſſe Dei donum: quia corpus ſuum tormentis, & tortorum crudelitati uſque ad ſanguinis effuſionem, & ad mortis paſſionem, ſine Dei gratia nullus offerre valeret. Unde præfatus Chryſologus ait, martyrium non venire ad nos per meritum, ſed per gratiam: *Attendat Auditor, attendat, ut intelligat, martyrium non conſtare per meritum, ſed venire per gratiam.* Licet autem martyrium ſit Dei donum, ita quod ad Martyrii palmam obtinendam neceſſarium ſit, Deum dare martyrii gratiam prævenientem, qua illum ad fortiter patiendum excitet, & gratiam adjuvantem, qua illum in mediis tormentis adjuvet; per hoc non ſtat, quod ex parte Martyris non requiratur libera voluntatis cooperatio, qua agente ſimul cum Dei gratia, gloriam æternam, mediante martyrio, aſſequatur: ſicut enim ad inferni pœnas non damnatur quis ſine meritis malis, ſeu ſine peccato; ita nec quis adultus, licet mortem ſubeat, æternam felicitatem ſine meritis bonis aſſequitur. At alia pro Innocentibus martyribus eſt regula: hi namque Martyres fuere privilegiati: *Vere iſti ſunt gratiæ Martyres: Chryſ. ubi ſup.* hi fuere omnibus Martyribus feliciores: quia per ſimplicem applicationem meritorum Chriſti, abſque ullo proprio merito, & gloriam martyrii, & æternam beatitudinem ſunt aſſecuti: ut enim ait S. Bernardus, ut ſuam Deus commendaret gratiam, his parvulis ita favere voluit, ut, licet nullum in eis fuerit, vel eſſe potuerit meritum, iis gratiam, & gloriam martyrii contulerit: *Hi ſunt plane Martyres tui Deus, ut in quibus nec homo, nec Angelus meritum invenit, ſingularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendetur. S. Bern. ubi ſup.*

Chriſtum inter & Herodem reſpectu horum puerorum quædam fuiſſe videtur æmulatio, ita quod ex una parte eos deprimere conaretur Herodes, & ex altera eos Chriſtus ſublimare ſatageret. Herodes invidia & ambitione æſtuans, minas, & cædes ſpirabat, illoſque pueros trucidare, &, ut ita dicam, annihilare volebat; Chriſtus vero Herodi oppoſitus, his infantibus benefacere, eoſque extollere conabatur. Herodes eos ad mortem ſine ullo illorum demerito, & peccato injuſte damnavit; Chriſtus vero, cujus pietas Herodis impietatem ſuperabat, illos abſque ullo eorum merito ad cæleſtia regna vocavit, & martyrii corona decoravit. Unde ſicut ad mortem ſine ullis eorum demeritis ab Herode fuere damnati; ita & a Chriſto ſine ullis eorum meritis ad cæleſtem gloriam fuere vocati: *Si quæris apud Deum merita ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. S. Bern. ubi ſup.*

Ecce magnam horum puerorum felicitatem: *Magna quidem extitit Herodis injuſtitia* reſpectu Chriſti, quem occidere intendit; reſpectu puerorum, quos ad mortem damnavit; & reſpectu matrum, quarum filios rapuit: *Magna etiam fuit ſatellitum crudelitas*, ſi attendantur qualitas occiſorum, numerus eorum, & modus quo occiſi ſunt: *Sed maxima fuit puerorum felicitas*, quia beatitudinem æternam obtinuerunt, licet de ea

Digitized by Google

non cogitaverint, eam non voluerint, & eam non meruerint.

O impie Herodes, quam gravis tua eſt injuſtitia? O barbari ſatellites, quam enormis eſt veſtra crudelitas? O Innocentes Martyres, quam appetenda eſt veſtra felicitas? Deteſtemur Herodis injuſtitiam, ſatellitum horreamus crudelitatem; ſed in primis æternam beatitudinem quam aſſecuti ſunt pueri, obtinere conemur: æterna enim beatitudo pro nobis ſicut & pro illis facta eſt, ad eam nos Deus vocat, illam nobis dare peroptat; ſed ea conditione, ut de ea cogitemus ſerio, ut eam velimus efficaciter, & eam juſte mereamur. Hi pueri eam obtinuerunt, licet de ea in hoc mundo numquam cogitaverint; & nos, ut eam obtineamus, ſerio, ſæpe, & ſolicite de illa, ſicut de re maximi momenti, cogitare debemus. Nec ſolum cæleſtis hæc beatitudo a nobis eſt ſimpliciter mente revolvenda: hoc enim & ipſi dæmones faciunt; ſed inſuper penſare quiſque debet efficaciter de mediis quibus illam impetrare poterit. Hi etiam pueri Beatorum gloriam ſunt aſſecuti, licet eam non voluerint; & nos, ut eam aſſequamur, eam velle, optare, & ambire debemus efficaciter, ita ut manum operi admoveamus, & ſedulo pro ea comparanda laboremus. Hi tandem pueri ad cæleſtem beatitudinem pervenerunt, licet eam non meruerint; & nos, ut ad eam perveniamus, bonis, & meritoriis operibus vacemus, & ſtudioſe incumbamus neceſſe eſt; ſeu ut loquitur Apoſtolorum Princeps, ſatagere debemus, ut per bona opera certam vocationem noſtram faciamus: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis. 2. Petr. 1. 10.*

Sed, heu! quam pauci recte cogitant, ardenter volunt, & juſte illam merentur beatitudinem? cogitant plerumque homines de dignitatibus comparandis, de opibus ampliandis, & de familia ſublimanda. Cogitant de temporali quodam negotio rite peragendo, de Magnatum amicitia ſibi concilianda, & de voluptatibus corporis ſatisfaciendo; ſed de beatitudine æterna comparanda *nullus eſt qui recogitet corde*. Pauci de ea acquirenda ſunt ſoliciti; de ea cogitant aliquando, ſed ita leviter, ut hæc cogitatio intima cordis non penetret: *Nullus eſt qui recogitet corde*. Sed, o quam pauci etiam cæleſtem illam gloriam ardenter, & efficaciter appetunt: eam quidem volunt, ſed nolentes, eam obtinere vellent, ſed media ad illam obtinendam neceſſaria ſumere nolunt; plerique reſpectu beatitudinis ſunt pigri, quia ſimul volunt & nolunt: *Vult, & non vult piger. Prov. 15. 4.* Si quæratur ab hominibus, an æternam aſſequi velint beatitudinem? Reſpondebunt haud dubie omnes, quod velint; ſed volentes nolunt, quia idonea ad illam aſſequendam via incedere nolunt; vellent omnes eſſe beati cum Chriſto, ſed cum eo pati, ejuſque mandatis obtemperare nolunt. Unde etiam fit, quod hanc beatitudinem mereantur pauci, & pauci obtineant; quod certiſſimum eſt: cum Deus, qui eſt ſumma veritas, paucos eſſe electos aſſeruerit: *Pauci electi*: Ipſe, ut ait D. Paulus, *omnes homines vult ſalvos fieri; Matth. 20. 16. 1. Tim. 2.* pauci tamen ſalvantur, quia pauci bonis operibus æternam beatitudinem obtinere ſatagunt. N. N. hora eſt jam de ſomno ſurgere; exurgite qui dormitis; & ſerio de vita æterna aſſequenda penſate, illam ardenter deſiderate, & per bona opera illam mereri contendite, ut cum ſanctis Innocentibus in cælo aliquando regnare valeatis. *Amen*.

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

CONCIO SECUNDA.

Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? Apoc. 7. 13.

SAnctæ mulieres, quæ Chriſti adibant Sepulchrum, ut ſacrum ungerent corpus, dicebant ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem? Marci 16. 3.* Lapis qui Chriſti Sepulchro erat ſuperpoſitus, tanti eis eſſe videbatur ponderis, ut nec ſe ad illum movendum ſufficientes cenſerent: quare attonitæ, aliquem ipſis vegetiorem, & fortiorem, a quo hic volvi poſſet lapis, inquirebant: *Quis revolvet nobis lapidem?* ad ſimiles prorſus me jam video redactum anguſtias, cumque elucidare ſuſcipio, qui ſint hi pueri, quo albis innocentiæ ſtolis amictos ſancta nobis hodie proponit Eccleſia, mens hæret, hebeſcit animus, lingua obmuteſcit, & hoc onus meis importabile eſſe humeris ingenue fateor. Quare quæro; qui mihi hunc nodum diſſolvat, quique tale myſterium aperiat, qui hoc onus moveat, quique mihi explicet, qui ſint hi pueri candidis induti veſtibus: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt?* Scio, quod eorum martyria deſcribant Evangeliſtæ, quod eorum laudes ſancta decantet Eccleſia, quodque eorum elogia Concionatores non pauci concinnent: quare hos omnes ad mei auxilium vocabo, ut hunc movere valeam lapidem, & ut debite explicare poſſim qui ſint dealbati illi Innocentes; ſed fortius, & efficacius expecto adjutorium a Spiritu Sancto, &c. *Ave*.

INnocentes Martyres conſiderari poſſunt in Judæa, in Lymbis Patrum, & in Paradiſo. 1. *In Judæa*, ubi cruciantur. 2. *In Lymbis*, ubi aliquandiu poſt mortem morantur: *& in Paradiſo*, ubi in æternum regnabunt. In Judæa vixerunt ad ſummum duobus annis, quia non ſunt occiſi, qui biennium exceſſerant. *Occidit omnes pueros a bimatu, & infra. Matth. 2. 16.* In Lymbis remanſerunt triginta & aliquibus annis, uſque ad Aſcenſionem Chriſti ſcilicet, in qua omnes in Lymbis detentos ſecum in Paradiſum duxit, *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. In Paradiſo tandem, non ad aliquod ſolum tempus, ſed æternum vivent, & regnabunt: *Juſti autem in perpetuum vivent*. Ecce tres diverſas ſanctorum illorum infantium ſtationes; ecce tria loca, quæ inhabitarunt: unde ſi jam a me quæratur, qui fuerunt illi pueri: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt?* ut clare reſpondeam, & ut dilucide explicem, qui, & quales fuerint illi Innocentes; eos in Judæa, in Lymbis, & in Paradiſo contemplor, & dico, eos eſſe Martyres, Præcurſores,

Digitized by Google

res, & Sanctos 1. *In Judæa* ſunt Martyres admirabiles. 2. *In Lymbis* ſunt Præcurſores gratiſſimi. 3. *In Paradiſo* ſunt Sancti privilegiati. Tribus his orationis hujus partibus conſtabit, qui ſint illi pueri ſtolis albis amicti; *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt?*

PRIMA PARS.

Innocentes in Judæa ſunt Martyres admirabiles.

PRimus locus in quo conſiderandi ſunt Innocentes, eſt Judæa, ubi ex ordinatione Regis iniqui occiſi ſunt; tantaque ibi horum puerorum facta eſt ſtrages, ut juxta communem Doctorum ſententiam, circiter quatuordecim millia ferro perierint; quos omnes ut veros Martyres, qui pro Chriſto paſſi & mortui ſunt, ſancta agnoſcit, & colit Eccleſia. Hi autem mirabiles fuere Martyres, qui non habebant uſum linguæ, manuum, & vitæ 1. *Non habebant uſum linguæ*, & Chriſtum confeſſi ſunt. 2. *Non habebant uſum manuum*, & pro Chriſto decertarunt. 3. *Non habebant uſum vitæ*, & pro Chriſto mortui ſunt.

1. Ut quis Martyris nomen & gloriam obtineat, Chriſtum confiteri debet: *Martyr enim idem eſt, quod teſtis Chriſti*; *Hugo Card. in c. 2. Matth.* id eſt, teſtis qui Chriſtum, vel Chriſti fidem confitetur. Si autem, ut quis vere ſit Martyr, Chriſtum confiteatur neceſſe ſit, quomodo, & quo titulo Martyres dicentur pueri, qui pro Chriſto occiſi ſunt, cum caruerint uſu linguæ, qua illum confiterentur? Sunt equidem vere Chriſti Martyres, quia illum non verbis, ſed paſſione confeſſi ſunt: *Chriſtum confitentur tacentes*, *Chryſol. ſerm. 153.* ut ait S. Petrus Chryſologus. Angeli, Paſtores, Reges, Simeon, & Anna Chriſtum natum eſſe teſtati & confeſſi ſunt loquendo; pueri vero tacendo, & ſanguinem pro illius gloria fundendo: *Parvuli*, inquit D. Cyprianus, *dum vice Chriſti, & pro Chriſto detruncantur, teſtimonium, quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione. Cyprian. in tract. de ſtella & Magis.* Hi pueri Chriſtum non poterant ſermone confiteri, cum adhuc loquelæ uſu non fruerentur, ſed illum confitentur paſſione, ſeu pœnis quas pro illo patiuntur.

Miror D. Auguſtinum dicentem, hos pueros Chriſtum confeſſos eſſe antequam loquerentur: *Nondum loquuntur, & Chriſtum confitentur: Lib. 1. de Symb. ad Catech. c. 4.* ſi enim non loquantur, quomodo illum confitentur, & ſi confitentur, quomodo non loquuntur? Certe non loquuntur, & tamen illum revera confitentur; quia illum ſilentes & tacentes confitentur: nam ſicut Chriſtus a ſtella quam S. Gregorius *hom. 10. in Evangel. elementum mutum* vocat, Regibus voluit prædicari; ita voluit, quod pueri illum tacentes confiterentur: & ſicut hæc ſtella, licet loquelæ incapax, motu, luce, & figura ſua Magis indicavit, & annunciavit, veniſſe Meſſiam, quem expectabant; ita, licet hi infantes verbis Chriſtum confiteri non valerent, cum paſſionibus ſuis confeſſi ſunt, in quantum pro illius defenſione multa, & gravia ſunt perpeſſi: *Nondum loquuntur, & Chriſtum confitentur.*

In Epiſtola hodierna hæc leguntur verba: *Ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.* Per hanc multitudinem intelliguntur Innocentes Martyres, qui omnes in frontibus ſuis deferebant nomen Chriſti Agni ſine macula; non illud deferebant in ore, quia loqui non poterant; ſed illud deferebant in fronte, quaſi per hoc dixiſſent ſatellitibus, loqui non poſſumus; ſed videte in frontibus noſtris ſcriptum nomen illius, quem confitemur; hic legite, & ſcitote, quod pro illo ſtemus, & pro illo moriamur. Ecce Martyres mirabiles, qui non habent uſum loquelæ, & Chriſtum confitentur; ſed ſunt etiam Martyres admirabiles, quia *non habent uſum manuum, & pro Chriſto decertant.*

2. Omnes Martyres ſunt Chriſti milites; hi ſunt ſancti milites, quibus Deus ſuam circumdedit Eccleſiam: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi: Zach. 9.* hi ſunt milites, qui pro Chriſti fide generoſe pugnarunt, & de tyrannis glorioſe triumpharunt; ait, Innocentes pueri ſunt Martyres admirabiles, qui licet imbelles, & ad pugnam penitus inepti videantur, cum manibus nequaquam ut valeant, pro Chriſto tamen fortiter pugnant: *Nedum motibus membrorum valent ſuſcipere pugnam*, inquit Auguſtinus, *& jam victuri efferunt palmam. S. Aug. l. 1. de Symb. ad Catech.*

Reges, & Principes ad ſui cuſtodiam deputatos habent milites, qui ubique eos armis ſuis tuentur, & ab hoſtibus defendunt; Chriſtus pariter, qui eſt *Rex Regum*, in nativitate ſua milites habere voluit, qui illum cuſtodirent, & ab Herodis perſecutione defenderent, pueros ſcilicet, qui a S. Chryſologo vocantur *Chriſto dicati milites.* Chriſto naſcenti deputati ſunt Angeli, ut ejus laudes decantarent, auditi enim ſunt canentes: *Gloria in altiſſimis Deo. Chryſol. ſerm. 133.* Pueri vero delegati ſunt, non ut cantorum, ſed ut militum fungerentur officio; hi ad Chriſti cuſtodiam deſtinati ſunt; quod mirum eſt, inquit Chryſologus, hi pueri prius pro Chriſto pugnare, quam manibus ludere ſciverunt: *Chriſto dicati milites, cœperunt ante pugnare, quam ludere.* Nondum manibus ſciebant matrum attrectare genas, intricare crines, palpare mammas, alioſque infantiles formare ludos, & pro Chriſto decertare ſciebant; *Cœperunt ante pugnare, quam ludere.* Sed quomodo hi pueri pro Chriſto decertarunt? Non quidem manibus, ſed propria gladiis exponendo corpora, ut eum a morte præſervarent. Herodis enim ſatellites in quolibet puero Chriſtum necare intendebant; at non Chriſtum, ſed Chriſti militem occidebant, qui corpus ſuum pro Ducis & Regis ſui Chriſti ſalute exponebat. Unde glorioſior iſtorum, quam aliorum Martyrum extitit pugna, quia alii non pugnarunt pro Chriſti perſona, & ut eum a morte eximerent, ſed ſolum pro fide Chriſti; Innocentes vero pro perſona Chriſti, & ut ipſum a morte præſervarent, decertarunt, ſuaque corpora tradiderunt: O glorioſam, & mirabilem horum puerorum pugnam!

S. Petrus Chryſologus hos pueros vocat *Chriſto coætaneum exercitum. Serm. 152.* Dubitant Auctores quonam præciſe tempore facta fuerit Innocentium ſtrages. Cardinalis Baronius primo a Chriſti nativita-

te anno occiſos putat; Hugo Cardinalis poſt annum, & quatuor a Chriſti nativitate dies Herodem in pueros deſæviiſſe cenſet; at Lyranus, Toſtatus, & alii non pauci, puerorum cædem duobus ſolum a Chriſti nativitate annis factam fuiſſe arbitrantur! undè pueri biennales Chriſto biennali erant coætanei, & ideo Chryſologus hos pueros *Chriſto coætaneum exercitum* vocat. Sed qualis eſt ille exercitus ex biennalibus ad ſummum pueris compoſitus, qui nondum manibus ad ludendum & contrectandum valeat? Ingens quidem, nobilis, & fortis eſt ille exercitus, cujus omnes milites, ut ait S. Petrus Chryſologus, pro Chriſto Rege ſuo pugnant, propriamque vitam offerunt, ut eum a morte vindicent: *Coorta Regi coho s ſua, magis præmori, quam commori tota geſtit.* O glorioſos milites! ſed o Martyres mirabiles, qui cum non haberent uſum manuum, pro Chriſto decertarunt: *Et qui cum non haberent vitæ uſum, pro Chriſto mortui ſunt.*

3. Mors eſt martyrii conſummatio: *Dicuntur Martyres, qui propter Deum ſuſtinent mortem; S. Antonin. 3. par. tit. 31. cap.* 9. non ſufficit ad hoc, ut quis vere ſit Martyr, quod pro Chriſto dira patiatur, ſi pro illo non moriatur, quia mors eſt ultimum martyrii complementum; parvulis autem Innocentibus mors non defuit, ſed iſti ſunt Martyres mirabiles, qui mortem paſſi ſunt, antequam vitæ uſum haberent: *Sumpſerunt mortem, qui vivere neſciunt. Chryſol. ſerm.* 152. Carnificibus hi arridebant parvuli, gladiis adjudicabantur; flebant matres, illi ridebant; eos abſcondebant parentes, & hi clamoribus ſe manifeſtabant: quia nondum an viverent, noverant, ſeu vitæ rationalis nullum uſum habebant; vivebant quidem vita animali, ſed non vita rationali; & antequam iſtius vitæ uſu pollerent, pro Chriſto mortem paſſi ſunt: *Sumpſerunt mortem, qui vivere neſciunt.*

Cum in hodierno Evangelio parvulorum cædes enarratur, dicitur tantum extitiſſe Rachelis ploratum & ululatum, ut in Rama audita fuerit: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. Matth.* 2. 15. Quomodo Rachel, quæ tunc mortua erat, filios ſuos plorare poterat? Per Rachelem intelliguntur tribus Joſeph, & tribus Beniamin, quæ ex Rachele venerant, ſicut & tribus Juda venit ex Lya Rachelis ſorore. Audita ergo eſt vox Rachelis, id eſt, vox hominum & mulierum, qui erant ex tribubus Joſeph & Beniamin, plorantium filios ſuos, & ita eos plorantium, ut conſolari renuerent. Hi non plorabant filios Lya, ſeu pueros tribus Juda, quos occiderat Herodes, ſed proprios deflebant filios, quos Herodis ferrum non attigerat. Et cur eos ita deflebant, ut nullum ſolatium percipere poſſent? Ratio habetur in Evangelio, ubi dicitur: *Noluit conſolari, quia non ſunt.* Filios amare deflebant, quia eorum filii non erant: *Quia non ſunt.* Ecce rationem; ſed obſcuram: verum enim eſt, quod filii Lya, qui occiſi fuerant ab Herodis ſatellitibus, tunc non erant, ſed filii Rachelis, qui occiſi non fuerant, tunc erant: ſi ergo eſſent, & viverent, cur eos flet Rachel, quia non ſunt: *Et noluit conſolari, quia non ſunt?* Præclare reſpondet Origenes, Rachelem, ſeu duas tribus, quæ ex Rachele originem duxerant, ſuos plorare filios, *quia non ſunt* pro Chriſto mortui in annis puellaribus, ſicut filii Lya, qui erant ex tribu Juda; *Deflevit Rachel, quod non ſuis contigerit pro Chriſto mori, & illos, quaſi non eſſent, æſtimavit. Orig. hom. 3. de diverſ.* Filii Lya, ſeu pueri Bethlehem: *lucis primo in limine*, & antequam vitæ uſum haberent, pro Chriſto mori, & Martyres fieri meruerunt: *Sumpſerunt mor em qui vivere neſciunt.* Lacrymatur autem, gemit, & ululat Rachel, quod filii ſui eandem gloriam non habuerint, quodque in cunis occidit, & ſicut Bethlemitæ pro Chriſto mori non meruerint. Juſta quidem eſt Rachelis afflictio; ſed gaudere debet Lya, lætari debent mulieres Bethlemitæ, eo quod illarum filii, antequam lucis & vitæ uſum habuerint, pro Chriſti gloria ſanguinem fundere, & Martyres fieri meruerint: *Sumpſerunt mortem qui vivere neſciunt.* Ecce quales fuerint S. Innocentes in Judæa; contemplemur jam eos in Lymbis, *& eos ibi præcurſores gratiſſimos fuiſſe dicamus.*

SECUNDA PARS.

Innocentes in Lymbis fuere præcurſores gratiſſimi.

INnocentes Martyres immediate poſt mortem ad Lymbos deſcenderunt, non ſolum, ut ibi expectarent redemptionem Iſrael; verum etiam ut reſpectu eorum qui ibi inerant, nuntiorum, & præcurſorum fungerentur officio; & revera, præcurſores gratiſſimi, qui eis Meſſiæ 1. Adventum annuntiaverunt. 2. Virtutes narraverunt. 3. Mirabilia prædicaverunt.

1. Chriſtus Dominus nuntios miſit, ut nativitatem ſuam Regibus, Paſtoribus, & ſanctis Patribus in Lymbo exiſtentibus manifeſtaret. Regibus miſit ſtellam novam, quæ, ut ait S. Auguſtinus, fuit *lingua cælorum*, qua Deus his Principibus annuntiavit veniſſe Meſſiam, quem expectabant, & de quo Prophetæ tot mirabilia prædixerunt; Paſtoribus vero miſit Angelum, qui eos nocte gregi ſuo invigilantes invenit, & qui dixit eis: *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Luc.* 2. Sed ad Patres in Lymbo degentes non unicam ſtellam, nec unicum Angelum, ſed quatuordecim millia puerorum delegavit, qui veluti prænuntii fuere, & præcurſores, qui jam diu expectatum veniſſe, & in Bethlehem natum eſſe Meſſiam, iis declararunt. Quilibet ex his pueris dicebat ſanctis Patribus: *Annuntio vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis Salvator;* quilibet erat præcurſor a Chriſto miſſus, ut iis adventum illius patefaceret.

Poſtquam paſtores Chriſtum in Bethlehem adoraverunt, revertentes ad propria, multi ab iis ſciſcitabantur, qui eſſet ille puer quem viderant: *Quem vidiſtis paſtores, dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? S. Vinc. Ferr. ſer. de Innocent.* S. Vincentius Ferrerius pueris in Lymbum ingredientibus idem accidiſſe dicit: cum, inquit, qui in Lymbo erant, tot pueros ſimul venientes viderunt, ab iis petierunt, unde venirent, & quid novi afferrent? Pueri vero, qui in hoc mundo locuti non fuerant,

Digitized by Google

rant, nec rationis uſu pollucrant, tunc a Deo illuſtrati, loqui cœperunt, iiſque Chriſtum, verum Meſſiam, veniſſe annunciaverunt. Chriſti adventum anxie expectabant ſancti Patres, nunc ipſum enixe deprecabantur, ut cito veniret: *Veni Domine, & noli tardare*: nunc Deum rogabant, ut illum mitteret: *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ*: & nunc ad cælos ſuas dirigebant preces, & ab iis petebant, ut pluerent Juſtum, cujus interventu ſalvandi erant: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Juſtum*. Ipſi tandem qui Chriſti meritis e ſubterraneo illo carcere eripi, & ad cæleſtia regna introduci debebant, illum, ut ait D. Auguſtinus, *lacrymabili obſecratione orabant, ut veniret*. *S. Auguſt. ſer. de Reſur.* Quale ergo eorum fuit gaudium, cum audierunt pueros aſſerentes jam veniſſe Meſſiam, pro cujus gloria occubuerant? *Quale gaudium fuit ſanctis Patribus*, inquit S. Vincentius Ferrerius? quam bene accepta fuit horum infantium legatio; & quam pergrati extitere Innocentes hi præcurſores, qui ſanctis Patribus annuntiaverunt adventum Chriſti? *& qui eis etiam Chriſti virtutes narraverunt*.

2. Angelus qui ad paſtores miſſus eſt, non iis ſolum veniſſe Meſſiam annuntiavit, ſed iis etiam virtutes ejus enarravit; non iis ſolum declaravit veniſſe Salvatorem, ſed inſuper heroicas, quibus florebat, virtutes manifeſtavit: *Invenietis*, inquit, *infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*; *Luc. 2.* quaſi diceret: tanta hujus eſt Salvatoris charitas, ut cum Deus eſſet, pro nobis homo fieri voluerit: *Invenietis infantem*. Tantus etiam ejus eſt erga paupertatem affectus ut cum dives eſſet, & Dominus omnium, vilibus, & humilibus pannis ad inſtar pauperculi involvi paſſus ſit: *Pannis involutum*: tanta tandem ejus eſt humilitas, ut cum eſſet *Rex regnantium*, a regio, & cæleſti ſuo throno ad vile præſepium inclinari non dedignatus ſit: *Et poſitum in præſepio*. Similem in modum Innocentes pueri Lymbum intrantes, Patribus non ſolum Meſſiæ adventum annuntiarunt, verum, & ejus virtutes iis enarrarunt, dicentes; Meſſias qui natus eſt in Bethlehem, & pro cujus cauſſa paſſi ſumus, eſt Rex manſuetus, & Princeps Pacis. Eſt *Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, & ſegregatus a peccatoribus*, *Heb. 7. 26.* eſt omnium hominum ſapientiſſimus, humillimus, & benigniſſimus; charitatem, patientiam, obedientiam, & omnes virtutes in ſummo gradu poſſidet, earumque exercitio ſtudioſe incumbit, & maxime delicitatur.

Ad ſanctorum Innocentium laudem dicitur, quod *in ore eorum non eſt inventum mendacium*. *Apoc. 14.* In hoc mundo mendacium dicere non poterant hi pueri, cum nondum loquerentur, quæ ergo eſt iſta eorum laus, & commendatio? quæ illis gloria, quis honor, ex hoc quod mendacium non dixerint? In adultis loquelæ uſum habentibus alicujus virtutis, & pietatis eſt, quod ab omni abſtineant mendacio; ſed in pueris loquendi poteſtatem non habentibus, hoc non virtutis, ſed neceſſitatis eſt: cur ergo commendantur Innocentes ex hoc quod mentiti non ſint. *In ore eorum non eſt inventum mendacium? S. Vinc. Ferr. ubi ſup.* Reſpondet Sanctus Vincentius Ferrerius, hæc verba non referri ad tempus, quo pueri in hoc mundo fuere, ſed ad tempus quo in Lymbo extitere: unde, inquit, licet verum ſit, hos pueros in hoc mundo non eſſe locutos; in Lymbo tamen locuti ſunt, & ut præcurſores gratiſſimi, Meſſiæ virtutes delinearunt, eaſque tanta cum ſinceritate enarrarunt, ut nullum in tot infantium verbis inventum ſit mendacium. O quam pergrati hi fuere præcurſores, qui ut SS. Patres in Lymbo detentos conſolarentur, iis Meſſiæ adventum, & virtutes narraverunt!

3. De Chriſto mirabilia prædixerat Iſaias, dicens; *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*. Similiter pueri Innocentes, Lymbum ingredientes, de Chriſto nato mirabilia narrant, & prædicant: *Agnoſcunt Chriſtum, prædicant Chriſtum*, inquit Chryſoſtomus, & ut ait ſanctus Vincentius Ferrerius, martyrium his pueris fuit baptiſmus ſanguinis, quo loti ſunt, non ſolum a macula peccati originalis, ſed etiam ab ignorantiæ macula: quare accepto hoc baptiſmo, Chriſtum perfecte noverunt, & intrantes Lymbum, ejus mirabilia prædicaverunt: *Agnoſcunt Chriſtum, prædicant Chriſtum*. Ille parvulus, inquiebant, qui eſt in Bethlehem, eſt Princeps omnium Regum terræ; Reges Magi illum adoravere, illique munera obtulere; Angeli obediunt ei, illique humiliter obſequuntur; eum timet Herodes; in conſpectu ejus trepidant dæmones; elementa, cæli, & omnes creaturæ ad ejus nutum moventur; ipſe eſt Deus & Homo, qui omnia quæ vult, facit in cælo & in terra. Hæc & alia de Chriſto mirabilia prædicarunt infantes, quæ cum audierunt ſancti Patres, in admirationem rapiebantur, mirabantur ſuper his quæ procedebant ex ore illorum puerorum, & mirum in modum gaudebant, cum parvulos hos, Chriſti præcurſores, ſic loquentes audiebant.

Cum Paſtores ex Bethlehem revertentes, narrabant mirabilia quæ de Chriſto nato audierant & viderant, omnes qui eos audiebant, mirabantur: *Omnes qui audierunt, mirati ſunt, & de his quæ dicta erant a paſtoribus*. *Luc. 1.* Mirabantur qui Paſtores audiebant, quia de Chriſto mirabilia, & inaudita, ſimpliciter, abſque ulla fictione, narrabant; *Mirabantur*, ut explicat Hugo Cardinalis, *& de myſterio Incarnationis, & de tanta paſtorum atteſtatione, qui fingere inaudita neſcirent, ſed ſimplici facundia vera prædicarent*. Eodem prorſus modo mirabantur, & gaudebant ſancti Patres in Lymbo exiſtentes, cum audiebant pueros adventum, virtutes, & mirabilia multa de Chriſto prædicantes: *Agnoſcunt Chriſtum, prædicant Chriſtum*. O quam pergrati, & bene accepti fuere in Lymbo hi Chriſti præcurſores! quale gaudium fuit ſanctis illis Patribus audire, quod venerit Meſſias quem expectabant, cujus tot virtutes emicabant, & qui tot mirabilia operabatur! o quam jucunde talia audierunt! & o quam grati fuere præcurſores hi, qui talia annuntiarunt! ſed ſi pueri in Lymbo fuere præcurſores gratiſſimi, *in Cælo ſunt etiam Sancti maxime privilegiati*.

TER-

TERTIA PARS.

Innocentes in Cælo ſunt Sancti privilegiati.

OMnes penitus Martyres multis in Cælo fruuntur privilegiis: ibi enim, ut ait D. Ambroſius, *Principes ſunt fidei, interceſſores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. S. Ambr. ſerm. 93.* Ibi inquit D. Cyprianus, *Martyres cum Chriſto futuri ſunt Judices, ibique fructum centenarium percipiunt; S. Cypr. in Ep. ad Mart.* & ut aſſerit S. Auguſtinus, *magnis in Cælo honoribus præferuntur Martyres. S. Aug. ſerm. 9. in Pſ. 118.* Has, & alias prærogativas, omnibus Martyribus communes, in Cælo haud dubie poſſident Innocentes, ſed inſuper hi pueri inter Martyres, & inter omnes Sanctos ſunt privilegiati: quia non ſolum ut Martyres in Cælo agnoſcuntur, & honorantur; ſed etiam, 1. Ut Martyrum primitiæ. 2. Ut Martyrum flores. 3. Ut Martyrum gloria.

1. In Lege veteri homines præcepto ſuo Deus ad ipſi fructuum ſuorum primitias offerendas adſtrinxerat: *Cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi poſſidendam, & obtinueris terram, atque habitaveris in illa, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergeſque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus, Deut. 26.* Ab hac lege penitus liber, & immunis fuit Chriſtus, tum quia Deus, tum quia nullam terram frugiferam poſſidere voluit in hoc mundo: ipſe tamen, ut ait S. Vincentius Ferrerius, hanc perfecte legem adimplevit, & Patri æterno mirabiles fructuum ſuorum primitias obtulit: Martyres enim, Doctores, Confeſſores, Virgines, Pœnitentes, & omnes Sancti ſunt fructus paſſionum Chriſti, illorum autem fructuum primitiæ ſunt pueri Innocentes, quos Chriſtus Patri æterno obtulit: *Primitias iſtorum fructuum*, inquit præfatus Vincentius, *fuerunt ſancti Innocentes, quos Chriſtus obtulit Deo Patri.*

Certum eſt, Chriſtum ſpeciali amore dilexiſſe pueros: *Amat Chriſtus infantiam, quam primum ſuſcepit. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. S. Leo ſerm. 7. de Epiph.* Specialem hunc erga pueros amorem varie teſtatus eſt Chriſtus, tum eos ad ſe vocando: *Sinite parvulos venire ad me*; tum aſſerendo ipſorum eſſe regnum cælorum: *Talium eſt enim regnum cælorum*; tum dicendo, eos in cælo fore majores, qui in hoc mundo pueris erunt in humilitate ſimiles: *Quicumque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regnum cælorum. Matth. 18. 4.* Cum ergo infantes tanto affectu Chriſtus dilexerit, cur eos ab Herode occidi permiſit? Hanc quæſtionem movet S. Petrus Chryſologus, dicens: *Chriſtus futurorum præſcius, conſcius ſecretorum, cogitationum Judex, mentium perſcrutator, quare deſeruit, quos ſciebat quærendos eſſe propter ſe, & propter ſe noverat occidendos? natus Rex cæleſtis, quare neglexit milites innocentiæ ſuæ? coætaneum ſibi quare neglexit exercitum? quare cunabulis ſuis deputatas excubias ſic reliquit, ut Regem ſolum quæſiturus hoſtis, totus graſſaretur in milites? Chryſ. ſerm. 152.* Ecce quæſtionem perſpicue poſitam, quam ipſe Chryſologus reſolvit, dicens, Chriſtum hos non contempſiſſe pueros, ſed eos ſublimaſſe, *Fratres, Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed provexit.* Quomodo hos Chriſtus provexit pueros, quos Herodis & ſatellitum furori expoſuit? Hos ita provexit, & ſublimavit, ut eos primitias Martyrum eſſe voluerit, eoſque Patri æterno, ut primitias fructuum ſuorum obtulerit: *Primitiæ iſtorum fructuum fuerunt ſancti Innocentes, quos Chriſtus obtulit Patri.* O magnum illorum Innocentium privilegium! ſed ſunt etiam in cælo Sancti privilegiati, *quia ſunt flores Martyrum.*

2. Hos pueros, non ſolum Martyres, ſed etiam Martyrum flores vocat, & ut tales ſancta veneratur Eccleſia: *Salvete flores Martyrum.* Hi fuere Martyrum flores, quos, ut ait Div. Auguſtinus, *quædam perſecutionis pruina decoxit. Aug. ſerm. 3. de Innoc. ſerm. 8. de Sanct.* Hi fuere flores alibi ratione innocentiæ, & purpurei ratione ſanguinis, quem pro Chriſto effuderunt: *Candore rubro ſplendeſcentes propter candidam ætatem, & ſanguinem paſſionis*, inquit idem Auguſtinus. Hi tandem ſuaviſſimi odoris flores extitere, quos Chriſtus naſcens æterno Patri obtulit. Plinius teſtatur, quod Diis antiquitus pulcherrimi juncorum flores offerebantur, ex quibus ipſi coronari ſoliti erant, eo quod, ut tradit Clemens Alexandrinus, numqnam marceſcant, & ſemper virorem conſervent; ſed pulchiores æterno Patri flores hodie offert Chriſtus, Innocentes ſcilicet Martyres, qui ſunt flores ſaviſſimum ſanctitatis odorem emittentes, & qui æternum in cælo immarceſſibiles conſervabuntur. Unde merito cum venerabili Beda dicere poſſumus, quod *Paradiſus habet flores ſuos: V. Beda ſerm. 8. de Sanct.* flores enim Paradiſi ſunt ſancti Innocentes, qui hodie in cælitum terra apparuerunt: *flores apparuerunt in terra noſtra. Cant. 2.* Flores Paradiſi ſunt hi pueri, qui in cælo Chriſti, pro cujus gloria mortui ſunt, bonus odor extiterunt *Chriſti bonus odor ſumus. 2. Cor. 2. 15.* Hi tandem Innocentes ſunt flores admirandi, ex quibus Chriſtus, quaſi ſertum compoſuit, ut illud æterno Patri offerret. O quales flores habet Paradiſus; & o quam privilegiati ſunt hi pueri, qui in cælo ſunt flores Martyrum! *ac etiam gloria Martyrum.*

3. Hi pueri inter Martyres non ſolum ſunt primi ratione temporis, quo paſſi ſunt, ſed etiam ratione loci, quem occupant, & ſedium cæleſtium, ad quas a Chriſto ſunt ſublimati. Sic ſcribit D. Cyprianus, dicens: *In ordine SS. hi Protomartyres primum habent locum, & ſecretorum conſcii divinorum, propinquitate familiariſſima clementiam Dei nobis exorant. Ubi ſup.* Ne credatis, ait idem Cyprianus, hos pueros primas non occupare ſedes? *Sunt enim ſuperni Capituli Senatores & Judices.* Nec mirum ſi tantam horum puerorum in cælo gloriam eſſe cenſeat D. Cyprianus, quia Chriſti erga illos pueros maxima fuit dignatio; majorque fuit Chriſti bonitas ad eos ſublimandos, quam Herodis malitia ad eos deprimendos? *An forte minor Chriſti pietas, quam Herodis impietas?* inquit S. Bernardus. Quare ſicut Herodes eos in hoc mundo deprimere, & quaſi annichilare ſtuduit; ita & Chriſtus eos ad primas Cælitum ſedes ſublimavit. Quod facile credo, cum audio Chryſologum dicentem, hos pueros fuiſſe gratiæ Martyres: *Vere, vere, Fratres iſti ſunt gratiæ Martyres. Chryſol. ſerm. 153.* Hi non ſunt Martyres in rigore, & ex propriis meritis; ſed ex bonitate

extra-

Digitized by Google

ꝫxtraordinaria Dei, eorum pœnas acceptantis, ac ſi roluntarie pro Chriſto paſſi eſſent. Si autem hi ſunt Martyres gratiæ, & ex mera gratia: cur etiam non dicemus Chriſtum ex mera gratia illos ad ſupremas Beatorum ſedes ſublimaſſe? *Hi certo Protomartyres primum habent locum.*

Ecce quales hi fuerunt pueri in Judæa, in Lymbo, & in cælo: *in Judæa fuere Martyres admirabiles*, qui non habebant uſum linguæ, & Chriſtum confeſſi ſunt; non habebant uſum manuum, & pro Chriſto decertarunt; non habebant uſum vitæ, & pro Chriſto mortui ſunt. *In Lymbo fuere præcurſores gratiſſimi*; qui Patribus in Lymbo exiſtentibus Meſſiæ adventum annuntiaverunt, virtutes narraverunt, & mirabilia prædicaverunt. *In cælo tandem ſunt Sancti privilegiati*, quia ibi ſunt primitiæ, flores, & gloria Martyrum. Ecce quæ ad ſanctorum Innocentium laudem dicendo præpoſueram; nunc aliquid ad noſtri utilitatem dicendum ſupereſt: quod fiet duplici conſideratione.

Prima conſideratio erit de juſto Dei Judicio, qui Herodem reum dire punit, ut pueros innocentes glorioſe præmiat. In Herodem infanticidam, & quantum in ipſo erat, Chriſticidam ita Deus deſæviit, ut brevi poſt infanticidium tempore, febri, tuſſi, dyſenteria, hydrope, podagra, morbo peculiari, aſthmate & fœtore intolerabili percuſſus, animam exhalarit, quæ æternum cruciandа inferni tortoribus tradita eſt; pueri vero, qui pro Chriſto paſſi ſunt, in univerſa honorantur Eccleſia, & in Cælo glorioſe coronantur. Ecce variam Herodis, & Innocentium ſortem; ſed ecce etiam communem aliorum innocentium & perſecutorum ſortem. In hoc mundo juſti & innocentes ſunt omnium peripſema, æſtimati ſunt tamquam oves occiſionis, eos perſequuntur & opprimunt impii, ſed juſto Dei judicio, hi pauperum, puſillorum, & innocentium perſecutores æternis tartari addicentur ſuppliciis; innocentes vero & juſti, ſi æquanimiter pro Dei gloria perſecutiones perpeſſi fuerint, & ſi in juſtitia ſua ſteterint, in Cælo cum SS. Innocentibus æternum præmiabuntur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* Timete ergo, o innocentium perſecutores, & gaudete, qui perſecutionem patimini.

Secunda conſideratio erit de invocatione ſanctorum innocentium, qui apud Deum ſunt potentiſſimi: ſi enim unius Sancti, unius Angeli, vel etiam unius hominis juſti preces apud Deum acceptæ ſunt & efficaces; quantæ virtutis & efficaciæ apud Deum erunt preces ſanctorum Innocentium, quorum numerus eſt ad minus quatuordecim millium, qui omnes juſti, & ſancti ſunt? ſi etiam duo aut tres in nomine Chriſti congregati, a Deo obtinent quidquid poſtulant, quid pro nobis non obtinebunt tot ſancti ſimul congregati, ſi pro nobis intercedant? Certe, ut ait Div. Cyprianus, hi Innocentes ita apud Deum potentes ſunt, ut veniam & gratiam obtineant iis etiam qui non merentur: *Hi* inquit, *ſuperni Capitolii Senatores & Judices nonnullis veniam obtinent immeritis. Ubi ſup.* Quare ad eorum accurramus patrocinium, eoſque ſedulo invocemus, & præcipue pro obtinenda peccatorum venia; quia *veniam obtinent etiam immeritis. Gen.* 4. 13. Dicebat Cain: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*: multi quidem, non minus quam Cain, omni venia indigni ſunt, quia gravibus, iteratis, & inveteratis inquinantur criminibus. Sed o NN. quamvis enormia, & antiquata veſtra ſint ſcelera, ſperate in Domino, & ad ejus impetrandam gratiam innocentes Martyres invocate; enixe eos rogate, ut pro vobis apud Deum intercedant; iique vobis, licet immeritis, peccatorum veſtrorum veniam, gratiam, & æternam felicitatem obtinebunt. *Amen.*

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

CONCIO PRIMA.

Poſtquam impleti ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS. Luc. 2.

IN veteri Teſtamento Circumciſio Lex erat, Sacramentum, & cæremonia erat. Circumciſio *Lex erat*, ad cujus obſervationem tenebantur omnes Judæi; *Sacramentum erat*, cujus virtute delebatur peccatum originale; & *Cæremonia erat*, qua Judæi a non Judæis diſtinguebantur. Hac quidem Lege non ligabatur Chriſtus, qui eſt Rex noſter, & Legiſer noſter; ad hoc Sacramentum recipiendum non tenebatur Chriſtus, qui eſt Agnus ſine macula, omniumque auctor Sacramentorum: & probroſæ, nec non duræ huic cærimoniæ non ſubdebatur Chriſtus, qui ab omni peccato liber, & a peccatoribus totaliter ſegregatus fuit: nihilominus abſque ulla mora, tempore a Lege præſcripto, circumcidi, & diro hujus Cæremoniæ cultro feriri voluit: *Poſtquam impleti ſunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS.* Contemplemur hodie Petrum Jeſum inter manus Miniſtri illum circumcidentis; ibi præſens aderat ſanctus Joſeph, qui amare flebat, videns quanta pateretur dilectus Filius; ibi erat & Maria, *quæ in panno de lino recipiebat ſanguinem Circumciſionis; ſanct. Vincent. Ferr. ſerm. de Circumciſ.* ibi ſimus & nos in ſpiritu, tantumque nunc myſterium mente ſerio revolvamus, ut ex ejus conſideratione ſpirituale aliquod eliciamus emolumentum, &c. *Ave.*

QUamvis in omnibus divinis myſteriis nobis ab Eccleſia propoſitis, admirandi, amandi, & imitandi rationes facile inveniri poſſint; S. Bernardus tamen in natali Chriſti die nos ſpecialiter ad admirationem, amorem, & imitationem invitat: *In Nativitate Domini, Fratres, habemus quod miremur, quod amemus, quod imitemur. S. Bernar. ſerm. de Circumc.* Quod de Chriſti Nativitate dixit Doctor Mellifluus, dicam & ego de ejus Circumciſione. In qua mirabilia, amabilia, & imitabilia adinvenio: in circumciſione enim Chriſti vocatur Jeſus, quod eſt nomen ſuper omne nomen; *Quid mirabilius?* In circumciſione gladio petrino feritur Chriſtus, & pretioſum pro noſtri ſalute ſanguinem effundere inci-

incipit: *Quid amabilius?* In circumciſione tandem multos, eoſque pereximios virtutum actus elicit Chriſtus; *Quid imitabilius?* Contemplemur ergo nomen quod Chriſtus recipit, ſanguinem quem fundit, & virtutum actus quos elicit; contemplemur nomen quod recipit, *& admiremur*; ſanguinem quem fundit, *& amemus*; virtutes quas elicit, *& imitemur*. In Circumciſione 1. Chriſtus vocatur Jeſus, *eſt quod admiremur*. 2. Chriſtus ſanguinem fundit, *eſt quod amemus*. 3. Chriſtus virtutes elicit, *eſt quod imitemur*.

PRIMA PARS.

In Circumciſione Chriſtus vocatur JESUS; eſt quod miremur.

COlluctanti Jacob dixit Angelus: *Cur quæris nomen meum, quod eſt admirabile? Gen.* 32. 29. quæ verba de Chriſto ſupremi Concilii Angelo explicans Divus Bernardinus, ait, ejus nomen ita eſſe admirabile, ut Propheta volens, & neſciens explicare mirabilia ejus, quaſi ſubſiſtens in illo nomine, dixerit: *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra! Pſalm.* 8. 1. Multa quidem mirabilia in ſanctiſſimo hoc elucent nomine; eſt tamen ſpecialiter quod miremur! 1. Ejus virtutem & fortitudinem. 2. Ejus ſuavitatem & dulcedinem. 3. Ejus fructum & utilitatem.

1. Falleris, inquit Divus Bernardinus, qui putaſti nomen Jeſu non habere virtutem & fortitudinem divinam: habet enim *virtutem admirabilem adverſus dæmones: Ubi ſup.* quos fugat, quibus eſt terribile, & cujus virtute facillime de iis quiſque triumphare poteſt. Lucifer ſuperbia tumeſcens, dicebat: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero Altiſſimo; Iſaiæ* 14. 53. at Sanctus Michael cum Angelis bonis a Dei partibus ſtans, contra Luciferum, & ejus ſequaces fortiter pugnavit, illos debellavit, & in infernum præcipitavit, *Factum eſt prælium magnum in cælo; Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus; & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo, & projectus eſt draco ille magnus, &c. Apoc.* 12. O glorioſum Sancti Michaelis de Lucifero, & Angelis ejus triumphum! ſed quibus armis, & qua virtute Michael de fortiſſimis illis hoſtibus triumphavit? Virtute Sanctiſſimi nominis Jeſu, *Exiſtimo*, inquit D. Bernardinus, *quod Angeli boni dicebant. Vivat Jeſus, vivat Jeſus, & ad vocem hujus nominis dæmones reſiſtere non potuerunt, quin de Paradiſi apice in abyſſum caderent. Sanctus Bernard. tom.* 4. *ſerm.* 41. Chriſto dicebant Apoſtoli, *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo; Lucæ* 10. 17. Chriſtus autem reſpondit. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Illa Chriſti reſponſio prima fronte ad rem non eſſe videtur; illam tamen interrogationi optime congruere ait Sanctus Bernardinus: *Reſpondit Chriſtus*, inquit, *videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem, quaſi diceret, ne miremini, ſi in virtute mei nominis expellitis dæmonia, quia in nomine meo fuere expulſa de Paradiſo, ruendo tamquam fulgur, quod uno impetu deſcendit.* O quam admirabile eſt nomen JESU, cujus virtute Michael de Lucifero, & aliis dæmonibus triumphavit! ſed eſt etiam admirabile, quia Sanctiſſimi hujus nominis virtute & poteſtate de dæmonibus quiſque facile triumphare poteſt, ſi illud devote pronunciet, & ferventer invocet.

Sanctum eſſe & terribile Chriſti nomen ait Propheta, *Sanctum & terribile nomen ejus.* Eſt ſanctum in ſe, & eſt terribile dæmonibus, quia ſi Sanctum illud nomen pie invocemus, contremiſcunt, & fugiunt dæmones, *Nequeunt*, ut ait Sanctus Bernardinus, *damnata tartarea noctis phantaſmata tanti nominis lucem, tantique odoris fragrantiam ſpurciſſimi ſpiritus illi, atque tantam poteſtatem JESU Chriſti nominis ſuſtinere. Ubi ſup.* Quare ut ait Sanctus Laurentius Juſtinianus, *ſi tentaris a diabolo, JESU nomen edicito, & repente gratiam conſequeris. Laurentius Juſtinianus ſerm. de Circumciſ.* Vel, ut ait Sanctus Antonius Paduanus, *cum tentaris a diabolo, dic ei, in nomine Jeſu, qui imperavit ventis, recede a me, & ſic victor evades. Antonius Paduanus ſerm. Dominicæ* 5. *poſt Epiph.* David, acceptis in pera ſua quinque lapidibus de torrente, perrexit adverſus Goliat Philiſthæum, eumque debellavit; ſic & nos accipiamus quinque lapides de torrente, id eſt, quinque litteras nominis, JESUS, & eamus confidenter adverſus Philiſthæum, ſeu contra dæmonem pugnaturi; quia, invocato illo nomine, de infenſiſſimo illo hoſte glorioſe triumphabimus. *Dic ei, in nomine JESU, qui imperat ventis, recede a me, & victor evades.* O mirabilem Sanctiſſimi nominis JESU virtutem! Sed illud nomen eſt etiam admirabile *ratione ſuavitatis & dulcedinis ejus.*

2. Verum eſt, quod impii, *qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, nullam dulcedinem, nullamque conſolationem ſpiritualem percipiunt ex frequenti pronuntiatione, & meditatione Sanctiſſimi nominis JESU, quia, ut ait Sanctus Bernardinus Senenſis, delectatio eſt convenientis cum conveniente; ac proinde, quia Jeſus eſt pax exuperans omnem ſenſum, non ſapit ſuperbo, qui ſemper jurgia quærit. Quia Jeſus eſt munditia ſumma, non ſapit luxurioſo, qui ſemper mente & corpore quærit in luxuria delectari & involvi. Quia Jeſus eſt ſumma liberalitas, non ſapit avaro, qui temporalium inſatiabili cupidine flagrat. Quia eſt ſumme mitis, non ſapit turbulento & iracundo. Quia eſt ſumma lætitia, non ſapit acidioſo & ſpiritui triſti. Quia eſt charitas conſummata, non ſapit invidioſo. Quia quoque eſt temperantia ſumma, non ſapit ingluviei dedito, cujus Deus venter eſt. Cui ergo ſapit Sanctiſſimum nomen JESU, ſi his omnibus non ſapiat? *Sapit*, ut ſubdit Sanctus Bernardinus, *animæ mundæ, animæ ſanctæ, animæ charitate fervidæ: quia talis cum Propheta Habacuc dicere poteſt, Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo.*

De Sanctiſſimo nomine JESU ſicut de manna Hebræorum loqui poſſumus: manna enim reſpectu impiorum ſuave non erat, & ideo illud faſtidiebant. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper iſto cibo leviſſimo. Num.* 21. 5. Reſpectu autem Juſtorum manna erat ſuaviſſimum: & ut in Libro Sapientiæ legitur, erat panis cæleſtis omnem habens

ſua-

Digitized by Google

ſuavitatem: *Omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Sap. 16. 20.* Mirabantur manna Judæi, dicentes: quid eſt hoc? ſed eſt etiam quod Sanctiſſimum nomen JESU mirc:nur, quia non ſecus ac manna, adorandum hoc nomen, non peccatoribus, ſed juſtis rſt ſuave. Cum voluptuoſi, ſuperbi, & alii peccatores illud pronuntiant, nauſeant ſuper illo, ſed homines juſti, qui Chriſtum amant, & qui ab eo accepta beneficia ſæpe recolunt, mirabilem ex ſacri illius nominis pronuntiatione, & meditatione conſolationem eiiciunt. Tanta extitit interior conſolatio Div. Pauli ſacrum illud nomen pronuntiantis, ut de eo dicat Div. Hieronymus, quod *ſuperflue & extraordinarie* illud pronuntiaverit. *Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Epheſ.* Dixit *ſuperflue & extraordinarie:* quia, ut advertit Genebrardus, Divus Paulus in ſuis Epiſtolis nomen JESU quingenties uſurpat, & millies forte illud quotidie proferebat. Divus Auguſtinus ſancti hujus nominis dulcedinem mirabatur, & ex ejus conſideratione totus rapiebatur, dicens: *O nomen dulce! nomen delectabile! nomen bonæ ſpei! Auguſtinus in Soliloq.* Sed o quanta erat conſolatio, & quaſi ebrietas ſpiritualis ſancti Bernardi ſanctiſſimum illud nomen contemplantis, & devote pronuntiantis! tanta quidem, ut non noſtris, ſed ejus ſolum verbis eam explicare valeamus: *Aridus, inquit, mihi eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur; inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Jeſum: ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus. Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Idem Bernardus illud vocabat *nomen dulce, nomen conſolationum.* Tandem in ſancta illius nominis pronuntiatione experiebatur ſuavitatem S. Franciſcus, ut eo prolato, labia lamberet. Illud D. Bonaventura mel effuſum vocabat: *Mel effuſum nomen tuum. S. Bonaventura ſer. 4. de Circumciſ.* Illud Melliſluum dicebat S. Laurentius Juſtinianus: *Melliſluum nomen Jeſu. Laurentius Juſtinianus ſerm. de Circum.* Miramini ſuavitatem, & dulcedinem ſanctiſſimi hujus nominis, quæ eſt *Dulcedo dulciſſima, per quam omnia amara dulcorantur*, ut ait ſanctus Auguſtinus. Sed illud nomen rſt etiam admirabile *ratione fructus & utilitatis, quam ex ejus frequenti & devota prolatione elicere poſſumus.*

Varias utilitates ex ſanctiſſimi hujus nominis pia prolatione, & invocatione manentes enumerat Div. Bernardus: *Nihil, inquit, ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ: ſiquidem cum nomine Jeſu, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, qui ſuo me exemplo ſanet, & roboret adjutorio. S. Bernardus ſer. 15. in Cant.* Doctor Angelicus paucis multos ex pia SS. hujus nominis prolatione venientes fructus complectitur: *illud nomen*, inquit, *peccatores juſtificat, juſtos lætificat, tentatos adjuvat, juſtis gratiam augmentat, & omnes qui ipſum invocant, ſalvat. S. Thomas ſerm. de Circum.* O mirabiles fructus! quorum præcipuus, & qui alios fere omnes includit, eſt quod ſalutem conferat: *Omnes qui ipſum invocat ſalvat.* Quod quam verum ſit conſtat ex D. Paulo, dicente: *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Rom. 10. 13.* Quod de ſceleratiſſimis quibuſque, etiam in ultimæ vitæ periculo verſantibus, intelligi debere aſſerit ſanctus Bernardinus: *Quicumque*, inquit, *ſceleſtiſſimus peccator debite invocaverit in ultimo vitæ nomen Jeſu, ſalvabitur. Sanctus Bernardinus tom. 2. ſerm. 41.*

Quis homo ſceleſtior Juda, qui Chriſtum tradidit? Nullus equidem; & tamen, ſi perfidus hic traditor Jeſum invocaſſet, ſalvus factus eſſet. Perpendite quomodo loquatur ingratus hic Apoſtolus, cum Magiſtrum ſuum vendidit: *Quid vultis mihi dare*, inquit, *& ego vobis eum tradam? Matth. 26. 15.* Judas non dixit: & ego vobis *Jeſum* tradam, ſed ego *vobis eum tradam:* ſi enim dixiſſet, *Jeſum*, & debite Sanctum hoc nomen invocaſſet, ſalvus factus eſſet: *Judas dixit eum, non Jeſum, quia ſacrum illud nomen oderat: & tamen ſi illud invocaſſet, non male periiſſet. Euthim. in hac verba.* Non ſalvatus fuiſſet Judas, ſi labiis dumtaxat ſacrum illud nomen pronuntiaſſet, ſed ſi illud debite invocaſſet: non enim dixit Divus Paulus: omnis qui ore pronuntiaverit; ſed, *omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit:* omnis quicumque invocaverit *per affectum, & debitum cultum*, ut exponit Doctor Aogelicus. Omnis quicumque invocaverit *ſicut invocari debet, ſcilicet corde, ore, opere, hic ſalvus erit*, ut explicat Haymo. *Haymo Epiſc. Halberſtadi.* O quam mirabiles ſunt fructus & utilitates, quas percipiunt qui ſanctiſſimum nomen Jeſu invocant!

Sed, heu! quam pauci illud modo debito invocant; illud blaſphemant multi, ſed illud pie & religioſe pauci invocant. Proh dolor! in nomine JESU omne genu flecti debet, *cæleſtium, terreſtrium, & infernorum 2. Ad Philipp. 2. 10.* & plurimi ſanctum illud nomen non pie invocant, & religioſe venerantur, ſed inaniter proferunt, & pie blaſphemant. S. Paulus in tertium cælum raptus, exclamavit, *Jeſu amor meus. S. Bernardinus Senenſis:* & ſubito omnes cives cæli genuflexerunt, adorantes Jeſum in nominatione illius; ſed in terra Santiſſimum illud nomen raro honoratur, & ſæpe blaſphematur. *Jugiter tota die nomen meum blaſphematur. Iſaiæ 52. 5.* Heu! quot contra Sanctiſſimum illud nomen blaſphemiæ in vicis, in plateis, in cauponis, & in foris quotidie proferuntur! O quot homines impii nomen tanta veneratione dignum, vel ex prava conſuetudine, vel ex malitia, paſſi n, & ubique blaſphemant! o quam magna eſt duritia & ingratitudo hominum ſic blaſphemantium! ſed, o quanta hebetudo & inertia parentum, & Magiſtratuum non corripientium filios, & ſubditos ſacrum illud nomen blaſphemantes! *Si quempiam in foro blaſphemantem audieris*, inquit Chryſoſtomus, *avide increpa: & ſi verbera infligere oportet, ne recuſes, ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Chryſoſtomus ad pop.* Non eſt blaſphemandum Sanctum illud nomen, ſed admirandum, ſed honorandum, & ferventer in omni loco, in omni tempore, & in omnibus actionibus eſt invocandum: *Jeſum voca, Jeſum invoca: Sanctus Bernardus.* Adhærendum eſt contra S. Lau-

rent-

Digitized by Google

rentii Juſtiniani, Sermone de Circumciſione dicentis: *Si tentaris a diabolo, ſi ab omnibus hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi blaſphemiæ ſeu deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Jeſu nomen edicito. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus; ubicumque extiteris, Salvatoris profer nomen, ex ore tantum, ſed etiam ex corde.* Ecce quæ de admirabili nomine Jeſu, quod hodie recipit Chriſtus, nobis dicenda erant; nunc *de pretioſo ſanguine, quem fundit, nobis inſtituendus eſt ſermo.*

SECUNDA PARS.

In Circumciſione Chriſtus fundit ſanguinem, eſt quod amemus.

SAnguinis guttæ, quas in Circumciſione fundit Chriſtus, ſunt quaſi rubentes gemmæ, & cæleſtes margaritæ, topaziis, chryſolitis, & ſmaragdis pretioſiores: *Omni pretio ſuperior eſt ſanguis Chriſti. S. Baſilius in Pſalm. 47.* Tanti erant pretii, ut unica gutta illius ſanguinis quem in circumciſione fudit, ad redimendum totum genus humanum fuiſſet ſufficiens: *Modica ſanguinis gutta, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis ſuffeciſſet. Clemens 6. Extravag. unigenitus de pœnis & remiſſ.* Pro redemptione unius animæ, terra, mare, totus denique mundus ſufficiens pretium non eſſet; at ſanguis Chriſti tanti eſt pretii & valoris, ut toti orbi redimendo unica gutta fuiſſet ſatis. Quare eſt quod amemus Chriſtum, qui in Circumciſione pretioſum hunc ſanguinem, 1. Fudit pro nobis. 2. Fudit prompte. 3. Fudit libere.

1. Laudandus apud pleraſque nationes mos inolevit, ut amici initio anni fauſta ſibi invicem deprecantes exordia, viciſſim ſibi munera impendant; Chriſtus autem urbanæ huic quaſi ſe coaptans conſuetudini, nobis ſummi pretii munus donavit, nempe pretioſum ſanguinem, quo hodie pro noſtra ſalute fudit. Hac die dedit illi Pater æternus ſanctiſſimum nomen Jeſu, quo nullum ſanctius, nullum nobilius, & nullum eminentius: *Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Ad Philipp. 2. 9.* Ille vero dedit nobis munus, quo nullum pretioſius, ſuum ſcilicet ſanguinem, quæ in Circumciſione pro noſtri amore, & pro noſtri ſalute profundere cœpit: *Dum circumciditur Puer*, inquit Auguſtinus, *cœpit operari ſalutem noſtram, immaculatum pro nobis ſanguinem fundens. Sanctus Auguſtinus ſerm. 11. de temp.* In hunc mundum venit Chriſtus, ut ſpirituali ſponſalitio noſtras ſibi animas copularet; ſed ſponſus fuit ſanguinum, qui tanto animarum noſtrarum arſit amore, ut proprium ſanguinem pro illarum ſalute in Circumciſione profundere incœperit: *Cœpit operari ſalutem noſtram, immaculatum pro nobis ſanguinem fundens.* Quare cum Chriſtus ita nos dilexerit, ut ſuum pro nobis ſanguinem fuderit, eſt certe quod eum diligamus.

De quibuſdam falſis diis in Libris Regum legitur, quod a ſuis cultoribus ſanguinem efflagitaverint, & exegerint: unde hi *incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. 3. Reg. 18. 28.* At Deus noſter, non ſicut dii eorum: ipſe noſtrum non jubet nos effundere ſanguinem; ſed tanto nos proſequitur amore, ut ſuum pro noſtra ſalute cultro Circumciſionis extrahi, & profundere velit: quare eſt quod eum amemus, quia ſuum pro nobis ſanguinem fudit. Sed eſt etiam quod eum amemus, quod *ſuum ſanguinem pro nobis fudit prompte.*

2. Conſueverunt Summi Pontifices & Reges in ſui Pontificatus & regni primordio aurea, vel argentea numiſmata projicere, & pretioſa multa dona in ſignum gaudii liberaliter largiri: Chriſtus ſimiliter, qui Summus erat Sacerdos, & Rex Regum, ut primum in hunc mundum ingreſſus eſt, aurum pretioſiſſimum nobis dedit, ſcilicet ſanguinem ſuum: *Bonum aurum ſanguinis Chriſtus dives ad pretium profluens ad lavandum omne peccatum. Sanctus Ambroſius in Pſalm. 35.* Amoris eſt cito benefacere amato, amor enim, ſicut & gratia, neſcit tarda molimina; ſed qui bene amat, cito dat. Hujus autem naturæ extitit amor Chriſti primitias ſui ſanguinis in Circumciſione fundentis: tanto etenim erga homines amore afficitur, ut octavo a ſua Nativitate die purpureum & divinum ſuum ſanguinem effundere incipiat. Videte, inquit Divus Bernardus, quanta celeritate pretioſum hoc ſui ſanguinis munus in infantili ætate nobis donavit: *Vide quam paratus & promptus ſanguinem effundere, circumciſus promptus octavo die. Sanctus Bernardus tract. de Paſſ. Dom. cap. 2.* Hoc quidem videndum, hoc ſerio ponderandum, ſed ex tanti beneficii conſideratione ad Chriſtum amandum moveri debemus, & induratum haud dubie cenſendum erit cor illius, qui non amabit Jeſum, qui ita nos dilexit, ut in primis vitæ ſuæ diebus feſtinanter pro nobis ſanguinem ſuum effuderit.

Cajus Caligola a ſubditis ſuis donativum poſtulavit, offerendum ſibi primo menſis Januarii die: quod ita liberaliter ſubditi præſtitere, ut facili negotio Rex ingentem pecuniam coacervarit. Quo ita hilaris factus eſt, ut jubilans & tripudians inter pecunias nudis pedibus inceſſerit. *Suetonius in Caligola cap. 42.* At longe alia extitit Regis noſtri recens nati indoles: ipſe enim non venit, ut noſtris nos ſpoliaret bonis, ſed nobis miſeris, nobis ingratis, nobis indignis, prima Januarii die, & in infantili ætate pretioſum ſuum nobis dat ſanguinem, ut nos divites, & regni cæleſtis hæredes efficiat: quare ardenter amandus eſt, quia ſanguinem ſuum tam prompte, & feſtinanter pro nobis effudit. At amandus eſt etiam Chriſtus, *quia in Circumciſione ſanguinem ſuum pro nobis effudit libere.*

3. Cum infantuli ægrotant, nonnumquam eorum nutricibus vena aperitur, & pharmaca propinantur, ut ſic lac reddatur purius, quod tanquam medelam morbi ſugentes pueri perfectam valetudinem conſequantur. Magna erat ægritudo noſtra, lethifera erat noſtra infirmitas; Chriſtus autem tanquam ſedula nutrix: *Quaſi nutricius Ephraim, Oſeæ 11. 3.* nos ubere lactavit, nos inter brachia portavit, & ad noſtram omnium ſalutem, ut Circumciſionis gladio ſibi educeretur ſanguis, ſe libere obtulit: non enim ex neceſſitate, ſed voluntarie, & libere hodie circumcidi, & pro nobis ſanguinem fundere

ſtit. In paſſione Chriſti ſanguinem ex præcepto ſibi impoſito effudit: *Sicut mandavit mihi Pater; ſic facio*; ſed in Circumciſione, ex mera liberalitate abſque ulla præcepti neceſſitate, voluntarie ſuum fudit ſanguinem. Unde licet maximus ſit amor Chriſti in cruce pro hominibus ſanguinem effundentis; major adhuc erga homines ejus in Circumciſione fuiſſe videtur amor: quia amor in opere meræ liberalitatis, quam in opere obligationis illuſtrior, & ardentior apparet. Quare cum Chriſtus ita nos dilexerit, ut pro nobis ſanguinem ſuum voluntarie, & libere effuderit, eſt certe quod illum ardentiſſime diligamus.

Populo Iſrael dicebat Deus, quod illum dilexerit; *Dilexi vos, dicit Dominus*; illi autem a Deo petebant, in quo eos dilexerat: *Et dixiſti: in quo dilexiſti nos? Malac.* 1. 2. In multis quidem eos Deus dilexerat, & maximo certe eos proſecutus erat amore, quia eos creaverat, a ſervitute Ægypti eos eduxerat, in populum ſuum eos elegerat, multiſque aliis eos beneficiis affecerat; ſed majora nobis Deus amoris ſui teſtimonia præbuit, quia aſſumpta humana carne, pro nobis a primis vitæ ſuæ diebus ſanguinem ſuum libere, & voluntarie fundere voluit. Quare illum ardenter diligere debemus qui tanto nos proſecutus eſt amore: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 1. Joann.* 4. 10. Diligamus eum, non verbis ſolum, ſed operibus, non ficte, ſed vere! *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. 1. Joann.* 3. 18.

Amoris figuram inter Mercurium eloquentiæ Deum, & Herculem fortiſſimum collocare ſoliti erant antiqui, ut oſtenderent, quod veri amatores, non ſolum eloquentiæ verbis, ſed etiam fortiſſimis & generoſiſſimis operibus ſuum teſtabantur amorem: quare non verbo ſolum, ſed etiam ſanctis operibus Deum diligamus; *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*. Omnia Sancto Auguſtino clamabant, ut Deum diligeret: *Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, undique mihi dicunt; ut amem te, Domine. Auguſtinus lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 10. Omnia pariter nobis clamant, ut Deum amemus: ſed nova hodie auditur vox, quæ nos ad eum diligendum invitat, vox ſcilicet ſanguinis, quem Chriſtus in Circumciſione fudit: quare eum diligamus, non verbo ſolum, *ſed opere & veritate*. Chriſtus pro nobis fundit ſanguinem: *eſt quod amemus*. Sed Chriſtus etiam in Circumciſione multos virtutum actus elicit, *eſt quod imitemur*.

TERTIA PARS.

In Circumciſione Chriſtus virtutes elicit, eſt quod imitemur.

EX Dei mandato in introitu Tabernaculi ſpeculum, & aquam poſuit Moyſes, ut antequam ingrederentur Sacerdotes, maculas vultus adnotarent in ſpeculo, eaſque aqua lavarent. *Exod.* 38. Sic Sancta Eccleſia divinitus edocta, prima anni die, quæ eſt quaſi totius anni introitus, aquam nobis proponit & ſpeculum; aquam vocabo pretioſum Chriſti Sanguinem, quem non ſecus ac aquam libere effudit: *Sicut aqua effuſus ſum: Pſalm.* 21. 15. & ſpeculum dicam ſplendidas ejus virtutes, quas contemplari & imitari debemus, & præcipue ejus obedientiam, humilitatem, & patientiam. 1. *Ejus obedientiam*, qua nulla eſt perfectior. 2. *Ejus humilitatem*, qua nulla eſt profundior. 3. *Ejus patientiam*, qua nulla eſt fortior.

1. *Nihil perfectius, nil ſalubrius, nil utilius, nil laudabilibus, nil ſecurius, nil quietius pro bona conſcientia, & pace cordis habenda, quam omni hora, ſine contradictione, ſine mora, ſine fictione, ſine verſione, prompte & libenter obedire; Thomas a Kempis ſerm.* 18. *ad nov.* hanc autem promptam & voluntariam obedientiam nos docet Chriſtus, cum prompte & voluntarie legi Circumciſionis ſe ſubjicit: Chriſtus enim, ut Deus, eſſentialiter erat ab omni alio independens, ac proinde obedire non poterat: quare factus eſt homo, ut obedire poſſet. Licet autem, ut homo, obedire poſſet, non tamen obedire tenebatur Circumciſionis præcepto: quia cum de ſe ſit, cum peccatum originale non contraxiſſe, non ligabatur præcepto Circumciſionis, quæ ad tale peccatum delendum erat inſtituta; nihilominus præceptum illud tempore a Lege præſcripto obſervare voluit, ut ſuo nos exemplo Dei & Eccleſiæ mandatis obedire doceret; voluit Chriſtus circumcidi, inquit Doctor Angelicus, *ut obediendi virtutem nobis ſuo commendaret exemplo: unde & octava die circumciſus eſt, ſicut in Lege erat præceptum*.

Miratur D. Bernardus, quod Chriſtus circumcidi voluerit: unde in Sermone de Circumciſione ſic Chriſtum interrogat: *Ad quod tibi Domine Jeſu Circumciſio, qui nec peccatum feciſti, nec contraxiſti? quod non feceris, ætas manifeſtat; quod non contraxeris, multo certius probat Patris divinitas, & Matris integritas*. Huic interrogationi reſpondet Divus Thomas, dicendo, Chriſtum ſeveræ Circumciſionis legi voluiſſe ſubmitti, ut Dei, & Eccleſiæ mandatis nos obtemperare doceret: *Chriſtus*, inquit, *Circumciſionem ſuſcepit eo tempore, quo erat ſub præcepto, & ideo ſua actio in hoc eſt nobis imitanda, ut obſervemus ea quæ ſunt noſtro tempore in præcepto*: quare ſi tanta eſt Chriſti obedientia, ut prompte, & voluntarie obtemperaret præcepto, ad quod obſervandum non tenebatur, ejus exemplo ſaltem moveamur ad Dei & Eccleſiæ præceptis obtemperandum. *Sed debemus etiam ejus humilitatem imitari*.

2. Quamvis ſemper, & ubique humillimus extiterit Chriſtus, nunquam tamen ſe tam alibi, quam in circumciſione demiſit: quia non in circumciſione, ſed in aliis omnibus myſteriis inter humiliationes aliquid gloriæ, & majeſtatis ejus eluxit. Profundam ſuam humilitatem in ſtabulo naſcens, & in præſepio recumbens manifeſtat Chriſtus, verumtamen illic eum Angeli ut Deum agnoſcunt, & Reges Magi eum procidentes adorant. Chriſtus præſentatur in Templo ut vilis pauperculus; ſed tunc Anna, & Simeon palam ejus magnalia enarrant. Plurimum Chriſtus ſuam deprimit majeſtatem; & oſtentat humilitatem, cum in Jordane aqua baptiſmali ablui, & Joanni, ut Baptiſmatis Miniſtro, ſubjici voluit; ſed tunc apparuit Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, ut columbinæ ejus innocentiæ teſtimonium perhiberet, & audita eſt vox Patris æterni ajentis: *Hic eſt Filius meus dilectus. Matthæi* 3. 17.

Chri-

Chriſti in deſerto Satanæ tentationibus ſe permittentis, non parva fuit humilitas; veruntamen miſſi ſunt de cælo Angeli, qui ei miniſtrarent: *Et Angeli miniſtrabant illi. Marc.* 1. 13. Quam maxime ſe demiſit Chriſtus, cum a Judæis ſe tanquam reum capi permiſit; illic tamen ſuam patefacit omnipotentiam, & ſatellites unico verbo humi proſternens, & abſciſſam a Petro Malchi auriculam mirabiliter reſtituens. Chriſtus tandem ſuæ humilitatis portentoſum præbuit documentum, cum inter duos latrones cruci affigi paſſus eſt; illic tamen eum eſſe omnium creatorem teſtantur ſol, qui obſcuratur, aer qui tenebreſcit, terra quæ contremiſcit, velum Templi quod ſcinditur, ſepulchra quæ panduntur, ſaxa quæ rumpuntur, & homines qui clamant: *Vere hic homo Filius Dei erat. Marci* 15. 39. Unde ſola ſupereſt circumciſio, in qua nil niſi humilitas apparet abſque ulla gloriæ, & majeſtatis Chriſti mixtura: tunc enim non obſcuratur ſol, terra non concutitur, Reges non adorant, nec aliquod videtur ſignum, quo Chriſti majeſtas manifeſtetur; tunc totaliter deſpicitur: *Repuliſti, & deſpexiſti Chriſtum tuum. Pſalm.* 88. 39. O profundiſſimam Chriſti humilitatem! quæ quidem in hoc potiſſimum eluceſcit, quod in circumciſione formam peccatoris præferre voluerit: *In Circumciſione, non ſolum habes formam hominis, ſed formam peccatoris. Divus Bernardus ſerm. de Circumciſ.*

Chriſtus, qui, ut Verbum, ab æterno Deus erat, in Incarnatione ſe maxime humiliavit, cum ſe hominem fecit; ſed major adhuc ejus in circumciſione extitit humilitas: quia tunc prætulit *formam peccatoris.* Inſtituta enim erat circumciſio, ut eſſet remedium contra peccatum originale: quare cum Chriſtus circumciſus eſt, homo peccator viſus, & æſtimatus eſt: *In die Nativitatis, cum eſſet Deus, apparuit inter homines factus; in die Circumciſionis homo peccator apparuit, cauterio peccatoris aduſtus. Sanctus Thomas a Villanova ſerm. de Purif.* O mirabilem Chriſti humilitatem! quam adhuc exaggerat Sanctus Bernardus, dicens, quod latronis ſtigmate notatus & aduſtus fuerit: *Inſignitur quodam cauterio latronis. Sanctus Bernardus ſerm. 3. de Circumciſ.* Quaſi latro fuerat Adamus, qui fructum a Deo ipſi prohibitum furatus erat: quare inſtituta eſt circumciſio, quæ erat quaſi cauterium, quo notabantur hujus latronis filii, qui peccatum originale contraxerant; probroſo autem hoc charactere inſigniri voluit Chriſtus, non ſecus ac ſi fuiſſet latro, & homo peccator. O pereximiam Chriſti humilitatem! quam quidem imitari debemus: quia *deſpectus apparuit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus. Sanctus Gregorius l. 34. Moral. cap.* 21. Chriſtus in circumciſione non loquitur, ſed ejus humilitas loquitur; non verbis, ſed factis dicit nobis, ut humilitatem ſectemur: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: Matthæi* 11. Quare cum tanta ſit ejus humilitas, ut peccator videri, & cenſeri velit, ſuperbiam deteſtemur, & humilitati acquirendæ inſiſtamus; *ſed eſt etiam quod ejus patientiam imitemur.*

3. Maxima fuit Chriſti in cruce pendentis patientia; tunc enim vere vir dolorum extitit, & virtute patientiæ ſaginatus eſt. Sed quod mirum eſt, ab ipſis incunabulis hæc eadem virtus in Chriſto enituit: & quaſi parum eſſet intra dura præſepis, frigoris, & alia multa incommoda pati; ut graviora pateretur, circumcidi voluit, & ut adhuc excellentius patientiæ nobis præberet exemplum, non ferreo, ſed petrino gladio feriri eligit: licet enim, ut docet D. Angelicus, circumciſio neceſſario fieri non deberet cum cultellis petrinis: Chriſtus tamen *non repuliſ cultrum lapideum, D. Thom. 3. part. quæſt. 70. art* 3. inquit D. Bernardus; & ut ait D. Auguſtinus; *petra erat Chriſtus, unde Circumciſionis cultellus petrinus fuit. S. Bernardus ſerm. 1. de Circumciſ.* O quantus fuit dolor Chriſti puerули, cum tam diro gladio circumciſus eſt! ſed o quanta ejus fuit patientia!

Patientia, ut ait Joannes Gerſon, *eſt voluntaria portatio, vel ſufferentia cujuſque adverſitatis: Joann. Gerſon. part. 4. ſerm. 3. pro Defunct.* unde licet alii pueri in circumciſione paterentur; non tamen iis patientiæ virtus inerat: quia cum rationis uſu carerent, non voluntarie, & libere, ſed veluti pecudes ſtolidæ, dolores tolerabant. Chriſti autem patientia fuit maxima: quia licet circumciſionis præcepto non ligaretur, voluntarie, & libere huic ſe ſubdidit, voluntarie dolores a cultro petrino cauſatos acceptavit, immo & graviores perferre optavit. *Ille patiens eſt*, inquit Albertus Magnus, *qui non ſolum moleſtias illatas patienter tolerat, ſed etiam inferendas deſiderat. Albertus Magnus de Paradiſ. an. p. 1. c. 4.* Talis autem extitit Chriſti in circumciſione patientia: quia dum circumciſionis dolores pateretur, ad crucis paſſiones reſpiciebat, eas ambiebat, totoque corde deſiderabat. Unde aliquas pretioſi ſui ſanguinis guttas in circumciſione dedit, quaſi arrham hujus quem abunde fuſurus erat in cruce, & quaſi hominibus diceret: Nunc aliquas pretioſi mei ſanguinis guttas libens effundo, ut ſciatis, quod totum ſanguinem in cruce pro veſtra ſalute profundere peroptem.

O mirabilem Chriſti patientiam! quam quidem imitari deberemus: Chriſtus enim paſſus eſt, ut nos ad patientiæ, & tribulationum amorem alliceret: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. Pet.* 2. 21. Sed, heu plerique jejunare, vigilare, & alia quævis pro Chriſto pati refugiunt. Multi, & fere omnes voluptatibus corporis indulgent: pauciſſimi vero Chriſtum humiliatum, & pro nobis gravia patientem imitari volunt. At ſciant omnes, quod ſi paſſionum Chriſti participes non fuerint, gloriæ etiam ejus participes non erunt: *Scientes, quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. 2. Cor.* 1. 7. Quare cum D. Hieronymo dicite: *Quid mihi & voluptati, quæ brevi periturа, nolo illi ſubjacere? Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtochium.* Ne ſubjaceatis voluptatibus, quibus diabolus capit animas: *Otioſitas, & voluptas ſunt arma hoſtis antiqui, ad miſeras animas captivandas. S. Antoninus part. 1. tit. 9. c.* 14. Ne ſubjaceatis voluptatibus corporis, quæ ſunt omnium malorum cauſa: *Malorum metropolis eſt voluptas. Dam Scenius l. 3. parallel. c.* 28. Ne ſubjaceatis voluptatibus, quæ mortem animæ inferunt: *Mortis fabricatrix eſt voluptas. Firm. lib. 1. de div. inſt.* Ne ſubjaceatis tandem voluptatibus carnis, quæ ad tartara ducunt:

Digitized by Google

omni: *Voluptas gehennæ via eſt*; *Sanctus Baſil. Seleuc. Orat.* 27. ſed ablegatis omnibus illicitis voluptatibus, Chriſti patientiam, & alias virtutes imitamini, ut æternas Paradiſi voluptates aliquando obtineatis. *Amen*.

DE CIRCUMCISIONE CHRISTI.

CONCIO SECUNDA.

Poſtquam impleti ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS.
Luc. 2.

QUamvis Circumciſionis legi nullo pacto ſubderetur Chriſtus, corporaliter tamen circumcidi voluit, ut nos de ſpirituali Circumciſione facienda moneret. Circumciſionem legalem, & materialem ipſe ſuſcepit, & abrogavit; ſed ſpiritualem a nobis exigit, ejuſque faciendæ nobis onus impoſuit: *Nos circumcidi neceſſe eſt, non litera, ſed ſpiritu. S. Bern. ſerm. 1. de Circumc.* Verum eſt, quod cultro petrino jam circumcidi non debet Chriſtianus; ſpirituali tamen gladio, quidquid in ſemetipſo ſceleroſum & impurum repererit, generoſe reſecet, & abſcindat neceſſe eſt. Unde ſi de emendis gladiis Diſcipulos ſuos Chriſtus monuerit: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium: Lucæ* 22. 36. ita & a quolibet Chriſtiano emendus, & ſumendus eſt gladius, ut veterem in ſeipſo juguler hominem, & ut *Circumciſione non manu facta, Ad Coloſſ.* 2. 11. & totaliter ſpirituali, ſemetipſum circumcidere valeat. De Circumciſione hac ſpirituali jam nobis eſt diſſerendum, &c. *Ave.*

TRia in homine diſtinguit D. Paulus, animam ſcilicet, ſpiritum, & corpus, *Ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela*; 1. *Theſſ.* 5. 23. Ipſe *per animam* intelligit animæ ſubſtantiam, quæ eſſentialiter ſpiritualis eſt. *Per ſpiritum* intelligit etiam ipſam animam, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum cogitationes, & affectus ſuos, quam ſub hoc reſpectu vocare ſolemus cor hominis: Et tandem *per corpus* intelligit illam hominis partem materialem, quæ ſimul cum anima ipſi unita, totum hominem componit. Nos autem & anima, & corde, & corpore ſanctos eſſe deſiderat D. Paulus, dicens: *Deus pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* Sed totalis hæc animæ, cordis & corporis ſanctificatio ſine ſpirituali Circumciſione fieri non poteſt: in anima enim reſident peccata, in corde naſcuntur affectus ad peccatum, & in corpore motus inordinati ad peccatum allicientes inſurgunt: quare, ut ſancti ſimus, Circumciſio ſpiritualis in anima, in corde, & in corpore fieri debet; ab anima abſcindi debent omnia peccata; a corde abjici debent affectus ad peccatum; & a corpore ablegandi ſunt motus inordinati, qui ad peccatum trahunt. Circumciſio illa animæ fit gladio pœnitentiæ; Circumciſio cordis fit gladio meditationis; & Circumciſio corporis fit gladio mortificationis. Unde, ut totaliter ſit Circumciſio ſpiritualis, abſcindi debent omnia peccata, omnes affectus ad peccatum, & omnes motus inordinati carnis noſtræ trahentes ad peccatum. 1. Abſcindenda ſunt omnia peccata; *ecce Circumciſionem animæ*. 2. Abſcindendi ſunt affectus ad peccatum: *ecce Circumciſionem cordis*. 3. Abſcindendi ſunt motus inordinati carnis noſtræ, *ecce Circumciſionem corporis*. Prima Circumciſio fit *gladio pœnitentiæ*. Secunda fit *gladio meditationis*. Tertia fit *gladio mortificationis*. En tres hujus orationis partes.

PRIMA PARS.

Abſcindenda ſunt omnia peccata, gladio pœnitentiæ.

TRiplex in Lege nova eſt Circumciſio ſpiritualis, inquit Hugo Cardinalis, alia ſcilicet pœnitentiæ, alia Religioſorum, & alia Martyrum. *Hugo Card. in c. 2. Lucæ. Pœnitentes* ſe ab omnibus peccatis, & circumſtantiis peccatorum circumcidunt. *Religioſi* propter Chriſtum, non ſolum peccata, verum & ſuperflua a ſe abjiciunt, dum temporalibus cunctis valedicunt, nihil proprium retinentes & dicentes cum D. Paulo: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* 2. *Timoth.* 6. 8. Tandem *Martyres* non ſolum peccata, & ſuperflua, ſed etiam neceſſaria a ſe amputant, dum corpora ſua propter Chriſtum morti exponunt. Quam Circumciſionem optabat D. Paulus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom.* 7. 24.

Ad triplicem hanc Circumciſionem faciendam non adſtringuntur omnes Chriſtiani, ſed ſi ſuperflua, & neceſſaria cum Religioſis & Martyribus non relinquant, ſaltem cum pœnitentibus a ſe omnia peccata eliminare debent. *Circumciſio Chriſtiana*, inquit S. Hilarius, *eſt totos nos emori peccato*. Et, ut ait Origenes, (*manus* circumcidendæ ſunt a rapinis, & ad ſola Dei opera pandendæ. *Pedes* circumcidendi ſunt, ne veloces ſint ad effundendum ſanguinem, & ne intreut in concilium malignantium; ſed ut tantum pro mandatis Dei circumeant. *Oculi* circumcidendi, ne concupiſcant aliena, ut videant mulierem ad concupiſcendum. *Guſtus* circumcidendus, ut ſive comedat, ſive bibat, ad gloriam Dei, ut ait Apoſtolus, manducet, & bibat. *Odor* circumcidendus eſt, ut Chriſti bonus odor ſimus, & in operibus miſericordiæ odorem ſuavitatis quæramus. *Origen. hom. 3. ſuper Gen.*) Omnia tandem peccata, ſive ex guſtu, ſive ex viſu, ſive aliunde procedunt, ſunt penitus reſcindenda: *Circumciſio Chriſtiana eſt nos totos emori peccato*.

Omnia peccata ſiunt aut cogitatione, aut verbo, aut opere: *Peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere*. Circumciſio autem ſpiritualis omnia, ſive cordis, ſive oris, ſive operis peccata abigit; hæc ſunt præputia impura quæ circumcidit: *Circumciſio ſpiritualis*, inquit Macharius Abbas, *amputat impurum præputium peccati. Macharius hom.* 45. Ex corde prodeunt cogitationes pravæ, & deſideria illicita, quæ ſollicite auferenda ſunt. *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Iſaiæ* 1. 16. Ex ore procedunt ſcurrilitates, maledicta, menda-

cia, blaſphemiæ, perjuria, & alia multa verba illicita, quæ, ut ait Apoſtolus, ab oribus noſtris ſunt removenda: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat. Epheſ. 4. 29.* Manibus fiunt tactua impudici, furta, rapinæ, cædes, & alia multa opera mala, quæ etiam tollenda ſunt; omnia tandem peccata tamquam præputia impura, ſunt circumcidenda, & ut ait Doctor Seraphicus, ea circumcidenda ſunt gladio pœnitentiæ: *Circumciſio ſpiritualis fit a præputio nequitiæ, inſtrumento pœnitentiæ. S. Bonav. ſer. de Circumc.*

Angelus Domini occidere voluit Moyſen, cujus incircumciſus erat filius: *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Exod. 4. 24.* Sephora autem Moyſis mulier acutiſſimam ſumens petram circumcidit filium ſuum. Filius incircumciſus, ut explicat Doctor Seraphicus, eſt malus Chriſtianus; petra vero gravem, & duram pœnitentiam ſignificat; hæc *acuta* eſt per contritionem; *acutior*, ſi addas confeſſionem; *acutiſſima*, ſi adjungas ſatisfactionem. Vis circumcidi ſpiritualiter? tolle omnia peccata tua, eaque petrino, & duro pœnitentiæ gladio circumcide. *Circumciſio ſpiritualis fit a præputio nequitiæ, inſtrumento pœnitentiæ. Ubi ſup.*

Ita neceſſarium eſt, ut peccator ſuæ pœnitentiæ gladio circumcidat peccata; quod ſi ea non circumciderit, graviſſima, & acutiſſima Dei ſententia ſit feriendus: *Si pœnitentia acuta non te circumciderit, ſententia acuta circumciderit.* In die judicii de ore Dei acutiſſimus egredietur gladius: *De ore ejus gladius utraque parte acutus*; hic gladius acutus, qui ex ore Dei prodibit, eſt terribilis ſententia, quam adverſus incircumciſos peccatores feret, dicens: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* O terribilem ſententiam! o gladium acutiſſimum! Vis, o peccator, ita formidanda hac declinare ſententia? vis acutiſſimi hujus gladii lethales ictus devitare? Circumcide impura peccatorum tuorum præputia: *Si pœnitentia acuta non te circumciderit, ſententia acuta circumciderit. S. Bonav. ubi ſup. Apocal. 1. 16.*

Omnia peccata venialia ſunt quidem circumcidenda, tum quia diſponunt ad mortale, tum quia Deo injuriam inferunt, tum quia devotionis fervorem minuunt; ſed pœnitentiæ gladio ſunt præſertim reſcindenda omnia mortalia: qui enim ea non circumciderit, in die judicii duram Dei ſententiam ſubibit, & in ignem inferni æternum cruciandus projicietur. *Viſitabo*, inquit Deus, *ſuper omnem qui incircumciſum habet præputium. Jerem. 9. 2.* Viſitabit Deus omnes peccatores, qui per pœnitentiam impura peccatorum ſuorum præputia non circumciderint; viſitabit eos, ut peccata eorum examinet, ponderet, & ſevere puniat. O avare, qui vi, & fraude aliena rapuiſti! O luxurioſe, qui venereis, & illicitis voluptatibus tuam toties carnem fœdaſti! O hypocrita, qui ſub Angelici vultus ſpecie diabolicam tegis animam! O vos omnes, qui veſtra per pœnitentiam peccata delere non curaſtis! viſitatoris munere reſpectu veſtri aliquando fungetur Deus; *Viſitabo ſuper omnem, qui incircumciſum habet præputium; Ubi ſup.* viſitabit vos Deus, & ut ait D. Bonaventura, ad æterna vos ignis tartarei ſupplicia damnabit: *In viſitatione incircumciſorum iſtorum injunget pœnitentiam, non panis & aquæ, ſed ignis æterni.*

O peccator, cum, ut pro commiſſis peccatis Deo ſatisfacias, te ſapiens jejunare jubet Confeſſarius, turbaris; cum tibi aliqua in pane, & aqua facienda imponit jejunia, ingemiſcis, & illum, plus quam par eſt, ſeverum eſſe arbitraris; ſed ſi tua per pœnitentiam non deleveris crimina, ſe adverſum te duriorem exhibebit Deus; nam in die judicii non ad ſemel, aut bis in pane & aqua jejunandum, ſed ad æterna tartari ſupplicia te condemnabit: *Injunget pœnitentiam, non panis & aquæ, ſed ignis æterni.* Quare, o peccatores, omnia peccata mortalia per pœnitentiam abſcindite. Peccaſtis? pœnitentiam agite; peccaſtis? duræ pœnitentiæ gladio omnia veſtra ſcelera enecate: peccaſtis? omnes iniquitates veſtras acuto contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis cultro circumcidite, ut formidandam ignis æterni pœnitentiam vitare valeatis. Ecce Circumciſionem animæ: *nunc de Circumciſione cordis verba faciamus.*

SECUNDA PARS.

Abſcindendi ſunt affectus ad peccatum, gladio meditationis.

AB onere Circumciſionis Judaicæ ſumus liberi; ſed ad ſpiritualem cordis Circumciſionem faciendam adſtringimur: ut enim ait S. Cyprianus: *Nec jam truncationem præputii Evangelium imperavit, ſed Circumciſionem cordis. S. Cyp. ſerm. de Circumc.* Non ſolum ab anima tollenda ſunt omnia peccata, ſed a corde etiam omnes affectus ad peccatum ſunt removendi: hæc ſunt præputia impura, quæ circumcidere debemus: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, Jer. 4. 4.* inquit Spiritus Sanctus; & hæc Circumciſio, ſi credamus Euſebio Emiſſeno, ita eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſalvari nequeat qui pravos quoſque ad gravia peccata affectus e corde ſuo non abſtulerit: *Quicumque in corde circumciſus non fuerit, ſalvari non poterit. Serm. in die Circumc.*

Cum Chriſtus circumciſus, nomen Salvatoris accepit: *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Simili modo, ut quis ſalvari valeat, & ut nomen ſalutis accipiat, circumcidi debet ſpiritualiter, ita quod e corde ſuo omnes affectus ad peccatum tollat: *Nos circumcidi neceſſe eſt, & ſic nomen ſalutis accipere. S. Bern. ſer. 1. de Circ.* Sicut enim ante Circumciſionem nomine carebant pueri Hebræorum; ita & nomine ſalutis carent qui ſpirituali Circumciſione omnia e cordibus ſuis vitia, omneſque ad pravos ad peccatum affectus non ſuſtulerint: *Quicumque in corde circumciſus non fuerit, ſalvari non poterit.*

Sedulos nonnumquam, & ingenioſos reperire eſt viridariorum, & hortorum cultores, qui in myrto, hyſſopo, vel aliis herbis nomina *Jeſus*, vel *Mariæ* figurant; ſed ut hi characteres, & hæc nomina non deleantur, herbiſque creſcentibus non obruantur, eas frequenter avellere, & amputare ſolent. Sic etiam Deus animam corpori noſtro tanquam moderatricem, & horti cultricem infudit; ut quemadmodum Adam olim Paradiſum, ſic etiam ipſa ſilveſcentem

tem

Digitized by Google

tem cordis noſtri terram colat, & expurget, ſpinaſque ac tribulos vitiorum in eo exſurgentium evellat. In cordibus autem noſtris nomen ſalutis inſculpſit, & exaravit Spiritus Sanctus, cum baptizati ſumus: quare ut hoc non deleatur nomen, & ut ſalvari queamus, naſcentes vitiorum vepres, & exſurgentes pravos quoſcumque ad peccatum affectus tollere, & circumcidere debemus. *Quicumque in corde circumciſus non fueris, ſalvari non poteris.*

Momentanea eſt vita noſtra in hoc mundo, & e contra æterna eſt vita Beatorum in cælo: *Juſti autem in perpetuum vivent.* Æternam hanc Juſtorum vitam omnes ambiunt, eam aſſequi cupiunt omnes, omneſque ſalvari, ſaltem inefficaciter optant; ſed nullus incircumciſus ſalvabitur, nulluſque vitam æternam conſequetur, niſi prius e corde ſuo pravos ad gravia peccata affectus avulſerit: ut enim loquitur Spiritus Sanctus, corda noſtra circumcidenda ſunt, ut poſſimus vivere in æternum: *Circumcidet Dominus cor tuum, ut poſſis vivere; Deut. 30. 6.* noſtra non vult Deus nos circumcidere corda, ad hoc ut poſſimus in hoc mundo vivere; ſed ut explicat S. Bonaventura, ad hoc ut in terra viventium, ſeu in cælo, in æternum vivere valeamus: *Ut poſſis vivere, utique ſpiritualiter, & æternaliter: vivere enim in terra viventium conſequeris per Circumciſionis beneficium. Ubi ſup.*

Et ratio eſt, quia ejuſdem naturæ, ejuſdemque ſunt malitiæ actus externus, & affectus ad talem actum: ſi peccat quis mortaliter occidendo hominem, peccat etiam ſimiliter qui habet affectum, & voluntatem occidendi hominem, licet revera illum non occidat: ſi peccat mortaliter, qui adulterium committit, peccat etiam mortaliter qui affectum, & voluntatem habet adulterium committendi. Unde, ſicut non ſalvabitur qui externa omnia peccata mortalia non circumcidet; ita etiam non ſalvabitur qui omnem affectum erga peccatum mortale non circumcidet. Deſine ergo, o peccator, concupiſcere alterius uxorem; circumcide, & abſcinde e corde tuo affectum ad uſuras, ad rapinas, ad adulteria, ad ſacrilegia, & ad omne opus malum: *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas; Iſa. 55. 7.* peccator non ſolum ab omni peccato, & a via iniquitatis declinare, ſed omnes etiam cogitationes, & affectus ad peccatum abſcindere debet. Neceſſe eſt, ut relinquat vir nobilis affectum ad immodicas expenſas, mercator affectum ad injuſta lucra, Judex iniquus affectum ad propagandas lites, uſurarius affectum ad aliorum domos per lucra uſuraria evertendas. Circumcidere quiſque cor ſuum, & ab eo omnes affectus pravos auferre debet. Hæc autem Circumciſio facienda eſt *gladio meditationis:* meditare Chriſtum, meditare Paradiſum; meditare infernum, & e corde tuo omnem pravum & inordinatum affectum facile eliminabis.

Circumciſio ſpiritualis eſt facienda cultro petrino, id eſt Chriſto, de quo D. Paulus ait, quod *petra erat Chriſtus; 1. Cor. 10.* meditatio ergo Chriſti circumciſi, Chriſti crucifixi, Chriſti pauperis, & Chriſti humilis eſt petrinus culter, quo illiciti omnes voluptatum, divitiarum, & honorum affectus circumcidendi ſunt. Quis enim Chriſtum nudum contemplans, divitias ambiat? quis Chriſtum opprobriis ſaturatum conſiderans, tranſitorios mundi honores ſitiat? quis Chriſtum flagellatum, ſpinis coronatum, & crucifixum mente revolvens, prohibitis voluptatibus frui quærat? Nullus equidem: quare ſume gladium meditationis, ſanctas Chriſti actiones meditare, ut ſceleroſos quoſque affectus e corde tuo reſecare valeas. Quod ſi gladius hic non ſufficit, meditare Paradiſi delicias, & inferni meditare ſupplicia.

Mirabilem Circumciſionem docuit Chriſtus, dicens: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. 18.* O admirabilem, & maxime ſalutarem Circumciſionem, qua docet nos ut ſocios, cognatos, amicos & alia quæcumque, etiam ipſis oculis chariora, ſi mores corrumpant, penitus abſcindamus, & fugiamus, hæc autem cultro meditationis Paradiſi, & inferni ſunt abſcindenda; hic eſt culter quem Chriſtus exhibet: *Bonum tibi eſt*, inquit, *ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum, bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Ubi ſup.* O peccator, eumdem ſume cultrum, ut pravos affectus e corde tuo avellas; cogita Paradiſi gloriam, & inferni pœnam; mente revolve quanta ſunt Paradiſi gaudia, quibus privaberis in æternum, ſi iniquos cordis tui affectus non abſcindas; ſed in primis tartareas flammas in mentem revoca, in quas, niſi te ſic circumcidas, præcipitaberis, dolore cruciandus ſempiterno. Hæc cogita, hæc ſerio meditare, & dic in temetipſo: melius eſt pravos cordis mei affectus abſcindere, quam Paradiſi gloria privari, & mitti in gehennam ignis. Ecce Circumciſionem cordis; aliquid brevi dicamus *de Circumciſione corporis per mortificationem facienda.*

TERTIA PARS.

Circumcidendi ſunt motus inordinati carnis noſtra gladio mortificationis.

QUando circumcidit ſeipſum Abraham, circumcidit etiam Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos ſuos, omneſque ſervos ſuos empticios. *Gen. 17.* Sic quilibet homo, qui vult ſpiritualiter circumcidi, non ſua ſolum debet circumcidere peccata, nec pravos etiam ſolum circumcidere debet voluntatis ſuæ affectus, qui ſunt quaſi filii, qui a voluntate libera naſcuntur; ſed inordinatos inſuper circumcidere debet corporis ſui motus, qui ſunt quaſi vernaculi & ſervi, quia caro, & ſenſualitas rationi ancillari debent. Et hanc corporis Circumciſionem neceſſariam eſſe docet D. Bernardus: *Nos*, inquit, *circumcidi neceſſe eſt, non littera, ſed ſpiritu, non uno membro, ſed toto corpore ſimul. Ser. 1. de Circumc.* Protoparentis noſtri peccatum non unicæ corporis noſtri parti, ſed toto corpori ſuum communicavit venenum: *Univerſam*, inquit S. Bernardus, *occupat carnem; a planta pedis uſque ad verticem, non eſt in nobis ſanitas, nec eſt aliqua pars, quæ non tabida ſit hoc veneno:* quare cum in totum corpus noſtrum illapſa ſit Adamitici ſceleris ma-

malignitas, totum etiam corpus circumcidendum eſt, circumcidenda ſunt oculi, lingua, manus, & omnia corporis membra; ſed potiſſimum circumcidendi ſunt motus inordinati, quibus caro militat adverſus animam, & concupiſcit adverſus ſpiritum; hi comprimendi, & quantum fas erit, hi *mortificationis gladio* ſunt abſcindendi.

Verum eſt, quod quamdiu in hoc mundo vivimus, hi motus ſenſuales tolli totaliter nequeant: *Motus illicitus carnis (quamdiu ipſa caro eſt) tolli non poteſt.* Inquit *S. Greg. l. 1. in Reg. c. 1.* quilibet tamen contra inordinatos illos motus pugnare, illoſque gladio mortificationis conterere, domare, & pro viribus reſecare debet: *Conculca beſtiales tuos motus*, ait S. Bernardus, *quia domari debent, ne dominari prævaleant: niſi conculcati fuerint, conculcabunt te, niſi premantur, oppriment te. Serm. 4. Aſcenſ.* Per Baptiſmum tollitur quidem peccatum originale in ſe; ſed non tollitur concupiſcentia carnis, quæ ab hoc peccato ducit originem; non tolluntur interni carnis noſtræ motus, qui a virtute avertunt, & ad vitia trahunt. Cum autem advertit veterator ſatanas, hominem tales motus per ſeveræ mortificationis exercitium non comprimere, ipſe illos magis movet, & excitat intra nos: *Fomites movet, laqueos parat, S. Ambr. l. 10. offic. c. 14.* ad hoc, ut ad peccandum nos alliciat: quare, ut de dæmone triumphemus, continua corporis mortificatione hi motus conculcandi, & comprimendi ſunt: *Conculca beſtiales tuos motus.* Intra hominem alii ſunt motus rationis, & alii ſunt motus ſenſualitatis: cum enim in homine ſint appetitus rationalis, & appetitus ſenſitivus, uterque hic appetitus ſuos habet motus; ut autem homo recte ordinetur, appetitus rationalis Deo, & appetitus ſenſitivus rationi ſubdi debet: *Cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus eſt. S. Aug. l. 1. de l. arbit. c. 8.* Sed ut ratio his corporis motibus dominetur, per gravem, & prudentem carnis mortificationem circumcidendi, & domandi ſunt: *Domari debent, ne dominari prævaleant.* Quare gladium mortificationis quiſque ſumat, ut hujuſmodi motus comprimat: *mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Coloſſ. 3. 5.*

Carnis mortificationem multæ nobis ſuadent rationes: mortificanda eſt, inquit S. Thomas a Kempis, quia *quanto caro plus premitur, tanto ſpiritus plus elevatur. Thom. a Kemp. de diſcip. Clauſt. c. 12.* Mortificanda eſt, quia, ut ait S. Nilus, *ſicut hoſtis ſublatus terrorem amplius non affert, corpus mortificatum animam non perturbat. S. Nilus orat. de gula.* Mortificanda eſt, quia carnis maceratione minuuntur concupiſcentiæ, terrentur dæmones, & pergratum Deo ſacrificium offertur; ſed potiſſima ratio, qua ad carnis mortificationem moveri debemus, eſt, quia *ſi ad cœleſtia pervenire volumus, neceſſe eſt, ut paſſiones carnis mortificemus. S. Greg. l. 4. in 1. Reg. c. 5.* Quam rationem ſumpſit D. Gregorius ex D. Paulo, dicente: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Rom. 8. 13.* Infenſiſſimus ſalutis noſtræ hoſtis eſt caro: quare ſi illam mortificatione perenni non impugnaverimus, de nobis triumphabit, noſque ad tartara in æternum cruciandos pertrahet: mortificationi ergo corporis noſtri ſedulo incumbamus: *Mortificate membra veſtra.*

Hæc eſt Circumciſio ſpiritualis, cui faciendæ non ſemel dumtaxat, aut bis, ſed toto vitæ tempore incumbendum eſt: inordinati enim corporis noſtri motus amputati repullulant, effugati redeunt, reaccenduntur extincti, & ſopiti denuo excitantur: quare gladius mortificationis numquam eſt dimittendus, ſed ſemper circumferendus: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes. 2. Corinth. 4. 10.* Nec dicat quis: juvenis ego ſum, ac proinde nondum venit hora mea, ut corporis mortificationem circumferam. Non eſt, quod ſic loquantur juvenes: quia, ut docet Spiritus Sanctus, *bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Thren. 3. 27.* Sive ergo ſis juvenis, ſive non, inordinatos corporis tui motus variis mortificationibus compeſcas, & circumcidas neceſſe eſt: *Si ad motus paſſionum ex innata diſpoſitione, aut aſſuefactione proclivior es, inſtantius pugna, ferventius ora, indefeſſe labora.* Inquit *Dion. Carthuſian. in Exhor. ad Novit. art. 2.* Et S. Gregorius aſſerit, ex corporis mortificationibus nullam aptiorem eſſe ad circumcidendos carnis noſtræ motus, quam jejunium, & abſtinentiam: *Motus carnis quaſi in fugam vertitur, dum ipſa caro bene jejunando caſtigatur. S. Greg. ubi ſup.*

Sed heu! quam pauci carnis ſuæ motus comprimere, & circumcidere ſatagunt? gulæ, luxuriæ, & aliis corporis voluptatibus indulgent multi; pauci vero carnem ſuam circumcidere, & crucifigere volunt. O homo, ſi Chriſti eſſe diſcipulus, & regnum æternum adipiſci cupias, *poſt concupiſcentias tuas non eas. Eccli. 18. 30.* Dura quidem eſt corporis mortificatio; ſed durius erit, Paradiſo in æternum privari, & cum voluptuoſis in inferno cruciari. Durum tibi eſt carnis illecebras frangere, creaturæ quam diligis, abrenuntiare, frænare gulam, & carnis mortificationi vacare; ſed o quam durius erit, igne tartaro torreri! Formidandum hunc ignem, omneſque inferni cruciatus crebro mente revolve, & facile omnibus illiciis valedices deliciis, ut carnis mortificationem ſedulo ſecteris. *O utinam*, inquiebat S. Chryſoſtomus, *in prandiis, & cœnis, & balneis, immo & ubique de gehenna diſputatum eſſet! Hom. 31. in Ep. ad Rom.* Sed o utinam cujuslibet hominis menti firmiter infixa, & exarata eſſet gehennæ cogitatio! Certo enim certius eſt, quod qui gehennæ ſupplicia ſæpe, & ſerio meditaretur, omne mortificationis genus facile amplecteretur. Gehennam ergo cogita, ut mortificationi adhæreas, & ut æternam beatitudinem obtineas. *Amen.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

CONCIO PRIMA.

Vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2.

MAgna cum lætitia ſacrum hunc diem ſancta celebrat Eccleſia, quia in eo admirabilis Dei humanitatis manifeſtatio facta eſt. Pauciſſimis ab hinc diebus pro nobis homo fieri, & naſci voluit; hodie vero vota votis accumulans, & gaudia gaudiis multiplicans, ſeſe Regibus Orientalibus manifeſtavit: quod quidem maximum, & ſingulare Dei erga nos eſt beneficium: quia ſicut parum prodeſſet homini, qui in fundo ſuo theſaurum haberet abſconditum, ſi quonam in loco lateret, ipſe neſciret: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus; quæ utilitas in utriſque? Eccli.* 20. 32. Ita & parum nobis profuiſſet, Chriſtum qui theſaurus eſt inæſtimabilis, in hoc mundo naſci, ſi nobis ignotus fuiſſet. Apparuit ergo hodie gratia, & benignitas Salvatoris noſtri: hac die ſe Gentilibus manifeſtare cœpit: quare cum hæc ſit dies Epiphaniæ, ſeu apparitionis, quid in ea apparuit, congruum eſt, ut inquiramus: *Quoniam apparitionem hanc eſſe diximus, quid in ea appareat, dignum eſt, ut quæramus. S. Bern. ſer. 3. de Epiph.* Verum eſt, quod mirabilia omnia, quæ in hac die emicant, inveſtigare eſſet impoſſibile; ſed ex multis aliqua ſeligemus, ut ſanctos Reges debito honore proſequamur, & ut Regis Regum Chriſti Domini gloriam propalemus, &c. *Ave.*

REges Magos mente intueor in Oriente, in urbe Jeroſolyma, & in ſpelunca Bethlehemitica eos conſidero; *in Oriente*, unde proficiſcuntur; *in urbe Jeroſolyma*, qua tranſeunt; & in *ſpelunca Bethlehemitica*, in qua Chriſtum inveniunt. Hi Reges, in Oriente ſtellam videntes, Chriſtum agnoverunt; in urbe Jeroſolyma coram Herode Chriſtum prædicaverunt; & in ſpelunca Bethlehemitica Chriſtum puerum & pauperem, ut Regem & Deum adoraverunt. Unde ſanctos illos Reges nunc proponam, ut viros ſapientiſſimos, qui Chriſtum agnoſcunt, ut Concionatores zelantiſſimos, qui Chriſtum prædicant, & ut Principes religioſiſſimos, qui Chriſtum honorant. Sancti hi Reges 1. Chriſtum agnoſcunt in Oriente, unde proficiſcuntur. 2. Chriſtum prædicant in urbe Jeroſolyma, qua tranſeunt. 3. Chriſtum honorant in ſpelunca Bethlehemitica, in quam ingrediuntur. Chriſtum agnoſcunt, Chriſtum prædicant, Chriſtum honorant; en tria hujus concionis puncta.

PRIMA PARS.

Reges Magi Chriſtum agnoſcunt in Oriente, unde proficiſcuntur.

REges Orientales, qui hodie Chriſtum adoraverunt, dicuntur *Magi*, non a magica arte, ſed a ſcientiæ magnitudine, ut cum aliis multis opinatur S. Bernardinus, quia, inquit, quos Græci Philoſophos, Scribas Judæi, & Latini Magiſtros, *Magos* Perſæ appellant. Hi autem Reges Magi in regione ſua, quæ reſpectu civitatis Jeruſalem orientalis erat, ſtellam novam viderunt, quæ ab aliis differebat *in ſitu*, quia non erat fixa in firmamento, ſed terræ proxima; *in fulgore*, quia lucebat de die, quod non aliæ; *in motu*, quia reliquæ circulariter in cælo, iſta recte verſus Jeroſolymam movebatur; iſta tandem ceteris erat diſſimilis *in fine*, quia aliæ factæ ſunt ad mundi ornatum, ad diſtinctionem temporum, & ad influendum in hæc inferiora; iſta vero ad hoc ſolum facta eſt, ut Chriſtum natum Regibus manifeſtaret. Sicut enim Chriſtus ipſa Nativitatis ſuæ nocte Angelos miſit, qui Paſtoribus ipſum natum eſſe nuntiarent; ita eadem nocte novam hanc formavit ſtellam, ut Regibus ipſum natum eſſe declararet: *Hæc ſtella creata eſt de novo, ut novum hominem Regibus nuntiaret. Hugo Card. in c. 2. Matth.*

Quod, quam verum ſit, ipſa Regum verba demonſtrant. *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus in Oriente*. Cur enim hanc ſtellam, quam viderunt Magi, ſpecialiter Chriſti ſtellam vocant: *Stellam ejus*? Nonne omnes ad ipſum attinent ſtellæ? Nonne eas omnes ipſe creavit? Haud dubie ipſe eſt Solis, lunæ, & omnium ſtellarum creator? proculdubio ipſius ſunt, non ſolum omnes ſtellæ, verum & omnes creaturæ, cur ergo hanc ſpecialiter Chriſti ſtellam eſſe dicunt Magi? Hoc dicunt, inquit Hugo Cardinalis, *quaſi per appropriationem, quia etſi ceteræ ſtellæ ab ipſo creatæ ſint a mundi principio, hæc ſpecialiter creata, & deputata eſt ad Nativitatis ejus oſtenſionem.* Eandem rationem adducit S. Maximus, dicens, quod quamvis omnia ſydera quæ ſcintillant in cælo, Chriſti ſint, hæc tamen ſpecialiter vocatur ſtella *ejus*, quia a Chriſto formata erat, ut ſeipſum Regibus manifeſtaret. *Bene ejus dicitur ſtella, quia quamvis omnes ab eodem creatæ ſtellæ ipſis ſint; hæc tamen propria Chriſti erat, quæ ſpecialiter ejus nuntiabat adventum. S. Max. hom. 4. de Epiph.*

Hoc autem munere præclariſſime perfuncta eſt hæc ſtella, Chriſtum natum eſſe hæc perfectiſſime demonſtravit, quia cum eam viderunt Magi, protinus Chriſtum, qui per ſtellam ſignificabatur, agnoverunt; erant ſimul videntes & intelligentes, ut ait Euſebius Emiſſenus: ſtellam videbant & Meſſiam, qui per ſtellam ſignificabatur, agnoſcebant: *Quid eſt enim, videntes ſtellam, niſi videntes, & intelligentes quod ſignificabatur per ſtellam? Euſeb. Emiſſen. ſerm. de Epiphan.* Stellam viderunt Magi, & Chriſtum agnoverunt. Unde dicitur, quod ſtellam videntes, *gaviſi ſunt gaudio magno*, gaviſi ſunt enim, non tam ex eo quod ſtellam, quaſi quid

aſtronomicum viderint, quam ex hoc quod, ut ſubdit Euſebius Emiſſenus, *viſa ſtella, quidquid per eam ſignificabatur, mox intelligerent. Ubi ſup.* Nec dubium eſt, inquit Auguſtinus, quin Chriſtum noverint Magi, cum eum tam ſolicite quæſierint, & tam ardenter videre optaverint: *Nunquam hunc tanta devotione requirerent, tanto pietatis affectu deſiderarent, niſi eum agnoſcerent. S. Aug. ſer. 3. Epiph.* Voluntas non fertur in incognitum, non amat, non deſiderat, nec inquirit quid non cognoſcit; quare cum Magi Chriſtum Judæorum Regem recens natum quæſierint, & videre optaverint, illum ſine dubio agnoverunt.

Reges Magi *ſtellam videbant, ſtellam habebant*, inquit S. Bernardinus; *Ser. de Epiph.* hi ſtellam videbant exterius fulgentem; & ſtellam habebant intus in cordibus ſuis lucentem, eoſque illuminantem. Ipſi, cum perfectiſſimi eſſent Aſtrologi, ſtellam videntes, eam quid magnum, & mirabile portendere judicarunt; quid autem præciſe externa illa ſtella ſignificaret, & prænuntiaret, ſtella interna, ſeu revelatio divina iis aperuit & manifeſtavit. Stella externa quam intuebantur Magi, erat Dei miniſtra, & *tamquam lingua cælorum*, qua quidem erudiebantur, ſed non ita perfecte, ut non alia egerent ſtella ſeu illuſtratione, & revelatione divina, qua quid per externam ſignificaretur, clarius, & perfectius agnoſcerent: Deus autem, ſimul cum externa, internam hanc ad eos miſit ſtellam, qua Chriſtum Judææ, & totius mundi Regem natum eſſe perfectiſſime norunt. *Alia ſtella*, inquit S. Auguſtinus, *nimirum revelatione, indicatum eſt divinitus, quod luce externi ſideris tacite ſignabatur.*

Deus, cujus providentia ſuavis eſt, Magos erudire voluit per ſigna illis familiaria; cum enim Aſtrologi eſſent, eos per ſtellas, quas contemplari ſoliti erant, ad ſui agnitionem adduxit: *Magis Aſtrologos, In c. 2. Matth.* inquit Theophylactus *per ſtellam voluit edocere, tanquam per rem eximiam ipſis familiarem. D. Thom. 3. part. quæſt. art. 50.* Doctor Angelicus ait (quod ſicut manifeſtatio ſyllogiſtica fit per ea quæ ſunt magis ei nota, cui eſt aliquid manifeſtandum, ita manifeſtatio, quæ fit per ſigna, debet fieri per ea quæ ſunt familiaria eis, quibus manifeſtantur.) Quare cum Regibus Magis familiariſſimum eſſet ſtellas contemplari, eos Chriſtus per ſtellas erudivit, & ad ſui agnitionem adduxit. *Quoniam*, ut ſubdit Theophylactus, *Aſtrologi Magi erant, propterea Dominus familiari ſigno eos adduxit.* Nec unicam ad eos miſit ſtellam, ſed externam unam, internam aliam & per utramque hanc ſtellam ita Chriſtum natum eſſe agnoverunt, ut gaviſi ſint gaudio magno, cumque ſolicite & ferventer quæſierint.

Miramini Dei providentiam, qui ſolo unius ſtellæ fulgore Magos illuminat. Miramini, quod tam prompte, & tam perſpicue Magi Chriſtum cognoſcant, ut gaudentes eum inquirant; ſed identidem obſtupeſcite, videntes, quod Chriſtus non unicam, ſed innumeras multis peccatoribus mittat ſtellas, ſeu gratias eos intus illuſtrantes, & tamen nondum perfecte illum norunt. Creaturæ inſenſibiles eum agnoverunt: *S. Greg. hom. 10. in Evang.* (Mare eum cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit.) Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa, & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit, & tamen eum, quem inſenſibilia elementa noverunt, multi peccatores agnoſcere nolunt; de Judæis non loquor, ſed de ipſis Catholicis, inter quos multi ſuis ita excæcantur ſceleribus, ut Chriſtum non agnoſcant. Non eum agnoscunt ut Deum, cum non eum ut Deum, & Dominum ſuum venerentur. Non agnoſcunt illum ut infinite juſtum, cum ejus judicia, & ſupplicia non timeant. Non illum agnoſcunt, ut ſumme bonum, cum de ejus bonitate, & miſericordia deſperent. Plerique peccatorum ſunt ſimiles Divo Paulo, qui antequam ab Anania ſanaretur, *apertis oculis nihil videbat: Act. 9. 8.* ipſi enim apertos habent oculos ad videndum temporalia; ea jucunde vident, ea admirantur; ſed apertis oculis ſpiritualia non vident, & Chriſtum non agnoſcunt. O peccator agnoſce Deum tuum, & factorem tuum ad inſtar Regum Orientalium, qui Chriſtum agnoverunt in Judæa, *ac etiam Chriſtum prædicaverunt in urbe Jeroſolyma.*

SECUNDA PARS.

Reges Magi Chriſtum prædicant in urbe Jeroſolyma, quæ tranſeunt.

POſtquam Magi novam ſtellam, novo ſitu, novo curſu, nova materia, novo motu, novoque lumine circumfulgentem viderunt, itineri ſe commiſerunt, & verſus Jeroſolymam pergentes, eadem eos antecedebat ſtella, quæ per noctem, veluti olim ignea columna Iſraelitas, eos illuminabat. Unde ſicut cum columna ſiſtebat, populus Dei identidem quieſcebat, cumque illa incedebat, populus Dei etiam pergebat, ita Regibus Magis contigit, nam quieſcente ſtella ipſi ſiſtebant, & eunte ibant, donec ingreſſi ſunt Jeroſolymam, ubi hi Reges, qui antea gentiles erant & idololatræ, facti ſunt Prædicatores zelantiſſimi, qui in Regia hac, & totius Judææ metropoli civitate, in qua reſidebat Herodes Rex, palam Chriſti nuntiaverunt adventum. Nondum ſciebant quo præciſe in loco natus eſſet Chriſtus, & tamen ipſum natum eſſe prædicarunt, *Mira res*, inquit Hugo Cardinalis, *hi peregrini nativitatem prædicant, etſi locum ignorant. Hugo in c. 2. Matth.*

Poſtquam Magi in urbem Jeroſolymam ingreſſi ſunt, ſtella quæ ducebat eos, delituit; antequam Jeroſolymam ingrederentur, lucebat ſtella; poſtquam ex hac egreſſi ſunt civitate, luxit etiam ſtella; cur ergo non luxit novum & mirabile illud ſidus, dum Reges Jeroſolymis permanſere? Reſpondet S. Bernardinus, hoc factum eſſe, ut Reges Magi Chriſti prædicarent adventum in præcipua hac Judææ civitate, & deinde per univerſum regnum divulgaretur, ne quis hujus natalis inſcium, & ignarum ſe effingere poſſet: *Diſparuit ſtella Jeroſolymis propter Chriſtum, ut nativitas ejus nuntiaretur in regia civitate, ac per conſequens Judæi Chriſtum non recipientes, inexcuſabiles haberentur. Ser.*

de

de Epiph. Stella, quam viderant Magi, erat *lingua cælorum*, inquit S. Auguſtinus, hæc erat lingua magnifica, quæ Regibus Magis adventum Chriſti prædicaverat, hæc autem lingua ſiluit, hæc ſtella Jeroſolymis diſparuit, ut ibi Regibus Magis loquendi, & Chriſti adventum prædicandi locum præberet. Ad Paſtores miſit Angelum Deus, ad Magos ſtellam, & ad Scribas, Legiſque Doctores miſit Magos, qui promiſſum Meſſiam Regem jam natum eſſe nuntiarent, ſiluit autem ſtella, & Jeroſolymis diſparuit, ut Magis ſuum adimplendi munus locum daret. Quemadmodum Principe, aut graviſſimo quodam viro loqui volente, ſilentium indicitur, omneſque venerationis cauſa ſilent; ita ingredientibus Regibus in Jeruſalem, ſilet *lingua calorum*, abſcondit ſe ſtella, & hi Reges tunc loquuntur, Chriſtique nativitatem prædicant: *Mira res! hi peregrini nativitatem prædicant, etſi locum ignorant.* Reges Magi in urbe Jeroſolyma palam prædicaverunt, dicentes: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? Matth.* 2. Ecce eorum propoſitionem, quam eximio miraculo comprobarunt, aſſerentes, hunc Regem recens natum ad ipſos portentoſam miſiſſe ſtellam: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum:* Ecce totam eorum prædicationem, quæ quidem brevis eſt, paucis tamen his verbis Chriſtum veniſſe nuntiant, Judæorumque negligentiam & duritiam arguunt, eo quod eum in illorum finibus natum non inviſerint, & ut Regem non agnoverint. Advertite quæſo, quomodo loquantur Reges, eorum ponderate verba: *Ubi eſt*, inquiunt, *qui natus eſt Rex Judæorum?* His verbis non interrogant an ſit natus; ſed eum eſſe natum ſupponunt, & annuntiant; immo, ut ait S. Petrus Chryſologus, Magi his verbis non interrogant, an Chriſtus natus ſit, ſed veluti prædicatores zelantiſſimi Judæos increpant, quod Chriſto nato debita pietatis, & æquitatis officia non impenderint: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex, non interrogant*, inquit, *ſed inſultant; non ignorant, ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſervum Domino non occurriſſe cauſantur. Chryſol. ſerm.* 156. Judæos interrogant Magi, & ſciſcitantur ab eis, ubi ſit qui natus eſt Rex Judæorum? non ut ab eis diſcant quod jam per Deum noverant; ſed ut illos arguant. Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? *hoc eſt dicere*, inquit Chryſologus, *cur Rex Judæorum in præſepio jacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura, ſed ſquallet in pannis? cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? acceperunt jumenta in præſepe, quem in domo ſua recipere vos ſprevistis.* O mirabilem Magorum concionem!

Non pauci Concionatores ſubtilitatibus ſtudioſius vacant, floſculos verborum accurate inquirunt, & ſuavem circumſcriptarum periodorum harmoniam curioſius ſectantur, ut placeant, non ut proſint; ut oblectent, non ut compungant; ut auditores non ad Dei obſequium, ſed ad ſui admirationem pertrahant. Tales utique Concionatores non elegit Chriſtus: his enim quos ad prædicandum miſit, non dixit, ut profano, & comico idiomate, ſed ut Evangelica dicendi ratione uterentur; non iis præcepit, ut poetica inventa, nugatrices fabulas, & alia his ſimilia ad placendum, & ad auditoribus adulandum apta garrirent, ſed quod Evangelium ſuum prædicarent: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Marc.* 16. Sic autem Evangelium prædicare debent Concionatores, ut generoſe arguant & increpent peccatores, qui a ſalutis æternæ ſemitis deflectunt: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et hoc modo prædicaverunt Reges Magi, non adulterarunt verbum Dei, nec phaleratos adhibuerunt ſermones, ut Herodi, Scribis, & Phariſæis placerent, verbis aures eorum demulcentibus non uſi ſunt; ſed ſancto ſuccenſi zelo, Chriſtum Judæorum Regem veniſſe prædicarunt, necnon Judæos acriter objurgarunt, propterea eum ut Regem & ut Deum ſuum nondum ſalutaverint: *Negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſervum Domino non occurriſſe cauſantur.*

O veros, & vere zelantiſſimos prædicatores! quis non miretur Reges illos idololatras, ſubito factos eſſe abſolutiſſimos Concionatores? eſt certe quod eos quiſque admiretur, & præcipue ſi altera prædicationis eorum circumſtantia ponderetur, nempe quod ipſi ea fecerint, quæ facienda eſſe prædicarunt. Verus Prædicator opere implere debet quæ ab aliis agenda eſſe docet: *Bene, & utiliter prædicatur, ſi id quod ore promitur, factis impleatur. S. Cypr. de zel. & liv. c.* 4. nonnulli tamen Concionatores dicunt, & non faciunt; quod dicunt verbis, negant factis; & ſæpe dum alios bonos facere conantur, ipſi deteriores fiunt. Hos ſimiles eſſe dicunt horologio, quod alios regendo, continuis rotarum volutationibus deterioratur; vel etiam lyræ, cujus fides atteruntur, dum dulcem ſonorum concentum auditoribus emittit. Sed hujuſmodi Concionatores non extitere Reges Orientales, ipſi enim dixerunt, & fecerunt, facta eorum verbis fuere conſona; & cum Judæis Chriſtum Regem natum eſſe prædicarunt, identidem ſe ad eum adorandum veniſſe declararunt: *Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum. Matth.* 2. Non dixerunt Judæis: Rex veſter natus eſt, adoraturi eum quærite, nos autem illum adorare nolumus; non ſic locuti ſunt; ſed poſtquam Chriſtum veniſſe annuntiarunt, ſtatim ſe ad illum adorandum veniſſe aſſeruerunt, viam ad illum inquirendum inierunt: immo, inquit Chryſoſtomus, ita illius amore exarſerunt, ut pro eo ſanguinem fundere parati eſſent: *Adhuc non viderant Chriſtum & jam parati erant mori pro eo, homil.* 2.

O pereximios Concionatores! ſed o peſſimos eorum auditores! Verum eſt, Herodem, omneſque Jeroſolymarum incolas turbatos eſſe, cum Regum concionem audiere: *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Matth.* 2. Hi turbati ſunt, ſed non converſi ſunt; turbati ſunt, ſed non ideo Chriſtum quæſierunt, & adoraverunt. Ecce quod plerumque accidit auditoribus; clamat Prædicator, & hi conturbantur, arguit ille, & hi commoventur: de formidandis Dei judiciis, vel de ſempiternis inferni ſuppliciis ille loquitur, & hi contremiſcunt: *Conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos; Pſalm.* 47. 7. hi commoventur, & trepidant, ſed non convertuntur.

Digitized by Google

O NN. quid vobis audiiſſe Concionatores, & tremuiſſe proderit, ſi valedicentes peccatis, ad Deum non convertamini? Nihil equidem, quia *non auditores Leges Juſti ſunt apud Deum, ſed factores. Rom. 2. 13.* Non ſalvaberis, o peccator, quia audiviſti Concionatorem contra vitium illud, quo ligatis, declamantem; ſed juſtificaberis & ſalvaberis, ſi vitia & peccata, quibus gravaris, per ſalutarem pœnitentiam extirpaveris. Quare, o NN. non imitemini Judæos, qui Reges audierunt, & converſi non ſunt; ſed ſic Concionatores audiatis, ut quæ dicunt faciatis: *Quæ dicunt vobis facite.* Sed poſtquam Reges Magos contemplati ſumus in urbe Jeroſolyma Chriſtum prædicantes; *demiremur eos in ſpelunca Bethlehemitica Chriſtum honorantes.*

TERTIA PARS.

Reges Magi Chriſtum honorant in ſpelunca Bethlehemitica, in quam ingrediuntur.

REgina Saba ab ultimis terræ finibus venerat, non ut Salomonem adoraret, ſed ut ejus ſapientiam audiret: *Illa loquentem hominem non adorare venerat, ſed audire*, inquit S. Auguſtinus; Reges vero Magi ſua derelinquunt regna, ad alienas tranſmigrant provincias, & ad Chriſtum veniunt, non ut eum loquentem audiant, ſed ut illum venerentur. *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam ejus, & venimus adorare eum.* Venerunt, ut illum adorarent, & revera illum adoraverunt: completa enim ſua prædicatione, ex urbe Jeroſolyma egreſſi ſunt, & præeunte ſtella, tranſierunt uſque Bethlehem; ubi Chriſtum in ſpelunca invenerunt, & *procidentes adoraverunt eum. Matth. 2.* Non ſolum adoraverunt eum externa quadam corporis reverentia; ſed ut ait Hugo Cardinalis, *adoraverunt eum tam corpore, quam mente.* In quo, ut adnotat Rupertus Abbas, Paſtoribus urbaniores extitere Reges Magi. *Paſtores*, inquit, *non adeo docti, ſive eruditi fuerunt, ut procidentes adorarent, aut munera offerrent, ſed tantummodo cognoverunt de verbo, quod dictum erat de puero hoc, & reverſi ſunt glorificantes Deum. Reges vero Magi, ut Chriſto honorem impenderent, procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Lib. 2. in Matth. c. 31.*

Quicumque olim Reges Parthos ſalutaturi adibant, munera deferebant, ut eos ſimul corporis habitu, & munerum oblatione venerarentur, *Reges Parthos non poteſt quiſque ſalutare ſine munere. Sen. ep. 17.* inquit Seneca. Eandem conſuetudinem lege firmatam, & apud Perſas obſervatam eſſe, refert Cælius, dicens: *Lege apud Perſas ſancitum eſt, ſervatum quoque pertinaciſſime; ut Regem unuſquiſque muneribus, quæ honoraria dicuntur, ſalutatum eat, Cæl. l. 12. c. 16.* & hanc omnium regnorum antiquitus conſuetudinem fuiſſe dicit Haymo: *Vetus conſuetudo fuit, ut nullus intraret ad Regem ſine muneribus. Haymo in c. 2. Matth.* Hunc morem ſervaverunt Reges Magi; qui Chriſtum Regum Regem honoraverunt non ſolum procidentes, verum & pretioſa munera offerentes, quæ quidem munera honoraria fuerunt, cum ei aurum, thus & myrrham obtulerint: per aurum enim ut Regem, per myrrham ut hominem, & per thus ut Deum illum venerati ſunt, *aurum, thus, myrrham Regique, hominique, Deoque dona ferunt. Juvencus.*

Deus ab hominibus honorari appetit, *ſi ergo*, inquit, *pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Quomodo autem Deum honorari debeat docet Sapiens: *Honora Dominum de tua ſubſtantia. Malach. 1. 6.* Quæ Salomonis verba ſic exponit Hugo Cardinalis: *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, id eſt, *de te ipſo*. Vel: *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, id eſt, *de tuis rebus, non de alienis. Prov. 3. 9.* Hic eſt duplex modus honorandi Deum de noſtra ſubſtantia, & utroque hoc modo Chriſtum venerantur Reges Magi, illum honorant de ſua ſubſtantia, ſeu de ſeipſis, quia *procidentes adoraverunt eum.* Illum etiam honorant de ſua ſubſtantia, ſeu de rebus ſuis, quia ei offerunt aurum, thus, & myrrham: *Aurum Regi, thus Deo, myrrham mortali. Hugo Card.* inquit Hugo Cardinalis, & ut loquitur S. Auguſtinus: *Aurum ſolvitur quaſi Regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha præbetur quaſi pro ſalute omnium qui morituri ſunt. Aug. ſer. de Epiph.* Non ſolum ait, Reges hæc ei obtuliſſe dona, ſed ſolviſſe, & immolaſſe: *Solvitur, immolatur*, quia Chriſtum puerum ita reveriti ſunt, ut coram illo prociderint, eique, quaſi vectigales & ſtipendiarii, aurum ſolverint; necnon quaſi ſacrificuli, ei, ut Deo, thura immolaverint.

O rem omnibus ſæculis admirabilem! Reges Magi Regem Judæorum ſolicite quæſierant, & nunc puerulum, in quo nihil regium oculis corporeis cernunt, ut Regem venerantur, non enim in regia habitat Chriſtus, ſed in ſpelunca; non in prædivite decumbit cubili, ſed in præſepio; magna ille militum non ſtipatus eſt caterva, Principibus, Magnatibus & aliis Aulicis non circumcingitur; nullum ſceptrum, nullum diadema, nullaque alia regiæ majeſtatis inſignia apparent; eum tamen ut Regem, & ut Deum venerantur Magi: quia fidei oculis hoc intuentur, quod corporeis videre nequibant: *Videte quam oculata ſit fides*, inquit Bernardinus; *quam lynceos oculos habeat, diligentius conſiderate.* Oculatiſſima quidem horum Regum fuit fides, qua Chriſtum puerum, ut Regem, & ut Deum, ita perfectè cognoverunt, ut in eo viſo protinus ad ejus pedes ſe proſtraverint, eique pretioſa munera obtulerint: *Procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2.*

O utinam æque oculata ac religioſa eſſet Chriſtianorum hujuſce ævi fides! Sed proh dolor! hujus temporis Chriſtiani coram Chriſto in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento remanente adorantes non procidunt; ſed ſæpe ſtant recti, ſæpe vana, & inutilia coram illo impudenter garriunt; immo nonnumquam ſacrilege jocantur, & ſcurrantur. Heu! nonne idem Chriſtus, qui a Magis adoratus eſt in præſepio, nunc in ſanctiſſimo reſidet Sacramento? Nonne idem hic & hic ei debetur honos? Nonne in utroque loco ſumma ei exhibenda eſt reverentia? Cur ergo NN. non eum in Eccleſia adorantes colitis? Cur ſimul cum Regibus Magis illum procidentes non adoratis? Hi Reges Chriſtianæ Religio-

nis

Digitized by Google

nis erant candidad, qui vix ab idololatria deſciverant, & tamen Chriſtum infantem, in cunis adhuc vagientem, ut Regem, & ut Deum ſuum, adorarunt: cur ergo vos, qui a primis vitæ veſtræ diebus Chriſto nomen dediſtis, pari honore, & ſimili cura reverentia non afficitis? Si ſic Chriſtum honorarunt inimici ejus, qui ſe convertunt, cur vos, qui ejus amicos eſſe profitemini, ſimilem ei honorem non impenditis? Sed cum ipſis honorandus eſt etiam Chriſtus muneribus.

Hic eſt Deus noſter, coram quo vacui apparere non debemus: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus, Exod. 23. 15.* plerique tamen hominum vacui ſunt, & tenaces reſpectu Chriſti; ita quod ei in Templo, vel in perſona pauperum vix aliquid offerant. Chriſto, a quo omnia habemus, omnia noſtra conſecrare deberemus; at non Chriſto, ſed concupiſcentiæ ea offerunt multi. *Satius eſt*, inquit Abbas Guerricus, *Chriſto offerre, quam ſanguiſugæ, id eſt, concupiſcentiæ, cujus duæ filiæ voluptas & vanitas non dant requiem die ac nocte, dicentes: Affer, affer; Guerr. ſerm. 3. Epiph.* Non ergo vanitati & voluptati, quæ ſunt filiæ concupiſcentiæ, ſed Chriſto qui eſt filius Mariæ, & a quo bona cuncta procedunt, veſtra offeratis. Et præcipue ei offerre aurum, thus, & myrrham, *aurum dilectionis, thus devotionis, & myrrham contritionis, S. Bonav. ſerm. de Epiph.* ut ait Divus Bonaventura. Hæc ei quiſque offerre poteſt, & debet. Vel, ut ait Sanctus Gregorius, *aurum offerimus, ſi ſapientiæ lumine ſplendemus: thus, ſi orationis ſtudio redolemus; myrrham, ſi carnis vitia mortificamus. S. Gregor. hom. 10.* Hæc munera Chriſto offeramus, & ipſe gratiæ ſuæ donis ditabit nos in hoc mundo, & æternam beatitudinem dabit in Paradiſo. *Amen.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

CONCIO SECUNDA.

Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? Matthæi 2.

CHriſtum inter, & cæteros Reges illud inter alia ineſt diſcrimen, quod hi, quamvis ad hoc ut ſint Reges, nati ſint; non tamen ex viſceribus matrum prodeunt Reges, non regio redimiti diademate naſcuntur, ſed ut reliqui homines in hanc lucem veniunt, regiamque dignitatem armis, electione, aut hæreditate aſſequuntur. At Chriſtus prius Rex erat, quam natus, & vere natus eſt Rex: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex?* Nec quomodolibet Rex natus eſt Chriſtus, ſed *Rex Regum, & Dominus dominantium, Pſalm. 87. 28.* qui omnes alios Reges longe anteceſſit: *Primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ.* Regiam autem ſuam dignitatem hac die ſpecialiter manifeſtat Chriſtus, qui ut Rex agnoſcitur, ut Rex quæritur, & ut Rex honoratur; *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Contemplemur hunc Regem in cunis glorioſe triumphantem, ejuſque triumphos demiremur, &c. *Ave.*

REges Magi in Chriſtum credunt, ad Chriſtum vadunt, & Chriſtum adorant; apparet iis ſtella in Oriente, & ea viſa in Chriſtum credunt; antecedit illos ſtella, & hi eam ſequuntur, ut ad Chriſtum vadant, ſtella tandem illos ducit in Bethlehem, ubi Chriſtum inveniunt, & procidentes adorant; *Et procidentes adoraverunt eum.* Ne Reges Magi in Chriſtum crederent, illorum prohibebat religio, cum eſſent idololatræ & falſorum deorum cultores: ne ſtellam ſequerentur, & e regnorum ſuorum finibus egrederentur, ut ad Chriſtum vaderent, mundi obſtabat ſapientia; & ne coram Chriſto puero, in ſtabulo degente, prociderent, majeſtas regia ſuadebat. Sed hodie glorioſiſſime triumphat Chriſtus de idololatria, de mundi ſapientia, & de majeſtate regia. 1. Triumphat Chriſtus de idololatria, quia Reges Magi in ipſum credunt. 2. Triumphat Chriſtus de mundi ſapientia, quia Reges Magi ad ipſum vadunt. 3. Triumphat Chriſtus de regia majeſtate, quia Reges Magi coram illo procidunt.

PRIMA PARS.

Triumphat Chriſtus de idololatria, quia Reges Magi in ipſum credunt.

A Tempore quo Protoparentes noſtri in Oriente peccaverunt, omnia alia fere peccata in Orientali regione habuere radicem, ibi in primis initium ſumpſit invidia, ex qua protinus fraternum ortum eſt homicidium, ut Geneſeos 4. legimus. Ibi ſuperbia, & iniqua dominandi libido in Nemrod initium habuit, de quo Geneſeos 10. dicitur: *Ipſe cœpit potens eſſe in terra*; ſeu, ut explicat Gloſſa, *cœpit eſſe fortis & tyrannus. Geneſ. 4. & 10.* Ibi etiam primum viguit luxuria in Lot, qui cum duabus ſuis filiabus concubuit. Ibi bigamia in Lamech, ibique nonnulla alia vitia principium habuere, & præcipue idololatria, quæ ab Orientali plaga ſuam ſumpſit originem: Ninus enim, ut refert Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ, patris ſui Beli vita functi, qui Rex fuerat Babyloniæ, effigiem fieri curavit, cui tantam reverentiam exhibuit, ut omnibus reis ad illam confugientibus libenter parceret. Unde regni hujus incolæ Beli ſtatuæ divinos honores impendere cœperunt; indeque factum eſt, ut plurimi ſimiliter parentibus, & amicis ſuis defunctis imagines dedicarint & ſic ab hac prava radice, ſeu a Beli ſtatua totum fere per Orbem idololatria propagnata eſt. Quare Chriſtus, qui in hunc mundum venit, ut omnia penitus vitia, & præſertim idololatriam debellaret, ab illa mundi parte, in qua ſuam ſumpſerat originem, triumphos ſuos initiavit; ibi triumphavit de idololatria in perſona Regum, quos ab idolorum cultu avocavit, & ad veram fidem convertit: *Quia in Oriente orta eſt multiplicitas vitiorum*, inquit Damaſcenus, *ideo veniens in carne Verbum, voluit mundare illam partem novi ſideris influentia; ut ubi cœperat macula, inciperet ſanctificatio; & ubi radicem jacerat idololatria, ibi fides inciperet pullulare. Damaſc. lib. 4. cap. 4.*

Hunc Chriſti de idololatria triumphum prædixit

Iſaias

Digitized by Google

Iſaias his verbis: *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. Iſaiæ* 8. 4. Quis enim eſt ille puer, qui adhuc balbutiens & antequam loquatur, glorioſe triumphat, niſi Chriſtus Dominus, qui antequam per humanam carnem verba proferret humana, vere abſtulit ſpolia Samariæ, ſeu idololatriæ, cum Magos ad fidem convertit: *Magi ſpolia ſunt facti Samariæ, ſeu idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum. Tertull. lib. 3. adverſ. Marc.* 13. Reges Magos Samaritanos vocat Iſaias, non quod vere Samaritani eſſent natione, ſed quia Samaritani erant crimine; ſicut enim Samaritani idololatriæ erant dediti, ita & Reges Magi; unde hi Reges ab idololatria cui addicti erant, vocantur Samaritani: *Nec hoc novum Scripturis divinis*, inquit Tertullianus, *figurate uti tranſlatione nominum ex comparatione criminum. Sic & Ægyptus nonnumquam totus Orbis intelligitur ſuperſtitionis & maledictionis elogio, ſic & Babylon apud Joannem Romanæ urbis figura eſt. Hoc itaque modo Magos Samaritanorum appellatione titulavit, & deſpoliatos, quod habuerant, ut diximus, idololatriam. Tertull. l. adverſ. Jud.* 9. Ecce Samaritanos quos ſpoliavit Chriſtus; ecce Reges de quibus triumphavit, cum eos ab idololatria abduxit, & ad veram fidem perduxit: *Magi ſpolia ſunt facti Samariæ, ſeu idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum.*

Galenus Libro, cui titulus eſt, *an animal ſit id quod in utero*, Heroum proprium affirmat, a primis unguiculis virtutem grandioris ætatis præmonſtrare. Nam, inquit, *nondum natus erat Pericles Olympius, & jam Græcos omnes ob inſomnium deterrebat. Alexander nondum natus jam Ammonii filius dicebatur, & regni Princeps.* De Hercule etiam fertur, quod adhuc in pannis ſerpentem ſuffocaverit. At Chriſtus in cunabulis glorioſiora futurorum ſuorum triumphorum exhibuit teſtimonia; ex tunc ſe dæmones ab idolis, & ab hoc mundo ejecturum eſſe teſtatus eſt: vix enim natus erat Chriſtus, cum dæmonibus bellum indixit & tenebrarum poteſtates debellavit; tantoque glorioſior hæc fuit victoria, quanto ditior fuit præda, quam de manibus eorum tulit; & quanto nobiliores ſunt Magi quos ipſis eripuit & ditioni ſuæ fecit. Sed quibus, quæſo, armis hos tulit triumphos? non enſe quidem, nec tormento bellico, ſed mirabili unius ſtellæ teſtimonio: *Sub teſtimonio indicis ſtellæ. Magi ſpolia ſunt facti Samariæ, ſeu idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum, Tertull. ubi ſupr.* Chriſtus recens natus ſtellam Magis delegavit, quæ, cum eſſet lingua cælorum, ſic eos ſuo modo allocuta eſt; natus eſt puer in Bethlehem, qui Rex veſter, & Deus veſter eſt; hunc colere debetis, & non idola veſtra, quæ oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt: *Stella dicere, & clamare videbatur. Eſt puer, quem natum teſtor e cælo; hic eſt Rex ille magnus. qui venit cæleſti imperio regnum ſociare terrenum. S. Maxim. Hom.* 4. his, & aliis ſtellæ teſtimoniis, Deo intus agente, ipſi idolis abrenuntiarunt, & in Chriſtum crediderunt; & ſic unius ſtellæ teſtimonio de dæmone, de idololatria, & de Magis Chriſtus triumphavit: quare S. Ambroſius ait, Chriſtum, mediante una ſtella, triumphales manipulos reportaſſe: *Triumphales manipulos reſuſcitavit. Ambr. Ep.* 39. Non unicum, ſed plures tulit manipulos, quia non Magos ſolum, ſed etiam omnes homines ab idolola ria revocavit.

Verum quidem eſt, Reges Magos primos eſſe manipulos, & prima ſpolia, quæ ab idololatria Chriſtus abſtulit: *Iſti ſunt primitiæ Gentium, qui in Chriſtum crediderunt*, inquit Rupertus Abbas, *in Matth.* Hi ſunt primi ex Gentilibus, qui idololatriæ abrenuntiarunt, ſed non ſoli: quia mediantibus illis, aut ſaltem eorum exemplo, deinde ab omnibus mundi partibus expulſa eſt: *Iſti ſunt primitiæ Gentium, qui in Chriſtum crediderunt, & hi tres homines tribus partibus orbis, Aſiæ, Europæ, atque Africæ, fidei vel confeſſionis, atque adorationis exemplar exiſtere meruerunt. Ubi ſupr.* Antequam in hunc mundum veniret Chriſtus, omnes fere homines terris idololatriæ tenebris erant obvoluti; ſed per ſtellam Magos illuminavit, & per Magos *de tenebris vocavit nos in admirabile lumen ſuum. 1. Pet.* 2. 9. Antequam mundo naſceretur Chriſtus, Gentiles, ratione idololatriæ, erant non populus Dei, ſed populus dæmonis; mediantibus autem ſtella, & Magis, ab idololatria & a dæmonis poteſtate eos eripuit, ut eos populum ſuum faceret: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. Pet.* 2. 10. Chriſtus tandem per ſtellam Magos ab idololatria revocavit & mediantibus Magis, ab omnibus mundi partibus idololatriam exturbavit: *Et hi tres homines tribus partibus orbis, Aſiæ, Europæ, atque Africæ, fidei vel confeſſionis, atque adorationis exemplar eſſe meruerunt.*

O quam glorioſa hæc Chriſti extitit victoria, ex qua totius idololatriæ deſtructio manavit! Sed o quam miſeri & maligni ſunt plerique hominum, qui, deſtructa per Chriſtum idololatria, nova ſibi faciunt idola! *Quid eſt aliud pene omnis cætus Chriſtianorum, quam ſentina vitiorum? quorum enim quemque non invenies aut ebrioſum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem? Salvian. l. 3. de gub. Dei.* Ecce tot fere idolatras, quot Chriſtianos, quorum idola non ſunt ſtatuæ aureæ vel argenteæ, ſed vitia quibus adhærent, & peccata quæ perpetrant: *Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus ſum, ira mihi deus eſt; vidi mulierem, & concupivi, libido mihi deus eſt: unuſquiſque enim quod cupit & veneratur, hoc illi deus eſt. S. Hier. in Pſ.* 80. O peſſima idola, quæ quidem longe a vobis ſunt projicienda: *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Pſ.* 80. 10. Avaritia, luxuria, ebrietas, & alia vitia quibus indulgetis, ſunt dii recentes, quos in cordibus veſtris efformaſtis; auferte hos deos de medio veſtri, non remaneant in nobis recentes illi dii, ne illis incenſa adoleatis; immo facite, ut Chriſtus de hac veſtra triumphet idololatria, ſicut de Magorum idololatria triumphavit: *ſed in his triumphavit etiam de mundi ſapientia.*

SECUNDA PARS.

Triumphat Chriſtus de mundi ſapientia, quia Reges Magi ad ipſum vaduut.

ANtequam Chriſtum viſuri e ſuis regnis diſcederent Magi, gravis in corde illorum gratiam inter, & mundi ſapientiam facta eſt diſceptatio, ſuadente mundi ſapientia ne ad Chriſtum irent; gratia vero eos ad Chriſtum trahente, eoſque intus invitante, ut Chriſtum Regem ſuum & Deum ſuum adoraturi quærerent. Dicebat intus mundi ſapientia, ad quid tam longum iter extra regnorum veſtrorum fines hiberno tempore cum valetudinis, & forte vitæ periculo ſuſciperetis? Cur vos, Reges, puerulum, qui forte Rex non eſt, in locis remotiſſimis, ut Regem ſalutaturi, quæreretis? Sæviet Herodes, ridebunt Phariſæi, vobiſque illudent populi, cum vos puerulum inquirentes videbunt, quare quærant, & venerentur hunc puerum qui voluerint: vos autem honori, quieti & ſalu i veſtræ conſulentes, in palatiis veſtris remanete; hic de bona veſtra gaudete fortuna, ibique non de aliis honorandis, ſed d debitis honoribus percipiendis cogitate. Sic in corde Magorum argumentabatur mundi ſapientia; ſed Chriſti gratia, ſeu Chriſtus per gratiam ſuam de mundana hac ſapientia glorioſe triumphavit; quia omnia ejus argumenta facillime ſolvit, Regibuſque Chriſtum Regem inquirendum eſſe ita ſuaſit, ut ſuperatis quibuſque difficultatibus, abſque ulla mora ad illum perrexerint: *Non enim*, ut ait Divus Bernardinus *Serm. de Epiph. retardavit eos longitudo viarum, non difficultas temporum, non delicata teneritudo complexionum, non periculum perſonarum, quia ita inflammavit eos fidei fervor, & extrinſecus luminis ſplendor, ac interna irradiatio, & illuſtratio, ut nec uno temporis momento potuerint retardari*. O mirabilem Dei de mundi ſapientia triumphum!

Vocavit Deus Abraham, illique e patria egredi imperavit, ut ad locum quem ipſi monſtraturus erat, veniret: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi*. *Gen.* 12. 1. Durum quidem hoc erat præceptum; tum quia ab eo exigebat Deus, ut domum, parentes, amicos, & quæcumque ſibi cara relinqueret; tum quia locum ad quem iturus erat, non ei manifeſtavit. Quis dubitet mundi ſapientiam huic præcepto reluctaſſe? Quis credat hanc ſapientiam, quæ *inimica eſt Dei*, Abrahamo hujus præcepti obſervantiam non diſſuaſiſſe? Magna profecto in corde hujus Patriarchæ gratiam inter & mundi ſapientiam inſtituta eſt lis: gratia Abraham ad Deo parendum vocabat; mundi vero ſapientia illum ab ejus præcepto adimplendo deterrebat; Dei tamen gratia, ſeu Deus per ſuam gratiam in hoc Patriarcha de mundi ſapientia triumphavit; quia hic Deo vocanti obtemperavit & quo illum vocavit Deus, libenter ſe contulit: *Obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exivit neſciens quo iret*. *Laur. Juſt. de ligu. vitæ c.* 7. Ecce glorioſum Dei de mundi ſapientia triumphum, ſed de ea glorioſius in Regibus Magis triumphavit, quia Deo illos inquirendum Chriſtum vocanti obedire, nulla eis humana ratio ſuadebat: *Quænam Magos ratio commovit? quænam etiam ſpes impulit præmiorum, ut ad Regem adorandum venirent, tam vaſto præſertim a ſe terrarum ſpatio ſeparatum?* Advertit Cajetanus, ſex Abrahamo Deum promiſiſſe præmia, ut eum ad exeundum de terra ſua alliceret: quæ quidem tot erant rationes, quibus ad Dei mandato obtemperandum moveri poterat. Sancto huic Patriarchæ dixit Deus: *Veni in terram quam monſtravero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univerſæ cognationes terræ*. Ecce præmia, quæ Abrahamo pollicitus eſt Deus, quæ quidem graves erant rationes, necnon motiva urgentia, quibus ſanctus hic Patriarcha ad Deo obediendum trahetur. Sed *quænam Magos ratio commovit? quænam etiam ſpes impulit præmiorum, ut ad Regem adorandum venirent, tam vaſto præſertim a ſe terrarum ſpatio ſeparatum?* Nulla certe hoc eis humana ſuadebat ratio; quin contra innumeras mundi ſapientia adducebat rationes, ut illos ab exeundo extra regna, & ab inquirendo Chriſto averteret; Chriſtus tamen per gratiam intus moventem, & Magos trahentem, de mundi ſapientia triumphavit: *Magos trahit per gratiam quæ invitat, per lucem, quæ informat; Laur. Juſt p.* 1. *de lign. vit.* quare glorioſius Deus in Regibus Magis, quam in Abrahamo, de mundi ſapientia triumphavit.

Cum Magi, qui Aſtronomi erant, ipſis a Chriſto delegatam ſtellam viderunt, eam novam eſſe, & prodigioſam, necnon magnum quid præſagire agnoverunt: externæ autem huic ſtellæ internam aliam ſuperaddidit Chriſtus, quæ quid externa ſignificaret, manifeſtavit, & quæ in Magorum cordibus fortiter operata eſt, ut illos ad Chriſtum inquirendum alliceret: *Agente ſtella in cordibus eorum*. *S. Leo*. In cujuslibet horum Principum corde agebant Chriſti gratia, & mundi ſapientia; in eorum corde, ſicut olim in ventre matris Jacob & Eſau, decertabant: oppoſitarum rationum inter eas initum eſt certamen inſtante ſemper mundi ſapientia, ut Reges a tam longo, tamque difficili itinere ſuſcipiendo averteret; ſed de ea glorioſiſſime triumphavit Deus per gratiam ſuam, quia Magi, ſuperatis omnibus mundanæ ſapientiæ ratiociniis, Chriſtum prompte, ſollicite & generoſe quæſierunt. *Prompte* quidem, quia ubi primum ſtellam viderunt, continuo vocanti Deo obtemperantes, in viam ſe dederunt. *Vidimus*, ajunt, *ſtellam ejus, & venimus*: *Matth.* 2. ibi enim inter videre & venire nihil eſt medium. *Sollicite* etiam Chriſtum quæſierunt, quia feſtinanter inceſſerunt, ab omnibus ſibi obviis inquirentes, ubi eſſet Chriſtus. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Chriſtum tandem *generoſe* quæſierunt; quia Jeroſolyma tranſierunt, ibique coram Herode Chriſtum Regem Judæorum vocare non timuerunt: *Dum conſiderabant Regem futurum, non timebant Regem præſentem*. *Imperf. hom.* 2. O glorioſum Chriſti recens nati de mundi ſapientia triumphum! & o utinam ita de omnium hominum cordibus triumpharet!

De

De Regibus Magis triumphavit Chriſtus, quia derelictis propriis, ad eum ierunt. Sed o quam pauci hos Reges imitantur? quam pauci de terra ſua exeunt, ut ad Chriſtum vadant? ut enim ait Doctor Seraphicus: *Ecce Reges ſæculares regni negotia intermittunt, & Deum quærunt, quem tamen multi etiam Litterati & Religioſi negligunt. S. Bonav. ſerm. 2. Epiph.* Stellas vocantes ad nos mittit Chriſtus: *Vocat nos Deus per ſe:* inquit S. Gregorius *vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Paſtores, vocat per miracula, vocat per flagella, vocat aliquando per proſpera, vocat aliquando per diverſa. S. Greg. hom. 36. in Evang.* Ecce ſtellas quibus Chriſtus nos vocat; ſed pauci de terra ſua egrediuntur, ut ad eum vadant. O peccator exi de terra voluptatum tuarum, in qua non invenitur Chriſtus: *Nec invenitur in terra ſuaviter viventium: Job* 28. 13. exi de terra luxuriæ & ingluviei, cui agglutinatus eſt venter tuus: *Conglutinatus eſt in terra venter noſter: Pſalm.* 43. 25. exi de terra omnium iniquitatum tuarum, ut ad Chriſtum vadas: cum gratiæ ſtella apparuerit, ne cuncteris, ſed protinus, vocatus ad vocantem feſtina. Ne, quæſo, Judæis & Herodi ſis ſimilis, qui ſtellam Magoſque ſequi noluerunt, & ideo in perfidia ſua perierunt; non illi imitandi ſunt, ſed Magi, & cum illis quærendus eſt Chriſtus, quouſque inveniatur in civitate in qua inhabitat. Chriſtus eſt Rex & Dominus omnium virtutum: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*, inquit Pſalmiſta: *Pſ.* 23. 10. *Sicut autem*, ait S. Vincentius Ferrerius: *Rex eſt Dominus civitatum ſui regni, ita Chriſtus eſt Dominus omnium virtutum, quæ dicuntur civitates ſuæ; ſi ergo volumus ipſum perquirere cum Sanctis Regibus, quæramus eum in ſuo dominio, quia Rex communiter moratur in ſuo regno.* Humilitatem, paupertatem, obedientiam, aliaſque virtutes ſectemur: hæ ſunt ejus civitates, ibi eum inveniemus cum Magis, qui eum invenerunt in civitate Bethlehem, *ubi de eorum majeſtate triumphavit.*

TERTIA PARS.

Triumphat Chriſtus de Regia majeſtate, quia Reges Magi coram illo procidunt.

NOn penſandum eſt, Magos nomine ſolum fuiſſe Reges: erant enim veri Reges, qui, ut ait Hugo Cardinalis, regio cum apparatu & comitatu in Bethlehem ſe contulerunt, cumque ſtella qua ducebantur, ſupra ſtabulum ſtetiſſet, in illud ingreſſi ſunt, ibique invenerunt puerum recens natum, exiguum corpore, & ita contemptibilem paupertate, ut Regia eorum majeſtas vetare videretur, ne ſupremos illi honores impenderent. Sed Chriſtus per fidem quam animabus eorum infudit, per gratiam, qua corda illorum illuſtravit, & per divinum quoddam lumen, quod in facie ejus radiabat, ita de eorum majeſtate triumphavit, ut proſtrati illum adoraverint: *Et procidentes adoraverunt eum. Matth.* 2.

Cum Reges Magi Bethlehemiticam ingreſſi ſunt ſpeluncam, externa ibi nulla viderunt regiæ majeſtatis indici, non regium ibi erat palatium, non regalis thronus, non armati cuſtodes, non ſtipantium caterva, non aurea & argentea vaſa, non ſerica & auro contexta ſedilia, non regni proceres, nec exercituum Duces. Unde in hæc verba prorumpit Sanctus Chryſoſtomus. *Imperf. in c. 3. Matth.* numquid Reges viderunt palatium marmore ſplendidum? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? numquid puerum auro & purpura involutum? ſed quid? diverſorium tenebroſum & ſordidum, & animalibus potius, quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus ſecedere, niſi itineris neceſſitate coactus. Matrem ejus vix tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat uxor fabri peregre conſtituta. Puerum pannis viliſſimis involutum, & ſordidiore in præſepio poſitum, quia locus ille ſic erat anguſtus, ut nec ponendi Infantem ſpatium invenirent. O magnam Chriſti pueri paupertatem! o portentoſam ejus humilitatem! nihilominus Chriſtus puer, Chriſtus pauper, & Chriſtus humilis, per gratiam qua Magos illuminavit, & per divinum quoddam lumen, quod in ejus vultu fulgebat, ita de eorum Regum majeſtate triumphavit, ut coram illo prociderint; cumque ut Deum adoraverint: *Adorant in carne Chriſtum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majeſtatis. S. Leo ſerm. de Epiphania.*

Cum tres Magos, inquit S. Leo, *ubi ſupr.* ad adorandum Jeſum novi ſideris claritas deduxiſſet, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem, non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquentiam reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt; ſed puerum ſilentem, quietum, & ſub matris ſollicitudine conſtitutum. Eos tamen, ut ait S. Bernardus, *ſerm. 3. Epiph. non offendit vilis habitatio ſtabuli, non paupeties præſepii, non indigentia matris, non latentis infantia ſcandalizat.* Cur non offenduntur, nec ſcandalizantur hi Principes, videntes puerum quantitate parvulum, *alienæ opis indigum; fandi impotentem, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilem? S. Leo ubi ſupr.* Iis certe magna videbatur eſſe ſcandali ratio, non tamen ſcandalizantur; quia, ut ait Theophylactus, *in c. 2. Matth. multis argumentis didicerant quod eſſet Deus.* Stellam portentoſam viderant Magi, ecce unum argumentum: ſtella hæc eorum dux fuerat, ecce aliud argumentum; ſtella ſupra Bethlehemiticum antrum ſteterat, ecce aliud argumentum; ex Chriſti facie divinitatis quædam indicia prodibant, ecce aliud argumentum; Chriſtus corda Magorum gratiæ ſuæ lumine illuſtrabat, & ad ſui amorem accendebat, ecce aliud argumentum. His autem argumentis ita de his Regibus Chriſtus triumphavit, ut ad pedes ejus ſe proſtraverint, cumque ut Deum adoraverint: *Hominem vident, & Deum adorant. S. Chryſoſt. ubi ſupr.*

Sidereum quid in Chriſti vultu radiabat, quo ſpectantium ſibi conciliabat animos, & corda devinciebat: *Dicitur Jeſus quiddam habuiſſe in vultu, & in oculis ſidereum, quo divinitus permulceret piis. D. Paſch. in Pſalm.* 44. Abeſte hinc o vos nimii ſtellarum cultores, quibus tantam ineſſe cenſetis virtutem, ut humanas etiam voluntates rapiant. Non ea eſt

ſtel-

Digitized by Google

ſtellarum poteſtas, ſed Chriſti virtus, qui unus perficit quod de ſtellis Aſtrologi judiciarii vulgo fabulantur; Magos enim ad ſe traxit ſtella gratiæ, quam in cordibus eorum formavit, illos ad ſe duxit ſtella materialis, quam oculis eorum objecit, & de eorum majeſtate triumphavit vultu ſidereo quem prætulit. Nam cum ipſe eſſet *ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ ejus*, Hebr. 1. 3. etiam in illius facie divinitatis quædam indicia prodibant, quæ cum intuerentur Magi, divino afflati Spiritu, ejus imperio colla ſubdiderunt, illumque tamquam Deum adoraverunt: *Hominem vident, & Deum adorant*.

O glorioſum Chriſti triumphum, qui ita de Regibus Magis triumphat, ut ipſum procidentes adorent! O utinam ita de hæreticis triumphaſſet, immo & de Catholicis! hæretici enim Chriſtum in Euchariſtia adorare renuunt, & multi Catholici eum adorare fingunt; quantum vero in ipſis eſt, interimunt eum quem adorare ſe ſimulant. Hujuſmodi ſunt quotquot indigne corpus Chriſti ſumunt: hi rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, & dum illud adorare fingunt, quantum in ipſis eſt, ei mortem inferunt. Quis non clamet eos ſimiles eſſe Herodi, qui Chriſtum adorare velle ſimulabat, & nil aliud, quam illum trucidare intendebat? Magis enim dixit Herodes: *Ite & renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum*. Matth. 2. O calliditatem fictam! o incredulitatem impiam! o nequitiam vere fraudulentam! quia, ut ait S. Chryſoſtomus: *Imperf. in c. 2. Matth. devotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis ſui humilitatis colore depingebat*. Herodi ſunt ſimiles qui indigne ſanctiſſimum Chriſti corpus recipiunt, quia dum Chriſtum adorare videntur, eum, quantum in ipſis eſt, occidunt: *Qui manducat, & bibit indigne*, inquit S. Paulus, *reus erit corporis & ſanguinis Domini*: quomodo reus? *Ac ſi illum occidiſſet*, inquit S. Remigius.

Heu! quot in hoc mundo ſunt Herodiani criminis rei! quot Chriſtum, non in cunis, ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis perſequuntur! quot ſunt qui indigne divina hæc myſteria participant! accedis luxuriæ igne ſuccenſus? indigne participas: accedis ſpiritu vindictæ exæſtuans? indigne manducas; accedis alterius bona injuſte detinens? indigne ſumis: accedis tandem cor mortali quodam crimine inquinatum habens? indigne recipis, & quaſi alter Herodes; dum ad Chriſtum recipiendum & adorandum accedis, quantum in te eſt, illum interimis. O peccator, ait S. Chryſoſtomus, *in c. 2. Matt. Hom. 2. cave, ne Herodi efficiaris ſimilis; & dicas, ut ego veniens adorem eum: cumque veneris, interimere coneris. Hujus enim ſimiles ſunt, qui indigne abutuntur communione myſterii*. Ne ergo Herodi ſitis ſimiles, ſed piis Regibus Magis, qui in Chriſtum credunt, ad Chriſtum vadunt, & Chriſtum adorant; cum ipſis in Chriſtum firmiter credite, ad Chriſtum ferventer properate, Chriſtum reverenter adorate, & cum ipſis in cælo æternum regnabitis. *Amen*.

DE SANCTO ANTONIO ABBATE:

CONCIO UNICA.

Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. 2. Tim. 4.

Sicut firmamentum, ſeu cælum ſidereum, ſuis emicat aſtris; ita Eccleſia, quæ eſt cælum myſticum, Sanctis ſuis, tamquam tot ſideribus fulget: quare ſicut in cælo ſtellato nonnulla aliis rutilantiora, & fulgentiora ſunt ſidera; ita & in myſtico Eccleſiæ cælo quidam ſunt viri ſanctitate ſpeciali præcellentes, qui excellentiori lumine ſplendent, & qui, veluti ſidera portentoſa virtutum, miraculorum, & meritorum ſuorum radiis univerſam Eccleſiam illuminant, & mirabiliter illuſtrant. Inter fulgentiora hæc orbis Eccleſiaſtici lumina, omnium plane judicio, recenſendus eſt S. Antonius Abbas ex Ægypto oriundus, qui adhuc juvenis, magnas quibus fruebatur divitias pauperibus diſtribuit, & mundo valedicens, in vaſtam ſeceſſit eremum, ubi fuit flagellum dæmonum, fidei propugnaculum, norma virtutum, Monachorum Patriarcha, ſanctitatis prodigium, ſplendor vitæ eremiticæ; & ut paucis multa complectar, ibi pugnavit fortiter contra ſpiritualia nequitiæ, cucurrit feliciter in via perfectionis, & fidem uſque ad mortem ſervavit, & propagavit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Quod, quam verum ſit, ex dicendis patebit, &c. *Ave*.

Sanctus Paulus Apoſtolus, ut coronam juſtitiæ, & gloriæ obtineret, certavit, cucurrit, & credidit. Certavit Divus Paulus contra tartareas poteſtates, quæ illum inſectabantur, & adverſus angelum ſatanæ qui illum colaphizabat; *Bonum certamen certavi*. Cucurrit etiam Divus Paulus per ſemitas juſtitiæ, & per arctam omnium virtutum viam: *Curſum conſummavi*. Ipſe tandem innumeris hoſtium, & perſecutionum jactatus fluctibus, fidem illæſam & perfectam ſervavit: *Fidem ſervavi*. Miror Doctorem Gentium pugnantem, currentem, & credentem; ſed eſt etiam, quod quiſque miretur S. Antonium, qui glorioſiſſime pugnavit, cucurrit, & credidit: *Pugnavit* S. ille Abbas contra dæmones ſibi infenſiſſimos, de quibus triumphavit; *cucurrit* per vias innocentiæ, pœnitentiæ, & charitatis, a quibus numquam deviavit; *credidit* tandem fide viva, & generoſa, cui uſque ad mortem firmiter adhæſit. S. Antonius Chriſti athleta, diſcipulus, & teſtis extitit, ut Chriſti athleta generoſe contra dæmones decertavit; ut Chriſti diſcipulus, jucunde in altioris perfectionis via cucurrit; & ut Chriſti teſtis, fidem ejus uſque ad finem firmiſſime ſectatus, & teſtatus eſt. Antonius pugnavit, & ejus certamen fuit glorioſum: *Bonum certamen certavi*. Antonius cucurrit, & ejus curſus fuit perfectus: *Curſum conſummavi*. Antonius credidit, & ejus fides fuit admirabilis: *Fidem ſervavi*.

vi. Videamus 1. *Ejus certamen*, quod fuit glorioſum: 2. *Ejus curſum*, qui fuit perfectus: 3. *Ejus fidem*, quæ fuit admirabilis.

PRIMA PARS.

Sancti Antonii certamen fuit glorioſum.

Sanctus Antonius adhuc juvenis, audiens legi in Eccleſia hæc verba ex Evangelio ſumpta: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus; Matth.* 19. 21. tamquam hæc ſibi dicta eſſent, vendita re familiari pecuniam omnem pauperibus diſtribuit, & relictis parentibus, deſertum ingreſſus eſt, *in quo*, ut ait S. Vincentius Ferrerius: *Serm. de S. Antonio. aliud non egit, niſi pugnare cum diabolo*: Certamen autem ejus fuit glorioſum: quia contra dæmones certans 1. Eorum artes detexit, & declinavit. 2. Eorum ferocitatem contempſit, & deluſit. 3. Eorum potentiam confregit, & debellavit.

1. Dæmon, ut ait D. Hieronymus, *mille habet nocendi artes*; eſt hoſtis infeſtus, & verſutus qui ſemper inſidioſe agit; eſt ſerpens malignus, qui tortuoſe incedit: eſt *negotium perambulans in tenebris*, quod dolos parare & inſidias moliri non deſinit; &, ut ait D. Bernardus, *ſer. 3. in Pſal. Qui habitat. Dæmones ſunt rectores tenebrarum harum aſtutiſſimi, verſutia, & malitia diabolica fraudis*. Suas omnes artes adduxiſſe & inſumpſiſſe videtur veterator ſatanas, ut juvenem athletam Antonium a ſolitudine expelleret, & ad peccatum pertraheret: nunc enim ei in memoriam revocabat paternos lares, & pingue patrimonium, quod abdicaverat; nunc ei innoxias proponebat voluptates, quibus legitime, & abſque ullo propriæ ſalutis detrimento frui poterat; nunc horrorem vitæ ſolitariæ, necnon moralem in ſolitudine diu perſeverandi impoſſibilitatem inculcabat; aliquando aurum & argentum in itinere quo tranſiturus erat, diſſeminabat; interdum ſub formoſæ mulieris ſpecie ei ſe manifeſtans, illum ad luxuriam allicere conabatur; & interdum ſub pietatis ſpecie ei ad propria redire inſpirabat, ut ſcilicet ſororis juvenculæ, in ſæculo degentis, educationi incumberet. O quales dæmonis fraudes! quibus tamen non decipitur Antonius. O dæmon verſutiſſime, tuis artibus deciperetur, tuiſque caperetur laqueis juvenis hic athleta, ſi te tuaſque fraudes non agnoſceret; ſed divino illuſtrante lumine dolos tuos aperit, artes detegit, & fraudes eludit: videt quid intendas, cum mundi voluptates, bona temporalia, ſororem derelictam, aliaque peccati incitamenta proponis: quare cor ejus nec amore mollitur, nec compaſſione movetur, nec ambitione pulſatur, nec voluptate trahitur, nec omnibus tuis artibus a ſancto propoſito Eremum inhabitandi, & Deo ſerviendi avertitur.

Ultima & ſubtiliſſima dæmonis fraus eſt, inquit S. Fulgentius, ſe victum fateri, ad hoc ut per ſuperbiam dejiciat, quos aliis vitiis debellare nequivit: *Evidentibus vitiis provocat, in quibus, ſi palam ſuperetur, illico ſuperbiam perniciſſime jaculatur; ſe victum demonſtrat, ut vincat. Ep. 3. ad Probam c.* 5. Hujus fraudis oblitus non eſt dæmon reſpectu Sancti Antonii; hoc uſus eſt ſtratagemate, ut eum debellaret; poſtquam enim alias dæmonis fraudes detexit, & vitavit Antonius, apparuit ei fraudulentus ille hoſtis dicens: *Ego ſum fornicationis amicus, ego multimode adverſus omnes adoleſcentes turpitudinis arma ſuſcepi; innumeros ad libidinem allexi: nec quiſquam (te excepto) laqueos meos declinare valuit, te unicum mei victorem fateor: viciſti, Antoni, viciſti*: O malignam tenebricoſi illius ſpiritus artem! o fraudulentam Satanæ tentationem! quam non ſecus ac alias detexit, & declinavit Antonius. Quare ſi de B. V. Maria dixit Clemens Alexandrinus, *in adhor. ad Gentes*, quod *ſerpentis ſerpens fœmina*, extiterit, quia tartareum ſerpentem decepit & vicit; de S. Antonio dici etiam poteſt quod fuerit *ſerpentis ſerpens vir*: quia ſi dæmon ſerpentis, qui erat *callidior cunctis animantibus terræ*, indolem & artes induit ut Antonium deciperet, illius ſerpentis ſerpens fuit Antonius, quia ſerpentina & cæleſti ſua prudentia ſerpentis infernalis artes, dolos, fraudes & omnes machinationes ſapienter detexit, & glorioſe declinavit. Sed glorioſum etiam extitis Antonii certamen, *quia dæmonis ferocitatem contempſit & deluſit*.

2. Ferociſſimus & ſæviſſimus eſt Satanas, tantaque rabie adverſus homines fertur, ut eos omnes occideret, omniaque ad uſum eorum facta peſſundaret, ni a Deo Optimo Maximo cohiberetur, ejuſque feritas mitigaretur, & poteſtas ligaretur: *Futurum eſt*, inquit Baſilius Seleucus, *ut omnia funditus pereant, nec quidquam reliquum ſit non dæmonum violentia convulſum, niſi inexpugnabili Dei manu muniatur. Baſil. Sel. Orat.* 24. Hanc dæmonis ſævitiam & ferocitatem manifeſtat ſacer Textus, cum illum leoni & urſo comparat: *Leo rugiens, & urſus eſuriens Princeps impius. Prov.* 28. 15. Nil crudelius & ferocius leone rugiente & urſo eſuriente; ſed nil etiam ferocius dæmonibus, qui ut ſuam explicarent feritatem, nonnumquam ſub his leonum, urſorum, & aliorum animalium ſylveſtrium figuris S. Antonio apparuerunt: fingebantque ſe velle eum vorare, ut ei timorem incuterent, illumque a ſolitudine expellerent: ſed ſanctus ille juvenis dæmonum ſic transfiguratorum & in belluinas figuras formatorum feritatem irriſit, & ſolo crucis ſigno has larvas diſſipavit. Pueri & ſtolidi larvas timent, quibus ſapientes nullo modo commoveri ſolent, quin potius iis ad riſum provocantur: ſic Sanctus Antonius, qui a Sancto Athanaſio *vir ſapientiſſimus* vocatur, infernales has larvas, & inania illa ſpectra non timebat, quin potius ea irridebat, & ita contemnebat, *ut illis exprobraret imbecillitatem. Breviar. Rom.*

Alphonſus Rex, ut refert Æneas Sylvius, rogatus quiſnam foret homo liber? reſpondit, hunc eſſe virum ſapientem, qui nihil timebat:

ſapiens ſibique imperioſus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

Antonius fuit quidem vir ille ſapientiſſimus, quem nec dæmonum facies combuſtæ, nec ſpectra quæ oculis ejus objiciebant, nec terrificæ leonum, urſorum, luporum, aliorumque brutorum figuræ quas ſume-

ſumebant, nec aliud quidquam terrere potuit; quia contra, in Domino confidens, & dæmones & omnia eorum terricula contempſit. Fuit ergo glorioſum Antonii certamen, quia dæmonum ferocitatem contempſit, ac deluſit; ſed fuit etiam glorioſum, *quia dæmonum potentiam confregit, & debellavit.*

3. Portentoſa eſt dæmonis poteſtas & fortitudo, quam deſcribens Job, ait: *Reputavit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum, æs: non fugabit eum vir ſagittarius: Job 41. 19.* & tandem concludit, dicens: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Poteſtas tamen ejus eſt ſub poteſtate, ſeu divinæ ſubordinata omnipotentiæ; & licet nobis nocere inceſſanter intendat, tantum nocet, quantum Deus permittit, & non amplius. Unde D. Gregorius ait: *Dæmonem a ſemetipſo voluntatem habere; ſed poteſtatem a Deo:* iniqua enim ſua voluntate nocere continue appetit, ſed Deus nocendi poteſtatem temperat, & juxta beneplacitum ſuum ei impertit. Dæmoni autem permiſit Deus ſuam in B. Antonium exercere poteſtatem, eamque inique exercuit, tum fœda in ejus imaginatione excitando phantaſmata, tum horrendas oculis ejus objiciendo figuras, tum flagellis eum cruentando, tormentiſque ita gravibus eum afficiendo, ut teſte D. Athanaſio, *univerſa hominum tormenta ſuperarent.* Sed in his certaminibus dæmonum potentiam pertulit, & de illis glorioſe triumphavit; quia nec minis, nec terroribus, nec flagellis, nec gravibus quibuſque tormentis, ab eo vel minimum conſenſum ad peccatum extorquere valuerunt. Sicut enim de nobis triumphant dæmones, cum malignis eorum tentationibus noſtrum præbemus conſenſum: ita & nos de iis triumphamus, cum perverſis eorum ſuggeſtionibus reſiſtimus, & conſenſum negamus. *Quoties eis reſiſtimus, toties eos ſuperamus: S. Bernard.* quare cum Divus Antonius dæmonibus conſtanter reſtiterit, de iis triumphaſſe certum eſt. Immo, & ſi ſic loqui fas eſt, eos juvenis hic athleta interemiſſe videtur.

Dæmones, inquit ſanctus Gregorius, *hom. 8. in in Pſalmus 100. debemus interimere;* qui fieri poteſt, ut interimantur ſpiritus illi cæleſtes, qui immortales ſunt? ſcimus, factum eſſe prælium magnum in cælo, in quo *Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; Apoc. 12. 7.* ſed in illo prælio, in quo innumeri ex utraque parte decertabant milites, nullus periit; quia Angeli, ſive boni, ſive mali, immortales ſunt, ac proinde interimi nequeunt: Deus ipſe, qui eſt omnipotens, Angelos quidem annihilare poſſet, ſed interimere non poſſet: ut quid ergo Div. Gregorius, ait, quod *debemus interimere dæmones? Ubi ſupr.* Doceat nos ſanctus ille Pontifex, quomodo hi ſpiritus tenebrarum interimantur? *Tunc,* inquit, *interitus illorum eſt, ſi non peccemus:* cum enim in omnibus, quæ dæmones adverſus nos ineunt, certaminibus hoc ſolum intendant, quod peccemus, & quod per peccatum ſpiritualem animæ noſtræ mortem inferant; de iis triumphamus, eoſque quaſi interimus, cum pravæ eorum voluntati reſiſtentes, a peccato abſtinemus: & ſic ſanctus Antoninus victor & debellator fuit dæmonum, eos vicit, dejecit, & quaſi interemit; quia, nec in minimo, malignis eorum ſuaſionibus conſenſit. Unde de ipſo dici poteſt quod de Job prædicat Tertullianus: *Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit! quale vexillum de inimico ſuo extulit! Tertull. l. de patient. 14.* Antonio enim mortem, feretrum, & tumulum diaboli Deus extruxit; quia ſanctus hic athleta dæmonum potentiam ita enervavit, infregit, & quaſi peſſumdedit, ut ipſis factus ſit formidoloſus; ejuſque triumphi ita famoſi facti ſunt, ut ex omnibus orbis terrarum partibus homines volaverit, ad videndum hunc generoſum dæmonum debellatorem: *Totius orbis homines ad eum confluebant, & univerſarum gentium varietas bellicoſiſſimum contra dæmones virum conſpicere geſtiebant. S. Athan.*

O quam glorioſa fuere Antonii certamina! ſed heu! quam nobis ignominioſa ſunt, quæ dæmones adverſus nos ineunt prælia? Certavit Antonius, certamus & nos; triumphavit ille de dæmonibus, quia malignis eorum ſuggeſtionibus non conſenſit; & de nobis triumphant dæmones, cum tentationibus eorum dejicimur, & ad peccatum trahimur. Heu! quot de nobis dæmon victorias retulit? quot trophæa erexit? Sed audiamus hodie ſanctum Antonium hortantem fratres ſuos ad generoſe contra dæmones pugnandum; contemplemur hunc athletam acriter contra tartareas poteſtates decertantem, & ejus exemplo ad prælium audacter ineundum accendamur. Tunc dæmones vincimus, cum eis reſiſtimus: quare cum ad malum nos provocant, eis generoſe reſiſtendum eſt: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis. Jacob. 4.* Sed ut glorioſius de eo triumphemus, hortatur nos Divus Auguſtinus, ut caput ejus calcemus, ſeu quod ſuggeſtionibus ejus ab ipſo principio reſiſtamus: *Si diabolus calcaneum tuum obſervat, tu caput illius obſerva, caput illius eſt initium malæ ſuggeſtionis; quando incipit mala ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur caſus. S. Auguſt.* Ut autem facilius de dæmone triumphemus, auxilium imploremus S. Antonii, qui glorioſe contra dæmones decertavit, & qui feliciter in via perfectionis cucurrit: *Curſum conſummavi.*

SECUNDA PARS.

S. Antonii curſus fuit perfectus.

IMpii in hoc mundo per ſpatioſam ſuperbiæ, voluptatum, omnium vitiorum viam currunt, & recta ad tartarum vadunt: *Spatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Matth. 7. 13.* Sanctus autem Antonius non per ſpatioſas, & tenebroſas peccatorum vias, ſed per arctas & ſanctas juſtorum ſemitas inceſſit, ejuſque curſus ſanctus fuit & perfectus: quia cucurrit. 1. Per viam pœnitentiæ. 2. Per viam humilitatis. 3. Per viam charitatis.

1. Duæ ſunt viæ, una juſtorum, altera peccatorum, una æquitatis, & altera iniquitatis. Via peccatorum lata eſt & ſpatioſa: via vero Juſtorum, qua itur ad cælum, arcta eſt & anguſta: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam. Matth. 7. 14.* De Regibus Magis narrat ſacer Textus, quod poſtquam Chriſtum adoraverunt, *per*

aliam

Digitized by Google

aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam: cur non per eamdem, ſed per aliam viam ad propria revertuntur? Reſpondet S. Cyprianus, *ſerm. de ſtella & Magis*, hoc ad noſtram factum eſſe inſtructionem, ut ſcilicet advertamus, quod *per vias latas itur ad infernum, per arctas vero, & difficiles reditur ad ſuperos:* Quia enim per libertatem, & voluptatem lapſus eſt Adam, & in eo nos omnes in peccatum, indeque in omnes concupiſcentias: hinc omnium horum remedium non eſt aliud, quam arcta pœnitentiæ, & mortificationis via incedere, ut contraria contrariis curentur. Unde S. Barlaam, ut refert D. Damaſcenus, Joſaphat Regi dixit, viam ad vitam eſſe *martyrium, vel ſanguinis, vel pænitentiæ* & mortificationis. Hoc autem ultimum, pœnitentiæ ſcilicet Martyrium, ſibi indixit S. Antonius, hanc ſuſcepit viam; ab adoleſcentia enim in deſertum ſeceſſit, ubi uſque ad centeſimum quintum vitæ ſuæ annum, ſeu uſque ad mortem, omnis pœnitentiæ & mortificationis viam tenuit. Non ibi mollibus veſtiebatur, ibi delicatis non veſcebatur cibis, ſed ſacco indutus, humi jacebat, modico ſolum pane victitabat, ſola aqua ſitim extinguebat, ſæpe biduum cibo abſtinebat, & nunquam ante ſolis occaſum cibum ſumebat. Vigiliis multis, laboribus plurimis, orationi continuæ, aliiſque durioris mortificationis operibus indeſinenter vacabat, & ut loquitur S. Athanaſius, *hic fide, vigiliis, & jejuniis corpus omne vallabat*. In via qua ad cælum pergimus, inſidias nobis parant ſalutis noſtræ inimici; inſidiatur mundus, inſidiatur caro, inſidiantur dæmones; ut autem Antonius recta ad cælum iter, & animæ ſuæ hoſtibus non retardaretur, vigiliis, jejuniis, & omnibus pœnitentiæ operibus, tamquam muris fortiſſimis, vel tamquam clypeis ſe vallavit: *Vigilis, jejuniis corpus omne vallabat*. Ecce arctam pœnitentiæ viam, qua inceſſit Antonius, qua quidem omnes incedere deberent; vitanda eſt lata via voluptatum illicitarum, & arripienda eſt via mortificationis, & pœnitentiæ: *Omni ſtudio lata ſæculi via vitanda eſt, quæ ducit ad mortem; at vero omnis cordis deſiderio via anguſta, quæ ducit ad viam, adeunda eſt & appetenda. S. Auguſt. de tripl. habit. c. 4.* Felicius eſt per aſperum iter ad regnum, quam per amœnum planumque ad ſupplicium duci: quare per aſperam pœnitentiæ viam incedit cum ſancto Antonio, qui currit per viam pœnitentiæ, *ac etiam per viam humilitatis*.

2. In hoc mundo tot ſunt viatores, quot ſunt homines; quia omnes in via ſumus, qua ad patriam pergimus: humilitas autem, quæ eſt fundamentum perfectionis, eſt etiam via ſalutis; hæc eſt via ſecura, qua incedere debemus, ſi ad regnum cælorum pervenire cupiamus; non enim ſuperbi, ſed humiles ad cælum elevantur: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Excelſum, & ſublime eſt regnum cælorum, ſed ad illud itur per viam humilitatis: *Excelſa eſt patria, humilis eſt via. S. Aug. in Joann.* Hæc eſt ſapientia cæleſtis, & mundo paradoxa; veriſſima tamen, quia certiſſimum eſt, viam ad gloriam eſſe fugam gloriæ, & amorem humiliationum: nam, ut docet Spiritus Sanctus, *Gloriam præcedit humilitas*. O quam pauci hanc norunt ſapientiam! quam pauci per viam humilitatis incedere volunt, ut aſcendant ad regnum cælorum! ſed inter paucos unum demiror Antonium, qui per ſecuram humilitatis ſemitam perfectiſſime inceſſit. Quanto ſanctior, tanto humilior erat, & quanto ab aliis pluris fiebat, tanto ſe magis contemptibilem, & deſpicabilem reputabat. *Non eſt magnum*, inquit Div. Bernardus, *eſſe humilem in abjectione, magna prorſus & rara eſt virtus humilitas honorata; S. Bern. de 12. gradu hum.* talis autem exitit Antonii humilitas, qui tunc in altam humilitatis abyſſum profundius deſcendebat, cum ab Imperatoribus epiſtolas accipiebat, cum a Philoſophis etiam gentilibus inviſebatur, & cum ab omnibus colebatur, nec non *Magnus* prædicabatur.

Noverat S. Antonius quantum juvaret humilitas; ipſe namque narrat: *Vidi cunctos inimici laqueos ſuper terram expanſos, ſuſpiranſque ajebam: quis ſuperabit illos? dictumque eſt mihi: humilitas eos ſuperabit:* multos quidem laqueos Antonio tetenderat ſatanas: ſed ab iis ſe extricavit, vel potius ab iis capi nequivit, quia tuta, & ſecura humilitatis via inceſſit: *Epiſcopis atque Presbyteris, quaſi humilitatis Diſcipulus, ad obediendum caput ſubmittebat. S. Athan.* Cum ab ipſo petiiſſet Martianus militum Præfectus, ut filiam ſuam a dæmonio liberaret, *negavit a ſe, quia peccator eſſet, oportere auxilium ſperare*. Timebat humilis Antonius, ne permagnus vir ditiſſimus ſublato poſt mortem ejus corpore, in illius honorem Eccleſiam fabricaret; quare cariſſimos filios enixe rogavit, ut corpus ejus in loco abſcondito, & hominibus ſæculi penitus ignoto, ſepelirent: *Et illud*, inquiebat, *cuſtodite mandatum, ut nemo præter veram dilectionem, locum tumuli mei noverit. Spond.* Alia multa humilitatis ejus ab Hiſtoricis referuntur teſtimonia, quibus humilitatis via incedere docemur, ut ad cælum ſublevemur. Non arrogantiæ, ſed humilitatis profundæ tenenda eſt via: *Pergite viam ſublimitatis pede humilitatis. S. Aug. de S. V. c. 52.* Deus ſuperbis reſiſtit; eoſque odio habet. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans: Prov. 16.* quare cavete, ne in vobis ſit pes ſuperbiæ, ne incedatis per viam arrogantiæ, ſed per viam humilitatis, ſicut B. Antonium, *qui etiam inceſſit, & cucurrit per viam charitatis*.

3. Omnium viarum, quibus ad cælum itur, perfectiſſima, & præſtantiſſima eſt charitas: hæc eſt excellentior illa via, quam Corinthiis patebat D. Paulus dicens: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro: 1. Cor. 11.* id eſt, ut explicat Hugo Cardinalis, *charitatem, quæ inter omnes virtutes eſt melior via eundi ad quietem æternæ beatitudinis*. Hac autem via perfectiſſime inceſſit S. Antonius, qui quidem omnibus floruit virtutibus, ſed præcipue ardentiſſima erga Deum charitate. Unde D. Athanaſius, de illo ait, quod Fratrum cellas luſtrare ſolitus erat, in quibus inſtar ingenioſæ cujuſpiam apis, mel earum virtutum, quæ in ſingulis magis rutilabant, ſtudioſe colligebat; ab uno humilitatem, ab alio patientiam, & ab alio obedientiam ediſcebat; unius continentiam, alterius vigilantiam, & alterius lenitatem adnotabat; ſed præcipue charitatem, quam ſolicite in corde ſuo ſervabat, *omniumque vicariam erga ſe retinens charitatem, ad ſedem propriam regrediebatur. S. Athan.*

Tan-

Digitized by Google

Tanta Antonii erga Deum fuit chariras, ut non quia eum timebat, ſed quia eum amabat, omnia peregerat. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, inquit S. Joannes: 1. 4. quæ verba explicans D. Auguſtinus ait: *Timor ſervus eſt charitatis. Ne poſdeat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet venturæ Dominæ locum, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ. Veniet Domina, & ſervus abſcedet, quia charitas conſummata foras mittit timorem. S. Aug. ſer. 13. de verb. Apoſt.* Ad perfectam autem, & conſummatam hanc charitatem pervenerat Antonius, qui non ex timore judiciorum Dei, ſed ex ejus ardentiſſimo amore omnia operabatur. Unde S. Ephrem ſic eum loquentem inducit: *Ego non amplius timeo Deum, ſed diligo; nam dilectio foras mittit, expellitque timorem. S. Epiph. in Apoph.* O magnam Antonii charitatem! ipſe non delectatus eſt in ſemitis impiorum, ſed ferventiſſime per viam charitatis cucurrit. O utinam omnes eadem incederent via! *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: Eph. 3. 13.* quaſi inſipientes ambulant, qui iniquitatis viam tenent, & qui peccatis ſe illaqueant; ſed caute & ſapienter ambulant, qui per charitatis & amoris Dei viam incedunt; hæc eſt via, in qua ambulandum eſt: *ambulate in dilectione*, inquit D. Paulus; *Epheſ. 5.* ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis, *proficite in dilectione, quia dilectio eſt via optima, in qua viator non debet ſtare, ſed ſemper pergere*. Currite ergo per viam charitatis cum D. Antonio, cujus curſus fuit perfectus; *& cujus etiam fides fuit mirabilis.*

TERTIA PARS.

S. Antonii fides fuit admirabilis.

NUllæ majores divitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla hujus mundi major eſt ſubſtantia, quam eſt fides Catholica, quæ peccatores homines ſalvat, cæcos illuminat, infirmos curat, fideles juſtificat, juſtos augmentat, & in æterna hæreditate cum ſanctis Angelis collocat. S. Aug. ſer. de verb. Domini. Hanc fidem, quæ ubique eſt mirabilis, in S. Antonio demiror, qui habuit: 1. fidem operantem: 2. fidem generoſam: 3. fidem honoratam.

1. Fidem ſine operibus mortuam eſſe certum eſt. *Fides ſine operibus mortua eſt. Jac. 2. 20.* ſicut enim mortuum eſt corpus, cum ab eo ſeparatur anima; ita & mortua eſt fides, cum a ſanctis operibus eſt ſejuncta: *Mortua fides eſt*, inquit S. Bernardus, *quæ non operatur ex charitate. S. Bern. epiſt. 42.* Sicut corpus mortuum verum eſt corpus, etiamſi ab anima ſeparetur; ita & fides, licet a charitatis operibus ſeparetur, eſt vera fides, perfectamque fidei rationem ſortitur: ſed eſt fides inanimis, mortua & cadaveroſa; *Quid eſt fides, quæ non operatur, niſi cadaver exanime? S. Bern. ſer. 124. in Cant.* O quam multi fide illa mortua & exanime Religionis Chriſtianæ myſteria credunt & confitentur! quam multi credunt & non faciunt! ſed S. Antonii fides non fuit inanis, otioſa & inanimis; credidit, & mirabilia operatus eſt in vita ſua. Antonii fides in toto terrarum orbe prædicabatur, & ipſe ab omnibus ævi ſui fidelibus, velut columna, propugnaculum, ſpeculum & regula fidei inſpiciebatur: quare Ariani, ut ad ſuam ſectam fideles adducerent, Magnum Antonium eadem cum ipſis ſentire fraudulenter finxerunt; qua de re a Sancto Athanaſio aliiſque Epiſcopis certior factus, relicta ſolitudine Alexandriam adivit, ubi de Catholica fide quam ſectabatur, palam verbis, factis, & miraculis ſpecimen edidit: quo, ut affirmat Sanctus Athanaſius, innumeri Gentiles ad fidem ſunt converſi, Catholici in fide ſua ſunt confirmati, & Hæretici ſunt confuſi.

Deum aliquando ſic affatus eſt S. Antonius: *Domine cupio ſalvari: quo facto ſalutem conſequar? S. Epiph. in Apoph.* Ei autem oſtendit Deus hominem nunc orantem, & nunc laborantem: audivitque Angelum dicentem: *Sic fac & vives*; quaſi diceret: o Antoni, ut ſalveris, non ſolum credenda ſunt ſpeculative fidei myſteria; ſed ita credenda ſunt ut orationi vaces; ita credenda ſunt, ut ſanctis operibus incumbas; fides tua non debet eſſe deſidioſa, ſed operoſa. O præclaram doctrinam! ſed o docilem & fidelem diſcipulum Antonium, qui orationi plerumque vacabat, & cum ab oratione ceſſabat, charitatis operibus erga fratres & filios ſuos aſſidue incumbebat, immo & interdum Alexandriam adibat, ut pro Chriſti fide propaganda laboraret: ſibi enim Chriſti Confeſſores & Fideles in carceribus detentos inviſebat, eos ad generoſe pro fide Catholica decertandum hortabatur, illos ad tyrannorum & præſidum tribunalia comitabatur; conſolabatur mœſtos, titubantes in fide confirmabat, omneſque Fideles variis charitatis officiis proſequebatur. Ecce fidem vere operantem. *Sed Fides S. Antonii fuit etiam generoſa.*

2. Tanta Arianorum erat perſecutio tempore S. Antonii, ut fidelium alii, tormentis cedentes, fide caderent; & alii, ut vitarent ſupplicia, antra incolerent. Multi trepidantes, nec de ſe ſatis fidentes, ad ſolitaria & recondita loca fugiebant; multique a vera religione deſciſcentes, ut vitæ ſuæ conſulerent, Hæreticorum dogmata profitebantur. At ita generoſa erat S. Antonii fides, ut martyrii lauream ambiens, ſupplicia non timeret, & armatam hæreticorum rabiem nullatenus fugeret: quin contra, ut ipſe moriens confeſſus eſt, eos continue inſectabatur, nec quidquam iis pacifice loquebatur: *Scitis ipſi, quod nullus cum eis pacificus ſermo aliquando fuerit propter eorum pravam voluntatem, & pertinax contra Chriſtum bellum. S. Athan.* Carnificum tormenta non timebat Antonius, ſed optabat: pro Chriſti fide mori non recuſabat, ſed ambiebat; *multumque contriſtabatur*, inquit S. Athanaſius, *quia volenti pati pro nomine Chriſti, martyrium non dabatur.* O vere generoſam S. Antonii fidem! quæ adhuc generoſior apparet, quia non ſolum tyrannos non timebat, & ſupplicia non fugiebat; verum & judices ad ipſum pro Chriſti fide cruciandum provocabat: cum enim exorta Alexandriæ gravi perſecutione Chriſtiani & ipſi Monachi fugerent & latitarent, Antonius martyrii cupidiſſimus, alios palam exhortabatur ad palmam, & ipſe candida indutus veſte ex eminenti loco procedentem judicem ſuo provocabat aſpectu. Unde, *ſi homines generoſos ſemper & ubique fortiter agere decet; Proc. l. 8. de Geb.* quis Anto-

nium generoſum eſſe neget, cum pro Chriſti fide decertari & mori ſemper & ubique paratus fuerit? generoſiſſima quidem ejus fides extitit, ſed *habuit etiam fidem honoratam*.

3. Ariani qui contra fidem Catholicam blaſphemabant, eam in Antonio venerabantur; quippe qui alios Catholicos apprehendebant, carceribus mancipabant, variis modis cruciabant, & crudeli morte plectebant; Antonium vero, quo omnis generis ſupplicia, & ipſam mortem pro Chriſti fide pati optabat, amabant, æſtimabant, & plurimum venerabantur. *Tanta eſt ſanctitas Chriſtianæ Religionis*, inquit V. Beda, *ut eam plerumque, qui foris ſunt venerationi habeant*: quod revera comprobatum eſt in B. Antonio, cujus fides ita ſancta, perfecta, & omnibus numeris fuit abſoluta, ut Arianos, alioſque Hæreticos ad tanti Viri venerationem coegerit. Eum veneratus eſt Conſtantinus Auguſtus, eum venerati ſunt ejus liberi Conſtans, & Conſtantinus, qui frequentibus eum literis honorabant; eum tamquam fidei jubar & propugnaculum venerati ſunt ſui temporis Epiſcopi, & omnes Chriſti fideles: eum tandem cum Catholicis venerati ſunt ipſi Hæretici. Sed eum potiſſimum Deus honoravit: hic fuit fidelis Dei ſervus, qui uſque ad mortem in fide perſeveravit, & ideo a Deo honoratus & coronatus eſt: *Ego fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. *Apoc*. 2. 10.

Fidem ſervavi, inquiebat D. Paulus, *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*: 2. *Tim*. 4. Paulo, qui fidem ſervaverat, Deus gloriæ & juſtitiæ coronam dedit: ecce quomodo a Deo honoratus eſt. S. autem Antonius, quia fidem ſervavit, & a Deo & ab hominibus fuit honoratus. Unde dicere poterat: *fidem ſervavi*, ideo honoraverunt me Imperatores; *fidem ſervavi*; ideo honoraverunt me Prælati & omnes fideles: *fidem ſervavi*; & ideo honoraverunt me ipſi Hæretici, & fidei Catholicæ inimici: *fidem ſervavi*; & ideo honoravit & coronavit me Deus in Cælo: *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*.

O NN. fidem operantem & generoſam ſervate & vos uſque ad mortem, ut coronam gloriæ percipere valeatis. Certavit Antonius adverſus dæmones, pugnate & vos generoſe adverſus tartareas illas legiones. Cucurrit Antonius per omnis virtutis viam; ſic & vos per arctam perfectionis viam currite, ut comprehendatis: credidit tandem Antonius; credite & vos fide operante, generoſa & conſtante, ut coronam gloriæ obtineatis: *Eſto fidelis uſque ad mortem*, inquit Deus, *& dabo tibi coronam vitæ*. Non ſufficit ad obtinendam gloriam aliquamdiu credidiſſe fide operante & generoſa; ſed uſque ad mortem credendum eſt, uſque ad mortem opera fidei congruentia facienda ſunt, & uſque ad mortem pro Chriſti fide generoſe pugnandum eſt: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

Triplex animæ fideli datur corona, inquit S. Bernardinus; decoris ſcilicet, honoris, & amoris. Ei datur corona decoris: *Corona aurea ſuper caput ejus*. *In c*. 2. *Apoc*. Ei conceditur corona honoris: *Gloria & honore coronaſti eum*. Ei tribuitur corona amoris: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*. Heu! ſi ad adipiſcendam tranſitoriam coronam tot ineuntur certamina; quanto magis pugnandum, currendum, & credendum eſt, ut honorificæ, & æternæ in cælo obtineantur coronæ? *Tolerantia*, inquit Richardus a S. Victore, *tranſitoria eſt, corona æterna: pugna modica, merces immenſa; pœna levis, gloria inæſtimabilis*. Pugnate ergo, currite, & credite cum S. Antonio, ut cum illo æternam, immenſam & inæſtimabilem coronam in cælo obtineatis. *Amen*.

DE CONVERSIONE

SANCTI PAULI

CONCIO UNICA.

Domine, quid me vis facere? Act. 9.

NOn ſine admiratione pluries in ſacris adnotavi Codicibus, multo magis de impiorum converſione, quam de juſtorum perſeverantia lætari Angelos: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia*. *Luc*. 15. 7. Sicut enim, inquit Doctor Angelicus, *Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus, hoſtem fortiter premit, quam eum qui numquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit*; *D. Thom. in c*. 15. *Luc*. ſic Angeli magis lætantur de peccatore, qui poſtquam in pugna ſpirituali decidit, ad arma recurrit, fortiter dimicat, ſuæ ſalutis hoſtes debellat, & præterita damna ſequentibus lucris reparat; quam de pluribus juſtis, qui in perfectionis via langueſcunt, nec aliquando ardua certamina pro Dei gloria inire pertentant. Quale ergo Angelis Dei extitit gaudium in converſione D. Pauli, qui quidem a ſemitis juſtitiæ deflexerat, ſed ad ſe reverſus, pro Chriſto glorioſiſſime decertavit, miraculis, & virtutibus totum terrarum orbem illuſtravit, nec non innumeros peccatores ad Deum convertit? Qualis cæleſtibus ſpiritibus infuit lætitia in converſione tanti viri, qui Eccleſiam ſuo ſanguine purpuravit, & qui ſua ſcientia, ſuo zelo, ſuiſque prædicationibus Doctor gentium, vas electionis, ſol mundi, Eccleſiæ jubar, Apoſtolorum decus, & *Magiſter orbis* appellari meruit? *S. Chryſ. hom*. 17. *in Gen*. Certe in hujus peccatoris converſione gaviſi ſunt Angeli, majuſque illorum ſuper eo extitit gaudium, *quam ſuper nonaginta novem juſtis*. Gaudeamus, & nos cum cæleſtibus illis intelligentiis, ejuſque converſionem enarremus, &c. *Ave*.

CUm Saulus, ſpirans minarum & cædis, Damaſcum adiret, ut Chriſti Diſcipulos apprehenderet, vinctoſque in Jeruſalem perduceret, appropinquans Damaſco, ſubito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule, quid me perſequeris? Ipſe autem Chriſto, quem audiebat, & quem perſequebatur, dixit: Domine, quid me vis facere? Cui Chriſtus reſpondit: ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Paulus autem,

qui

Digitized by Google

qui apertis oculis nihil videbat, ducentibus ſociis, ingreſſus eſt Damaſcum, ubi tribus diebus non videns, non manducans, nec bibens remanſit; donec ad eum miſit Deus Ananiam, qui manus ei impoſuit, (& accepto Spiritu Sancto, viſum recepit, baptizatus eſt, & ſtatim adiit Judæorum Synagogas, in quibus prædicavit, Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei. Ecce brevem, & compendioſam converſionis D. Pauli narrationem, de qua ut fuſe & utiliter diſſeramus, conſideremus, 1. Ejus principia. 2. Ejus perfectionem. 3. Ejus circumſtantias.

PRIMA PARS.

Converſionis D. Pauli principia.

CUm converſus eſt D. Paulus, luce cæleſti fuit circumfuſus, Chriſtum audivit, & ipſe Chriſto vocanti obtemperavit. Paulus luce cæleſti fuit circumfuſus: *Circumfulſit eum lux de cælo.* Paulus audivit Chriſtum dicentem: *Saule, Saule quid me perſequeris?* & Paulus Chriſto vocanti obtemperavit: *Domine, quid me vis facere?* Unde ſi converſionis ejus principia inquiramus, ea eſſe dicam, lucem, Chriſtum, & ipſum Paulum, 1. Lucem illuminantem. 2. Chriſtum eum vocantem. 3. Ipſum Chriſto obtemperantem.

1. In actibus Apoſtolorum habetur, Paulum in converſione ſua vidiſſe, & non vidiſſe. Videbat Paulus: *Vides virum, Ananiam nomine, introeuntem.* Non videbat Paulus: *apertiſque oculis nihil videbat*: Quomodo poterat D. Paulus ſimul videre & non videre? hoc dubium facile ſolvitur ex D. Bonaventura dicente, quod duplex fuit viſio in Paulo, una exterior, quæ conſiſtit in oculo corporali; altera interior, quæ conſiſtit in oculo intellectuali: Paulus autem quantum ad viſionem corporalem factus eſt cæcus, ſed quantum ad ſpiritualem maxime fuit illuminatus. Cæleſtis quædam lux Paulum circumfulſit; *circumfulſit eum lux de cælo*; illa lux quæ eum circumfulſit, ita fuit admirabilis, ut illum ſimul & ſemel excæcaverit, & illum illuminaverit; excæcavit eum in corpore, & illuminavit eum in mente; aut ſaltem, dum per lucem externam fuit excæcatus in corpore, per lucem internam fuit illuminatus in mente; ut enim ait Doctor Seraphicus: *Dum Paulus viſum amiſit exterius, ipſum accepit interius. D. Bon. ſer. 1. de conv. S. Pauli.* Et ut ait D. Auguſtinus: *Paulus cæcitate percutitur, ut intus illuminetur.* Illa autem lux interius Paulum illuminans, converſionis ſuæ principium extitit: quia ante converſionem ambulabat ut cæcus, & ex ignorantia peccabat: *Ignorans feci.* Unde cum, ſuperveniente cæleſti luce, errorum ſuorum tenebras, Evangelii veritatem, & fidei Chriſtianæ certitudinem novit, protinus ex nolente factus eſt volens, & ita ad Chriſtum converſus eſt, ut ſubito ex lupo ovis, & ex perſecutore Apoſtolus factus ſit: *Deus ex cælo Paulum illuminans, fecit lupum ovem, & perſecutorem Apoſtolum. S. Ephr. de marg. preg.* Principium ergo converſionis D. Pauli fuit lux eum illuminans, *ac etiam Chriſtus eum alloquens.*

2. Poſtquam lux de cælo veniens Paulum circumfulſit, ipſe cadens in terram, audivit vocem, dicentem ſibi: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* cujus illa vox? Chriſti utique, qui Saulum monet, & corripit; illa autem Chriſti vox ita potens fuit, & efficax, ut ejus iram placaverit, zelum inordinatum temperaverit, eumque penitus immutaverit: *Chriſtus una voce*, ut ait S. Laurentius Juſtinianus, *Pauli emollivit mentem, ſedavit furorem, placavit crudelitatem, mutavit propoſitum, naturam reformavit.* Ferociebat, & ſæviebat Paulus adverſus Chriſti diſcipulos; ſed vox Chriſti eum monentis, & redarguentis, ita potens, & fortis extitit, ut eum in ipſo furoris æſtu totaliter immutaverit: *Saulum ferocientem & ſævientem in ipſo furoris æſtu ſiſtit, fregit, & immutavit. S. Chryſ. in c. 9. Act.*

Vox Domini altiſſimas cedros confringere valet: *Vox Domini confringentis cedros, Pſal. 28. 5.* inquit Propheta Regius; ſeu ut explicat Beatus Auguſtinus, vox Domini *humiliat ſuperbos*, qui ratione ſuæ ſuperbiæ ſupra alios homines elevari volunt, ſicut cedri ſupra alias arbores ſublimantur. Saulum autem ante converſionem, quaſi cedrum ob ſuperbiam fuiſſe dicam; ſed vox Chriſti cedrum illam confregit, & hunc ſuperbum humiliavit; per hanc enim Chriſti vocem *factus eſt de Saulo Paulus: hoc eſt de ſuperbo minimus. S. Aug. ſer. 42. de Sanctis.* Saulus inter Judæos Phariſæi fungebatur officio, & Phariſaica inflatus ſuperbia, pro Lege Moſaica tanto cum ardore decertabat, ut Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus, & impugnator acerrimus exiſteret: quis autem hanc cedrum confringere, hunc Phariſæum humiliare, & hunc Chriſtianæ Religionis hoſtem vincere, & convertere valebit? Chriſtus utique, cujus vox hunc ſuperbum humiliavit, *& in momento cor Pauli hoſtile, ſibi ſubditum, amicum, & obſequens effecit. S. Aug. l. 50. Hom. homil. 14.* Cum Judæi Chriſtum prehenſuri in hortum Gethſemani ſe contulerunt, ipſe duobus his verbis: *ego ſum*, maxima licet cum ſuavitate, & humilitate prolatis, eos omnes dejecit in terram: *& ceciderunt retrorſum.* Similiter cum Paulus ſpirans minarum, & cædis adiret Damaſcum, ut Chriſtum, & Chriſtianos perſequeretur, Chriſtus eum ſuaviter allocutus eſt, eumque monuit charitative, dicens, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* & pauciſſima hæc verba hunc Chriſtianorum perſecutorem proſtraverunt, hunc ſuperbum dejecerunt, ejuſque cor immutaverunt, *In momento cor Pauli hoſtile, ſibi ſubditum, amicum, & obſequens effecit.* Sed ſi Chriſtus Paulum alloquens, fuit principium converſionis ejus: *Ipſe etiam Paulus obediens, & gratiæ Chriſti obtemperans, fuit converſionis ſuæ principium.*

3. Converſio eſt opus Dei ſimul, & hominis; Dei vocantis, & juvantis per ſuam gratiam; hominis vero cooperantis gratiæ, & obedientis Deo. Unde in ſacra legimus Scriptura Deum convertere peccatorem, & peccatorem ſe ad Deum convertere: Deus peccatorem convertit: *Converte nos Deus ſalutaris noſter, Pſal. 87.* & peccator ad Deum ſe convertit: *Convertimini ad me. Iſa. 45. 2.* Quomodo Deus peccatorem convertit, ſi ipſe ſe convertat? & quomodo ipſe ſe convertit, ſi Deus eum convertat? ipſe ſimul, & a Deo convertitur, & ſeipſum ad Deum convertit; converſio ejus eſt a Deo

Digitized by Google

& ab ipſo, a Deo impertiente ei gratiam, & ab ipſo peccatore cooperante divinæ gratiæ. Quare, licet maxima Dei Paulum convertentis fuerit gratia, non penſandum, converſionem ejus totam, & totaliter eſſe a gratia; eſt enim a gratia, & ab ipſo Paulo gratiæ divinæ obediente & cooperante. Verum eſt, inquit Paulus, quod *gratia Dei ſum id quod ſum*; *2. Cor. 15.* certum eſt, quod per gratiam factus ſim ex peccatore juſtus, & quod per eam ad Deum ſim converſus; ſed *gratia ejus in me vacua non fuit*. O Paule, quare in te vacua non fuit gratia, per quam ad Deum es converſus? *Quia ei cooperatus ſum per liberum arbitrium*, ut vice Pauli reſpondet Hugo Cardinalis. Si Paulus non cooperatus eſſet gratiæ vocanti, gratia in ipſo vacua & inutilis fuiſſet; quia non habuiſſet finem ad quem data erat, ſcilicet converſionem Pauli; ſed gratia in eo vacua non fuit, quia ipſe cooperatus gratiæ, per gratiam, & per ſeipſum ad Deum converſus eſt, non per gratiam ſolam, nec per ſeipſum ſolum, ſed per ſeipſum ſimul cum gratia. *Non ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum*; ſeu, non ego ſolus, ſed ego cum gratia, & gratia mecum: *Non ego ſolus*, ut exponit Hugo Cardinalis, *tamquam ſufficeret liberum arbitrium ad hoc ſine gratia*; *ſed gratia Dei mecum*, *ſeu cum libero arbitrio*. *Ubi ſup.* Falleris ergo, o peccator, ſi Pauli converſionem totaliter a Dei gratia eſſe arbitreris; falleris, ſi credas Paulum ſuæ nullo modo cooperatum eſſe converſioni; ſed falleris maxime, ſi tuam a Deo converſionem totaliter fieri intendas.

Hic eſt impiorum multorum error, qui converſionem & ſalutem ſuam a ſola Dei gratia expectant. O peccator, verum eſt, quod ſine gratia nihil ſimus, & nihil poſſimus, ſed gratia ſine nobis noſtram nunquam converſionem & ſalutem operabitur: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te. S. Aug.* Deus gratias ſuas peccatoribus dare non deſinit, eos intus per ſuas gratias illuminat, monet, movet, & trahit; ſed nunquam ſalvabuntur, ſi gratiis ejus non cooperentur. Quare, o peccator, ſi Deus per gratiam ſuam te illuminet, non ſis rebellis lumini; ſi Deus per gratiam ſuam te trahat, trahentem ſequere; ſi Deus per gratiam converſionem tuam operari incipiat, tu vocanti, & adjuvanti gratiæ cooperare. Eſto tandem principium tuæ converſionis ſimul cum D. Paulo: Sed viſis converſionis ejus principiis, *quam perfecta ejus fuerit converſio, ſerio perpendamus.*

SECUNDA PARS.

Converſionis D. Pauli perfectio.

UT quis perfecte convertatur, perfecte & totaliter mutari debet; ita quod a priſtino peſſimæ vitæ ſuæ ſtatu deſciſcens, alius fiat, & totus innovetur: *Perfecta converſio eſt ad bonum. S. Bern. de gratia & lib. arbit.* ut enim quis perfecte convertatur, a malo ad bonum tranſeat, & totaliter immutetur neceſſe eſt. Et in hoc elucet, quam perfecta extiterit S. Pauli converſio, qui, ut ait D. Auguſtinus, in ſua converſione mutatus eſt. *S. Auguſt. l. 50. Hom. homil. 14.* 1. Ex lupo in agnum. 2. Ex perſecutore in prædicatorem. Ex Judæo in Apoſtolum.

1. Cum Jacob ſuos benedicens filios, ad benedicendum Benjamin veniſſet, dixit: *Benjamin lupus rapax*. Tunc, inquit D. Auguſtinus, Jacob ſpiritu prophetico, præſentia tangens futura proſpiciebat: & quod Benjamino præſente dicebat, de Saulo, qui de tribu Benjamin naſciturus erat, intelligendum erat: Saulus enim, ut ait S. Auguſtinus, fuit vere lupus rapax, non quidem toto vitæ ſuæ tempore, ſed ſolummodo ante converſionem ſuam: *Quid ergo Paulus*, inquit, *lupus rapax ſemper? abſit: ſed qui mane rapit prædam, ad veſperam dividit eſcam. Sanctus Auguſt. ſer. 4. de Sanctis.* Illam figuram, & propheticam benedictionem explicat etiam Tertullianus de D. Paulo, quem lupum rapacem vocat, dicens: *Jacob, de tribu Benjamin oriturum Paulum prævidebat, lupum rapacem. Tertull. l. 5. adverſus Marc. c. 6.* Et revera lupinam gerebat naturam Saulus, qui ex innata ſibi indole ad ſævitiam ita pronus erat & proclivis, ut etiam ab adoleſcentia adverſus Chriſtianos ſæviret: lapidantium etenim Stephanum pallia ſervabat, ut omnium manibus lapidaret, quem manus ejus, adhuc debiles & imbecilles, vix lapidare potuiſſent; cum autem profecit ætate, crevit etiam ſævitia adverſus Chriſti Diſcipulos, quos ſumme averſabatur, & contra quos iniquo accenſus zelo, velut lupus rapax, maxime ſæviebat: *Rapiebat, vaſtabat, ſæviebat*. S. *Aug. l. 50. Hom. 6.* Ecce Paulum lupum rapacem; ſed, o rem mirabilem! tam perfecta ejus fuit converſio, ut ex lupo ſæviſſimo in agnum manſuetiſſimum ſit mutatus.

Chriſtus enim, ut ait D. Auguſtinus, mirabili metamorphoſi Paulum, qui rapax erat lupus, in agnum mitem & manſuetum convertit, *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit*. S. *Aug. ubi ſup. hom. 14.* Spirabat adhuc minas & cædes Saulus, in Dominicum ſæviebat gregem, & velut lupus rapax illum vaſtare cogitabat, cum ſubito venit lux de cælo, quæ circumfulſit eum, & protinus ferociens ejus emollitus eſt animus, ſæviens ejus cor mitigatum fuit, ſedata ejus eſt crudelitas, & Paulus ex lupo in agnum totaliter eſt immutatus: *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit*. Alios Apoſtolos miſerat Chriſtus, ut eſſent veluti agni inter lupos; *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos; Luc. 10. 3.* Saulus autem erat unus ex his lupis rapacibus, qui Chriſti Diſcipulos veluti agnos rapiebat; ſed Chriſtus, qui novit agnos facere de lupis, ſæviſſimi illius lupi lenivit indolem, rabiem ſedavit, mitigavit crudelitatem, naturam reformavit, eumque in agnum innocentem & manſuetum immutavit: *Saulum in Paulum, lupum in agnum commutavit*. O quam perfecta fuit Sauli converſio, qua ex lupo mutatus eſt in agnum, *& ex perſecutore in Prædicatorem*!

2. Saulus, qui ex lupina ſua indole ad furandum, rapiendum, & vaſtandum Chriſti gregem erat propenſus, hanc ſibi innatam fovebat propenſionem: quia omnibus quibus poterat modis, Chriſti Domini Diſcipulos perſequebatur. *Perſecutus ſum,*

1. Cor.

Digitized by Google

1. Cor. 15. 9. inquit, *Eccleſiam Dei*; quomodo, o Paule, ſanctam hanc perſecutus es Eccleſiam? Non uno ſolum, ſed pluribus modis; & ſupra omnem modum: *Supra modum*, ait, *perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam. Ad Gal. 1. 3.* Quæ verba exponens Doctor Angelicus, ait, quod D. Paulus perſequeretur Fideles *ſupra modum*; quia non illos perſequebatur ſolum in Jeruſalem, ſed etiam per totam regionem; & quia non ſolum illos perſequebatur per ſe, verum & Principes ad illos perſequendos inducebat. Unde dicebat D. Hieronymus, quod *videretur Saulus ad vexandam Eccleſiam fuiſſe a Diabolo poſtulatus. S. Hieron. in epiſt. ad Philem.* Addit S. Laurentius Juſtinianus, Saulum in Chriſtianos ſæviiſſe, tantoque eos cum furore perſecutum eſſe, ut totus mundus ejus animoſitatem mitigare non potuiſſet; *Si totus inſurrexiſſet mundus, Sauli minime valuiſſet animoſitatem flectere. Laurent. Juſtin. ſer. de conv. S. Pauli.* Sed quod totus non potuiſſet mundus, hoc potuit Chriſtus, qui Pauli furorem lenivit, eumque a perſecutore in prædicatorem immutavit: *Lupum in agnum, perſecutorem in prædicatorem immutavit.*

Poſitus ſum ego Prædicator, 1. Tim. 2. 7. inquit D. Paulus. A quo poſitus & factus eſt ille Prædicator? a Chriſto haud dubie, qui, a perſecutore fidelium, eum in Prædicatorem zelantiſſimum convertit. Miſerat Chriſtus alios Apoſtolos in univerſum terrarum orbem, ut omnibus hominibus Evangelium prædicarent: *Prædicate Evangelium omni creaturæ: Marc. 16. 15.* iis autem concionatoribus Saulum adjunxit, quem ex perſecutore prædicatorem fecit celeberrimum, qui, ut ait S. Chryſoſtomus, intra breve tempus totum fere terrarum orbem ad Chriſti fidem ſuis prædicationibus attraxit; *Paulus, cum modico tempore prædicaverit, totum attraxit terrarum orbem. S. Chryſoſt. hom. 25. ad pop.* Paulus quaſi abortivum ſe eſſe arbitrabatur; vilis & abjectus ab hominibus videri, & æſtimari ambiebat: tanto tamen cum zelo, tamque efficaciter Romanis, Perſis, Medis, Parthis, Indis, Saracenis, innumeriſque aliis populis prædicavit, ut triginta circiter annorum ſpatio, totum ferre terrarum orbem ad Chriſtianam Religionem ſuis prædicationibus adduxerit: *Totum attraxit terrarum orbem.* O perfectam Pauli converſionem, qui ex perſecutore mutatus eſt in prædicatorem; *& ex Judæo in Apoſtolum!*

3. Judæi qui adverſus Chriſtum clamarant: *crucifige, crucifige*, tanta erga ejus Apoſtolos rabie exardeſcebant, ut eos omnes ſimul cum Chriſto cruci affigere voluiſſent. Quo furore ſuccendebatur in primis Paulus, qui proficiebat in Judaiſmo ſupra omnes coætaneos ſuos, qui in numero Judæorum reſiſtentium Spiritui Sancto erat; & qui inconſiderato Legis Judaicæ flagrans zelo, in Apoſtolos, qui eam deſtruebant, totis viſceribus ſæviebat. Audite eum de ſe ipſo loquentem: *Ego*, inquit, *ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta Civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie: qui hanc viam perſecutus ſum uſque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias viros ac mulieres.* Ecce qualis Judæus extiterit D. Paulus, qui tamen ex Judæo, Apoſtolis infenſiſſimo, in Apoſtolum mutatus eſt: *Saulum in Paulum*, inquit Auguſtinus, *& Judæum in Apoſtolum commutavit. S. Aug. ubi ſup.*

Apoſtoli nomine indignum ſe eſſe cenſebat Paulus, dicens: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus: 1. Cor. 19. 9.* & ſi aliquando ſe Apoſtolum vocitet, non inter Apoſtolos magnum, ſed eorum minimum ſe eſſe profitetur: *ſum minimus Apoſtolorum*: fuit tamen vere Apoſtolus & magnus Apoſtolus, qui, inquit D. Chryſoſtomus, *fuit magiſter orbis, & qui dæmones expulit, peccata abſolvit, tyrannos compeſcuit, Philoſophorum linguam obſeravit, orbem ad Deum adduxit, & omnia quæcumque voluit, diſpoſuit. S. Chryſ. hom. 32. in Epiſt. ad Rom.* O magnum Apoſtolum! qui etiam inter Apoſtolos maximus fuit, non ſolum ſcientia & ſcriptis ſuis, verum & miſſione ſua, necnon Apoſtolici muneris exercitio: quilibet enim ex aliis Apoſtolis ad ſpecialem aliquam Orbis regionem fuit delegatus; *Paulus vero non accepit unam regionem limitatam, ſed per univerſum mundum ibat; S. Vinc. Ferr. ſer. de S. Paulo.* Et ubique Apoſtolica munia ita ſollicite & efficaciter exercuit, *ut omne prorſus humanum genus ſub jugum mitteret veritatis. S. Chryſ. hom. 4. de laud. Pauli.* O mirabilem Apoſtolum! ſed o perfectiſſimam Pauli converſionem, in qua non ſolum in agnum & predicatorem, ſed etiam in maximum Apoſtolum mutatus eſt!

Mirentur omnes hanc Pauli converſionem, & peccatores plurimum in Domino confidant: (quis deſperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, ſubito factum vas electionis? quis dicat, iniquitatis pondere preſſus aſſurgere jam ad ſtudia meliora non valeo, quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum, dirum toto pectore virus efflabat perſecutor crudeliſſimus, in fideliſſimum repente mutatus eſt Prædicatorem? *S. Bern. ſer. de conv. S. Pauli.*) De Dei miſericordia non deſperent peccatores; ſed totis viribus laborent, ut perfecte cum D. Paulo convertantur. Non ſalvabuntur peccatores, ſi non convertantur: *Niſi converſi fueritis, non intrabitis in regnum cælorum: Matth. 18. 3.* quare, o peccator, convertere ad Dominum Deum tuum; ſed convertere totaliter & perfecte: *Muta vitam, dum vivis in hac vita*; ita convertaris, ut totaliter & perfecte vitam immutes, ſicut D. Paulus, cujus converſio fuit perfecta. *Videamus nunc converſionis ejus circumſtantias. Petr. Bleſſ. l. 3. epiſt. 10.*

TERTIA PARS.

Converſionis D. Pauli circumſtantiæ.

CUm D. Pauli converſio a Deo, & ab Eccleſia omnibus in exemplum peccatoribus proponatur, non parvæ erit utilitatis, ſi mirabiles converſionis ejus circumſtantias propalemus; ut in converſionis ejus modo & circumſtantiis quilibet peccator converſioni ſuæ formam, & prototypum videat. Quare dicamus Paulum converſum eſſe ſincere, prompte, & conſtanter: 1. Converſus eſt ſincere:

Digitized by Google

ecce primam converſionis ejus circumſtantiam. 2. Converſus eſt prompte, ecce ſecundam. 3. Converſus eſt conſtanter; ecce tertiam.

1. Tunc non ficta, ſed vera, & ſincera eſt peccatoris converſio, cum cor ſuum inclinat ad faciendum quidquid Deo placuerit. Sicut enim a Deo avertitur peccator, cum id facit quod Deo non placet; ita & vera, ſeu ſincera ejus eſt converſio, cum ad omne, quod Deo placet, faciendum eſt paratus: *Converſio peccatoris vera tunc eſt, cum ad Creatoris ſui beneplacitum reducitur. S. Greg. l. 2. in 1. Reg. c. 1.* O quam vera ergo & ſincera fuit S. Pauli converſio, qui cum Chriſti vocem audivit, protinus dixit: *Domine, quid me vis facere? Act. 9.* ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis; *Domine indica voluntatem tuam, & obediam.* Domine manifeſta mihi, quæ ſit voluntas tua, quia ita converſus ſum, ut paratum ſit cor meum ad faciendum quidquid volueris: *Domine, paratus ſum in omnibus tibi obedire. Lyranus hic.* Ante converſionem tacite ſecum dicebat Paulus: *Domine, quod non vis, faciam*; ſed jam ita vere & ſincere convertitur, ut in omnibus ad Dei voluntati obtemperandum ſit paratus: *Domine quid me vis facere?* Ante converſionem, non quæ Chriſti, ſed quæ propriæ voluntatis erant faciebat; ſed jam ita ſincere convertitur, ut Chriſto dicat: *Non mea, ſed tua fiat voluntas*: ſeu, quod idem eſt, *Domine, quid me vis facere?*

O quam vera & ſincera fuit Pauli converſio! ſed o quam pauci peccatores eum imitantur: quam pauci ad Deum vere & ſincere convertuntur! multi externa quædam converſionis ſuæ ſigna edunt, ſed converſio eorum non eſt in corde & voluntate. Multi ſua confitentur peccata, Eccleſias circumeunt, prædicationibus pluries interſunt, interdum jejunant, & aliis nonnullis pœnitentiæ operibus vacant; ſed corde & voluntate iidem ſemper remanent, propoſitum non mutant, nec unquam propriam & malignam ſuam deſtruunt voluntatem, ut voluntati divinæ ſe conforment. O qualem converſionem! quæ quidem vera & ſincera eſſe nequit, quia converſio ſincera fit primo in corde & voluntate. O peccator, ſi ad Deum tuum vere & ſincere converti velis, converſio tua incipiat a voluntate, ita quod relicta propria, divinæ te conformes, dicens cum Divo Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Sed ſi converſio Divi Pauli fuit ſincera; *fuit etiam prompta.*

2. Poſtquam ad Chriſtum vere & ſincere converſus eſt Paulus, ingreſſus eſt civitatem Damaſcum, in qua quidem erat diſcipulus, nomine Ananias, cui dixit in viſu Dominus; *Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum nomine Tarſenſem, Act. 9.* Timebat illo ire Ananias; quare reſpondit: *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem, & hic habet poteſtatem a Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.* Cui Chriſtus: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte.* Quaſi diceret: ne timeas Anania, quia iſte totaliter converſus eſt: iſte non eſt amplius vas perditionis, ſed eſt vas electionis; iſte qui erat vas plenum iræ & furoris adverſus fideles, nunc eſt *vas altum per contemptum temporalis ſubſtantiæ; vas clarum & lucidum, per donum ſapientiæ; vas purum, per donum continentiæ; vas ſolidum, per donum patientiæ. S. Bon. ſerm. 2. de converſ. S. Pauli.* O mirabilem converſionem! ſed quanto tempore facta ſit inquiramus: diſtulit ne diu, a Chriſto vocatus, ad ipſum converti? nequaquam, ſubito enim ad ipſum converſus eſt, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Non dixit Chriſto vocanti; Domine, tunc convertar cum inſenuero, vel cum de rebus meis diſpoſuero; ſed repente ad eum converſus eſt: *Averſus quippe a fide quam vaſtabat, repente eſt ad illam gratia potentiore converſus. Tert. l. 1. de prædeſtin. Sanct.* Ita prompta ejus extitit converſio, ut in momento ad Chriſtum converſus ſit: *In momento cor Pauli hoſtile, tibi ſubditum, amicum & obſequens effecit. S. Aug. ubi ſup.*

O quam prompta extitit S. Pauli converſio! ſed o quam felices peccatores illi, qui eum imitati fuerint: *Felicem illum, qui Paulo ſimilis extiteris. Tertull. l. 2. ad uxor. 4.* Paulus non procraſtinavit, nec ſuam in futurum converſionem diſtulit; non dixit; convertar cras, vel intra aliquot dies; ſed ſubito ad Deum converſus eſt, dicens: *Domine, quid me vis facere? Eccli. 5. 8.* O peccatores, Paulum imitamini; ne tardetis ad Deum converti: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Non tardes, inquit S. Petrus Damiani, *ſed intra cito in portum converſionis, ne te tardantem repentini opprimant caſus, ne te inopinatæ mortis abſorbeat fluctus, & æſtuantis gehennæ deglutiat barathrum. Petr. Damian. l. 4. epiſt. 3.* Hæ ſunt rationes, quibus S. Petrus Damiani peccatores ad non ulterius ſuam differendam converſionem movet; ſed nunc nova nobis proponitur ratio, nempe S. Pauli exemplum: ſi enim ille converſus eſt prompte, ad inſtar illius omnes prorſus peccatores prompte converti deberent. Felices illi qui eum imitati fuerint, & qui converſionem ſuam non diſtulerint; *Felicem illum, qui Paulo ſimilis extiteris.* Sed converſio Pauli *fuit etiam conſtans & firma.*

3. Multos reperire eſt peccatores, qui ut Luna mutantur, tranſeuntes ſæpe a peccati ſtatu ad gratiæ ſtatum, & a ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati; nunc convertuntur & mox in priſtina reincidunt peccata: hodie confitentur, & cras ſua reſumunt ſcelera: hi in circuitu ambulant, a peccato ſcilicet in confeſſionem, & a confeſſione in peccatum: *Impii in circuitu ambulant. Ps. 13. 9.* Hujuſmodi converſiones ſæpe nullæ, & ſæpius inutiles ſunt, *Nulla eſt converſio peccatoris; ſi converſus perſeverantia careat boni operis, Greg. l. 5. inc. 1. Reg. c. 4.* & ut ait D. Auguſtinus, *inanis eſt pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa: frequenter peccans, & lugens, vix veniam meretur.* Hujuſmodi autem non fuit S. Pauli converſio: ipſe a peccato non ſurrexit, ut in illud iterum laberetur; hic ad Chriſti fidem non eſt converſus, ut deinde ab illa deſciſceret; ſed toto vitæ ſuæ tempore in fide, in bonorum operum exercitio & in prædicatione Evangelii conſtantiſſime perſeveravit. Immo ita conſtans ejus extitit converſio, ut ſemper meliora æmulatus ſit chariſmata, ſemperque de virtute in virtutem iret: immediate enim poſt converſionem in Synagogis prædicavit Jeſum eſſe filium Dei; & deinde nomen

men

men ejus coram Gentibus, & Regibus & filiis Iſrael generoſe portavit: & tandem ita profecit, ut factus ſit *Doctor Gentium, & lingua orbis*; *nihilque omiſeris pro ſalute diſcipulorum, S. Chryſoſt. hom. 3. ſup. Gen.* Vel dicamus cum eodem Chryſoſtomo, ita conſtantem fuiſſe Pauli converſionem, ut non ſolum in priſtinos errores non ſit relapſus; verum & toto poſt ſuam converſionem tempore fuerit *terreſtris Angelus, cæleſtis homo, Sancti Spiritus receptaculum, zelo incomparabilis, charitate magnus, Eccleſiarum Dei ſolicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, & credentium pronubus. S. Chryſoſt. hom. 22. ad Pop.*

O mirabilem Pauli converſionem, quæ quidem omnium converſionum eſt forma: *Hæc plane, fratres, perfectæ converſionis eſt forma: S. Bern. ſer. 1. de conv. S. Pauli*, quare Paulum imitantes, non ſolum ſincera & prompta, ſed etiam conſtans & perſeverans ſit converſio veſtra. *Lava a malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias; Jer. 4. 14.* Sed lava illud ſincere, lava prompte, & lava conſtanter. Converſio omnis peccatoris præterita & futura reſpicit peccata: *præterita*, quæ debet vere & prompte delere; *futura*, quæ debet conſtanter vitare; *Pœnitentia eſt, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere: S. Greg. hom. 34. in Evang.* Sincere ergo, prompte & conſtanter ad Deum convertimini cum D. Paulo, ut aliquando cum eo in Cælo regnetis. *Amen.*

DE SANCTO
FRANCISCO SALESIO.
CONCIO UNICA.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Matth. 17. 4.

TAbernaculum mobile, quo utebantur Judæi, erat ſanctuarium quoddam, inſtar templi mobilis, ex lignis Setim fabricatum, quod varia in loca circumgeſtabatur, & in quo Deus oracula edebat, hominibuſque multa beneficia impertiebatur. Sanctus Franciſcus Saleſius tabernaculum ſanctitatis, templumque Deo gratiſſimum pariter extitit: quod tabernaculum, non ſolum mobile, verum & indeſinenter, ſpiritu Dei motum & agitatum fuit: divino etenim hoc ſpiritu commotus vir ille ſanctiſſimus, Pariſios, Romam, Genevam & alia multa loca percurrit, ubique ſanctitatis ſuæ exempla reliquit, ſapientiæ divinæ oracula ubique protulit, cunctiſque hominibus Catholicis & hæreticis, religioſis, & ſæcularibus, magnatibus & plebeis benefacere non deſtitit. Tabernaculum materiale, quod circumferebant Judæi, dicebatur tabernaculum *teſtimonii & fœderis*: ſimiliter S. Franciſcus Saleſius fuit tabernaculum *teſtimonii*, quia in academiis, in Eccleſiis, & in privatis colloquiis glorioſa de Divinitate & de vera Religione teſtimonia dixit; fuit etiam tabernaculum *fœderis*: quia multos hæreticos Eccleſiæ, & innumeros alios peccatores Deo reconciliavit. Sed tandem Franciſcus Saleſius mirabile extitit tabernaculum, in quo Chriſti, Moyſis & Eliæ ſpiritus requievit, ut videbimus, &c. *Ave.*

CHriſtus, Moyſes, & Elias multiplici quidem, eoque ſancto fuere Spiritu animati; ſed ſi qualis in eorum quolibet ſpiritus præfulſerit, inveſtigare liceat, dicam, quod ſaltem in externa ſpecie, præcelluerit *in Chriſto* ſpiritus ſapientiæ, *in Moyſe* ſpiritus manſuetudinis, & *in Elia* ſpiritus zeli. In Chriſto eluxit potiſſimum ſpiritus ſapientiæ, quia licet in ſummo gradu omnes virtutes, & perfectiones poſſederit, in eo tamen præ omnibus aliis emicuiſſe videtur ſapientia, quæ tanta fuit, ut mundi ſapientiam reprobaverit, & quaſi annihilaverit: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. Cor. 1. 19.* In Moyſe effulſit præcipue ſpiritus manſuetudinis: quia omnium hominum erat mitiſſimus; *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra. Num. 12. 3.* In Elia tandem præfulſit ſpiritus zeli, quia fuit vir zelantiſſimus, qui zelo gloriæ Dei quam maxime ſuccendebatur: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum. 3. Reg. 19. 10.* Ecce triplicem ſpiritum, Chriſti, Moyſis, & Eliæ; ſed tabernacula iis convenientia quis inveniet? unicum pro tribus aſſigno, ſanctum Franciſcum Saleſium ſcilicet, qui fuit tabernaculum, in quo quidem non Chriſtus, Moyſes & Elias, ſed eorum ſpiritus inhabitavit; ſanctiſſimus enim hic antiſtes, ſapientiſſimus, mitiſſimus, & zelantiſſimus extitit: *fuit ſapientiſſimus*; ecce ſpiritum Chriſti: *fuit mitiſſimus*; ecce ſpiritum Moyſi, *fuit zelantiſſimus*; ecce ſpiritum Eliæ. S. Franciſcus Saleſius habuit, 1. Spiritum Sapientiæ. 2. Spiritum manſuetudinis. 3. Spiritum zeli.

PRIMA PARS.

S. Franciſcus Saleſius habuit ſpiritum ſapientiæ.

NOn paucos invenire eſt, quorum tota ſapientia in male agendo conſiſtit; ſciunt proximum conculcare, pecunias congregare, innocentes opprimere, virgines ſtuprare, aliaque mala perpetrare; ſed Deum honorare, proximum diligere, pauperibus pecunias erogare, aliiſque bonis operibus incumbere neſciunt: *ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſciunt. Jer. 4. 22.* Hujuſmodi, *nomine*, ſapientes eſſe poſſunt, ſed revera ſunt ſtultiſſimi: quia *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1. 4.* De ſtulta hac ſapientia differens S. Bernardinus, eam triplicem eſſe adnotat, terrenam unam, animalem aliam, & aliam diabolicam: *Terrena, S. Bern. ſer. de Stigm.* inquit, eſt in cupidis & in avaris: *animalis*, in voluptuoſis & luxurioſis: *diabolica*, in ſuperbis & elatis. *Avari* terrenam habent ſapientiam, qua ad bona temporalia per fas & nefas acquirenda diriguntur: *voluptuoſi* poſſident ſapientiam animalem & carnalem, qua, non ſecus ac bruta, carnis illecebris obſequuntur: *ſuperbi* inflantur, ſapientia diabolica, qua ad honores ambiendos, &

Digitized by Google

ad acquirendas ſæculi dignitates ſummo affectu moventur. O qualem ſapientiam; ſeu potius qualem ſtultitiam! O quales ſapientes, *qui dicuntur ſapientes, cum nihil de ſapientia habeant, ſed ſtultitia ſumma pleni exiſtant!* *S. Bonav. ſer. de S. Greg.* Hi ſunt ſapientes ſtulti, & ſtulti ſapientes; hi ſunt ſapientes apud aliquos homines, qui eos æſtimant; ſed apud Deum non ſapientes, ſed ſtultiſſimi ſunt: *ſapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum.* *1. Cor. 3. 19.*

Multiplicem hanc ſapientiam quam Chriſtus damnavit, verbis etiam & operibus ſuis reprobavit S. Franciſcus Saleſius: In eo non fuit ſapientia terrena, cum ſibi oblata pluries recuſaverit, propria largiſſime pauperibus diſtribuerit, & ſpretis terrenis omnibus, ſpiritualia & æterna bona ſolummodo ambierit. In ipſo non extitit ſapientia animalis, cum mulieres, illum ad carnalia provocantes, non ſemel fugaverit, & virginitatem, quam Deo voverat, religioſe ſervaverit: ipſe etiam ſapientia diabolica ſuperborum non fuit inflatus, cum ſe Epiſcopatu & omni honore indignum cenſuerit, ſeque ab omnibus contemni appetierit. Ipſe tandem omnem, ſive a mundo, ſive a carne, ſive a dæmone inſpiratam procul ablegavit ſapientiam. In eo non fuit ſapientia impiorum, ſed juſtorum & amicorum Dei, quam tum in concionibus quas ad populum habuit, tum in litteris quas ſcripſit, tum in privatis colloquiis, potiſſimum propalavit.

Cæleſtem ſuam ſapientiam prædicando maxime manifeſtavit Chriſtus: ſpiritu enim prophetico de illo dixit Salomon: *Numquid non ſapientia clamitas, & prudentia dat vocem ſuam: in ſummis, excelſiſque verticibus ſuper viam, in mediis ſemitis ſtant, juxta portas civitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens, o viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum.* *Prov. 8. 1.* Chriſtus utique ſapientia fuit incarnata, quæ in montibus, in vallibus, in mediis ſemitis, & juxta portas civitatis Jeroſolymitanæ clamavit, ac de magnis profecto rebus prædicavit, nempe de regno cælorum, de fide, charitate, & de aliis rebus maximis, tantaque cum ſapientia locutus eſt Chriſtus, ut omnes eum audientes mirarentur: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus:* *Luc. 4. 22.* tanta etiam cum ſapientia prædicavit, ut deſtructo ſatanæ regno totum ad ſe mundum converterit: *Ecce mundus totus poſt eum abiit.* *Joann. 12. 19.* O mirabilem Chriſti ſapientiam! cujus quidem particeps fuit Sanctus Franciſcus Saleſius, qui clamitavit, & vocem ſuam dedit in ſummis Sabaudiæ montibus, in mediis ſemitis, juxta portas civitatis Genevenſis, in ipſis ejus, & aliarum multarum civitatum foribus, ubi tot perexımiæ ſuæ ſapientiæ emiſit radios, ut omnes eum prædicantem mirarentur, & non quidem totum mundum, ſed ad minus ſeptuaginta Hæreticorum millia ad Chriſti fidem converterit.

Mirabilem hanc ſapientiam, quam inter concionandum eructabat S. Franciſcus Saleſius, adhuc in libris ejus loquentem audimus, ibi ille, licet defunctus, ad corda hominum adhuc loquitur, ibi ejus videtur & legitur ſapientia, quæ totum volavit per orbem, ſive in litteris quas ſcripſit, ſive in concionibus quas delineavit, ſive in aliis operibus ad pietatem ſpectantibus quæ compoſuit, in quibus omnibus ſpecialis quædam elucet & guſtatur ſapientia, quæ in aliorum auctorum libris non invenitur. Unde ſicut inter Sacræ Scripturæ libros quidam dicuntur *Sapientiales*, quia in iis ſpecialis quidam fulget ſapientiæ Spiritus: ita inter varios Doctorum libros, *Sapientiales* ſpecialiter vocari poſſunt, quos ſcripſit S. Franciſcus Saleſius, quia in iis tanta rutilat ſapientia, ut non ſit qui eos non demiretur, & qui in iis pervolutandis non delectetur. Ibi videre eſt, quanta ſapientia Hæreticos debellet, induratos emolliat, & deſides urgeat, ibi novum & induſtrium modum peccatores a via iniquitatis avocandi, & ad viam juſtitiæ vocandi, Confeſſarios docet; ibi Regularibus & Sæcularibus, Magnatibus & plebejis, conjugatis & virginibus, ſalutis & omnis perfectionis viam tanta cum ſapientia & dexteritate aperit, ut omnes ad illam capeſſendam alliciat: ibi tandem invenitur ſapientia ita excelſa, ita ſublimis, & pretioſa, ut terrenis omnibus theſauris ſit præferenda: *Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* *Prov. 8. 11.*

Non ſolum in concionibus & libris, verum & in privatis colloquiis, necnon in præclaris & argutis reſponſis S. Franciſci Saleſii enituit ſapientia: os ejus ſemper meditabatur ſapientiam, lingua ejus in judicio ſermones diſponebat, & ne unicum proferebat verbum quod limitatum, & ſapienter ponderatum non fuerit. Ut homines a mundi amore averteret, dicere ſolitus erat; *Cui Deus totum eſt, ei mundus nihil eſt.* Ut eos ad Deum ardenter amandum alliceret, dicebat: *Natura cor noſtrum ita parvum fecit, ut ad Deum debite amandum minime ſufficiat, ſed ſi non pro meritis, ſaltem pro viribus eum amemus.* Ut eum ſatanas ad deſperandum de ſalute moveret, illi ſuadere conatus eſt, quod eſſet de numero reproborum, cui ille ſapientiſſime reſpondit: *Si tanta mea ſit infelicitas, ut Deum in cælo non ſim viſurus & amaturus, eum ſaltem omnibus vitæ meæ momentis toto corde diligam.* Cum ad ipſum fuſtibus armati properarent infenſiſſimi quidam ejus hoſtes, eum interficere intendentes, dixit: *Lignum non timet verus Chriſtianus a tempore quo Chriſtus in ligno noſtram operatus eſt ſalutem.* Cum quidam eum purpura dignum proclamaret, reſpondit; *Pro Chriſto mori, & meo ſanguine purpurari optarem.* Cum infirmaretur ad mortem, & quo in loco corpus ſuum ſepeliri optaret, ejus inquirerent amici, reſpondit; *Illud Chirurgis in anatomiam dari volo, ut ſi in vita fuerit inutile, ſaltem poſt mortem alicui rei inſerviat.* Sciunt omnes, quod in converſatione lætari permitteret, modo *nihil contra Deum.* Pervia ſunt alia multa ejus oracula, quibus in illo ita cæleſtis ſapientiæ ſpiritus rutilabat, ut quotquot eum audiebant, mirarentur, ſuſpicerent, & ad Deum, omnis ſapientiæ auctorem, glorificandum moverentur.

O mirabilem Sancti hujus ſapientiam! O quam perfecte ſuper eum requievit ſpiritus ſapientiæ! ad multos nunquam venit, & in pluribus nunquam hic requieſcit ſpiritus; ſed ad S. Franciſcum

Sale-

Saleſium verè venit, & conſtanter requievit: *Requieſeet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus. Iſaiæ* 11. 2. O utinam in omnibus hominibus ſanctus hic requieſceret Spiritus! ſed, heu! multi ſanctam hanc pervipendunt & repellunt ſapientiam, ut ſtultam, mundanam & diabolicam impiorum ſapientiam ſectentur. O quam infelices ſunt, qui ita ſapiunt! eos certe & eorum ſapientiam diſperdet Dominus: *Perdam ſapientiam ſapientium.* Quaſe ſtultam hanc ſapientiam procul pellite, & cæleſtem totis conatibus inquirite. Audite veræ ſapientiæ Doctorem cuilibet veſtrum dicentem: *ſtude ſapientiæ, fili mi. Proverb.* 27. Vel, audite S. Auguſtinum clamantem: *Venite mortales ad ſtudium ſapientiæ, magnus hic fructus eſt: quid enim homini ſapientia charius? venite igitur ut ſapientes ſitis*; & ut talem obtinere valeatis ſapientiam, a Dei timore incipite; timete Dominum, ut ſaltem ſapere incipiatis: ut enim ait Propheta, *initium ſapientiæ timor Domini. Pſalm.* 110. 1. Procul ergo omnia pecca a pellite, & Deum timentes, ad altam ſapientiam obtinendam totis conatibus contendite. A Deo ſupplices petite, ut ad vos veniat ſpiritus ſapientiæ, ſicut ad S. Franciſcum Saleſium venit; *ad quem etiam venit ſpiritus manſuetudinis.*

SECUNDA PARS.

S. Franciſcus Saleſius habuit ſpiritum manſuetudinis.

QUamvis primum inter virtutes locum non teneat manſuetudo, in magnis tamen viris nil ea laudabilius: *Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. Cicero lib.* 1. *Offic.* Hæc virtus, quæ in Magnatibus eſt laudabilis, homines Chriſtianos in primis decet: *Multæ quidem ſunt virtutes, quæ Chriſtianum decent, maxime autem manſuetudo. S. Chryſoſt. Serm. de manſuet.* Præclara hæc virtus, quæ homines hominibus amabiles efficit, eos etiam Deo pergratos & amabiles reddit: *Nihil Deo tam gratum, tam amabile eſt quam mitis anima, & manſueta. S. Chryſoſt. homil. 3. de pœnitent.* Mirabilis & amabilis hæc virtus, quæ in Sanctis pluribus commendatur, in Sancto Franciſco Saleſio ſpeciali quodam modo effulſit; hæc ei quaſi innata erat, hæc ei a Cælo erat data cum perfectione, ut vere eſſet ſervus Dei, qui litigare neſciebat, & qui erga omnes manſuetus erat; *Servum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. 2. Tim.* 2. 14. Ad eum omnis conditionis, omniſque ſexus innumeræ accurrebant perſonæ: diverſi diverſa ab eo poſtulabant, & ipſe omnibus ſubveniebat, omnibuſque ſatisfaciebat. Ipſi peccatores indurati & ſcandaloſi eum propitium & benevolum experiebantur; cumque aliqui ex ejus familiaribus, ad durius ſe habendum, erga hujuſmodi homines, eum ſollicitarent; reſpondit Sanctus Pontifex: *Malo pœnitentes efficere, quam deſperatos: peccare non poſſum, ſi me peccatoribus facilem & tractabilem præbeam, cum Chriſtus erga Paralyticum, Magdalenam & mulierem adulterio deprehenſam, ſe miſericordem, benignum & manſuetum exhibuerit.*

Cum Seraphicus Bonaventura Miniſtri Generalis fungeretur officio, infirmis, Laicis, humilibuſque quibuſvis Fratribus magna manſuetudinis ſuæ dabat teſtimonia; & iis præcipue qui ab Ordinis diſciplina deſciverant, aut qui Seraphicam deſeruerant militiam, quos ad ſe venientes benigne & charitative recipiebat, totis viſceribus amplexabatur, tantaque erga eos charitate & clementia utebatur, ut non defuerint, qui in Capitulis tam Generalibus, quam Provincialibus id vitio plane ipſi objectarint quos ſæpe numero verbis graviſſimis coarguit, dicens, ſe velle miſerorum, & aberrantium parentem, perfugiumque eſſe, & miſericordia, patientiaque benigne, atque utiliter ad omnium ſalutem ſe ſemper uſurum. Seraphicum hunc Doctorem, Seraphicus Franciſcus Saleſius hac in parte imitatus eſt, & forte ſuperavit: non enim ſolum Regibus & Principibus, verum & parvulis, miſeris & peccatoribus quibuſque fuit tractabilis, cum iis lubens converſabatur, eorum querelas recipiebat, infirmitates rimabatur, peccata audiebat, & erga eos ita ſe benignum exhibebat, ut non pauci murmurarent, quod erga peccatores ſe benigniorem demonſtraret. Sed ipſe ſemper benignior fiebat, & per magnam quam præferebat benignitatem, ad meliorem vitæ frugem revocabat, & ſalvabat, quos alii per nimium rigorem exaſperaſſent, & in deſperationem forte provocaſſent. Unde de S. Franciſco Saleſio dicere poſſumus quod de Paulo Chryſoſtomus; quod ſcilicet *omnes amabat ſic ut genuiſſet, quin etiam majorem præſeferebat charitatem, quam quivis Pater: S. Chryſoſt. Præem. in Epiſt. ad Rom.* Saleſius enim, qui omnes paterno proſequebatur amore, ab omnibus pater vocabatur, & veluti pius pater, erga omnes benigne ſe habebat, præcipue erga peccatores, qui ad ipſum veniebant, quos tanquam pater benigniſſimus, ſummo affectu amplexabatur.

Cum Filius prodigus, qui diſſipaverat ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe, ad patrem pœnitens rediit, prodigalitas non ei acribus verbis fuit improperata: ſed *cum adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus & oſculatus eſt eum. Luc.* 15. 20. Huic patri Saleſius ſimiles eſſe optabat omnes Confeſſarios, reſpectu hominum peccatorum ad eos pœnitentiæ cauſa venientium; nolebat, ut eos dure & acerbe reciperent, ſed quod veluti patres erga eos benigni eſſent & miſericordes. Quod & ipſe opere complevit: non enim ſolum pauperes & infirmos, ſed etiam quoslibet peccatores, quantumvis ignaros, induratos, & enormibus peccatis gravatos benigniſſime recipiebat, illos corripiebat, ſed in *ſpiritu lenitatis: Ad Galat.* 6. 1. illos arguebat, obſecrabat, & increpabat, ſed *in omni patientia. 2. Timoth.* 4. 2.

Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron, non quod percuterent & contunderent petram; ſed quod loquerentur ad petram: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas: Num.* 20. 8. Moyſes autem elevans manum, bis virga petram percuſſit, in quo illum peccaſſe ait Lyranus, quia tranſgreſſus eſt verbum Domini, qui ei non percutere, ſed loqui ad petram dixerat. Similiter non vult Deus, Confeſſarios in ſacramentali judicio rudium, ignarorum, pauperum, & induratorum ſicca, arida, & ſaxea corda aſperæ increpationis, & impatientiæ virga ferire

re

re & percutere, ſed vult ſolum eos loqui ad pe-ttam, ſeu quod peccatoribus ſuaviter & benigne loquantur, quod iis dicant verba lenis inſtructionis, quodque per verba dulcia, mellita, & e corde manſueto manantia, eos ad doloris aquas, & veræ contritionis lacrymas effundendas pertrahant. Nonnulli tamen Confeſſarii ita moroſi, anxii, iracundi, & difficiles ſunt, ut peccatores verbis durioribus, & increpationibus acerbioribus percutiant, exaſperent, & aliquando ad deſperationem moveant. Aſt non ſic S. Franciſcus Saleſius, cujus manſuetudo erga omnes erat magna, ſed erga peccatores erat maxima: ipſos ut filios cariſſimos recipiebat; ipſos non conviciis & increpationibus exacerbabat, ſed verbis lenibus alliciebat, omnibuſque ſe ita facilem & ſuavem præbebat, ut omnes ad illum venirent confidenter, omnes prudenti ejus directioni ſe ſubderent faciliter, omneſque ejus conſiliis, & ejus manſuetudine ad fundendas lacrymas, ad valedicendum peccato, & ad Deo fideliter ſerviendum allicerentur.

In Confeſſariis & Prædicatoribus inſtituendis diſſimiliter ſe habuit Chriſtus: Apoſtolos enim Confeſſarios inſtituit ſuavi inſufflans halitus ſpiritu: *Inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Joann. 20. 22.* Prædicatores autem inſtituti fuere inter fulgura, tonitrua, & ventos vehementes: *Factum eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis. Actor. 2. 2.* Quod, quæro, in illarum inſtitutionum diverſitate latet myſterium? quæ eſt ratio differentiæ illarum? Ratio eſt, quia inſtituens Prædicatores in furore tonitrui, ventique validi, manifeſtare voluit, quod tonando, fulminando, tremendamque Dei juſtitiam exaggerando ſe peccatoribus terribiles exhibere deberent Concionatores; Confeſſarios vero ſuaviter inſufflando inſtituit, ut demonſtraret, quod Confeſſarii, veluti patres ſpirituales, flatu ſuavi, ſeu benignitate ſua peccatores ad jugum Chriſti, quod ſuave eſt, portandum adducere deberent. Non dubito quin tonuerit S. Franciſcus Saleſius ut Concionator; ſed ut Confeſſarius, nihil illo erat mitius, nihilque manſuetius. De ipſo fertur, quod pauperem claudum, & quaſi paralyticum, cujus pater ſpiritualis erat, mellitis mulceret verbis, quodque eum propriis manibus ſuſtentaret, ut commode, & decenter peccata ſua confiteretur. De muliere quadam cæca a nativitate narratur, quod eam Sanctus Pontifex manu propria ad tribunal pœnitentiale ducere ſolitus eſſet. Hominis etiam muti præceptor & catechiſta fuit, eumque docuit modum, quo, licet mutus, ſua confiteri valeret peccata. Innumera hujuſmodi referuntur exempla, quæ eminentem hujus Sancti charitatem, & ineffabilem manſuetudinem teſtantur & prædicant. Unde mihi videre videor Sanctum Franciſcum Saleſium in medio peccatorum, quaſi agnum inter lupos: agnus enim erat mitiſſimus, in quo nihil ferocitatis, nihil calliditatis, nihil veneni, ſed ſumma manſuetudo apparebat.

O utinam pari pollerent manſuetudine quicumque ſe animarum regimini immiſcent! utinam de quolibet illorum dici poſſet: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi! Joann. 1. 30.* ſed heu! multi non ſunt agni, quin potius ſunt lupi feroces, qui Chriſti gregem terrent & diſſipant. Multi etiam non mundi peccata tollunt, ſed ea ſovent; ſeque benignos, & manſuetos Confeſſarios eſſe cenſent, cum nimia indulgentia peccatores in pravis ſuis habitibus dormire, inveteraſcere, & mori ſinunt. O qualem manſuetudinem, quæ & Confeſſariis, & peccatoribus infallibilis eſt cauſa ruinæ! toto cælo differunt manſuetudo, & nimia indulgentia; manſuetudo enim eſt virtus amabilis; nimia vero indulgentia eſt vitium perniciosum & damnabile. Manſuetudo ad obtinendam terram viventium diſponit: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram; Matth. 5. 5.* nimia vero indulgentia viam ad infernum putat, & ad tartara ducit. Heu! quot nunc Confeſſarii horrenda inferni patiuntur ſupplicia, quia laxioribus opinionibus adhærendo, erga peccatores nimium indulgentes fuere, ibi cremantur, ibi vociferantur, & ibi in æternum cruciabuntur; quia faciliores extitere in abſolvendis peccatoribus. O pravam indulgentiam! o exitioſam bonitatem & facilitatem! quam quiſque deteſtari debet, & amabili manſuetudine peccatores a via ſua peſſima avocare, ad inſtar S. Franciſci Saleſii, in quo fuit ſpiritus manſuetudinis, *ac etiam ſpiritus zeli.*

TERTIA PARS.

S. Franciſcus Saleſius habuit ſpiritum zeli.

Certum eſt, quod *nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. S. Gregor. in Ezech. homil. 12.* nihilominus multi Paſtores quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, multi non tam de animabus Chriſto lucrandi, quam de vanis honoribus comparandis, & de facultatibus ampliandis ſunt ſolliciti; multique non tam animarum, quam pecuniarum zelo fervent. Judam zelo marſupii laboraſſe & æſtuaſſe dicit Sanctus Gregorius Nazianzenus; *Ob pecunias*, inquit, *fur ille zelo erga crumenam æſtuat; ac Deum prodit, & triginta argenteis vendit. S. Gregorius Nazianz. Orat. 28.* Eodem erga crumenam zelo ſuccendebantur Sacerdotes, qui Templum bobus, ac ovibus pollui patiebantur; multi quoque nunc ſunt, qui hujuſmodi erga crumenam zelo exæſtuant, & qui pecuniam magis curant, quam animas. Pernicioſo autem hoc non fervebat zelo S. Franciſcus Saleſius, non illum tenebat zelus lucri pecuniarum, ſed lucri animarum. Tunc eximium feciſſe lucrum exiſtimabat, cum unam erat lucratus animam; tunc theſaurum opulentiſſimum inveniſſe cenſebat, cum perditam oviculam invenerat; tunc egregie negotiatum eſſe arbitrabatur, cum impium aliquem ad meliorem frugem reduxerat. Probe ſciebat Sanctus Pontifex, quod *Redemptor noſter a Sacerdotis officio non quærit aurum, ſed animas: S. Gregor. Epiſt. 28. l. 5.* quare non aurum, non argentum, non gemmas in terra quæſivit, *ſed animas*; non vineas, non villas, aut prædia multis laboribus acquirere conatus eſt, *ſed animas*; non urbes, non regna, aut altiores Eccleſiæ dignitates ambivit, *ſed animas*; ad quas Chriſto comparandas, jejuniis, vigiliis, orationibus,

bus, prædicationibus, & omnibus quibus potuit modis, continue laboravit.

Flagrantiſſimo animarum zelo æſtuat dæmon, non ut illas ſervet, ſed ut perdat, æterniſque flammis mancipet: hic noctu diuque animas quærit, & indeſinenter circuit ut animas rapiat; *Tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*: 1. *Petr.* 5. 2. hic ſimul cum Rege Sodomorum ait: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; *Gen.* 14. 12. non aurum, non argentum, non ſceptra, non coronas quærit, ſed animas. Heu! patieturne ovium paſtor, vinci ſe ab hoc dæmonis zelo? dum dæmon ait; *Circuivi terram, & perambulavi eam*, ut animas raperem; *Job* 1. invenieturne paſtor qui dicat: circuivi terram, & undique cucurri, ut pecunias congregarem? proh pudor! cedit ſæpe zelus paſtoris zelo dæmonis, & dum dæmon ait: *da mihi animas, cætera tolle tibi*, reperiuntur paſtores qui dicunt, *da mihi cætera, animas tolle tibi*: Sed S. Franciſcus Saleſius Seraphico ſuccenſus zelo, non pecunias quærebat, non honores ambiebat, ſed animas; has cupiebat, has ſitiebat, harum deſiderio flagrabat, & earum ſalutem indeſinenter anhelabat. Si loquebatur, hoc erat ut mitteret in terram ignem zeli ſui; ſi huc & illuc vagabatur, hoc erat ut ardua quæ inſpirabat zelus opera, executioni mandaret; cum litteras ſcribebat, ibi ejus lucebat zelus; ſive oraret, ſive prædicaret, ſive cum hominibus confabularetur, ardentis zeli ſemper flammas emittebat: Zelus tandem ejus erat *ſicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes*; *Pſalm.* 82. 15. in mediis enim ſilvis zelo tabeſcebat, & ſicut alter Jonathas, *manibus & pedibus repens*, 1. *Reg.* 14. 13. altiſſimos montes, & aſperrimas rupes conſcendebat, ut errantes animas ad ovile Chriſti revocaret.

Nec ſatis erat Sancto huic Antiſtiti, zelo ſalutis animarum ſuo regimini commiſſarum continue ardere; non enim intra unam Diœceſim ejus claudebatur zelus, ſed ad omnes orbis terrarum partes extendebatur; omniumque quippe hominum ſalutem optabat, & ſi ei licitum fuiſſet, ad omnes mundi plagas volaſſet, ut ubique pro animarum ſalute totis conatibus laboraret. Interdum Angliam verſus oculos & animum convertens, ſummo cum fervore & zelo dicebat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo ad hanc inſulam errorum tenebris obvolutam? volabo ad magnam civitatem Londinum, volabo ad illam Ninivem, ibi alloquar Regem, eique dicam verbum Domini*. At non ad Angliam ſolum, verum & ad omnes Orbis regiones volare concupiviſſet, ut ubique zeli ſui flammas emitteret. Unde cum ferveſcentem zelantiſſimi hujus viri ſpiritum mente revolvo, ejus zelum cum inferno merito conferendum eſſe cenſeo: *Dura ſicut infernus æmulatio*. *Cant.* 8. Quemadmodum enim infernus damnatis quos recipit nunquam ſaturatur; ita hujus ſancti zelus nunquam expletur. Parum ei erat, intra Genevenſem Diœceſim pro animarum ſalute laborare, pennatus enim eſſe voluiſſet, ut ad omnes orbis Diœceſes migraret. Parum ei videbatur, ſeptuaginta hæreticorum millia ab inferni faucibus eripuiſſe: quia omnes penitus hæreticos & infideles ab erroribus ſuis avocare peroptaſſet. Parum eſſe cenſebat, quod peccatores ad ipſum venientes reciperet: quia omnes penitus peccatores ad Deum convertere deſideraſſet. Parum tandem eſſe arbitrabatur, quod ſacratum Virginum religionem inſtituiſſet: quia omnes virgines ad religionem & ad cælum adducere voluiſſet. Nec deſideria ejus vana erant & vacua: quia orationibus, vigiliis, jejuniis, & omnibus, quibus poterat modis, pro omnium ſalute laborabat. Unde ſi *zelus animarum verus & perfectus eſt, quando aliquis ſanctis meditationibus, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confeſſionibus, conſiliis, doctrinis, atque aliis bonis operibus pro ſalute animarum laborat*; *Albert. Magn. de Paradiſ. anim. pars.* 1. zelantiſſimum fuiſſe Sanctum Franciſcum Saleſium, perſpicuum eſt: quia hæc omnia pro animarum ſalute indeſinenter adhibuit.

O utinam zelo ſimili eſſemus accenſi! Utinam zelo ſalutis animarum noſtra arderent corda! *Zelo divini honoris*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *ac fraternæ ſalutis ſimus ſemper accenſi*. *Dionyſ. Carthuſ. in cap.* 5. *Epiſt. Jac. art.* 7. Si viderimus fratrem ſuperbia tumidum, detractionibus aſſuetum, ebrietati ſervientem, luxuria enervatum, iracundia turbidum, aut alteri cuidam vitio addictum, ſtudeamus, in quantum facultas ſuppetit, eum corripere, caſtigare, & ad viam ſalutis vocare: *Unumquemque Chriſtianorum*, inquit Divus Auguſtinus, *zelus domus Dei comedat*. *Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum? prohibe, mone, contriſtare*. *Vides alios currere, & inebriari velle? prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes*; *S. Auguſt. tractat. in Joann.* ut ſcilicet eos a via perditionis avoces. Non eſt penſandum, ſalutis animarum zelum eſſe virtutem ſolis Prælatis convenientem: quia *unicuique mandavit Deus de proximo ſuo*. Non eſt dicendum: aliena peccata non curo, non aliorum, ſed meæ ſolum ſaluti incumbere intendo: non eſt ſic loquendum: quia de aliorum ſalute rationem a nobis exiget Deus, ſi ſcilicet noſtra incuria perierint: quare, ut ait Sanctus Leo, *aſſumite religioſæ ſollicitudinis pium zelum, & contra ſæviſſimos hoſtes animarum omnium fidelium cura conſurgat*. *S. Leo ſerm.* 5. *de jejun.* 7. *menſ.* Pio ſuccendantur zelo Prælati, magnates, parentes, & omnes penitus homines; imitentur Sanctum Franciſcum Saleſium, qui fuit tabernaculum, in quo requievit ſpiritus ſapientiæ, manſuetudinis & zeli; triplici hoc ſpiritu cum eo repleri ambiant omnes, ut cum eo in æternis tabernaculis recipi mereantur. *Amen*.

D E

P U R I F I C A T I O N E
B. V. M A R I Æ.

C O N C I O U N I C A.

Erunt Domino offerentes ſacrificia. Malach. 3.

ITa placita, & Deo acceptabilia ſunt hominum ſacrificia, ut cum primum eſſe & vivere cœperunt, oblata ab iis ſacrificia acceptarit, & in

omni

Digitized by Google

omni lege, omnique deinceps tempore ſacrificia ſibi libari voluerit. Unde ex filiis Adami alius fructus quoſdam, & alter ſui gregis agnos pinguiores Deo obtulit; Noe etiam poſt univerſalem aquarum inundationem arca egreſſus, Deo ſacrificavit: quod & Melchiſedech, & Abraham, & alii multi Dei amici tempore legis naturæ fecerunt, eorumque ſacrificia Deus ſibi eſſe placita, ſignis externis pluries manifeſtavit. *Geneſ.* 4. 8. 14. & 15. Sed tempore quo lex ſcripta viguit, frequentiſſimus fuit ſacrificiorum uſus, quorum ritus, cærimonias, & varios modos Deus ipſe inſtituit & docuit; eoque tempore, ſicut & tempore legis naturæ, boum, vitulorum, ovium, agnorum, & aliorum multorum animalium ſacrificia ſibi pergrata eſſe teſtatus eſt. Sed gratiora haud dubie ei hodie ſacrificia in templo Jeroſolymitano offeruntur, de quibus ſpiritu prophetico dixit Malachias: *Erunt Domino offerentes ſacrificia*. De Simeone ait ſacer Evangeliſta, quod ducente Spiritu Sancto in templum venerit: *Venit in ſpiritu in templum*; *Lucæ* 2. 19. Eodem ſpiritu ducti ad templum venerunt Chriſtus & Maria; eamus & nos nunc ſpiritu in templum illud admirabile, ibique contemplemur, non lumen divinum quod in eo apparet, non Annam gaudentem & prophetantem; ſed Chriſtum, Mariam & Simeonem ſacrificia libantes, &c. *Ave*.

AUguſtum, & omnibus ſæculis famoſum templum Jeroſolymitanum ad ſupremum hodie honoris apicem fuit ſublimatum: magnifica hæc Dei domus die iſto ad eminentioris gloriæ faſtigium fuit exaltata, non ſolum per Chriſti præſentiam, ſed etiam per ſuaveolentia, quæ in ea Chriſtus, Maria, & Simeon obtulere ſacrificia, quæ Abelis, Noemi, Abrahami, & omnium antiquorum ſacrificiis longe præſtantiora, Deoque gratiora extitere. Verum eſt, ad templum veniſſe *Mariam* ut Purificationis Legem impleret, *Chriſtum*, ut æterno Patri offerretur, & *Simeonem* ut puerum Jeſum ulnis ſuſciperet; ſed identidem Chriſtus, Maria, & Simeon pergrata Deo offerunt ſacrificia: Chriſtus enim proprium corpus offert, & ſacrificat æterno Patri; *Maria* honorem ſuum ei ſacrificat, cum Virgo hæc puriſſima, immunda videri, & æſtimari patitur; *Simeon* tandem Chriſto, quem ulnis ſuſcipit, propriam vitam offert, & ſacrificat, dum dimitti, & mori appetit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine*. *Luc*. 2. 29. Videamus 1. Sacrificium Chriſti; 2. Sacrificium Mariæ: 3. Sacrificium Simeonis. Hæc ſunt tria ſacrificia, quæ hodie in templo Jeroſolymitano Deo libantur: *Erunt Domino offerentes ſacrificia*.

PRIMA PARS.

Sacrificium Chriſti.

NOn Martyribus, non Chriſti Confeſſoribus, nec aliis Sanctis, ſed ſoli Deo offerenda ſunt ſacrificia: *Eſt res antiqua ſacrificium, quod nonniſi uni Deo vero offerri oportere veraces, & ſacræ litteræ monent*. *Sanctus Auguſtinus Epiſt.* 49. *tom.* 2. Eriguntur quidem altaria, ut honoremus Sancti; ſed libantur ſacrificia, ut honoretur Deus, huic ſoli debitus eſt honor, & gloria ſacrificii, nec alteri, quam Deo offerri poſſe, non eſt qui dicere audeat: *Sacrificium certe, nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi ſoli Deo*. *Sanctus Auguſtinus lib.* 10. *de Civit. cap.* 4. Unde hæc eſt regula generalis apud omnes recepta, quod creaturarum eſt, ſacrificia offerre; Dei vero non eſt, offerre ſacrificia, quin contra ea ipſi, ut ſupremo Domino, offerri, & libari debent. Sed o rem mirabilem! o ſapientiæ divinæ prodigium! Chriſtus, qui Deus eſt, & in cujus honorem omnia offeruntur ſacrificia, hodie ſeipſum æterno Patri in ſacrificium offert: *O profunditatem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, offerre hoſtias, qui per ſingulas hoſtias honoratur cum Patre*. *Sanctus Cyrillus Alexandrinus in caten. Divi Thomæ*.

In hodierno legitur Evangelio, quod Joſephus, & Maria Chriſtum in templum tulerint, non ut eum conſecrarent, ſed *ut ſiſterent eum Domino*. *Lucæ* 2. 23. Lege divina conſtitutum erat, ut pueri conſecrarentur Domino: *Quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino*; *Exod.* 13. 2. cur ergo Joſeph, & Maria Chriſtum in templum afferunt, non ut conſecrent, ſed ſolum ut Deo ſiſtant; *Ut ſiſterent eum Domino?* Non ſine myſterio hoc factum eſt: cum enim tulerunt ſolum ut ſiſterent, & non ut conſecrarent, quia ipſe ſemetipſum Patri conſecraturus erat, & revera eum ſolummodo ſiſterunt parentes, ipſe autem proprium corpus conſecravit, & Patri ſacrificavit: divinus hic Puer in Sacerdotis ulnis, velut in altari poſitus, ſemetipſum Patri in ſacrificium obtulit, dicens: o Pater, boum, taurorum, & aliorum brutorum ſacrificia non tibi placuerunt, ea pro expiatione peccatorum generis humani accipere renuiſti; mihi autem corpus dediſti, ut illud pro hominum ſalute ſacrificarem. *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*. *Hebr.* 10. 6. O Pater! illud corpus quod dediſti mihi, jam tibi pro hominum ſalute offero; illud corporis mei ſacrificium, quod in crucis altari conſummaturus ſum, jam incipio, meumque corpus jam nunc tibi ſacrifico; nec propter aliud in hoc templum veni, quam ut corpus meum tibi in ſacrificium offerrem: *Tunc dixi; Ecce venio*.

De iſto ſacrificio, quod hodie in templo Chriſtus obtulit, luculenter loquitur Sanctus Bernardus, dicens, Chriſtum bis corpus ſuum Patri in ſacrificium obtuliſſe, hodie ſcilicet in templo Jeroſolymitano, & die Veneris ſancto in ara crucis. Certum eſt, Chriſtum ab inſtanti conceptionis uſque ad mortem ſe millies æterno Patri intus conſecraſſe, ſed duo publica, & ſolemnia corporis ſui ei obtulit ſacrificia, unum die Paſſionis in monte Calvariæ, & aliud in templo Jeroſolymitano die Purificationis. In monte Calvariæ ſanguinolentum & in Templo non ſanguinolentum ſacrificium obtulit. Utrumque illud ſacrificium voluntarium fuit, utrumque efficax, utrumque mirabile; & talis inter utrumque eſt convenientia, ut unum quaſi aurora alterius eſſe videatur. Unde Sanctus Bernardus unum matutinum & aliud veſpertinum vocat;

Digitized by Google

car: *Illud erat ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum; Sanctus Bernardus ſermone 3. de Purific.* ſacrificium crucis *veſpertinum* appellat, quia illud in veſpere, ſeu in fine vitæ ſuæ obtulit; ſacrificium vero Templi *matutinum* nuncupat, quia illud ſummo mane, ſeu in vitæ ſuæ principio fecit. O mirabile ſacrificium, qui a primis vitæ ſuæ diebus, ſui corporis Patri ſacrificium obtulit!

Chriſtus ut Deus, nec Sacerdos, nec victima eſſe poterat, quia utrumque dependentiam, & inferioritatem dicit, quæ Deo convenire nequeunt; ut autem Sacerdos ſimul, & victima eſſe poſſet, incarnatus eſt, & ab inſtanti conceptionis mirabiliter Sacerdos fuit, qui, ut ait Tertullianus, uſque ad mortem ſeipſum Patri in ſacrificium offerre non deſtitit: *A partu Virginis uſque ad mortem factus eſt hoſtia. Tertull. adverſ. Jud.* Singulis momentis hic Sacerdos proprium corpus pro humani generis ſalute offerebat Patri; continue intus dicebat: Pater, corpus quod dediſti mihi pro hominum ſalute, libens offero; illud flagellari, ſpinis coronari, cruci affigi, & diram pro peccatoribus mortem ſubire volo. Hæc eſt hoſtia, quam indeſinenter Patri intus offerebat; ſed hic Sacerdos duplex & ſolemne, & publicum ſui corporis ſacrificium fecit; unum in cruce, & in Templo alterum; in crucis ſacrificio ipſe ſimul Sacerdos fuit & victima. *Simul ergo hoſtia, & Sacerdos in altari crucis perfectus eſt. Sanctus Auguſtinus ſerm. 13. de temp.* In templi etiam ſacrificio ipſe fuit Sacerdos, & hoſtia: *Ita Sacerdos extitit, ut eſſet etiam ſacrificium, quod pro nobis obtulit Deo, non aliud quam ſeipſum. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 26.* Miramini hunc Sacerdotem, qui Simeonis brachiis ſuperpoſitus corpus ſuum Patri, ut hoſtiam placabilem, & placentem, ſummo cum charitatis affectu ſolenniter offert; *Hodie placabilis, & Deo placens hoſtia offertur in Templo. Sanctus Bernardus ſermone 2. de Purific.* Miramini Chriſtum, qui, ut ait Sanctus Auguſtinus, *ipſas ſanctas primitias carnis ex utero Virginis in holocauſtum obtulit Deo. Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 64.* Miramini Chriſtum, qui *non grana thuris unius aſſis, non Arabicæ arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bovis mori optantis, ſed ſemetipſum obtulit. Tertullianus Apolog. 30.* Quod pura creatura Deo ſacrificetur, & immoletur, nulla admirationis cauſa ineſt, quia ad hoc multis rationibus adſtringitur; ſed quod Chriſtus, Deus, & Homo, a primis unguiculis proprium corpus ſolemni ſacrificio pro hominum ſalute Patri offerat, hoc eſt ſapientiæ divinæ miraculum, quod nunquam ſatis admirari poſſemus.

Eſt certe quod admiremur; ſed eſt etiam quod imitemur; aut ſaltem Chriſti exemplo ad noſmetipſos Deo offerendos moveri & excitari debemus. Heu! ſi Chriſtus, qui Deus erat, ſeipſum in ſacrificium obtulit, cur nos viles vermiculi, & creaturæ ignobiles, Deo, & Creatori noſtro corporum, & animarum noſtrarum ſacrificia offerre recuſabimus? Si Chriſtus ex mera liberalitate, & charitate ſe obtulit, cur nos *ſacrificium juſtitiæ*, ſeu ad quod faciendum ex juſtitia tenemur, facere renuemus? *Ille ſeipſum obtulit*, inquit Sanctus Bernardus; *Tu qui es, qui te offerre cuncteris? S. Bernard. ſerm. 3. de Purific.* O peccator, ne cuncteris teipſum offerre Deo tuo: millies ſacrificaſti avaritiæ, gulæ voluptati, & dæmoni, immolaſti non Deo, ſed ſatanæ: *Immolaverunt dæmoni & non Deo: Deut. 32.* nunc deſine peccato, & dæmoni te conſecrare, ut te totum Deo offeras. Non audias dæmonem, & mundum a ſancto, & æquiſſimo hoc te avertentes ſacrificio, aut ſaltem illud procraſtinare ſuadentes: ſi enim obtulit ſe Chriſtus, cur teipſum Deo non offeres? & ſi Chriſtus ab infantia ſui ipſius ſacrificium fecit Patri, cur te ipſum Deo offerre tardabis? Impium, & execrandum ſacrificium memorat Tertullianus, quod non Deo, ſed Statinæ Deæ fiebat, cui Gentiles primo filios ſuos conſecrabantur: *Prima conſecratio infantia ſuper terram, Statinæ Deæ ſacrum eſt. Lib. de anim. cap. 39.* O peccator! infantes tui, ſunt cogitationes intellectus tui, & deſideria cordis tui; hos infantes primum conſecraſti, non *Statinæ Deæ*, ſed voluptati Deæ, avaritiæ Deæ, & gulæ Deæ tuæ; hos infantes ab adoleſcentia non Deo, ſed dæmoni ſacrificaſti. At ſaltem nunc oblationem tuam Deo facere incipias; ſacrificia tua in poſterum non ſatanæ, ſed Deo offeras; convertere ad Dominum Deum tuum, ita quod, relictis pravis habitibus, ſoli Deo cogitationes, deſideria, teque totum totaliter in ſacrificium offeras. *Divinum nomen placandum eſt, atque demulcendum precibus, & ſacrificiis: inquiebat Plato in Dialog. Theagis:* quare, o impie, ſi irritaſti Deum tuum ſacrificando diis alienis, nunc ut eum placare valeas, ei mentis, cordis, & corporis tui ſacrificium facias; te totum illi offeras, ſicut Chriſtus, qui gratiſſimum Patri hodie ſacrificium obtulit. *Et ſuum etiam hodie ſacrificium fecit Sanctiſſima Virgo Maria.*

SECUNDA PARS.

Sacrificium Mariæ.

BEatiſſimam Virginem, non obnoxiam, ſed liberam fuiſſe, atque immunem ab omni Lege Purificationis, eſt vera conſtanſque Sanctorum Patrum ſententia; cum enim mater eſſet Legislatoris, cæremoniali huic Legi ſubdi non debebat; cum etiam poſt partum eſſet Virgo, Lex data pro mulieribus, quæ ſuſcepto ſemine pepererant, illam non ligabat; cum tandem eſſet puriſſima, & in ea nulla ſive peccati, ſive immunditiæ legalis eſſet macula, nullatenus purificari indigebat: *Virgo non eguit purificatione, quæ neque in peccato concepit, neque unquam peccavit. Dionyſius Carthuſianus in c. 2. Lucæ.* Nihilominus Maria quadrageſimo poſt Chriſti partum die in templum venit, ubi voluntarie Purificationis Legem adimplevit, & *quamvis eſſet puriſſima, non renuit inter cæteras mulieres immundas recenſeri. Hugo Cardin. in c. 2. Lucæ.* Contemplamini Sanctiſſimam hanc Virginem in templo Purificationis Legi obtemperantem, & identidem adnotate arduum & heroicum honoris, & famæ ſuæ ſacrificium, quod generoſiſſime facit, cum non ſecus ac aliæ mulieres, impura vult videri & ab

omni-

Digitized by Google

omnibus ſpectantibus non Virgo, ſed mulier immunda; non marer puriſſima, ſed ſemina peccatis, & legalibus ſordibus maculata vult æſtimari.

In hujus Legis obſervatione maxime enituit Mariæ obedientia, quia plus fecit quam facere teneretur; ſed ejus magis adhuc illuxit humilitas, quia immunda judicari & reputari voluit: *Quis non miretur*, inquit Abbas Guerricus, *quam in die Purificationis Maria oſtentaverit humilitatem, dum quæ Angelis purior erat, quaſi ſordibus ſcateat, Purificationis remedium ad eas abſtergendas aſſumpſerit? Guerric. ſermone 4. de Purificatione*. Dicere poterat Maria, cur ego ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? cur non abſtineam ab ingreſſu templi, cum uterus meus neſciens virum, factus ſit templum Spiritus Sancti? Dicere etiam poterat, quid mihi opus eſt Purificatione? nihil in me eſt impurum, cum ſim Virgo puriſſima; nihil etiam in conceptu, nihil in partu meo impurum fuit, nihil purgandum, nimirum cum proles mea fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum, cur ergo ignominioſam Purificationis Legem, a cujus obſervatione multis titulis ſum libera, ſubibo, & ſervabo? Has & alias rationes adducere potuiſſet Maria; ſed miſſis omnibus his rationibus, tanta ejus fuit humilitas, ut purificari, ac immunda judicari voluerit; *quæ Angelis purior erat, quaſi ſordibus ſcateat, Purificationis remedium ad eas abſtergendas aſſumpſeris*. O magnam Mariæ humilitatem! ſed o maximum Mariæ ſacrificium! *Sacrificium maximum humilitas eſt*, inquit Sanctus Chryſoſtomus; *hoc ſacrificium humilitatis multo melius eſt, quam Judæorum. S. Chryſoſtomus homil. 2. in Pſ. 50.* Maximum quidem eſt humilitatis ſacrificium, quia victima quæ in hoc ſacrificio offertur, alia non eſt quam honor & fama, qua nihil eſt charius. *Nihil eſt ita charum homini ſicut fama: Divus Thomas Opuſc. 9. de decem præcept.* Miramini ergo Mariam offerentem ſacrificium humilitatis, in quo præ humilitate honorem, & famam ſuam Deo ſacrificat, dum pro illius amore immunda, & impura vult reputari. Hoc ſacrificium in libro Confeſſionum obtulit Sanctus Auguſtinus, dum ſe peccatorem, & immundum fuiſſe confeſſus eſt. *Accipe*, inquiebat, *ſacrificium confeſſionum mearum de manu linguæ meæ. Lib. 5. Confeſſ.* Sed longe excellentius, & eminentius extitit Mariæ ſacrificium, quia Auguſtinus, qui peccator & immundus fuerat, ſe peccatorem & immundum fatebatur; ſed Maria, licet ſideribus, & Angelis purior, immunda, & impura videri voluit, & judicari: O magnum ſacrificium!

A Sacerdotio & Sacerdotalibus muniis omni tempore excluſæ fuerunt mulieres, quas velari, & tacere in templo deſiderat Divus Paulus. Sanctus tamen Epiphanius Mariam ut Sacerdotem proponit: *Mirare Mariam veluti Sacerdotem pariter ac altare. S. Epiphanius in Orat. Virgin.* Non equidem Sacerdotali charactere inſignita erat; ſed Sacerdos dicitur, quia honoris & famæ ſuæ ſacrificium hodie obtulit, quo ſacrificio nullum generoſius eſſe cenſet Sanctus Iſidorus a Damiata, quia nihil nobis charius fama, ac bono nomine; & quia bona fama eſt vita quædam moralis ipſa vita naturali amabilior; qua etiam poſt mortem in hominum mentibus vivimus. Illud quidem ſacrificium nonnulli obtulere Sancti, qui variis criminibus calumnioſe accuſati, os ſuum aperire noluerunt, ut ſuam manifeſtarent innocentiam; ſed hos omnes hac in parte hodie anteceſſit Maria, cujus tanto glorioſius fuit ſacrificium, quanto major extitit gloria quam Deo ſacrificavit. Maxima Mariæ gloria erat, quod ſimul Virgo, & Chriſti mater eſſet: *Tanta eſt Virginis dignitas, eo quod mater Dei ſit, ut plane excedat omnium hominum dignitatem, verum etiam Angelorum; Sanct. Hug. lib. 2. de Symb. c. 4.* hanc autem gloriam, & hunc honorem ſacrificavit, cum Purificationis Legem ſervavit, quia ſpectantibus occaſionem præbuit judicandi, eam nec Virginem, nec Chriſti matrem eſſe, cum Legem pro ſolis non virginibus, & pro ſolis mulieribus impuris latam ſervaverit: quare fatendum glorioſum extitiſſe Mariæ ſacrificium.

Sed quam pauci Mariam imitantur! quam pauci, etiam cum proprii honoris detrimento, legem Dei ſervant! plerique boni volunt videri, non eſſe, & plerique non tam de conſcientia, quam de fama, ac de hominum opinione curant. *Eo perducta res eſt*, inquit Sanctus Hieronymus, *ut neglecta veritate meriti, de ſola opinione curemus. Sanctus Hieronymus epiſt. 1. ad Demetr.* Maria maluit bona opinione cadere, quam Legem non ſervare, & multi Legem non ſervant, ne ab aliis contemnantur, & irrideantur: timent contemni, ſi inimicis parcant, ſi jejunent, ſi impiorum conſortia vitent, ſi ſæpe peccata confiteantur, & ſi totaliter ad Deum convertantur, erubeſcunt bene agere, quia contemni, & imaginariam, necnon ridiculam, immo & malam apud homines opinionem perdere timent. O cæcitatem hujuſmodi hominum, qui dicunt bonum malum, & bene facere erubeſcunt! audiant Chriſtum dicentem: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua & Patris & ſanctorum Angelorum. Luc. 9. 26.* O peccator! Chriſti Legem ſervare non erubeſcas, propter aliorum opinionem a benefaciendo non abſtineas, fac quod debes, & dicant homines quod voluerint, ſacrifica Deo vanam illam hominum opinionem, quæ te pluries a bene agendo retardavit, & pluries ad peccatum allexit. Offer Deo tuum ſacrificium, ſicut Maria. *Cui etiam ſacrificavit S. Simeon.*

TERTIA PARS.

Sacrificium Simeonis.

VIta præſens fallax eſt & umbratica, infelix & laborioſa, fragilis & caduca, quæ non manet, ſed tranſit, non durat, ſed evaneſcit, non ſtat, ſed perit, & quæ quanto magis creſcit, tanto magis decreſcit, quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Nihilominus tranſitoriam, infelicem, necnon laboribus, doloribus, periculis, & ærumnis plenam hanc vitam amamus, eam diuturnam eſſe optamus, & ex naturali propenſione ſemper magis ac magis vivere deſideramus. *Naturale nobis velle vivere. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. c. 27.* De naturali tamen hac diu vivendi inclina-

clinatione hodie triumphat ſenex Simeon, quia vitæ ſuæ ſacrificium Chriſto facit, & pro illius amore mori appetit. In Chriſti nativitate cantaverant Angeli, eum inviſerant paſtores, pretioſa ei munera obtulerant Magi, & hodie Simeon non aurum, non myrrham, ſed propriam vitam offert & ſacrificat, dicens: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, Lucæ 2.* ſeu, ut explicat ſanctus Ambroſius, *nunc dimitte ſervum tuum Domine*. Et, ut exponit Hugo Cardinalis; *Oro ut dimittas me*. Seu, rogo te Domine, ut jam pro tui amore moriar, vitam meam tibi offero, & pro tui gloria mori ardentiſſime cupio. *Quis mihi det ut moriar pro te? Lib. 6. in Regiſt. indict. 15. cap. 190.*

Homines in hoc mundo viventes navigantibus appoſite confert ſanctus Gregorius. (Vita noſtra, inquit, naviganti ſimilis eſt; is namque qui navigat, ſtat, ſedet, jacet, vadit, & impulſu navis ducitur; ita nos, ſive vigilantes, ſive dormientes, ſive tacentes, ſive loquentes, ſive ſedentes, ſive ambulantes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus.) Hæc quidem vera & expreſſa eſt vitæ noſtræ imago; ſed advertendum, quod ſicut qui in remotas regiones ſunt navigaturi, audientes navem ex portu ſolvi, ac vela ventis dari, contriſtantur plurimum, ſi ſibi neceſſaria non comparaverint, ita & peccatores, qui toto vitæ ſuæ tempore bonorum operum fructus colligere neglexerunt, triſtantur, tremunt, & ſæpe in deſperationem incidunt, cum ad alium mundum transfretandi tempus venit. Sed ſanctus Simeon, qui vir juſtus erat ac timoratus, & qui magnam bonorum operum copiam coacervarat, in alium mundum navigare non timuit, mori non formidavit, ſed appetiit, vitamque ſuam Chriſto ſacrificavit, ac pro illius gloria mori poſtulavit: *Nunc dimitte ſervum tuum Domine. Oro ut dimittas me.*

Pro Chriſto mori concupivit Div. Paulus, pro Chriſto etiam mori optavit Simeon: magna tamen inter utrumque eſt differentia, quia pro Chriſto mori deſideravit D. Paulus, ut cum Chriſto eſſet, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: Simeon autem cum Chriſto erat, Chriſtum videbat, Chriſtum in manibus portabat, & pro eo mori poſtulabat. O ſenex ſanctiſſime, ardenter Chriſtum videre concupiveras, hic eſt deſideratus a cunctis gentibus, liberator populi Iſraelitici, verus Meſſias & Deus tuus, quem tanto affectu videre optaveras, cur ergo nunc, cum eum vides & poſſides, dimitti & mori peroptas? *Quia*, inquit, *viderunt oculi mei ſalutare tuum*: vult mori, quia Chriſtum vidit. Div. Paulus mori cupiebat, ut Chriſtum videret, & Simeon mori optabat, quia Chriſtum vidit, non enim Chriſtum videre potuit, quin eum amaret, eumque ita amavit, ut propriam ei vitam ſacrificaverit, & pro illo mori appetierit. *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine.*

Antiquus quidam Philoſophus, ut refert Plutarcus, Octavianum Auguſtum ſummo affectu videre peroptarat, quem ubi primum vidit, in ardenem ſeſe præcipitavit rogum, hæc verba proferens: *Oculi qui tantum lumen viderunt, non oportet ut amplius quidquam videant. In vita Alex.* An ſapienter, vel inſipienter fecerit hic Philoſophus, judicent alii; ſapientiſſimum autem proclamabo ſanctum Simeonem, qui viſo Chriſto, nihil amplius in hoc mundo videre optavit, viſo vitæ Auctore, non ultra vivere appetiit; ſed illi vitam ſuam totaliter ſacrificavit, & pro illius amore mori deſideravit: *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine, Oro ut dimittas me.*

O mirabile Simeonis ſacrificium! & o utinam ſanctum hunc Sacerdotem omnes imitarentur fideles! utinam non mundo, non dæmoni, ſed Chriſto propriam vitam ſacrificarent! Simeon Chriſtum ulnis ſuſcepit, & nos non ulnis, ſed intra noſmetipſos in Euchariſtia eum recipimus. Cum eum in manibus geſtaret Simeon, ei propriam vitam ſacrificavit, ſimiliter quoties eum in Euchariſtia recipimus, noſtram ei vitam ſacrificare debemus, dicendo ei cum Simeone: *Nunc dimitte ſervum tuum, Domine*; ſeu o Domine, paratus ſum pro tui amore vitam meam ponere, & antequam ad te recipiendum accederem, tantam adhibui diſpoſitionem, quanta ſi moriturus, & ex hoc mundo exiturus eſſem. Voluit Deus, quod Judæi Agnum Paſchalem cinctis renibus, ſtantes, baculum manu tenentes, & tamquam peregrini manducarent, ut doceret nos, quod *quicumque agnum Euchariſticum manducans, ita debens eſſe expediti, quaſi exituri de hoc mundo. S. Chryſoſt. Imperf. in Matth. 25. hom. 52.* O Chriſtiane, quomodo Agnum Euchariſticum manducaſti, ſumpſiſtine illum, ac ſi exiturus eſſes de hoc mundo? Quotieſcumque ad ſacram Synaxim acceſſiſti, eraſne ita expeditus, ac ſi ſumpto Sacramento moriturus eſſes? Si Angelus tibi, immediate poſt communionem dixiſſet, morieris, potuiſſeſne reſpondere, *Nunc dimitte*, nunc mori paratus ſum? Nonne aliquid adhuc reſtitere, nonne aliquas peccati reliquias purgare voluiſſes? Heu! forte grave quoddam peccatum tibi confitendum, ac expiandum ſuperfuiſſet? & forte pluries corpus Chriſti ſumpſiſti, velut alter Judas, enormi quodam peccato denigratam gerens animam? O peccator! o Juda! o proditor! non amplius accedas, ut oſculeris, & manduces Chriſtum, ſi prius tuam non laveris conſcientiam; proba teipſum, antequam de divino illo pane edas; munda prius cor tuum, & animam tuam ab omni macula, diſpone prius domui tuæ, & conſcientiæ tuæ, ac ſi exiturus eſſes de hoc mundo; eſto ita paratus, ut dicere poſſis cum Simeone: *Nunc dimitte ſervum tuum Domine*, ſeu o Domine, meam tibi vitam offero, & ſi jam me mori velis, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Si ita paratus accedas, in mortis tuæ die paratus erit Deus ad beatitudinem æternam tibi dandam, in qua perpetua perfrueris pace. *Amen.*

DE

DE SANCTO MATHIA.

CONCIO UNICA.

Cecidit ſors ſuper Mathiam. Act. 1.

VUlgari effato, & ipſa conſtat experientia, objecta numquam clarius & perfectius apparere, quam cum ſuis contrariis opponuntur. Ver nuſquam jucundius, quam cum ſummam ſubſequitur hyemem; pulchritudo, numquam fulgentior, quam cum cuidam opponitur turpitudini; numquam melius adnotatur maris tranquillitas, quam poſt ſedatam tempeſtatem; gratior numquam eſt quies, quam poſt laborem, & numquam ſuavius deguſtantur voluptates, quam poſt gravem afflictionem; quia, ut loquitur Philoſophorum Princeps; *contraria juxta ſe oppoſita magis eluceſcunt*. Hanc veritatem quæ omnibus liquet, norunt potiſſimum Theologi, Pictores, & Oratores: *Theologi* enim, ut vitii cujuſdam malitiam manifeſtent, virtutis contrariæ, & ipſi oppoſitæ excellentiam extollunt. *Pictores* periti adjectis variis umbris, rutilantiores ſuos efficiunt colores; & *Oratores* in ſuis orationibus juſtos peccatoribus, infernum Paradiſo, & alia multa contraria contrariis opponere ſolent, ut unum per aliud magis innoteſcat, & clarius eluceſcat. Theologi, Pictoris, & Oratoris munere fungi, mei nunc aliquo modo eſt inſtituti, cum S. Mathiæ virtutes enarrare, merita depingere, & orationem encomiaſticam contexere ſuſceperim: quare ut intentum obtinere valeam, ſanctum hunc Apoſtolum infando Judæ, cui ſucceſſit, & cujus locum in collegio Apoſtolico occupavit, opponam, quamque ipſi contrarius fuerit, manifeſtabo, &c. *Ave*.

JUdas fuit apoſtata, proditor & prodigus: fuit *Apoſtata*, qui Chriſti domum reliquit, *proditor*, qui Chriſtum perſecutus eſt, & *prodigus*, qui Chriſti gratias diſſipavit. Hic apoſtata domum Chriſti reliquit, cum eum venditurus, noctu Pontifices adivit. *Exivit continuo, & erat nox*. *Joann.* 13. Hic proditor perſecutus eſt Chriſtum, cum oſculi ſigno eum ſuis tradidit inimicis: *Oſculo filium hominis tradis?* Hic tandem prodigus gratias Chriſti diſſipavit, cum animæ, & propriæ ſalutis oblitus, in deſperationem incidit, & *laqueo ſe ſuſpendit*. *Math.* 27. 5. Ecce qualis extiterit infidus, & omnibus ſæculis execrandus Judas, cui toto diametro oppoſitus, & contrarius fuit ſanctus Mathias; nam ſi hic apoſtata egreditur de Chriſti domo, in eam ingreditur Mathias; ſi hic prodigus diſſipat Chriſti favores, eos Mathias recipit; & ſi hic proditor Chriſtum perſequitur, gravia pro illius amore Mathias patitur: 1. Mathias ingreditur domum Chriſti, quam hic apoſtata reliquit: 2. Mathias favores Chriſti recipit, quos hic prodigus diſſipavit: 3. Mathias pro Chriſto patitur, quem hic proditor perſecutus eſt.

PRIMA PARS.

Sanctus Mathias ingreditur domum Chriſti, quam Judas apoſtata reliquit.

CHriſti myſtica domus eſt Eccleſia, quam ſuis ipſe prædicationibus, exemplis, ſudoribus, ſanguine, & miraculis ædificavit. In hac Chriſti domo Judas Apoſtoli fungebatur officio, ſed avaritiæ ſpiritu excæcatus, ex ea egreſſus eſt, ut Chriſtum Principibus Sacerdotum venderet: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* *Matth.* 26. Ut autem integer ſemper, & perfectus remaneret duodenarius Apoſtolorum numerus, Judæ ſubrogandus erat alius, qui in Chriſti domo ejus occuparet locum, & Apoſtoli munere fungeretur, & *is* fuit S. Mathias, qui in Chriſti domo factus eſt Apoſtolus: 1. Dei providentia: 2. Aliorum Apoſtolorum ſuffragiis: 3. Propriis meritis.

1. In Deo mirabilis quædam eſt providentia, quæ dici poteſt providentia *ſupplementi*, *ſubrogationis vel ſubſtitutionis*, quia cum aliqui e locis & officiis, ad quæ fuerant ſublimati, decidunt, alios in eorum locum ſubſtituit, & *cum aliqui labuntur a ſtatu juſtitiæ, locum illorum alii ſortiuntur*. *S. Greg. lib.* 25. *mor. c.* 7. Singularis hæc Dei providentia in cælo eluxit reſpectu Angelorum rebellium, & in terra reſpectu Judæ. In cælo, cum Lucifer, & Angeli ejus, perdentes ſuum principatum, in infernum præcipites ruerunt; Deus ſua providentia ad implendas ruinas, & ad occupandas varias eorum ſedes, homines vocavit, qui in æternum in cælo regnabunt, & qui ut ait D. Auguſtinus, *in immundorum ſpirituum locum ſuccedentes, in ea pace de qua illi ejecti ſunt, ſine fine permanebunt*. In terra etiam eadem providentia factum eſt, ut cadente Juda, & ab Apoſtolorum collegio apoſtatante, Deus S. Mathiam in ejus locum ſuffecerit. *Accipiente S. Mathia locum miniſterii illius & Apoſtolatus, ſanctiſſima perfectionis Evangelicæ ſumma reparata eſt*. *Alcuin. in die S. Mathiæ*. Unde præclarum & prudentiſſimum fuiſſe videtur Chilonis Philoſophi reſponſum, qui interrogatus, quid faceret Deus? reſpondit *excelſa deprimit, depreſſa extollit*. Deus enim incomprehenſibili ſua providentia alios extollit, alios deprimit, & cum aliqui gratia & dignitatibus ſuis cadunt, alios ſubrogat, & *ſtare facies alios pro eis*. *Job* 34. 24. Et ſic cum ceciderunt Angeli, in eorum locum homines ſuffecit, ſic etiam cum cecidit Judas, Apoſtolatum ejus dedit alteri, Mathiæ ſcilicet, qui ejus ſedem occupavit, & qui per Dei providentiam, *annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*. *Act.* 1.

In Deo quædam eſt providentia *ordinationis*, qua res ita diſponit, & ordinat, ut cuilibet locus ipſi conveniens aſſignetur: hac providentia cælis, aeri, igni, aquæ, terræ, & omnibus creaturis dantur loca ipſius congrua; hac providentia juſti Paradiſo, & impii inferno, tamquam locis eis congruis deſtinantur; hac etiam providentia Sancto Mathiæ, & Judæ data ſunt loca eorum meritis conſentanea; de Juda enim dicitur, quod poſtquam de Sede Apoſtolica excidit, abiit in locum

ſuum:

Digitized by Google

ſuum: ut *abiret in locum ſuum*; *Act.* 1. 25. id eſt, ut explicat OEcumenius, *in laqueum quo ſe dignum reddidit, vel in infernum, qui paratus eſt diabolo, & ſequacibus ejus*. S. Bernardinus ait, Judam abiiſſe in locum ſuum, ſcilicet *in aerem, in quo crepuit medius ac earum collega poteſtatum, ut illum proditorem nec cœlum reciperet, nec terra ſuſtineret*. *S. Bern. ſer.* 8. *in Pſ.* 90. Ecce locum in quo Judas poſt caſum juxta ordinem divinæ providentiæ poſitus eſt, ſed eadem providentia S. Mathiæ ſuum etiam aſſignavit locum, nempe locum de quo lapſus erat Judas, ſeu Sedem Apoſtolicam, ad quam illum ſublimavit; Mathias enim erat humillimus & in noviſſimo loco recumbere ambiebat, ſed dixit ei Deus; *amice, aſcende ſuperius*, & per ſuam providentiam, cuncta recte ordinantem, & diſponentem, eum in collegio Apoſtolico locavit, *& annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*. Sed ſi Mathias in domo Chriſti factus eſt Apoſtolus Dei providentia, *factus eſt etiam Apoſtolus aliorum Apoſtolorum ſuffragiis*.

2. Poſt Chriſti aſcenſionem S. Petrus, ut Apoſtolorum Princeps, totiuſque Eccleſiæ viſibile caput, congregato centum viginti fratrum Concilio, aliquem, qui prævaricatoris Judæ locum occuparet, eligendum eſſe propoſuit; ejus propoſitionem approbaverunt omnes, omneſque ad tale miniſterium eligendum eſſe aut Mathiam, aut Barſabam unanimi conſenſu dixerunt: *ſtatuerunt duos; Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Mathiam*. *Act.* 1. 23. Sed, ut ait Vincentius Ferrerius, *Serm. de S. Math.* non parva in hoc Concilio fuit difficultas dijudicandi, quis ex præfatis duobus in locum Judæ reponeretur; aliis aſſerentibus eligendum eſſe Joſeph, qui a magna qua eminebat ſanctitate, vocabatur Juſtus, & qui erat Chriſti conſanguineus, necnon B. V. Mariæ nepos; aliis dicentibus, Joſepho præferendum eſſe Mathiam, qui non ſolum ſanctitate eximia, verum & magna pollebat ſcientia. In hoc autem dubio, ut quis eligendus eſſet, agnoſcere valerent, orationi ſe dederunt, *& orantes dixerunt: tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus, unum*; ſeu manifeſta nobis quem ex his duobus, ut in Judæ locum ſubſtituatur, tua deſtinavit providentia; & quem nos ad miniſterium hoc eligere debeamus. Et facta hac oratione, pro electione novi Apoſtoli ſuffragia ſua dederunt omnes; *dederunt ſortes*, inquit ſacer Textus; ſeu, ut explicat Lorinus, ab iis dati ſunt calculi; vel ab iis ſchedæ in aliquod vas conjectæ ſunt; & *cecidit ſors ſuper Mathiam*, ſeu extractis ab urna, vel alio vaſe calculis aut ſchedis, omnium electorum calculis & ſuffragiis Mathias electus eſt in Apoſtolum. O mirabilem S. Mathiæ electionem, quæ aliarum omnium electionium forma, & exemplar eſſe videtur.

Doctiſſimus Canoniſta *Rebuffus* ita effrænatam aliquorum ait eſſe ambitionem, ut ad beneficia aſcendant per omnes caſus, excepto vocativo. Ea obtinent, inquit, *nominativo*; quia licet eorum non ſint capaces, ad ea tamen per fas & nefas nominari curant. Ea aſſequuntur, *genitive*, ſeu mediantibus genitoribus, & parentibus, qui omnibus viis, etiam illicitis, eos ad beneficia & Eccleſiaſticas dignitates ſublimare conantur. Ea adipiſcuntur *dativo*, dando ſcilicet ſimoniacè pecunias, aut munera. Ea tandem impetrant *accuſativo*, vel *ablativo*; nempe accuſando alicujus criminis eos qui illa poſſident; vel vi, fraude, aut alia via illicita ea auferendo. Sed nomen illud, *beneficium*, caret *vocativo*, ſeu, ut ait famoſus hic legis peritus, pauciſſimi ex vera Dei vocatione beneficia ſumunt. Aſt S. Mathias a Deo vocatus, & per veram, omnibuſque numeris perfectam electionem ad Apoſtolatum pervenit. In ejus electione nullus habitus eſt reſpectus ad carnem & ſanguinem, nulla intervenit fraus, nullus dolus, ambitio nulla; ſed ab electoribus ſanctiſſimis, Dei ſolius gloriam & Eccleſiæ utilitatem quærentibus, invocato prius Spiritus Sancti auxilio, communi conſenſu, ac omnium electorum ſuffragiis fuit electus, *annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis*. Sed ſi S. Mathias factus eſt Apoſtolus aliorum Apoſtolorum ſuffragiis, *factus eſt etiam Apoſtolus propriis meritis*.

3. Licet enim in rigore juſtitiæ non eſſet dignus Apoſtolatu, ad ejus tamen merita reſpexerunt Apoſtoli, cum eum elegerunt; quippe qui ante electionem orantes a Deo petierunt, ut ipſis manifeſtare dignaretur, quis hoc munere eſſet dignior; *oſtende quem elegeris*; *Act.* 5. & per ſignum aliquod divinum agnoſcentes Mathiam eſſe digniorem, concordi omnium ſuffragio fuit electus Mathias, inquit S. Antoninus, *erat in lege Domini doctiſſimus, corpore mundus, animo prudens, in ſolvendis quæſtionibus ſacræ ſcripturæ acutus, in conſilio providus, in ſermocinatione expeditus*. *Apud Lorinum in Act.* Apoſtoli autem has & alias S. Mathiæ perfectiones ponderantes, & a Deo inſpirati, eum ut aptiorem, perfectiorem, & Apoſtolatu digniorem elegerunt.

Pſalmum centeſimum octavum de Juda proditore paſſim intelligunt S. Patres, quorum nonnulli tot in hoc Pſalmo adverſus illum contineri dicunt maledictiones, quot argenteis ipſe Chriſtum vendidit; una autem ex his maledictionibus eſt, quod *Epiſcopatum*, ſeu Apoſtolatum *ejus accipiat alter*, id eſt Mathias, qui, inquit Bellarminus, *omnibus modis fuit alter a Juda*. Mathias enim non fuit proditor, ſed fidelis Chriſti Diſcipulus, non fuit avarus, ſed Evangelicæ paupertatis amator & cultor; non fuit invidus, ſed charitatis ardore accenſus & ſufflammatus; non fuit vitiis deturpatus, ſed virtutibus multis decoratus; non fuit tandem Apoſtolatu indignus ſicut hic apoſtata, ſed in eo tot perfectiones, totque merita adnotarunt alii Apoſtoli, ut unanimi eum conſenſu elegerint. Ecce quomodo Mathias, ut Apoſtoli fungatur officio, Chriſti domum ingreditur, quam Judas apoſtata reliquit. *Sed Mathias recipit etiam favores, quos Judas prodigus diſſipavit*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Mathias recipit favores, quos Judas prodigus diſſipavit.

FAvores quos diſſipavit & perdidit Judas, ſunt honores, gratiæ & corona; *honores* ad quos ſublimatus erat, *gratiæ* quibus ditatus erat, & *corona* quæ illi parata erat. Mathias autem hos omnes re-

cipit favores; recipit enim: 1. Honores ad quos Judas ſublimatus erat: 2. Gratias quibus Judas ditatus erat: 3. Coronam quæ Judæ parata erat.

1. Maximi ſunt honores, ad quos Chriſtus ſuos ſublimavit Apoſtolos; ipſos enim eſſe voluit *Eccleſiarum Principes, belli triumphales Duces, cæleſtis anlæ milites, & vera mundi lumina*. Eos ita exaltavit, ut Regum, Principum, & omnium hominum Judices illos conſtituerit: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael. Matth.* 19. 28. Eos etiam eſſe voluit terræ ſalem, Evangelii prædicatores, æternitatis ſatores, necnon familiariſſimos ejus amicos: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Illos tandem ita ſublimibus affecit honoribus, ut eos a Deo nimis honorari dicat Regius Propheta: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus. Pſ.* 38. 17. Judas autem ad hos omnes exaltatus fuerat honores, erat enim unus ex Chriſti diſcipulis, unus ex familiaribus Domini, unus de Eccleſiæ Principibus, unus ex luminibus orbi terrarum illuſtrando deſtinatis; erat unus ex Senatoribus, a quibus homines & Angeli ſunt judicandi; nimis tandem honoratus erat: ſed hic prodigus hos omnes diſſipavit honores; &, ut alter Lucifer, de cælo, ſeu de honorum culmine cecidit: *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer? Iſa.* 14. 12. Sed S. Mathias omnes percipit honores quos perdiderat Judas: ut enim ait Anaſtaſius Sinaita: *Judas electus ad principatum Apoſtolatus, & quaſi in cælo conſtitutus, cecidit tamquam fulgur de cælo in perditionis ruinam, & Epiſcopatum ejus accepit alter, Lib.* 7. *Hexam.* Mathias ſcilicet, qui factus eſt Eccleſiæ Princeps, ſpiritualis militiæ Dux, clariſſimum orbis lumen, judex vivorum & mortuorum, ſal terræ, Evangelii prædicator, ac amicus Chriſti; & qui Epiſcopatum, ſeu honores Apoſtolicos, quos diſſipavit Judas, percipere meruit: *Epiſcopatum ejus accepit alter.*

Variis Judas appellatur nominibus, quæ malitiam, avaritiam, ingratitudinem & miſeriam ejus indicant; ſed a Chriſto vocatur ſpecialiter *filius perditionis: Joan.* 17. 12. eoque nuncupatur nomine, vel quia fuit perditione dignus, vel quia perditus fuit & damnatus, vel quia murmuravit de unguento a Magdalena fuſo, ut de re perdita: *ut quid perditio hæc? Matt.* 26. 8. vel etiam quia cum pecunia, quam pro Chriſto Judæis vendito acceperat, datus eſt in perditionem: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Vel tandem Judas dicitur *filius perditionis*, quia, ut prodigus, diſſipavit, & omnes perdidit honores, ad quos a Chriſto evectus fuerat. Mathias autem ei fuit ſubrogatus! Mathias fuit filius ſalutis, qui omnes accepit honores, quos *filius perditionis* perdidit & diſſipavit: *quia neceſſe habebat perire filium perditionis, oportebat in locum ipſius ſubrogare filium ſalutis. Ambr. in Pſ.* 40. Mathiam ſcilicet, qui omnes recepit honores, ad quos Judas ſublimatus fuerat. *Sed Mathias recepit etiam gratias, quibus Judas ditatus fuerat.*

Gratiæ divinæ pretioſi ſunt theſauri, quibus Chriſtus omnes amicos ſuos, & præcipue Apoſtolos ditat: iſtis dedit gratiam ſanctificantem, qua formaliter juſti facti ſunt: & gratias ſanitatum, virtutum, miraculorum, ac alias gratias datas quibus mirabilia operati ſunt: eos enim filios vocat: *filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum: Joan.* 13. 33. quia ſicut pater filiis bona ſua libenter diſtribuit, ita & Chriſtus, qui omnes prorſus homines gratiarum ſuarum participes efficit, eas abundantius Apoſtolis, tamquam filiis, largitus eſt. Ipſe Judas, cujus caſum prævidebat Chriſtus, gratia miraculorum, & aliis gratiis, non ſecus ac alii Apoſtoli, abunde fuerat ditatus; ſed ille prodigus hos gratiarum theſauros diſſipavit, acceptaſque a Deo gratias perdidit: Deus autem in ejus locum ſubrogavit Mathiam, cui gratias dedit iis æquales quas diſſipaverat Judas. Pater familias qui conduxit operarios ad excolendam vineam, illi, qui circa horam undecimam venit, denarium dedit, non ſecus ac aliis, qui ſummo mane venerant; ſic S. Mathias, qui hora undecima, ſeu tarde ad Apoſtolatum vocatus eſt, tantam a Chriſto recepit gratiarum abundantiam, quantam Judas & alii Apoſtoli, immo, ut ait S. Laurentius Juſtinianus, Mathiæ Chriſtus abundantiorem quam Judæ, & nonnullis aliis Apoſtolis gratiarum copiam largitus eſt, *uberiorem manipulum ſortitus eſt gratiæ. Ser. de S. Math.*

Poſtquam peccavit Judas, Phariſæi, & alii Chriſti inimici, de Apoſtolis dicebant: videte cujus virtutis & Religionis ſint illi homines, qui magiſtrum ſuum numerata pecunia vendunt: hi non ſunt ſancti, ſed impii: hi non ſunt voluntate pauperes, ſed corde & affectu avari & divites: hi non ſunt ſalutis prædicatores, ſed hominum proditores. Rumor ille ubique diſſeminabatur; & ideo Apoſtoli deſpiciebantur, objurgabantur, & ut homines peſſimi a multis inſpiciebantur: quare Chriſtus Dominus ut hunc tolleret tumorem, & ut jacturam repararet, quam per Judæ caſum Collegium Apoſtolicum fecerat, in Judæ locum ſubrogavit Mathiam, eumque præ aliis Apoſtolis magna gratiarum abundantia replevit: *uberiorem manipulum ſortitus eſt gratiæ.* Sed ſi S. Mathias gratias recepit, quibus ditatus fuerat Judas; *recepit etiam coronam, quæ Judæ parata erat.*

3. Judæ, omnibuſque Apoſtolis cæleſtem beatitudinem, & coronam gloriæ promiſerat Chriſtus; *vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*; coronam tamen & vitam æternam non eis pollicitus eſt ſimpliciter & abſolute, ſed conditionate, ſeu ea conditione, quod in ejus obſequio, & in ſui Apoſtolatus exercitio fideliter perſeverarent. Unde videtur Chriſtum cuilibet Apoſtolorum dixiſſe: *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, Apoc.* 3. ſeu, ſi in Apoſtolatu & gratia accepta perſeveres, habebis coronam gloriæ; ſi autem non perſeveres, in tui locum ſufficietur alius, cui corona dabitur. Omnes autem Apoſtoli, fideliter & conſtanter perſeverarunt, uno Juda excepto, qui Apoſtolicam dignitatem, gratias acceptas, ac jus paratam ſibi coronam accipiendi perdidit: in ejus autem locum ſubrogatus fuit Mathias, cui data eſt non ſolum Judæ dignitas, ſed etiam corona, quæ ei deſtinata erat; & quam obtinuiſſet ille impius, ſi perſeveraſſet: *hæc eſt corona duodecima præfulgida, quam in regno Chriſti Mathias conſequitur Apoſtolatus. Laur. Juſt. ſer. de S. Math.*

Præclara, meoque propoſito conveniens eſt hiſtoria quadraginta Martyrum, qui frigidiſſimo hyemis tem-

Digitized by Google

tempore nudi ſub dio ſupra ſtagnum rigens pernoctare juſſi ſunt, ut frigore congelati necarentur. 10. *Martii*. Unus autem ex eorum cuſtodibus videns a Deo miſſos Angelos, qui coronas ſolum triginta novem Chriſti militibus diſtribuerent, ita ſecum loquebatur; quadraginta hi ſunt, quadrageſimi corona ubi eſt? quæ dum cogitaret, & animo verſaretur, unus ex quadraginta, cui animus ad tolerandum frigus defecerat, in proximum repefactum balneum deſiliit. Ecce miſerum, qui paratam ſibi coronam perdidit: ſed Deo inſpirante, cuſtos qui præfata viderat, detractis ſibi veſtibus in ſtagnum ingreſſus eſt, in quo erant alii triginta novem Chriſti Martyres, clamans ſe eſſe Chriſtianum; quare coronam accipere meruit, quam alius perdiderat. Eodem ſane modo duodecim coronas Apoſtolis duodecim diſtribuendas Chriſtus paraverat; ſed Judas proditor & prodigus ſibi parata ſe indignum præbuit corona: Mathias autem ei ſubrogatus eſt, ut acciperet quod ille perdidit, & coronam obtineret, a qua ille deſciverat: *Hæc eſt corona præfulgida, quam in regno Chriſti Mathias conſequitur Apoſtolus*. Sed ſi Mathias favores recipit, quos Judas prodigus perdidit; *Mathias etiam patitur pro Chriſto, quem Judas proditor perſecutus eſt*.

TERTIA PARS.

S. Mathias patitur pro Chriſto, quem Judas proditor perſecutus eſt.

IMpudenter Judas & crudeliter Chriſtum perſecutus eſt, quem Judæis vendidit, & oſculi ſigno inimicis ejus tradidit. Mathias autem qui in omnibus alius fuit a Juda, non perſecutus eſt Chriſtum, ſed pro illo gravia paſſus eſt: 1. in itineribus quæ ſuſcepit: 2. in miniſterio quod exercuit: 3. in martyrio quod pertulit.

1. In omnem terram exiturus erat Apoſtolorum ſonus; miſſi erant, ut Evangelium omni creaturæ prædicarent: quare poſt Chriſti Aſcenſionem diviſerunt inter ſe mundum; ita quod S. Petrus Antiochiam, S. Andreas Achajam, Aſiam S. Joannes, & S. Jacobus Hiſpaniam adiverint: in Indiam S. Bartholomæus & Thomas ſe contulerunt, Mathias vero Æthiopiam, & Judæam peragravit; graveſque in his peregrinationibus pro Chriſto labores pertulit: *magnos labores pertulit peregrinando ex una regione in aliam per varia deſerta immaniſſimis feris plena. Laur. Juſt. ſer. de S. Math.* Nudis pedibus per terras deſertas & invias iter faciebat: undequaque ſine pera, ſine argento, omnique humano deſtitutus auxilio incedebat: in frigore, ſiti & nuditate regiones ſibi ignotas peragrabat. Heu! quot diebus ſine pane prandit? Quot noctes ſine cubili & inſomnes pertranſiit? Quot feras immanes, quotve homines feris crudeliores in urbibus, in pagis & in ſilvis obvios habuit? Ubique terrores & ubique labores, quos conſtanter pro Chriſto paſſus eſt: *magnos labores pertulit peregrinando*.

Angelus idem eſt ac *miſſus*; & Angeli ad hominum ſalutem a Deo miſſi ſunt, non ſecus ac Apoſtoli: magna tamen eſt differentia inter hos & illos miſſos: Angeli namque, cum ad homines mittuntur, nullum in itinere perferunt laborem: nullus eis obvius eſt hoſtis, qui eos perſequatur; non ſitiunt, nec eſuriunt in via: equo non indigent; nec curru: diverſoria non quærunt, nec cubilibus egent, ut requieſcant: feras, ſylvas, montes, rupes, & quidquid horrendum inveniri poteſt in via, non pertimeſcunt; ſed facillime, & quaſi in inſtanti, veluti fulgura, a gente in gentem tranſeunt, ut ibi voluntatem ejus a quo miſſi ſunt, fideliter impleant. At longe aliter loquendum de S. Mathia; fuit quidem a Deo ad ſalutem animarum miſſus, non ſecus ac Angeli; fuit etiam Angelus puritate & ſanctitate, ſed non fuit Angelus facilitate peregrinandi, & tranſeundi a loco in locum: ſitim enim, famem, laſſitudinem & alia multa, eaque gravia pro Chriſto in ſuis itineribus & peregrinationibus perpeſſus eſt: *labores multos pertulit peregrinando*. Sed gravia etiam pro Chriſto paſſus eſt *in miniſterio quod exercuit*.

2. Apoſtolorum miniſterium & munus fuit promulgatio & prædicatio Evangelii: *Apoſtolis munus promulgandi Evangelii ab ipſo Domino fuit impoſitum. S. Aug. tract. 54. in Joan.* Quod munus feliciter & perfectiſſime obiit S. Mathias, qui poſtquam in Judæ proditoris locum ſubrogatus fuit, Apoſtolatum ſuum Evangelii prædicatione decoravit: *Apoſtolatum iſte Sanctus ſuſcipiens obediendo, honorifice decoravit evangelizando. Laur. Juſt. ubi ſup.* Omnes quidem Apoſtoli in miniſterii hujus exercitio gravia paſſi ſunt; ſed graviora pertuliſſe videtur Mathias, ſaltem in Judæa, ubi ſolus relictus eſt, ubi diu Chriſtum crucifixum prædicavit, quem Judæi deteſtabantur, & execrabantur: *Judæis quidem ſcandalum*. Verum eſt, inquit Baronius, aliquandiu poſt Chriſti Aſcenſionem in Judæa, omnes Apoſtolos remanſiſſe, ibique Evangelium prædicaſſe, quouſque, ut Agrippæ Regis perſecutionem declinarent, in varias mundi partes ſunt diſperſi (excepto Mathia) qui in Judæa diu remanſit, ubi miraculis & prædicationibus ſuis multos ad Chriſti fidem convertit, & ubi in miniſterii ſui exercitio graviſſima multa perpeſſus eſt. Heu! Quid non eſt paſſus Sanctus ille Apoſtolus ab hominibus, de quorum malitia & pertinacia omnes Apoſtoli ſimul juncti triumphare nequiverant? Quæ non pertulit a populis, quorum corda duodecim Apoſtoli, omnes diſcipuli & ipſe Chriſtus verbis, miraculis & exemplis ſuis flectere & mollire non potuerant? Quanta non eſt perpeſſus in excolendo terram aridam & ingratam, in qua zizania ſuperſeminaverat inimicus homo, & in qua tot ejus erant hoſtes, quot homines? Certe graviſſima ibi & alibi pro Chriſto paſſus eſt in miniſterii ſui exercitio. Sed gravia etiam pro eo paſſus eſt, *in martyrio quod pertulit*.

3. Dum in Judæa prædicaret S. Mathias, cæcos illuminabat, leproſos mundabat, dæmones expellebat; ejus virtute claudi ambulabant, ſurdi audiebant, muti loquebantur, & mortui reſurgebant. Quare Sacerdotes Judæorum diabolica accenſi invidia, eum in multis coram Pontifice accuſarunt; & præcipue ei objectarunt, quod eſſet Chriſtianus: ad quod reſpondit ipſe, quod *eſſe Chriſtianum, non erat criminis, ſed gloriæ*. Ei mox dixit Pontifex, an, ſi darentur ei induciæ, criminum quorum ac-

cuſabatur pœnitere vellet? reſpondit S. Apoſtolus: *abſit, quod a veritate quam ſemel inveni, per apoſtaſiam digrediar*: Tunc Pontifex indignatus tulit ſententiam quod lapidaretur, & poſtmodum caput ejus amputaretur. Grave æſtimatur martyrium S. Stephani, qui lapidibus fuit obrutus; grave etiam cenſetur martyrium S. Pauli, cui caput fuit amputatum; ſed duplici hoc martyrio commendatur S. Mathias: nam inſtar Stephani lapidibus fuit grandinatus, & inſtár Pauli fuit capite truncatus. Ecce Apoſtolum qui vere gravia patitur pro Chriſto, quem Judas perſecutus fuerat.

Judas Apoſtata, ut diximus, Chriſti domum reliquit; & Mathias, ut Apoſtoli fungeretur officio, in eam ingreſſus eſt, *Dei providentia, aliorum Apoſtolorum ſuffragiis, & propriis meritis*. Judas prodigus acceptos a Chriſto favores diſſipavit, & eos recepit Mathias; quia *percepit honores, ad quos Judas ſublimatus erat, gratias quibus Judas ditatus erat; & coronam quæ Judæ parata erat*. Judas proditor proſecutus eſt Chriſtum, & Mathias gravia paſſus eſt pro Chriſto *in itineribus quæ ſuſcepit, in miniſterio quod exercuit, & in martyrio quod pertulit*. Ecce quæ ad S. Mathiæ laudem dicenda propoſueramus; ex quibus utilia multa elicere poſſemus documenta; unicum tantum proponam, nempe quod non præſumere, ſed multum timere debeamus: *Noli altum ſapere, ſed time*.

. Heu! ſi Judas, qui ad Apoſtolatum vocatus fuerat, qui Chriſto familiaris extiterat, & qui miracula operatus erat, in omnium peccatorum graviſſimum labitur, accepta omnium perdit beneficia, & in profundum abyſſi præcipitatur; quis, quantumvis ſanctus, de ſua ſecurus erit perſeverantia? Quis in peccatum, & in omnium miſeriarum baratrum cadere non pertimeſcet? certe nullus præſumat, & omnes timeant neceſſe eſt, *noli altum ſapere, ſed time*. *Rom.* 11. 20.

Timebat & tremebat D. Auguſtinus, cum mente revolvebat varios ſanctorum hominum caſus, qui a perfectionis apice in profundum peccatorum ceciderant: *Vidimus*, inquit, *multos (quod utique non ſine magno terrore recolo) aſcendiſſe primitus quodammodo uſque ad cælum, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe; poſtmodum cecidiſſe uſque ad abyſſos. In Solil.* Quod vidit & audivit Auguſtinus, quotidie videmus, & audimus; nonne ſæpe videmus viros virtute præcellentes, qui in gravia cadunt peccata. Nonne interdum homines videmus ſanctiſſimos, qui jam cælum digito tetigiſſe videbantur; & poſtmodum Juda pejores fiunt, & cum illo in infernum præcipitantur? Quare o homo, tuam agnoſce fragilitatem, & ut monet S. Chryſoſtomus, ne præſumas, ſed timeas: *propter infirmitatem noſtram nullus, tametſi multorum bonorum ſibi conſcius, præſumptuoſus ſit, ſed ſollicitus: qui ſtat, videat ne cadat*.

Beatus erit in cælo, non omnis qui aliquandiu virtutum exercitio vacaverit in ſæculo; ſed qui continuo timore concuſſus, cor ſuum a peccato & a caſu cuſtodiverit: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*, inquit ſapiens; non illum beatum vocat, qui interdum, ſed qui *ſemper* tremuerit, & per ſanctum timorem a ſeipſo peccatum averterit: quia, ut ait Doctor Seraphicus, *timor, ſicut oſtiarius fidelis, debet ſemper ſtare ad oſtium cordis noſtri, ut impediat, ne aliquod peccatum in illud ingrediatur*. Quare in vobis nullus appareat præſumptionis ventus, ſed quantumvis ſancti ſitis, Deum timete: *timete Dominum omnes Sancti ejus*; timete Dominum, qui permittere poteſt, ut in grave aliquod peccatum cadatis: timete Dominum qui ſuis, cum voluerit, vos ſpoliare poteſt gratiis: timete Dominum, *qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*, & ſic Deum timentes, ab omni peccato declinabitis, in virtutum exercitio proficietis, & poſt mortem vitam æternam obtinebitis. *Amen.*

DE SANCTO

THOMA AQUINATE.

CONCIO UNICA.

De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Joann. 1. 16.

CUm famoſiſſimi Doctoris S. Thomæ Aquinatis panegyricum ſermonem inſtituere cogito, eſt quod me delectet, ſed & eſt quod me terreat: delectat laudare eum qui omni laude dignus eſt; & terret laudare eum qui omni humana laude ſuperior eſt. Delectat laudare Sanctum, qui pro Eccleſia Catholica glorioſe pugnavit; qui Dominicam Religionem exornavit, & qui univerſum terrarum orbem mirabili ſua doctrina illuſtravit: ſed terret laudare Sanctum, cujus ſcientia, virtutes & merita ita excelſa & ſublimia extitere, ut illum admirabilem, incomparabilem, & quaſi ineffabilem effecerint. Doctoris hujus Angelici meritis congrua contexere encomia, Angelorum potius, quam hominum munus eſſe videretur: ſi enim, ut ait Ariſtoteles, *optimorum non eſt laus*; ſeu, ſi optimi viri ſufficienter laudari nequeant; quis laudare valeat Angelicum Doctorem D. Thomam, qui in humilitate, in caſtitate, in ſcientia, in obedientia, & in omni virtutis & perfectionis genere optimus extitit? meam hac in parte fateor infirmitatem; nec ad tam arduum opus me accingere auderem, ſi amor animum non accenderet, & ad opus viribus meis impar attentandum non me moveret. *Numquam in amore vires interrogo*, inquiebat Ennodius; jam vires meas non interrogabo, ſed cum amore, & reverentia plenitudinem perfectionum illuſtriſſimi illius Doctoris explicare ſuſcipiam, &c. *Ave.*

CUm in Chriſto Domino inhabitaverit plenitudo Divinitatis, in eo etiam reſidebat omnium virtutum & perfectionum plenitudo: *omnibus bonis plenus eſt Chriſtus*; inquit Theophylactus, *& ſemper effluens plenus manet, & numquam exhauritur*. Licet autem in Chriſto extiterit omnis boni, omniſque perfectionis plenitudo; in ſacris tamen Codicibus ſpecialiter legimus, eum ſcientia, veritate, & ſanctitate plenum fuiſſe. Plenus fuit ſcientia, cum in eo omnium ſcientiarum theſauri reconditi fuerint: *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Plenus fuit veritate, cum eum Sanctus Joannes viderit *plenum gratiæ & veri-*

Digitized by Google

teris. Plenus tandem fuit ſanctitate, cum ipſe & gratia & Spiritu ſancto repletus fuerit: *Jeſus autem plenus Spiritu ſancto.* De his Chriſti plenitudinibus multi accepere, alii quidem plus & alii minus: ſed de iis ita accepit D. Thomas, ut ipſe etiam plenus extiterit: fuit enim 1. plenus ſcientia; 2. plenus veritate: 3. plenus ſanctitate. In S. Thoma fuit plenitudo ſcientiæ, veritatis, & ſanctitatis: en tres hujus orationis partes.

PRIMA PARS.

Sanctus Thomas fuit plenus ſcientia.

CHerubini interpretantur, *plenitudo ſcientiæ*, quia aliis Angelis ſcientia pleniores ſunt: De hoc autem Cherubinorum ordine fuiſſe videtur Doct. Angelicus, quia ſcientia fuit pleniſſimus, cum habuerit ſcientiam univerſalem, profundam & utilem: habuit ſcientiam, 1. *univerſalem* ſine confuſione: 2. *profundam* ſine vanitate: 3. *utilem* ſine intereſſe.

1. Ad Chriſtianorum laudem perbelle dixit Tertullianus, eos, licet ſimplices, omnia ſcire: *ſimplices nos omnia ſcimus. Tertull. l. adv. Valent. c. 5.* Verum eſt Chriſtianos fidei lumine Deum agnoſcentes, identidem aliquo modo omnia noſſe, quia Deus formaliter, vel eminenter omnia eſt: *Deus meus & omnia. S. Auguſt.* At quod Chriſtiani ſimplices per fidem, & in ænigmate norunt, D. Thomas ſcientia ſua penetravit, quæ ita univerſalis extitit, ut ad omne ſcibile ſe extendiſſe videatur. Unde Summus Pontifex Joannes Vigeſimus ſecundus eum *Doctorem Doctorum* vocavit; vel quia plus ſcivit, quam alius quiſque Doctor, vel quia omnia ſolus ſcivit, quæ cuncti calluerunt Doctores, qui illum anteceſſerant. Sicut enim apes mel ſuum conficiunt ex variis floribus, quos undequaque colligunt; ita S. Thomas omnia SS. Patrum & antiquorum Doctorum pervolutavit volumina, ex iis exquiſitiſſimos omnium ſcientiarum flores collegit, ex quibus mel ſuæ doctrinæ compoſuit. Fuit D. Thomas vir ille ſapientiſſimus, qui omnium SS. Patrum & Doctorum antiquorum ſapientiam exquiſivit: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens: Eccli. 39. 1.* eorumque notionibus proprias adjiciens, corpus ſcientiæ confecit omnium ferme Doctorum continens ſcientiam; in ejus enim libris SS. Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, & aliorum antiquorum Doctorum ingenium & ſcientia reperitur. hic tandem eſt *Doctor Doctorum*, cujus ſcientia ita eſt univerſalis, ut omnium qui eum anteceſſerunt ſcientia, immo & omne ſcibile aliquatenus videatur.

De Salomone aſſerit ſacra Scriptura, quod fuerit *ſapientior cunctis hominibus*, & ſpecialius explicans latitudinem & præſtantiam ſcientiæ, qua pollebat Salomon, ſubdit: *Locutus eſt tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis a cedro, quæ in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. 3. Reg. 4. 30.* O miram Salomonis ſapientiam! ſed hoc viro ſapientiſſimo ſapientior & doctior fuit D. Thomas; *plus quam Salomon hic*: inquit Summus Pontifex Innocentius V. Et revera ratione ſuæ ſcientiæ plus quam Salomon fuit Doctor Angelicus, quia non ſolum locutus eſt parabolas, ſed altiſſima etiam chriſtianæ Religionis myſteria propalavit; non aliqua ſolum ad mores ſpectantia compoſuit carmina, ſed verſibus rythmicis, ab ipſa Sapientia æterna approbatis, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum explicavit; non ſolum cum Salomone de plantis, de jumentis, de piſcibus & de volucribus diſputavit, ſed (quod magis eſt) ampliſſimos & doctiſſimos de Angelis & hominibus tractatus complevit; non ſolum cum Salomone abdita naturæ ſcrutatus eſt, ſed ſupra naturam mentem ſuam elevans, Gratiæ, Incarnationis, & ſanctiſſimæ Trinitatis altiſſima myſteria penetravit. Unde ratione celſitudinis & amplitudinis ſuæ ſcientiæ: *plus quam Salomon hic*: immo in hac parte plus hic, quam omnes Doctores qui eum præceſſerant; in unica enim ejus ſumma Theologica infiniti propemodum ſunt articuli, quorum quilibet eſt miraculum: *tot miracula, quot articula*; inquit Joannes vigeſimus ſecundus, in hoc autem unica Summa ſuſe tractat de Deo uno, trino, Creatore & incarnato; de opere ſex dierum, de homine, de Angelis, de virtutibus, de Sacramentis, ac de tot aliis diverſis rebus, ut hæc unica Summa videatur eſſe bibliotheca abbreviata, continens quidquid ſcientiarum in aliorum libris & bibliothecis reperitur. Præter hanc tamen Summam doctiſſimos compoſuit commentarios in univerſam Ariſtotelis philoſophiam, in quatuor libros Sententiarum, & in totam fere ſacram Scripturam: ſubtiliſſimos etiam de ente & eſſentia confecit tractatus, varias quæſtiones quodlibeticas ventilavit; totidem opera & varia opuſcula elaboravit, ut de illo dici poſſit, ſicut de Toſtato, & forte congruentius: *hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Miror in unico homine ſcientiam ita univerſalem; ſed quod mirabilius eſt, ſcientia ejus fuit univerſaliſſima *ſine confuſione.*

Qui multa & de multis ſcribunt, in confuſionem & errorem plerumque incidunt; cum enim contracta & infirma ſint hominum ingenia, vix multarum & altarum rerum diſcutere valent myſteria, quin aliquid intricatum & confuſum proferant. At in ampliſſimis Divi Thomæ ſcriptis nulla confuſio, ſed incomparabilis ordo, & admiranda methodus in pertractandis quibuſque rebus elucet; ut enim ait Clemens Pontifex, Sanctus Thomas *ingentem librorum numerum breviſſimo tempore in omni fere diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſit. In Bull. laudabili.* Priuſquam ſcriberet Divus Thomas, tenebræ erant ſuper faciem abyſſi ſcientiarum. & ſcientiæ tot labyrinthis, tot ambagibus, totque nodis intricatæ erant & involutæ, ut ſubtiliora quæque ingenia, multo etiam cum labore, vix ad eas accedere, & eas penetrare valerent. Scientia tunc erat aliquo modo ſimilis erraticæ huic luci, quæ ante ſolis creationem mundo illuſcebat, & quæ diem a nocte non diſtinguebat, donec Soli unita fuit: antequam enim doceret & opera ſua publici juris faceret Divus Thomas, ſcientia apud auctores reperiebatur tenebris involuta, & difficultatibus infinitis obſtru-

ſtructa: in Doctorum fere omnium voluminibus nullus erat ordo, nulla methodus, ſed confuſio multa. Adveniente autem Thoma, ut ſcientiarum Sole, lux diviſa eſt a tenebris, ejus ſcientia diem a nocte diſtinxit, hæc confuſionem & obſcuritatem, quæ apud veteres auctores reperiebantur, ſuſtulit; tantaque & tam perſpicua in ejus libris apparet methodus, ut ea uſi ſint omnes fere Theologi, qui ab illius tempore ſcripſerunt. O mirabilem D. Thomæ ſcientiam, quæ eſt univerſalis ſine confuſione, *ac etiam profunda ſine vanitate.*

2. Non ſolas rerum ſuperficies, & quæ in quovis ente ſunt facilia, leviter ſpeculatus eſt D. Thomas; ſed abditiſſima quæque naturæ ſecreta, profundiſſima quævis divinæ gratiæ myſteria, & altiſſima quælibet Divinitatis Sacramenta penetravit. Theodoræ ejus matri prædixerat bonus quidam Eremita, quod filius ejus vocaretur *Thomas:* idest, *abyſſus*; & recte quidem; quia Thomas fuit ſcientiarum abyſſus, cujus profunditatem dimetiri non valemus: *profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* ac etiam fuit abyſſus, quia altiſſimas naturæ, gratiæ & Divinitatis abyſſus ingenio ſuo, ſuaque ſcientia penetravit. D. Thomam Albertus Magnus vocat *Solem Eccleſiæ*; & revera depingi ſolet Doctor Angelicus, librum apertum coram ſe habens, calamum manu tenens, & ſolem geſtans in pectore: Sol appellatur D. Thomas, Solemque portans depingitur, tum ut oſtendatur, quod *quaſi Sol refulſit in templo Dei; Eccli.* 50. 7. tum ut manifeſtetur, quod ſicut ſol ſuos totum per orbem diffundit radios, ita & ipſe profundiſſimæ doctrinæ ſuæ radiis totum per orbem coruſcavit; tum etiam ut pateſiat, quod ſicut Sol terras noctis diſſipat tenebras, ita Thomas, ſicut Sol, omnium hæreſum tenebras fugavit: tum tandem ut notum fiat, quod ſicut Sol intima terræ penetrat, ut ibi aurum, argentum, & alia metalia efformet, ita etiam S. Thomas ſcientiæ ſuæ profunditate & ſubtilitate cælum, terram, omniaque naturæ & gratiæ myſteria penetravit, explicavit, & penitus elucidavit. O vere mirabilem D. Thomæ ſcientiam, quia profundiſſima fuit; ſed adhuc mirabiliorem, quia profundam S. Doctor habuit ſcientiam *ſine vanitate.*

Alios multos ſciolos vana & vacua inflare ſolet ſcientia: *ſcientia inflat*; ſed altiſſima & profundiſſima ſua ſcientia non inflatur Doctor Angelicus, nullus eum movet ſuperbiæ & vanitatis ventus: *Regratior Deo,* inquiebat, *quod nunquam de mea cathedra magiſtrali, aut actu ſcholaſtico, motum habui inanis gloriæ.* Quod veriſſimum eſſe facile credet, qui advertet, quam humiliter in omnium fere quæſtionum ſolutionibus loquatur: non enim pertinaciter & arroganter adverſas confutat opiniones; ſed quaſi dubitans, vel potius tamquam humilis diſcipulus ait: *videtur quod ſit.* Ad eum accurrunt Reges, Principes, & Doctores, ut ab eo diſcant quid ſentiendum, quidve variis in caſibus ſit agendum? & ipſe humiliter reſpondet: *videtur quod ſit*; quaſi potius doceri, quam docere velit. Et in hoc potiſſimum extitiſſe videtur *Doctor Angelicus,* quia ſicut Angeli inferiores a ſuperioribus illuſtrari delectantur; ita D. Thomas tot vitæ ſuæ tempore locutus eſt ut diſcipulus, qui doceri magis, quam docere ambiebat. Dum ſub Magiſtrorum diſciplina ſtudiis vacaret, a condiſcipulis *bos mutus* vocabatur, quia tanta ejus erat humilitas, ut vix in ſchola loqueretur; & cum factus eſt Doctor celeberrimus, tanta ejus extitit humilitas, ut non loqueretur ut Doctor, ſed ut humilis diſcipulus: *videtur quod ſit.* O Doctorem vere humilem! ſed ſi ejus doctrina fuit profunda ſine vanitate; *fuit etiam utilis ſine intereſſe.*

3. A Paulo quinto ſummo Pontifice appoſite D. Thomas vocatur Eccleſiæ clypeus, quia ejus ſcientia velut clypeo adverſus Gentiles, Schiſmaticos, Infideles, hæreticos, omneſque hoſtes ſuos Eccleſia uti ſolet. immo de Angelici hujus Doctoris ſcientia dici poſſet, quod ſit quaſi turris David, ex qua *mille clypei pendent*; *Cant.* 4. 4. quia ita Sanctæ Eccleſiæ eſt utilis, ut illi inſit inſtar mille clypeorum, quibus ab omnium hoſtium impugnationibus ſeſe protegat. At non ſolum Eccleſiæ univerſali, verum & Philoſophis, Theologis, Caſuiſtis, & cuilibet, ut ita dicam, Eccleſiæ membro utilis eſt, quia ex ea omnes multa ſibi utiliſſima elicere poſſunt. Sicut enim olim Homerus dicebatur fons magnus, ex quo Poetæ omnes ſua hauriebant carmina: ita S. Thomæ ſcientia eſt fons, fluvius, vel potius mare magnum, ex quo ſua Philoſophi trahunt theoremata, ex quo Theologi altiſſimorum myſteriorum hauriunt cognitionem, & ex quo Caſuiſtæ ſolidiſſima Theologiæ moralis principia, Controverſiſtæ potentiſſima ad debellandos hæreticos argumenta, ac omnes penitus viri ſalutaria documenta deſumunt. Ibi politici, ibi Sacræ Scripturæ ſtudioſi, ibi Concionatores, ibi pietatis ſectatores, ibi omnes habent quod diſcant. Unde ſicut pietatem ad omnia utilem eſſe ait D. Paulus: *Pietas autem ad omnia utilis eſt:* 1. *Tim.* 4. 8. ita & dici poteſt Doctoris Angelici ſcientiam ad omnia & omnibus eſſe utilem. *Et utilem ſine intereſſe.*

Nullum enim ex ea temporale emolumentum percipere intendebat. Unde cum de accidentibus Euchariſticis ſcripſiſſet, Chriſto interroganti quam mercedem poſtularet, reſpondit: *non aliam præter te, Domine.* O Thoma, pete a Chriſto Domino, divitias, honores & mundi dignitates; roga eum ut te ad infulas, aut ad Regales thronos evehat: abſit a tam Sancto Doctore talia poſtulare; ſuis Thomas non inſervit commodis; nullum temporale & tranſitorium ambit lucrum, nihilque præter Deum & Dei gloriam expoſcit: *nil præter te, Domine.* Et in hoc etiam D. Thomas vere *Doctor Angelicus* extitit; *Angelicus* quidem fuit, ratione puritatis Angelicæ qua floruit: *Angelicus* fuit, ratione Angelici ingenii quo polluit; *Angelicus* fuit, quia Angelice ſcripſit de natura, origine, & officiis Angelorum; *Angelicus* fuit, quia ſtuduit in univerſitate Angelorum ſub divino profeſſore Chriſto; ſed fuit etiam *Angelicus*, quia ſicut Angeli nos monent, inſtruunt & docent, licet nullam a nobis temporalem expectent retributionem; ita D. Thomas doctis & indoctis, magnatibus & plebeiis, Religioſis & ſæcularibus, immo & omnibus utilem exhibuit ſcientiam; licet nullum inde temporale emolumentum, ſed ſolam Dei gloriam intenderet: *nihil præter te, Domine.* O mirabilem hujus Doctoris ſcientiam! & o

Do-

Digitized by Google

Doćtorem vere plenum ſciencia; *ac etiam plenum veritate.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Thomas fuit plenus veritate.

VEritas, quæ a pluribus irridetur, exſibilatur & adulteratur, multa eam diligentibus, eamque poſſidentibus, bona communicat: *Veritas res divina, omnium bonorum & Diis & hominibus cauſa eſt. Plato l. 5. de Leg.* Norunt omnes, quod mendacium ſit rationalis naturæ probrum, linguæ contumelia, diſcordiarum parens, & ſocietatis humanæ perniciosa peſtis: nihilominus plerique mentiri amant, & veritatem rem divinam mendaciis, fallaciis, & dolis ſuis facile adulterant & corrumpunt. At D. Thomas non errore & mendacio, ſed veritate fuit plenus; nam fuit ſponſus, magiſter, & protećtor veritatis: fuit 1. *ſponſus*, qui illam poſſedit. 2. *magiſter*, qui illam docuit. 3. *protećtor*, qui illam defendit & tutatus eſt.

1. Veritas de cœlo deſcendit, hæc eſt formoſiſſima Dei filia, quæ a mundi primordio ſibi in terra quæſierat ſponſos, quibus adhæreret, & ſub quorum umbra degeret: nobilior autem ejus ſponſus fuit Chriſtus, qui a Pico Mirandulano vocatur *nobilis ſponſus veritatis*; ſed & ejus ſponſus extitit Divus Thomas, qui ei velut ſponſæ indiſſolubiliter adhæſit. Sponſi inter ſe indiſſolubili junguntur vinculo, quod nulla auctoritate humana ſolvi poteſt. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; Matth. 19. 6.* ſimiliter ita conjunćtus & quaſi identificatus fuit veritati Doćtor Angelicus, ut ab ea ſeparari nequiret; ſemper veritas erat cum eo, & ipſe cum veritate. Unde ſicut dicitur, ſolem alicui ex provinciis, quæ Regis Hiſpaniarum dominio ſubſunt, ſemper illuceſcere: *Sol mihi numquam occidit:* ſic dici poteſt veritatem eſſe ſponſam ita D. Thomæ, ac ejus ſcriptis unitam, ut ab illis numquam diſcedat, ſed illis ſemper illuceſcat. Et quod mirum eſt, veritas fuit Divi Thomæ ſponſa, cui fortius & indiſſolubilius adhæſit, quam terrenus ſponſus ſponſæ ſuæ adhærere poſſit; quia vinculum quo ſponſæ ſponſus adhæret, adveniente morte, ſolvitur: *Si dormierit vir ejus, liberata eſt; 1. Cor. 7. 39.* ſed vinculum quo D. Thomas veritati adhæſit, per ejus mortem ſolutum non fuit, & in æternum indiſſolubile permanebit; quia veritas in ejus ſemper apparebit ſcriptis, quæ ab Alexandro VII. Summo Pontifice vocantur *Inconcuſſa & certiſſima dogmata.* Et ſicut lux uſque ad mundi finem, ſoli inſeparabiliter annexa permanebit; ita & in S. Thomæ ſcriptis nullus unquam erroris nævus, ſed ſempiterna veritas apparebit. Sed ſi D. Thomas fuit ſponſus veritatis, qui ei adhæſit; *fuit etiam magiſter veritatis, qui illam docuit.*

2. Tertullianum S. Cyprianus non aliter nominabat, quam *magiſtrum*. Unde cum ſibi Tertulliani libros afferri petebat, dicere ſolitus erat: *affer magiſtrum.* Sed potiori jure vocandus eſt Divus Thomas Magiſter veritatis; non ſolum quia eam cum perſpicuitate, ſoliditate, & ordine mirabili docuit; verum & quia eam docet per os omnium fere Doćtorum, qui ab illo in ſcholis apparuerunt. Sanćtum Petrum in Conciliis quibus adfuit, aliorum Apoſtolorum os fuiſſe ait Sanćtus Chryſoſtomus: *Petrus omnium eorum os;* non diſſimiliter S. Thomas os fuit, quo S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hieronymus, aliique ſanctæ Eccleſiæ Patres locuti ſunt veritatem; quia crebro dićtis & ſententiis eorum ſuas probat concluſiones; ſed inſuper veritatem loquitur D. Thomas per ora innumerorum Doćtorum qui eum ſubſecuti ſunt, hic eſt magiſter a quo didicerunt veritatem, quam ipſi alios docent. Unde eum Facultas Pariſienſis *fontem Doćtorum* vocat, quia de hoc fonte plerique Doćtores bibunt; eaſque ſolum de oribus ſuis veritates promunt, quas de ſanćtiſſimi hujus Doćtoris ſcientia ebiberunt.

Deus, inquit D. Dionyſius, eſt *veritas fontalis*, circa quam Angeli *volitant & choreas agunt.* Verum quidem eſt Deum eſſe veritatem fontalem, & fontem primordialem, a quo omnis procedit veritas; ſed D. Thomas eſt etiam ſuo modo *veritas fontalis*, quia in illo velut in lucidiſſimo fonte veritas reſidet. Veritatem in puteo latentem adumbrabant antiqui, ut indicarent eam homines latere; at veritas non eſt in Doćtore Angelico tamquam in puteo, ſed velut in fonte omnibus aperto, & circa eum, velut circa apertum veritatis fontem, volitant Doćtores, ut a tanto magiſtro veritatem addiſcant: *volitant, & choreas agunt.* Et revera Div. Thomas magiſter eſt, qui adhuc veritatem docet; eam docuit magno cum applauſu in variis Univerſitatibus, dum viveret; & adhuc reperitur D. Thomas in libris Theologorum & Philoſophorum, in Expoſitorum commentariis, in cathedris Concionatorum, necnon in omnibus fere totius orbis Univerſitatibus, & ubique eſt magiſter & Doćtor veritatis; quia ibi docetur veritas ab illius ſcriptis, tamquam ab inexhauſto veritatis fonte deſumpta. Sed ſi D. Thomas eſt magiſter veritatis, qui eam docet; *eſt etiam protećtor, qui eam defendit.*

3. Mihi D. Thomas perfećtiſſime adumbratus videtur in *filio hominis*, de quo D. Joannes in Apocalypſi dicit. 1. Albos ejus eſſe crines: *capilli erant candidi tamquam nix; Apoc. c. 1.* D. Thomas enim nonniſi candidas & niveas habuit cogitationes, & affećtiones. 2. Eum eſſe præcinćtum ait: *præcinćtum zona aurea*, & D. Thomas in ſomno *ſentire viſus eſt ab Angelis ſibi conſtringi lumbos:* 3. Vox illius erat *tamquam vox aquarum multarum:* & vox D. Thomæ erat etiam vox aquarum multarum; ſi enim ſapientia vocetur aqua: *aqua ſapientiæ potavit illum*, vox D. Thomæ erat vere vox aquarum multarum; quia ſapientiam D. Auguſtini, D. Hieronymi & aliorum multorum locutus eſt. 4. Facies ejus tamquam ſol fulgebat: *facies ejus ſicut ſol lucet;* & D. Thomas fuit *quaſi ſol refulgens in templo Dei.* Ait tandem D. Joannes, quod *de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat;* & ex ore D. Thomæ exit doćtrina ſanćtiſſima & ſolidiſſima, quæ eſt gladius acutus, ex una parte omnes reſecans hæreſes, & ex alia veritatem protegens, tum contra Gentiles, tum contra alios Romanæ Eccleſiæ hoſtes; tum contra Ordinum mendicantium perſecutores, tum contra omnes, qui fallaciis, mendaciis, erroribus, vel alio quocumque modo illam vitiare & denigrare attentant.

Digitized by Google

Doctor Angelicus, ſicut & D. Paulus, numquam contra, ſed ſemper pro veritate ſtetit: *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate. 2. Cor. 13. 8.* Non ſtetit contra veritatem D. Thomas, cum nullo modo fallax, fabuloſa, mendax, erronea, aut erroris ſuſpecta fuerit ejus doctrina. Sed ſemper pro veritate ſtetit, qui eam ab omnibus impugnatoribus ejus generoſe defendit. Impugnabant veritatem idololatræ inanium Deorum multiplicitatem admittentes: at pro veritate ſtetit D. Thomas paganorum deliramenta detegens, & in præclaro volumine, quod contra Gentiles compoſuit, pluralitatem Deorum impoſſibilem eſſe demonſtrans. Impugnavere veritatem Philoſophi; qui fallaciis & ſophiſticis ſuis ratiocinationibus populos multos in errorem induxerunt: at pro veritate contra illos ſtetit D. Thomas, qui eorum nodos ſolvit, fallacias aperuit, mendacia manifeſtavit, & philoſophiam his omnibus maculis purgatam, necnon ita ſanctam & ſubtilem compoſuit, ut *Philoſophus Chriſtianus* vel *Ariſtoteles baptiſmate regeneratus* merito appelletur. Veritatem impugnaverat Marcion, quem Tertullianus *veritatis interfectorem lib. de carne Chriſti* vocat; ſimul qui illam impugnaverunt omnes hæretici, illamque uſque ad mundi finem impugnare non deſinent; ſed pro veritate adverſus illos ſtetit D. Thomas; illamque ita protexit, ſut innumeros hæreticos debellaverit. *Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam*, inquiebat hæreticus Bucerus, eum & omnes hæretici tollere, ejuſque doctrinam annihilare optarent. Sed in æternum vivet hic veritatis protector, ejuſque ſcriptis ſemper protegetur veritas contra Arium, cum demonſtrat Filium æterno Patri eſſe conſubſtantialem; contra Macedonium, dum probat Spiritum Sanctum vere eſſe Deum; contra Manichæos, cum unicum eſſe primum omnium rerum principium fortiſſimis argumentis convincit, & tandem contra Neſtorium, Lutherum, Calvinum, ac omnes penitus hæreticos, quorum perverſa dogmata graviſſimis rationibus deſtruit & obliterat. Unde ſicut de Iſmaele dicitur quod *manus ejus contra omnes: Geneſ. 16. 2.* ita & D. Thomæ manus contra Gentiles, Schiſmaticos, hæreticos & omnes veritatis impugnatores extitere; eamque adverſus omnes eorum ictus fortiter protexit: ergo D. Thomas plenus veritate, *ac etiam plenus ſanctitate.*

TERTIA PARS.

Sanctus Thomas fuit plenus ſanctitate.

UT quantum ſanctitate plenus fuerit Doctor Angelicus, notum facere valeam, totum vitæ ejus decurſum non perluſtrabo; ſed breviter oſtendam quam ſanctus extiterit: 1. in prædicationibus ſuis: 2. in orationibus ſuis: 3. in regularibus exercitiis ſuis.

1. De Ordine Prædicatorum, & famoſus prædicator erat D. Thomas, qui longe alius erat ab iis concionatoribus, qui aliud prædicant & aliud faciunt: *qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. Rom. 22.* Non fuit ſimilis fabris arcæ Noe, qui ut ait D. Auguſtinus, *aliis ubi evaderent præſtiterunt, & ipſi diluvio perierunt. Aug. ſer. 6. Epiph.* Sed fuit prædicator ſanctiſſimus, qui ea operabatur quæ facienda eſſe prædicabat, & qui ſanctitatem ſuarum prædicationum ſanctitate ſuorum operum confirmabat. Si adverſus avaritiam verbis prædicabat, adverſus eam prædicabat & operibus, quia nil terrenum, ſed ſolum Deum poſſidere optabat, *nihil præter te Domine.* Si de non ambiendis mundi honoribus & dignitatibus concionabatur; ſciebant omnes, quod & ipſe ſibi a Summo Pontifice oblatum Archiepiſcopatum Neapolitanum, necnon alias quaſcumque Eccleſiæ dignitates recuſaſſet. Cum aliis ſemel jejunandum eſſe prædicabat, centies ipſe jejunabat; timebat Dei judicia, & inferni ſupplicia, quæ aliis timenda eſſe ſuadebat: continue laborabat pro aſſequenda beatitudine, pro qua obtinenda laborandum eſſe clamabat: erat tandem ſanctiſſimus concionator, qui ea quæ aliis facienda dicebat, immo & longe plura faciebat. Unde prædicationum ejus ſanctitatem Deus miraculo manifeſtavit; ut enim de eo legitur (collationes Patrum aſſidue pervolutabat, nec tamen a prædicatione divini verbi deſiſtebat: quod cum faceret per octavam Paſchæ in Baſilica S. Petri, mulierem quæ ejus fimbriam tetigerat, a fluxu ſanguinis liberavit. *Brev. Rom.*) O prædicatorem vere ſanctiſſimum! cujus ſanctitas in ejus prædicationibus eluxit, *ac etiam in ejus orationibus.*

2. Doctor hic Angelicus indeſinenter orationi vacabat, & præcipue antequam prædicationi, lectioni, aut ſcriptioni librorum incumberet: *numquam ſe ſcriptioni, aut lectioni dedit, niſi poſt orationem.* Legerat haud dubie præclara hæc Melliflui Bernardi verba: *Quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi priusquam infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere: quam ob rem ſi ſapis, concham te exhibebis, non canalem; hic ſiquidem pene ſimul recipit & refundit; illa vero donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat.* Non enim D. Thomas canalem ſe exhibebat, ſed antequam legendo, ſcribendo, & prædicando ſe diffunderet, velut concham in oratione ſe replebat; Unde non ſemel ſodali ſuo Reginaldo dixit, *quidquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore peperiſſe, quam divinitus in oratione accepiſſe.*

Nec cenſendum, eum in oratione ſegnem fuiſſe & tepidum; in ejus enim meditatione exardeſcebat ignis; & nonnumquam in extaſim ita rapiebatur, ut totaliter inſenſibilis evaderet: cum enim aliquando in extaſim raptus eſſet, candela accenſa ei digitos combuſſit, nec aliquid ſenſit. Altera die cum fiſtulæ qua gravabatur, ignita applicanda eſſent cauteria, brevi antequam hæc fieret operatio, in extaſim raptus eſt, & cauteria non ſenſit. Tales extaſes, ita illi faciles erant & familiares, ut non difficilius illi eſſet in extaſim rapi, quam aliis eſt difficile claudere vel aperire oculos: *ita erat in ſuæ poteſtate, ſicut in tua eſt claudere oculos, vel aperire*, inquit Sanctus Vincentius Ferrerius; & ut refert idem Sanctus, interdum D. Thomas extra ſe raptus tribus integris horis permanebat. Immo &

dum

dum oraret in Eccleſia, aliquoties viſus eſt ex fervore ſpiritus a terra elevatus. Ecce Virum ſanctiſſimum in orationibus ſuis; *ac etiam in ſuis regularibus exercitiis*.

3. Brevem perfectionis regulam omnes Religioſos docet Thomas a Kempis, dicens: *Hac brevis regula maneat in memoria tua: fuge, tace, quieſce, ama neſciri, diſce mori, luge præterita, ſperne præſentia. In Dialog. Novit. cap. 3. ſect. 3.* Hanc regulam perfecte calluit, & ſervavit Doctor Angelicus; & inſuper omnia, etiam minima vitæ regularis exercitia adamuſſim cuſtodivit. Probe noverat Sanctus Doctor, quod *ſi illa quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint obſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt. S. Cypr. ſeſſione 25. cap. 1.* Quare a primis diebus quibus Religionem eſt ingreſſus, regularibus exercitiis apprime vacavit, & eorum obſervationi ad ultimum uſque vitæ ſuæ terminum mordicus adhæſit, a principio abſtinentias, jejunia, ſilentium, & alia Dominicanæ religionis exercitia exacte ſervavit, & uſque ad mortem a minima quaque eorum obſervantia non deſtitit. Unde ſi *vita Monachi, qui ſecundum regulam vixerit, crux eſt, atque martyrium, Joann. Trithem. lib. 2. Hæreſ. cap. 8.* Divi Thomæ vitam crucem continuam, & juge martyrium fuiſſe, non eſt qui dubitet: cum ipſe, & regulam quam ſectatus eſt, & omnia regularis vitæ exercitia uſque ad mortem quam perfectiſſime ſervaverit.

Signum ſapientiæ eſt bene incipere, melius continuare, & optime finiri, ſerm. de S. Thom. inquit S. Vincentius Ferrerius. Sanctus autem Thomas fuit vir ille ſanctus, & ſapiens, qui bene incœpit: quia non obſtantibus parentum conatibus, qui omnem moverunt lapidem, ut eum a religione avocarent, ipſe firmiter in ſancto ſuo propoſito ſtetit, & durioribus vitæ religioſæ exercitiis ſe dedit. Ipſe etjam melius continuavit, quia ſemper ivit de virtute in virtutem, & quo in religione factus eſt ætate provectior, eo fuit regularis vitæ exercitiis addictior. Ipſe tandem optime finivit, quia in vitæ regularis exacta & perfecta obſervatione uſque in finem perſeveravit, ejuſque finem eſſe ſanctum manifeſtavit Deus tum revelans ei mortis ſuæ diem, tum variis miraculis & prodigiis mortem ejus illuſtrans, quæ eum ſanctitate plenum ex iiſſe probarunt, & divulgarunt.

Demiremur incomparabilem hunc Virum, qui ſcientia, veritate, & ſanctitate plenus fuit, & iidem iiſdem perfectionibus repleri ambiamus. *D. Thomas* a Chriſto accepit ſcientiæ plenitudinem, cum habuerit *ſcientiam univerſalem ſine confuſione, profundam ſine vanitate, & utilem ſine intereſſe*, conemur & nos ſublimem hanc ſcientiam participare. *D. Thomas* de plenitudine Chriſti accepit veritatem, cum veritatis *ſponſus, magiſter & protector fuerit*, pro viribus & nos hujuſce veritatis participes fieri contendamus. *D. Thomas* de plenitudine ſanctitatis Chriſti accepit, quia *in prædicationibus, orationibus, & exercitiis regularibus* ſanctus fuit, hujus & nos ſanctitatem pro viribus æmulemur.

Dicet forte aliquis; tam altam ſcientiam aſſequi non valeo. Velim quod ita ſit; ſed qui alta ſapere nequit, craſſæ ſaltem ignorantiæ tenebras a ſe expellat, & ſalutis neceſſaria addiſcere conetur. Docet alius: veritatis magiſter, & protector eſſe non poſſum. Velim, quod ſic ſe res habeat, ſed penes omnes eſt veritatem ſaltem deſponſare, eique inſeparabiliter adhærere, poſſunt omnes veritati ita conjungi, ut nihil falſum, nihil erroneum unquam proferant: veritatem ergo quiſque veſtrum in ſponſam eligat; ita quod ab eo voluntariis mendaciis nunquam ſeparetur. Sed præſertim debet quiſque cum D. Thoma repleri ſanctitate.

Elegit nos Deus, ut *eſſemus ſancti, & immaculati. Eph. 1. 4.* Non elegit nos ut eſſemus pleni ſuperbia, ira, avaritia, luxuria, & omni vitiorum genere; ſed ut eſſemus omni ſanctitate pleni, ſeu, ut explicat Doctor Angelicus, *elegit nos, ut eſſemus ſancti virtutibus, & immaculati vitiis. Eccl. 24. 17.* Sed heu! plerique hominum non ſanctitate, ſed vitio pleni ſunt, plerique ſunt ſimiles iis, quos D. Paulus dicit eſſe *repletos iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia. Plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate. Rom. 1. 29.* O quales plenitudines! hi quidem non ſunt *in plenitudine Sanctorum; Eccli. 24. 17.* ſed in plenitudine damnatorum, & ſi corda ſua non effundant, malitiamque qua pleni ſunt non evomant, cum damnatis æternum cruciabuntur. Effundite ergo corda veſtra, omnia a vobis peccata expellite, & repleamini humilitate, benignitate, patientia, & omni ſanctitate, ut cum Doctore Angelico æternam felicitatem aſſequi valeatis. *Amen.*

DE SANCTO JOSEPHO.

CONCIO PRIMA.

Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Luc. 2. 48.

De Philippo Macedonum Rege refert Sabellius, quod cum eximius quidam orator elogium ejus conficere ſuſcepiſſet, totam laudum illius ſegetem ex hoc uno ſumpſit, quod Magni Pater eſſet Alexandri: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, filium te habuiſſe Alexandrum*. Amplam quidem laudum materiam deſumere potuiſſet ab illuſtri majorum ejus genealogia, a Regia dignitate qua eminebat, ab animi magnitudine qua pollebat, a felicitate qua fruebatur, necnon ab aliis corporis, & animæ dotibus quibus florebat; ſed Patris Alexandri Magni qualitatem, ita ſublimem, auguſtam, & commemorandam arbitratus eſt, ut nihil ei addi debere cenſuerit: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat*. Oratoris mihi nunc incumbit munus, non ut terrenis Regis, ſed ut Joſephi Regis Regum Patris glorioſiſſimi elogium contexam; quem ſane ab illuſtri Regum, & Pontificum, a quibus deſcendit proſapia, a mirabilibus quibus emicat virtutibus, a divinis favoribus quibus affluit, necnon a quam maxime venerando Sponſi B.V. titulo, quo decoratur, plurimum commendare poſſem; ſed ex Patris Chriſti

Chriſti qualitate tantum gloriæ, honoris, dignitatis, ac felicitatis ad S. Joſephum redundat: ut ex hoc uno quod Pater fuerit, totum illius encomium elicere intendam. *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, Filium ſe habuiſſe Jeſum*. Hoc habet S. Joſeph quod & alii Sancti; ſed hoc habet ſupra alios Sanctos, quod ſit Pater Chriſti: *Pater tuus & ego*: hæc eſt eminentiſſima qualitas, quæ eum ſupra omnes Sanctos ſublimat, ex qua panegyricam ejus concionem elicere pertentabo, &c. *Ave*.

PIctores & Geographi hoc in arte ſua habent mirabile, quod grandiora, & ampliora quævis objecta intra minutiſſimum ſpatium effingant, & quaſi abbrevient: pictores enim maximum quemque coloſſum in exigua telæ particula delineant, & Geographi totum terrarum orbem in unico papyri folio facili negotio adumbrant, & includunt: mirabilia autem hac arte, & induſtria, reſpectu Sancti Joſephi, uſus eſt ſupremus Deus, quippe qui omnes ejus perfectiones, & excellentias in breviſſimum redegit compendium, eaſque in unico Patris Chriſti titulo collegit, & adunavit: *Pater tuus, & ego*. Humani oculi pupillam ita exiguam eſſe conſtat, ut nec piſi, ſeu ciceris magnitudinem excedat, nihilominus inquit Doctor Angelicus, pupilla, licet minutiſſima, lunam, ſtellas, ſolem, & quævis quæ ei objiciantur corpora, in ſeipſa per repræſentationem facillime continet, & includit. Idem dicendum de hoc *Patris Chriſti* titulo; parvus quidem eſt, cum duobus dumtaxat conſtet vocabulis, ita tamen ſublimes & eminentes continet & arguit perfectiones, ut nil in hoc mundo majus, nil eo auguſtius eſſe videatur.

De Ptolomæo refert Juſtinus, in proprii filii gratiam ſuo ſe ſpoliaſſe Regno; & dum novus ſolemniter coronaretur Rex, in Aulicorum, totiuſque adſtantis populi conſpectu alta voce clamaſſe: *Omni Regno pulchrius eſt, Regis eſſe Patrem. Juſtin. Hiſtor. Lib.* 16. ſed longe majori jure dicere fas eſt, nil majus, nil eminentius, nilque glorioſius in hoc mundo quam Chriſti Domini omnium Regnantium Regis eſſe Patrem: *Pater tuus*. Sed ut clarius eluceſcat quantum gloriæ, & perfectionis in Joſepho hæc arguat paternitas, advertendum, patres filiorum ſuorum eſſe nutritios, protectores, & ſuperiores; ſunt eorum *nutritii* ex natura, *protectores* ex affectu, & *ſuperiores* ex juſtitia, & hæ ſunt tres excellentiæ, quas ex qualitate patris carpit Sanctus Joſephus: per illam ſiquidem Chriſti nutritius, protector & ſuperior efficitur, ut enim jam videre eſt, Sanctus Joſephus eſt: 1. *Pater*, qui Jeſum nutrit: 2. *Pater*, qui Jeſum protegit: 3. *Pater*, cui Jeſus ſubditus eſt. Ecce tres conciones hujus partes, ex quibus quanta dignitas, quanta felicitas, quantaque Sancti Joſephi exiterint merita, facile auſpicabimur.

PRIMA PARS.

Sanctus Joſeph eſt pater, qui Jeſum nutrit.

ANgelum unum ad Zachariam, & alium ad Joſeph delegavit Deus: Angelus ad Zachariam miſſus, dixit ei, mulierem ejus Eliſabetham *ipſi* parituram eſſe filium; *uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium*: *Luc.* 1. 13. Angelus vero ad Joſephum allegatus, non dixit ei, quod uxor ejus pareret *ipſi* filium, ſed ſolummodo quod pareret filium; *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Matth.* 1. 21. Non dixit Angelus Joſepho, Mariam *ipſi* parituram eſſe filium, quia Joſeph non erat verus pater filii, quem paritura erat Maria: non enim eum genuerat Joſeph, qui virgo erat, ſed in Mariæ Virginis utero per Sancti Spiritus operationem fuerat formatus. Licet autem Maria filium Joſepho, tanquam vero, legitimo, & naturali ejus patri non pepererit, Joſephus tamen filii Mariæ, ſeu Chriſti Pater in Sacra Scriptura vocatur: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Luc.* 3. Si S. Joſeph non eſt verus Chriſti pater, cur ejus pater vocatur? dicitur pater ejus, qui juxta vulgi opinionem ejus pater eſſe credebatur: *putabatur filius Joſeph*. Dicitur etiam pater ejus, ob dilectionem plus quam paternam, qua Jeſum proſequebatur: *Sicut Maria Mater Joannis dicitur propter dilectionem, & non propter generationem; ita*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *Joſeph pater Jeſu propter curam vel dilectionem vocatus eſt, & non propter generationem*. Sanctus Auguſtinus ait Joſephum nuncupari, & eſſe aliquo modo patrem Jeſu, quia Sponſus erat Mariæ, cujus filius erat Jeſus: *Joſepho filius eſt Jeſus, quippe quia Mariæ veriſſimus eſt filius. Lib. 2. de conſenſu Evang. cap.* 1. Sed multi auctores Joſephum Chriſti patrem dici docent, quia eum tamquam filium ſuum enutrivit: *Honoravit eum Spiritus Sanctus Patris vocabulo, quia nutrivit Salvatorem*, inquit Origenes *homil.* 19. Et ut ait Divus Hieronymus: *Joſeph Chriſti pater, non quod eum genuerit, ſed quod eum educaverit*. Unde dici poteſt Joſephum fuiſſe quaſi patrem ſacramentalem Chriſti, quia ejus pater extitit, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad aliqua accidentia. Sicut enim ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum vocamus panem; *Panis quem ego dabo, Joann.* 6. non quod ſit verus panis quoad ſubſtantiam, ſed quia eſt panis quoad accidentia, quæ poſt conſecrationem remanent; ita & Sanctus Joſephus eſt Chriſti pater, non quidem naturalis & quoad ſubſtantiam; ſed quoad accidentia: quia ſcilicet eſt Sponſus Mariæ Virginis; & quia eum tanquam proprium filium enutrivit: *honoravit eum Spiritus Sanctus Patris vocabulo, quia nutrivit Salvatorem*.

Pater æternus & Joſephus ſunt ambo Chriſti Salvatoris patres: diverſimode tamen patris qualitas utrique convenit; æterno etenim Patri competit æternitas, quia Chriſtum, ut Verbum, ad intra vere genuit, & ad extra, ut hominem, vere produxit virtute Spiritus Sancti; Joſephi vero paternitas non fuit fœcunda, ſed ſterilis: non enim genuit Chriſtum; ſed ideo ejus pater dicitur, vel quia deſponſavit Mariam, quæ ſupernaturaliter genuit Chriſtum; vel etiam quia Chriſtum nutrivit, & pater ejus nutritius fuit: *Joſeph nutritius Chriſti. S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt.* Pater æternus, ut Chriſti Pater, ad eum enutriendum tenebatur, eumque modo quodam inſolito & mirabili alere poterat, ſi voluiſſet; poterat manu propria cæli ro-

rem,

Google

rem, panem Angelorum, vel exquiſitiſſimos quoſque cibos ei erogare, aut ſi non per ſe, ſed per alium eum alere congruum judicaſſet, ad nobiliſſimum hoc opus Sanctos Michaelem, Gabrielem, ac innumeros Cherubinos & Seraphinos vocare poterat, qui illud munus ſummo cum affectu, ſummaque cum reverentia jucunde obiiſſent: Sed hanc Pater æternus Joſepho curam demandavit, ſublime hoc opus in Joſephum derivavit, Joſephum Chriſti patrem nutritium eſſe voluit: *Joſeph nutritius Chriſti*. O divinum munus! quod ſanctiſſime & perfectiſſime explevit Joſephus, qui ſummo cum charitatis ardore ex cibis in ſudore vultus ſui comparatis, ſuum & Patris æterni filium aluit, & ſicut non comedebat Job buccellam, quin ea comederent pauperes: *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit ex ea pupillus*; *Job* 31. 17. ita & Sanctus Joſephus non comedit buccellam, quin ex ea comederet Chriſtus; aperiebat quotidie Joſephus manum ſuam, ut alimenta ſubminiſtraret ei, qui aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione, eumque ſumma cura, & ſollicitudine enutriebat; *Joſeph nutritius Chriſti*.

Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, 1. *Reg*. 13. inquit ſacer Textus; quæ verba licet in ſenſu literali intelligantur de Davide, quem Deus quæſivit, & loco Saulis Regem elegit; in ſenſu tamen myſtico, aut accommodatitio, a nonnullis auctoribus intelliguntur de Sancto Joſepho, quem Pater æternus, ut virum juxta cor ſuum, in Chriſti patrem elegit. *Carth. l.* 9. *homil.* 4. Cor Patris æterni eſt Spiritus Sanctus; ſicut enim filius in Trinitate dicitur Verbum, vel lingua Patris æterni, quia quidquid ad extra loquitur Pater æternus, hoc per Filium ſuum, velut per linguam dicit; ita & Spiritus Sanctus eſt cor Patris, quia Pater æternus per Spiritum ſanctum, tanquam per proprium cor diligit, quæcumque amore proſequitur; Joſeph autem eſt vir juxta cor Patris æterni: Sicut enim Spiritus ſanctus in Trinitate cæleſti tertia perſona eſt ſecundum originem, ita in terreſtri Trinitate Jeſu, Mariæ & Joſephi, Joſeph dignitatis ordine tertium ſibi vendicat locum: ſicut etiam Spiritus ſanctus fuit Sponſus Virginis ejus virginitatem nunquam lædens: ita Joſephus caſtiſſimus Mariæ Sponſus extitit, virginitati ejus nunquam officiens: ſicut tandem Spiritus ſanctus, inſtar cordis, fons fuit & ſcaturigo vitæ ac omnium vitalium ſpirituum, quibus Chriſti corpus fovebatur & vivebat; ita Joſeph principium fuit vitæ, & omnium ſpirituum vitalium, qui per varias corporia Chriſti arterias diffundebantur; quia fuit pater nutritius, qui ei ſubminiſtravit alimentá, ex quibus hi ſpiritus formabantur: *Joſeph nutritius Chriſti*.

O magnam Joſephi gloriam, quod Patris æterni vices impleverit, & quod ejus nomine Chriſtum aluerit: *Geſſit Joſeph perſonam Dei Patris*. *S. Iſidor. Iſol.* 1. *art. cap.* 16. O ineffabilem Joſephi felicitatem, quod fuerit vir juxta cor Patris æterni, & ab eo fuerit electus, ut Chriſtum Jeſum aleret: *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum*: O mirabilem & nunquam ſatis commendatam Joſephi dignitatem, quod Chriſti Pater nutritius extiterit: *Joſeph nutritius Chriſti*. Gloriantur nonnunquam viri ſapientiſſimi, & eruditiſſimi, quod Imperatorem, Regem, vel aliquem Principem educaverint; ſed quanto major eſt Joſephi gloria, quod Regem Regum Chriſtum enutriverit? Honoratos ſeſe & beatos arbitrabantur Angeli, quod ſemel in deſerto Chriſtum aluerint; ſed quanto honoratior, & felicior Joſephus, qui pluribus annis eum cura, & laboribus ſuis ſedulo enutrivit? Si nimis honorificatus, & felix prædicatur Sanctus Antonius Paduanus, quod Chriſtum ſemel dumtaxat, aut iterum ulnis ſuſcipere meruerit; quanto honoratiorem, & feliciorem prædicare debemus Joſephum, qui non ſemel, aut bis ſolummodo Chriſtum in manibus geſtavit, ſed qui toties quoties eum tangere, portare, oſculari, cibare, omniaque Patris nutritii munia exercere meruit? Si commendatur Joſeph Patriarcha, quod tempore famis Ægyptios aluerit; quanto magis commendandus Joſeph Chriſti pater, qui illum alit, qui tempore opportuno dat eſcam omni viventi? Si Petro Salvator curam dedit paſcendi oves & agnos; quanto glorioſius negotium demandatum eſt Joſepho, nutriendi ſcilicet Paſtorem Paſtorum Chriſtum Dominum?

Sed o quanta erit Joſephi gloria in die Judicii! Tunc omnibus miſericordibus, qui illum in perſona pauperum aluerunt, dicet Chriſtus: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere*; *Matth.* 25. 35. ſed Joſepho in conſpectu omnium populorum dicet: o pater mi, dum in terris degerem, & inter homines in mundo verſarer, in propria perſona *eſurivi*, *& dediſti mihi manducare: ſitivi, & dediſti mihi bibere*; tuque pater meus nutritius extitiſti. O qualis Joſepho hæc erit gloria in die Judicii! Sed o quanta ejus erit merces in Cælo! Si enim quicumque pauperi *dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam*, *Matth.* 10. quanto liberaliorem & munificentiorem ſe præbebit Deus erga Joſephum, qui non ſolum aquæ ſcyphum pauperi cuidam largitus eſt, ſed qui Chriſtum, Dei filium, ſumma ſollicitudine enutrivit? Si Abrahami, qui Angelos hoſpitio recepit, charitas largiſſime fuit remunerata; quanto largius & ubetius compenſatus fuit Joſephus, qui Regem Angelorum plurium annorum ſpatio cibavit & aluit? Si a patre ſuo benedictus fuit Jacob, eo quod ei ſemel cibos ad veſcendum paraverit; quales benedictiones, qualemve in Cælo mercedem percepit Joſephus, qui Dei ſui pater nutritius extitit? Magnus certe eſt Sanctus Joſephus, quia eſt pater, qui Jeſum nutrit; *ac etiam quia eſt pater, qui Jeſum protegit*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Joſeph eſt pater, qui Jeſum protegit.

OMnes patres ex naturali inclinatione ita ad diligendos filios moventur, ut eos non amare non poſſint: *Si pater eſt, non poteſt non amare. Chryſol. ſerm.* 33. Ita Parentibus innatus eſt hic erga filios amor, ut pater qui filios non diligeret, ipſis brutis durior & immanior cenſendus eſſet: *Feræ amant filios ſuos, amant filios aſpides, amant filios tygrides, amant filios leones. Nulla beſtia eſt quæ non filiis blande murmuret: ergo pater qui non amat filios ſuos, etiam beſtiis pejor eſt. S. Auguſt. ſerm.* 1. *ſerm.* 4. *poſt Dominica ſeptuageſ.* Hoc erga Chriſtum amore non caruit Joſephus, cui Spiritus ſanctus & Patris Chriſti dignitatem, & paternum erga Chriſtum amorem dedit: paternam dignitatem Joſepho contulit Spiritus ſanctus, cumque Chriſti patrem fecit, cum in Mariam ejus conjugem ſupervenit, eamque ſupernaturaliter obumbravit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbravit tibi.* Sicut enim fructus qui in agro meo ſterili ſupernaturaliter producerentur, mei eſſent; ita Chriſtus, qui eſt benedictus fructus in agro Joſephi, ſeu in Maria Joſephi Sponſa, per Spiritus ſancti operationem ſupernaturaliter productus, eſt fructus & filius Joſephi; qui eum ut filium reſpexit, & qui eum dilexit ut filium ſibi a Spiritu ſancto datum: *Joſephus omni amore transformativo ferebatur in eum, ut in dulciſſimum filium ſibi in conjuge ſua Virgine per Spiritum ſanctum datum. S. Bernard. ſerm. de S. Joſepho.* Eo ipſo quo Spiritus ſanctus in utero Virginis corpus Chriſti formavit, paterno erga eum amore cor Joſephi inflammavit: *Spiritus ſanctus de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic, ſcilicet Joſeph, qui naſcebatur infantis amorem infudit. Rupert. lib.* 1. *de glor. Fil. Hom.*

Paterno hoc amore ſuccenſus Joſeph, non ſolum Chriſtum aluit, ſed eum etiam protexit. Unde Sanctus Iſidorus Joſephum Cherubinum vocat, qui Mariæ & Chriſti cuſtos ac protector fuit; *Cur non Joſeph Cherubim aſſeverandus eſt, qui & Virginis ſanctiſſimæ, & Chriſti cuſtos a Deo immortali poſitus fuit?* Poſtquam peccavit Adamus, Paradiſum terreſtrem Deus Cherubini unius cuſtodiæ commiſit. Maria autem, ut nonnulli ex Sanctis Patribus docent, fuit Paradiſus quidam myſticus, & Chriſtus arbor in medio hujus Paradiſi plantata extitit; ut autem loquitur Sanctus Iſidorus: S. Joſeph, ut alter Cherubim, hujus Paradiſi & hujus arboris, ſeu Chriſti & Mariæ cuſtos & protector fuit: *Cur non Joſeph Cherubim aſſeverandus eſt, qui & Virginis ſanctiſſimæ, & Chriſti cuſtos a Deo immortali poſitus fuit? Iſid. Iſol.* 1. *p. cap.* 22. Ezechiel Propheta in extaſim raptus, mirabilem vidit currum, in quo erat thronus, cui inſidebat Rex, hujuſque currus ductor & cuſtos erat unus Cherubim; ſi autem viſionem myſtice interpretari liceret, dicerem, mirabilem hunc thronum fuiſſe Virginem Mariam, cui Rex Regum Chriſtus novem menſium ſpatio inſedit; Cherubim vero, qui hunc regebat currum, fuit ſanctiſſimus Joſeph, qui non ſolum Mariæ Virginis, verum & Chriſti Domini cuſtos & protector extitit: *Cur non Joſepho Cherubim aſſeverandus eſt?*

Unicuique a Deo delegatus eſt Angelus, qui eum regat & cuſtodiat: *Unicuique noſtrum a die Baptiſmatis uſque ad obitum delegatus eſt Angelus, qui & viriliter decertantem a tentatione cuſtodiat, & auxilium præbere non deſiſtat. Petr. Dam. in Epiſt. ad A. II. lex Pont. Max.* Hi Angeli cuſtodes ſunt etiam Angeli protectores: *Supernæ Poteſtates*, inquit Anaſtaſius Synaita, *valde & vehementer diligunt, & protegunt. Anaſt. lib.* 1. *Hexa.* Jeſus autem, ut communiter ſentiunt Theologi, Angelos quidem aſſiſtentes, & miniſtrantes habuit, ſed Angelos cuſtodes non habuit, qui eum adverſus dæmones cuſtodirent, & protegerent: quia cum eſſet omniſcius, & omnipotens, nil adverſus eum moliri poterant dæmones, nullumque periculum inerat, quod ipſe eorum tentationibus vinceretur. Quia tamen Chriſtus in hunc mundum veniens, & humanam aſſumens naturam, omnibus infelicis hujus naturæ infirmitatibus, quæ peccatum, & imperfectionem moralem non arguunt, ſubdi voluit, ipſe non ſecus ac alii homines, temporis inclementiam, hominum perſecutiones, famem, ſitim, & alia multa pati potuit, & ideo qui Angelum cuſtodem non habuit, aliquo ſaltem egere videbatur homine, qui adverſus hæc eum protegeret, & qui eſſet quaſi Angelus ejus protector; talis autem extitit Sanctus Joſephus, qui a Sancto Bernardo vocatur *magni Conſilii Angelus*. Joſeph fuit Angelus ratione puritatis Angelicæ, qua floruit, & fuit *magni Conſilii Angelus*, quia in Concilio a ſanctiſſima Trinitate habito, fuit delegatus, ut quaſi Angelus protector Chriſti eſſet, & ut eum in omnibus caſibus firmiter protegeret: quod munus perfectiſſime obiit, cum & honoris, & vitæ Chriſti protector extiterit. Protector fuit honoris Chriſti, cum Mariam Matrem ejus deſponſavit; & protector fuit vitæ Chriſti, cum eum ab Herodis manibus præſervavit.

Quæ ut clarius explicentur, advertendum, Chriſtum in Virginis Mariæ utero non per hominis, ſed per Spiritus ſancti operationem fuiſſe formatum: ſicut enim in æterna generatione productus eſt ex Patre ſine Matre; ita in generatione temporali ex matre ſine patre produci decrevit; ſed in decreto, quo ex matre ſine patre naſci voluit, & ſuo, & matris, ſaltem coram hominibus, periclitabatur honore, quia ſi natus eſſet ex non nupta, mater ejus æſtimata fuiſſet impura, & ipſe illegitimus judicatus eſſet: ſed Joſeph deſponſans Mariam, & matris, & filii honorem protexit; cum etenim ut Mariæ Sponſus agnitus eſt, nulla adverſus utriuſque honorem, & famam formata eſt ſuſpicio. Unde Sanctus Joſeph altiſſimi myſterii Incarnationis Verbi ſcutum vocatur: *Altiſſimi myſterii ſcutum fuit inexpugnabile: S. Iſid. Iſol.* 1. *part. cap.* 4. fuit ſcutum hujus myſterii, quia in executione myſterii Incarnationis fuit protector non ſolum honoris Mariæ, ſed etiam honoris Chriſti. Immo & fuit protector vitæ Chriſti, quia eum e manibus Herodis eripuit; impius hic tyrannus Chriſtum naſcentem extinguere intendebat; quare miſit ſatelli-

Digitized by Google

tellites, qui eum in cunis vagientem occiderent; ſed S. Joſeph fuit protector vitæ Chriſti, & quaſi Salvator Salvatoris, quia fugiens in Ægyptum eum ſecum detulit, eumque Herodis furori ſubripuit. O mirabilem honoris & vitæ Chriſti protectorem!

Portentoſam ſcalam vidit Jacob a terra uſque ad cælum pertingentem, & Deum ſupremo hujus ſcalæ gradui innitentem: *Vidit Dominum innixum ſcalæ.* O magnum myſterium! Deus, qui eſt omnipotens, & qui omnia portat verbo virtutis ſuæ, ſcalæ innititur: Deus qui omnium creaturarum eſt protector, & columen, ſcalæ eſt innixus. Deus ſuſtentari nequit; quis ergo ſcalæ innixus dicitur? *Vidi Dominum innixum ſcalæ?* Hoc dubium luculenter ſolvit Rupertus Abbas, dicens ſcalam, quam Jacob dormiens vidit, eſſe Chriſti Domini genealogiam, cujus ſcalæ gradus ſunt Abraham, Iſaac, David, aliique Reges, Patriarchæ & Prophetæ, a quibus Chriſtus originem ducit; ſupremus autem hujus ſcalæ gradus, cui Deus innititur, eſt S. Joſephus, cui innititur Chriſtus; *Supremus ſcalæ gradus cui Dominus innixus, iſte eſt Joſeph vir Mariæ. Rupert. lib. 1. de glor. Fil. Hom.* & ſi quis ſcire cupiat, quomodo Chriſtus innitatur Joſepho, reſpondebit idem Abbas, quod ei innitatur tanquam tutori, & protectori: *utique tanquam tutori pupillus Pſalm.* 17. 41. Joſepho innititur tanquam protectori, quia vitæ, & honoris ejus protector fuit.

Miramini Joſephum, qui eum protegit, qui *protector eſt omnium ſperantium in ſe.* O virum vere mirabilem; quem Pater æternus in filii ſui unigeniti protectorem elegit! Sed o quales & quantæ pereximii hujus viri eſſe debent virtutes & perfectiones, quibus ad tam ſublime munus eligi & erigi meruit? Heu! ſi S. Joannes Baptiſta, qui erat *neque manducans, neque bibens, Matth.* 11. 13. & cujus tanta erat perfectio, ut a multis Meſſias cenſeretur; ſi, inquam, Chriſti Præcurſor, cujus ſanctitas erat maxima, Chriſtum digito ſolum indicare meruit; quanta ineſſe debet ſanctitas Joſepho, qui Chriſtum non ſolo digito commonſtravit, ſed toto brachio protexit & tutatus eſt? Magna quidem Joſepho infuit ſanctitas; ac etiam ei magna gloria ineſſe debuit: ſi enim gloriabatur Doctor gentium ex hoc quod Dei ſervus eſſet: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*; quanta Joſepho ineſt gloria, quod non ſervus ſolum, ſed etiam Chriſti protector fuerit? ſed ſi magna eſt Joſephi gloria, quia eſt Pater qui Chriſtum protegit; magna etiam eſt ejus gloria, *quia eſt Pater, cui Chriſtus ſubditus eſt.*

TERTIA PARS.

Sanctus Joſephus eſt Pater, cui Jeſus ſubditus eſt.

PAternam jure naturali in filios ſuos juriſdictionem habent quilibet patres, & in quocumque dignitatis gradu exiſtat filius, patrem ſemper ſibi ſuperiorem, ratione paternitatis, agnoſcere debet: *Natura pater filiorum imperium ſemper obtinet; quamvis etiam non efflagitet dignitas. Ariſtot. lib. 8. Elenc.* 11. Sed quis pater ſuperior eſſe poterit filii, qui ſimul Deus & homo eſt? Certum eſt Deum nulli ſubjici, nullumque habere poſſe ſuperiorem *Conſtat*, inquit Tertullianus, *Deum nullo minorem & ſubjectiorem; immo omnibus majorem, & ſublimiorem; Tertullianus lib. adverſ. Hermog.* 7. quis ergo Chriſti Dei, & hominis ſuperior eſſe poterit? Joſephus utique, qui ita per patris Chriſti qualitatem ſublimatus eſt, ut per eam factus ſit aliquo modo illi ſuperior; quod intelligi debet de natura humana Chriſti præciſe ſumpta: nam ſi ſumatur ut elevata a Deo ad hypoſtaſim Verbi, unum eſt cum Deo, ac proinde non ſubdita Joſepho, & Mariæ, nec ſub hoc reſpectu Chriſtus iis obedire tenebatur, ſicut nec Auguſto, Herodi, & aliis terrenis Principibus; Chriſtus tamen parentibus ſuis Joſepho, & Mariæ obtemperare, & ſubjici voluit; de quo nullus eſt ambigendi locus, cum Sanctus Lucas Evangeliſta Chriſtum iis ſubditum fuiſſe teſtetur: *Et erat ſubditus illis.* Quæ verba explicans Sanctus Baſilius, ait, *Chriſtus in prima ætate ſubditus parentibus, omnem laborem corporalem manſuete, & obedienter ſuſtinuit. Cum enim homines illi eſſent juſti quidem ac pii, verum pauperes, & rebus neceſſariis non abundantes, merito laboribus corporis aſſiduis dediti erant, per hoc neceſſarias res ſibi acquirentes. Jeſus autem his ſubditus, velut ait ſcriptura, omnium etiam ſimul perferendo labores obedientiam declaravit. In Conſt. Monaſt. cap.* 4. O mirabilem Chriſti obedientiam, & ſubjectionem!

Maxima erat Joſephi erga Chriſtum reverentia: nihilominus, ut ait Sanctus Bernardinus, *ſanctus vir publice habebat ſe ad Chriſtum verbo, actu, & geſtu, atque cura & imperio, ſicut verus pater ad filium ſuum; ſerm. de S. Joſeph.* Chriſto ut filio Joſephus imperabat, & Joſepho Chriſtus ut filius obtemperabat: *erat ſubditus illis.* O rem mirabilem, Deus homini, Creator creaturæ obtemperat! hinc exclamat Sanctus Bernardus: *Erat ſubditus eis. Quis? quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, ſed & Joſeph: utrinque ſtupor, utrinque miraculum! S. Bernardus ſerm. 1. ſuper Miſſus eſt.* Hanc Chriſti ad Joſephum ſubjectionem, ita mirandam, & commendabilem judicavit Sanctus Evangeliſta Lucas, ut ex omnibus actionibus quas ab infantia uſque ad trigeſimum vitæ ſuæ annum operatus eſt Chriſtus, hoc ſolum referat, quod Mariæ, & Joſepho obediverit. Mirabilia, & heroica multa opera ab incunabulis indeſinenter Chriſtus edidit; Theandricas continue operatus eſt actiones; humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum actus ſingulis vitæ ſuæ momentis elicuit, totque opera fecit, ut dicat S. Joannes Evangeliſta, quod ſi ejus omnia ſcriberentur opera, libros totus mundus continere nequiret: nihilominus ex tot mirandis operibus, quæ uſque ad trigeſimum vitæ ſuæ annum patravit Chriſtus, hoc ſolum refert Sanctus Lucas, quod Joſepho, & Mariæ obtemperaverit: *Et erat ſubditus illis.* Si a Sancto hoc Evangeliſta quæras, quid Chriſtus in decimo, quid in duodecimo quarto, & in aliis vitæ ſuæ annis uſque ad trigeſimum egerit? Hoc ſolum reſpondet, quod eſſet ſubditus Mariæ & Joſeph, *erat ſubditus illis.* Eiſque ita ſubditus & obediens erat Chriſtus, ut adamuſſim eis in omnibus paruerit. Quam Chriſti, reſpectu Joſephi, obedientiam & ſubje-

Digitized by Google

ſubjectionem ut explicet Sanctus Iſidorus, ſic Chriſtum loquentem inducit: *Ego converſatus ſum cum Joſepho in omnibus, ſicut ſi eſſem filius ejus naturalis, & obediebam in omnibus, nec unquam tranſgreſſus ſum verbum illius, & eram ſubditus illi, ſicut filii parentibus. S. Iſidorus Iſol. part. 4. cap. 8.*

Notum eſt omnibus, ſolem Ezechiæ Regis tempore decem lineis retroceſſiſſe; *Reverſus eſt ſol decem lineis. Iſaiæ* 38. 8. Sacra etiam docet Scriptura, ſolem Joſue imperante ſtetiſſe: *Sol contra Gabaon ne movearis. Joſue* 10. 12. Mirabilia quidem & portentoſa hæc fuerunt; at longe mirabilius, quod Joſepho Chriſtus ſol juſtitiæ, non ſemel dumtaxat, aut iterum, ſed toties quoties obſequebatur. Stabat ſemper & movebatur Chriſtus ad nutum patris ſui Joſephi: cui tanquam filius obſequentiſſimus ſemper, & in omnibus obediebat: *erat ſubditus illi, ſicut filii parentibus.*

Joſeph Patriarcha in ſomnis ſolem, lunam, & ſtellas ipſum adorantes vidit: *Vidi per ſomnium, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim adorare me Geneſ.* 37. 9. Per hunc ſolem ab Auctoribus communiter intelligitur ejuſdem Joſephi pater; ſicut per lunam, & ſtellas intelliguntur mater, & fratres ejus: ſi tamen D. Auguſtino fidem adhibeamus, hoc ſomnium hoc modo explicari non debet: quia tunc Joſephi Ægyptiaci mater mortua erat, ac proinde ipſum honorare & adorare nequibat. Sed, inquit idem Auguſtinus, hoc ſomnium figurative intelligitur de Joſepho Chriſti parente, in quo vere eſt adimpletum: quia omnes alii Sancti, veluti fulgentes ſtellæ, illum venerati ſunt; Maria etiam, tanquam luna myſtica, eum ſicuti Sponſum ſanctiſſimum religioſiſſime coluit; & Chriſtus ſol juſtitiæ, ei ut patri perfectiſſime obedivit & ſubditus fuit: *Obediebam ei in omnibus, nec unquam tranſgreſſus ſum verbum illius, & eram ſubditus illi, ſicut filii parentibus. S. Auguſtinus ſerm. 81. de tempore.*

O magnam Chriſti obedientiam & ſubjectionem! ejus exemplo diſcite pueri ſubjici parentibus; diſcite religioſi, obedire ſuperioribus; diſcite omnes obtemperare Deo, ejuſque mandata ſervare; ſed & omnes diſcite plurimi facere Sanctum Joſephum, cui Chriſtus ſubjici voluit: quia hæc Chriſti ſubjectio maximam in Joſepho ſignat & arguit dignitatem: *Hæc ſubjectio, ſicut inæſtimabilem notat humilitatem in Chriſto, ita dignitatem incomparabilem ſignat in Joſepho*, inquit Gerſon. Et ratio, quam adhibet illuſtris hic Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis, eſt: nil glorioſius, quam imperare regum Regi, & dominantium Domino: *Quid enim ſublimius, quam imperare ei, qui in femore ſcriptum habet: Rex regum, & Dominus dominantium? Gerſon ſerm. de Nativ. Virg.* Aliam adducit rationem, dicens, nil eſſe eminentius, quam dominari illi, qui ſe Deum fortem & Dominum exercituum vocat; nihilque glorioſius eſſe poſſe, quam ſub ſuo habere dominio eum, cui flectitur omne genu: *hic ſubjectio dignitatem incomparabilem ſignat in Joſepho.*

O quam magnus eſt Joſephus per patris Chriſti dignitatem, qua fulget: *magnus eſt*, quia eſt pater qui Chriſtum nutrit: *magnus eſt*, quia eſt pater qui Chriſtum protegit: *magnus eſt*, quia eſt pater, cui Chriſtus ſubditus eſt. Hæc patris Chriſti dignitas ita Joſephum ſublimat, ut quantum per eam extollatur, homines cognoſcere non valeant. Sicut enim de Patre æterno dixit Chriſtus, quod ipſe ſolus illum cognoſceret: *Neque patrem quis novit, niſi filius, & cui voluerit filius revelare; Matthæi* 11. 27. ita & de Joſepho patre dici poteſt, quod non puri homines, ſed ſolus Chriſtus cognoſcere valeat, quantum per patris qualitatem evehatur: *Neque quis novit patrem, niſi filius.*

Sed ſi Patris Chriſti qualitas Joſephum ſublimavit, eum etiam potentiſſimum fecit in Cælo, ubi, ut ait Gerſon, ita potens eſt, ut non oret, ſed imperet: *Non orat, ſed ordinat, non impetrat, ſed imperat. Gerſon in Joſephina.* Joſephi in Chriſtum auctoritas cum ipſo in Cælum conſcendiſſe videtur; ibi etenim paterna auctoritate, & ſupplici quodam implorat imperio: *quanta fiducia Joſephi! quanta in eo vis impetrandi!* quia ut ait Gerſon, *dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur.* Joſephus in Cælo, ſimul cum Maria, corporaliter jam exiſtere creditur; Maria Chriſto exhibet ubera, quibus fuit lactatus: Joſephus vero ei oſtendit brachia quæ illum portaverunt; & manus quæ illi officioſe inſervierunt, ex quo infert Sanctus Bernardus, non ſolum Mariæ, ſed etiam Joſepho petenti Chriſtum nil denegare poſſe: *Si*, inquit, *voluntatem timentium ſe faciet: quomodo voluntatem nutrientis ſe non faciet?* Quare cum tanta ſit Joſephi in Cælo poteſtas, in omnibus neceſſitatibus ad eum accurrite, illum ſupplices invocate, ejus vos protectioni committite, & ipſe a vobis omnia mala fugabit, multaque a Deo vobis beneficia, & vitam æternam impetrabit. *Amen.*

DE SANCTO IOSEPHO.

CONCIO SECUNDA.

Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ.

Sanctus Gregorius Nazianzenus ſororis ſuæ Gorgoniæ maritum digno intendens proſequi encomio, ſatis ſuperque eum laudare arbitratur, dicens quod ſororis ſuæ conjux & vir fuerit: *Vultis uno verbo virum deſcribam? Vir eſt illius, id eſt, Gorgoniæ. Orat. de laud. Gorgon.* A divitiis, a nobilitate, a ſingulari pietate, necnon ab aliis multis corporis & animæ dotibus eum laudare potuiſſet; ſed ei ita ſublimis viſa eſt ſponſi Gorgoniæ dignitas, ut hanc unicam ad perfectum, & integrum hujus viri elogium ſufficere crediderit, nec aliud quidquam ſuperaddere neceſſarium judicarit: *Non enim ſcio*, inquit, *quid amplius dicere neceſſe ſit.* In ſanctiſſimi Joſephi laudes prorumpere nunc ineſt animus, meritorum ac perfectionum ejus magnitudinem, & multitudinem recolere & colligere mei jam eſt propoſiti, totamque laudum ejus materiam elicere pertentabo ex hoc, quod non Gorgoniæ, ſed Mariæ Virginum puriſſimæ, mulierum ſanctiſſimæ, & Chriſti Salvatoris Matris digniſſimæ Sponſus extiterit: *Joſeph virum Mariæ.* Unde ſi quis a me quærat, qualis & quantus fuerit Joſephus? Hoc ſolum reſpondebo,

Digitized by Google

bo, quod fuerit *vir Mariæ*; & poſtquam illum ut Chriſti patrem commendavi, nil altius, nilque eminentius ad ejus laudem promovere valeo, quam quod Deiparæ Sponſus fuerit: *Non enim ſcio, quid amplius dicere neceſſe ſit*. Quare de Joſepho, ut Mariæ Sponſo, tota hæc erit Concio, &c. *Ave.*

VErum, licitum, & ſanctum fuit Sancti Joſephi cum Beata Vergine Maria conjugium: *Verum*, quia vere Joſeph deſponſatus eſt eam: *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph. Matth.* 1. 18. *Licitum*, quia licet uterque virginitatem voviſſet, per Spiritus Sancti inſpirationem noverant, nullum violandi voti fore periculum. *Sanctum*, quia per hoc matrimonium Sanctus Joſeph tutatus eſt famam & virginitatem Beatæ Virginis, ac pueri Jeſu cuſtos & nutritius factus eſt. O admirabile conjugium! O admirabiles conjuges Joſeph & Maria! Mirabilis ſponſus, mirabilis ſponſa! & ut de ſolo ſponſo loquar, Joſephus fuit ſpoſus nobiliſſimus, ſanctiſſimus, & feliciſſimus. Sanctus Joſeph eſt: 1. *Sponſus nobilis* per claros nobilitatis titulos quibus floret: 2. Eſt *Sponſus ſanctus* per virtutes & merita quibus affluit: 3. Eſt *Sponſus felix* per glorioſam affinitatem quam contrahit. Videamus nobilitatem, ſanctitatem, & felicitatem Joſephi Mariæ ſponſi: *Joſeph virum Mariæ.*

PRIMA PARS.

Sanctus Joſeph eſt ſponſus nobiliſſimus.

EX ſtirpe, & moribus nobilem extitiſſe Joſephum docet Sanctus Bernardus: *Nobilis*, inquit, *genere, mente nobilior. Homil. 3. ſuper Miſſus.* Solam generis nobilitatem in ſancto hoc Mariæ ſponſo nunc inquiro, eamque illuſtriſſimam eſſe probant; 1. *Qualitas filii David*, quæ illi juſte tribuitur: 2. *Genealogia domus ejus*, qua præclarior alia eſſe nequit: 3. *Arma ejus gentilitia*, quibus clariora aliqua eſſe non poſſunt.

1. Ad mundi converſionem faciendam plebejos & indoctos viros elegit Chriſtus: *Ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus.* 1. *Cor.* 1. Congruum erat, quod ad tale miniſterium doctos & nobiles viros non aſſumeret, ne eorum ſapientiæ, & nobilitati adſcriberentur mirabilia, quæ per illos Deus operaretur; ſed non congruebat, ut Chriſtus Rex regum, ab ignobili homine nutriretur, nec credendum eſt, Patrem æternum Joſephi curæ unigenitum filium ſuum tradidiſſe, niſi ex nobili ſanguine oriundus eſſet. Nobilis quidem erat Joſephus, ejuſque nobilitatem teſtatus eſt Deus, cum eum ab Angelo filium David vocari voluit: *Joſeph filii David*; *Matth.* 1. 20. non enim ſine fundamento ſic vocatus eſt; quia revera tanta ejus erat nobilitas, ut de regia Davidis ſtirpe recta deſcenderet *eo quod de domo & familia David*, *Luc.* 2. 4. inquit S. Lucas Evangeliſta. Unde infert S. Bernardus, certiſſimum & indubitatiſſimum eſſe, quod Joſephus Davidis filius extiterit, & a regia ſanctiſſimi illius Prophetæ ſtirpe deſcenderit: *Vere*, inquit, *de domo David, vere de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Joſeph. S. Bernardus ubi ſup.* Advertit S. Chryſoſtomus, Joſephum dictum eſſe non ſolum de domo, ſed etiam de familia David, ad hoc ut nullo modo dubitari poſſet, eum vere a regia Davidis ſtirpe originem ducere: *Cum multæ*, inquit, *eſſent ex tribu Juda familiæ, non utique omnes a David genus trahebant, ſed ne iſtud hic diceres, præveniens Evangeliſta prorſus excluſit ſuſpicionem tuam, non ſolum ex domo, verum etiam ex familia David eum eſſe confirmans. Chryſoſtomus in cap. 1. Matthæi.*

In veteri Teſtamento lege ſancitum erat, ut ſponſus, & ſponſa ejuſdem eſſent tribus: *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua: cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familia. Num.* 36. 7. Quæ lex ſi non omnes penitus ligabat (ut nonnulli auctores ſentiunt) ligabat tamen haud dubie puellas, quæ deficiente prole maſcula, in hæreditatem patris ſuccedebant, ne illa hæreditas per conjugium ad aliam tribum tranſiret: Joachim autem non habuiſſe maſculos filios conſtat, quare cum Joſephus Mariam Joachim filiam deſponſaverit, ejuſdem tribus eſſe debebat Joſephus, cujus erat Maria, puta, tribus Juda. Et quia in tribu Juda variæ erant familiæ & cognationes, inter quas eminebat illuſtris & regia Davidis familia, ex qua orta erat Maria; ex ea etiam procul dubio ortus erat ſponſus Mariæ Joſephus: *Vere de domo David, vere de regia ſtirpe deſcendit vir iſte Joſeph.*

Ex familia Davidica ortum Chriſtum, ipſo Sole clarius eſt. Hoc declaravit Angelus dicens: *Dabit illi Dominus ſedem David patris ejus. Lucæ* 1. Hoc turbis notum erat, ut enim dicitur Matthæi 12. *Stupebant omnes turbæ, & dicebant: nunquid hic eſt filius David?* Ipſi cæci hoc videbant; cum enim habetur Matthæi 9. *Secuti ſunt Chriſtum duo cæci clamantes, & dicentes: miſerere noſtri fili David.* Poſito autem tamquam certiſſimo, quod Chriſtus fuerit filius David, Davidis etiam filius fuit Joſephus, quia ejuſdem familiæ eſt Chriſtus, cujus eſt Joſephus, & eadem utriuſque eſt genealogia. Unde S. Bernardinus Senenſis, cum aliis quamplurimis aſſerit Joſephum ita fuiſſe filium David, & ita ex Regia Davidis ſtirpe deſcendiſſe, ut regni David legitimus ſucceſſor & hæres extiterit. Fuit ergo Joſephus ſponſus nobiliſſimus, ſi attendatur qualitas filii David, quæ illi juſte datur; ſed fuit etiam ſponſus nobiliſſimus, *ſi ſpectetur genealogia domus ejus, quæ illuſtrior eſſe nequit.*

2. Cum omnes ex protoparentibus Adamo & Eva deſcendamus, cur non omnes æque ſumus nobiles? hanc quæſtionem movebat antiquitus quidam Poeta ſequenti dyſticho.

Si pater eſt Adam cunctis, ſi mater & Eva,
Cur ne omnes ſumus nobilitate pares?

hoc dubium facile ſolvitur, dicendo, quamplurimos ex Adæ filiis a primæva nobilitate deſciviſſe, & per vitia, quibus adhæſerunt, ignobiles & ruſticos factos eſſe, nec non ignobiles filios genuiſſe.

Degenerant homines vitiis, fiuntque minores;
Exaltat virtus, nobilitatque genus.

& ob hanc cauſam a mundi primordio ex hominibus alii nobiles fuere, & alii ignobiles; ex filiis Adam, Abel & Seth, quia fuere juſti & virtute præditi, a parentibus ſimul cum ſanguine ſibi infuſam

fuſam ſervaverunt nobilitatem; Cain vero ea infeliciter cecidit, fuſque vitiis ignobilis & plebejus factus eſt. Poſt diluvium ex filiis Noe alii nobiles, & alii ruſtici extitere; Sem etenim & Japhet acceptam a patre generis nobilitatem conſervarunt, & virtutibus ſuis exornaverunt; Cham vero ob crimina quæ perpetravit, ab hæreditaria decidit nobilitate, & fratrum ſuorum ſervus factus eſt. *Maledictus Chanaam, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Geneſ.* 20. Si autem nunc Joſephi genealogia ab Adamo uſque ad ipſum eſſet contexenda, probari poſſet ab Adamo uſque ad ipſum nobilem ejus extitiſſe genealogiam: quia, ut docent auctores, ab Adamo deſcendit Joſephus, non per Cainum, qui erat ignobilis, ſed per Seth, qui nobilis erat & ſanctus: a Noemo etiam deſcendit, non per Cham, qui maledictus fuit & ignobilis; ſed per Sem, qui nobilis & Rex extitit. *Carth. tom.* 4.

Licet nobilitentur mulieres ignobiles, cum viro nubunt nobili, ut habetur in L. fin. Cod. de incolis, lib. 10. ubi hæc leguntur verba: *Mulieres honore maritorum erigimur, & genere nobilitamur:* Vir tamen plebejus non nobilitatur per mulierem nobilem, quia mulier vilem mariti conditionem ſequitur, ait Ulpianus in lege fem. ff. de Senatoribus. Ab hac lege excipiuntur hi, quorum uxor eſt Regina, Princeps, aut Duciſſa, qui uxoribus ſuis nobilitantur, ut docent multi apud Tiraquellum de nobilitate cap. 18. Quare licet ex ſe non fuiſſet nobilis Joſephus, nobilitatus fuiſſet per Mariam conjugem, quæ non ſolum Iſraelitici, verum & totius mundi erat Regina. Sed a Sponſa nobilitari nonegebat Joſephus, ſi attendatur ejus genealogia, in qua recenſentur Rex Salomon, Rex Roboam, Rex Abias, Rex Aſa, aliique multi Reges: unde Joannes Gerſon Joſephum a regali genealogia illuſtrem proclamat; *Joſeph Regali ex progenie illuſtris*. Sed ut perfectius adnotetur, quam nobilis & quam illuſtris fuerit Joſephus per Majorum ſuorum genealogiam, legatur, ſi libet, primum Evangelii S. Matthæi caput, in quo S. Joſephi genealogia a ter quatuordecim generationibus contexitur, & in ea Reges multi, Patriarchæ multi, nec non multi recenſentur Prophetæ. Ex quo patet Joſephum eſſe virum nobiliſſimum, ſi ejus ſpectetur genealogia. *Sed fuit etiam ſponſus nobiliſſimus, ſi ejus ſtemmata inſpiciantur.*

3. In Magnatum domibus gentilitia ſtemmata, velut hæreditarii & fugentes nobilitatis rituli, ſollicite ſervantur; iiſque viri quique illuſtriſſimi utuntur, tamquam domeſticis characteribus, quibus ſuam prodant nobilitatem, ſuamque familiam ab aliis diſtinguant. Sic Summus Pontifex Tbiaram cum binis clavibus, Imperator Aquilam bicipitem, & Galliæ Rex tria lilia aurea in campo cæruleo pro inſignis geſtant. Ipſa etiam Eccleſia Catholica vult SS. imagines propriis ipſorum ſtemmatibus exornari; ſic in tabella S. Joannem Baptiſtam adumbrante pro inſignibus apponitur Agnellus; S. Joanni Evangeliſtæ pro gentilitiis ſtemmatibus datur aquila, D. Petro bina clavis, gladius D. Paulo, S. Laurentio craticula, cor accenſum S. Auguſtino, Seraphico Patri ſancto Franciſco ſtigmata, & S. Dominico canis accenſam facem deferens. Sed his omnibus longe nobiliora & illuſtriora ſunt Joſephi inſignia: cum ei Deus in gentilitia ſtemmata *Jeſum & Mariam* dederit. Angelus etenim eum ex parte Dei alloquens, ait: *Accipe puerum, & Matrem ejus; Matth.* 2. 20. quaſi diceret: Joſeph, accipe Jeſum & Mariam; hi ſunt illuſtriſſimi nobilitatis tuæ tituli; hæc ſunt pretioſiſſima, & fulgentiſſima ſtemmata de cælo deſcendentia, quæ Deus velut nobilitatis tuæ inſignia, tibi largitur. Et revera depingi ſolet Joſephus una manu Jeſum, & altera Mariam tenens, ut notum fiat omnibus, Jeſum & Mariam eſſe auguſtiſſimos nobilitatis ejus characteres, & veluti arma gentilitia ipſi a Patre æterno per Angelum miſſa; *Accipe Puerum, & Matrem ejus.*

Qui de ſtemmatibus erudite diſſerunt, *alia* dicunt eſſe ſtemmata loquentia, quæ ſcilicet quaſi loquuntur, ut indicent qui ſint hi, qui talibus inſigniuntur; *alia* dicunt eſſe dominii, quæ ſcilicet indicant auctoritatem, & dominium eorum, qui hiſce ſtemmatibus utuntur; & *alia* dicunt eſſe dignitatis, nempe quæ manifeſtant dignitatem eorum, qui talia ſibi adſciſcuntur ſtemmata. Jeſus autem & Maria, reſpectu S. Joſephi, ſunt ſtemmata loquentia, quia eum unius Patrem, & alterius Sponſum eſſe indicant. Sunt etiam ſtemmata dominii, quia ei data ſunt ut agnoſcant omnes, Joſephum ſuper utrumque aliquod habere dominium. Sunt tandem dignitatis ſtemmata, quia in Joſepho maximam arguunt dignitatem, in hoc eum Chriſti Patrem, & Mariæ Sponſum extitiſſe manifeſtant. Sumant ergo alii pro gentilitiis ſtemmatibus leones, & urſos, leopardos, aquilas, Solem, Lunam, & aliæ quæ voluerint: Joſephi longe illuſtriora ſemper erunt ſtemmata, cum pro ſtemmatibus Jeſum & Mariam acceperit: *Accipe puerum, & matrem ejus.* O quam glorioſa ſunt hæc Joſephi inſigna! ſed o quam mirabilis ejus extitit nobilitas! & o quam multa eum Sponſum nobiliſſimum eſſe probant: *ſed fuit etiam Sponſus ſanctiſſimus.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Joſeph eſt ſponſus ſanctiſſimus.

Tanta Joſephi extitit ſanctitas, ut eum Spiritus Sanctus juſtum & ſanctum per excellentiam vocet: *Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus. Matth.* 1. 19. Non enim *juſtus* appellatur ab unica ſpeciali juſtitiæ virtute, ſed a juſtitia & ſanctitate, quæ omnes virtutes includit, *Joſeph vocari juſtum attendit, propter omnium virtutum perfectam poſſeſſionem. S. Hieronymus in hæc verba.* Maximam ejus extitiſſe ſanctitatem multa mihi ſuadent, & præcipue Dei providentia, Chriſti contubernium, & Mariæ erga illum amor. 1. *Dei providentia*, quæ illum ad altiſſima myſteria ſublimavit. 2. *Chriſti contubernium*, quo ad illum ineffabilis ſanctitas manavit. 3. *Mariæ amor*, quæ illi ingentem gratiarum copiam precibus ſuis impetravit.

1. De electione Davidis in Regem præclare dixit Chryſoſtomus, quod Deus, præviſis, & examinatis omnibus qui ad hoc munus aſſumi poſſent, Davidem tanti eſſe meriti viderit, ut illum præterire non potuerit, quin eum ad ſolium regale ſublimaret; *Cum Deus examinaſſet cunctos, plurimoſque pra-*

Digitized by Google

prævidiſſet, e quorum numero eligeret Regem, invenit tandem David, cujus meritum tranſire non potuit. S. Chryſoſt. hom. de Davide & Gol. Similem in modum dici poteſt, Deum vigilanti ſtudio, ac diligenti cura inter filios hominum quæſiiſſe Virum S. & aptum in Mariæ ſponſum, in Chriſti Patrem nutritium, & in utriuſque periculis defenſorem: exploravit Deus ſanćtitatem, & merita ſingulorum mortalium, cumque alios præteriiſſet, tanta ſanćtitate, tantis virtutibus, tantiſque meritis Joſephum exornatum vidit, ut eum præterire non potuerit; quare ex æquiſſima providentiæ ſuæ ordinatione, eum ad tam ſublimia miniſteria obeunda elegit. Immo & ordinavit Dei providentia, ut Joſeph, qui ſanćtus erat, magis ſanćtificaretur, ad hoc ut ad tanta miniſteria glorioſe præſtanda aptior efficeretur; volo, inquit Deus, ut Joſephus *qui ſanćtus eſt, ſanćtificetur adhuc.* Volo, ut ſicut Maria eſt omnium creaturarum ſanćtiſſima, ita & Joſephus, quem in ſponſum ejus elegit, ei ſit ſimilis, maximaque ſanćtitate præfulgeat; *Sicuti decuit, ut Maria tanta puritate niteret, qua major ſub Deo nequit intelligi, ſic beatiſſimus Joſeph fuit ſuper omnes homines purus, ſimilis Virgini glorioſæ. Gerſon ſerm. de Nativ. Virg.*

Poſtquam Deus Adamum creavit, dixit: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Geneſ. 2. 18.* Eodem plane modo: poſtquam Mariam in Chriſti Matrem elegit Deus, dixiſſe videtur, non eſt bonum Virginem Matrem Chriſti eſſe ſolam, ne partu pudicitiam violaſſe videatur, & ne magna ignominiæ nota afficiatur; quare *faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*; demus ei ſponſum ſibi ſimilem in virginitate, in humilitate, in charitate, & in omni virtutum genere, ſit ſponſus ejus Joſeph, ſed ſponſus omni virtute præditus, & ei in ſanćtitate ſimillimus. Sic ſe geſſit Deus erga Joſephum, inquit S. Bernardinus, nec penſandum, quod Deus, cujus providentia eſt admirabilis, Virgini ſanćtiſſimæ ſponſum dare voluerit, niſi ſanćtiſſimum, & ei in ſanćtitate ſimilem: *Quomodo*, inquit, *cogitare poteſt mens diſcreta, quod Spiritus Sanćtus tanta unione* (conjugii ſcilicet) *uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, niſi ei virtutum operatione ſimillimam? S. Bern. ſer. de S. Joſepho.* Addit Gerſon, Deum Mariæ ita Joſephum ſimilem effeciſſe, ut ſicut & illa, in matris utero fuerit ſanćtificatus, necnon in gratia confirmatus; & licet doćtiſſimus hic Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius aſſerere non audeat, nec debeat, Deum feciſſe Joſephum Mariæ in ſanćtitate æqualem, eum tamen in ſanćtitate ſimilem feciſſe aſſerit; *Fuit ſuper omnes homines purus, ſimilis Virgini glorioſæ. Ubi ſup.* O magnam Joſephi ſanćtitatem! o quam magna eſt Joſephi ſanćtitas per Dei providentiam! *Sed maximam etiam ejus ſanćtitatem fuiſſe ſuadet Chriſti contubernium.*

2. Joſephum Patriarcham benedicens pater ejus, dixit: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens: Gen. 49. 22.* vel, ut habet alia verſio: Joſeph *filius creſcens juxta fontem.* Quod perfećte noſtro congruit Joſepho; fons enim omnium gratiarum erat Chriſtus, juxta quem ſedebat, dormiebat, & vigilabat Joſephus: & juxta quem in omni ſanćtitate creſcebat. *Chriſtus*, ut docet D. Thomas, *eſt principium gratiæ, ſecundum divinitatem quidem aućtoritative, ſecundum humanitatem vero inſtrumentaliter: D. Th. 3. p. q. 27. art. 5.* Unde omnes a Chriſto gratiam accipiunt: *De plenitudine ejus omnes accepimus; Jo. 1.* ab eo gratiam acceperunt omnes Apoſtoli, omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ & omnes juſti, ac etiam omnes Angeli: ſed majorem a Chriſto gratiam & ſanćtitatem accepiſſe videtur Joſephus, quam omnes alii, excepta Maria: quia omnibus aliis propinquior fuit, & juxta illum, ſeu in illius contubernio, gratia & ſanćtitate crevit: *Filius accreſcens Joſeph.* Quod ne ſine gravi fundamento dićtum credatur, ſciendum ex eodem Doćtore Angelico, quod *quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effećtum illius principii: D. Th. ubi ſup.* & ſic quo aliquid magis propinquat Soli, eo majorem claritatem & illuminationem recipit: quo etiam quis magis appropinquat igni, eo magis caleſit: quare cum Joſephus, una excepta Maria, Chriſto, omnis gratiæ & ſanćtitatis principio, propinquior fuerit; tum quia ejus pater erat, tum quia illum videbat, tangebat, amplexabatur, & frequens oſculabatur; credendum quod maximam a Chriſto gratiam & ſanćtitatem receperit.

Sanćti amoris igne accenſa Sponſa dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te? Cant. 8. 1.* Invenit feliciter Joſeph quod deſiderabat Sponſa, invenit æternum Dei Verbum foris, cum invenit in hoc mundo incarnatum, cum amplexatus eſt, eum deoſculatus eſt, cum illo converſatus eſt, & ex familiari ejus contubernio maximam ſanćtitatem aſſecutus eſt. Si enim S. Joannes Baptiſta in matris utero ſanćtificatus eſt, cum ad Chriſtum appropinquavit; & ſi S. Joannes Evangeliſta ſanćtiſſimus, & Chriſti amiciſſimus prædicatur, quia ſemel ſupra pećtus ejus caput ſuum reclinavit; quanto ſanćtior credendus eſt S. Joſephus, qui non ſolum ad Chriſtum appropinquavit, nec ſemel illum tetigit, ſed ſæpiſſime illum brachiis tulit, illum amplexatus eſt, illi cibaria miniſtravit, illique veri patris officia ſtudioſiſſime perſolvit? Certe ad ſanćtitatis aućtorem, & principium tam frequenter accedere nequibat, quin ex ejus contubernio maximam ſanćtitatem percipere mereretur: *Joſephus*, ut ait Sanćtus Bernardinus, *cohabitando cum Jeſu admirandas gratias & virtutes adeptus eſt. Ubi ſupr.* Sed maximam etiam extitiſſe Joſephi ſanćtitatem ſuadet *amor Mariæ, quæ illi ingentem gratiarum copiam impetravit.*

3. Perfećtiſſime noverat Maria, Deum ſibi Joſephum in ſponſum, & in virginitatis ſuæ tutelarem Angelum dediſſe: quare ardentiſſimo ſimul & caſtiſſimo illum proſequebatur amore: *Totius cordis affećtu S. Joſeph ſinceriſſime diligebat. Ubi ſup.* inquit S. Bernardinus. Hoc autem amoris igne ſuccenſa Maria, Deum enixe deprecabatur, ut ſponſum & puritatis ſuæ cuſtodem Joſephum ſanćtitate, & donis cæleſtibus repleret: quare cum Maria pro peccatoribus & miſeris orans, a Deo nunquam repulſam paſſa ſit, ejuſque preces Deus ſemper exaudierit: quanto magis exaudita eſt, inquit Sanćtus Bernardinus, cum pro digniſſimo ſuo Sponſo ingentem gratiarum copiam, & cæleſtia dona a Deo petiit: *Cum Maria tot & tanta impetret peccatoribus ſceleratis;*

quanta, putas, impetraverit chariſmata Joſepho ſponſo? Ubi ſup.

Maria vocatur Mater & Regina miſericordiæ, quia precibus ſuis gratiam & miſericordiam innumeris peccatoribus obtinet: *Mariæ virtute & precibus innumeræ peccatorum converſiones fiunt*, inquit S. Methodius Martyr, *in Hypopant. Dom.* & S. Idelphonſus ait, per Mariæ preces multos peccatores juſtificari, Deique amicos & ſanctos fieri: *Hæc eſt iſta ſancta mulier, quæ pro nobis preces effundens, de inimicis amicos, de injuſtis juſtos, de peccatoribus juſtificatos, & de maledictis a Deo recedentibus, benedictos ad Deum accedentes efficit. Idelph. l. de excell. Virg. c. 1.* Multi alii ex SS. Patribus beneficia recenſent quæ peccatoribus obtinet Maria: & gratias enumerant, quas iis a Deo impetrat; ex quo probe infert S. Bernardinus, quod ſi per Mariæ preces peccatores ſanctificentur, multaque a Deo beneficia obtineant, certum eſt a fortiori, Joſephum ejus ſponſum, quem ſumme diligebat, maximam gratiarum affluentiam, & præcellentem ſanctitatem a Deo precibus ejus impetraſſe, *Cum Maria tot & tanta impetret peccatoribus ſceleratis, quanta putas impetraverit chariſmata Joſepho ſponſo?* Tantam & per Chriſtum & per Mariam & per ſeipſum ſanctitatem Joſeph obtinuiſſe cenſet Pariſienſis Cancellarius, ut ad altiores Cæli ſedes ſit evectus, & immediate poſt Chriſtum & Mariam in Cælo ſit collocatus: *Iſte proximior Chriſto videtur collocandus in Cælis, qui in miniſterio obſequentior poſt Mariam inventus eſt in terris. Ubi ſup.* O ſponſum vere ſanctiſſimum! *qui fuit etiam feliciſſimus.*

TERTIA PARS.

Sanctus Joſeph eſt Sponſus feliciſſimus.

SI, ut ait Sapiens, *mulieris bonæ beatus vir*; *Eccl. 26. 1.* o terque, quaterque, & millies beatum, immo & omnium hominum feliciſſimum Joſephum B. Virginis Mariæ Virum, quæ cunctos homines, Angeloſque bonitate, & ſanctitate ſuperat. Sed ne hic non Joſephi, ſed Virginis panegyricum contexere videar, aliunde Joſephi felicitatem auſpicor, ab affinitatibus ſcilicet quas contraxit: ſi enim felicem ſe eſſe arbitratur ſponſus, cum per matrimonium quod contrahit, perſonarum potentiſſimarum & clariſſimarum ſit affinis, feliciſſimus quidem extitit Joſephus, & omnibus aliis ſponſis longe felicior, quia per matrimonium quod cum Maria iniit, factus eſt trium altiſſimæ Trinitatis perſonarum affinis per illud enim factus eſt, 1. Pater cum Patre æterno: 2. Filius cum Filio: 3. Sponſus cum Spiritu Sancto.

1. Chriſtus Dominus, ut Verbum, a Patre æterno eſt genitus: hic eſt Verbum divinum & ſubſtantiale, quod cor, ſeu intellectus Patris æterni produxit: *Eructavit cor meum verbum bonum. Pſ. 44.* Hic eſt ſapientia increata, quæ ex ore, ſeu ex intellectu fœcundo Patris æterni ante omnem creaturam proceſſit: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Eccli. 24.* Hic tandem eſt Patris æterni filius, quem ante Luciferum genuit: *Ante Luciferum genui te. Pſ. 109.* Unde Chriſtum eum patrem vocat, eum ut patrem agnoſcit, eumque ut patrem diligit & veneratur. O Patrem mirabilem, qui Deus eſt, qui æternus eſt, qui immenſus eſt, & qui in omni perfectionis genere infinitus eſt! ſed o quam felix factus eſt Joſephus per matrimonium quod cum B. Virgine Maria contraxit, cum per illud ſimul cum æterno Patre, factus ſit Chriſti Pater: erat Pater æternus Chriſti (ut Verbi) Pater ab æterno: & S. Joſephus nubens Mariæ, factus eſt Chriſti (ut hominis) pater in tempore; ut enim ait Rupertus Abbas, ſi Joſephus eſt vir Mariæ, eſt etiam pater Chriſti, quem Maria genuit: *Si eſt vir Mariæ, eſt pater Domini. Rup. in c. 1. Matth.* Chriſti pater eſt Joſephus, non quidem quod illum genuerit; ſed eſt pater ejus legalis & legitimus ratione matrimonii rati non conſummati, quo fit dominus filii qui ſupernaturaliter in ſanctiſſimo Virginis utero formatur: ſi enim fons in alicujus horto miraculoſe oriretur, ad illum ſane attineret, cujus eſſet hortus; Maria autem eſt *hortus concluſus, Cant. 4. 12.* attinens ad Joſeph ratione matrimonii; quare cum in hoc horto Chriſtus per operationem Spiritus Sancti miraculoſe ſit natus, ad Joſephum Chriſtus attinet, & Chriſti pater Joſephus dicendus eſt: *Si eſt vir Mariæ, eſt Pater Domini. Cant. 4. 12.* Quod ita verum eſſe cenſuit Cancellarius Pariſienſis, ut Joſephum Chriſti patrem eſſe dicat, non ſolum in hominum æſtimatione, aut ex eo quod illum enutriverit; ſed ex hoc maxime, quod vir fuerit Mariæ, quæ illum vere genuit: *Fuit*, inquit, *Joſeph pater Jeſu reputatione; fuit pater nutritione, quia nutritius fuit; fuit tertio pater generatione, non quidem ſua, ſed Mariæ uxoris ſuæ, cooperante Spiritu Sancto. Gerſon. ſer. de Nat. Virg.*

Juxta veteris Teſtamenti Leges, cum vir quidam non habens liberos, moriebatur, mortui frater viduam ejus in matrimonium ducebat, ut defuncto fratri filios excitaret; & filii qui ex hoc ſecundo oriebantur matrimonio, prioris mariti jam mortui dicebantur filii, ipſeque illorum vocabatur pater. *Genes. 38.* In Joſepho quid ſimile intueor; ipſe etenim Mariæ Virginis erat ſponſus, ſed ſponſus erat ſecundum carnem mortuus per virginitatis votum quod emiſerat; S. autem Spiritus fratris in hoc caſu functus eſt officio; quia Mariam in ſponſam ſumpſit, & in ſinu Mariæ, quæ etiam Joſephi moraliter mortui ſponſa erat, Chriſti corpus miraculoſe formavit; & ſic juxta veteris Teſtamenti Leges, Joſeph eſt verus Chriſti pater, non quod illum genuerit, ſed quia uxor ejus Maria per Spiritus Sancti operationem illum miraculoſe genuit: *Fuit pater generatione, non quidem ſua, ſed Mariæ uxoris ſuæ, cooperante Spiritu Sancto.* Eſt ergo S. Joſephus ſimul cum Patre æterno, Chriſti Salvatoris pater. Unde ſicut Pater æternus de Chriſto dixit: *Hic eſt filius meus dilectus: Matth. 3. 27.* ita & S. Joſeph de Chriſto dicere poterat: *Hic eſt filius meus dilectus.* O quam felix ſponſus fuit Joſephus, qui per matrimonium quod cum Maria contraxit, factus eſt Chriſti pater cum Patre æterno, *& factus eſt etiam filius cum filio.*

2. Chriſtus, ut Verbum, eſt verus Patris æterni filius, qui ab eo vere fuit genitus: *Ego hodie genui te.* Spiritus Sanctus a Patre æterno procedit, & ab eo vere eſt productus; non ideo tamen ejus eſt filius: hoc enim ſoli Chriſto, ut Verbo, competit: quia ſolus Chriſtus, ut Verbum, ex vi proceſſio-

nis

nis ſuæ a Patre æterno in ſimilitudinem naturæ producitur. Sicut autem Chriſtus, ut Verbum, eſt Patri æterni Filius: ita Joſephus, ut Mariæ ſponſus, eſt ſpeciali quodam modo Patris æterni filius. Verum eſt, omnes penitus homines Patris æterni aliquo modo eſſe filios per creationem, quia ab eo omnes fuere creati; omnes juſti vocari etiam poſſunt Patris æterni filii per adoptionem, quia per gratiam ſanctificantem, qua juſtificantur, Dei fiunt filii adoptivi. Sed ſicut Maria eſt ſpecialiori quodam modo Patris æterni filia, *Filia Dei Patris*; ita & Joſephus, ut Mariæ ſponſus, eſt ſpecialiori quodam modo Patris æterni filius.

Maria eſt ſpecialiori modo Patris æterni filia per ſpecialiorem quam cum illo habet ſimilitudinem. Sicut enim nos filii Dei adoptivi efficimur per gratiam, quæ nos divinæ naturæ ſimiles facit: *Divinæ conſortes naturæ*; 2. Petr. c. 4. ita Beata Virgo Maria fit ſpecialiori quodam modo Patris æterni filia adoptiva per ſpecialiorem, quam cum illo habet ſimilitudinem; ſpecialior autem illa Mariæ ſimilitudo cum Patre æterno, qua ſpecialiori modo fit ejus filia, in hoc conſiſtit, ut ait S. Ambroſius, quod Maria unum & eundem cum Patre æterno filium habeat: *Unus & idem ipſe qui filius Dei eſt, in una persona eſt filius Mariæ. Ambr. l. de excell. Virg. c.* 3. Unde ſicut Pater æternus Chriſtum vocat filium ſuum: *Hic eſt filius meus dilectus*; ita & Maria Chriſtum filium ſuum nominat: *Fili quid feciſti nobis ſic? Luc.* 2. 48. & hæc Mariæ cum Patre æterno ſpecialior ſimilitudo eam ſpecialiori modo filiam ejus efficit. Joſephi autem par quædam cum Patre æterno eſt ſimilitudo; quia Chriſtus, qui Patris æterni eſt filius, eſt etiam Joſeph filius: quare ſicut Maria eſt Patris æterni filia per ſimilitudinem, quia eundem habet filium cum illo; ita & Joſephus eſt Patris æterni filius per ſimilitudinem, quia habet eundem filium cum illo. Unde Joſephus ſimul cum Chriſto eſt filius Patris æterni. Chriſtus, ut Verbum, eſt Patris æterni filius per veram generationem; & Joſephus eſt Patris æterni filius per ſimilitudinem. O magnam Joſephi felicitatem! ſe feliciſſimam proclamabat S. Eliſabeth, eo quod Chriſti mater eam inviſerit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Luc.* 1. 63. Sed o quam felicior factus eſt Joſephus per nuptias, quas cum Maria contraxit; cum per tale matrimonium factus ſit non ſolum pater Chriſti cum Patre æterno, ſed etiam filius cum filio; *immo & Mariæ ſponſus ſimul cum Spiritu Sancto*.

3. Duos habuit ſponſos Maria, nempe Spiritum Sanctum & Joſephum. Sponſus ejus fuit Spiritus Sanctus: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Luc. c.* 15. Sponſus etiam ejus extitit Joſephus: *Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph. Matth. c.* 18. Inter palmas, ut advertunt rerum naturalium periti, ſola palma femina fructum producit, ſed nunquam eſt fructifera, niſi ſub umbra palmæ maſculæ fuerit: Maria autem palma fuit procera, & exaltata, ratione altiſſimarum virtutum & perfectionum quibus floruit: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades. Eccli.* 24. 18. Hæc palma divinum dedit fructum, Chriſtum ſcilicet, & hunc fructum tulit ſub umbra duorum ſponſorum, puta Spiritus Sancti & Joſephi. Chriſtum genuit ſub Spiritus Sancti umbra: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Chriſtum etiam benedictum ventris ſui fructum genuit ſub umbra Joſephi, cui nupſit; *cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph*.

De duobus his Mariæ ſponſis præclare loquitur Petrus Cellenſis, dicens: *quaſi plebeja quidem deſponſatur; ſed tanquam cæleſtis Virgo virtute divina impregnatur. Pet. Cell. l. 6. de pan. c.* 21. Ex quibus verbis liquet, Joſephum fuiſſe Mariæ ſponſum; quia illam deſponſavit, ſicut alia plebeja deſponſari ſolet ab homine: Deuſque eam a Joſepho ſic deſponſari voluit, ut Chriſtus putaretur Joſephi filius: *Quaſi plebeja quidem deſponſatur. Ildeph. l. de V. M. c.* 1. ſed his verbis liquet etiam quod alium habeat ſponſum Maria, nempe Spiritum Sanctum, cujus divina operatione in Virginis utero corpus Chriſti miraculoſe formatur: *virtute divina impregnatur*. Duo autem illi Mariæ ſponſi illæſam ejus ſervavere virginitatem, fuitque *virgo ex Deo, virgo ex homine*, ut loquitur S. Ildephonſus: Maria fuit *Virgo ex Deo*, quia Spiritus Sanctus illibatam ejus ſervavit virginitatem. *Virgo eſt quæ Deo nubit*, inquit S. Ambroſius: fuit etiam *Virgo ex homine, Ambr. l. de Virg.* quia Joſephus virgo fuit, & virgo permanſit: *Dico ipſum Joſeph Virginem fuiſſe, ut ex virginali conjugio Virgo filius naſceretur. S. Hier. contra Helvid.* Quantus ergo inſuit honos Joſepho, ex hoc quod ſimul cum Spiritu Sancto, Mariæ ſponſus extiterit! ſed o quanta Joſephi felicitas, quod tam ſublimem, & tam divinam contraxerit affinitatem!

Fuit Joſephus ſponſus nobiliſſimus, ſi ſpectentur qualitas *filii David*, quæ illi juſte datur; *genealogia domus ejus*, qua præclarior eſſe nequit; & ejus gentilitia ſtemmata, quibus clariora eſſe non poſſunt. Fuit etiam Joſephus ſponſus ſanctiſſimus, *tum per Dei providentiam, tum per Chriſti contubernium, tum per Mariæ preces*. Sed fuit tandem Joſephus ſponſus feliciſſimus, quia per matrimonium quod cum Maria iniit, quamdam cum tribus perſonis divinis contraxit affinitatem & ſimilitudinem: fuit enim *Pater cum Patre æterno, filius cum Filio, & ſponſus cum Spiritu Sancto. Bern.* 4. *part. ſer.* 12. O mirabilem ſponſum! magnus quidem fuit Joſephus, quia Chriſti Pater; ſed magnus etiam, & non ſatis commemorandus, quia Mariæ ſponſus. Hæc ſerio verba ponderate; *Joſeph virum Mariæ*, & quid magnum, quid auguſtum, quidve ſupra modum ſublime de Joſepho penſabitis. Sed ſi Joſephus ſponſus fuit nobiliſſimus, ſanctiſſimus & feliciſſimus in hoc mundo, eſt nunc ſponſus potentiſſimus in cælo.

Inſignis Concionator *Bernardinus de Buſtis*, ut indicet potentiſſimum eſſe Joſephum ad impetrandum a Deo favores in gratiam ſuorum clientum, ait, quod *cum Chriſtus duas haberet claves Paradiſi, unam dedit Matri ſuæ, & aliam ſponſo ejus Joſepho*. S. etiam Joſephum ut commune propitiatorium proponit Doctor Angelicus; aliis namque Sanctis, inquit, in aliqua neceſſitate nobis ſubvenire datum eſt, ſed S. Joſepho in omnibus: *ſanctiſſimo Joſeph in omni neceſſitate conceſſum eſt opitulari. D. Thom. in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 2. Hoc probe noverat S.

Virgo Thereſia, quæ filiabus ſuis ſpiritualibus dictitabat, ut multos apud Deum intercesſores & patronos habere conarentur, & præcipue Joſephum Chriſti patrem, & Mariæ ſponſum dignisſimum; quippe qui in cælo eſt potentisſimus. Beatæ virginis Thereſiæ ſalutari huic adhærete conſilio; in omnibus necesſitatibus veſtris, ſive ſpiritualibus, ſive corporalibus, ad Sanctos accurrite, eorum auxilium & patrocinium ſupplices poſtulate; ſed ad S. Joſephum in primis advolate, eum crebro magno cum fervoris & reverentiæ affectu rogate, ut ſuo vos foveat patrocinio. Si gravis quædam vos tentatio urgeat, *ite ad Joſeph; Geneſ.* 41. 55. ſi inordinata quædam pasſio vos ad peccatum alliciat, *ite ad Joſeph*; ſi vitium aliquod eradicare, virtutem aliquam asſequi cupitis, *ite ad Joſeph*: in omnibus necesſitatibus auxilium ejus implorate, eique devote cum S. Bernardino Senenſi dicite: *Memento noſtri beate Joſeph, & tuæ orationis ſuffragio apud tuum putativum Filium intercede; ſed & beatisſimam Virginem ſponſam tuam nobis propitiam redde, quæ mater eſt ejus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.*

DE SANCTO BENEDICTO.

CONCIO UNICA.

Tamquam prodigium factus ſum multis.
Pſalm. 70. 7.

SIcut ſua monſtra habet natura, ita & prodigia ſua habet gratia. Cum inter animantia aliquod invenitur mancum, ac multum deforme, illud vocamus monſtrum; & cum inter Sanctos aliquem ſcientia, gratia, miraculis, vel virtutibus prælucentem videmus, illum prodigium eſſe dicimus. Unde hæc eſt differentia inter naturæ monſtra, & gratiæ prodigia, quod monſtra, (quæ cum timore & horrore inſpicimus) ſunt effectus, ſeu fœtus, a recta & ſolita ſpeciei ſuæ diſpoſitione degenerantes, & inſigni aliquo vitio, aut errore, ab ea deflectentes: *monſtris & portentis, naturalium forma turbatur; Tertull. Apol.* 20. prodigia vero ſunt effectus extraordinarii, & perfectisſimi, a natura per gratiam elevata, & nobilitata formati, qui cum admiratione & reverentia conſpiciuntur: *venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Pſ.* 45. 9. Non aberrantis & deficientis naturæ monſtrum, ſed portentoſum divinæ gratiæ prodigium nunc proponam; nempe S. Benedictum, cujus tot fuere prodigia, quot opera; & qui pœnitentia & vitæ ſuæ ſanctitate Angelis & hominibus, regularibus, & ſæcularibus, toti denique mundo prodigium factus eſt: *prodigium factus ſum multis*. Venite ergo, & videte illud prodigium, quod poſuit Dominus ſuper terram, &c. *Ave.*

SAnctus Benedictus ſpectari poteſt *in antro*, in quo vitam auſteram & pœnitentem ſuſcepit; *in clauſtro*, in quo religioſam diſciplinam inſtituit; & *in Eccleſia*, quam miraculis & virtutibus ſuis illuſtravit. S. ille Abbas fuit in antro inſtar columbæ, quæ in foraminibus rupium planxit & gemuit: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; Cant.* 2. 14. hic fuit in clauſtro, quaſi alter Abraham, cujus ſemen in infinitum multiplicatum eſt: *Multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine; Geneſ.* 16. 10. fuit tandem in Eccleſia Dei, tanquam alter Elias, cujus ſpiritus & virtutes fuere admirandæ: *in ſpiritu & virtute Eliæ. Luc.* 1. 17. In his omnibus locis S. Benedictus pœnitentiæ, ſapientiæ & ſanctitatis ſuæ gravia edidit teſtimonia; ſed major ejus extitiſſe videtur pœnitentia in antro quod incoluit; ejus magis effulſit ſapientia in clauſtro, quod ſanctisſimis legibus & inſtitutis exornavit; ejus denique ſanctitatis odor ab antro, & a clauſtro per univerſam Eccleſiam diſperſus eſt. Quare ad S. hujus Abbatis laudem dicam, quod fuerit prodigium pœnitentiæ, ſapientiæ & ſanctitatis; fuit: 1. *prodigium pœnitentiæ* in antro, in quo diu habitavit: 2. *prodigium ſapientiæ* in clauſtro, quod ſanctis inſtitutis exornavit: 3. fuit *prodigium ſanctitatis* in Eccleſia, quam virtutibus & miraculis illuſtravit. S. Benedictus fuit *in antro* prodigium pœnitentiæ, *in clauſtro* prodigium ſapientiæ, & *in Eccleſia* prodigium ſanctitatis: en tres hujus orationis partes.

PRIMA PARS.

S. Benedictus in antro fuit prodigium pœnitentiæ.

JUlianus Epiſcopus Toletanus, cujus opera Bibliothecæ Sanctorum Patrum ſunt inſerta, pœnitentiam vocat *artem Dei*. Hujus artis Doctor fuit Chriſtus, cujus tot fuere diſcipuli, quot ab ipſo homines pœnitentes extitere: qui quidem artis illius non omnes æqualiter fuere periti; quia alii minus, & alii magis gravem pœnitentiam ſuſcepere. Sed S. Benedictus in hac arte fuit doctisſimus, portentoſa enim ejus extitit pœnitentia: quia cum adhuc eſſet juvenis, mundum fugiens, in tetrum ſeceſſit antrum, ibique innocens corpus ſuum quaſi vivum ſepelivit, jejuniis aſſidictavit, inter ſpinas volutavit, aliiſque ſeverioris pœnitentiæ & mortificationis operibus debilitavit.

Ut quis ſerio pœnitentiæ vacet, parietem inter ſeipſum & mundum ædificare debet; ita quod ipſe ſimul cum Deo ſtet ex una parte parietis, & mundus ex altera parietis parte remaneat. Hoc indicavit Sponſa Canticorum, dicens Deum ex altera parietis noſtri parte ſtare: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. Cant.* 2. 9. Et in hoc etiam ſenſu exponenda ſunt hæc Dei verba: *fiat firmamentum in medio aquarum; Gen.* 1. 6. legit enim S. Chryſoſtomus, *fiat paries*; quia qui arduæ pœnitentiæ operibus adhærere intendit, altisſimum parietem inter ſeipſum & mundum ſtruere debet, ita quod nullum cum mundo fœdus, nullumque commercium habeat. *Si volueris perfecte pœnitentiam agere, ſegregare te debes a conſortio peccatorum, vel omnium malorum hominum, ut perfecte eam agere valeas. S. Hier. in Pſ.* 118. O quam verus pœnitens extitit S. Benedictus, qui ut pœnitentiæ exercitiis incumberet, non in mundo

do remanſit, ubi omnia immunda; ſed mundum fugit velut columba, & intra altæ ſpeluncæ parietes, a mundo totaliter ſegregatus, ingemuit, jejunavit, carnemque ſuam dira pœnitentia mactavit, & pluries cruentavit.

Similis extitit S. Benedictus S. Paulo, Antonio, Hilarioni, & aliis portentoſis naſcentis Eccleſiæ hominibus, qui pœnitentiam heroicam ſectaturi a mundo velut columbæ avolabant, ut deſerta & antra incolerent: *avolabunt quaſi aves ex Ægypto: & quaſi columba de terra Aſſyriorum*; *Oſeæ* 12. 11. S. Benedictus enim, cum adhuc eſſet puer, tam cito, & tanta cum celeritate a mundo exceſſit, ut quid de eo factum eſſet, omnes ignorarent: non enim ſolum fugit mirabilis ille puer, ſed ſicut avis ex mundo avolavit: *avolabunt quaſi aves ex Ægypto*. Cum aves volant, alis quas extendunt, crucis figuram exprimunt; nec poſſunt ex loco in quo fuerint avolare, quin alis ſuis figuram hujuſmodi delineent: non diſſimiliter S. Benedictus mundum ita reliquit, ut ex eo avolaverit ſicut avis, quia mundum reliquit, ut crucis figuram aſſumeret, ſeque totum per pœnitentiam crucifigeret. Unde dicere poterat S. Abbas: *ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*; quia elongavit ſe a mundo, elongavit ſe fugiens & volans ſicut avis; immo & ſicut columba: *& quaſi columba de terra Aſſyriorum*. Sicut enim columbæ in foraminibus petræ facile remanent, ibique gemunt: *nihil tam amicum gemitibus, quam columba, quæ die noctuque gemit*, *S. Aug. in Pſ.* 54. 7. ita & S. Benedictus mundum fugiens in petræ foramen, ſeu in antrum ſe recepit, ibique ingemuit, amaras ibi pœnitentiæ lacrymas effudit, ibique Deo per pœnitentiam, durum & diuturnum corporis ſui ſacrificium obtulit.

Imperavit Deus Abrahamo, ut unigenitum ipſi ſacrificaret filium: *Tolle filium tuum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi*. *Gen.* 22. 2. Advertit Alcuinus non juſſiſſe Deum Abrahamo, ut ſtatim gladium arriperet, propriumque filium occideret; ſed voluit Deus fidelem hunc Patriarcham triduo cum filio decumbere, manducare & incedere, ad hoc ut toto hoc tempore per filii, quem immolaturus erat, præſentiam pater torqueretur: *Non ſtatim juſſus eſt Abraham filium occidere, ſed triduo ad immolandum ducere, ut longitudine temporis tentatio augeretur*. *In gloſſa ordinar.* O durum & o diuturnum Abrahæ ſacrificium, qui antequam ad immolandum filium ſemel gladium arriperet, pluries ſacrificavit ſeipſum, dum dolores internos ipſa morte graviores diu paſſus eſt. Sacrificavit ſeipſum Abraham, ſacrificavit & ſeipſum Sanctus Benedictus; triduo ſacrificavit ſeipſum Abraham, & S. Benedictus non triduanum ſolum, ſed triennale corporis ſui ſacrificium Deo obtulit: intra arctum enim antrum latitans, trium annorum ſpatio corpus ſuum inedia exſiccavit, carnem ſuam cum concupiſcentiis ſuis crucifixit, pœnitentiæque ita gravi adhæſit, inquit Petrus Damiani, ut & vires & ætatem ſuperaret: *Magnus in parvis Eremita membris, vincis ætatem, ſuperas laborem, arcta diſtrictæ rudimenta vitæ fervidus imples*. *Petr. Dam. hymn. de S. Bened.* Unde ſi S. Gregorius Nazianzenus eos qui arctiori vacant pœnitentiæ *Martyres vivos* vocat; vere S. Benedictus in antro fuit vivus Martyr; vivus fuit, quia nondum animam exhalarat; ſed Martyr etiam fuit, quia, ratione pœnitentiæ cui vacabat, vita ejus ipſa morte durior erat. O quam durum erat juveni, mortuum eſſe parentibus, quos reliquit, mortuum eſſe amicis, a quibus ſe elongavit, mortuum eſſe ampliſſimis facultatibus, quas abdicavit! Quam grave extitit huic adoleſcenti, intra antrum ſeipſum claudere, ibi humi decumbere, & vigilare, ibique famis cruciamenta, & temporis injurias pati! Ibi verberibus corpus ſuum crebro percutiebat, ibi illud interdum inter vepres volutabat, ibique illud graviori pœnitentia ita affligebat, ut non vivere, ſed diu mori videretur; quia vita ejus mors potius dicenda erat quam vita, &, ut dicam, ſimul mortuus erat & vivus, vivus erat per animam, quæ adhuc corpus ejus informabat, & mortuus erat per pœnitentiam, qua proprium corpus mactabat, & quaſi occidebat.

De quibuſdam ſui ævi viris narrat Chryſoſtomus, quod vitam in ſepulchris tranſegiſſent: *Quoſdam memini in ipſis defunctorum ſepulchris habitaculum poſuiſſe, atque ibi vitam ſimilem mortuo tranſegiſſe*. An non S. Benedictus iis ſimilis extitit? nonne in antro velut in ſepulchro latuit? & nonne per pœnitentiam ibi mortuus fuit mundo & ſibi ipſi, ut Chriſto viveret? ibi per pœnitentiam quotidie moriebatur: jejunia enim, vigiliæ, & aliæ mortificationes, quibus corpus ſuum affligebat, nil aliud erant, quam quotidiana mors, immo & ſpecies quædam martyrii: *Carnem afflixiſſe, libidinem ſuperaſſe, avaritiæ reſtitiſſe, de mundo triumphaſſe, pars magna martyrii eſt*. *S. Aug. ſer.* 2. *de Martyr.* Ita auſtera erat S. Benedicti abſtinentia, ut toto triennio, quo in antro permanſit, quibuſdam ſolummodo panis fruſtulis victitaret: ita arcta jejunia, ut Presbytero cuidam revelaverit Deus, ſanctum hunc juvenem fame cruciari: ita durum ejus cubile, ut in nuda dumtaxat humo decumberet. Nec ſatis erat ſancto huic juveni, hujuſmodi mortificationibus delicatum torquere corpuſculum, illud inſuper inter ſpinas nudum aliquando volutavit, *Nudum ſe in ſpinarum aculeos projecit, ibique diu volutatus, tote ex iis corpore vulneratus exiit*. *S. Greg. in vita S. Bened.* O portentoſam pœnitentiam! o pœnitentiæ prodigium! ſed o quam pauci cum S. Benedicto pœnitentiæ incumbere curant!

S. Benedictus, licet juvenis, & innocens, gravi inſiſtebat pœnitentiæ: &, o rem deplorandam! homines multis rei criminibus, & a multo tempore pravis conſtricti habitibus, ab iis ſe extricare, & ſalutaris pœnitentiæ exercitiis incumbere renuunt. O peccatores, S. Benedictum audite, ſi minus verbis, operibus tamen in deſerto clamantem: *pœnitentiam agite*. Hunc audite, hujus monitis obtemperate, & ſi antra cum ipſo incolendi non ſit animus, ultricem ſaltem criminum veſtrorum pœnitentiam ſuſcipite. Mementote, quod ſi peccaſtis, aut pœnitendum in hoc mundo, aut ardendum in alio: *Peccavimus fratres, pœnitendum eſt, aut ardendum*; *S. Th. a Villan. ſer. in Dom.* 1. *Adv. Cæſar. Arelat. Hom.* 13. an non melius eſt aliquibus momentis hic pœ-

pœnitere, quam in inferno æternum ardere; non eſt, qui hoc melius eſſe non fateatur; & tamen plerique momentaneæ pœnitentiæ vacare timent, & in ſempiternum cruciari non timent; *Erubeſcimus modo parvo tempore pœnitentiam agere, & non timemus ſine termino æterna ſupplicia ſuſtinere.* O hominum cæcitatem! o peccatorum veſaniam, quos ita faſcinavit Satanas, ut brevem & momentaneam timeant pœnam, & æterna ſupplicia non pertimeſcant! o peccatores, qui tanto cum affectu ad malum curritis, deſinite perverſe agere, & pœnitentiæ ſalutaris exercitiis inſiſtite cum S. Benedicto, qui fuit prodigium pœnitentiæ, *ac etiam prodigium ſapientiæ.*

SECUNDA PARS.

S. Benedictus in clauſtro fuit prodigium ſapientiæ.

STatuerat S. Benedictus toto vitæ ſuæ tempore intra antrum latere, ibique omnium prorſus hominum conſortium fugere; ſed divina providentia factum eſt, ut mirabilis ejus ſanctitas primo paucis innotuerit, & deinde fama virtutum ejus undique reſperſa ſit. Hinc multi currentes in odorem unguentorum ejus, ad eum venerunt ut ejus ſe pio regimini ſubderent, & ut eum vitæ ſuæ ducem haberent. Quare non amplius vitam ſolitariam in antro, ſed vitam cænobiticam in clauſtro ducere ſtatuit; ibique mirabilia ſapientiæ ſuæ ſigna edidit, cum in Ordine quem inſtituit, tum in monaſteriis, quæ ædificavit, tum in regula, quam compoſuit.

Curioſe inquirit Job vir ſanctiſſimus, ubi inveniatur ſapientia: *Sapientia ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ? Job 28. 12.* crederet forte quis, apud potentes, & divites, qui voluptatibus affluunt, eam inveniri: at, ut ait Job, *non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Ubi ergo invenitur ſapientia? inter eos forte qui navigant maria? nequaquam; quia *mare loquitur: non eſt mecum.* Si ſapientia non eſt in mari, forte in aere reperietur? nequaquam, inquit Job, quia hæc *volucres cœli latet.* Si non eſt in terra ſuaviter viventium, nec in mari, nec in aere, ubi ergo invenitur? *trahitur ſapientia de occultis,* inquit præfatus Job, & hoc veriſſimum eſſe comprobatur in S. Benedicto, quia in antro occultabatur; ſed de occultis extracta eſt ejus ſapientia, eamque manifeſtavit S. Abbas in inſtitutione ſui Ordinis, qui attingit a fine uſque ad finem, qui ad extremas uſque mundi oras ſe extendit, & de quo prophetice dictum eſt, quod ad quatuor mundi partes dilataretur: *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemptrionem, & Meridiem. Geneſ. 28. 14.* Si enim, ut dicunt Philoſophi, *opus naturæ eſt opus ſapientiæ, & intelligentiæ;* quia omnia quæ ſunt in natura, magna cum ſapientia fuere condita, magnaque cum prudentia gubernantur; cur non dicemus Ordinem S. Benedicti eſſe ſimiliter opus prudentiæ, & intelligentiæ, cum ab eo ſapientiſſime fuerit inſtitutus, & ordinatus? Annon maxima fuit ſapientia inſtituentis hunc Ordinem, qui a ſummis Pontificibus vocatur ſtella matutina tenebras a mundo Eccleſiaſtico fugans, exercitus bene ordinatus aſſiduis precibus pro Dei gloria pugnans, & vinea Evangelica a mari uſque ad mare ſuos ad ſalutem, & conſolationem fidelium palmites extendens? Annon ſapientiſſimus fuit S. Benedictus in inſtitutione hujus Ordinis, in quo innumeri fulſere Religioſi, qui Eccleſiam ſanguine ſuo fœcundaverunt, qui pro Catholica fide generoſe decertarunt, & Chriſtianam religionem ſcientia, & virtutibus ſuis illuſtrarunt? nonne opus ſapientiæ eſt ille Ordo, ex cujus ſinu educti ſunt viginti quinque Summi Pontifices, Cardinales duceuti, Patriarchæ quinquaginta; Archiepiſcopi mille quingenti, Epiſcopi quater mille, & Abbates pietate ac doctrina inſignes quindecim millia ſexcenti? quis tandem dubitabit ſapientiſſimum fuiſſe S. Benedictum in inſtitutione Ordinis, cui adſcripti & devincti ſunt duo Imperatores, quadragintaduo Reges, Reginæ & Imperatrices multæ, ac innumeri alii viri nobilitate, & pietate illuſtres? certe plurimum enituit S. Benedicti ſapientia in Ordine quem inſtituit; *ac etiam in monaſteriis quæ ædificavit.*

De Deo, qui eſt ſapientia æterna, dicitur, quod domum ſibi ædificaverit: *Sapientia ædificavit ſibi domum,* & S. Benedictus divinam hanc participans ſapientiam, aut per ſeipſum, aut per filios ſuos, innumeras ſui inſtituti domos ædificari curavit: ædificavit enim domum, ſeu Monaſterium Cluniacenſe, quod a *Petro Venerabili* vocatur *publicum reipublicæ Chriſtianæ ærarium, Imperatorum, Regum, Principum, & aliorum nobilium donis, & liberalitatibus congregatum. Petr. Ven. l. 5. Ep. 54.* Ædificavit domum, ſeu Monaſterium in Hibernia, quod *Bencor* appellabatur, in quo tria Monachorum millia inhabitabant, qui divinas die noctuque continue decantabant laudes, non quidem omnes ſimul, ſed alternatim, ita quod alii aliis in choro, Dei laudes decantaturi, indeſinenter ſuccederent. Ædificavit Gemeſienſe Monaſterium in Normandia, in quo nongenti Monachi olim religioſiſſime vivebant. Monaſterium Moyſſacenſe olim dicebatur *Abbatia mille Monachorum*, aliaque multa Ordinis S. Benedicti extitere Monaſteria, in quibus quadringenti vel quingenti vel etiam plures Monachi commorabantur. Hinc non eſt, qui non fateatur maximam in clauſtro S. Benedicti fuiſſe ſapientiam, cum tot, & tantas ædificaverit domos; ſi enim omnes demirentur Archimedis ſapientiam, qui intra propriam domum latens, immo & lecto decumbens, cæleſtium orbium motiones, necnon varios aſtrorum curſus contemplabatur; quanto major fuit S. Benedicti ſapientia, qui Ordinem inſtituit, in quo (teſte Genebrardo) fuere aliquando quinquaginta mille domus, ſeu monaſteria, in quibus innumeri Religioſi cæleſtia, ac divina contemplabantur, & ex quibus infiniti propemodum orti ſunt Sancti, ut cælum inhabitarent. Magna quidem hæc fuit S. Benedicti ſapientia; ſed magis adhuc ejus eluxiſſe videtur ſapientia *in regula quam compoſuit, & quam fratribus ſuis ſervandam tradidit.*

Ad hominis Juſti laudem ſancta canit Eccleſia, quod os ejus meditetur ſapientiam, & lingua ejus loquatur judicium: *Os Juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Vere homo juſtus extitit S. Benedictus, qui meditatus eſt ſapientiam, & qui judicium locutus eſt, cum ſuam compoſuit

& ter-

Digitized by Google

& ſervandam tradidit regulam; ejus enim regula maxima cum ſapientia, maximoque cum judicio fuit delineata; *Benedictus*, ut ait S. Gregorius, *ſcripſit regulam diſcretione præcipuam; luculentam, & præ cæteris, ut ita dicam, in ſingulis directivam. S. Greg. ubi ſup.* Omnes omnium Ordinum regulæ cum ſapientia, & diſcretione fuere compoſitæ; ſed regulæ S. Benedicti omnes alias diſcretione, & ſapientia præcellere videtur: *ſcripſit regulam diſcretione præcipuam*. Regula S. Baſilii non parum eſt intricata; S. Auguſtini regula ſtatuit in genere, & ad ſingularia parum deſcendit: regula S. Franciſci, licet tota Evangelica, & Apoſtolica ſit, multis indiget expoſitionibus; ſed regula S. Beoedicti ſingula ita clare & familiari ſtylo deſcribit, ut eam quiſque a ſpiritu Dei compoſitam, necnon ſumma ſapientia, & diſcretione contextam fuiſſe facile judicet. Quod veriſſimum eſſe probant revelationes S. Brigittæ, cui revelatum fuit, quod *Benedictus compoſuit ſuam regulam de ſpiritu Dei, Lib. 8. revel.* nullum in ea eſt verbum, quod a ſpiritu Dei & ſapientia divina non fuerit revelatum. Unde omnes Monachi & Cœnobitæ qui ſub aliis legibus vivebant, eo ipſo quo agnita, & promulgata eſt S. Benedicti regula, eam amplexati ſunt. Sicut enim, inquit S. Antoninus, imperium primo viguit & floruit apud Græcos, deinde tranſlatum eſt ad Latinos, videlicet ad Carolum Magnum Francorum Regem; ita etiam perfectio vitæ regularis Anachoritarum, & Cœnobitarum, primo viguit in Græcia, ſeu Oriente, & deinde translata eſt ad Occidentem apud Latinos, & præſertim ſub S. Patre Benedicto: ejus enim regula omnibus Monachis, & Cœnobitis viſa eſt tanto cum ſapientiæ ſpiritu compoſita, ut ipſi, relictis propriis regulis, unicam Sancti hujus Abbatis regulam pro lege habere voluerint. *Anton. 2. p. tit. 15. c. 12.* Et ſicut Regina Saba ſapientiam Salomonis mirabatur; ita & omnes Religioſi, qui a S. Benedicti temporibus extiterunt, portentoſam ejus ſapientiam demirati ſunt.

Miramini & vos S. hujus Abbatis ſapientiam, ac a Deo ſupplices petite, ut illius ſapientiæ vos participes efficiat. Ut obtineatur ſapientia, optanda, & a Deo poſtulanda eſt: *Optavi & datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: Sap. 7.* res magna, & pretioſa eſt ſapientia, quæ quo pretioſior eſt, eo ardentius peti & inquiri debet: *quanto excelſior virtus eſt ſapientia, tanto magis nitendum eſt nobis, ut aſſequi eam poſſimus. S. Ambr. l. 2. offic. c. 26.* Quare magna cum ſolicitudine ſapientiam a Deo poſtulate, & ſapientiam inquirite, qua nihil eſt charius, nihil pretioſius: *Venite mortales ad ſtudium ſapientiæ, magnus hic fructus eſt; quid enim homini ſapientia charius? venite igitur, ut ſapientes ſitis. S. Aug. l. 3. contra Academ. c. 9.* Sed ea potiſſimum ambienda & exquirenda eſt ſapientia, quam Seraphicus Pater S. Franciſcus vocat ſummam: *ſumma ſapientia eſt*, inquit, *bona opera facere, bene ſe cuſtodire, judicia Dei conſiderare. S. Franc. in opuſc. orac. 25.* hanc ambite, hanc totis conatibus inquirite, ut participetis ſapientiam S. Benedicti, qui fuit prodigium ſapientiæ; *ac etiam prodigium ſanctitatis.*

TERTIA PARS.

Sanctus Benedictus in Eccleſia fuit prodigium ſanctitatis.

JUſtorum animas vocat S. Petrus Chryſologus *pretioſas animas ſanctitate locupletes. Chryſ. ſer. 28.* Quod appoſite dictum videtur de S. Benedicto, qui toto vitæ ſuæ tempore ſanctitate ditiſſimus extitit, & qui in Eccleſia veluti ſanctitatis prodigium eluxit: habuit enim ſanctitatem in omni virtutum genere completam, miraculis probatam, & abditiſſimarum rerum notitia illuſtratam.

De Iſaac, quem in montem duxerat Abraham, ut eum Deo immolaret, præclare dixit S. Bernardus, non fuiſſe mactatum, ſed ſanctificatum; *Iſaac ſanctificatus eſt, non mactatus; S. Bern. ſer. ad Frat. de monte Dei.* Sed S. Benedictus, & mactatus fuit, & ſanctificatus: a tempore enim quo mundum reliquit uſque ad mortem, vigiliis, & omni mortificationum genere corpus ſuum mactavit, ac continuo omnium virtutum exercitio animam ſuam ſanctificavit; nam non uni ſolum aut alteri virtuti operam dedit, ſed aſſecutus eſt ſanctitatem in omni virtutum genere completam: unde eum omnium Juſtorum ſpiritu plenum fuiſſe ait S. Gregorius: *Vir iſte ſpiritu Juſtorum omnium plenus fuit. Ubi ſup.* Ex juſtis alii habuere in eminenti gradu ſpiritum humilitatis, alii ſpiritum patientiæ, alii ſpiritum manſuetudinis, & alii ſpiritum paupertatis, vel alterius cujuſdam virtutis, ſed S. Benedictus fuit omnium juſtorum ſpiritu plenus: quia tanta ejus extitit ſanctitas, ut omnes virtutes in aliis Juſtis diſperſas in ſeipſo collegerit: *Vir iſte ſpiritu Juſtorum omnium plenus fuit.* Et quis revera ex hominibus juſtis, terrena glorioſius abdicavit, quam S. Benedictus, qui cum adhuc eſſet juvenis, in altam penetravit ſpeluncam, ut ibi uſque ad mortem permaneret? Quis illo generoſius mundi gloriam contempſit? qui, ut ait Abbas Guerricus, *in ætate puerili mundum ſibi ridentem irridens, tam mundi, quam corporis ſui florem, quaſi jam aridum calcavit?* Quis illo erga pauperes liberalior, qui omnes monaſterii annonas egeno poſtulanti erogari præcepit? Quis zelo S. Benedictum anteceſſit, qui Apollinis idolum in monte Caſſino evertit, lucos ſuccendit, & innumeros idololatras ad Chriſtianam religionem adduxit? Quis erga inimicos majore exarſit charitate, qui Florentium ſibi infenſiſſimum ardenter amavit, & de infauſta ejus morte maxime doluit? Sed quis illo Deum ardentius dilexit, cujus tota vita nil aliud fuit, quam continuus erga Deum affectus, & cujus cor ferventi Dei indeſinenter arſit amore? Ab ampliori virtutum ejus dinumeratione abſtineo, uno verbo dicam, tantam ejus extitiſſe ſanctitatem, ut omnium juſtorum virtutibus plenus fuerit: *Vir iſte ſpiritu Juſtorum omnium plenus fuit.* Sed S. Benedicti ſanctitas *fuit etiam multis miraculis probata.*

Miracula, inquit S. Ambroſius, *cum tacent, clamant: S. Ambroſ. in c. 5. Epiſt. ad Rom.* clamant utique, eos quia talia operantur, magna eſſe ſanctitate præditos. Licet enim abſolute loquendo a non ſanctis & impiis fieri poſſent, quia poteſtas operan-

di miracula eſt gratia gratis data; quæ cum peccato mortali eſt compatibilis; Deus tamen ſolis hominibus juſtis, & ſanctitate pereximia pollentibus, hanc poteſtatem dare ſolet; unde miracula ſunt quaſi argumenta, quæ probant & clamant eos eſſe ſanctos, a quibus fiunt, & quo plura & majora ſunt miracula, eo fortius probant, & altius clamant eos eſſe ſanctiſſimos, qui talibus ſignis coruſcant: *Cum tacent, clamant.* Clamarunt miracula, Moyſen, Eliſæum, Petrum & Eliam, magna pollere ſanctitate; ſed & clamant, virum pereximia ſanctitate præditum fuiſſe S. Benedictum; quia, ut ait S. Gregorius Papa, ſolus Benedictus ea operatus eſt miracula, quæ illi quatuor operati ſunt: *In aqua*, inquit, *ex petra producta, Moyſen; in ferro quod ex profundo rediit, Eliſæum; in aquæ itinere, Petrum; in corvi obedientia, Eliam video.* Si aquam de petra miraculoſe eduxit Moyſes, eduxit & Benedictus, ſi ex imo fluminis ferrum traxit & ſupra aquæ ſuperficiem natare fecit Eliſæus, hoc & fecit Benedictus; ſi Eliam miraculoſe pavit corvus, pavit & Benedictum; ſi Petrus Apoſtolorum Princeps ſuper aquas ſicco pede inceſſit, inceſſit pariter ſuper aquas Maurus ad S. Benedicti imperium, ut Placidum, aquis jam ſubmerſum, liberaret. O quanta S. Benedicti miracula! & quam fortiter hunc eſſe Virum ſanctiſſimum miracula clamant, non ſolum præfata & innumera alia, quæ operatus eſt; nam & ipſe infirmos curavit, a dæmone vexatos liberavit, mortuos ſuſcitavit, & alia fecit miracula, quæ, ut ait S. Bernardus, eum fuiſſe ſanctiſſimum clamant & probant: *ſanctitatem Benedicti miracula probant. S. Bern. ſer. de S. Bened.* Sed ipſum Virum ſanctiſſimum extitiſſe clamat etiam abditiſſimarum rerum notitia a Deo ipſi infuſa.

Ipſe, ut ait Dionyſius Carthuſianus, *ingreſſus eſt ſanctuarium Dei, id eſt abyſſum ſapientiæ increatæ. Dion. ſer. 1. de ſanct. Confeſſ.* Altam hanc abyſſum ingreſſus eſt, non ſolum quia Deum, qui eſt ſapientia increata, videre meruit; ſed etiam quia per revelationes divinas abdita quæque cognoſcere valuit. Novit, aliquos ex fratribus ſuis apud piam quandam mulierem comediſſe, iiſque quos ederant cibos, quotque calices hauſerunt, declaravit. Novit ex duabus vini amphoris, ad monaſterium ex charitate miſſis, a famulo unam fuiſſe retentam & abſconditam, quem monuit S. Pater Benedictus, ut caveret de eo quod in lagena latebat, in quam cum inſpexiſſet famulus, ex ea egredientem ſerpentem vidit. Intoxicata eſſe novit panem & vinum, quæ ipſi Florentius Presbyter miſit. Novit etiam Totilæ aſtutiam, qui exploraturus, an vere S. Benedictus abſcondita penetraret, ad eum miſit Spatharium ſuum regiis veſtibus indutum, regioque famulatu comitatum, & Totilam ſe eſſe ſimulantem, cui dixit S. Abbas, *Pone fili, pone quod portas: non eſt tuum.* Scimus etiam, illum periculum in quo verſabatur Placidus, internas fratrum ſuorum cogitationes, & alia multa abditiſſima noſſe, immo & futura multa ſpiritu prophetico prædixiſſe. Ipſe tandem in ſanctuarium ſapientiæ Dei ita eſt ingreſſus, ut omnia nuda & aperta eſſent oculis ejus, *ingreſſus eſt ſanctuarium Dei, id eſt abyſſum ſapientiæ increatæ.* Quare cum Deus tam familiariter ſua S. Benedicto ſecreta communicaverit, cum ei tantam rerum abditarum notitiam dederit, cumque ei tot gratias contulerit, eum ſanctiſſimum & ſanctitatis prodigium extitiſſe non eſt dubium. O Virum ſanctiſſimum, qui inter cælites a Deo plurimum fuit ſublimatus, ut enim ait S. Bernardus, *qui tam magnus extitit in terris, ſecundum magnitudinem gratiarum, magnitudine gloriæ exaltatus eſt in cælo.*

Miramini portentoſam S. Benedicti ſanctitatem, eam pro viribus imitari contendite: *Nihil enim nobis aliena virtus ad ſalutem proficit, ſi ad imitationem ſe animus non extendit. Trithem. Abb.* Sanctus eſt ille, & ſancti nos eſſe debemus. Sed o quam pauci ſanctitati acquirendæ vacant in hoc mundo! multi ebrioſi, multi guloſi, multi rapaces, multi luxurioſi; ſed pauciſſimi ſunt ſancti, ita rari ſunt, ut eos defeciſſe clamet Regius Vates, dicens: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus. Pſ. 11. 1.* In hoc mundo non deficiunt uſura & dolus; non deficiunt avaritia & luxuria; non deficiunt gula & ſuperbia; ſed *deficit Sanctus*, quia pauciſſimi ſunt, qui ſedulo ſanctitatem acquirere contendant. In ordine S. Benedicti numquam defecit Sanctus, quia in eo innumeri ſemper floruere viri ſanctitate illuſtres, ex quibus a S. Benedicti temporibus uſque ad Pontificatum Joannis vigeſimi ſecundi, quinquaginta quinque millia fuere canonizati; certe ibi non defecit ſanctus: ſed in mundo penitus deficit quia cum ſint *pauci electi*; ita & paucos reperire eſt, qui in hoc mundo ſanctificentur. *Trithem. l. 2. Vir. illuſt. ord. S. Ben. c. 4.* Hos paucos imitemur: *imitari oportet paucos. Chryſoſt. hom. 24. in Matth.* inquit S. Chryſoſtomus, non imitemur multos, ſeu peccatores, qui multi ſunt in hoc mundo; ſed imitemur paucos & præcipue S. Benedictum, pœnitentiæ ſimul cum illo inſiſtamus, ſapientiæ acquirendæ ſtudeamus, & ſanctificari conemur in hoc ſæculo, ut ſancti ſimus in cælo. *Amen.*

DE ANNUNTIATIONE

B. VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO PRIMA.

Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph. Luc. 1. 26.

DIu optatus, diuque expectatus erat Meſſiæ adventus, cum tandem poſt quater mille ab Orbe condito annos die vigeſima quinta menſis Martii miſit Deus Archangelum ſuum Gabrielem ad Virginem Mariam, ut ei Verbi incarnationem in utero ejus proxime futuram nuntiaret. Non unum ex Angelis infimi chori; ſed unum ex primæ ſupremæ Hierarchiæ Angelis ad eam delegavit, quia, ut ait Doctor Angelicus, *ad hoc miniſterium ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat. D. Thom. 3. p. qu. 30. art. 2. ad 4.* Venit ergo Archangelus Gabriel in Nazareth, ſa-

ſacram ingreſſus eſt Virginis Mariæ cellam, eamque ſalutavit, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.* O pereximiam hujus Archangeli legationem! o gratiſſimam ſalutationem! o bonum nuntium & magnum myſterium, quod ſine quadam criminis ſpecie tacere nequimus, *Hæc dies boni nuntii eſt: ſi tacuerimus, ſceleris arguemur.* Quare altiſſimum Annuntiationis myſterium explicabimus, quamque glorioſam B. Virginis Mariæ fuerit manifeſtabimus, &c. *Ave.*

ANgelus, Maria, & Spiritus ſanctus ad auguſtum Annuntiationis myſterium complendum conveniunt. Angelus Mariæ nuntiat, quod Dei mater fieri debeat: *Dominus tecum.* Maria pro virginitate pugnat; & magna cum modeſtia declarat, quod nec virum cognoſcere, nec virginitate cadere intendat: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Luc. 1.* Et Spiritus ſanctus ut mediator inter Mariam & Angelum, totam litem componit, Mariam ſimul Virginem & Dei Matrem efficiendo: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Unde hic hodie fieri videtur ſyllogiſmus. Maria erit Mater: Maria erit Virgo: ergo Maria erit Mater & virgo. Maria erit Mater: ecce propoſitionem Angeli. Maria erit Virgo: ecce propoſitionem Mariæ. Ergo Maria erit Mater & Virgo: ecce propoſitionem & concluſionem Spiritus ſancti. Hæ autem omnes propoſitiones in B. Virginis Mariæ gloriam & honorem maxime vergunt, glorioſiſſimum enim eſt ei quod fiat Dei Mater, quod velit eſſe Virgo, & quod ſit ſimul Mater & Virgo: *Glorioſum eſt Mariæ*, quod ſit Dei Mater: en primam hujus orationis partem. *Glorioſum eſt Mariæ*, quod velit eſſe virgo: en ſecundam. *Glorioſum eſt Mariæ*, quod ſit ſimul Mater & Virgo: en tertiam.

PRIMA PARS.

Glorioſum eſt Mariæ, quod fiat Dei Mater.

LIcet Maria divinitatem non genuerit, fuit tamen mater Dei. Sicut enim aliæ matres, licet filiorum ſuorum animas, quæ ſunt nobilior pars hominis, non genuerint; eorum tamen dicuntur matres, quia corpora genuerunt, quibus Deus animas infudit: ſic licet Maria non genuerit divinitatem, quia tamen genuit hominem, cui ſe Deus ab inſtanti conceptionis univit, ideo dicitur & eſt mater Dei. Eam Dei matrem vocant, & vocari volunt Concilia, quæ hanc vere Dei matrem eſſe determinarunt: in Concilio enim Epheſino dicitur: *Si quis non confitetur S. Virginem eſſe genitricem Dei, anathema ſit:* & in Lateranenſi ſub Martino I. Can. 3. *Si quis non confitetur proprie & ſecundum veritatem, Mariam eſſe genitricem Dei, anathema ſit.* Hoc profitentur omnes fideles, dum oratiuncula ab Epheſini Concilii Patribus compoſita eam ut Dei matrem invocant: *Sancta Maria Mater Dei, &c.* Nec in hoc aliqua difficultatis eſſe videtur ſpecies; cum enim Maria ſit mater Jeſu Chriſti, qui eſt Deus, & qui ab inſtanti quo conceptus eſt in utero, eſt Deus; ea Dei mater dicenda eſt.

Dei quidem mater eſt Maria, & hodie fit ejus mater, cum altiſſimo incarnationis Verbi myſterio ſuum præbens conſenſum ait: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1.* Non enim expectavit Spiritus ſanctus ut quadraginta dierum ſpatio pedetentim, & ſucceſſive Chriſti corpus figuraretur, & delinearetur; ſed poſtquam Maria dixit: *fiat*, Spiritus ſanctus naturæ jura violans, in uno quaſi momento, in utero Beatæ Virginis Corpus Chriſti formavit, animam ei infudit, & ex tunc Verbum divinum unionis hypoſtaticæ vinculo utrumque ſibi copulavit: *Non paulatim*, inquit Damaſcenus, *tacitiſque incrementis figura corporis abſolvitur, ſed uno eodemque momento perficitur: Damaſc. l. 3. de fide orth. c. 2.* & Thaulerius latius explicans, quomodo hæc facta ſint, ait, (quod poſtquam Maria dixit: *fiat*, ex tunc, & abſque ulla mora Spiritus ſanctus de puriſſimo virginei cordis ſanguine accipiens, perfectum mundiſſimumque, licet exile, inde corpus creavit cum univerſis membris ejus, puriſſimamque illi animam inſpiravit, atque illam pariter univit.) Unde ſanctus Thomas a Villanova hoc *fiat* a B. V. Maria prolatum, mirum in modum extollit, dicens: *O fiat potens, o fiat efficax, o fiat ſuper omne fiat perpetuo honore venerandum! Nam ad verbum fiat, ſtatim in utero Virginis incarnatum eſt Verbum. D. Thom. a Villan. ſerm. de Annunciat.* Mirabilis quidem fuit Virtus illius verbi *fiat*, quia cum illud protulit Maria, protinus in ejus utero Verbum humanatum eſt, & ipſa Dei mater facta eſt: *Ubi Virgo bene credula os ſuum aperuit, ut diceret fiat: mox*, inquit Rupertus Abbas, *juxta dictum Angeli, Spiritus ſanctus ſuperveniens per apertas fidei januas ſeſe infudit in templum ſacri uteri, ut Chriſti matrem faceret. Rup. l. 1. de Oper. Spiritus S. c. 9.*

Hoc verbo, *fiat*, factus eſt mundus; hoc verbo cæleſtia terreſtriaque Altiſſimus condidit, & eodem verbo Maria facta eſt Dei mater, quo nihil eſt majus, nihilque Mariæ glorioſius: quid enim ei glorioſius eſſe poteſt, quam quod ſit oriens orientis, ſui auctoris auctrix, origo ſui principii, & Dei ſui mater; quodque eumdem cum Patre æterno habeat filium: ita quod de Chriſto ſimul cum Patre æterno dicere poſſit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Glorioſum quidem eſt Mariæ, quod ſit Virgo puriſſima, Angelorum Regina, & totius mundi Domina; ſed ut ait D. Bernardus: *ipſa eſt Virginis gloria ſingularis, & excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unicum, eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. Bern. ſerm. 2. de Incarnat. Verb.*

Tanta ex hac maternitate in Mariam derivat gloria, ut dici poſſit, omnia ejus privilegia in hoc includi, & ex hoc uno manare, quod ſit Chriſti mater. Si enim eſt Dei mater; ergo gratiis cæleſtibus plena: Si eſt Dei mater, ergo puriſſima, ergo ſanctiſſima, ergo potentiſſima: ſi tandem eſt Dei mater; ergo ſupra omnes puras creaturas ſublimata; ergo mundi Imperatrix; ergo creatura, qua major ſub Deo nequit intelligi: hæc omnia æquiſſime inferuntur ex eminentiſſimo matris Dei titulo. *Matth. 1.* Unde non eſt quod miremur, ſacros Evangeliſtas non ampla Mariæ contexere encomia: quia quidquid eminentius, & glorioſius ad ejus laudem dici poteſt, in hoc uno collegerunt, quod ſit Mater

Chriſti,

Digitized by Google

Chriſti, *de qua natus eſt Jeſus*. Quod ſubtiliter adnotavit D. Thomas a Villanova, dicens: *Evangeliſtæ omnia collegerunt, cum dixerunt, ex ea natum fuiſſe Jeſum. Quid amplius quæris, quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei ſit. De Nat. Virgin. ſer.* 2. Mariam aliqui vocant mare gratiæ, civitatem refugii, hortum deliciarum, lilium convallium, & totius ſanctitatis abyſſum; eam alii appellant maris ſtellam, arcam Teſtamenti, miſerorum refugium; thronum Salomonis, totiuſque mundi Reginam: ab aliis dicitur terra Sacerdotalis ab omnibus tributis libera, Sancta Sanctorum in quæ ingreſſus eſt ſummus Sacerdos Chriſtus, & caſtrorum acies adverſus tartareas poteſtates ordinata, ſed hi, & innumeri alii honoris tituli, qui ab auctoribus coacervantur, in hoc uno continentur, quod ſit Mater Chriſti: *Evangeliſtæ omnia collegerunt, cum dixerunt, ex ea natum fuiſſe Jeſum.*

S. Auguſtinus Mariam per Chriſti maternitatem ſupra homines, & Angelos exaltatam eſſe dicit; quia, inquit, & homines & Angeli, quantumvis magni ſint, ſunt ſolummodo Dei miniſtri; Dei ſunt miniſtri Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli & omnes homines: Dei ſunt miniſtri, Angeli, Archangeli, Throni, & ipſi Seraphini: *Omnes adminiſtratorii ſpiritus; Hebr.* 2. Maria vero ut Chriſti mater in Regia Dei aula non eſt miniſtra, ſed Domina; non eſt ancilla, ſed Regina: ac proinde, ut Dei mater, eſt hominibus & Angelis eminentior; *Tanta eſt Virginis dignitas, eo quod mater Dei ſit, ut plane excedat, non ſolum omnium hominum dignitatem, verum etiam Angelorum; cum longe præſtabilius, & excellentius ſit, eſſe matrem Principis quam miniſtrum, S. Aug. l. 2. de Sym. ad Catech. c.* 2. Sanctus Chryſoſtomus Mariam ob maternitatem ſuam, non ſolum Angelis, & hominibus, ſed etiam toto mundo excellentiorem & eminentiorem arbitrantur; ita quod ſi ex una parte totus mundus poneretur, & ex altera Maria, iſta toti mundo præponderaret, totoque mundo præſtantior, & excellentior eſſet; *Maria*, inquit, *ſpecioſi r facta fuit, & dignior quam totus mundus; quia quem totus mundus capere non poterat, nec merebatur accipere, in cubiculo uteri ſui ſola ipſa ſuſcipere meruit. Chryſ. hom. 1. in c. 1. Math.*

Hæc ad maternitatis Marianæ gloriam dicunt Auguſtinus, & Chryſoſtomus; nec videtur magis extolli poſſe Mariam ratione ſuæ maternitatis. Quid tamen majus ad illius laudem profert ſanctus Anſelmus, nempe quod poſt Deum aliquid excogitari nequeat majus Maria, quatenus Chriſti Mater eſt: *Hoc ſolum de B. Virgine prædicare, quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel excogitari poſſit. Anſel. l. de excel. Virg. c.* 3. Sicut enim Sol in medio planetarum conſtituitur, ita quod tres ſolum ſupra ſe, & omnes alios ſub ſe habeat; ita & Maria, ratione maternitatis, eſt quaſi Sol: *Electa ut Sol*: quia ratione maternitatis ita ſublimatur, ut tres tantum altiſſimæ Trinitatis Perſonas ſupra ſe, & omnia alia ſub ſe habeat: *Excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel excogitari poſſit.* O magnam Mariæ dignitatem! o quam glorioſum eſt ei quod ſit Chriſti mater! Sed ut perfectius concipiatur quanta Mariæ ſit gloria ex maternitate; velim audiantur Doctor Seraphicus, Petrus Damiani, & Doctor Angelicus.

D. Bonaventura Mariam ita per maternitatem extolli ait, ut matrem majorem Deus facere nequeat: *Ipſa eſt*, inquit, *qua majorem Deus facere non poſſet. Majorem mundum poſſet facere Deus, majus cælum poſſet facere Deus, majorem quam matrem Dei, non poſſet facere Deus. D. Bonav. in ſpec. B. Virg. c.* 8. Et ratio eſt, quia ſi dignitas matris ſumatur a dignitate filii, matrem Deus Maria majorem facere non poſſet, quia matrem facere nequiret, cujus filius major, & dignior eſſet filio Mariæ, qui eſt Deus. Et hæc eſt ratio propter quam Petrus Damiani, & D. Thomas aſſerunt Mariam, ratione maternitatis, habere dignitatem immenſam, & infinitam: *taceat, & contremiſcat omnis creatura*, inquit Petrus Damiani, *& vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem. Petrus Damiani ſerm. de Annunt.* Et D. Thomas ait, Chriſti humanitatem, cæleſtem beatitudinem, & B. V. Mariam quandam habere dignitatem infinitam: (humanitas, inquit, Chriſti ex hoc quod eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod eſt fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quod eſt mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod eſt Deus. Et ex hac parte non poteſt aliquid melius eſſe Deo. *D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.*) Et, ut de ſola Maria loquar, certum eſt, quod cum mater relationem dicat ad filium, tanto ſublimior erit dignitas matris, quanto ſublimior fuerit dignitas filii: quare cum filii Mariæ dignitas ſit infinita, dignitas etiam Mariæ, quatenus mater eſt, erit quodammodo infinita.

O quam glorioſum eſt Mariæ, quod hodie Dei Mater fiat! ſed o quam potens ſit Maria per illam maternitatem! *Potentiorem*, inquit ſanctus Idelphonſus, *ad placandum iram Judicis invenire non poſſumus, quam te, quæ meruiſti Mater exiſtere ejuſdem Redemptoris, & Judicis. Ildeph. l. de excell. Virg. c.* 1. Sanctiſſima hæc Virgo Deum ipſi magna feciſſe proclamat: *Fecit mihi magna, qui potens eſt. Luc.* 1. Fecit ei magna, quia per maternitatem eam mirum in modum ſublimavit; & fecit ei magna, quia ei maximam impertitus eſt potentiam ad ſubveniendum peccatoribus: quid enim non poteſt quæ Mater Omnipotentis eſt? quare, o peccatores, ad Mariam confugite, eam ſupplices invocate, toto cordis affectu dicite ei: *Monſtra te eſſe matrem.* Seu dicite ei: o Virgo ſanctiſſima, cum ſis apud Filium potentiſſima, *Monſtra te eſſe Matrem*, & fac per potentiam qua frueris, ut ab iniquitatibus liberer, & divinam gratiam aſſequar. Vel cum ſancto Bernardo dicat quiſque ei; *Habe piiſſima Domina me indignum tibi commendatum: ad te confugio, tibi meipſum commendo, & hodie in Matrem, & Patronam præ cunctis præopto. S. Bern. ſerm. 2. ſup. Miſſ.* O Maria, ſicut fuiſti Chriſti Mater, ita eſto mihi in Matrem charitativam, & beneficam. Sed poſtquam vidimus, glorioſum eſſe Mariæ, quod hodie fiat Mater Dei; *dicamus, & glorioſum eſſe ei, quod Virgo eſſe voluerit.*

S. E-

SECUNDA PARS.

Glorioſum eſt Mariæ quod voluerit eſſe Virgo.

VIrginitatem in veteri teſtamento ſervaſſe Eliam, Jeremiam, Eliſeum, Joſue, Melchiſedech, Danielem, & alios nonnullos, communiter creditur: ſanctiſſima tamen Virgo prima fuit, quæ ad virginitatem ſervandam voto ſe adſtrinxit: *Beata Maria*, inquit S. Antoninus, *eſt Mater omnium, in Virginitate, quia prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo, Virginitatis munus Deo obtulit, & per virginitatis votum opprobrium virginitatis abſtulit. Anton. 4. p. tit. 15. c. 10.* Hoc autem virginitatis votum emiſerat Maria ante Annuntiationem Angelicam: quare Angelo nuntianti futuram in ejus utero Verbi incarnationem, reſpondit Virgo puriſſima: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Luc. 1.* Quæ quidem verba non protuliſſet, ſi virginitatis votum antea non emiſiſſet: *Profectò non diceret Virgo, quomodo fiet iſtud, niſi Deo Virginem, ſe ante voviſſet. S. Aug. l. de S. Virg. c. 4.*

Quamvis Maria aſſueta eſſet viſionibus & colloquiis Angelorum, turbata tamen eſt, cum Sanctum Gabrielem Archangelum vidit, & audivit. *Turbata eſt*, cum illum vidit: quia ſpeciem viri gerebat: *Ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur aſpectus Virginis, S. Ambr. l. 1. Off. c. 8.* tantus Mariæ pro ſervanda virginitate zelus inerat, ut & ipſa ſpecies hominis, licet majeſtate & modeſtia cæleſti fulgentis, eam turbarit. Sed *turbata eſt* etiam Maria, cum Angelum loquentem audivit; *Turbata eſt in ſermone ejus. Luc. 1.* tunc turbata eſt præ humilitate, quia ſe omnis gratiæ indignam exiſtimabat; ſed turbata eſt etiam ex ſummo ſervandæ virginitatis affectu, quo cor ejus ardebat. Unde reſpondit Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ſeu ut explicat Hugo Cardinalis: *Quomodo fiet iſtud, ut concipiam & pariam, quæ in virginitate permanere diſpoſui?* vel ut exponit D. Bonaventura: *Virum non cognoſco: Id eſt, non cognoſciturum me propono, & ita ſum Virgo, & mente, & carne, & propoſito.* Erat Maria Virgo, non ſolum carne & mente, ſed etiam *propoſito*; quia optabat altiſſimum hoc myſterium in ipſa adimpleri, ita tamen quod votum virginitatis ſervaret, & quod Virgo ſemper permaneret.

Cum Maria dixit: *Quomodo?* non dubitavit de veritate promiſſi Angelici; ſed de modo ſollicita fuit, poſtulans ut hic filii conceptus & partus fieret ſine aliqua virginitatis jactura: *Audi*, inquit S. Gregorius Nyſſenus, *Orat. de nat. Chriſti, pudicam Virginis vocem: Angelus partum nuntiat, at illa virginitati inhæret.* Nuntiabat Mariæ Angelus, ipſam futuram Verbi incarnati matrem, ac proinde cæli Reginam, totius mundi Imperatricem, & ſupra omnes puras creaturas ſublimatam: *At illa virginitati inhæret*, eique ita inhæret, ut prælegiſſet non eſſe matrem, quam non eſſe Virginem: *Illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam judicat.* Unde merito Maria lilio confertur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias; Cant. 2. 2.* ſicut enim lilium eſt maxime album; ita & Maria per virginitatem fuit nive candidior, ſicut etiam lilium poſtulat eſſe intactum, quia ſi contrectetur, marceſcit, & fragrantem ſuum odorem amittit; ita & Maria virginitatem ſuam intactam eſſe cupiebat; Chriſti quidem mater fieri volebat, ſed ea lege, quod virginitas ejus intacta permaneret: *At illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam judicat.*

Forte non diſplicebit audire pereximium & piiſſimum Evangelii S. Lucæ interpretem, qui præfata Beatæ Virginis Verba ad noſtrum propoſitum perfectiſſime exponit: dixit, inquit, Maria: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Stella in Luc.* (Quaſi diceret intra ſe; Si meæ virginitatis jacturam aliquam ſum paſſura, & promiſſum votum violare debeam, nolo eſſe mater Dei; at vero, quia ſcio Dominum potentem eſſe, ut mea virginitate intacta manente, poſſim parere; quæro, quomodo Dominus id facere diſpoſuerit. Ubi protinus advertere debes, quam curam & ſollicitudinem habeat Beata Virgo de obſervando virginitatis votu, & virginali puritate: dicit namque Angelo, ſe ad tantam dignitatem & honorem neutiquam aſcendere velle, ſi aliquantulum detrimenti ſuæ puritatis & virginitatis paſſura eſſet. Quod ſi quæres a Beata Virgine, numquid malit virginitatem cuſtodire, quam mater Dei eſſe, non dubito, quin tibi reſpondeat, melius, & ſalubrius eſſe, cordis ſinceritate, & animi virtutibus ſplendere, quam dignitatem aliquam, quantumvis ſublimem, & excellentem ſubire. Maria Dei voluntatem in omnibus adimplere cupiebat, ſed ſepoſita Dei voluntate, ex ſeipſa prælegiſſet non fieri Dei mater, quam emiſſum virginitatis votum vel in minimo, etiam ſine peccato, violare. O quam ardenter virginitatem illæſam ſervare concupivit Maria! ſed o quam glorioſum fuit Mariæ, quod illam ſervare tanto affectu deſideraverit!

Virginitas homines cæleſtes efficit: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis. Chryſol. ſerm. 28.* Virginitas Angelis homines facit æquales; *Cum caſte perſeveratis, o Virgines! Angelis Dei eſtis æquales. S. Cypr. l. 2. de habitu Virg.* Virginitas Deo, qui infinite purus, & qui prima Virgo eſt, homines aſſimilat, *Magnum, ut vere dicam, eſt virginitas, incorruptibili Deo hominem ſimilem faciens. S. Baſil. lib. de vera Virg.* Quare glorioſiſſimum eſt Mariæ, quod virginitatem prima noverit, & toto vitæ ſuæ tempore religioſe ſervaverit; ſed glorioſius adhuc ei fuit, virginitatem tanto cum affectu cuſtodiſſe, ut maluiſſet non eſſe Dei mater, quam non eſſe Virgo. Heu, inquit D. Hieronymus, quam multæ quotidie virgines ſua infeliciter virginitate cadunt. *Piget dicere, quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia; Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch.* ruunt multæ pro momentanea felicitate, pro terreno lucro, vel pro imaginario honore; ruunt, & mirabilem hanc virtutem amittunt; ſed Maria eſt Dux, Regina, ſpeculum & gloria virginum, quam voluptates non alliciunt, quam terrena non movent; & quam immenſa, & quaſi infinita matris Dei dignitas a propoſito ſervandi virginitatem non deterruit; quia, ut ait D. Auguſtinus, *Virgo eſſe maluit, quam Mater Dei præciſe.* Id eſt ſecluſa Dei voluntate, cum ſemper obtemperare, & ſe conformare ſtatuit.

Mira-

Digitized by Google

Miramini ſanctum Virginis Mariæ ſtudium; ſed identidem ſtupete, hominum cæcitatem, & cæcam ambitionem contemplantes. Heu! quid non faciunt homines, ut ad eminentes eleventur dignitates? quæ mala non perpetrant, ut altius aſcendant? quis infelicibus hiſce reperietur temporibus, qui ſibi oblatam regiam dignitatem, quam graviſſimis criminibus eſſet aſcenſurus, prorſus renueret? Quid regiam dignitatem dico? Heu! ad infimas dignitates plerumque non fit aſcenſus, niſi per iniquitates. Cuilibet dicere ſolet ſatanas. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me; Matth.* 4. 9. & plerique cadunt, ut aſcendant, plerique in gravia caduut crimina, ut aſcendant ad ſublimia. Diſcite a B. Virgine ad honores & dignitates cum virtutis detrimento non tendere. Prælegiſſet Virgo ſacra millies mori, quam vel leviſſimum peccatum veniale contra emiſſum virginitatis votum patrare; & tanto ſervandæ virginitatis zelo exardeſcebat, ut præoptaſſet eminentiſſimam Matris Dei dignitatem non obtinere, quam virginitatis votum, etiam cum Dei diſpenſatione, licite violare. Pudeat ergo ambitioſo tanto cum affectu per iniquitatis viam ad honores anhelare: ſed pudeat etiam adoleſcentulas, quod virginitatem quaſi nihili faciant; pudeat illas, quod non virtutis, ſed ut loquitur Tertullianus, *lib.* 3. *adverſ. Marc.* 13. *laſciviæ ingenia habeant*. O animæ ſanguine Chriſti redemptæ, virginitatem plurimi pendite, eam ambite, illi adhærete, inſtar S. Mariæ Virginis, cui glorioſum eſt, quod voluerit eſſe Virgo; *ac etiam ei glorioſum eſt, quod fuerit ſimul Mater & Virgo*.

TERTIA PARS.

Glorioſum eſt Mariæ, quod ſit ſimul Mater & Virgo.

Modum conceptionis inquiſierat Virgo dicens: *Quomodo fiet iſtud?* Cui reſpondit Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quaſi diceret; O Maria, licet virum non cognoſcas, teque Virginem Deo voveris, concipies tamen, non humana, ſed divina virtute, ipſaque ſalva virginitate: nam Spiritus Sanctus in te mirabiliter deſcendet, & per ſuam virtutem, ſeu potentiam obumbrabit tibi, & defendet te, virginitatemque tuam, cui tanto affectu adhæres, ita proteget, ut ſine ulla illius injuria, immo cum ſummo decore concipias, & parias, & ſic Chriſti Mater eris potentiſſima & Virgo puriſſima. Quod quidem ita factum eſt; quia ut ait Divus Auguſtinus, Maria fuit Mater fœcunda, quæ Chriſtum peperit, & virginitatem non amiſit: *Chriſtus Virginis Filius, & Virginum Sponſus, attulit Matri fœcunditatem, ſed non abſtulit virginitatem. Auguſt. lib.* 2. *de Symb. ad Catech. cap.* 4. In aliis feminis, quamdiu virgo aliqua eſt, mater non eſt, cum autem mater facta fuerit, virginitatem non habet: ſed ut ait S. Gregorius Nyſſenus, in Maria miraculoſe factum eſt, ut virginitas partum non prohibuerit, neque partus virginitatem ſolverit: *O miraculum ingens; Virgo Mater fit, & Virgo permanet! S. Greg. Orat. de ſancta Chr. nat.* Quatuor modis poteſt Deus facere hominem, inquit S. Anſelmus; videlicet aut de viro & femina, ſicut uſus monſtrat: aut nec de viro nec de femina, ſicut creavit Adam: aut de viro ſine femina, ſicut fecit Evam: aut de femina ſine viro, quod nondum fecerat. Ut igitur hunc quoque modum probaret ſuæ ſubjacere poteſtati, miraculoſe per Spiritus Sancti operationem voluit in Virginis utero formari, & a Matre Virgine generari. *O miraculum ingens, Virgo Mater fit, & Virgo permanet.*

Chriſtum de Virgine naſciturum prædixerat Iſaias Propheta, dicens: *Ecce Virgo concipiet & pariet. Iſaiæ* 7. Ipſum autem non ex corrupta, ſed ex Virgine naſci debuiſſe, multæ ſuadent rationes: *Decebat* enim, ut ſicut ab æterno Verbum in cælo ex Patre ſine corruptione genitum eſt; ita in terris ex matre ſine corruptela gigneretur. *Decebat*, ut qui ad tollendam mundi corruptionem venturus erat, incorruptionis donum matri ſuæ communicaret: *Decebat*, ut ſicut primus Adam de terra virginea, necdum manibus hominum tractata conditus eſt: ita ſecundus Adam, ſeu Chriſtus de Virgine intacta generaretur; *Decebat*, ut ſicut perditio ab Eva incœpit in tempore, quo, ut communiter creditur, erat virgo, etiam reſtauratio a muliere Virgine initium haberet: *Decebat*, tandem ut Chriſtus puriſſimus, & puritatis amantiſſimus, a matre puriſſima, & virgine ortum duceret: quare novum fecit Dominus ſuper terram, & invertens naturæ ordinem, in matre virginitatem cum maternitate conjunxit, & ex matre virgine natus eſt; *O miraculum ingens, Virgo mater fit, & Virgo permanet.*

Sicut ſidus ſine ſui corruptione ſuum emittit radium: ſic, inquit S. Bernardus, *homil.* 2. *ſuper Miſſus*, abſque ſui læſione Virgo peperit filium. Quemadmodum, ait idem Bernardus, Aaronica virga abſque humano opere flores emiſit, ita Virgo abſque viri opera, florem Chriſtum concepit. Sicut Gedeonis vellus ex carne ovis, abſque vulnere carnis, detonſum eſt; ita, inquit S. Ambroſius, *ſerm.* 13. caro Chriſti ex corpore Virginis abſque detrimento virginitatis eſt ſumpta. Quemadmodum rubus ille, in quo olim Deus apparuit, ignem concepit & virorem ſervavit, ut habetur Exodi tertio, ita Virgo cæleſtem & divinum ignem Chriſtum concepit, & virginitatis albedinem non amiſit. Maria tandem fuit virga de radice Jeſſe, ex cujus radice flos cæleſtis Chriſtus aſcendit: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet; Iſaiæ* 11. ut enim mellifluus ait Bernardus, *ubi ſupra, virga floruit abſque germine, & Virgo concepit non ex homine; nec virgæ virorem floris læſit emiſſio, nec Virginis pudorem ſacri partus editio*. O mirabilem, & miraculoſam Chriſti ex Virgine matre productionem! ſed o quam glorioſum fuit Mariæ, quod ſimul, & virgo, & mater fuerit! glorioſum eſt Mariæ, quod fuerit virgo; glorioſum eſt Mariæ, quod fuerit Chriſti mater: ſed longe glorioſius eſt ei, quod maternitatis, & virginitatis gloriam in ſeipſa adunarit, quodque ſimul maternitatem & virginitatem poſſederit, *& virginitatis poſſidet decus, & matris pertulit dignitatem. Chryſol. ſerm.* 143.

Maria ab Eccleſia vocatur *Virgo ſingularis*: hæc ſingu-

ſingularis fuit in conceptione, in qua ab originali labe fuit præſervata; in nativitate, in qua gaudium annuntiavit univerſo mundo; in vita, in qua a Dei amore numquam ceſſavit; & in morte, in qua amoris divini violentia potius quam naturæ defectu expiravit. Sed fuit ſpecialiori, & mirabiliori modo *Virgo ſingularis*, *Tertull. lib. adverſ. Jud. 9.* in annuntiatione, cum facta eſt ſimul mater & virgo; tunc non ſolum ſingularis, ſed & ipſa ſingularitas fuit: *Singularitas tota eſt*: quia ſingulari, portentoſo, & omnibus ſæculis mirando prodigio, gloriam virginitatis ſimul cum gloria maternitatis conjunxit; quo nihil eminentius, nihilque Mariæ videtur eſſe poſſe glorioſius. Sicut enim phœnix dicitur de ſingularitate famoſus: *Alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum*: *Tertull. lib. de reſurrect. carn. 13.* ita etiam Maria ob ſingulare illud privilegium, quo ſine virginitatis detrimento mater Chriſti facta eſt, erit in æternum famoſa, & omnibus hominibus veneranda, quia ſemper proclamabunt, quod Maria *virginitatis gratiam tenuit, & fecunditatis gloriam acquiſivit. S. Bonavent. in ſpec. Virgin. cap. 7.*

Mariam ſacratum gloriæ monſtrum vocat Sanctus Martyr Ignatius: *Cæleſte prodigium, ſacratiſſimum monſtrum. Epiſt. 1. ad Joann. Apoſt.* Non horrendum naturæ, ſed ſacratiſſimum gloriæ monſtrum & prodigium fuit Maria; quia ſicut monſtra dicimus, cum duo valde diſſita, & quæ diverſæ ſunt ſpeciei, inter ſe junguntur: ut cum puer caput habet arietinum, vel cum vitulus caput gerit humanum, ita Maria eſt monſtrum honoris, & gloriæ, quia duo glorioſiſſima privilegia, puta Chriſti maternitatem, & virginitatem in ſeipſa copulavit; glorioſiſſimum enim ei erat, quod eſſet virgo, virginum primiceria, & virginum Regina, glorioſiſſimum ei etiam erat, quod eſſet mater Chriſti, quodque eundem cum æterno Patre filium habuerit; ſed adhuc glorioſius, & quaſi monſtroſum eſt, quod Maria hæc duo in ſeipſa conjunxerit; quodque ſimul Dei mater & virgo puriſſima extiterit. Maria ſola eſt quæ hac potitur gloria, & quæ in æternum laudabitur, quia ſimul virgo, & Dei mater fuit: *Sola hæc eſt beata Deipara, in qua virginitas & maternitas obviaverunt ſibi: in ea factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum. S. Bern. ſerm. Sign. magnum.*

Miramini, & obſtupeſcite audientes, Deum tot & tanta ad Mariæ gloriam feciſſe: *Quis hæc audiens non obſtupeſcat*, inquit S. Anſelmus, *lib. de excell. Virg. & quod Deus tale quid velle potuerit, non ultra omne quod dici poteſt, admirabile dicat?* Eſt certe quod miremur; ſed & eſt, quod Mariam, cui tanta ineſt gloria, religioſiſſime & humillime veneremur. Verum eſt, multos hoc ævo ſpecie tenus B. Virgini eſſe devotos; multi eam venerantur quoad externa quædam devotionis, & pietatis exercitia, ſedrevera pauci ei ſincere, & perfecte ſunt devoti; quia pauci peccata, & omnem immunditiam a ſeipſis expellunt. Cupit B. Virgo, eos qui ipſi famulari glorientur, eſſe candidos, caſtos, & lethalis peccati macula alienos; tales ei placent famuli, quales erant Nazaræi, de quibus ait Jeremias: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, Thren. 4.* quare ſi B. Virgini famulari cupiatis, omne peccatum a vobis procul pellite: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Iſaiæ 32.*

Narrat Sophronius Sitiacum Abbatem *In Prat. ſpir. cap. 14.* aliquando ad ſuæ cellæ fores B. V. Mariam mirabili majeſtate & gloria fulgentem inveniſſe: qua humiliter ſalutata eam enixe rogavit, ut cellam ingredi dignaretur, ſperans, quod per ejus præſentiam cella ſanctificaretur, & quaſi in alterum Paradiſum immutaretur. Cui Virgo: *Habes in cella inimicum meum, & vis ut ingrediar?* Quibus dictis evaſit & evanuit. Sanctus autem Abbas gravi mœrore confectus, cellam ingreditur, ut Mariæ hoſtem inquirat: & cum ſollicite undique quæſiiſſet, nec inveniſſet; tandem in camera invenit librum quendam a Neſtorio adverſus Dei Genitricem compoſitum, tunc intellexit, quid ſignificarent quæ dixerat Maria, quare in ignem projecit librum dicens: *Non manebit in cella mea Dei Genitricis, & Dominæ meæ inimicus.* O Chriſtiane, ſi Beata Virgo S. Abbatis cellam ingredi renuit, quia in ea latebat hæretici Neſtorii liber: qua ratione cenſebis, grata ipſi tua eſſe obſequia, quandiu peccato mortali adhæres? Peccatum mortale eſt infenſiſſimus Chriſti, & Mariæ inimicus; quare ſi V. M. devotus eſſe peroptas, hunc ejus inimicum e cordis tui cella expelle, dic cum Sancto Abbate: *Non manebit in cella mea S. Dei Genitricis inimicus.* Procul pelle avaritiam, luxuriam, invidiam, & alios Mariæ inimicos: eos in anima tua habitare non ſinas, & Maria ad te veniet per ſuam protectionem, qua mediante gratiam, & gloriam impetrabis. *Amen.*

DE ANNUNTIATIONE B. V. MARIÆ.

CONCIO SECUNDA.

Dominus tecum. Luc. 1.

TAnta hodie Mariani ventris eſt gloria, ut eum ſuperbum vocitet D. Zeno: *Superbus*, inquit *emicas venter Verbo. ſerm. 4. de nat. M.* Crediderim, ſanctum hunc Antiſtitem meminiſſe illius Iſaiæ vaticinii, nunc maxime Mariæ Virgini aptandi; *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, Iſa. 60.* ſeu ut legit Pagninus, *ponam te in gloriam æternam*; hodie enim Mariæ uterus in ſuperbiam ponitur, & æternam ſibi conciliat gloriam, cum Patris æterni Verbum in eo incarnatur; & in eo eſt per unionem hypoſtaticam: *Dominus tecum.* Verum eſt, Deum, ante Verbi incarnationem, in Maria fuiſſe per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam, per gratiam & per ſingularem protectionem; ſed o rem mirabilem & omnibus ſæculis commemorandam! Angelus, qui omnibus his modis Deum Mariæ ineſſe probe ſciebat; eum novo, glorioſo, & portentoſo quodam modo in illa futurum eſſe annuntiat, per incarnationem ſcilicet & per unionem ejus cum humana natu-

natura, quæ in utero Mariæ debet fieri. *Dominus tecum*. Contemplemur nunc Verbum æternum, non in ſinu Patris, ſed in ventre matris; explicemus modos mirabiles, quibus Chriſtus Mariæ inſit, &c. *Ave*.

MIhi audire videor Angelum cæleſti cum majeſtate dicentem Mariæ: *Dominus tecum*. Sed optarem, ut explicaret mirabilis ille nuntius, quomodo Dominus eſt cum illa! Dicito, quæſo, o Angele Dei, quomodo cum Maria ſit Dominus? *Dominus tecum plus quam mecum; S. Auguſt. ſerm. 18. de temp.* Dominus, ut vice Angeli loquitur Auguſtinus, eſt cum Maria plus quam cum ipſo Angelo nuntiante. Angelus eſt cum Chriſto, ut Verbo, quo fruitur, & cujus poſſeſſione beatificatur. Magis tamen Chriſtus in Maria, quam in Angelo; quia Chriſtus in ea eſt ut in Throno, ut in templo, & ut in Paradiſo. Chriſtus Rex erat, Sacerdos erat, Deus erat. Si Rex, ubi Thronus? Si Sacerdos, ubi templum? Si Deus, ubi Paradiſus? Maria utique eſt Thronus hujus Regis, Templum hujus Sacerdotis, & Paradiſus hujus Dei; ut enim jam videbimus; Chriſtus eſt in Virginis utero. 1. Ut Rex in Throno ſuo. 2. Ut Sacerdos in templo ſuo. 3. Ut Deus in Paradiſo ſuo. Ecce quomodo Chriſtus eſt in Maria: *Dominus tecum*.

PRIMA PARS.

Chriſtus eſt in B. Virginis utero, ut Rex in Throno ſuo.

CHriſtus, qui *Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum*, *Apoc. 17. 15.* tres habuit Thronos, inquit Doctor Seraphicus: primum in Cælo, ubi ut Verbum in Patris æterni ſinu, velut in gloriæ ſuæ Throno reſidet: *D. Bonav. in Pſ. 88. Qui eſt in ſinu Patris. Joann. 1. 18.* Secundum in Eccleſia militante, ubi uſque ad mundi finem per ſpecialem protectionem permanebit. *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi. Hebr. 11. 8.* Tertium in ſinu Mariæ, qui fuit *Thronus*, quem ſibi elegit, *Thronus* quem ſibi fecit, *Thronus* in quem intravit, & *Thronus* in quo novem menſibus manſit.

Ut magnam amoris poteſtatem indicarent antiqui, illum una manu piſcem, altera vero ſpicas & flores tenentem pingebant; ut inde quidquid maris litoribus, aut terrarum finibus clauditur, amori tributum pendere, ac illius imperio ſubdi manifeſtarent. At latior adhuc amoris eſt ditio, ampliores ſunt poteſtatis ejus termini, quia & ipſi quoque Cælo tantum imperat tributum, ut ex tribus quæ in Deo ſunt perſonis, unam ſibi dari præcipiat; quæ quidem amori, & ex amore data eſt: nam ut ait dilectus Diſcipulus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joann. 3. 16.* Hic autem Dei filius in hunc mundum veniens, Regalem Thronum in B. Virginis utero ſibi elegit, *Rex Cæli*, inquit Albertus Magnus: *q. 59. ſup. miſſus, Mariam in ſolium gloriæ ſibi elegit*. Huncque ſuum Thronum ebore candidiorem, auro ditiorem, margaritis pretioſiorem & omnibus aliis regalibus ſoliis pulchriorem fecit.

Mariæ dixit Angelus, eam apud Deum inveniſſe gratiam: *Inveniſti gratiam apud Deum; Luc. 1. 30.* quam gratiam? reſpondet Guerricus Abbas: *ſerm. 1. in Annunt. Maria ſingularem pro omnibus electis invenit gratiam apud Deum, ut videlicet Dei conciperet & pareret Filium; atque ex ebore corporis ejus Thronum ſibi virtus Altiſſimi ſine manibus exſcinderet glorioſum*. Quibus verbis patet, quod duplicem ſpecialem, & inſignem gratiam invenerit Maria; *Prima* eſt, quod eam Deus præ cæteris omnibus ex gratuita dilectione elegerit in matrem ſuam. *Secunda*, quod ex carne ejus, quaſi ex ebore, præclarum, & pretioſum Thronum ſibi elaboraverit: *Atque ex ebore corporis ejus Thronum ſibi virtus Altiſſimi ſine manibus exſcinderet glorioſum*. Unde ſi Rex Salomon *fecit Thronum de ebore grandem; 3. Reg. 10. 18.* verus etiam Salomon Chriſtus, de ebore corporis Mariæ Thronum ſibi fecit grandem, & magnificum; de quo convenientius, quam de Salomonis Throno dici debet, quod *non eſt factum tale opus in univerſis regnis*. Hunc Thronum ſibi fecit Verbum æternum & in hunc Thronum intravit, cum naturam humanam aſſumpſit: *Fecit Thronum*, inquit Petrus Damiani, *ſerm. de Nativ. Virg. uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo ſedet illa majeſtas. Felix Thronus, in quo ſedet Dominator Dominus, in quo & per quem non ſolum omnes, ſed omnia renovantur*.

Cum Mariam ſalutavit Angelus, hæc *turbata eſt in ſermone ejus*. Turbatur Maria, vel ob Angelicæ majeſtatis fulgorem, vel ex pudore virgineo, vel etiam, ut ait D. Laurentius Juſtinianus, turbatur ex tam honorifica ſalutatione in ſui laudem facta, ac ex tot magnalibus quæ de ſe audierat: tanta enim ejus erat humilitas, ut cum laudaretur ab Angelo, torqueretur in corde. Sed aliam rationem commotionis Mariæ noſtro propoſito congruentiſſimam adducit S. Petrus Chryſologus: *ſerm. 143.* inquit, *turbata eſt, quia in ingreſſu Angeli ſenſit divinitatis ingreſſum*. Sicut enim die Palmarum *commota eſt univerſa civitas Jeroſolyma, Matth. 21. 10.* cum in eam Chriſtus triumphans, & ut Rex ingreſſus eſt: ita & turbata eſt Maria, quia cognovit Chriſtum Regem, & totius mundi Imperatorem, in ipſius utero, velut in throno ſuo, mox ſuſcipiendum: *Turbata eſt, quia ſenſit divinitatis ingreſſum*.

In ſinu Patris ab æterno erat Chriſtus ut Verbum, ibi inenarrabili & incomprehenſibili fruebatur beatitudine, ibi a mundi creatione Angelorum erat beatitudo; at hodie, ut loquitur D. Thomas a Villanova, *Virgo ſuis eum precibus traxit e cælo, hæc ſuis meritis, & virtutibus cælum invaſit. S. Thom. de part. Virg.* Verum eſt, quod Maria incarnationem Verbi, nec de condigno, nec de congruo meruerit, quia utrumque meritum requirit gratiam; gratia autem ſupponit incarnationem factam, aut faciendam, nam ex ordinatione divina omnis gratia eſt a Chriſto, & per Chriſtum: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum; Rom. 7. 25.* ac proinde Verbi incarnationem Maria non meruit, nec mereri potuit de potentia Dei ordinaria. Sed poſito divino decreto de futura Verbi incarnatione, meruit de congruo Maria, quod in Chriſti Matrem eligeretur, & quod Verbum in ejus utero incarnaretur. Et in

hoc

Digitized by Google

hoc ſenſu ait S. Thomas a Villanova, eam ſuis precibus & meritis Verbum in ſinum ſuum attraxiſſe: *Hæc Virgo ſuis eum precibus traxit e cælo*. Eumque in ſinum ſuum, veluti in thronum, ſola Maria trahere & ſuſcipere meruit, ut ait D. Auguſtinus: *Sola meruit Deum & hominem paritura ſuſcipere, facta thronus Dei, & aula Regis æterni*. Tanta erat pulchritudo Mariæ, ratione virtutum, & meritorum ejus, ut Verbum æternum ejus amore captum, dixerit: *Averte oculos tuos, quia ipſi me avolare fecerunt*. Quæ verba explicans præfatus Antiſtes, ait: *Unde, aut quo avolare, niſi a ſinu Patris in uterum Matris? Ubi ſup.* O mirabilem potentiam virtutum, & meritorum Mariæ, quæ Verbum increatum in ſinum ejus attraxerunt & volare fecerunt! in ſinum ejus volavit, in eum intravit, & velut in regio ſuo throno novem menſibus manſit, ipſa enim eſt quaſi columna nubis, in qua Deus ſuum thronum poſuit. *Maria*, inquit Doctor Seraphicus, *eſt thronus Dei, ipſa enim eſt columna nubis*. Hic eſt thronus, in quo Rex gloriæ Chriſtus ſedit & habitavit: *Rex deſideravit gloriam tuæ pulchritudinis*, inquit Andreas Cretenſis: *Rex amavit divitias tuæ Virginitatis, & in te habitavit. S. Andr. Cretenſis Orat. 2. de dormit. B. V.*

Mariam alloquens Dionyſius Carthuſianus, ait: *Nihil ſic ſingulariter, ſic mirabiliter poteſt dici Dei thronus, quemadmodum venter tuus benedictus, quia manſit in te tota divinitas corporaliter. Dionyſ. de dignit. Mariæ cap. 22.* Cælum, terra, mare, & omnes creaturæ in aliquo ſenſu dici poſſent Dei thronus, puta, quia Deus in omnibus eſt, & omnia implet per eſſentiæ ſuæ immenſitatem; ſed Maria modo ſpecialiori, & eminentiori, Dei thronus eſt, quia in ejus utero Deus incarnari, homo fieri, & corporaliter manere dignatus eſt. Unde Maria a D. Damaſceno vocatur *ſedes ejus, qui nullo capitur loco; Damaſcenus Orat. de dormit. B. M.* ideo etiam S. Ildephonſus eam, *ſolium gloriæ Dei* appellat. *Ildeph. ſerm. 8. de Aſſumpt.* Et Hugo Cardinalis ait, Mariam eſſe ſolium excelſum & elevatum quod vidit Iſaias: *Vidi*, inquit Propheta, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. Iſaiæ 6. 1.* Illud ſolium varii varie explicant, ſed præfatus Cardinalis ait: *Per ſolium excelſum & elevatum intelligitur B. Maria, in qua Chriſtus diu ſedit, & requievit.* O ſolium ſublime! o thronum mirabilem!

Sancta miratur Eccleſia, quod in Maria inhabitare Deus non horruerit: *Non horruiſti Virginis uterum*. Horruiſſet Verbum æternum in Thereſiæ, Agnetis, Barbaræ, & aliarum ſanctarum Virginum utero incarnari, quia hæ omnes originale peccatum contraxerant; ſed in Mariam intrare & in ejus utero carnem aſſumere non horruit, quia hæc originale non contraxit peccatum, & puriſſimis Virginibus purior fuit; non horruit quidem Virginis uterum, quin contra in eo incarnari elegit, in eum intravit, & in eo, velut in throno, diu manſit & requievit: *Per ſolium excelſum, & elevatum intelligitur B. Maria, in qua Chriſtus diu ſedit, & requievit.*

Miror, Chriſtum non horruiſſe Virginis uterum, & in eo, velut in trono ſuo, novem menſibus requieviſſe; ſed miror magis, quod idem Chriſtus in corpora noſtra intrare & in iis aliquandiu manere velit, quotieſcumque ſacram Euchariſtiam ſumimus: *Qui manducat meam carnem*, inquit, *& bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*. Cum ſacram ſumpſimus Euchariſtiam, non in nobis eſt Chriſtus ſolum per charitatem, ſed per ſeipſum, ac per veram, & realem ſuæ carnis, ſuique ſanguinis communicationem: *Qui edit & bibit carnem & ſanguinem Domini, in ipſo manet Domino, & Dominus in ipſo. Contemperatio fit nova, & ſuper rationem, ita ut ſit Deus in nobis & nos in Deo; Joann. 6. 5.* ſic Theophilactus. Quod familiari ſimilitudine explicat S. Cyrillus, dicens: *Sicut ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt; ita ſi quis carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur. S. Cyrill. in Joann. l. 4. cap. 34.* O nos felices nimium, quod idem Chriſtus, qui in Mariæ incarnatus eſt utero, ad nos veniat & intra nos maneat! o inviſibilis conditor mundi, quam mirabiliter agis nobiſcum! o ineffabilis gratia! o admirabilis dignatio! o amor immenſus homini ſingulariter impenſus! Unde hoc nobis quod Dominus noſter veniat ad nos? *Unde hoc mihi*, inquit piiſſimus Thomas a Kempis, ut *venias ad me? quid ergo ſum, ut præſtes mihi teipſum? quomodo audet peccator coram te apparere, & quomodo tu dignaris ad peccatorem venire? De imit. l. 2. c. 2.* Mira quidem res eſt, & humanum ſuperans intellectum, quod Chriſtus verus Deus, & homo ſub modica ſpecie panis, & vini ad nos venire, & in nobis habitare dignetur. Lætamini & exultate in Domino, qui tantum nobis beneficium impendit, ſed & Chriſto venturo hoſpitium præparate, magnaque cum ſollicitudine ad illum recipiendum corda, & corpora veſtra aptate. Heu! ſi Noe vir juſtus in arcæ fabrica centum annis laboravit, ut cum paucis ſalvaretur; ſi Moyſes arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundiſſimo veſtivit auro, ut tabulas legis in ea reponeret, quanto magis laborare debemus, ut Chriſto totius mundi conditori paremus hoſpitium! Puritate, humilitate, & omnibus virtutibus affluebat Maria, cum in ejus utero Verbum incarnatum eſt: omnium ſimiliter virtutum exercitio indeſinenter vacate, ut digni efficiamini ad recipiendum eumdem Chriſtum, qui in B. Mariæ Virginis utero fuit, ſicut Rex in throno ſuo: *ac etiam ſicut Pontifex in templo ſuo.*

SECUNDA PARS.

Chriſtus eſt in B. V. utero, ut Sacerdos in Templo ſuo.

CHriſtus in hunc mundum venit, ut Pontificis munus obiret; hic fuit Pontifex, qui introivit ſemel in ſancta, & qui corporis ſui ſacrificium pro humani generis ſalute obtulit Patri. Unde cum Pontificem magnum vocat Div. Paulus: *Habemus ergo Pontificem magnum. Hebr. 4. 14.* Nec ſolum in ara crucis Pontifex fuit; ſed etiam in B. Virginis utero, qui fuit *templum*, in quo Chriſtus habitavit; *templum*, quod ſanctificavit: *templum*, in quo nuptias cum natura humana contraxit, & *templum*, in quo nos æterno Patri reconciliavit.

De

Google

De Beatæ Virginis utero ſancta canit Eccleſia, quod Dei templum extiteſit: *templum Dei factus eſt uterus neſcientis virum*. Hoc fuit ſanctiſſimum, mundiſſimum, & charitatis auro fulgentiſſimum templum, in quo Chriſtus ut Pontifex habitavit: *Chriſtus*, inquit S. Bernardus, *in Maria habitavit, ut Creator in mundo, ut Pontifex in templo. S. Bernard. ſerm. de B. M.* Et, ut loquitur Dionyſius Alexandrinus: *Chriſtus in ſancto ſuo tabernaculo non manufacto habitavit, quod eſt Deipara; illic enim ipſe Rex gloriæ factus eſt Pontifex. Dion. in cap. 9. Epiſt. ad Hebr.* Chriſtus ante Incarnationem, & ut Verbum, preces fundere, ſacrificia offerre, & alia Sacerdotis munia obire nequicbat; ſed in B. V. utero ſacerdos factus eſt, in eo ut ſacerdos inhabitavit, & in eo ab inſtanti conceptionis pro mundi ſalute oravit, ſeipſum Patri in ſacrificium obtulit, aliaque ſummi ſacerdotis officia adimplevit. O mirabilem Sacerdotem, qui in Mariæ utero eſt, veluti in templo, in quo habitat, ac etiam *veluti in templo quod ſanctificat!*

Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Pſalm. 45. 5. Quod eſt illud templum, quod Deus ſanctificavit? Maria utique, ut ait S. Gregorius Thaumaturgus: *Maria*, inquit, *eſt animatum Dei templum quod Chriſtus ſanctificavit. S. Greg. ſerm. 3. de Annunc.* Sicut olim templum Salomonis Deus ſanctificaverat; *Elegi & ſanctificavi locum iſtum*, ita inquit D. Ambsoſius, Maria eſt templum animatum, quod per ſuam præſentiam Chriſtus ſanctificavit: *Sibi ſacravit templum pudoris, honeſtatis, & puritatis. Ambroſ. lib. de inſtit. virg.* Sed Maria eſt etiam templum, *in quo Verbum divinum nuptias cum humana natura contraxit*.

Gabriele internuntio mirabiles in Virginis utero nuptiæ celebratæ ſunt, quibus humana natura cum divino Verbo in eadem perſona indiſſolubili nexu copulata eſt; *In utero virginali*, inquit S. Auguſtinus, *Deus naturæ humanæ, tamquam ſponſus ſponſæ copulatus eſt. In Pſalm.* 18. In hoc connubio ſponſus fuit Verbum, & ſponſa natura humana, quæ illi indiſſolubili, & æterno vinculo unita eſt. Sicut enim de viro & uxore legitur Geneſeos ſecundo: *Erunt duo in carne una*; ita de his ſponſo & ſponſa, id eſt, de Verbo divino, & natusa humana, dicitur: ſunt duo in peſſona una, ſeu ſuut duæ naturæ, divina & humana, in una divini Verbi peſſona; qua ſuſtentantur, & terminantur: natura enim humana Chriſti, loco propriæ hypoſtaſis, divinam Verbi hypoſtaſim ſummo Dei beneficio adepta eſt. Has nuptias late explicat S. Gregorius Papa, dicens: (Tunc Deus Pater Deo Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit; quando Deum ante ſæcula firri voluit hominem in fine ſæculorum. Sed quia ex duabus perſonis fieri ſolet nuptialis iſta conjunctio, abſit hoc ab intellectibus noſtris, ut perſonam Dei & hominis Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti ex duabus perſonis credamus unitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis exiſtere dicimus; ſed ex duobus perſonis compoſitum credi, ut nefas vitamus. *S. Gregor. homil. 38. in Evang.*) Mirabile quidem hoc conjugium, in quo Verbum æternum eſt ſponſus & natura humana eſt ſponſa, cui indiſſolubili nexu Verbum unitum eſt: quia naturam quam ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit. Sed in quo templo celebratæ ſunt hæ nuptiæ? In Mariæ Virginis utero, qui ut ait S. Bernardus, fuit templum ſacratiſſimum, a Deo prædeſtinatum & electum ad tales nuptias faciendas. *Jam ergo uterum tuum, Domina, velut ſacratiſſimum Dei vivi templum totus mundus veneratur, quia in eo ſalus mundi initiata eſt, ac prædeſtinatas a ſæculo nuptias Virgo cum Virgine prælibavit. S. Bernar. ſerm. ad Virg. Deip.* O mirabile templum, in quo hæ nuptiæ factæ ſunt! ſed fuit etiam uterus Mariæ templum mirabile, *in quo mundi pax & reconciliatio cum Patre æterno facta eſt*.

In hoc templo, ut ſubdit idem Bernardus; *Ruptus eſt paries inimicitiarum, quem inter cælum & terram protoplaſtorum inobedientia contraxerat; ibi confœderata ſunt terrenis cæleſtia, & obviaverunt ſibi in oſculo pacis, quando in unam eamdemque perſonam concurrerunt divinitas & humanitas.* A quater mille annis inter cælum & terram concitatum erat bellum; Chriſtus autem qui in hunc mundum venerat, ut humanum genus cum Patre æterno reconciliaret, Virginis uterum ut templum pacis elegit, in quo pacem noſtram fecit & firmavit; *in eo*, ut ait S. Proclus *in Orat. habita in Concil. Epheſ. communis pacis, libertatiſque cauſa confecta eſt*. Quæ inter terrenos Reges fit pax, non eſt vera pax, ſed quædam potius belli ſuſpenſio, ſeu induciæ; unde facta inter eos pace, ſua non confringunt arma, nec belli apparatum totaliter abdicant: quinimmo tempore pacis, ad bellum denuo ineundum ſe præparant: at Mariæ uterus fuit templum, in quo pax conſtans & perpetua firmata eſt; quare omnia ſua Deus arma confregit: *Factus eſt in pace locus ejus: ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum. Pſalm. 75.* Ad perficiendam illam pacem ſanguinem ſuum ſe in cruce fuſurus promiſit Chriſtus; & Maria, ut ſimul cum Chriſto pacem noſtram faceret, Chriſto ſanguinem quem fuſurus erat, largita eſt: *Effundendum pro mundi pace ſanguinem quem de corpore tuo Chriſtus accepit, ac de te ſumpſit, quod pro te ſolvat*; inquit S. Eucherius. Unde eam mundi pacem & conciliatricem vocat S. Ephrem; *Tu pax*, inquit, *tu ſalus mundi, tu univerſi terrarum orbis conciliatrix*. Ipſe eſt pax noſtra non ſolum quia in ejus utero, veluti in templo, pax noſtra facta eſt; ſed etiam, quia ad pacem noſtram faciendam non parum contulit. O templum Deo dignum, in quo Chriſtus ut Verbum inhabitavit, quod ſanctificavit, in quo nuptias contraxit, & pacem noſtram fecit!

Templum Dei nobiliſſimum ac perfectiſſimum fuit Maria, & nos aliquo modo Dei templum eſſe docet D. Paulus, dicens: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Cor. 3. 17.* Templum Dei ſumus, quia quandiu in ſtatu juſtitiæ perſeveramus, Spiritus ſanctus in nobis, ſicut in templo ſuo, per ſuam gratiam inhabitat: & templum Dei ſumus, quia cum Chriſtum in Euchariſtia ſumpſimus, ſi in ſtatu gratiæ ſimus, in nobis aliquandiu ſicut in templo ſuo remanet. Sed cavendum, ut ſubdit D. Paulus, ne hoc templum violemus: *Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis*

autem

Digitized by Google

autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum Dei ſumus, & templum illud violamus, cum peccamus mortaliter; quia peccatum mortale Deum, ſeu Dei gratiam a nobis expellit. O quam multi templum Dei violant! quam multi mortaliter peccant! Jehu deſtruxit templum Baal, illud violavit, & in eo cloacas fecit: *Deſtruxerunt ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas*: 4. *Reg.* 10. 27. & quotidie fideles, non Baal, ſed Dei templum violant, cum mortaliter peccant; & in templo Dei, ſeu in cordibus ſuis avaritiæ, luxuriæ, & omnium vitiorum cloacas faciunt: immo & in eis idola erigunt. Ezechiel Propheta in templi pariete depicta vidit omnia idola domus Iſrael: *Univerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum*: *Ezechiel.* 8. 10. multi ſimiliter animas ſuas, quæ ſunt templum Spiritus Sancti, deturpant; plurimi hæc templa violant, & in eis idola avaritiæ, idola ſuperbiæ, idola concupiſcentiæ; & aliorum vitiorum idola erigunt & delineant. Sed væ vobis qui templum Dei violatis, quia diſperdet vos Dominus: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Templum Jeroſolymitanum violaverat Antiochus: quare a Deo percuſſus periit: & ideo moriens dixit: *Nunc vero reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.* 1. *Mach.* 6. 12. Periit Antiochus qui templum Jeroſolymitanum violavit; & peribunt omnes peccatores, qui animas ſuas, quæ ſunt templum Spiritus Sancti, violabunt: *nam anima quæ peccaverit, ipſa morietur*; *Ezechielis* 18. 4. morietur quidem ſpiritualiter per peccatum mortale, quod animæ mortem ſpiritualem infert; ſed morietur etiam morte æterna, ſi non convertatur. Quare ſi templum Dei ſitis, ne illud templum violetis; ſed potius illud magis & magis ſanctificetis; eſtote templa Dei ſancta & pura, ſicut B. Virgo, in qua Chriſtus fuit ut Sacerdos in templo ſuo; *ac etiam ut Deus in paradiſo ſuo.*

TERTIA PARS.

Chriſtus eſt in B. Virginis utero, ut Deus in Paradiſo ſuo.

De Chriſto prophetice dixit Pſaltes Regius, quod *a ſummo cælo egreſſio ejus*; *Pſ.* 18. quod quidem de Chriſto ut Verbo intelligi poſſet, quia a ſummo cælo quaſi egreſſum eſt, ut in Virginis uterum veniret: ſed de Chriſto etiam, ut homine, hæc verba intelliguntur; quia, ut homo, egreſſus eſt ab utero Virginis, qui uterus cælum & ſummum cælum, ſeu Paradiſus erat, *ratione* magnitudinis & capacitatis, *ratione* puritatis & integritatis, ac *ratione* beatitudinis & felicitatis.

Cæli empyrei, ſeu Paradiſi, quanta ſit capacitas & amplitudo, vix concipi poteſt: ſi enim terræ globus (qui in ſe maximus eſt) reſpectu firmamenti, inſtar puncti eſſe videatur; quanta eſt capacitas cæli empyrei, quod & firmamentum & omnia alia corpora, tam cæleſtia quam terreſtria intra ſe claudit? Maxima certe & ineffabilis eſt capacitas Paradiſi, qui domus Dei eſt: *O Iſrael; quam magna eſt*

domus Dei! *Baruch* 3. Licet autem tanta Paradiſi ſit magnitudo & capacitas; Maria tamen eſt Paradiſus ratione ſuæ capacitatis, immo & Paradiſo eſt capacior, quia, quem cæli capere non poterant, ſuo utero concluſit; & incomprehenſibilem ſui uteri circulo comprehendit; ut enim habetur in Concilio Epheſino: *Quis vidit, quis audivit unquam tale? incircumſcriptus Deus uterum inhabitat: quem cæli non capiunt, venter complexus eſt Virginis*; *Cap.* 7. Ante Verbi incarnationem Chriſtus in cælo erat qua Deus, & non qua homo: quare cum Deus ſit incomprehenſibilis, eum cæli capere nequibant: ſed hodie Deus, qui in ſe incomprehenſibilis eſt, naturæ humanæ hypoſtatice unitur, & fit homo in utero Virginis; ac proinde, cum Virginis uterus comprehendat hunc hominem qui eſt Deus, quem cæli capere non poterant, uterus Virginis toto cælo amplior & capacior dicitur. Immo Doctor Seraphicus Mariam non ſolum Paradiſo, ſed etiam toto mundo capaciorem & quodammodo immenſam vocat: *Tu ergo immenſiſſima Maria capacior es mundo, quia quem totus non capit Orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. D. Bonav. in ſpec. B. Virg. c.* 5. Quod prodigium admirans S. Epiphanius, in hæc verba prorupit: *O uterum impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehenſibilem, in te vere comprehenſum portaſti! O uterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti! S. Epiph. ſer. de laud. Deip.* Eſt ergo Maria Paradiſus ratione ſuæ capacitatis; ſed eſt etiam Paradiſus: *ratione ſuæ puritatis.*

S. Eccleſiæ Patres Mariam crebro *cælum* vocitant, & cælum revera fuit, tum quia cæleſti charitate arſit, tum quia in ea ſicut in cælo, Deus ſuam ſedem præparavit: *Dominus in cælo paravit ſedem ſuam.* Sed potiſſimum dicitur *cælum*, ratione puritatis Angelicæ & cæleſtis, qua fulſit. *Cælum eſt Maria*, inquit Doctor Seraphicus, *quia cæleſti puritate abundavit. Ubi ſup.* Et ut ait Richardus a S. Victore: *l. de Emman. c.* 18. *Sicut cælum non eſt capax alicujus peregrinæ impreſſionis, ut loquuntur Aſtrologi, ita nec Deipara, propter admirabilem ejus impeccabilitatem, nullam peregrinam, leviſſimi etiam peccati, impreſſionem unquam ſuſcepit.* Supremum cælum, ſeu Paradiſus, aliis omnibus cælis purius eſſe videtur, quia hæc eſt civitas cæleſtis, quæ nihil ſordidum recipit: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Apoc.* 21. 27. In tartarum, velut in magnam totius mundi cloacam, omnes criminum ſordes defluunt, ſed in Paradiſo nihil immundum & inquinatum reperiri poteſt: unde cæleſtis illa civitas aurum purum & mundum vocatur: *Ipſa civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo*: *Apoc.* 21. non ibi lutum, non ibi plumbum, aut contemptibile aliquod metallum; non ibi etiam argentum, vel aurum quod ſcoriam habeat, ſed aurum mundiſſimum, inſtar vitri perlucidum: *Aurum mundum ſimile vitro mundo.* Cæleſti autem huic Jeruſalem, ſeu Paradiſo, in hoc ſimilis fuit Maria; cujus tanta fuit puritas, ut ea major ſub Deo intelligi nequeat: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major ſub Deo nequit intelligi*; *S. Anſelm. de Concept. Virg. c.* 18. in eam non intravit aliquid coinquinatum: ſed fuit aurum ſemper mundum, quod nullam unquam, ſive originalis, ſive

actualis peccati ſcoriam habuit, hæc in mundo vivens immuudo, ne minimæ quidem immunditiæ maculam contraxit, in toto vitæ ejus decurſu nec unum opus, nec unum verbum, nec una cogitatio reperiri poteſt quæ a divina lege & voluntate deviarit, aut diſcrepatit. Ipſa tandem eſt Paradiſus, ratione ſuæ puritatis, & in ea veluti in Paradiſo puriſſimo, commoratus eſt Chriſtus: *Bene Paradiſi Virginis uterus fuit, quem Spiritus Sanctus tanta gratiarum ubertate profudit, quod Dei Filio factus eſt Paradiſus deliciarum. Rich. a S. Laur. de laud. Virg. l. 12.* Sed ſi Maria fuit Paradiſus ratione puritatis, *fuit etiam Paradiſus ratione beatitudinis & felicitatis.*

De Chriſto dicitur, quod de Paradiſo exiverit: *Ego ſicut aquæductus exivi de Paradiſo. Eccli. 24. 41.* Ante incarnationem de Paradiſo egredi non poterat Chriſtus ut homo, cum nondum eſſet homo, nec etiam ut Deus, cum Deus, ratione ſuæ univerſitatis, in omnibus locis ſemper neceſſario ſit, nec de aliquo loco egredi valeat: quomodo ergo Chriſtus exivit de Paradiſo? Hoc dubium ſolvit Richardus a S. Laurentio, dicens: *Exivit de Paradiſo, id eſt, de Virginis utero; Ubi ſup.* ex quo ut ex Paradiſo exiit Chriſtus quando natus eſt, & in quo ſicut in Paradiſo fuit, quandiu in eo commoratus eſt, quia in eo cæleſti ſemper beatitudine potitus eſt. Sicut enim cælum empyreum proprius locus eſt beatitudinis, ubi Deus Beatis clare & faciliter ſe manifeſtat; ita ſanctiſſimus Mariæ uterus, primus locus fuit, in quo Deus permanenter claram & beatificam ſui viſionem animæ Chriſti communicavit. In Chriſto homine duplex fuit beatitudo, ut docet D. Thomas, una increata, & alia creata; ratione unionis hypoſtaticæ fuit beatus beatitudine increata, ſicut ratione talis unionis eſt Deus; ſed præter hanc beatitudinem increatam oportuit, inquit D. Thomas, *3. p. q. 9. art. 2. ad 2.* in natura humana Chriſti eſſe quandam beatitudinem creatam, qua frui cœpit Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſuæ, ut enim ait Richardus de S. Victore: *l. 2. de Eman. c. 22. Quod nos expectamus in conſummatione, illi datum eſt in ſua conceptione*; ſeu illi data eſt ab inſtanti conceptionis beatitudo cæleſtis, quam nobis dari expectamus, poſtquam omnia adimpleverimus, & conſummaverimus, quæ nobis Deus facienda propoſuit.

Mariæ uterum *Paradiſum voluptatis* vocat S. Ephrem; *Orat. de laud. B. M.* quomodo Paradiſus voluptatis dicitur uterus, quin potius carcer arctiſſimus, quam Paradiſus dicendus videtur? hanc difficultatem explicat S. Petrus Damiani, *ſerm. 11.* dicens: *Locum voluptatis uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes deliciarum delicias.* Sed quomodo in Mariano utero omnes ſunt deliciæ? in eo quidem omnes deliciæ quia in eo eſt Chriſtus Dominus, qui eſt objectum beatitudinis, & principium omnium deliciarum Paradiſi: ſed in utero Virginis omnes etiam ſunt deliciæ, quia in ea Chriſtus ab inſtanti conceptionis Paradiſi deliciis fruitur. Chriſtus enim a conceptionis ſuæ exordio, non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum caput fuit, in illos influens gratiam, & in iſtos gloriam: unde Angeli juſſi ſunt eum adorare: *Cum introduxit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: Hebr. 1. 6.* Quare cum Chriſtus ab inſtanti conceptionis, & in utero Virginis, caput fuerit Angelorum, & in eos influxerit gloriam & beatitudinem; certum eſt, quod & ipſe in Virginis utero gloria & cæleſti beatitudine perfectius potitus ſit, quam ipſi Angeli, quorum fuit caput; fuit ergo Chriſtus in Virginis utero, non ſolum ſicut in throno & templo ſuo, ſed etiam in Paradiſo ſuo.

Miramini, quod Chriſtus tot mirabilibus modis in B. V. utero extiterit; ſed identidem obſtupeſcite, quod idem Chriſtus ad vos veniat, & intra vos ingrediatur, quotieſcumque S. Euchariſtiam ſumitis. Audite illum dicentem: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum; Matth. 26.* o quale prodigium, Chriſtus realiter ad nos venit, & a nobis manducatur! *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, ſervus, & humilis!* eſt certe quod miremur, ſed eſt etiam quod nos probemus, & quod ad recipiendum tantum hoſpitem corda & corpora noſtra præparemus. *Probet autem ſeipſum homo;* inquit D. Paulus, *& ſic de pane illo edat. 1. Cor. 11. 28.* Probare & ſerio examinare ſeipſum quiſque debet, ut videat, an in ipſo quidquam exiſtat, quod Chriſto venturo diſplicere poſſit; probare quiſque ſe debet, ita quod in ſeipſo nihil impurum, nihilque peccaminoſum relinquat; probare quiſque ſe debet, inquit Hyamo, *ne forte unde alii incipiunt remedium, accipias ille judicium & damnationem.* Qui digne Chriſti corpus ſumit, magnam gratiarum & bonorum ſpiritualium copiam percipit; ſed *qui manducat indigne, judicium ſibi manducat: 1. Cor. 11.* quare probet quiſque ſeipſum, ne corpus Chriſti ſumat indigne. O quanta erat puritas Mariæ, quanta ejus humilitas, & quanta charitas, cum in ejus utero Verbum incarnatum eſt! Nihil ea purius, nihil humilius, nihil charitate ardentius; has & alias Mariæ virtutes ſectemini, ut non indigne, ſed digne Chriſtum percipiatis, accedite cum fide viva, cum humilitate profunda, cum ſpe firma, & cum charitate ardentiſſima, præparate corda veſtra, ut digne Chriſtum recipiatis, & ipſe vos in hoc mundo ſua gratia, & in cælo ſua gloria replebit. *Amen.*

DE SANCTO
FRANCISCO DE PAULA.
CONCIO UNICA.

Pſallemus virtutes tuas. Pſalm. 20. 14.

NOnnullos in quibuslibet ſæculis homines magnifica Deus exornavit ſanctitate, ac heroicis ditavit virtutum prærogativis, ut eſſent quaſi præclara ſpecula, quæ alii contemplarentur, & veluti publica omnium virtutum exemplaria, quæ alii imitarentur. Prima naſcentis Eccleſiæ ſæcula ſuos habuere Apoſtolos, ſuos Martyres, ſuoſque famoſos Confeſſores; ſubſequentia vero ſuos admirata ſunt Doctores illuſtriſſimos, necnon varios diverſorum Ordinum ſanctiſſimos inſtitutores; in noviſſimis autem temporibus, inter alios perexímiæ ſanctitatis viros apparuit S. Franciſcus de Paula, qui præcellentiſſimum manſuetudinis, humilitatis, charitatis,

ac omnium virtutum ſpeculum & exemplar, non ſolum filiis ſuis ſpiritualibus, verum & omnibus fidelibus extitit. Natus eſt in Calabria, ubi prima Ordinis *Minimorum* poſuit fundamenta; Siciliam adiit, ubi imperavit ventis & mari; Neapolim tranſiit, ubi Ferdinando Regi plurima prædixit; Romam inviſit, ubi a ſummo Pontifice honorifice acceptus eſt: in Galliam tandem ſe contulit, ubi ſanctiſſime in Domino obdormivit, & in omnibus præfatis locis, mirandis effulſit virtutibus, quas nunc enarrare & pſallere intendimus: *Pſallemus virtutes tuas*, &c. *Ave*.

HOminum imprudentium, ſuperborum & inconſtantium aut falſa aut nulla eſt virtus; quia *imprudentes* virtuti nimium ſevere inſiſtere ſolent; *ſuperbi* exteriori tantum, & apparenti vacant virtuti; & *inconſtantes*, qui ut luna mutantur, a virtutis exercitio quod ſuſceperunt, facile deſeiſcunt. Ex chriſtianis autem alii quidem ſeveram, claram & glorioſam alii, & alii ferventem ſectantur virtutem, ſed non raro accidit, *imprudentes* eſſe eos, qui ſeveram virtutem profitentur, *ſuperbos* fieri eos quorum virtus clara eſt, & *inconſtantes* eſſe eos, qui virtuti ferventi, ſeu qui nimio cum fervore virtuti adhærent. Aſt S. Franciſcus, cujus jam virtutes pſallimus, in virtutum exercitio fuit prudentiſſimus, humillimus & conſtantiſſimus; virtus enim ejus fuit maxime auſtera, clara & fervens; ſed virtus ejus fuit *auſtera*, ſine imprudentia: *clara*, ſine vanitate, & *fervens*, ſive inconſtantia, 1. S. Franciſci virtus fuit auſtera, ſed ſine imprudentia: 2. S. Franciſci virtus fuit clariſſima, ſed ſine vanitate: 3. S. Franciſci virtus fuit fervens, ſed ſine inconſtantia. Hæ ſunt tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

S. Franciſci virtus fuit auſtera, ſed ſine imprudentia.

INter homines Chriſtianos, qui Chriſtum crucifixum ſequi profitentur, crucem amplectuntur pauci; plerique enim jejunare renuunt, injurias condonare neſciunt, paſſionum mortificationi vacare recuſant, nimium divitiarum & creaturarum affectum e corde evellere negligunt; nihil tandem durum, nihil difficile, nihilque pravis ſuis affectionibus contrarium pro Chriſto facere, aut pati volunt. Hi virtutem ſectari & ſuo ſimul corpori placere cuperent, optarent ſimul & pietati adhærere, & voluptati indulgere; vellent Chriſto crucifixo famulari, & identidem carnis ſuæ illecebras fovere deſiderarent. At virtus, ſi vera ſit, corporeas abjicit voluptates, & auſteritatem amat; hæc eſt flos cæleſtis, qui non inter delicias, ſed inter ſpinas colligitur; eſt ſapientia, quæ non in terra ſuaviter viventium, ſed in deſerto pœnitentiæ invenitur; eſt ſanctus habitus, qui ſine labore gravi comparari nequit: ſpiritualis enim vitæ magiſtri pro certo ſemper habuerunt, virtutem in arduis eſſe poſitam, & cum auſteritate eſſe conjunctam, nullumque eam aſſequi valere, niſi continue ſibi vim facere contendat. Quod probe noverat S. Franciſcus, qui a teneris annis ſeveram & arduam ſectatus eſt virtutem: non unico temporis momento deliciis, etiam licitis, eum vacaſſe ſcimus, ſed toto vitæ ſuæ tempore vigiliis, jejuniis, & aliis carnis macerationibus eum operam dediſſe omnibus notum eſt. Et paucis verbis vitæ ejus auſteritatem delineat *Surius*, dicens: Cum juvenis adhuc eſſet Franciſcus, Calabriamque incoleret, nunquam niſi nudis pedibus, etiam per glacies, nives, montes, & acuta ſaxa, vepres, ſpinaſque incedebat. In puertia, adoleſcentia, juventute, ſenecta, & decrepita ætate, inter labores, jejunia, abſtinentias, innumeraſque corporis macerationes, eundem pene vivendi modum ſervavit. O magnam hujus Sancti auſteritatem!

Non ſemel cum aliqua voluptate legi varios loquendi modos, quibus utebantur antiqui, ut virtutem auſteram eſſe debere patefacerent. Eam ſudoribus acquiri dicebat Xenophon: 2. *de fact. & dict. Socrat. Virtuti ſudorem præpoſuerunt Dii immortales*. Eam inter rupes habitare ajebat Simonides *ap. Clem. Alex. l. 4. ſtrom. Virtus habitat in rupibus aditu difficilibus*. Eam Firmianus lib. de vero cultu, cap. 4. ſpinis horrentibus circumdatam proponebat, *Virtus eſt ſpinis horrentibus aſpera*. Altas radices virtutem habere, quæ ſine labore multo evelli nequeunt, dixit Cicero. *Virtus una eſt altiſſimis defixa radicibus*. Arduam eſſe ad virtutes viam dixit Seneca *l. 2. de ira c. 3. Arduum in virtutes, & aſperum iter eſt*. O qualem virtutis picturam! o qualem philoſophiam! quæ quidem non placet hominibus concupiſcentiæ, abdomini, & libidini deditis; non arridet iis, qui mollibus veſtiuntur, qui epulantur quoridie ſplendide, & qui in bonis ducunt dies ſuos: ſed placuit & arriſit S. Franciſco de Paula, qui virtutem auſteram amplexatus eſt, & qui, ut alter Paulus, corpus ſuum duriſſime caſtigavit & in ſervitutem redegit: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*. 1. *Cor*. 9. 27. Non virtuti commodæ, facili & ſuavi vacavit; ſed per auſteras virtutis & pœnitentiæ ſemitas ambulavit, corpus ſuum caſtigavit, & ſicut præfatus Apoſtolus, mortificationem ſemper & ubique circumtulit: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes*: 2. *Cor*. 4. 6. ſive enim eſſet in Calabria, ſive in Sicilia, ſive in Gallia, ubique duris flagellationibus, acerbis jejuniis, humi cubationibus, & aliis multis macerationibus corpus ſuum cruciabat, ſemperque Chriſti mortificationem circumferebat; & per vitæ ſuæ auſteritatem, corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam & Deo placentem faciebat.

Omnis terra demirata eſt auſteram virtutem quam ſectatus eſt S. Joannes Baptiſta, qui, cum adhuc eſſet puer, in altam ſeceſſit ſolitudinem, ubi diu remanſit, *neque manducans, neque bibens; Matth.* 11. ut ait ſacer Textus; & ut addit S. Bernardus *ferm. 1. de Nativ. Joann. Profecto neque veſtiens, neque cubans*. Erat Joannes *non manducans*, quia pauciſſimo & viliſſimo utebatur cibo; veſcebatur enim locuſtis & melle ſilveſtri, iiſque parciſſime victitabat: erat *non bibens*, quia ſolius aquæ hauſtu ſitim extinguebat: erat *non veſtiens*, quia hiſpida ſolum cameli pelle tegebatur: & erat *non cubans*, quia non in molli lecto, ſed humi decumbebat. O duram vivendi formam! o auſteram hujus innocentis virtutem! cui ſimilem ſectatus eſt S. Franciſcus,

L 2 qui

qui a teneris annis in eremum ſe contulit, in qua ſexennium ab omni prorſus hominum converſatione ſemotus permanſit; eratque ibi *neque manducans*, *neque bibens*, quia aliquibus ſolummodo veſcebatur herbis, & ſola aqua ad ſitim extinguendam utebatur: erat etiam *non veſtiens*, quia non tam veſte, quam duro cilicio carnem ſuam operiebat: & erat *non cubans*, quia non ei alius inerat lectus, quam nuda humus. Virtutis auſteræ quam ſectatus eſt Franciſcus, talia fuere exordia; ſed ſemper ivit de virtute in virtutem, & quo factus eſt ætate provectior, eo ejus fuit virtus auſterior; mortificationem non abdicavit, cum ſolitudinem reliquit; ſed toto vitæ ſuæ tempore corpus ſuum jejuniis, vigiliis, flagellationibus, & aliis ſeveræ virtutis adinventionibus caſtigavit; Chriſtique mortificationem in corpore ſuo ſemper & ubique circumtulit.

Omnis Chriſti virtus cum auſteritate fuit conjuncta, & aliquo ſemper rigore condita; ſi enim jejunavit, ita ejus acerba fuere jejunia, ut eſuriem paſſus ſit, *Cum jejunaſſet, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit*; *Matth.* 4. 2. Si oravit, ita orationi incubuit, ut in ea pernoctaret: *erat pernoctans in oratione*; *Luc.* 6. 12. Si dilexit nos, tanta ejus fuit charitas, ut pro nobis pati & mori voluerit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*; 1. *Pet.* 2. 21. Si ſe humiliavit, tanta ejus extitit humilitas, ut crucis patibulo affigi voluerit, *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*; *ad Philipp.* 2. 8. Omnes tandem ejus virtutes arduæ, heroicæ & auſteræ extitere; in iis ſemper aliquis rigor & aliqua auſteritas eluxit. Sanctus autem Franciſcus mortificationem Chriſti circumtulit, magiſtrum ſuum Chriſtum imitatus eſt, & ſimul cum ipſo virtutem auſteram ſectatus eſt; omneſque ſuas virtutes gravi cum auſteritate conjunxit. Si enim jejunavit, non ſolum per aliquot dies, ſed per ſexaginta ad minus annos, & tunc fere ſemper in pane & aqua; ſi corpus ſuum flagellavit, non ita ut aliquantulum ſolum doloris pateretur, ſed ita ut illud cruentaret, & pene excoriaret; ſi ſolitudinem adiit, aliqua recreatione ejus acerbitatem non mitigavit, ſed continuis mortificationibus eam ſibi duriorem & acerbiorem fecit: humiliavit ſemetipſum, ita ut omnium minimus nominari & reputari voluerit; Deum amavit, ita ut per pœnitentiæ rigorem pro eo continue mortuus ſit. Ecce virtutem vere heroicam, & maxime auſteram; ſed S. Franciſci virtus fuit auſtera *ſine imprudentia*.

2. Poſtquam Divus Paulus ad ſeveram nos hortatus eſt virtutem, monet nos ut caveamus, ne virtuti nimis ſeveræ & duræ imprudenter vacemus: *rationabile*, inquit, *obſequium veſtrum*; *ad Roman.* 12. Quæ verba explicans Doctor Angelicus, ait; *Rationabile obſequium veſtrum, ita quod corporis afflictio non ſit nimia, ſed moderata & rationabilis*. Vacas virtuti minus duræ, quam Deus & leges exigant? tepidus es. Virtutem nimis auſteram & duram amplecteris, ita quod corpus nimium atteras? imprudens es. Hanc autem nimis duram & imprudentem virtutem viris piis, & Dei amore ferventibus aliquando inſpirat Satanas; cujuſque enim mores & propenſiones explorat, ut aptos eis laqueos paret; cum aliquos Dei amore ferventes videt, iis virtutis exercitia nimis ardua & importabilia inſpirat, ut tandem nimio labore gravati, & feſſi, viam virtutis abjiciant, & vitiis indulgeant. O quam imprudentes ſunt, qui malignis dæmonis ſuaſionibus obtemperantes, duriorem & acerbiorem vitæ rationem ſuſcipiunt! Sed o quam prudens extitit Sanctus Franciſcus, cujus quidem virtus dura fuit & auſtera, sed ſine imprudentia, quia proprium corpus non plus attrivit, quam Deus ab eo exigeret. Si alius ab eo, qui pari gratia non eſſet præventus, & qui a Deo ad tam ſublimem perfectionem non eſſet vocatus, vellet toto vitæ ſuæ tempore abſque ullo fere obſonii uſu jejunare, nudis pedibus etiam inter nives & glacies incedere, proprium corpus crebro flagellis cruentare, & aliis duris virtutum exercitiis, quibus ipſe indulſit, inſiſtere, hic quidem imprudens eſſet, & rationabile ejus non eſſet obſequium. Sed in Franciſco nulla eſt imprudentia, quia ad virtutes illas heroicas & difficiles eum Deus vocavit, ut illum mirabile Angelis & hominibus heroicarum virtutum ſpectaculum faceret.

In antiqua lege prohibuerat Deus, ne aliquod ipſi ſine ſale offerretur ſacrificium: *Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies. Levit.* 2. 13. Cur omnem victimam ſale condiri optabat Deus, *ut doceat nos*, inquit Doctor Angelicus, *quod ſacrificium corporis noſtri, quod ei in nova Lege offerimus, debet ſale prudentiæ condiri? D. Th. in c.* 12. *Epiſt. ad Rom.* Nonnulli, non Spiritus Sancti impulſu, ſed proprio motu, vel dæmonis inſpiratione ducti, ita gravibus ſe dedunt pœnitentiæ operibus, ut carnem ſuam non reſtringere, ſed extinguere, non reprimere, ſed opprimere velle videantur; hi plerumque in via virtutis corruunt, quia ſacrificium ſuum ſale non condiunt; ſed S. Franciſcus ſacrificium ſuum ſale condivit, quia licet omnes ejus virtutes eſſent heroicæ, & maxime ſeveræ, talis auſteritas non erat nimia, ſed prudens, reſpectu virium ejus & voluntatis Dei; erat prudens reſpectu virium ejus, quia a Deo ad duriora quæque perferenda confortabatur: erat etiam prudens reſpectu voluntatis Dei, quia a Deo ad virtutem auſteram, & duram vocabatur, ut hac via ad altiſſimum ſanctitatis faſtigium conſcendere valeret. O mirabiles S. Franciſci virtutes, in quibus magna auſteritas, ſimul cum prudentia copulata eſt! o ſacrificium vere ſapientiæ ſale conditum!

Suadet Spiritus Sanctus, ut gravibus mortificationibus noſtra affligamus corpora; vultque, ut quiſque corpus ſuum, veluti ſervum vel aſinum, inſpiciat, & male accipiat. Servi, & aſini multum onerantur, viliſſime, & parce cibantur, virgis ſæpe vel fuſtibus percutiuntur, & ſemper aſpere tractantur: eodem autem modo vult Spiritus Sanctus, ut erga noſtra nos geramus corpora: *Cibaria*, inquit, *& onus aſino; panis, & diſciplina, & opus ſervo. Eccli.* 33. 25. Nihilominus mox cautelam adjicit, dicens: *Verum ſine judicio nihil facias grave*: ſeu, graves pœnitentiæ, & mortificationes extraordinariæ

non

non debent ſine judicio, & imprudenter ſuſcipi. Et ſub tali cautela ac cautione S. Franciſcus vitam, & virtutem auſteram ſuſcepit: verum eſt, quod corpus ſuum, velut vile animal, aut ſicut ſervum torſerit; illud enim crebro flagellavit, illud cibavit raro, illudque innumeris mortificationibus cruciavit; ſed in his omnibus prudentiſſime ſe habuit: quia nil ſine Dei inſpiratione, & majorum ſuorum judicio molitus eſt; quare fatendum virtutem ejus fuiſſe auſteram ſine imprudentia; *ſed virtus ejus fuit etiam clara, & glorioſa ſine vanitate.*

SECUNDA PARS.

S. Franciſci virtus fuit clariſſima, ſed ſine vanitate.

Licet virtutes noſtras ex ſuperbiæ motivo hominibus manifeſtare ſit nefas; eas tamen manifeſtari, & notas fieri deſiderat Chriſtus, ut qui eas auſcultati fuerint, ad recte vivendum, & ad Deum laudandum moveantur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Matth. 5. 16.* Omnium quidem hominum virtutes lucere optat Chriſtus; ſed eorum præcipue, quos in Ordinum Religioſorum Inſtitutores, & Patriarchas elegit; eorum virtutes non ſub modio poni, ſed ſuper candelabrum extolli vult, ut omnibus, qui in domo ſunt, luceant, & ſic præfulgentiſſimas Benedicti, Bernardi, Dominici, Franciſci Aſſiſinatis, & aliorum Sanctorum Inſtitutorum virtutes eſſe curavit, & ut non alio noſtra derivet oratio, unum nunc intueor S. Franciſcum de Paula Ordinis Minimorum Inſtitutorem, cujus virtutes clariſſimæ, & fulgentiſſimæ extitere. Lux virtutum ejus coram omnibus luxit hominibus, luxit ſumma ejus paupertas, luxit virginea puritas, luxit charitas ardentiſſima, luxit portentoſa ejus pœnitentia, omnes denique ejus mirabiliter eluxere virtutes; non ſolum fratribus, ſed etiam Principibus, Prælatis, & Summis Pontificibus, non ſolum in uno aut altero privato loco, ſed etiam in omnibus totius orbis Provinciis, & Regnis; non aliquibus tantum perſonis, verum & omnibus fere hominibus, qui tanti viri virtutes, & merita contemplati, ac demirati ſunt. Unde ſanctus hic Patriarcha fuiſſe videtur portentoſus quidam cometa, ad quem contemplandum & mentem, & oculos quiſque convertit, & cujus ſplendidas ac claras quiſque demiratus eſt virtutes; quæ clariores, & fulgentiores factæ ſunt per futura quæ prædixit, per myſteria profundiſſima quæ explicavit, & in primis, per innumera miracula, quæ operatus eſt.

Moyſi, Petro, Paulo, & aliis multis ſanctis Viris dedit Deus poteſtatem miracula faciendi, ut per ea virtutes illorum clariores, fulgentiores, & coram hominibus mirabiliores efficeret: fulgor miraculorum in virtutes illorum novum ſplendorem influebat, & illas longe lateque coruſcantes, ac coram populi clariores, & glorioſiores præſtabat. Sed quidquid aliorum Sanctorum virtutes claras, ſpectatas, & commendabiles reddidit, in uno reperiri videtur Franciſco, cujus tot miracula, quot opera extiterunt. Mirati ſunt Iſraelitæ Moyſen percutientem petram & aquas educentem. *Eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas. Pſalm. 77. 16.* Franciſcus vero, velut alter Moyſes, ter baculo aridam percuſſit terram, & ex ea tres exiere fontes, qui aquam in abundantia dederunt. *Dan. 3.* Obſtupuerunt & demirati ſunt Rex Nabuchodonoſor, ac regni ejus proceres, Danielem cum ſociis in accenſa fornace commorantes, nec aliquod ab igne detrimentum patientes, ſed non minus mirabile cenſetur, Franciſcum in accenſam fornacem intraſſe, in medio flammarum ambulaſſe, in iis tantum temporis quantum ad aliquas ruinas reſarciendas neceſſarium erat, remanſiſſe, & tamen nec unicum veſtis ejus filum crematum fuiſſe. Mirati ſunt populi S. Gregorium Thaumaturgum, qui poteſtate a Deo ſibi tradita montem unum miraculoſe e loco ſuo movit; ſed, & ad Franciſci preces receſſerunt montes, quantum neceſſe fuit, ut daretur ſpatium ſufficiens ad magnum Conventum conſtruendum. Si aliqui Sancti ſuper undas ambulaverunt; Siciliæ fretum Franciſcum, ſtrato ſuper fluctibus pallio, ſimul cum ſocio tranſiit. Si Sanctorum alii cæcos illuminarunt, paralyticos alii redintegrarunt, & alii dæmones e corporibus ejecerunt; hæc omnia operatus eſt & Franciſcus. Si aliqui ex Sanctis mortuos excitaverunt; plurimos a mortuis excitavit & Franciſcus: in uno tandem Franciſco inveniuntur omnia, quæ virtutes omnium aliorum Sanctorum coram populis claras, & glorioſas exhibuere. Quare eum ut virum ſanctiſſimum, & clariſſimis virtutibus præfulgentem venerati ſunt ſummus Pontifex, & Galliæ Rex, Principes multi, Prælati multi, & populi multi; propter virtutes quibus præfulſit, eum venerati ſunt omnes dum in hoc mundo viveret, & propter eaſdem virtutes eum fideles omnes uſque ad mundi finem venerabuntur. O virtutem vere clariſſimam! ſed quod mirum eſt, S. Franciſcus virtutem habuit clariſſimam *ſine vanitate.*

2. Inanis gloria, ut ait S. Baſilius, *in conſt. Monaſt. c. 11. eſt dulcis ſpiritualium opum ſpoliatrix, quæ mellis illita venena ſua colorat*: hæc ſpoliatrix omnibus virtute præditis inſidias parat, hæc fur, qui virtutibus, & meriti omnes ſpoliare conatur, & eos præſertim, quorum virtutes ſunt notæ, & glorioſæ; iis quidem præcipue inſidiatur: quare, ut monet D. Auguſtinus, *in Pſ. 7.* quo quis clarioribus virtutibus præfulget, eo ſollicitius vanitatis & ſuperbiæ vitium præcavere debet: *Vitium inanis gloriæ vel maxime cavendum eſt perfectis.* Nec dicat quis, ſe magnis, & ſolidis pollere virtutibus: quia, ut ait S. Baſilius, *ubi ſup.* vana gloria majoribus virtutibus gravius indicit bellum, eoſque ſtudioſius profligare, & annihilare contendit. *Vana gloria virtutes ramis in cælum uſque licet expanſis adornatas profligare ac deturbare contendit.* O quam multi, qui virtutum theſauros coacervarant, ab hoc fure ſpoliati & deprædati fuere! quam multi, qui virtutibus ſuis uſque ad cælum jam erant ſublimati, adveniente inanis gloriæ flatu, uſque ad vitiorum omnium abyſſos fuere deturbati, & præcipitati. At S. Franciſcus furis illius inſidias declinavit, & malitiam ſuperavit: quo enim coram hominibus majori honore

dignus cenſebatur, eo magis ſe omni honore indiguum profitebatur; & cum omnes eum ut Dei ſervum, ut virum ſauctiſſimum venerabantur; ipſe ſe veluti magnum peccatorem, & ut hominum minimum inſpiciebat, & proclamabat. Unde ſi quis Franciſcum interrogans, dixiſſet: *Tu quis es?* mox reſpondit: *Ego ſum minimus*: Dicebat D. Paulus ſe Apoſtolorum eſſe minimum: *Ego ſum minimus Apoſtolorum*; ſed reſpondiſſet ſimpliciter, & abſolute Franciſcus *ego ſum minimus*, quia non ſe iſtius, aut illius, ſed omnium penitus hominum minimum eſſe judicabat, & ab omnibus minimus vocari & cenſeri peroptabat. O magnam humilitatem!

Sicut altiora ædificia validioribus agitari ſolent ventis; ita qui subliniora virtutum extruunt ædificia, importunis vanæ gloriæ ventis fortius pulſari conſueverunt: non enim alicui ſuperbiendi locus ineſt, cum bonum illud facit, quod plerique faciunt; ſed tunc moleſti vanitatis inſurgunt venti, cum quis ſingularia, inſolita & glorioſa operatur. Unde S. Baſilius viros pluribus, & ſpectatis virtutibus claros aſſimilat mercatoribus, qui naves multis mercibus & opibus graves mari committunt: ſicut enim hi variis agitari ſolent ventis; ita & vitæ ſpiritualis mercatores, quo virtutibus & meritis ſunt ditiores, eo ſuperbiæ vento fortius cientur: *Simul atque inanis gloria animadvertit mercatorem virtutum mercibus navem compleſſe, procella ſua ocyus excitata, in eo omni conatu operam dat, ut illam evertat, & aquis peſſumdet.* O quam altum & ſublime perfectionis ædificium conſtruxerat S. Franciſcus! o quam dives mercator erat! o quam magnis & ingentibus patientiæ, benignitatis, abſtinentiæ, & aliarum virtutum theſauris erat onuſtus! ſed ad illud neutiquam acceſſit inanis gloriæ ventus; non enim virtuti operam dedit, ut ab hominibus videretur & laudaretur, ſed ut Deus glorificaretur, non ſuam, ſed Dei gloriam quæſivit: cum altum vitæ ſpiritualis ædificium conſtruere ſuſcepit, cogitavit prius de fundamento humilitatis; hæc fuit prima virtus, cui obtinendæ vacavit, & hæc fuit ſocia inſeparabilis omnium aliarum virtutum, quibus incubuit: ſi enim jejunabat, ibi erat humilitas, qua ſe indignum judicabat etiam pane arctiſſimo veſci. Si flagellis corpus ſuum cruciabat, ibi erat humilitas, qua ſe, ut reum, flagellis, & ipſa morte dignum cenſebat. Cum patientiæ, manſuetudinis, & aliarum virtutum operibus incumbebat, earum individua comes erat humilitas, qua ſe nihil, aut parum pro Dei gloria facere arbitrabatur. Franciſcus erat maximus, & ſe minimum reputabat. Franciſcus maxima, & mirabilia pro Dei gloria operabatur, & ſe nihil facere credebat. O magnam humilitatem! quare dicamus virtutes ejus fuiſſe clariſſimas, ſed ſine vanitate. Sed S. Franciſci virtus fuit etiam ferventiſſima ſine inconſtantia.

TERTIA PARS.

Sancti Franciſci virtus fuit fervens, ſed ſine inconſtantia.

Tepidos, & negligentes ſervos Deus evomit, iis maledicit, eoſque gravibus ſuppliciis plectit; eos Deus evomit. *Quia tepidus es, & nec calidus, nec frigidus, incipiam te evomere ex ore meo, Apocal. 3.* iis maledicit: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter; Jerem. 48.* eoſque duris & æternis inferni addicit ſuppliciis: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: Matth. 25.* quare D. Pauli adhærentes conſiliis, in via virtutis non tepidi & deſides, ſed ſolliciti & ferventes eſſe debemus: *Solicitudine non pigri, ſpiritu ferventes. Rom. 12.* Juſſerat Deus, ignem in altari ſuo ſemper ardere: *Ignis autem in altari ſemper ardebat; Levit. 6.* Dei autem templum ſumus nos, & cor noſtrum eſt altare, quod amoris divini igne indeſinenter ardere debet: ut hoc igne ſubflammati, magno cum ſpiritus fervore omnium virtutum exercitio ſedulo incumbamus. In ſacra Geneſeos hiſtoria legitur, Abrahamo Deum apparuiſſe, eique naſciturum filium promiſiſſe; ſed ut ſacer adnotat Textus, huic Patriarchæ non ſummo mane, nec veſpere, ſed *in ipſo fervore diei, Gen. 8.* Deus apparuit, ut detur intelligi, quod non in via virtutis tepeſcere, ſed ſancto igne ferveſcere debeamus: *Superno igne accenſus animus non tepeſcat, ſed ferveat, & ſtudeat ſemper ardere. S. Ambr. epiſt. 48. ad Demetr.* Sed o quam multi in virtutis & perfectionis ſtudio ſunt tepidi, & o quam pauci in eo ſunt ferventes! pauci fervent, & plerique in via virtutis ſopiuntur, tepeſcunt, & torpeſcunt: ut enim ait S. Hieronymus; *epiſt. ad Demetr. Ferventiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cæleſtibus ſumus; & ſummam in rebus parvis exhibentes alacritatem, ad majora torpeſcimus.*

S. Franciſcus non tepiditatis & negligentiæ vitio laboravit, ſed in omnium virtutum exercitio ferventiſſimus fuit; cujus rei præſagium datum eſt in ejus nativitate; tunc enim ſupra paternæ domus tectum a compluribus viſæ ſunt accenſæ faces, cæleſtem flammam, & divinum indicantes ardorem, quo puer ille foret inflammatus; reique veritatem probavit eventus; quia Franciſcus toto vitæ ſuæ tempore ita charitatis igne fuit accenſus, ut omnia *ex charitate* fecerit, & ab aliis fieri optarit. Similis fuit ſanctus ille vir ſpiritibus cæleſtibus, immo & ipſis Seraphinis, qui continuo charitatis igne ardent & ſolo charitatis ardore ad Deum feruntur; cæleſti enim & Seraphico charitatis igne indeſinenter ardebat, charitatis & nomen & flammas os ejus continue emittebat, ſive oraret, ſive manducaret, ſive aliud quidquam ageret, omnia *ex charitate* operabatur; & ut omnibus notum fieret quanta charitate, quantoque ſpiritus fervore arderet, pro ſuis ſuique Ordinis inſigniis, Deo inſpirante, *charitatem* habere voluit: nec aliud verbum crebrius proferre, & a fratribus ſuis proferri ſtuduit, quam *charitas, charitas.*

In Libro ſapientiæ de quodam igne fit mentio, qui aliquo tempore manſuetabatur: *Quodam tempore man-*

manſuetabatur ignis; *Sap.* 16. 18. ſed ignis noſter elementaris omni tempore reſpectu S. Franciſci manſuetus erat & tractabilis; aliquando enim eum manibus attrectabat, ſupra prunas aliquando nudis pedibus, veluti ſuper roſas, incedebat; accenſos carbones in manibus, veluti in Caldario, nonnunquam deferebat, & nonnunquam viſus eſt in fornacem incenſam intrare & aliquandiu immorari; quin unquam aliquod ab igne damnum, vel aliquam læſionem paſſus ſit. Si autem hujus rei ratio inquireretur, ad laudem S. Franciſci dici poſſet, quod de S. Laurentio dixit S. Leo, qui, inquit, prunis ſuperpoſitus, ab igne non cruciabatur, quia *ſegnior fuit ignis qui foris uſſit, quam qui intus accendit*; *S. Leo ſer. de S. Laur.* Similiter S. Franciſcus ab igne quem tangebat, ſupra quem ambulabat, & quem manibus deferebat, non urebatur, quia igne charitatis interius exardeſcebat; ardorem autem externum ardore interno temperabat, ignemque igne ſuperabat: maximo ergo æſtuavit ardore Franciſcus; virtuteſque ejus non e corde tepido, ſed e corde ferventi & Spiritus Sancti igne accenſo manarunt. Sed, quod mirum eſt, in virtutum exercitio fervidus ſemper fuit *ſine ulla inconſtantia*.

2. S. Joannes Evangeliſta Angelo, ſeu Epiſcopo Eccleſiæ Epheſi ſcribens, de patientia in adverſitatibus, de zelo quo adverſus peccatores ardebat, ac de aliis multis eum laudat; ſed conqueritur, eumque arguit, quod a prima charitate & primævo fervore deſciverit, *Habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti*. *Apoc.* 2. 3. O quam multi ſimili digni ſunt reprehenſione, qui a primo vitæ ſpiritualis propoſito, & a primævo fervore declinant! in ſuæ converſionis principio nihil eis ferventius; ſed quodam elapſo tempore, nihil eis tepidius: in juventute fervorem magnum concipiunt, & in provecta ætate tepiditatem pariunt, & quo magis ſunt ætate provecti, eo minus ſunt in virtutum exercitio fervidi: Hujuſmodi inconſtantiam adnotavit Dionyſius Cartuſianus, dicens: *Multi ſunt, qui in initio converſionis ſuæ, in ſervitio Dei ferventes exiſtunt, ſed proceſſu temporis tepeſcunt. Dionyſ. in c. 2. Apoc.* Et Bernardus miſerum ſtatum deplorat quorumdam ſenum, qui juvenibus ſunt tepidiores, & in via ſalutis negligentiores: *O quam multos ſenes & judices Iſrael turpiter vitam negligentes, Rex Babylonis in terra captivitatis & confuſionis poſſidet! & quam multi juvenes ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, vim faciunt cælo, totiſque viribus ſibi diripiunt illud! S. Bern. in Sent.* Heu! quid miſerius homine, qui in via perfectionis non proficit, ſed deficit? quid infelicius viro, qui a prima devotione tepeſcit? ſed quid felicius & mirabilius anima, quæ fervori novum ſemper addit fervorem: *Felix anima, quæ per ſingulos dies fervorem addit fervori*; *Thom. a Kempis de diſciplin. clauſtr. cap.* 16.

Felix quidem & mirabilis hac in parte fuit S. Franciſcus, qui primam non reliquit charitatem, nec a primævo unquam corruit fervore, ſed conſtanter in eo perſeveravit & crevit. Ferventiſſimus fuit in domo paterna, dum adhuc eſſet puer, ſed ferventior poſtmodum evaſit, dum in Eremo permanſit; & deinceps eo factus eſt in virtute ferventior, quo factus eſt ætate provectior. Sciebat vir prudentiſſimus, Deum non diligere ſtultos, qui ut luna mutantur: *Stultus ſicut luna mutatur*; *Eccli.* 27. non ignorabat, ſolos ſalvari conſtantes viros, qui uſque ad mortem in virtutum exercitio perſeverant: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*; *Matth.* 10. probe etiam noverat, non dari coronam, niſi vigilantibus & conſtantibus, qui in Dei obſequio conſtanter remanent: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: *Apoc.* 2. quare, ſtultorum more, non eſt mutatus, non etiam, ut homo inconſtans, a virtutis via aliquando defecit, ſed in ea ſemper magis & magis profecit; fuit tandem in Dei ſervitio & primo fervore fidelis & conſtans, non ſolum per breve aliquod temporis ſpatium; ſed etiam *uſque ad mortem*; abſtinentia diriſſima corpus ſuum afflixit *uſque ad mortem*; flagellis & ciliciis carnem ſuam cruciavit *uſque ad mortem*; patientiam, benignitatem, paupertatem, & omnes virtutes generoſe ſectatus eſt *uſque ad mortem*: fuit tandem fidelis & conſtans *uſque ad mortem*; ut enim ait ſummus Pontifex in Bulla Canonizationis ejus: *In pueritia, in adoleſcentia, juventute, ſenectia & decrepita ætate, inter vigilias, labores, jejunia, abſtinentias, innumeraſque corporis macerationes; eumdem pene vivendi modum ſervavit.* O magnam ſancti hujus Viri conſtantiam!

Ecce S. Franciſci virtutes, quas enarrare & decantare ſuſcepimus: *Pſallemus virtutes tuas*: ſectatus eſt *virtutem auſteram*, & tamen ſine imprudentia: *Virtutem clariſſimam*, & tamen ſine ulla vanitate; *Virtutem tandem ferventem*, & tamen ſine ulla inconſtantia. Sed heu! quantum ab hoc Dei amico plerique hominum diſtant: ille etenim virtuti adhæſit, & illi innumeris ſe coinquinant peccatis; virtus ejus fuit *auſtera* ſine imprudentia, & ipſi imprudenter & ſtulte blandis gulæ ac luxuriæ vitiis ſe fœdant; ille virtutem ſectatus eſt *clariſſimam* ſine vanitate, & ipſi vitiis famoſis & notis ſe conſpurcant, ac de iis nonnunquam ſuperbiunt; ille amplexatus eſt virtutem *ferventem* ſine inconſtantia, & illi totis affectibus ſe vitiis conſtanter dedunt & adducunt. O quantum homo ab homine differt! o quanta inter hominem hunc ſanctum, & alios homines peccatores eſt differentia! ſed ſi diſpar eorum ſit vita, diſpar etiam eorum erit ſors in die judicii; hic enim ad vitam vocabitur æternam, & iſti, terribili Chriſti ſententia, in ignem mittentur ſempiternum; *Ibunt hi in ſupplicium æternum*. Tunc voluptuoſi, qui nunc totis affectibus voluptati indulgent, Franciſco auſterius vixiſſe vellent: tunc peccatores publici, quos palam peccare non pudet, & qui de peccatis ſuis gloriantur, Illo Sancto ſanctiores, & illo minimo minores fuiſſe optarent: tunc tepidi, qui negligenter & inconſtanter virtuti vacant, Franciſco in via virtutis ferventiores & conſtantiores extitiſſe cuperent. At tarda hæc erit pœnitentia, & inutilia hæc erunt deſideria; quare hoc nunc quiſque faciat quod tunc feciſſe vellet.

Scio, hominibus carnalibus nihil dulcius eſſe in hoc mundo, quam lautis adeſſe conviviis, illicitis ardere amoribus, & pravis carnis indulgere voluptatibus; ſed audiant D. Auguſt. clamantem: *O in-*

felix voluptas! quæ per dulcedinem tranſitoriam præparat amaritudinem ſempiternam. S. Aug. ſer. 15. de temp. Scio, iis qui terrena ſapiunt, nihil eſſe durius, quam humiliari, patientiæ, & aliarum virtutum exercitiis inſiſtere; ſed audiant eumdem Auguſtinum dicentem. *Felices vigilias, orationes, jejunia, quæ per anguſtias breves, perducunt ad æternas Paradiſi delicias.* Eligite jam, aut tranſitorias delicias, quæ ad ſempiternas ducunt amaritudines, aut momentaneas virtutis pœnas, quæ ad æternas perducunt Paradiſi delicias. Certe ſi recte ſapitis, relicta lata, facili & ſuavi vitiorum via, arctam cum S. Franciſco virtutis ſemitam tenebitis, quæ recta vos ad Paradiſi gaudia, in æternum poſſidenda, deducet. *Amen.*

DE SANCTO
MARCO EVANGELISTA.
CONCIO UNICA.

Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterium. 2. Tim. 4. 11.

QUemadmodum non omnium corporum formæ ſimiles, ita nec omnium Sanctorum eædem ſunt virtutes, & eædem perfectiones: alius enim alio ſanctior, alius alio perfectior, & alius alio majoribus virtutum dotibus & ornamentis illuſtrior eſſe perhibetur, ac ipſa experientia comprobatur. Inter Sanctos autem qui aliis præfulſerunt, non infimum, immo nec mediocrem locum tenet Marcus, S. Petri ſpiritualis filius, ejus qui claves regni cælorum accepit ſocius: divinorum myſteriorum Concionator eximius, nec non zelantiſſimus Eccleſiæ Chriſti Antiſtes, qui Ægyptum illuſtravit, & in illius regionis ſacro throno primus ſedit. Is auditis S. Petri prædicationibus, divinaque voce invitatus, terram, quæ ipſum produxit, dereliquit, propinquorum amorem propulſavit, pro nihilo fecit generis honores ac ſplendorem, fluxæque ac caducæ mundi facultates ſomnium quoddam illi viſæ ſunt; quare, deſpecta omni cognatione, relicta omni ſubſtantia, Chriſti ſe obſequio addixit, illum ſolum dilexit, eique ita firmiter, & fideliter adhæſit, ut ejus Præco, Evangeliſta, ac Martyr eſſe meruerit. Digniſſimus hic Chriſti Diſcipulus, tot, tanta, & tam portentoſa ad magiſtri ſui gloriam dixit, ſcripſit, fecit, & paſſus eſt, ut jure merito temerarius judicarer, ſi Spiritus Sancti auxilio non prius invocato, ea enarrare præſumerem, &c. *Ave.*

SAnctus Marcus fuit Epiſcopus, Evangeliſta, & Martyr; fuit *Epiſcopus*, quem Spiritus Sanctus ad hoc miniſterium vocavit & S. Petrus Ægyptiorum regioni deſtinavit; fuit *Evangeliſta*, qui rogantibus fratribus, eodemque Apoſtolorum Primate Petro provocante, & jubente, Evangelium dilucide conſcripſit; fuit tandem *Martyr*, qui funibus e collo ligatis, media Alexandria tractus, fuſtibus lapidibuſque contuſus, ſacra & gratiſſima victima Deo factus eſt. Illuſtris hic Dei ſervus, *ut Epiſcopus*, pro Chriſto mirabilia fecit in vita ſua; *ut Evangeliſta*, de Chriſto divina multa ſcriptis mandavit; & *ut Martyr*, graviſſima pro Chriſto, & pro ejus fide perpeſſus eſt. Unde dici poteſt ſanctum Marcum fuiſſe Chriſti miniſtrum, ſecretarium, & teſtem; fuit ejus miniſter, in ſui Epiſcopatus munere; ejus fuit ſecretarius, in Evangelio, quod ſcripſit; & fuit ejus teſtis, in martyrio quod pro ejus gloria pertulit. Conſideremus nunc Sanctiſſimum illum Antiſtitem, divinum illum Evangeliſtam, & glorioſum hunc Martyrem: attente perpendamus quid fecerit, quid ſcripſerit, & quid paſſus ſit. Videamus 1. Quid fecit, *ut Epiſcopus*. 2. Quid ſcripſit, *ut Evangeliſta*. 3. Quid paſſus eſt, *ut Martyr*.

PRIMA PARS.

Quid fecit Sanctus Marcus, ut Epiſcopus.

SAnctus Marcus natione fuit Hebræus, ex tribu Levi, qui Petrum meruit & audire prædicantem, & habere Baptiſtam; cumque facto huic Apoſtolorum Principi adhæſiſſet, ab eo miſſus eſt prædicatum Alexandriam, & ab eo fuit in Epiſcopum conſecratus. Unde a S. Hieronymo *præf. in Matth.* vocatur *Alexandrinæ Eccleſiæ primus Antiſtes*, a Niceta *in Biblioth. Pat. concionat. diviniſſimus Antiſtes* dicitur; & a Petro de Natalibus *Proto-Epiſcopus* nominatur. Epiſcopali autem dignitate auctus Alexandriam advolavit, ubi multa, & magna, ut Epiſcopus, fecit: nam Alexandrinam Eccleſiam 1. Inſtituit & fundavit. 2. Illuſtrem, & famoſam fecit. 3. Ad Chriſtianæ perfectionis apicem perduxit, & erexit.

1. Marcus doctus ſimul erat & ſanctus: *Doctus* quidem, nam apud Hebræos Sacerdos fuiſſe creditur, cumque ita doctum cenſuit D. Petrus, ut illum dignum judicaverit, qui Chriſti Evangelium ſcriberet, & qui Epiſcopus Alexandriam mitteretur, quæ tunc totius terrarum orbis urbs poſt Romam prima habebatur. *Sanctiſſimus* etiam erat: nam nihil illo erat humilius, nihil mitius, nihil ferventius, nihilque charitatis, patientiæ, & aliarum virtutum donis ornatius. Quare cum ſacro fœdere in eo conjungerentur ſcientia, & ſanctitas, ſapientiæ ſuæ verbis, ut ait Sanctus Hieronymus, & ſanctitatis ſuæ exemplis Alexandrinam inſtituit, & fundavit Eccleſiam: *Marcus*, inquit, *perrexit in Ægyptum, primus Alexandriæ Chriſtum annuntians, conſtituit Eccleſiam tanta doctrina, & vitæ continentia, ut omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret.*

1. Sanctus Joannes Evangeliſta in extaſim raptus, vidit *quatuor animalia plena oculis ante, & retro*; *Apoc.* 4. 6. Id eſt, ut explicat Sanctus Bernardinus, quatuor Evangeliſtas, qui dicuntur pleni oculis *ante, & retro*: quia perfectam habuere cognitionem de his, quæ Deus fecit a mundi principio, & quæ facturus eſt uſque ad mundi finem. Unum autem ex his animalibus habet *faciem quaſi hominis*, & hic eſt Sanctus Matthæus, qui Chriſti Dei, & hominis opera perfecte deſcribit, & ab ejus genea-

Digitized by Google

nealogia ſuum Evangelium exorditur. Aliud ex his animalibus eſt *ſimile aquilæ volanti*; & hic eſt S. Joannes, qui veluti aquila, volat uſque ad ſinum divinitatis, ut ibi contempletur Verbum æternum: *In principio erat Verbum*. Aliud ex his animalibus eſt *ſimile Vitulo*, quo denotatur ſanctus Lucas, qui a ſacrificio, quod maxime fit de vitulo, & a ſacerdotio Zachariæ ſuum inchoavit Evangelium. Aliud tandem animal eſt *ſimile leoni*, quo deſignatur Sanctus Marcus; vel quia ipſe a Sancti Joannis Baptiſtæ rugitu ſuum incipit Evangelium; vel quia ipſe Marcus, ut leo generoſus, rugitu ſuo Alexandrinos cives a vitiorum ſuorum ſomno ſuſcitavit, & a morte peccati ad vitam chriſtianam, & ſpiritualem perduxit. Sicut enim leo alia rugitu ſuo terret animalia, & leunculos quos genuit tertio poſt partum die, non quidem a morte, ſed a gravi ſomno excitat; ita, & Sanctus Antiſtes Marcus Alexandriam ingreſſus, rugitu, & prædicatione ſua cives Alexandrinos idololatras, protervos, & animales perterruit, ac a ſomno, immo & a morte peccati, in qua degebant, ſuſcitavit, & ex his ad Chriſtum converſis, Alexandrinam fundavit Eccleſiam: *Hoc itaque modo*, inquit Petrus Damiani, *ſerm. de S. Marco. Alexandrinam fundavit Eccleſiam, eamque non ſuo, ſed Petri Magiſtri ſui nomine titulavit*.

Alexandrini cives habitabant in tenebris ignorantiæ, & in umbra mortis ſedebant; ac Dei judiciis non timebant, & inferni ſupplicia non formidabant: quare avibus, terræ animantibus, & idolis, veluti diis, incenſa adolebant, poſt ſuas etiam libenter ibant concupiſcentias, & horrendis quibuſque vitiis indulgebant; ſed Sanctus Epiſcopus Marcus Alexandriam ingrediens, tamquam Leo myſticus, & Apoſtolicus, prædicationibus, exhortationibus, & increpationibus multis terribiliter rugiit, & rugitu ſuo idola ſubvertit, idololatras terruit, indurata eorum corda emollivit, civeſque illos a mortifero eorum ſomno excitavit; ac tot ex iis ad Chriſti fidem convertit, ut Alexandriam, quæ erat Eccleſia ſatanæ, in fidelium Eccleſiam tranſmutarit. Et hic eſt modus, quo hanc inſtituit & fundavit Eccleſiam: *Hoc itaque modo Alexandrinam fundavit Eccleſiam*. Quam etiam *illuſtrem & famoſam effecit*.

2. Poſtquam Ægyptiorum punitionem deſcripſit Iſaias Propheta, eorum converſionem delineat, & unam ex Ægypti civitatibus, *ſolis civitatem* vocandam eſſe prædicit: *Civitas ſolis vocabitur una*: *Iſa*. 19. 18. hæc *civitas ſolis* eſt Alexandria ab Alexandro Magno ejus fundatore ſic dicta, quæ vocatur *civitas ſolis*, vel quia ibi ſol ut Deus adorabatur, vel quia ipſa erat ſol civitatum; ſed ob aliam etiam rationem eam vocatam eſſe *civitatem ſolis*, dicit Lyranus, puta, quia S. Marcus, tanquam ſol ſplendidiſſimus, ſuis prædicationibus, miraculis & virtutibus eam illuminavit & illuſtravit, & Lyrano aſſentitur Procopius, dicens: Marcus, *ad inſtar ſplendidiſſimi ſolis, humanas animas illuſtravit*. Idem auctor in præclaro encomio quod in S. Marci laudem compoſuit, eum in urbe Alexandrina & Nilo & Soli ſimilem fuiſſe dicit. Omnibus notum eſt, quod Nilus fluvius Alexandrinum ſolum & totam Ægyptum aquis ſuis irrigare & fœcundare ſoleat: ita, inquit Procopius, Alexandria, immo & tota Ægyptus, Marcum tanquam alterum quemdam Nilum, non corporeum, ſed myſticum habet, ſic ſpirituales Ægypti agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter, qui oculis corporeis cernitur, irrigare ſolitus eſt. Sed inſuper Procopius Marcum cum ſole confert: *ad inſtar ſplendidiſſimi ſolis*, inquit, *humanas animas illuſtravit*. Sicut enim ſol tenebras diſſipat, lucem mirabilem diffundit, & univerſum terrarum orbem illuſtrat: ita & Marcus in Pontificali Alexandriæ throno ſublimatus velut ſol myſticus, terras ignorantiæ, erroris & idololatriæ fugavit tenebras, mirabilem ſapientiæ, ſcientiæ & virtutis ſparſit lucem; & ſive per ſe, ſive per diſcipulos, non ſolum Alexandriam, verum & totam Ægyptum illuſtravit. Non enim ſatis fuit B. Marco, quod pietatis & ſcientiæ ſuæ radios diffunderet; ſed inſuper Alexandriæ inſtituit ſcholam Chriſtianam, ex qua innumeri illuſtres Doctores, Pontifices & Martyres, non ſecus ac fulgentia quædam Orbis lumina prodiere. Huic ſacrarum, & divinarum Literarum gymnaſio præſedit Panthænus vir doctiſſimus, huic ſucceſſit Clemens Alexandr. Clementi Origenes, cujus diſcipuli extitere S. Gregorius Thaumatur. & Athenagoras: ac poſtea in hoc gloriæ theatro apparuere Athanaſius, Baſilius, Nazianz. & alii multi, quibus Marcus Alexandriam (ab ipſo jam illuſtrem) illuſtriorem, totique orbi commendabilem fecit. *Cornel. a Lapide præfat. in Marc.*

Sanctus Marcus a Beato Petro Damiani, velut fulgentiſſimum quoddam ſidus univerſum terrarum orbem illuſtrans proponitur: *Marcus*, inquit, *eſt velut ſidus aureum toto Orbe præclarum. Ubi ſupr.* Et revera Evangelio ſuo, necnon ſuis meritis toti effulſit orbi; ſed duas perexímias civitates ſpecialiter illuſtravit; videlicet Venetias, & Alexandriam; *Venetias*, ubi corpus ejus religioſe ſervatur, ubi ſanctus hic Evangeliſta ſumma veneratione colitur, & ubi præſentiæ & protectionis ſuæ radiis eniteſcit. Et *Alexandriam* ubi velut ſol ſplendidiſſimus per ſe, & per ſuos diſcipulos mirabiliter effulſit: *Ad inſtar ſplendidiſſimi ſolis humanas animas illuſtravit*. *Apoc.* 50. 2. Unde Sanctus Marcus merito conferri poteſt cum Angelo, de quo S. Joannes in Apocalypſi ait, quod *habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*: Marcus enim Angelus fuit ratione puritatis, & vitæ ſuæ Angelicæ; habuit enim libellum apertum, quia Evangelium ſuum, quod breve eſt, circumferre ſolebat; poſuit tandem pedem unum ſuper mare, & alium ſuper terram, quia duas præcipue civitates illuſtravit, Venetias ſcilicet quæ eſt in mari, & Alexandriam, quæ in terra ſita & fundata eſt. Reſpublica Veneta plurimum commendatur a potentia, & a theſauris ſuis, ſed a reliquiis S. Marci eam commendabiliorem cenſet Petrus Damiani: *Plurima*, inquit, *divitiarum copia ex diverſis in te mundi partibus confluxit; ſed hæc gemma cæleſtis, quæ in medio tui poſita eſt, in excelſum te gloriæ conſpicuæ dignitatis extollit: incomparabilis enim iſte theſaurus vibrantium metallorum ſupergreditur genera, cuncta gemmarum coruſcantium ſuperat ornamenta. Ubi ſup.* Alexandria ſimi-

liter

Digitized by Google

liter, quæ illuſtris erat a fundatore Alexandro, a pulchritudine ædificiorum & a multitudine civium, illuſtrior facta eſt S. Marci prædicationibus & miraculis; quibus ita ſublimata eſt, ut de ea dici poſſet.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis.

At S. Marcus Alexandrinam Eccleſiam, non ſolum fundavit & illuſtravit; *ſed etiam ad Chriſtianæ perfectionis apicem evexit, & perduxit.*

3. Sanctus Marcus annis novemdecim Alexandrinam ſanctiſſime rexit Eccleſiam, tantaque, inquit Petrus Damiani, prædicationis, & exemplorum ejus erat efficacia, ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluebant, mox per continentiam, ac totius ſanctæ converſationis inſtantiam, *tanquam ad Monaſticæ perfectionis faſtigium pervolarent. Ubi ſup.* Unde Philo diſertiſſimus Judæorum, cum de B. Marci apud Alexandrinam Eccleſiam primatu ſcripſerat, civium Alexandrinorum domos, Monaſteria nuncupat, quia ita pie, & perfecte vivebant fideles in domibus ſuis, ut quælibet eorum domus *Monaſterium* bene ordinatum eſſe videretur. Non penſandum, primos Alexandriæ fideles a B. Marco ad fidem converſos, & ſub ejus regimine conſtitutos fuiſſe ſolum Chriſtianos nomine tenus: erant enim & re, & nomine Chriſtiani, immo moribus, & vita perfecti erant Religioſi: non enim ſuperbia inſoleſcebant, non luxuriæ facibus ardebant, nec avaritiæ inextinguibili æſtuabant ſiti; ſed humilitatem ſectabantur, paupertatem voluntariam libere amplexabantur, ſobrietatem, ac pudicitiam ſumme colebant, orationibus & jejuniis erant dediti, temporalia bona inter eos erant communia, eorum erat cor unum & anima una: tanta tandem eorum erat perfectio, *ac ſi Monaſticæ perfectionis arduum arripuiſſent inſtitutum. Petrus Damiani.*

Crediderim, non omnes Alexandrinæ Eccleſiæ alumnos a D. Marco ad Chriſtum converſos, ſummam vitæ perfectionem attigiſſe, ſed certum eſt, quamplurimos ex ejus Diſcipulis ita perfectos fuiſſe, ut *Eſſæi*, id eſt, ſancti & pii cognominarentur: tanta enim eorum erat puritas & ſanctitas, ut univerſo Orbi eſſent in admirationem, aliiſque Eccleſiis totius eſſent perfectionis exemplar & ſpeculum. Unde S. Hieronymus D. Marcum vocat *principem & inſtitutorem cœnobitarum*: quia *Eſſæi*, ſeu pii & ſancti ejus diſcipuli in propriis domibus, velut in cœnobiis vivebant, & ex his multi Alexandria egreſſi, totam Ægyptum & Thebaidem ſanctiſſimis repleverunt Monachorum agminibus, qui Angelicam in terris vitam agebant, & quorum portentoſa ſanctitas uſque ad mundi finem ab auctoribus enarrabitur & prædicabitur. Ecce quid Sanctus Marcus in Alexandrina Eccleſia fecit ut Epiſcopus, *Videamus etiam quid ſcripſerit ut Evangeliſta.*

SECUNDA PARS.

Quid ſcripſit Sanctus Marcus, ut Evangeliſta.

Marcus poſt Chriſti mortem a S. Petro converſus, & baptizatus fuit: quare a Baptiſmo, quem ab Apoſtolorum Principe acceperat, ejus vocatur filius: *Marcus filius meus. 1. Petr. 5.* O vere dignum tanto patre filium! qui mirabilia quidem fecit ut Antiſtes, & qui ut Evangeliſta ſcripſit Evangelium. 1. Quod a Petro acceperat. 2. Quod a Spiritu Sancto didicerat. 3. Quod ipſe perfecte obſervabat.

1. Sanctus Marcus non ſolum Petri filius, ſed ejus etiam diſcipulus fuit & interpres: *Marcus*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *Principis Apoſtolorum in Baptiſmate filius, in doctrina Chriſtiana diſcipulus, in ſermone interpres. Dionyſius præfat. in Marc.* S. Hieronymus eum ſimiliter Sancti Petri diſcipulum & interpretem vocat: *Marcus diſcipulus & interpres ſancti Petri. Hieron. de Script. Eccleſ.* Eum fuiſſe Petri diſcipulum fatentur omnes: ſed quomodo ejus interpres fuerit, eſt dubium. Dici tamen poteſt, eum Petri fuiſſe interpretem, quia Evangelium, quod a Petro audierat, interpretatus eſt, & literis mandavit: cum enim fideles Petrum concionantem audirent, ejus demirabantur doctrinam; quare Marcum ejus diſcipulum enixe rogarunt, ut quæ Apoſtolorum Princeps annuntiabat, ad perpetuam eorum memoriam conſervandam, ſcriptis mandaret; quorum votis & precibus ut annueret Marcus, Evangelium ſcripſit, quod ut canonicum ab Eccleſia receptum eſt; & in hoc ſenſu eum Petri interpretem vocat Divus Hieronymus, dicens; *Marcus diſcipulus, & interpres Petri, quia juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve ſcripſit Evangelium.* Remque totam latius, & clarius refert & explicat Sanctus Clemens Alexandrinus his verbis; *Marcus Petri ſectator, prædicante Petro Evangelium palam Romæ coram quibuſdam Cæſarianis Equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, ut poſſent, quæ dicebantur, memoriæ commendare, ſcripſit ex eis quæ a Petro dicta ſunt, Evangelium, quod ſecundum Marcum vocatur. Clem. Alexand. in epiſt. 3. S. Petri.* Non ſcripſit Marcus ineptas fabulas, non vana commenta, nec inventa poetica, at ſacrum Evangelium, quod a Petro prædicante & docente audierat. Unde aliqui hoc Evangelium dicunt eſſe S. Petri, ſicut enim Sancti Lucæ Evangelium a multis Sancto Paulo adſcribitur, ita & Sancti Marci Evangelium Sancto Petro a multis aſſignatur; non quod revera illud Sanctus Petrus ſcripſerit, ſed quia Sanctus Marcus illud a S. Petro, velut Magiſtro audivit; *Evangelium quod ſcripſit Marcus, Petri eſſe affirmatur, quia Magiſtrorum eſſe videntur, quæ diſcipuli promulgarunt. Tertull. lib. contra Marcion.* Scripſit ergo Marcus Evangelium, quod a S. Petro acceperat, ſed ſcripſit etiam Evangelium, *quod a Spiritu ſancto didicerat.*

2. Omnis Scriptura ſacra Deum auctorem habet, hæc eſt liber Dei, ſeu Deo inſpirante compoſitus, & quælibet ejus capita ſunt veluti epiſtolæ a Deo ad homines miſſæ, ut ſuam eis manifeſtet voluntatem: Undæ ſacræ Scripturæ a Sancto Dionyſio Areopagita vocantur *eloquia divinitus tradita. Dionyſ. de cæleſt. Hierarch.* quia ſcilicet a Spiritu ſancto fuere inſpirata. Scripſit Moyſes, ſcripſit Salomon, ſcripſit Propheta Regius, ſcripſerunt & alii multi, ſed inſufflante Spiritu ſancto; hic fuit Magiſter, a quo fuere edocti, & hic fuit Magiſter quo docente, & inſpirante, ſuum Sanctus Marcus

ſcripſit

Digitized by Google

ſcripſit Evangelium; ſcribebat Marcus, ſed Spiritu ſancto totus loquente & dictante; quare ejus Evangelium *opus divinum* vocatur: *Magnum certe hoc, Marce, tuum fuit & plane divinum opus. Procop. ubi ſupr.* Verum eſt, quod Petrum prædicantem & narrantem Marcus audierat, ſed cum ipſe calamo manum admovit, ut quæ audierat ſcriberet, alium habuit Magiſtrum intus narrantem, prædicantem, & docentem, nempe Spiritum ſanctum; a quo illuminatus & edoctus, Evangelium ſuum ſcripſit. Unde dici poteſt, duos Marcum habuiſſe Magiſtros, Spiritum ſanctum ſcilicet & Petrum. Petrus ejus fuit Magiſter, quia illius Evangelium, ut ait S. Hieronymus, *Petro narrante, & Marco ſcribente, compoſitum eſt; S. Hieron. ep. 150. ad Hedib.* ſed Spiritus ſanctus fuit etiam ejus Magiſter, quia ut ait Nicetas, *Marcus ſcripſit Evangelium totus afflatus, totus fervidus Spiritu ſancto.*

Tertullianus ſacræ Scripturæ auctores vocat *viros ſpiritu divino inundatos; Tertull. Apol. 18.* quia nullum verbum, nulla ſyllaba, immo nec ullus apex in eorum apparet libris, qui non a Spiritu ſancto eos inundante, & intus inſpirante defluat & manet. Ut enim ait Sanctus Petrus, non a dæmone docente, non a mundo, non a Philoſophis profanis, vel a Poetis varia fingentibus, ſed *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Petr. 1. 21.* Unde quælibet eorum verba fuere quaſi oracula de cælo miſſa, & ipſi fuere tanquam Spiritus ſancti organa, quibus ipſe ſuam nobis voluntatem patefecit. Quid ergo ſentiemus de S. Marci Evangelio quod a Divo Petro prædicatum, viſum, lectum, & approbatum fuit? Quid de mirabili hoc Evangelio, quo innumeri populi ad Chriſti ovile vocati ſunt? Quid de divino hoc opere, quod a ſancta Eccleſia, ut canonicum, fuit receptum, quodque a ſanctis Patribus laudatum, & ut divinum fuit promulgatum? An dici licet, hoc eſſe infirmi, & ignari cujuſdam hominis opus? Certe non hominum, ſed Dei opus eſt: quia illud, Deo dictante, & docente, ſcripſit Marcus; ſcripſit Evangelium *totus afflatus, totus fervidus Spiritu ſancto.* Sed ſi S. Marcus ſcripſit Evangelium, quod a Spiritu ſancto didicerat; *ſcripſit etiam Evangelium, quod ipſe perfecte obſervabat.*

3. Dubitant Auctores, an S. Marcus unus ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis extiterit; ſed communiter creditur, quod Chriſtum nunquam viderit, & quod ſolum poſt ejus mortem ad fidem converſus, & a S. Petro baptizatus fuerit. Tamen licet de ſeptuaginta duorum Diſcipulorum numero non fuerit, vere Chriſti Diſcipulus extitit, quoad ſancti Evangelii obſervationem; quia non minus exacte, quam primi Chriſti Diſcipuli, juxta Evangelii leges vixit. De primis enim Chriſti Diſcipulis legitur, quod ſumme pauperes, humiles, manſueti, patientes, ac caſti fuerint; & de S. Marco eadem narrantur: tanta ſiquidem ejus extitit paupertas, ut terrena cuncta abdicarit, nec aliquid proprium unquam habere voluerit; tanta ejus humilitas, ut ſe ſacerdotio indignum judicans, pollicem ſibi amputaverit, (qui miraculoſe ei reſtitutus eſt); tanta ejus manſuetudo, ut cum Judæis, & Gentilibus prædicaret, velut agnus inter lupos eſſe videretur; tanta patientia, ut cum ſæpe fuerit injuriis laceſſitus, & opprobriis ſaturatus, nunquam maledicentibus maledixerit, ſed omnia æquo & hilari animo ſuſtinuerit; caſtitatem tandem & alias Evangelicas virtutes ita perfecte ſectatus eſt, ut vita ejus fuerit quaſi forma, & repræſentatio omnium Evangelicorum præceptorum & conſiliorum, quæ in ejus Evangelio continebantur. Unde Diſcipuli ejus duabus dirigebantur regulis, Marci ſcilicet exemplo, & Marci Evangelio. *Prima* eorum regula erat S. Marci exemplum, quia tota ejus vita erat Evangelica, & Evangelii expreſſa imago. *Secunda* vero Marci Evangelium, in quo ea præcepta & conſilia legebant, quæ ab ipſo Marco ſervari videbant; ipſe faciebat quod docebat, & docebat quod faciebat; quia Evangelium, quod ſcripſerat, perfectiſſime ſervabat.

Juxta divina Chriſti dogmata prius quiſque ardere debet charitate & bonis operibus, quam aliis per ſuam doctrinam lucere. Sicut enim natura prius hominem format, quam ei loquelæ uſum tribuat; ita & quiſque ſe per opera bona formare debet, antequam aliis loqui, alioſque docere ſuſcipiat. Et revera cui bono, unum facere, & aliud dicere? Cujus utilitatis, ſi quis aliis faciendum proponat quod ipſe faciendum tenuit? Nullius equidem: nam, ut ait S. Hieronymus, *non ædificat, ſed deſtruit, qui quod aliis dicit, ipſe non facit. Hieron. in c. 23. Matth.* Phariſæi, qui ſuperbi erant & hypocritæ, ambiebant vocari Rabbi, eorum quilibet Magiſter appellari optabat; ſed erant Magiſtri, qui quæ dicebant, non faciebant, vel qui aliud verbis & aliud factis docebant; at S. Marcus id prius fecit, quod in Evangelio ſuo faciendum eſſe docuit, antequam homines humiles *beatos* eſſe ſcriptitaret, humilitatem apprime ipſe colebat: prius quam inimicos diligendos eſſe evangelizaret, ardenter quoſque, quantumvis ſibi infenſos, hoſtes amabat; orabat pro perſequutoribus & calumniantibus, iis benefaciebat qui ipſum oderant, & alia omnia perfectiſſime ſervabat, quæ in Evangelio ſuo, Spiritu ſancto dictante, delineavit. O Evangeliſtam mirabilem, qui Evangelium ſcripſit; quod a S. Petro audierat, quod a Spiritu ſancto didicerat, & quod ipſe perfecte ſervabat. Ecce quid S. Marcus ſcripſerit, ut Evangeliſta; *inquiramus nunc, quid paſſus ſit ut Martyr.*

TERTIA PARS.

Quid paſſus eſt Sanctus Marcus, ut Martyr.

MUlta & gravia a converſionis ſuæ tempore paſſus eſt Marcus tum in laboribus quæ ſuſcepit; tum in mortificationis & omnium virtutum exercitio cui vacavit; tum a Gentilibus & Barbaris quibus prædicavit: ſed ea ſolum inſpicio, quæ, ut Martyr, tempore ſui martyrii pertulit, & dico eum paſſum eſſe: 1. Injurias & ludibria: 2. Vincula & carceres. 3. Gravia ſupplicia, & ipſam mortem.

1. Multi ex Alexandrinis civibus, nondum ad Catholicam fidem converſi, dæmoniaco in S. Marcum inardeſcentes furore, conſilium injerunt adverſus

ſus

Digitized by Google

fes diſcipulum Domini, atque in ejus ædes invadentes, cum eum ſacra facientem offendiſſent, injuriis & contumeliis eum affecerunt: *Injuriis ac maledictis laceſſitus, manſueto & æquo animo omnia perferebat. Procop. ubi ſupr.* Inter multas autem quibus eum laceſſebant, injurias, advertit Metaphraſtes, quod illum bubulum vocaverint: *Trahamus*, inquiebant, *bubulum in bubulci ſtabulum.* Eum vocant: *bubulum*, qui leo erat generoſiſſimus ad ardua quæque ſuſcipienda: vocant eum *bubulum*, qui vir erat ſanctiſſimus ratione ſuarum virtutum: eum *bubulum* vocant, qui Epiſcopus erat zelantiſſimus, & Evangeliſta a Deo dilectus. Hanc quidem & alias injurias æquo & gratiſſimo animo pro Dei amore paſſus eſt Marcus; ſed maligni & barbari ejus inimici injuriis & conviciis plurima & gravia addiderunt ludibria; eum etenim *ligatis e collo funibus, alii media Alexandria ludibrio, propudioſeque ſpectaculo ante trahebant; alii fuſtibus, lapidibuſque tundebant. Nicetas ubi ſupr.* Tales fuere injuriæ, taliaque extitere ludibria, quæ invictiſſimus ille Præſul ab ingratis Alexandrinis civibus pertulit: eos ille verbis ſuaviſſimis ad Chriſti amorem perducere conatus erat: & ipſi verbis contumelioſis eum exhonorare contendunt: ille, ut eos ab infami dæmonis ſervitute eriperet, ardenti & continua ſolicitudine laboraverat: & illi eum, veluti hominem vilem & deſpicabilem, populorum ludibrio exponunt: ſed S. Marcus *manſueto & æquo animo omnia perferebat.*

Innumera Judæis beneficia Chriſtus impendit, iis enim altiſſima fidei myſteria manifeſtavit; iis verbo & exemplo, ſalutis & perfectionis viam patefecit; cæcis inſuper viſum, ſurdis auditum, mutis loquelæ uſum, aliiſque multis ægrotis ſanitatem, & mortuis vitam contulit. O Chriſte Salvator; tibi quod pro tantis impenſis beneficiis retribuerunt Judæi? *Retribuebant mihi mala pro bonis*: non bona bonis compenſarunt, ſed mala pro bonis retribuerunt: quippe qui illum Judæi vili pretio vendiderunt, eum ligatum per Jeroſolymitanæ urbis compita traxerunt, injuriis & contumeliis eum affecerunt, militum & ſatellitum ludibrio illum objecerunt, ad crudelem tandem & infandam mortem eum damnarunt. Ecce retributionem Chriſti: ſed ecce etiam retributionem Marci: ille namque Alexandrinos cives ad Chriſti fidem vocaverat, eos ad juſtitiæ ſemitas direxerat, eis gravi cum labore ſacrum annuntiaverat Evangelium, eorum multos ægrotos ſanaverat, & quibuſdam ex eorum mortuis vitam reſtituerat; ipſi vero retribuerunt mala pro bonis; ſiquidem illum injuriis & conviciis oneraverunt, eumque ludibrio totius civitatis, per quam raptatus eſt, expoſuerunt; at non ſolum injurias & ludibria paſſus eſt: *ſed etiam vincula & carceres.*

2. Vinctus fuit Marcus, qui peccatorum vincula ſolvere ſolitus erat; vinctus fuit, qui complures a ſimulacrorum cultu & errore liberaverat; vinculis comprehenſus fuit ab iniquis hominibus ille, qui multos a dæmonum faucibus eripuerat. Sicut enim a Judæis Chriſtus, velut reus & infamis, vinctus & ligatus ad domum Annæ Pontificis, ad prætorium Pilati Judicis, & ad Herodis Regis curiam ductus eſt; ita Marcus funibus vinctus fuit, non manibus, ſed collo; & in hoc ſtatu, velut bubulus tractus & raptus fuit per vicos & plateas civitatis Alexandrinæ, tanta vi, tantoque impetu, ut caro ejus contuſa remanſerit, & pavimentum fuſo ejus ſanguine cruentatum fuerit. Poſtea ingrati & barbari illi cives ſanctiſſimum hunc Virum, ſic ſuo perfuſum & ſauciatum ſanguine, & quaſi exanimem ad carcerem traxerunt, & in eo recluſerunt. O deteſtandam horum civium ingratitudinem! ſed o glorioſum hujus Sancti Martyris certamen?

Dicebat Paulus, quod bonum certamen certaſſet, & quod glorioſe pro Chriſto pugnaſſet: *Bonum certamen certavi*; quæ verba exponens Sanctus Chryſoſtomus *homil. 9. in 2. Timoth.* ait, bonum & illuſtre fuiſſe Pauli certamen, quia vincula & carceres pro Chriſto paſſus erat: *Ubi carcer, ubi vincula, ibi certamen bonum, nil hoc certamine melius, nihil illuſtrius. Ubi ſupr.* Illuſtre autem & glorioſum illud certamen obiit Sanctus Marcus: ab Alexandrinis enim civibus, a quibus grande ſolatium, & magna juſte ſpetare debebat præmia, fuit turpiter vinctus, & in carcerem conjectus. At non hic eorum ſtetit malitia & pervicacia: quia ab eis etiam *paſſus eſt gravia ſupplicia, & diram mortem.*

3. Divus Ambroſius, ut conſoletur inſontes, qui carceribus injuſte occluduntur, ait, quod non debeant triſtari, & conturbari: quia a Deo in carcere viſitantur: *Non turbentur innocentes, cum oppreſſa juſtitia traduntur in carcerem: viſitat Deus & in carcere ſuos*; eos quidem omnes viſitat internis conſolationibus, quibus corda eorum roborat, eorumque mœrorem mitigat; ſed inſuper viſitatus fuit in carcere Marcus ab ipſo Chriſto Domino, qui ei viſibiliter apparens, eumque confortans dixit: *Pax tibi Marce Evangeliſta meus.* Cæleſti illa conſolatione recreatus fuit, dum in carcere detineretur, ſed infenſiſſimi ejus hoſtes brevi illum inde extractum diris ſuppliciis affecerunt, vel potius omnibus eum tormentorum generibus probarunt; *Omnium generum cruciatibus*, inquit Procopius *ubi ſupr. velut aurum quoddam fuit probatus.* Hiſtorici tamen, qui ſancti hujus Viri geſta & paſſiones referunt, non ſpecificant, quæ fuerint illa ſupplicia quæ pertulit; dicunt ſolum, quod poſtquam e carcere fuit eductus, eum iterum, fune ad collum ligato, per ſaxa magno raptarint impetu, quouſque ſanctiſſimam efflavit animam: ſicque rem totam eveniſſe narrat Metaphraſtes: (Cum dies illuxiſſet, venit illuc civitatis multitudo, quæ cum illum eduxiſſet de carcere, rurſus in ejus collum funem injecerunt, eumque pertrahentes dicebant: trahamus bubulum in bubulci ſtabulum. At Beatus Marcus eo majores gratias omnipotenti Domino Jeſu Chriſto agebat, dicens: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: cumque hoc dixiſſet, tradidit Deo ſpiritum.) Timotheum hortatur Divus Paulus, ut opus faciat Evangeliſtæ: *Opus fac Evangeliſtæ*: quod eſt illud opus? reſpondet Doctor Seraphicus in ſermone de S. Marco: *Opus Evangeliſtæ eſt: primo in Chriſtum credere; ſecundo, Chriſtum prædicare; tertio, prædicare*

in

Digitized by Google

in ſcripturam redigere; quarto, ſeipſum in mortem pro Evangelio tradere. 2. *Tim.* 4. O grande & arduum opus! quod perfecte adimplevit S. Marcus; qui in Chriſtum firmiter credidit; qui Chriſtum crucifixum prædicavit generoſe; qui quæ de Chriſto prædicavit, ſcriptis mandavit; qui tandem acerbam paſſus eſt mortem, ut quæ de Chriſto prædicaverat & ſcripſerat, ſanguine ſuo confirmaret. Ecce ſupplicia, ecce mortem, & ecce quid paſſus ſit Sanctus Marcus, ut Chriſti martyr.

Ut Epiſcopus Eccleſiam Alexandrinam fundavit, illuſtravit, & perfecit. *Ut Evangeliſta* Evangelium ſcripſit quod a Petro audierat, quod a Spiritu ſancto didicerat, & quod ipſe exacte obſervabat. *Ut Martyr* paſſus eſt injurias & ludibria, vincula & carceres, gravia ſupplicia & mortem. Ecce quid fecit, quid ſcripſit, & quid paſſus eſt Marcus in hoc mundo, quibus omnibus meruit in cælum ſublimari, & ad primarias Paradiſi ſedes evehi. Jam ibi eum contemplemur, miremur ejus gloriam, ejuſque patrocinium imploremus.

Quantam, o fratres dilectiſſimi, penſatis eſſe in cælo gloriam ſanctiſſimi illius Viri, qui tot & tanta pro Chriſti gloria fecit, ſcripſit, & paſſus eſt? Maxima quidem gloria ejus: quia, ut ait Nicetas, Marcus Apoſtolis ut Apoſtolus, Evangeliſtis tanquam Evangeliſta, Patriarchis ut Patriarcha, atque Martyribus ut Martyr eſt coaptatus, variaque proinde corona præfulgens, ac eximie nitens, inquit, a dextris aſſiſtere æterno Regi meruit. Demiremur cum tot donis radiantem, totque pretioſis redimitum coronis; ſed inſuper ad ejus confugiamus patrocinium, ejuſque auxilium imploremus.

Reſpublica Veneta, duratione antiquiſſima, auctoritate potentiſſima, nec non divitiis, viribus, & nobilitate famoſiſſima, a multis ſæculis Sanctum Marcum in patronum aſſumpſit: quare ſub ejus inſignibus, & protectione militat, pro ſtemmate leonem præferens, & pro teſſera hæc ſumens Chriſti ad Marcum verba: *Pax tibi Marce Evangeliſta meus.* Sub tali autem, & tanto protectore felix & fortunata eſt illuſtris hæc Reſpublica. Sancti hujus interceſſione innumera impetrat beneficia, ejuſque patrocinio cuncta ei proſpere & feliciter evenire videntur. At non ſolis Venetis patrocinatur Marcus, verum & iis omnibus qui ejus devote & reverenter implorant auxilium. Ut enim perbelle ait Sanctus Laurentius Juſtiniani (invocat Marcum oppreſſus, & levamen ſentit; ejus implorat auxilium infirmus, & ſoſpitatem recipit; in mari, in ſolitudine, in periculis, inter latronum acies exoratur, & juxta fideliter poſcentium vota ſuffragatur: offert enim Deo orationes ad ſe clamantium atque gementium, ut beneficia conferat. Intercedit, & obtinet; compatitur, & ſua interpellatione defendit. Suo nunquam fruſtratur voto, quoniam ardenter, quoniam recte, quoniam precatur humiliter. Per illum Deus largitur veniam, manum porrigit, delinquentes ſuſtinet, tribuit vitam. Felices dixerim, qui tanto propitiantur patrono. *Laurent. ſerm. de S. Marco.*) Quare ſanctum hunc Antiſtitem in vitæ noſtræ patrono eligamus, hujus ſanctiſſimi Evangeliſtæ protectionem humiliter poſtulemus, & tanti Martyris patrocinium in omnibus neceſſitatibus noſtris ſollicite, ac ardenter petamus; & ut illud impetrare valeamus, exinde eum rogemus cum Procopio, dicentes:

O Marce Evangeliſta, Deum nobis propitium reddere ne graveris: ab iis quæ moleſta nobis accidunt, & a quibus perturbamur, nos ſubleves; quæ in vita difficilis, & gravia nobis ſunt, ea facilia reddas; rumpas & chyrographum illud, in quo noſtra crimina ſcripta ſunt, erratorum da veniam: talem enim ab ipſius Domini lingua poteſtatem accepiſti. *Procop. ubi ſup.* Si ligaveris, id quod ligatur, ſolvi non poterit. Si ad commiſerationem, ac veniam ſpectaveris, vinculum ipſum facile diſſolvetur. Ne deſpicias nos propriorum peccatorum catenis conſtrictos, ſed impera vinculis ipſis, & illa effringentur. Denique fac, ut & nos bonorum cæleſtium participes efficiamur, gratia & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui gloria eſt & imperium, nunc & in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

DE SANCTA
CATHARINA SENENSI.
CONCIO UNICA.

Ipſe dabit cor. Eccl. 6. 37.

Spirituum & meritorum unius cujuſque ſolus ponderator eſt Dominus. Unde ſicut illi ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna civitate locandus; ita & ei ſoli innoteſcunt gradus meritorum & præmiorum, quæ cuilibet Sancto ſpecialiter competunt. Si tamen de Sanctis per conjecturas, per præſumptiones, & per externa eorum geſta liceat judicare; certe Sancta Catharina Senenſis tot duris pœnitentiæ vacavit operibus, tot cæleſtibus illuſtrata fuit viſionibus, tam inſolitis effulſit miraculis, tam familiariter cum Chriſto converſata eſt, tantaque charitate erga Deum & proximum exarſit, ut eam maxime extitiſſe meriti, ac ſupereminente ditatam fuiſſe ſanctitate, non eſt qui ambigat. Sed quod in tota ſanctæ illius Virginis vita mirabilius apparet, eſt mira Chriſti erga eam dignatio, quæ tanta fuit, ut ei proprium cor dare voluerit. Promiſerat Deus ſe cor, ſeu amorem ſuum, daturum ei, qui ejus perfecte ſervaret præcepta: *Ipſe dabit tibi cor;* at id nunquam melius & perfectius adimpletum fuiſſe videtur, quam in Sancta Catharina, cui Chriſtus revera cor ſuum dedit. Ipſe etenim ſacræ hujus Virginis cor eripuit, in cujus locum cor rubicundum & ardentiſſimum, quod manu geſtabat, reponens, dixit: ecce filia mea, *habes pro corde tuo cor meum. Raymund. Capuan. in vita ejus*, clauſoque latere receſſit: & ne putaretur ioane hoc fuiſſe phantaſma, illo in loco cicatrix permanſit, quæ a multis viſa eſt. An autem cor ſuum Chriſtus ei moraliter ſolum dederit; an vero realiter & phyſice, reproducendo ſcilicet proprium cor, & illud intra ſanctæ illius Virginis pectus introducendo, illius dumtaxat eſt judicare, qui novit abſcondita cordium. Quare in Seraphicæ illius Virginis laudem dicam tan-

tantum, ipſam habuiſſe cor maxime conforme & ſimile cordi Chriſti, &c. *Ave*.

PEccatorum corda plena, frigida & abominabilia ſunt. Eorum corda plena ſunt ignorantia, iniquitate, & dolo: *Cor ſuum plenum eſt dolo. Eccli.* 1. 40. Eorum etiam corda ſunt frigida erga proximum, quem non amant, & cui plerumque mala ex corde deſiderant: *Mala autem in cordibus eorum. Pſalm.* 27. 3. Sunt tandem eorum corda ab omni bono elongata & abominabilia: *Abominabile Domino cor pravum. Prov.* 11. 20. At Chriſtus, qui toto cælo a peccatis & a peccatoribus ſegregatus fuit, non habuit, ſimul cum iis, cor plenum, frigidum & abominabile; ſed habuit cor vacuum, ardens & conſecratum: cor ejus fuit vacuum omni ignorantia, paſſione & imperfectione: fuit etiam cor ejus ardens amore inimicorum, miſerorum, & omnium hominum; fuit tandem cor ejus conſecratum laboribus, doloribus, & æterni Patris amori. O cor venerandum! o cor omni admiratione dignum! ſed o cor, quod Chriſti ſimul fuit & Sanctæ Catharinæ, ipſa namque cum Chriſto habuit: 1. Cor vacuum. 2. Cor ardens. 3. Cor conſecratum. His tribus propoſitionibus Catharinam idem cum Chriſto cor habuiſſe patebit: *Ipſe dabit tibi cor*.

PRIMA PARS.

Sancta Catharina ſimul cum Chriſto habuit cor vacuum.

VOluit Deus in ſui gloriam altare fieri, non ſolidum, ſed cavum, & intus vacuum: *Ipſum altare erat intus vacuum. Exod.* 38. 7. Cor Chriſti fuit quidem altare, in quo in Patris æterni gloriam innumera interius ſacrificia obtulit: & illud altare fuit vacuum, quia cor ejus, quod divinitatis erat thronus, ab omni quod imperfectionem redoler, fuit prorſus alienum & vacuum; ſed cor ejus præcipue vacuum fuit omni ignorantia, immunditia, & affectu terrenorum. Et quoad hoc, cor Sanctæ Catharinæ cordi Chriſti maxime fuit conforme; ipſa etenim cum illo habuit cor vacuum ignorantia, immunditia, & affectu terrenorum: hujus ſanctæ virginis cor fuit: 1. *Vacuum ignorantia*, cum fuerit doctiſſima: 2. *Vacuum immunditia*, cum fuerit puriſſima: 3. *Vacuum affectu terrenorum*, cum fuerit paupertatis amantiſſima.

1. Cor Chriſti omni penitus ignorantia vacuum fuit, cum in eo cuncti ſcientiæ Dei theſauri fuerint reconditi: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Coloſſ.* 2. 3. Nulla prorſus in divino illo corde eſſe poterat ignorantiæ nebula, cum noverit & ea quæ ſunt & ea quæ non ſunt; ac in eſſentia divina omnia præterita, præſentia & futura clare viderit. Sancta Catharina ſimiliter, non quidem ita perfecte ac Chriſtus, ſed ſuo modo habuit cor ignorantia vacuum; quia ipſa fuit doctiſſima, & ab ignorantiæ tenebris remotiſſima. Magiſter ejus fuit Chriſtus, qui *per revelationem, per occultam inſpirationem, & aliquando per claram apparitionem ei loquebatur, ſicut homo loquitur homini: S. Antonin.* 3. *part. tit.* 23. *cap.* 14. Quare ipſa dicere poterat, non ab hominibus didici, ſed Deus *omnium artifex docuit me ſapientiam. Sap.* 7. 21. Sub tanto magiſtro Catharina ab infantia ſua multas orationes, prima fidei rudimenta, & arctam vivendi formam, quam Sancti Patres in deſerto tenuerant, perfecte didicit: paulo autem ætate provectior facta, ſub eodem præceptore tam altam fidei & Theologiæ myſteriorum notitiam aſſecuta eſt, ut quæque abſtruſa penetraret, difficilia enodaret, & obſcura elucidaret: quare famoſiores quique Theologi eam in dubiis & difficultatibus ſuis tanquam oraculum conſulebant, doctiſſimaſque ejus reſponſiones admirabantur.

Nec mirum; quia cum ipſa divinitus eſſet edocta, ſecreta cæleſtia noverat, quæ non licet homini loqui. Ipſa etiam, quæ lateris Chriſti vulnus deoſculari & ſugere meruerat, e ſacro illo divini luminis fonte tantam hauſerat ſapientiam, ut Confeſſarii ejus, Doctores omnes, & varii ex Summis Pontificibus eam audientes ſuſpicerent, & quaſi in extaſim raperentur. Cæleſtem autem hanc ſapientiam eructavit præcipue Sancta Catharina, tum in libro de Providentia, in quo mirum in modum de ſolitudine cordis diſſerit; tum in variis epiſtolarum voluminibus, in quibus ſublimia de Principum & Eccleſiaſticorum regimine docet; tum in Sententiis, quas dum in extaſim rapta eſſet, ſæpe proferebat; tum in dubiis ipſi propoſitis, quæ clare & doctiſſime explanabat.

O ſupereminentem hujus Virginis ſcientiam! quæ magis adhuc enitet in hoc quod ipſa cognoſceret abſcondita quæque, ſive præſentia eſſent, ſive futura. Verum eſt quod præſentia, quæ ſub ſenſu cadunt, a quolibet oculos habente videri & cognoſci poſſunt; ſed præſentia quæ latent, ut cordis arcana, a Deo ſolo, & ab iis, quibus Deus d derit, cognoſci poſſunt: Deus autem hanc cordium notitiam ſanctæ Catharinæ impartitus eſt; ipſa ſiquidem abſcondita cordium ſcrutabatur, ac ita perfecte noverat, ut pluries pluribus, quæ eorum eſſent cogitationes, quis conſcientiæ illorum eſſet ſtatus, quæ peccata confeſſariis manifeſtaverint, & quæ celaverint, necnon alia multa declaraverit. Sed ipſa novit etiam abſcondita, quæ non ſunt actu, ſed quæ futura ſunt: *Erat enim in ea*, inquit S. Antoninus, *ſpiritus propheticus tam perfecte & frequenter, quod pene eam nil poſſet latere. Ubi ſup.* Hoc prophetiæ ſpiritu illuſtrata, Confeſſarium ſuum de his quæ ei ſuperventura erant, aliquando præmonuit; futura ſchiſmata, diu antequam evenirent, prænuntiavit; imminentia Eccleſiæ mala Summis Pontificibus indicavit; aliquibus Principibus varios eventus futuros prædixit: ipſa tandem in ſua cella velut in totius ſapientiæ gymnaſio ſedens, præterita, præſentia, & futura, quantumvis abſtruſa, penetrabat. Quare certiſſimum eſt, cor Catharinæ, ſimul cum Chriſti corde, fuiſſe ignorantia vacuum, cum ipſa fuerit doctiſſima: *Sed cor Catharinæ, ſimul cum corde Chriſti, fuit etiam omni immunditia vacuum, cum ipſa fuerit puriſſima.*

2. Cor Chriſti ita ab omni immunditia vacuum & alienum extitit, ut ad illud vel minima cujuſvis peccati macula accedere nequiret. Non erat, quod diceret Patri: *Cor mundum crea in me Deus*; *Pſ.* 50. 12.

quia

quia a principio ita mundum & purum creatum fuit ejus cor, ut nec leviſſima quaque peccati labe unquam fœdari poſſet. O cor vere omni immunditia vacuum! ſed cor Catharinæ fuit etiam mundiſſimum; verum eſt quod a venialibus peccatis non fuit totaliter immunis, ſed pauciſſima uſque ad cor ejus venerunt, eaque tam cito lacrymis lavit, & pœnitentiis ita gravibus delevit, ut cor ejus mundiſſimum extitiſſe conſter. De ipſa fertur, quod poſtquam, cum adhuc ſeptennis eſſet, virginitatem vovit, a mundi pompa, & ab elaborato corporis ſui cultu maxime abhorruerit; nihilominus importunis ſororis ſuæ Bonaventuræ precibus ſuperata, corporis ornatui aliquantulum vacavit, in quo an etiam venialiter peccaverit, dubitat Sanctus Antoninus; *Hanc tamen levitatem*, inquit, *ad ſe reverſa multis lacrymis terſit, eamque confeſſa eſt proclamans, ſe inferno eſſe digniſſimam. Ubi ſup.* Heu! ſi levitatem, de qua non eſt certum an fuerit peccatum veniale, tot lacrymis lavat, tantoque dolore delet; quantam cordis ejus munditiam fuiſſe cenſebimus, non ſolum reſpectu gravium, ſed etiam reſpectu leviſſimorum peccatorum? tantam quidem, ut nec verbis explicari valeat.

Perbelle dixit Auguſtinus, quod *cor juſtorum cælum eſt. Serm.* 44. Cor noſtrum parvum eſt, & cælum ampliſſimum; cor noſtrum eſt animatum & vivit, cælum vero eſt inanimum & non vivit: quomodo ergo cor juſti, quod eſt parvum & animatum, poteſt vocari cælum; cum cælum maximum ſit & inanimum? Dici poteſt, cor Juſtorum eſſe cælum, quia ſicut Deus viſibiliter habitat in cælo, ita & in anima juſti vere per ſuam gratiam ſanctificantem inhabitat. Vel etiam dici poteſt, cor juſtorum eſſe cælum, quia ſicut in cælo nihil eſt immundum: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*; *Apoc.* 21. 27. ſic cor juſti ab omni prorſus peccati mortalis macula vacuum eſt & immune. In duplici autem hoc ſenſu cor Sanctæ Catharinæ vere & perfectiſſime cælum extitit; cælum fuit per gratiam ſanctificantem & abundantem, qua Deus illud replevit; fuit etiam cælum, quia non ſolum mortali quodam peccato non fuit coinquinatum, verum & leviſſimas quaſque peccati maculas ab eo abegit: quare cum cor ejus eſſet mundiſſimum, in eo Chriſtus virginum ſponſus commorabatur, & delectabatur.

Chriſtus *paſcitur inter lilia*, *Cant.* 6. 2. ſeu in cordibus inſtar liliorum dealbatis, & mundis jucunde inhabitat: ipſe eſt ſapientia æterna, quæ *non habitabat in corpore ſubdito peccatis*: *Sap.* 1. 4. ſed quæ in cordibus puriſſimis, & a peccati macula alienis facile requieſcit. Procul Chriſtus a cordibus fœdo avaritiæ, luxuriæ, vindictæ & aliorum vitiorum luto inquinatis, & fœtidis; ibi non habitat hic puritatis amator; ſed in mundiſſimo Sanctæ Catharinæ corde gratiſſime commoratur. De ipſa enim legitur, quadam die dæmones ex Dei licentia tentationibus horrendis illam vexaſſe, objicientes intellectui ejus, & coram ipſa facientes quidquid animæ puritatis amanti magis diſplicere poteſt. Horruit, & ſatanæ fortiter reſiſtens, ſummopere turbata eſt Virgo ſacra: cui cum poſt tale certamen apparuiſſet Chriſtus, ipſa ad ſummum afflicta humiliter dixit ei; Ubi Domine mi fuiſti, dum cor meum tot turpitudinibus vexabatur? cui Dominus: *Ego eram in corde tuo, latebam in medio cordis tui. S. Antonin. ubi ſupr.* Heu! ſi Chriſtus in corde Catharinæ erat & latebat, etiam cum tentationibus ad turpia allicientibus vexabatur; quanta fuit pretioſi & cæleſtis illius cordis munditia? Cum Chriſtus Dominus in hunc mundum venit, voluit in loco totius mundi puriſſimo, videlicet in ſinu Beatiſſimæ Virginis Mariæ, habitare & quieſcere; quanta ergo fuit cordis Sanctæ Catharinæ munditia, in quo Chriſtus fuit, latuit, & commoratus eſt? certe cor ejus fuit puriſſimum, & ab omni immunditia alienum. Sed ſi Sancta Catharina, ſimul cum Chriſto habuit cor vacuum omni immunditia: *Habuit etiam cum eo cor vacuum ab affectum omnium terrenorum.*

3. Abhorret natura vacuum: unde cum cor gratia, & cæleſtibus bonis eſt vacuum, terrenis impletur; & e contra, ut ait Sanctus Bernardinus Senenſis, cum cor terrenis eſt vacuum, cæleſtibus bonis facile impletur: *terrenis vacui, cæleſtibus implebuntur. S. Bernad. tom.* 5. *ſerm.* 9. *a* 2. O quam plenum fuit Chriſti cor cæleſtibus bonis, & o quam vacuum fuit affectu omnium terrenorum! ſed o quam etiam plenum, & vacuum fuit Sanctæ Catharinæ cor! plenum fuit cæleſtibus divitiis: in cælis enim ſemper converſabatur, & divitiis cæleſtibus continue replebatur. Quis narrare poſſet, quot mirabiles viſiones habuerit, quot extaſes paſſa ſit, quot cæleſtibus conſolationibus gaviſa ſit, & quam magna in cælo videre meruerit? ipſam gloriam Beatorum, immo & divinam eſſentiam vidiſſe, Confeſſario ſuo faſſa & teſtata eſt, dicens: *Intellexit anima mea gloriam Beatorum; anima mea vidit divinam eſſentiam. S. Antonin. ubi ſupr.* O cor vere bonis ſpiritualibus, & cæleſti rore plenum! ſed o cor vere vacuum affectu omnium bonorum terreſtrium, quæ deſpexit, reliquit, ac paupertatis voto penitus abdicavit! Quare quæcumque ipſi adveniebant, ſive oleum, ſive vinum, ſive frumentum, ſive veſtes, ea pauperibus, & aliquando ipſi Chriſto, ſub ſpecie pauperis petenti, erogabat.

Fideles hortatur Divus Paulus, non ad terrena, ſed ad cæleſtia bona ambienda, & inquirenda: *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Coloſſ.* 3. 1. O quam multi, poſthabitis gratiæ & gloriæ bonis, terrenis ſolum ditari ambiunt, & procurant! Ipſi etiam Sanctæ Catharinæ conſanguinei eam ad matrimonium ineundum, & ad cor ſuum terrenis agglutinandum, variis modis inducere pertentarunt; ſed hæc ſponſa Chriſti, quæ ſe totaliter ſpiritualibus addixerat, non acquievit carni & ſanguini; quin contra, ſoli Deo placere ſtudens, quæ ſurſum ſunt ſemper quæſivit; cuncta vero terrena nihili pendit, ac veluti vilia ſpiritualis vitæ impedimenta reſpexit & deſpexit.

De Sancta Virgine Thereſia fertur, quod quadam die, poſt perceptum ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, in extaſim rapta, tantam interius ſuavitatem, & dulcedinem ſenſerit, ut ab illo tempore terrena cuncta, non ſecus ac vile formicarum examen aſpiceret: *Omnia*, inquit, *mihi videbantur*

eſſe

Digitized by Google

eſſe formicarum examen. Heu! ſi S. Thereſia poſt illam extaſim ita terrena bona contempſit; quid dicemus de S. Catharina, *cui communiter contingebat, ut communione accepta, raperetur in extaſim, & per tres, vel quatuor horas rapta, & alienata a ſenſibus manebat immota? S. Antonin. ubi ſup.* Quid ſentiemus de S. Catharina, quæ paſſim extaſes patiebatur, quæ rore cæli in oratione paſcebatur, quæ in meditatione guſtabat aſſidue, quam ſuavis eſt Dominus; quæ cæleſtium bonorum magnitudinem noverat, & cujus anima eſſentiam divinam videre meruerat? Certe terrena omnia, non ſolum ut formicarum examina, ſed ut iis viliora, & affectu cordis humani indigniora deſpexit & abjecit. Ecce cor vere vacuum; ſed ſi S. Catharina ſimul cum Chriſto habuit cor vacuum; *cum eo etiam habuit cor ardens amore hominum.*

SECUNDA PARS.

Sancta Catharina ſimul cum Chriſto habuit cor ardens.

CHriſtus Dominus ita hominum ardebat amore, ut tota ejus cura, totaque ejus doctrina ad hunc amorem tetendiſſe videatur: *Dilectio proximi eſt tota Creatoris diſciplina. Tertull. lib. 5. adverſ. Marc. 14.* Venerat ignem mittere in terram: *Ignem veni mittere in terram*; ignem ſcilicet amoris proximi, quo cor ejus ita exarſit, ut pro omnibus penitus hominibus pati, crucifigi, & mori voluerit: *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* At ſpecialiter Chriſti enituiſſe videtur amor erga inimicos, erga infirmos, & erga peccatores, quibus ſpecialiora amoris ſui ſigna dedit. Et in hoc magiſtrum & ſponſum ſuum Chriſtum perfectiſſime imitata eſt Catharina, cujus cor ſancto omnium hominum amore accenſum fuit; ſed ſpecialius, & ardentius amavit 1. *Inimicos*, quibus injurias condonavit. 2. *Infirmos*, quorum calamitates ſublevavit. 3. *Peccatores*, quorum ſalutem optavit, & pro viribus procuravit.

1. Chriſtus Dominus, qui omnes penitus homines diligebat, ſuum erga inimicos ſpecialius manifeſtavit amorem: iis enim injurias condonavit, multa iis beneficia impertitus eſt, & in cruce pendens, pro iis enixe Patrem eſt deprecatus. O præclarum dilectionis inimicorum exemplar! cui quidem conformis facta eſt Catharina, quæ cum omnes homines, nullo excepto, propter Deum amaret; ſuum ſpecialiter reſpectu inimicorum patefecit amorem: ei enim improperabant multi; adverſus pietatis ejus exercitia muſſitabant non pauci; aliqui murmurantes ex hoc quod ſæpiſſime ſacroſancto reficeretur Euchariſtiæ Sacramento, illam ex unico hoc cibo vivere dicebant, alii, ut de ſuſpecto conſortio illam incuſarent, eam plus quam par eſſet Confeſſarium alloqui ajebant, ei complures, tum ex invidia, tum ex falſo zelo varie illudebant, multaſque ei injurias inferebant; ſed ipſa cum *malediceretur, non maledicebat*, mala malis non compenſabat; quin contra orabat pro perſequentibus, maledicentibus benedicebat, & erga infenſiſſimos quoſque hoſtes ſe beneficam exhibebat.

Ad ſanctæ illius Virginis gloriam narratur, quod cum in civitate Senenſi quædam eſſet infirma, lepra ita enormiter corrupta, ut nec inveniretur aliquis, qui ei ſubvenire vellet, Catharina, cum hoc didicit, *ad eam acceſſit feſtinanter, ardore charitatis ſuccenſa, S. Antonin. ubi ſup.* ei ſalutem dixit, contrectavit eam, ejuſque ſe obſequio propter Deum ita mancipavit, ut qualibet die eam pluries inviſeret, cuncta victui neceſſaria ei præpararet, magnoque affectu, & diligentia ei omnibus inſerviret. Ingrata vero hæc ægrota, diabolo ſuggerente, poſt percepta multa ardentiſſimæ charitatis officia, cœpit objurgare, ac contumeliis afficere virginem: opprobriis & deriſionibus multis illam inſectata eſt; ipſa vero talia benigne audiens, iraſcentem verbis dulciſſimis leniebat, maledicenti benefaciebat, omniaque ipſi neceſſaria quieto & tranquillo animo præparabat. Quid ſimile de alia fertur infirma, cui a putrido cancere fœtenti, cum maximo charitatis ſtudio opitulabatur S. Catharina; licet hæc ingrata mulier benefactrici ſuæ crebro malediceret, eamque detractionibus ſuis denigrare conaretur. Alia multa ab auctoribus recenſentur charitatis teſtimonia, quæ inimicis ſuis præſtitit hæc virgo ſacra; eos enim dilexit, fovit, protexit & beneficiis multis explevit. Unde, ſi inimicis parcere, cum iis nocere poſſumus, glorioſiſſimum eſſe cenſeat S. Ambroſius: *Magna gloria eſt, ſi cui potuiſti nocere, parcas*; maxima certe fuit gloria S. Catharinæ, quæ, cum inimicis nocere poſſet, non ſolum iis pepercit, verum & iis benefecit, multaque ardentiſſimæ charitatis officia ſedulo impendit. Sed ſi S. Catharina habuit cum Chriſto cor ardens amore erga inimicos, quibus benefecit: *Habuit etiam cum Chriſto cor amore ardens erga infirmos, quorum calamitates ſublevavit.*

2. Magna erga infirmos charitate ferebatur Chriſtus, unde paſſim cæcos, ſurdos, mutos, paralyticos, aliiſque infirmitatibus gravatos ſanabat, & non ſolum per ſeipſum iis ſubveniebat, ſed etiam per Apoſtolos, quibus dedit poteſtatem: *Ut curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Matth. 10. 1.* Simili autem charitate ardebat S. Catharina, quæ omnibus quidem miſeris compatiebatur; ſed præcipue ægrotis, quibus inſerviendis aſſidue vacabat. De aliquibus jam locuti ſumus, quibus maxima cum charitate & patientia miniſtravit; ſed & aliis multis eadem charitatis officia præſtitit: ab Eccleſia enim ad xenodochia properare ſolita erat, ubi iis qui lepra, putridis canceribus, fœtidis & inveteratis ulceribus & aliis morbis horrendis, ac contagioſis laborabant, alacri animo opitulabatur. Quodam autem die, detecto ægrotantis alicujus ulcere, tantus ex eo fœtor exhalavit, ut virgo ſacra uſque ad vomitum commota fuerit, nec ideo a charitatis officio deſtitit; quin contra, ut de ſeipſa triumpharet, iiſque fœtoribus aſſuefieret, os & nares horrendo & fœtido huic ulceri admovit & fixit, donec horrorem & nauſeam viſum eſt ſibi extinxiſſe. Alia autem vice, cum ulcus canceroſum virgo detergeret, tantus ſimiliter ejus nares fœtor invaſit, ut ejus omnia commota ſint viſcera; at illa, ut de naturali hoc horrore totaliter triumpharet, fœdi hujus ulceris loturam in ſcutella collegit, & generoſe bibit. Quæ actio ita Chriſto ejus ſponſo accepta fuit, ut proxime ſequenti nocte illi apparuerit, ſacraque corporis ſui vulnera ei patefecerit, cumque ad ſumendum potum ex lateris ſui

vul-

vulnere eam invitaſſet: *inclinavit Chriſtus locum vulneris lateralis ad os ejus, ex quo potu per non parvæ moræ ſpatium inexplicabilem hauſit ſapientiam tam avide, quod abunde ſatiata ſimul, & ſitibunda fuerit. S. Antonin. ubi ſupr.* O ineffabilem Chriſti erga hanc virginem gratiam & favorem! Sed o mirabilem etiam hujus virginis erga infirmos charitatem! quæ enim major charitas, quam inter infirmos commorari, eos conſolari, purulenta eorum ulcera lavare, ſordes quaſque hilari animo abſtergere, fluentem ſaniem lambere, omniaque ipſis neceſſaria ſedulo præſtare, nec aliqua adveniente tentatione ab his charitatis officiis ceſſare?

Præclare dixit S. Fulgentius, chari atem erga proximum, ſi vera ſit, numquam frigeſcere, ſed inardeſcere ſemper & creſcere: *Proprium eſt charitatis proximi, ut in eo, qui eam erogat, creſcat. S. Fulg. Ep. 5. ad Eugyp.* Quod veriſſimum eſſe in S. Catharina comprobatur: charitas enim qua erga ægrotos exarſit, numquam refrixit, ſed major ſemper & ardentior facta eſt. Dæmones invidia tabeſcentes, ab his charitatis officiis eam avocare conati ſunt, tum provocando infirmos ad illi improperandum, tum horribiles in ulceribus infirmorum excitando fœtores; ejus etiam ſociæ, & amicæ timentes, ne ipſa, ob fœtentia quæ attrectabat ulcera, in gravem aliquem morbum incideret, ei ſuadere pertentarunt, ut charitatis ſuæ exercitia temperaret; ejus tandem parentes, ægre ferentes, delicatam hanc filiam noſocomia circuire, carceres tangere, ac infirmis, plerumque ingratis, viliora, & abjectiora quæque charitatis officia præſtare eam a pio hoc exercitio avertere conati ſunt; ſed nec dæmones, nec amici, nec parentes eam a propoſito deterrere potuerunt; quin contra ardentior ſemper, & officioſior facta eſt ejus charitas & uſque ad mortem in his charitatis exerciciis perſeveravit. O cor vere ardens charitate erga infirmos! *Sed cor ejus fuit etiam ardens charitate erga peccatores, quorum ſalutem maxime optabat.*

Inennarrabilis, & incomprehenſibilis eſt charitas, qua Chriſtus peccatores proſecutus eſt: pro eorum enim ſalute de cœlis deſcendit, pro eis incarnatus, paſſus, ac mortuus eſt; & quaſi juſtorum oblitus fuiſſet, in hunc mundum, non ut juſtos, ſed ut peccatores vocaret, ipſum veniſſe ait: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Matth. 9. 13.* A Chriſto ſponſo ad Catharinam ejus ſponſam tranſeo, illiuſque erga peccatores charitatem demiror, quæ tanta erat, ut omnium ſalutem ardenter deſideraret & pro viribus procuraret; ut enim ait S. Antoninus: *Quidam zelus animarum, cordi ejus infuſus, commovebat eam, omnium zelans ſalutem. Ubi ſup.* Sponſa Canticorum lilio aſſimilatur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Cant. 2.* Legit Nyſſenus: *Sicut roſa inter ſpinas. Nyſſen. hom. 4. in Cant.* unde hæc ſponſa lilium ſimul fuit & roſa. Sed S. Catharina fuit etiam lilium, & roſa; *lilium*, ratione puritatis virginalis qua fulſit; *roſa*, ratione zeli & charitatis qua erga peccatores ardebat, quæ tanta erat, ut omnium ſalutem ſummo affectu deſideraret. Quapropter Sanctos illos, qui pro hominum ſalute plurimum laboraverant, ſpeciali cultu venerabatur, & cum divinitus noviſſet, quod S. Dominicus Fratrum Prædicatorum Ordinem ad procurandam hominum ſalutem inſtituiſſet, terram religioſe oſculabatur, quam tranſeuntes Fratres Prædicatores pedibus calcarent. Nec hic hærebat ejus erga peccatores charitas, quæ tanta adhuc erat, ut pro cujuslibet peccatoris ſalute mortem libenter paſſa eſſet: *Tantus ejus erat amor erga proximum, ut pro quolibet libenter ſuſtinuiſſet mortem. S. Anton. ubi ſupr.* Non pro omnibus ſimul peccatoribus ſemel ſolum mortem ſuſtinere voluiſſet, ſed pro cujuslibet peccatoris ſalute libenter mortem ſuſtinuiſſet, unde pro ſalvandis decem peccatoribus decies & pro ſalvandis mille, millies mortem ſuſtinere acceptaſſet. O magnam ejus erga peccatores charitatem!

Sed quid adhuc mirabilius de Seraphica illa virgine narrat Lippolus, dicens, tantam illius erga peccatores fuiſſe charitatem ut corpuſculo ſuo os inferni obſtruere voluiſſet, ut in eum aliquis non intraret, ac optaſſet ipſa ſola, inferni ſupplicia pati, ut ab iis alii omnes liberarentur; ſic enim Catharinam Chriſtum deprecantem hic auctor inducit: *Mi Domine, quonam modo ferre potero, ut qui ad imaginem tuam formati ſunt, in æternum pereant? an non in majorem gloriæ tuæ cumulum cederet, ut ſalva charitate ego ſola perirem, corporiſque mei objectu aditum ad inferos obſtruerem; omniaque gehennæ tormenta perferrem, quam ut tot animarum millia a beatitudinis tuæ conſortio excluderentur? Lippol. in vita ejus.* Mirabilis quidem extitit S. Pauli charitas, qui pro hominum ſalute a Chriſto anathema eſſe optavit: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe Chriſto pro fratribus meis; Rom. 9.* Sed quodammodo mirabilior, & ferventior fuiſſe videtur S. Catharinæ charitas, quia non ſolum pro peccatorum ſalute a Chriſto anathema eſſe deſideravit; ſed etiam a Dei viſione privari, a Paradiſo arceri, & in inferno cruciari, æterniſque ſuppliciis pro eorum ſalute addici concupivit. Nec ejus amor erga peccatores in ſolis piis, & ardentibus affectibus ſtetit; verum, & omnibus modis, quibus potuit, eorum ſalutem procuravit: ſuis enim orationibus, conſiliis, exhortationibus, & exemplis innumeros a dæmonis laqueis liberavit, ab inferni faucibus extraxit, ad mundi contemptum induxit, ac per juſtitiæ & virtutis ſemitas ad cœlum deduxit: *Quis ſufficiet narrare, quot ſceleratos homines ab ipſis infernorum faucibus extraxerit? quot mundo huic deditos, ad ejus contemptum induxerit? quot variis divexatos tentationibus a Satanæ laqueis liberaverit? quot cœlitus vocatos, per virtutis iter deduxerit? Raym. in vita ejus.* Ecce quomodo S. Catharina, ſimul cum Chriſto habuit cor ardens amore proximi, *ſed ſimul cum eo habuit etiam cor conſecratum.*

TERTIA PARS.

S. Catharina ſimul cum Chriſto habuit cor conſecratum.

DIvinum Chriſti cor omnium virtutum & bonorum operum exercitio fuit addictum & conſecratum; ſed præcipue humilitati, mortificationi, & æterni Patris amori. Catharina autem ſimul cum Chriſto habuit cor conſecratum: 1. *Humilitati*, cui firmiter adhæſit: 2. *Mortificationi*, quam generoſe ſectata eſt: 3. *Amori Dei*, quo ſemper ſucceņſa fuit.

1. Chriſti cor humilitati apprime fuit conſecratum, annihilavit enim ſemetipſum, ac ita ſe humiliavit, ut opprobrium hominum ſervum abjectum, & vilem vermiculum ſe diceret: *Ego autem ſum vermis & non homo. Pſ. 21. 7.* S. autem Catharina, Chriſti magiſtri, & ſponſi ſui æmula, cor etiam humiliatum, & humilitati conſecratum præferebat, humilia enim de ſe ſentiebat, humiliationes, & ludibria læto ſuſcipiebat animo, vilibus, & contemptibilibus quibuſque exercitiis ſtudioſe incumbebat, gratiaſque a Deo acceptas pro viribus occultabat, *Tanta*, inquit S. Antoninus, *in ea abundavit gratiæ plenitudo, quod quaſi continue in actuali contemplatione occuparetur: Ubi ſup.* aſſiduitate orationum noctes pene ducebat inſomnes; in his autem orationibus ſæpiſſime anima ejus ab externis rapiebatur ſenſibus, & tunc ei gratias, & favores maximos Deus impertiebatur, quos ipſa, præ humilitate, ab omnibus neſciri cupiebat & pro viribus celabat, ut videre eſt in inſigni illo privilegio ſtigmatum, quæ Chriſtus corpori ejus imprimere dignatus eſt: ſancta enim hæc virgo, in extaſim rapta, Chriſtum vidit crucifixum, magnoque lumine circumfuſum, ex cujus quinque vulneribus quinque radii ſanguinei ad eam fluebant, & ad manus, pedes, & cor illius tendebant. Tunc ipſa, humilitatis ergo, ſic Chriſtum deprecata eſt, *Ah Domine Deus meus, non appareant cicatrices in corpore meo exterius; ſufficit enim interius; S. Anton. ubi ſup.* illaque adhuc loquente, antequam dicti radii ad eam perveniſſent, colorem ſanguineum mutaverunt in ſplendidum, & in forma puræ lucis pervenerunt ad quinque loca corporis ejus, ſcilicet ad manus, pedes, & latus ſiniſtrum. O præcellentem Chriſti erga Catharinam favorem, & dignationem! ſed o maximam hujus virginis humilitatem!

Certum eſt, quod ad conſervandam humilitatem, Dei dona occultari debeant, nec aliquando ſint manifeſtanda, niſi Dei gloria, aut proximi utilitas id exigat; ut enim docet ſacer Textus, *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt. Tob. 12. 7.* Omnia quidem ſpecialia Dei dona *Sacramenta* dici poſſunt, ſed præcipue Chriſti vulnera; hæc ſunt Sacramentum Sacramentorum, quia ex iis omnia Sacramenta manarunt: hujus autem Sacramenti Catharinam participem fecit Chriſtus, ſed hoc Regis ſui Sacramentum ipſa humilitatis cauſa latere voluit, ardenter Deum rogans, ut exterius hæc ſacra ſigna non apparerent: *Ah Domine Deus meus, non appareant cicatrices in corpore meo exterius.*

Poſt completum Transfigurationis myſterium, prohibuit Apoſtolis Chriſtus, ne manifeſtarent, quod ipſum gloria radiantem, faciemque ejus veluti Solem rutilantem vidiſſent. *Nemini dixeritis viſionem. Matth. 17. 9.* Cur Chriſtus hanc viſionem ita latere optat, ut nemini dicatur? Reſpondet Theophylactus, Chriſtus hanc viſionem manifeſtari noluiſſe, ex humilitate. *Propter humilitatem denuntiat nemini dicendum.* Opprobrium, irriſiones, dolores, & omnia paſſurus erat Chriſtus, enarrare non prohibebat, narrent hæc Apoſtoli, quantum placuerit, de hoc non curat Chriſtus; ſed corporis ſui gloriam, & mirabilia, quæ in monte Thabor facta ſunt, publicari non patitur, ob profundam humilitatem quam ſectatur. Et eodem humilitatis motivo ducta S. Catharina, viſiones, raptus, mentis exceſſus & omnes favores a Deo acceptos latere cupiebat. Sed ſi ſancta hæc virgo ſimul cum Chriſto habuit cor conſecratum humilitati, *habuit etiam ſimul cum eo, cor conſecratum doloribus, & mortificationibus.*

2. Sicut enim Chriſtus in laboribus, & doloribus fuit a juventute ſua; nec aliud quidquam ardentius optavit, quam pati & crucem portare, ita Catharina doloribus, paſſionibus, & laboribus a juventute ſua totaliter fuit addicta; corpus enim ſuum ita abſtinentiis debilitavit, ut interdum menſibus integris ſola ſacra communione nutriretur, & pluries annis integris ſolis herbis victitaret. Carnis ſuæ macerationi ita inſiſtebat, ut catenam ferream, quæ uſque ad oſſa penetrabat, deferre ſoleret, & ſingulis diebus cum alia catena ferrea ter corpus ſuum, & qualibet vice, ad minus per unius horæ ſpatium dire flagellaret. Somno gravata ſupra ligneas tabulas parciſſime dormiebat: injuriis & opprobriis affici illi erat dulce: a parentibus, & aliis quibus benefecerat, vexari, illi erat ſuave; quia nil ita optabat, quam pro Chriſti Sponſi ſui amore pati, ac paſſionibus ejus aſſociari. Unde cum quadam die Chriſtus ei apparuerit, coronam auream dextera, & ſpineam ſiniſtra gerens, eique dans poteſtatem, quam ex duabus voluerit, eligendi; ipſa continuo ſpineam elegit, & magna vi capiti impoſuit: *Spineum diadema utraque manu de Salvatoris manibus accepit, capitique ſuo cum tanta violentia impoſuit, quod ſpinæ caput ejus violenter undique perforaverint. S. Anton. ubi ſup.* O Virgo ſacra, cur aureæ ſpineam præfers coronam? Quia, ut ait S. Antoninus, *vult ſacratiſſimæ Chriſti Paſſioni conformari, & pœnas quaſcumque propter eum amplecti.*

Ferdinandus Portugalliæ Rex pro ſtemmate duo corda unica ſagitta transfixa gerebat, cum hac inſcriptione: *Cur non ambo? Tipot. l. 1. Symb.* Seu, ſi unum ex his cordibus eſt ſagittatum, cur non ambo ſimul ſagittata erunt? Hæc Chriſto, & Catharinæ perfectiſſime conveniunt; illa etenim videns caput Chriſti ſpinis perforatum, dicebat intra ſe: cur & caput meum ſpinis non erit redimitum? Cum contemplabatur manus & pedes Chriſti clavis transfixos, dicebat interius: cur manus & pedes mei non ſimiliter transfigentur? Cum perpendebat, cor Chriſti paſſionibus, & doloribus fuiſſe conſecratum, dicebat intra ſe: cur cor meum doloribus, & paſſionibus totaliter non conſecrabitur? *Cur non utrumque?* Unde ut Chriſto conformaretur, dolores ambiebat, præeligebat, & libenter portabat: *Vult ſacratiſſimæ Chriſti paſſioni conformari, & pœnas quaſcumque propter eum amplecti.* Ac S. Catharina habuit etiam, ſimul cum Chriſto, *cor conſecratum amori.*

3. Doctor Seraphicus virginem aliquam religioſam alloquens, cor ejus Dei altare eſſe ait: *Altare Dei eſt cor tuum. Lib. de perfect. vitæ ad ſoror. c. 6.* Certe quodlibet ex noſtris cordibus eſt altare, in quo quilibet Deo ſacrificia offerre debet. Sed ſicut præceperat Deus ignem in altari ſuo ſemper ardere: *Ignis in altari ſemper ardebit; Lev. 6. 12.* ita &

in

in cordibus noſtris ignis amoris divini ſemper ardere debet. Hoc quidem igne vere ſufflammatum fuit cor Chriſti Salvatoris, qui omnibus notum eſſe voluit, ſe Patrem æternum ardenter diligere: *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem. Joan. 14. 31.* Eodem etiam igne exarſit cor S. Catharinæ, quod fuit altare amore Dei totaliter conſecratum: non enim amabat divitias, delicias, & alia quæ mundus diligit, ſed ſolum Deum, ob cujus amorem orabat, jejunabat, infirmos viſitabat, & indeſinenter virtutis operibus incumbebat. Unde inter Chriſtum, & Catharinam ſpirituale quoddam eſſe videbatur amoris commercium; amabat Catharinam Deus, & Catharina Deum redamabat: Deus in ſui erga Catharinam amoris teſtimonium, eam cæleſtibus viſionibus recreabat, cum ea familiariter colloquebatur, abditiſſima fidei myſteria ei aperiebat; futura & cogitationes cordium illi revelabat; necnon morbos ſanandi, & alia multa miracula faciendi poteſtatem illi dabat: Catharina vero, ut amorem amore, quantum illi fas erat, compenſaret, de Deo ſemper cogitabat, ejus magnalia prædicabat, ad ejus obſequium homines alliciebat; propter eum ægrotis, afflictis, & miſeris libenter inſerviebat; propriumque corpuſculum propter Dei amorem jejuniis, vigiliis, & omnibus auſterioris pœnitentiæ generibus cruciabat. O ardentem Catharinæ erga Deum amorem!

Abel, & Cain Deo obtulerunt ſacrificia cum hac tamen differentia, quod non Caini, ſed Abelis ſacrificia Deo grata, & accepta eſſent: cur Abelis, & non Caini ſacrificia approbat, & acceptat Deus? Reſpondet Rupertus Abbas, Caini Deo non placuiſſe ſacrificia, quia Deo non ſe ipſum, ſed ſua ſolum offerebat: *Cum Cain Deo offerebat ſua, ſeipſum ſibi retinebat; Rup. l. 4. in Gen. c. 2.* Abelis autem ſacrificia Deo fuiſſe placita ait: quia ei primo cor ſuum offerebat: *Primo cor ſuum, deinde rem ſuam.* O quam multi Deo Caini ſacrificia offerunt! quam multi voluptatibus illicitis, avaritiæ, vel alicui creaturæ, & non Deo, cor ſuum conſecrant! At S. Catharina vere Abelis ſacrificium Deo obtulit, quia cor ſuum non terreſtri cuidam bono, non vili, & contemptibili creaturæ, ſed Dei amori totaliter conſecravit. Unde dici poteſt, quod Deo ſacrificium medullatum obtulerit. *Holocauſta medullata offeram tibi. Pſ. 65. 15.* Sacrificium medullatum eſt ſacrificium cordis, ut ait S. Auguſtinus; hoc autem ſacrificium vere Deo obtulit S. Catharina, quia totum cor amori Dei conſecravit; ſive enim oraret, ſive quieſceret, ſive laboraret, in omnibus, ubique, & ſemper amabat Deum, cujus amori cor ſuum conſecraverat.

Quare concludendum, Chriſtum cor ſuum vere Sanctæ Catharinæ dediſſe: *Ipſe dabit tibi cor*: hæc ſiquidem virgo ſimul cum Chriſto, habuit cor vacuum, ardens, & conſecratum. Cor Catharinæ fuit vacuum *ignorantia*, cum fuerit doctiſſima; *immunditia*, cum fuerit puriſſima; *& affectu terrenorum* cum fuerit paupertatis amantiſſima. Cor etiam ejus, ſimul cum corde Chriſti fuit ardens amore proximi, & præcipue *inimicorum*, quibus benefecit; *infirmorum*, quorum miſerias ſublevavit; & *peccatorum*, quorum ſalutem procuravit. Ipſa tandem ſimul cum Chriſto habuit cor conſecratum *humilitati*, cui firmiter adhæſit; *mortificationi*, quam generoſe amplexata eſt; *& amori Dei*, quo ſemper exarſit.

Ecce quale Chriſti & Catharinæ cor fuerit: ſed ecce etiam qualia eſſe debeant corda noſtra. Si Chriſti & Catharinæ corda vacua fuerint, vacua etiam eſſe debent corda noſtra: *Effunde ſicut aquam cor tuum*, inquit Jeremias; *Thren. 2. 19.* corda noſtra effuodenda ſunt, non ſicut oleum, cujus aliquid in vaſe, in quo præexiſtebat, ſemper remanet; ſed ſunt effundenda ſicut aqua; ita quod nil in eis ignorantiæ, immunditiæ & avaritiæ remaneat. Cor noſtrum in medio corporis noſtri ſitum eſt: ignorantia autem, immunditia, & avaritia ſunt dii alieni, qui in corde noſtro habitare ſolent, ſed hi dii de cordibus noſtris ſunt abjiciendi, ita quod iis penitus vacua remaneant: *Abjicite deos alienos, qui ſunt in medio veſtri. Geneſ. 36.* Ac non ſolum cum Chriſto & Catharina, cor vacuum habere debemus; ſed etiam cor ardens amore proximi: eum diligere debemus ſicut noſmetipſos: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matth. 19. 19.* Grandis quidem labor eſt diligere homines, qui ſæpe nobis infenſi ſunt, ingrati ſunt, & peccatores ſunt; ſed hic labor, ut ait D. Auguſtinus, grandi præmio compenſabitur in cælo: *Non parvus quidem labor eſt in hoc ſæculo, ſed grande erit præmium in futuro. Aug. ſer. 5. de S. Steph.* Sed tandem, ſimul cum Chriſto & Catharina, habere debemus cor conſecratum humilitati, mortificationi, & amori Dei. Unuſquiſque Sacerdos eſt, ut Deo cordis ſui ſacrificium offerat: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes: Apoc. 5. 10.* quare offeramus ei ſacrificium cordis humilitati addicti, cordis mortificationibus attriti, & cordis amore Dei ardentis. Hæc ſacrificia ſi Deo in hoc mundo obtulerimus, cum ipſo in cælo æternum regnabimus. *Amen.*

DE
SANCTÆ CRUCIS
INVENTIONE.
CONCIO UNICA.

Initiavit nobis viam novam. Hebr. 10. 20.

CRucem invenit Chriſtus, crucem invenit Helena, & crucem inveniunt omnes Electi. Crucem ſuam, ſeu lignum Crucis Chriſtus invenit, veluti ſemitam, qua filii Adam ad Paradiſum ire valeant: *Crucis ſemitam Verbum Patris invenit.* Crucem invenit etiam S. Helena, Conſtantini Imperatoris mater, quæ Chriſti Salvatoris crucem, jam a ducentis circiter annis, Dæmonis induſtria latentem, veluti margaritam pretioſiſſimam, quam Eccleſia perdiderat, reperit & recuperavit: *Inveni drachmam, quam perdideram. Luc. 19. 9.* Crucem tandem inveniunt omnes Electi, quia cruces, mortificationes, & tribulationes, ſunt via, quam initiavit Chriſtus, qua omnes Electi ad cæleſtem pa-

 triam.

trlam pergant: *Initiavit nobis viam novam*. Docet nos Chriſtus in Evangelio, duplicem eſſe viam, ſpatioſam unam, & arctam alteram: via ſpatioſa eſt via voluptatum & deliciarum ſæculi, & hæc ducit ad infernum: *Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7. 13.* arcta vero via, eſt via crucis, mortificationis & adverſitatum, quæ eſt regia, qua itur ad cælum: *quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Hæc eſt via, quam iniciavit Chriſtus, hæc eſt via, qua incedere debemus, hæc eſt via cæli, ut tota hac concione conſtabit, &c. *Ave.*

VIator qui ad patriam maxime deſideratam pergit, longa, periculoſa & inutilia in itinere vitare ſolet: ſi enim iter ſit longum, ei ſe committere renuit, ſi ſit periculoſum, illud ſumere pertimeſcit, & ſi ſit inutile, illo ire non curat. Patria autem noſtra Paradiſus eſt, & quandiu in hoc mundo vivimus, viatores ſumus, ut ad illam patriam pergamus. Patria noſtra non eſt in terra, ſed in cælo, & via qua incedere debemus, ut ad eam aliquando perveniamus, eſt via crucis: *Crux*, inquit S. Bernardus, *eſt via regni*. Hanc viam pauci tenent, ſed ut ad hac via incedendum omnes moveantur, velim ſciant, viam crucis non eſſe longam, periculoſam & inutilem, crux enim eſt via ad cælum, quæ non eſt longa, ſed breviſſima; quæ non eſt periculoſa, ſed ſecuriſſima, quæ non eſt inutilis, ſed maxime neceſſaria. Crux eſt *via brevis, via ſecura, & via neceſſaria*, ut Paradiſum adeamus. En tres orationis hujus partes.

PRIMA PARS.

Crux eſt brevis ad cælum via.

SIcut linea recta eſt, quæ brevior eſſe poteſt inter duo puncta, ita & recta ad cælum via eſt, quæ brevior eſſe poteſt ut illud adeamus. Juſti autem & electi via recta ad cælum properant: *Semita ejus recta eſt: Iſa. 26. 7.* hi recta crucis via incedunt, quæ eſt breviſſima, compendiaria & compendioſa via, qua itur ad cælum: *Compendioſa eſt via crucis. S. Bern.* Ita quidem brevis & compendiaria eſt via crucis, ut qui hanc tenuere viam, ad Paradiſum pervenerint: 1. Intra unum diem: 2. Intra unum momentum: 3. In ipſo tempore quo crucem portarunt.

1. Vix concipi poteſt, quantum a terra diſtet cælum empireum, & ut taceam, quid de hac diſtantia varii dicant Auctores, unius Simonis Majoli Aſtrologi famoſi ſententiam & verba adducam, quæ talia ſunt: *Si a condito Orbe per ſcalam a nona ſphæra fingamus aliquem recta linea cæpiſſe deſcendere verſus terram, ſi viginti tantum milliaria quotidie confeceris, hodie nondum veniſſet. Majol. in metheor. coll.* O portentoſam cæli a terra diſtantiam! quantumvis tamen cælum a terra diſtet, crux, ſi pro Dei amore portetur, eſt via breviſſima, qua unius diei tempore totum hoc iter peragitur. In cujus rei probationem; unicum adduco beati Latronis exemplum, qui licet latrocinia multa perpetraſſet, eodem tamen die Paradiſum adiit, quo contritus, & humiliatus in cruce expiravit. Duo latrones, ſimul cum Chriſto, in Calvariæ monte erant crucifixi unus a dextris, & alter a ſiniſtris, unus autem ex his latronibus Chriſtum blaſphemabat, pro illo pati nolebat, ac a cruce liberari petebat, & hic infeliciter periit; alius vero latro in Chriſtum credidit, ſe cruce dignum confeſſus eſt, necnon contritus in cruce eſt mortuus, & iſte meruis obtinere Paradiſum, non intra centum, vel viginti annos, ſed eadem die, qua in cruce animam efflavit: dixit enim ei Chriſtus: *Hodie mecum eris in Paradiſo. Luc. 23.* Seu, ut explicat D. Auguſtinus, *hodie mecum eris in beatitudine cæleſti*, quia eodem die quo in cruce mortuus eſt, beatitudine cæleſti potitus eſt.

Hunc latronem feliciſſimum proclamant S. Patres. Felix fuit, inquit S. Athanaſius, *ſer. in Paraſc.* qui crucifixus eſt ut latro, & mox in cruce factus eſt Evangeliſta & Prædicator, qui alteri latroni concrucifixo prædicavit: *Tamquam latro crucifixus es, & repente Evangeliſta evaſiſti.* Felix fuit, ait S. Chryſoſtomus: *ſer. in Paraſc.* quia in cruce ſtans, cæleſte furatus eſt regnum: *Neque in cruce artis ſuæ obliviſcitur: ſed per ipſam confeſſionem prædatur regnum.* Felix fuit, inquit S. Athanaſius Sinaita, *lib. 5. Hexam.* quia velut avis a cruce in cælum volavit: *Ut magna aquila per aerem volavit in Paradiſum.* O magnam hujus latronis felicitatem! quam aliis terminis explicat Petrus Damiani, dicens: *ſer. 69. Felix ille latro, qui brevi ponte crucis de patibulo ad regnum, de ſupplicio ad Paradiſum tranſlatus eſt.* Maxima quidem fuit hujus latronis felicitas, quod crucis patibulo tranſlatus ſit in Paradiſum; ſed inquiramus quomodo crux fuerit pons, & brevis pons, quo tranſlatus eſt: *Brevi ponte crucis?* Scimus crucem eſſe lignum ſalutis, cæli ſcalam, & clavem Paradiſi; ſed quomodo dici poteſt pons, quo latro cælum adivit? Anne neceſſarius eſt pons? Anne fluvius quidam tranſmeandus, ut in cælum eamus? non ſolum fluvius, ſed etiam mare magnum eſt tranſvadandum, mundus enim eſt amarum mare, in quo omnia vitia inundant, *Maledictum & mendacium, homicidium & furtum & adulterium inundaverunt: Oſeæ 4. 2.* in hoc autem mare non immergi, ſed illud trajicere debemus, ut ad cælum eamus, & crux fuit pons, & brevis pons, quo illud mare pertranſivit latro, & ad cælum pervenit: *Brevi ponte crucis de patibulo ad regnum, de ſupplicio ad Paradiſum tranſlatus eſt.* Sed quantum, quæſo, temporis inſumpſit latro, ut brevi illo ponte ad cælum iret? *Hodie mecum eris in Paradiſo*; intra unum diem per hunc pontem & per illam viam ivit in Paradiſum. O quam brevis eſt via crucis; ſed adhuc eſt brevior: *quia qui crucis tenent viam, intra unum momentum ad cælum perveniunt.*

2. Viros qui carnis ſpiritu ducuntur, ſic ſecum colloquentes introducit Sapiens: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt: vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Sap. 2. 6.* Hujuſmodi homines non bonis ſpiritualibus frui, ſed deliciis temporalibus & carnalibus ſatiari

optant;

optant; non aqua pura ſitim extinguere, ſed vino pretioſo & exquiſito repleri deſiderant: iis non placent jejunia, ſed lauta & opipara convivia: non ſpinarum, ſed roſarum & violarum coronas intexunt, non deſertas adeunt ſolitudines, ſed florida prata, in quibus inſtar pecorum paſcantur, & omni illicitarum deliciarum genere perfruantur. Hi ſunt, de quibus Job dixit: *Ducunt in bonis dies ſuos; Job* 21. 13. ſed o infeliciſſimam horum hominum ſortem! quia a tranſitoriis hujus mundi voluptatibus, in uno momento, ad æterna tartari ſupplicia tranſeunt: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Sicut autem qui illicitis indulgent voluptatibus, in inſtanti ad infernum deſcendunt: ita etiam qui crucem bajulant, & in pio mortificationis exercitio uſque ad mortem perſeverant, in momento ad cælum aſcendunt: *de noviſſimo gradu ad primum gradum in uno momento aſcendere meruerunt.* Crux, ut ait S. Bernardus, eſt *ſcala cæli*: hæc eſt ſcala, qua breviſſimo tempore iter ad cælum perficitur: quia, ut ait idem Bernardus, Martyres, & alii qui hac ſcala tranſeunt, in uno momento a noviſſimo illius ſcalæ gradu, uſque ad cælum aſcendunt: *De noviſſimo gradu ad primum gradum in uno momento aſcendere meruerunt.*

Quod ne ſine gravi fundamento dictum credatur, advertendum, crucem, & tribulationes eſſe fornacem auream, qua in hoc mundo reliquiæ peccatorum purgantur: *Anima purgatur*, inquit Chryſoſtomus, *hom. 66. ad pop. cum propter Deum tribulatur.* Sicut enim in auro, per ignem, materia terrea, & quidquid eſt ſordium ſecernitur; ita, & per tribulationem anima a ſordibus, ſeu a peccatorum reliquiis purgatur, & penitus emundatur: *Sicut artifex*, ut ait idem Chryſoſtomus, *hom. 4. ad pop. donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ita & Deus tribulationem non abducit, donec nos penitus emundaverit.* Cum ergo quis in morte per cruces, & mortificationes ita purgatus invenitur, ut nihil amplius purgandum ſuperſit, hic non moratur in purgatorio: ſed in momento in cælum aſcendit & evolat: *De noviſſimo gradu ad primum gradum in uno momento aſcendere meruerunt.* O quam brevis eſt via crucis, cum qui illam tenent, intra unum momentum ad Paradiſum perveniant. Sed adhuc eſt brevior crucis via: *quia qui illam tenent, in ipſo momento quo pro Dei amore crucem portant, Paradiſum obtinent.*

Ad quod probandum, velim audiatur S. Laurentius, qui craticulæ ſuperpoſitus, & acerbiſſimis cruciatus ſuppliciis clamat: *Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Cum invictus ille Martyr torquebatur, & pro Chriſto dira patiebatur, non dixit, ſe intra aliquod tempus, ſeu immediate poſt mortem ingreſſurum in Paradiſum: ſed gratias egit Deo, quod jam in Paradiſum intraſſet: *Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Quid ſimile in D. Paulo intueor; ipſe etenim infirmitates, contumelias, neceſſitates, & quaſcumque tribulationes ſibi placere declarat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto:* 2. Cor. 12. quale eſt illud D. Pauli gaudium? Qualis hæc eſt lætitia, qua in mediis tribulationibus afficitur Apoſtolus? Ita gaudebat, inquit S. Chryſoſtomus, *hom. 1. in Ep. ad Cor.* ac ſi in medio Paradiſi extitiſſet: *Paulus cum videret tentationes quotidie ingruentes, ita gaudebat, geſtiebatque, non aliter quam ſi in medio Paradiſi vixiſſet.* Miramini Paulum, & Laurentium, qui dum torquentur, beantur, & quibus crux ita brevis eſt ad Paradiſum via, ut cum crucem portant, Paradiſum poſſideant.

Eos Chriſtus beatos eſſe dixit, qui perſecutionem propter juſtitiam patiuntur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Matth. 5.* Certum eſt, non eſſe beatos omnes, qui tribulantur, & qui perſecutionem patiuntur: non enim beati ſunt hæretici, malefici, latrones, & alii qui propter ſcelera plectuntur; non etiam beati ſunt impii, qui infirmitatibus gravantur, qui a rodente conſcientiæ verme devorantur & qui paſſionibus multis agitantur, & turbantur; ſed ii dumtaxat ſunt beati, qui propter juſtitiam, ac propter Deum perſecutionem patiantur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Quæ eſt illa beatitudo, qua in his tribulationibus fruuntur? Hi ſunt ita beati, ut jam regni cæleſtis ſint poſſeſſores, & domini: *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Tribulatio enim iis ita brevis ad cælum eſt via, ut in mediis tribulationibus cælum poſſideant: non enim dixit Chriſtus; quod ipſorum erit, ſed quod *ipſorum eſt regnum cælorum.* Regnum cælorum, inquit Hugo Cardinalis, ipſorum eſt *ratione emptionis*: quia laboribus ſuis emeruerunt illud, & ipſorum eſt etiam *per direptionem*: quia regnum cælorum *vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

O quam brevis hæc eſt ad Cælum via! ſed o quam longa eſt via, qua incedunt peccatores! ut enim ait Pſalmographus: *in circuitu impii ambulant: Pſ.* 11. 9. hi non recta cælum adeunt, ſed circulariter a voluptate in voluptatem, & a vitio in vitium volvuntur: hi circularem tenent viam, quæ eſt omnium longiſſima; quare ad cælum numquam perveniunt. O N. N. a longa hac declinate via, & breviſſima crucis via incedite. Audite Chriſtum docentem vos viam brevem, qua pervenitur ad regnum: *Si quis vult poſt me venire*, inquit, *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Luc.* 9. 23. O Chriſtiane, cum aliqua tibi in lege Dei, & Eccleſiæ occurrunt difficilia; ecce crucem tuam, quam tollere debes: *Tollat crucem ſuam.* O anima fidelis, cum multæ tibi, Deo permittente, accidunt tribulationes, tum a dæmone tentante, tum ab hominibus tibi infenſis: ecce crucem, quæ humiliter tollenda eſt: *Tollat crucem ſuam.* O homo (qualiſcumque conditionis exiſtas) cum plurima in ſtatu in quo vivis, ſunt dura, tuiſque inordinatis propenſionibus contraria; ecce crucem, quæ pro Dei amore tollenda & ſuſcipienda eſt: *Tollat crucem ſuam.* (Ille, inquit Cardinalis Bellarminus, *ſerm. de Aſcenſ.* morbo aliquo vexatur? Ferat æquo animo, & gratias agat Deo, & tollat crucem ſuam. Alius uxorem habet moroſam, difficilem, iracundam: ferat æquo animo, gratias agat Deo, & tollat crucem ſuam. Alius pro admonitione convitium, pro beneficio injuriam accipit: ferat æquo animo, gratias agat Deo, & tollat crucem ſuam. Alius nemini obeſſe, & multis prodeſſe ſtudet;

tamen ei magnam bonorum partem fures diripiunt: ferat æquo animo, & gratias agat Deo, & tollat crucem ſuam. Alii, vel uxor, vel filii moriuntur, vel ipſe in carcerem traditur, & in exilium mittitur: ferat æquo animo, gratias agat Deo, & tollat crucem ſuam.) Ecce crucem, quæ ferenda eſt; ecce brevem ad cælum viam: *Sed crux eſt etiam ſecura ad cælum via.*

SECUNDA PARS.

Crux eſt ſecura ad cælum via.

NOn *eſt parvum quid perdere, aut lucrari regnum Dei*, inquit Thomas a Kempis; *de Imit. l. 2. c. 12.* quare, ut regnum Dei non amittamus, & ut ad illud pervenire valeamus, ſecurior ſectanda eſt via, quæ utique eſt via crucis, ut ait præfatus Auctor: *Ambula*, inquit, *ubi vis; quære quodcumque volueris, & non invenies altiorem viam ſupra, nec ſecuriorem viam infra, niſi viam ſanctæ crucis*. Via voluptatum eſt periculoſiſſima, & via crucis eſt ſecura: 1. Quia Chriſtus hanc viam elegit, ut iret in cælum. 2. Quia Sancti omnes hac via tranſierunt, ut obtinerent cælum: 3. Quia qui hac via non incedunt, ad cælum non perveniunt.

1. Tota Chriſti vita crux acerba, & perennis extitit: *Crux non fuit unius diei*, inquit S. Bernardus, *l. de Paſſ. c. 35. ſed tota illius vita crux fuit, & martyrium*. Quapropter cum Iſaias ejus nativitatem prædixit his verbis: *Parvulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis*, ſtatim ſubdit: *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Iſ. 9.* Quod S. Bernardus interpretatur de cruce: quia ſcilicet vix natus, ab ipſamet infantia crucem portavit, totoque vitæ ſuæ tempore crucis viam tenuit: *Tota illius vita crux fuit.*

Chriſtum in lectulo quæſivit Sponſa ſacra, & non invenit: quia quamdiu in hoc mundo vixit, requiem non quæſivit, ſed laborem, & dolorem; a juventute enim ab hominibus expugnari, & gravia pati voluit; *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Pſ. 128.* Licet titulo hæreditatis ei debita eſſet gloria æterna; illam tamen vi aſſequi, & per viam crucis ad illam pervenire voluit: *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc. 24. 26.* Poterat non pati; ſed *oportuit pati Chriſtum*; quia id prædixerant Prophetæ; *oportuit*, quia ita decreverat Deus Pater ab æterno; *oportuit*, ut copioſior eſſet hominum redemptio; *oportuit* tandem, quia ipſe voluit, & quia pati prælegit; propoſuerat enim ei Pater æternus, & crucem, & mundi gaudia; ita quod in poteſtate ejus eſſet, eligeret quod placuerit; quare poterat, aut licitis in hoc mundo frui gaudiis temporalibus, aut crucem portare; ſed loco gaudii quod frui poterat, crucem elegit: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Heb. 12.*

Poſito autem, quod Chriſtus viam crucis elegerit, & tenuerit, quis dubitet, illam eſſe ſecuriorem ad cælum viam? Non fallitur Chriſtus, qui eſt ſapientia æterna; quare cum, ablegatis omnibus mundi voluptatibus, per crucis viam inceſſerit, hæc haud dubie eſt ſecuriſſima via, qua itur ad cælum. Sed crux eſt etiam ſecura ad cælum via, *quia Sancti omnes hac via tranſierunt.*

2. Omnes ſancti, & electi, tum veteris, tum novi Teſtamenti, aſpera crucis via tranſierunt, ut ad cælum properarent. De prioribus habetur ad Hebr. 11. *Alii diſtenti ſunt, alii ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* De poſterioribus legitur 2. Tim. 3. *Omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*, quæ verba exponens Chryſoſtomus, *hom. 66. ad pop.* ait: *Omnes Sanctos Deus per tribulationes, & anguſtias agitat.* Non omnes, qui tribulantur, ſunt ſancti, ſed omnes, qui ſunt ſancti, tribulantur, gravia patiuntur, & crucis via ad cælum conſcendunt, nec eſt aliquis ſanctus, qui hac via non incedat; & ut ait S. Chryſoſtomus, *hom. 29. in Ep. ad Hebr. Non poteſt dicere, quia juſtus eſt aliquis, qui expers tribulationis exiſtat.*

Sicut Chriſtus cruce & paſſionibus ſuis Paradiſi gloriam aſſecutus eſt, ita & vult omnes ſanctos, & prædeſtinatos, ſaltem adultos, in hoc mundo flagellari & pati: *Flagellat omnem filium, quem recipit. Heb. 12.* Omnes qui flagellantur non ſunt filii, quia ſunt *multa flagella peccatoris: Pſ. 31.* ſed omnes qui ſunt filii, & flagellantur, & crucem portant: *Non dixit: omnis qui flagellatur, filius eſt, ſed omnis filius flagellatur: ſemper & ubique filium verberat, & caſtigat. Chryſ. ubi ſup.* Et revera hæc eſt arcta via qua tranſierunt omnes Sancti, ut ad Paradiſum pervenirent: *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam*, inquit Chriſtus: *Matth. 17.* hæc via arcta, eſt via crucis & tribulationum, qua via inceſſerunt omnes ſancti: *Certum eſt*, ſubdit Chryſoſtomus, *quod per anguſtam hanc viam omnes illi tranſierunt, quotquot ad vitam perducti ſunt ſempiternam.*

Quare cum hac via tranſierunt omnes ſancti, hanc eſſe ſecuram ad cælum viam, non eſt qui ambigat. Omnes Sancti ideo crucem portarunt, & gravia paſſi ſunt tormenta, quia hanc ſecuram ad cælum viam eſſe noverunt: cruci & mortificationibus firmiter adhæſerunt, ut cum ſecuritate ad Paradiſi gloriam pervenire valerent: *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam martyrii.* Crux ergo eſt ſecura ad cælum via, cum hac via tranſierint omnes Sancti; ſed eſt etiam ſecura ad cælum via: *quia qui hac via non incedunt, ad cælum numquam perveniunt.*

3. De aliquibus crucis Chriſti inimicis loquitur D. Paulus: *Inimicos crucis Chriſti. Ad Phil. 3.* Qui autem ſint hi crucis inimici, explicat Theophylactus, dicens: *Illi qui dediti deliciis ſunt, & vitæ præſentis otio quietiori addicti, crucis ſunt hoſtes, & infenſi Chriſto.* Et D. Chryſoſtomus præfata Apoſtoli verba exponens, ait: *Iſti vitæ, & corporis amantes, profecto crucis Chriſti ſunt inimici, & quiſquis deliciarum mundanæ proſperitatis amator eſt, inimicus eſt crucis.* Ecce qui ſint crucis inimici; ſed quid de his crucis inimicis fiet? Ibuntne in vitam æternam? Nequaquam: qui enim ſunt inimici crucis, & qui crucis via non incedunt, numquam ſalvabuntur, ſed in æternum peribunt, ut aſſerit D. Paulus: *Inimicos crucis Chriſti*, inquit, *quorum finis interitus.*

Unum ex crucis inimicis, divitem ſcilicet epulonem, velim jam contemplemur. Hic crucis hoſtis in-

Digitized by Google

inſenſiſſimus, *induebatur purpura, & byſſo: epulabatur quotidie ſplendide. Luc.* 16. ſuamque vitam inter divitias & delicias tranſigebat: quare poſt mortem non in cælum, ſed in infernum ivit: *Sepultus eſt in inferno.* Maximum inter hunc divitem, & Lazarum pauperem fuit diſcrimen; quod egregie, ut ſolet, deſcribit Chryſologus, dicens: *Induebatur dives purpura, pauper livore, dives byſſo, pauper ſquallore, auro dives, pauper fætore. Dives plumbo decumbebat in ſyrmate, jacebat duriſſima pauper in terra, dives eructabat epulas, ſanie pauper anhelabat, fundebat vina dives, pauper lacrymas, exſatiatus dives projiciebat panes, micas pauper eſuriens non habebat; paſcebat oblatrantes canes dives ferculis, pauper canes divitis ſuis vulneribus ſatiabat. Chryſ. ſer.* 123. Ecce utriuſque in fortuna diſparitatem: ſed diſpar etiam utriuſque fuit ſors in alio mundo: de Lazaro enim dicitur, quod factum eſt, *ut portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*; de divite vero aſſeritur, quod *ſepultus eſt in inferno*. Cur in ſinu Abrahæ portatur mendicus? Quia crucem in hoc mundo portavit, & ut ait D. Chryſoſtomus: *Lazaro bona dentur, eo quod hic infinitas paſſus eſſet moleſtias. hom. 6. ad pop.* O quam felix fuit Lazarus, qui per viam crucis ivit in Paradiſum! Sed cur dives ſepultus eſt in inferno? Ratio in promptu eſt, & in Evangelio adducitur; dicit enim diviti Pater Abraham, quod torqueretur in inferno, quia dum viveret in ſæculo, crucis inimicus, & deliciarum amicus fuerat: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua* - hæc eſt tota damnationis ejus cauſſa, ut ait D. Bernardus his verbis: *Hæc cruciatuum cauſa tota, quod in hoc ſæculo bona recepit. In declamat.* Quod autem de divite epulone diximus, de omnibus aliis crucis inimicis dicendum eſt; hi enim non ſalvantur, ſed damnantur: *Inimicos crucis Chriſti quorum finis interitus.* Et ratio eſt, quia ut ait D. Hieronymus: *Impoſſibile eſt, ut præſentibus & futuris quis fruatur bonis, ut de deliciis tranſeat ad delicias. In c. 7. Ezech.* Cum ergo non ſalventur crucis inimicis, & ſalventur qui via crucis incedunt, fatendum, crucem, & mortificationes ſecuram eſſe ad cælum viam, immo & dicendum, via crucis nullam eſſe ſecuriorem: *Non inveniet altiorem viam ſupra, nec ſecuriorem viam infra, niſi viam ſanctæ crucis.*

Quare cum via crucis ſit certa, & ſecura, hæc tenenda eſt: *Tene certum, & dimitte incertum. S. Aug.* Nullus mercator, nullus peregrinus nullusquè homo viam ſecuram dimittit, ut viæ periculoſæ ſe committat: cum ergo via voluptatum & deliciarum ſæculi, ſit periculoſa, & pernicioſa, ac e contrario via crucis ſit ſecura, a periculoſa voluptatum via declinate, & ſecura crucis via incedite, dimittite viam incertam & periculoſam, ut certam & ſecuram teneatis: *Tene certum & dimitte incertum.* Sed ſi crux eſt via ſecura, *eſt etiam via neceſſaria.*

TERTIA PARS.

Crux eſt neceſſaria ad cælum via.

PAradiſus eſt merces, corona & regnum; eſt quidem merces maxima, quam Deus electis ſuis impertitur. *Merces veſtra copioſa eſt in cælis: Matth.* 25. eſt corona pretioſiſſima, quam Deus dat titulo juſtitiæ: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ: 2. Tim. 4.* & eſt regnum glorioſum, quod Deus fidelibus ſuis ab origine mundi præparavit: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Matth. 25.* Crux autem eſt via neceſſaria & qua neceſſario tranſeundum eſt: 1. Ut obtineatur hæc merces: 2. Ut percipiatur hæc corona: 3. Ut poſſideatur hoc regnum.

1. *Merces Sanctorum*, inquit Hugo a S. Victore, *multa eſt, magna eſt, pretioſa eſt, diuturna eſt. Tam multa eſt, quod non poteſt dinumerari: tam magna eſt, quod non poteſt comprehendi: tam pretioſa eſt, quod non poteſt æſtimari: tam diuturna eſt, quod non poteſt finiri. Hugo de Alleg. ſup. Matth. l. 2. c. 1.* Quare cum tanta ſit hæc merces, hanc omnes concupiſcunt, & nullus eſt, qui non eam obtinere peroptet; ſed hæc merces non datur viris deſidioſis & voluptati deditis. Omnis enim merces ſupponit laborem, & meritum ex parte ejus cui datur; quare cum tam ſublimis ſit cæli merces, non tribuitur iis qui crucem fugiunt, & qui illicitis mundi deliciis ſe dedunt, ſed iis qui pro Chriſto laborant & patiuntur: *Unuſquiſque*, inquit D. Paulus, *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 1. Cor. 3. 8.* Unuſquiſque mercedem accipiet in cælo, non ſecundum voluptates vetitas, quibus in hoc mundo adhæſit; ſed *ſecundum laborem*. Unde ſi quis, Dei gratia adjutus, multum laboraverit & gravia pro Chriſto paſſus ſit, maxima ejus erit merces. *Quanto labor in pœnis eſt major, tanto & merces ſublimior: S. Bonav. ſer. de plurib. Martyr.* ſed ſi e contra pro Chriſto quis laboraret, & quæ in via ſalutis ſunt difficilia, pati recuſaverit, nulla ejus erit merces in cælo, quia ut obtineatur hæc merces, laborare & pati neceſſarium eſt.

In parabola Patrisfamilias, qui conduxit operarios in vineam ſuam, habetur, quod, *cum ſero factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem. Matth. 20.* Per hunc Patremfamilias intelligitur Deus, qui, ut ait Theophylactus; *unumquemque conduxit, ut operetur vineam, hoc eſt, ſuam animam.* Hic autem Paterfamilias non otioſos & deſides vocat, ut iis æternam mercedem impertiatur, ſed operarios, qui portaverunt pondus diei & æſtus. Et ut advertit Hugo Cardinalis, dicitur in ſacro textu, Deum iis dare mercedem, non mane, ſed *cum ſero factum eſſet*: quia Deus æternæ hæreditatis mercedem non dat mane, ſeu antequam quis laboraverit, ſed ſero, ſeu poſt exantlatos labores, qui in via virtutis occurrunt. Quod confirmat præfatus Hugo exemplo Luciferi, qui mane voluit habere mercedem, antequam laboraſſet, & eam non habuit, quia antequam æterna obtineatur merces, vigilandum eſt, laborandum eſt, & cruci eſt inhærendum. Crux ergo eſt via neceſſaria, ut obtineatur merces æterna, *& eſt etiam via neceſſaria ut percipiatur corona gloriæ.*

2. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, inquit S. Jacobus Apoſtolus, *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Jac. 1. 2.* Coronam recipiet, cum per tribulationes probatus fuerit & non antea, quia ut quis adultus æternam percipere mereatur

Digitized by Google

coronam, probari tentationibus, tribulationibus concuti, & crucis via incedere debet. Verum eſt, cæleſtem coronam eſſe coronam miſericordiæ, quia, ut ait Propheta Regius, Deus coronat nos *in miſericordia & miſerationibus: Pſal.* 102. ſed eſt etiam corona juſtitiæ: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ. 2. Tim.* 4. Quare dicendum eſt, cæleſtem coronam, tum a miſericordia, tum a juſtitia fabricari; a miſericordia quidem & gratia fabricatur, quia ſine Dei miſericordia & gratia illam mereri & aſſequi non valemus; a juſtitia etiam fabricatur, quia ſuppoſita gratia gratis data, & Dei promiſſione, operari, pati, & tribulationibus nos probari neceſſarium eſt, ut illam coronam mereamur, & aſſequamur: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Hanc coronam Chriſtus Dominus per paſſiones, & tribulationes comparare voluit: ut enim ait D. Paulus: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum. Heb.* 2. 6. Heu! ſi Chriſtus, cui jure hæreditario, & ratione unionis hypoſtaticæ, debita erat cæleſtis corona, via crucis & dolorum tranſire voluit, ut illam mereretur, & aſſequeretur; quis illam ſine labore & certamine obtinebit? Nullus equidem, quia, ut aſſerit idem Paulus: *Non coronabitur, niſi qui legitime certaverit. 2. ad Tim.* Quæ verba exponens S. Bernardinus, ait. *Legitime quidem certat, qui in tribulatione perſeverat, & triumphat; ergo ſine tribulatione triumphare non poteſt: ſed nec tribulationem habere valet ſine contrarietate & adverſitate, ergo ad acquirendam ſempiternæ gloriæ coronam, tribulatio, & adverſitas, ac contrarietas neceſſariæ ſunt. S. Bernard. tom. 2. ſer. 65. art. 2. c. 2.* Sic ratiocinatur S. Bernardinus, ex quo patet neceſſario via crucis & mortificationum eſſe incedendum ut obtineamus coronam gloriæ: *ac etiam ut intremus in regnum cælorum.*

3. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: Matth.* 11. 12. illud regnum *vim patitur*, ſeu, ut vertit Vatablus, *vi invaditur*, vi occupatur, & ad illud vi tenditur, quia ut aliquis regnum illud obtineat, ſibi, & ſuis inordinatis propenſionibus vim inferre debet per pœnitentiam & mortificationem. Quod intelligendum eſt de omnibus adultis, qui omnes ſibi vim facere debent, ut illud regnum conſequantur, quia ſoli *violenti rapiunt illud*: ſeu illi, qui ſibi vim inferunt & qui vi illud invadunt.

Viam ad regnum cælorum nobis paravit Chriſtus; & ſi quis hanc viam ediſcere cupiat, audiat illum dicentem: *Ego diſpoſui vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. Luc.* 22. 29. Quaſi dicat, ſicut Pater meus cæleſtis per humilitatem & crucem, perque multos labores & dolores æternum mihi paravit regnum; ita & ego diſpono, ac decerno, ut per crucem, labores & dolores regnum cælorum ineatis. Hæc eſt via quam paravi vobis, hæc eſt lex quam ſancivi; quod ſcilicet ſi mecum in cælo regnare velitis, mecum & crucem prius portare debeatis. Hæc eſt lex nobis poſita, inquit D. Paulus, *ſi ſuſtinebimus & conregnabimus. 2. Tim.* 2. 12. Multi ſunt viri delicati, qui in hoc mundo gaudere & in alio regnare ambirent. *Delicatus eſt, qui & hic vult gaudere cum ſæculo & poſtea regnare cum Chriſto: S. Hier. Ep.* 2. ſed hujuſmodi homines numquam in cælo cum Chriſto regnabunt, quia ſtatutum eſt, non regnaturum cum Chriſto, qui prius cum illo crucem non portaverit: *Si ſuſtinebimus & conregnabimus.* Quæ verba explicans Rupertus Abbas ait: *Hoc jus legale eſt apud cæleſtem Regem, ut ſicut ipſi Pater, ita nobis ipſe diſponat in regno præmium: ita quod ſi ſuſtineamus, conregnemus: Rup. in c. 1. Apoc.* ecce legem poſitam.

Quam legem perfecte noverat D. Paulus, dicens, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei: Act.* 14. non per voluptates ſæculi, ſed *per multas tribulationes*: nec ait Div. Paulus, quod ita fieri congruat; ſed quod *oportet*, quod verbum neceſſitatem importat. Neceſſarium autem, ut ait Ariſtoteles 4. *& met.* eſt, *quod contingit aliter ſe habere*: quare cum neceſſe ſit, nos per multas tribulationes in regnum Dei intrare, quicumque in hoc mundo eſt ſine tribulationibus multis, in regnum Dei non intrabit; nec aliter res ſe habebit. Hæc eſt illatio D. Hieronymi, dicentis: *Super multas tribulationes quibuſdam aperitur aditus ad regnum Dei: illis utique clauditur, qui nolunt ſuſtinere vel pauca. Hier. in Ep. ad Ocean.*

Ecce veram cæli viam: viam quidem brevem & ſecuram; ſed viam etiam neceſſariam & qua neceſſario tranſeundam eſt. Non eſt nobis liberum, aut via deliciarum ſæculi, aut via crucis incedere, ut ad cælum eamus; ſed neceſſario ſecunda eſt via crucis & mortificationum. Quare o N. N. a lata, ſpitioſa, & pretioſa voluptatum mundi via declinate, ut Chriſti crucem amplectamini; hanc viam tenete, hac via incedite. Et ut vos non deterreant labores, aut tribulationes, quæ in via ſalutis occurrunt, attendite terminum hujus vitæ, reſpicite cælum, quod tribulationibus acquiritur, & omnis evaneſcet pavor, omniſque tepiditas aufugiet, quia cunctæ hujus mundi paſſiones quaſi nihilum cenſendæ ſunt reſpectu regni cæleſtis, quod iis acquiritur: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom.* 8. Jejunia, vigiliæ, corporis mortificationes, immo & omnia Martyrum ſupplicia tamquam nihilum exiſtimanda ſunt, intuitu cæli, quod illis comparatur, omnes mundi afflictiones, inquit S. Bernardus, *non ſunt condignæ ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præſentem gratiam quæ impertitur, ad futuram gloriam quæ promittitur: S. Bernar. de com. ad Cler. c.* 10. Cruci ergo & mortificationi inſiſtite, crucis & pœnitentiæ via incedite, quidquid in lege Dei durum & grave occurrit, generoſe portate, ut regnum æternum obtineatis. *Amen.*

DE

Digitized by Google

DE SANCTO BERNARDINO.

CONCIO UNICA.

Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Iſaiæ 11. 2.

CEnturionis fidem, Magdalenæ dilectionem, Iſraeliticam Nathanaelis ſinceritatem & alias quorumdam Sanctorum virtutes laudavit Chriſtus; ſed S. Joannis Baptiſtæ laudibus incumbere potiſſimum oblectabatur: *Quotieſcumque ſe offerebat occaſio ſermonibus, laudibus Joannis delectabatur immorari. Galfrid. apud. Titelman.* Non abſimiliter Sanctorum omnium encomia mihi plurimum delineare placet; ſed, ut verum fatear, ſancti Bernardini, viri famoſiſſimi, Deo & hominibus amabilis, prædicatoris celeberrimi, verbo, & opere potentis, necnon omni ex parte mirabilis, encomiaſticum ſermonem majori quadam propenſione, & neſcio qua animi delectatione inſtituere, & perficere ſuſcipio. Natione Italus erat, patria Senenſis, & ſanguine clarus; in primis vitæ ſuæ annis utroque parente orbatus, a matertera pie fuit educatus, ſed major factus, Fratrum Minorum Ordinem eſt ingreſſus, ubi prædicatione, miraculis & omni virtutum genere ita corruſcavit ut, ſpiritu divino afflatus, & vivificatus cunctis viſus ſit. Hic fuit Italiæ decus, Orbis Chriſtiani ſplendor, corrupti ſeculi reſtaurator, & magnus Dux in militia Franciſcana, ſuper quem Chriſti ſpiritum requieviſſe, tota hac concione conſtabit: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, &c. *Ave.*

MUltiplex ſuper Chriſtum requievit ſpiritus; ſed ſuper eum requieviſſe ſpiritum *fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis. Iſ.* 12. ſpecialiter commemorat Iſaias Propheta. Super eum requievit ſpiritus fortitudinis, quo munitus ac corroboratus, tartareas debellavit poteſtates, graviſſima conſtanter paſſus eſt tormenta & mirabilia multa operatus eſt. Fuit etiam in eo ſpiritus ſcientiæ, quo futura prædixit, cordis intima penetravit & abſtruſa quæque ſcrutatus eſt. In eo tandem fuit ſpiritus pietatis, non ſolum reſpectu parentum, ſeu Joſephi, & Mariæ, quos coluit; ſed etiam reſpectu Dei: quæ pietas a Doctore Angelico omnium potiſſima vocatur: *Percipe*, inquit, *quod præferenda ſit pietas, qua Deo tenemur, amori parentum. D. Th. in c. 9. Luc.* Fateor, Sanctorum, qui nunc in cælo triumphant, alios ſpiritu pietatis, ſpiritu ſcientiæ alios, & alios ſpiritu fortitudinis fuiſſe ditatos: immo & nonnullos reperire eſt, qui triplicis hujus ſpiritus fuerint participes: ſed triplex hic ſpiritus ſpecialiori & mirabiliori quodam modo in S. Bernardino eluxiſſe videtur; in eo enim fuit pietas ardentiſſima, ſcientia utiliſſima & fortitudo maxima, quod patebit, cum: 1. Spiritum pietatis: 2. Spiritum ſcientiæ: 3. Spiritum fortitudinis ſuper eum requieviſſe probaverimus: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.*

PRIMA PARS.

In S. Bernardino requievit ſpiritus pietatis.

PIetatem tanti faciebat ſanctus Ambroſius, ut eam totius vitæ Chriſtianæ ſummam vocaret: *Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia & pietate eſt. S. Ambr. cit. a D. in c. 4. 1. Tim. lect. 2.* Mirabili autem hac virtute, quæ omnium virtutum ſumma, perfectio, & complementum eſſe videtur, repletus fuit S. Bernardinus, fuit enim piiſſimus erga Deum, erga B. Virginem, & erga pauperes. *Erga Deum*, cujus obſequio ſe totaliter mancipavit: 2. *Erga beatam Virginem*, quam ſummo cordis affectu coluit: 3. *Erga pauperes*, quibus liberaliſſime benefecit, & ſtudioſiſſime inſervivit.

1. Si pietas ſtricte ſumpta, eſt virtus ad honorem parentibus impendendum inclinans: primus quidem & potiſſimus Pater noſter eſt Deus: *Tam pius nemo, tam pater nemo: Tertull.* quare illi in primis pii, & devoti dicendi ſunt, qui ſincero, & ardenti cultu Deum venerantur; vel qui ſtudio internæ devotionis excitati, Deum pure & fideliter colunt: *Prima pietas eſt in Deum. S. Am. l. 1. offic. c. 37.* Hanc pietatem verum Dei cultum vocat Auguſtinus: *Pietas eſt verax veri Dei cultus, S. Aug. ep. 52.* & ad hujuſmodi pietatem ſectandam, utpote ad omnia utilem, Timotheum hortabatur D. Paulus. *Exerce teipſum ad pietatem, pietas enim ad omnia utilis eſt. 1. Tim. 4.* Hac autem erga Deum pietate toto vitæ ſuæ tempore repletus fuit S. Bernardinus, qui non quæ mundi, ſed quæ Dei ſunt, magno ſemper affectu quæſivit, ſummaque cum pietate. A teneris annis hoc pietatis ſpiritu ita cor ejus accendebatur, ut ablegatis puerilibus quibuſque negotiis, Eccleſiam frequens viſitaret, Miſſas attentus audiret, orationi indeſinenter vacaret, ſeque totum & totaliter divino cultui manciparet. Quæ pietatis exercitia, quibus a pueritia adhæſerat, cum adolevit, perfectius adimplevit, totoque vitæ ſuæ tempore ivit de virtute in virtutem, & qui ab infantia erga Deum pius erat, in hac pietate ſemper magis ac magis profecit.

Ratione hujus pietatis, S. Bernardinus Chriſti bonus odor extitit: *Chriſti bonus odor ſumus. 2. Cor. 15.* Sicut enim qui ſuaviſſimum ſpirant odorem, circumſtantes ad ſe allicere ſolent, qui hunc odorem odoraturi currunt, *Curremus in odorem unguentorum tuorum; Cant. c. 3.* ita & qui magna pereximiæ pietatis exempla præferunt iis, veluti fragrantiſſimis odoribus, ſpectantes ad Deum laudandum & colendum alliciunt. Sanctus autem Bernardinus Chriſti bonus odor fuit per continua altiſſimæ pietatis exercitia, quibus adhæſit; quæ ita fuere efficacia, ut innumeros ad valedicendum peccatis, & ad Deo devote inſerviendum attraxerit. Bonum hunc pietatis odorem ſpargebat, dum eſſet juvenis; quo reſperſi & attracti ejus condiſcipuli, ipſo præſente, corpora, verba & opera ſua recte componebant dicentes: *Bernardinus adeſt.* Sed hunc pietatis erga Deum odorem potiſſimum ſparſit S. Bernardinus, poſtquam Frater Minor factus eſt: tunc enim mirandis omnium virtutum exemplis ac pietatis ſuæ odore, innumeros (teſte Vincentio) ad Dei cultum & ad Religionis ingreſſum attraxit: (quis, inquit, certum poſſit inire numerum, partim nobilium, & præclarorum adoleſcentium, partim matura ætate, & barbarorum virorum, qui ſe in monaſteria receperunt, vitam ſectaturi religioſam, ut Deo fideliorem poſſent exhibere famulatum?) Fuit ergo S. Bernardini erga Deum pietas magna & odorifera: *ſed fuit etiam piiſſimus erga beatiſſimam Virginem Mariam.*

2. Tot a Deo pro ſuis devote obtinet gratias bea-

tiſſima

Digitized by Google

tiſſima Virgo Maria, ut qui illam pie colunt, perire non poſſe videantur: *Fieri non poteſt, ut unquam pereas, qui Mariæ ſedulus & humilis cultor fueris. Bloſius in canon. vir. ſpir. cap. 18.* Unde S. Bernardus omnes penitus homines ad pie, & religioſe colendam B. Virginem hortatur, ſolicitat, dicens: *Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat a corde, non recedat ab ore; nam ipſam cogitans, non erras; ipſam rogans, non deſperas; ipſam ſequens, non devias; ipſa tenente, non corruis; ipſa protegente, non metuis; ipſa duce, non fatigaris; ipſa propitia, pervenis. S. Bernardus ſerm. 2. ſuper Miſſus.* Bernardi conſiliis adhæſit Bernardinus, qui a teneris annis B. Virginem eximio cum affectu, magna cum reverentia coluit. Eum adhuc parvulum ante Virginis imaginem lacrymantem, & Angelicam Salutationem, genuflexum, amoroſa quadam ſuſpirii, & vocis emiſſione exprimentem, pluries nutrix ejus obſervavit. Hujus devotione inflammatus, in tenera ætate Sabbato jejunans, laudabili curſu uſque ad mortem in pio hoc exercitio perſeveravit. Cum adhuc eſſet adoleſcens, extra civitatis Senenſis portam ſingulis diebus mane properabat, ubi præclara B. Virginis Mariæ erat imago, ante quam nudis & flexis ad terram genibus, diu orationi vacabat; cumque ab eo quidam petiiſſet, quo tam frequenter ſe conferret, reſpondit, ſe quamdam ſuam amicam viſitare, ſcilicet B. Virginem, quam ſummopere amabat & venerabatur.

Non refrigeſcere, ſed magis & magis inardeſcere ſolet pietas erga B. Virginem; hæc devotio eſt fames, ac ſitis quædam ſpiritualis, quæ ſemper augetur; ut enim de B. Virgine loquitur S. Scriptura: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Eccli. 24. 29.* Quod quam verum ſit, patet in S. Bernardino, in quo crevit ſemper fervens hæc & ignita devotio, qua erga B. Virginem ferebatur, & præcipue cum in ejus laudem ſermones haberet ad populos: tunc enim, ut teſtatur S. Joannes Capiſtranus, *tanto accendebatur fervore, ut facies ejus, tamquam alterius Seraphim, ſolari videretur irradiari fulgore.* Addit præfatus Auctor: (Certe ego ipſe, concionem illo habente Senis de B. Virgine, anno 1427. in die Nativitatis Virginis ita audivi eum dicentem: Ego Frater Bernardinus ſemper fui devotus B. Virginis. In die Nativitatis ejus ego natus ſum, eodem die baptizatus ſum, illo ipſo die monaſticum habitum indui. Itemque eodem profeſſus ſum, & eodem etiam die primus ſacrificium obtuli Deo: eodem die, meritis, & interceſſione Deiparæ, ſpero me hac vita exiturum, & æternam beatitudinem aſſecuturum). O virum erga B. Virginem vere pium, ipſique maxime devotum! *Sed maxima etiam fuit S. Bernardini pietas erga pauperes, quibus benefecit.*

3. Pietas nonnumquam ſumitur pro beneficentia & miſericordia in proximum: *Pietas eſt affectus erga proximum, quo ei ſubvenitur, vel ſaltem condoletur. Hugo Car. prol. in Apoc.* Unde Tertullianus eleemoſynas quas olim Chriſtiani pauperibus erogandas in arca deponebant, vocat *depoſita pietatis: Tert. apol. 49.* & hi omnes operibus pietatis vacare dicuntur, qui erga pauperes miſericordiæ opera exercent. Si autem pietas in hoc ſenſu ſumatur, piiſſimus ſane extitit S. Bernardinus, quia ejus maxima fuit in pauperes miſericordia: ut enim de eo legitur, (tanta erga pauperes afficiebatur pietate adhuc puerulus, ut nihil ſibi gratius videretur, quam petentibus pro amore Dei & ejus Genitricis, manu propria eleemoſynas porrigere, & ſi quando accidiſſet, nutricem, cum parum panis eſſet in domo, eleemoſynam pauperi denegare, triſtis effectus gratioſus puer: demus, ajebat, pauperi quod mihi in cœna præſtaretur, optans ſibi potius ſubtrahi, quam Chriſto in paupere denegari. *Brev. Franc.*)

Hæc erga pauperes & miſeros pietas, quæ in Bernardino adhuc puero erat maxima, ſimul cum eo incrementum ſumpſit: unde dicere poterat: *Crevit mecum miſeratio. Job 31. 8.* Ipſe enim major factus, largiores pauperibus eleemoſynas erogabat; aviam nonagenariam, debilem & cæcam magna cum ſolicitudine ducebat; & infirmis quibuſque, etiam peſte laborantibus, ſummo affectu inſerviebat. Quo charitatis & pietatis munere præclare functus eſt, quando Creator Senas peſte afflixit; tunc mori non timuit, paratam ſibi cæleſtem coronam videns: *Ne terreamur occidi, quos conſtat, quando occidimur coronari; S. Cypr. lib. 4. cap. 6.* ſed Spiritus ſancti igne ſufflammatus, *viſus eſt*, inquit Sabellius, *circuire ægrotantium domos, languentes, & graviter afflictos conſolari; egeſtate laborantibus ſubvenire, ſepelireque defunctos, paratus omnes ſubire caſus, quos atra illa lues ſe temere ingerentibus portare potuiſſet.* O pereximiam Bernardini erga pauperes pietatem! quæ magis adhuc eluxit in toto Orbe chriſtiano celebri hoſpitali B. V. M. quod Senis eſt; in quo cum trium menſium ſpatio, ſingulis diebus plus quam duodecim infirmi, peſte vel aliis infirmitatibus fuiſſent mortui, inter quos recenſebantur plus quam ſexaginta, qui pauperum miniſterio fuerant deſtinati, vix reperiri poterat, qui quantumvis magna propoſita mercede illic inſervire vellet; ſed Bernardinus, vigeſimum tunc ætatis annum agens, ſolo pietatis & charitatis ſpiritu ductus, in illa domo ægrotorum, & pauperum miniſterium generoſe ſuſcepit.

Ecce Virum ſpiritu pietatis vere accenſum; o utinam eodem ſpiritu omnes penitus ſufflammarentur homines! ſed heu! quam *multi*, inquiebat S. Antonius Abbas, *induerunt indumenta pietatis, virtutem vere negaverunt! S. Antonius epiſt. 5. ad Fratr.* Totus terrarum orbis repletur hypocritis, qui ſpeciem pietatis præferunt, & pauciſſimi reperiuntur, qui veram pietatem ſectentur, multi pii vocari & cenſeri ambiunt, & intrinſecus impii, innumeriſque pleni ſunt criminibus. At regnum cælorum non datur iis qui pietate ſolum apparente fulgent; Deus eos non ſalvat qui ſolam pietatis formam habent: *Firmamentum ſalutis eſt habere virtutem pietatis, non formam ſolam. S. Aug. tract. 2. ſup. ep. Joann.* Quare non apparentem, ſed veram pietatem ſectemini, exercete vos ad pietatem, eſtote pii cum S. Bernardino, non ſolum reſpectu Dei & B. Virginis, ſed etiam reſpectu pauperum. At ſi in S. Bernardino requievit ſpiritus pietatis; *in eo etiam requievit ſpiritus ſcientiæ.*

S. E.

SECUNDA PARS.

In S. Bernardino requievit ſpiritus ſcientiæ.

SAnctus Bernardinus, qui acutiſſimi & perſpicaciſſimi erat ingenii, ſtudio & orationi plurimum vacans, in Philoſophia, Theologia, ſacra Scriptura, & Jure Canonico doctiſſimus factus eſt. Hæc ejus ſcientia in duabus magnis & præclaris Concionum quas compoſuit voluminibus mirifice eluceſcit. Sed aliam a Deo datam, utilem, efficacem, & ſalubrem habuit ſcientiam, qua ſcivit: 1. Peccatores ab iniquitate ſua avertere: 2. Tepidos amore Dei inflammare: 3. Innumeros utriuſque ſexus ad altioris & perfectioris vitæ inſtitutum adducere.

1. Magna ſcientia, atque omnium maxima & Deo gratiſſima eſt, ſcire peccatores a peſſima peccati via avocare, hæc eſt ſcientia practica & ſalutifera, quam a Concionatoribus Deus exigit, *Si*, inquit, *non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via ſua impia, & vivat; ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech.* 3. 18. Multi autem ex Prædicatoribus conciones perfecte concinnare ſciunt, clamare ſciunt, geſtus recte componere ſciunt; ſed peccatores ab iniquitatis ſemita avertere neſciunt. At S. Bernardinus præclaras conciones elaborare, aliaque perfecti Concionatoris munera obire novit, & inſuper innumeros peccatores a *viis* ſuis peſſimis avocare ſcivit. De ipſo dici poteſt quod de Baſilio Nazianzenus: ſcilicet, quod *tonitru erat oratio ejus, fulgur vita, Naz. Ep. ad Baſil.* verbis enim ſuis tonabat, & induratos quoſque peccatores terrebat: erat quippe Prædicator a Deo miſſus; cujus verba cordium intima penetrabant, indurata quorumvis hominum corda emolliebant, & innumeros a peccatis ſuis avertebant. Cum concionaretur S. Bernardinus: *vidiſſes antiquatas inimicitias penitus extingui, uſuras totaliter deleri, res injuſte ablatas dominis ſuis reſtitui, perſonas ludo deditas, omnium ludorum vetitorum inſtrumenta abjicere, mulieres impudicas caſtimoniam amplexari, & ſuperbas a fuco, veſtiumque luxu abſtinere. Capiſtr.* Erat S. Bernardinus quaſi Apoſtolus a Deo delegatus, qui ob auditorum copioſam multitudinem, in plateis concionari cogebatur, ejuſque prædicationibus ita ad derelinquenda peccata alliciebantur ejus auditores, ut contractus inique fabricatos, larvas, taxillos, ſpecula, luſorias chartulas, & alia voluptatis, vanitatis, & iniquitatis inſtrumenta deferrent; ex quibus pluries in foro ſtruem fecit, quam ſuppoſito igne combuſſit. O quam utilis, & efficax fuit ſcientia S. Bernardini, qui ſcivit peccatores ab iniquitate ſua avertere; *ac etiam ſcivit tepidos amore Dei inflammare.*

2. In linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus, ut manifeſtaret, quod viri Apoſtolici, qui prædicatoris funguntur officio, ardentem & igneam ſcientiam habere debeant, qua non ſolum peccatores a peccatis avertant, verum & tepidos quoſque virtutis amore, & igne charitatis accendant: *Linguas igneas Doctores habent*, inquit S. Gregorius, *quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammat: S. Gregor. hom. 3. in Evangel.* & revera, ut ſubjungit Sanct. Gregorius, inutiliter & otioſe prædicaret qui ſuis concionibus auditorum corda non accenderet: *Nam & otioſus eſt ſermo Doctoris, ſi præbere non vales incendium amoris.* Otioſi autem & inutiles non fuere S. Bernardini ſermones; ignea enim ſcientia, tantoque devotionis fervore ipſe replebatur, ut auditores quoſque, quantumvis tepidos, immo & frigidos, devotionis & charitatis igne ſufflammaret. Sanctus Bernardinus, ut alter Joannes Baptiſta, erat *lucerna lucens, & ardens*: non enim ſolum lucebat per ſublimis ſcientiæ radios, quos effundebat; ſed etiam divino Spiritus ſancti igne ita exardeſcebat, ut auditorum quorumvis corda ad Dei amorem accenderet. Unde ſicut poſtquam diſceſſit Chriſtus a diſcipulis, cum quibus caſtellum Emmaus adierat, ipſi invicem dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via; & aperiret ſcripturas? Luc.* 24. 32. ita & plerique charitatis igne accendebantur, cum Bernardinum audirent in cathedra loquentem & aperientem ſcripturas; ejus voces erant quaſi ignitæ faces, quæ audientium corda incendebant, & ad Deum amandum alliciebant. O præclarum concionatorem, qui tepidos amore Dei inflammare novit; *ac etiam innumeros utriuſque ſexus ad perfectioris vitæ inſtitutum adducere ſcivit.*

3. Sancto Bernardino apprime congruunt hæc Nazianzeni verba: *Una vox tua de omnibus triumphans*; una enim Bernardini concionantis vox de piratis & latronibus, de uſurariis & infidelibus, de luſoribus & meretricibus, ac de omnibus pene auditoribus triumphavit. Tantique fuere illius triumphi, ut non ſolum auditores ad pœnitentiam, ſed etiam innumeros ad ſtatum religioſum & ad perfectioris vitæ inſtitutum alliceret: *Multi viri & feminæ, contempto mundo & fallaciis ejus, abjectiſque non parvis facultatibus ſuis, crucem pœnitentiæ complectebantur in paupertate & diverſis monaſticis inſtitutis, Domino ſervientes. Vincent.*

Sciebat S. Bernardinus, quod *monaſterium velut portus quietis, & quaſi Paradiſi eſt: S. Cæſar. Arelat. hom. 36.* quare non ſolum impios & quoſcumque peccatores ad pœnitentiam vocabat; nec ſolum etiam tepidos ad Deum amandum excitabat, verum & innumeros ad paradiſi portum, ſeu ad monaſteria adducebant, ut ibi perfectiſſime Deo inſervirent. Multa nova extruebantur monaſteria, collapſa inſtaurabantur: Reges, Principes, & alii potentes viri tot in toto Orbe monaſteria exædificari curarunt, ut quot conſtructa fuerint, difficile explicari queat, & difficilius eſſet recenſere, quot utriuſque ſexus perſonæ ad hæc monaſteria ſe contulerint, ut ſe Dei obſequio totaliter mancipaTent: dicam ſolum quod audito S. Bernardino concionante: *multi Viri & feminæ crucem pœnitentiæ complectebantur, in diverſis monaſticis inſtitutis Domino ſervientes.*

Ecce qualis, quam utilis, & quam efficax fuerit S. Bernardini ſcientia: ſi enim, ut ait S. Anſelmus, *ſcientia ad finem charitatis adhibita, multum eſt utilis, S. Anſelm. Ep.* 119. utiliſſima quidem fuit

S. Ber-

Digitized by Google

S. Bernardini ſcientia, quæ tota ad peccatorum converſionem, & ad hominum ſalutem procurandam adhibita eſt. Hic Sanctus non fuit ſimilis Lucifero, qui ſcientia utitur, ut homines a Chriſti obſequio avertat; ſed cum Apoſtolis, & viris Apoſtolicis omnem inſumpſit ſcientiam, ut animas Chriſto lucraretur; nilque majus, aut pretioſius in hoc mundo cenſuit, quam perditam animam Chriſto lucrari: *Quid majus lucrum eſſe poteſt, aut quid pretioſius, quam ſi humanam animam quis lucretur? S. Auguſt. tract. 10. in Joann.* O utinam ad eundem finem ſcientia ſua uteremur omnes Prædicatores, & ſolum animarum lucrum in ſuis concionibus ſibi proponerent! Sed, heu! quam multi ſunt, inquit S. Gregorius, *qui laudes tranſitorias de verbi prædicatione requirunt? S. Gregor. l. 5. in cap. 3. Reg. cap. 2.* videri volunt, æſtimari volunt, & de animarum ſalute non curant. Sed vera ſcientia, & ſpecialis Prædicatorum virtus in hoc conſiſtit, quod animas Chriſto lucrari ſciant: *Manifeſtatur virtus prædicantium, ubi ſurgit ſeges animarum. S. Greg. in Regiſtr. indic. 10. cap. 172.* O utinam hanc ſcientiam callerent omnes Concionatores, inſtar S. Bernardini, in quo requievit ſpiritus ſcientiæ: *ac etiam ſpiritus fortitudinis.*

TERTIA PARS.

In S. Bernardino requievit ſpiritus fortitudinis.

Fortitudo, late ſumpta, eſt quædam animi firmitas in abſtinendo a malo, vel in faciendo bonum, in hoc ſenſu fortitudo eſt virtus generalis, vel potius conditio cuilibet virtuti neceſſaria, quia, ut ait Ariſtoteles, *2. Ethic. ad virtutem requiritur firmiter, & immobiliter agere.* Hanc autem fortitudinem ſeu animi firmitatem in omnibus ſuis actionibus, & virtutibus manifeſtavit S. Bernardinus, ſed præcipue: 1. In ſervanda caſtitate; 2. In propugnando pro nominis Jeſu honore: 3. In portandis vitæ auſteræ oneribus.

1. Totus in Bernardinum inſurrexit infernus, cogitavitque qualiter formoſum juvenem ad venereas voluptates allicere valeret; ſed in periculoſis caſtitatis præliis ſemper fortiter pugnavit, & victor evaſit. Qua de re unum pro multis afferam exemplum, quo quanta ſancti hujus viri in caſtitate ſervanda fuerit fortitudo, nemo non videbit. Bernardinus adhuc juvenis, & in Religione Franciſcana non a multo tempore profeſſus, quadam die, eleemoſynæ petendæ cauſa, domum mulieris cujuſdam juvenis & formoſæ ingreſſus eſt, quæ ejus amore æſtuans cum ſcurrilibus verbis, impudicis aſpectibus, & geſtibus inverecundis ad libidinem allicere conata eſt; quibus omnibus fortiter reſiſtit Bernardinus, & cum fuga pro armis uti cogitaret, inverecunda mulier, laſciviendi flamma exardeſcens, imprudenter ei dixit: meis protinus aſſentire votis, deſiderio meo præſto faveas: ſi enim voluntati meæ aſſentiri renuas, mox coram omnibus clamabo, te mihi vim inferre voluiſſe. Heu! ad quales tunc Bernardinus redactus eſt anguſtias; tunc vere dicere poterat: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: Dan. 13. 22.* ſi enim hoc egero, mors animæ mihi eſt, ſi non egero, mea, Fratrumque meorum fama peribit. Inter has anguſtias, oculis in cælum elevatis, divinum poſtulavit auxilium Bernardinus, moxque cæleſti irradiatur lumine, Virginiſque Mariæ perſonæ ſuæ viſione recreatus, impudicæ dixit mulieri; ut tuum adimpleas deſiderium, veſtibus exui, & lecto prius decumbere debes: quod cum ipſa quam citius feciſſet, Bernardinus motu divino impulſus, extracta diſciplina, eam dire flagellavit. Nec ideo clamare auſa eſt, ne ſi advenientes eam nudam, & cubili decumbentem inveniſſent, non ipſi Bernardinum, ſed ipſam Bernardino vim inferre voluiſſe crederent. Miramini ſanctum hunc juvenem, qui intra illam domum quaſi intra fornacem Babylonicam exiſtens ab igne luxuriæ nullo modo comburitur. Sed miramini etiam hujus juvenis fortitudinem, qui hujus mulieris artem arte deluſit, quique omnibus ejus blanditiis, & ſolicitationibus fortiter reſiſtit.

Joſeph Ægyptiacus, qui erat *pulchra facie, & decorus aſpectu*, a domina ſua ad turpia ſolicitatus, *relicto in manu ejus pallio, fugit & egreſſus eſt foras. Gen. 39. 6.* Hanc Joſephi fortitudinem admirans Chryſoſtomus; ait: *Quis non admiretur beatum illum, qui in ipſo flore ætatis exiſtens, quando maxime fervax concupiſcentiarum accenditur, cum videret dominam ſuam in ſe invadentem, & inſanientem in ſe, tantam oſtendit fortitudinem, & ita ad caſtitatis agones ſe exercuit, ut ab intemperata illa muliere nudus quidem veſtibus profugeret, caſtitatis autem indumentum ſervaret. Chryſoſtom. homil. 44. in Gen.* O mirabilem hujus juvenis fortitudinem, major tamen fuiſſe videtur Bernardini fortitudo, quia ipſe non ſecus ac Joſeph, juvenis erat, & decorus: ipſe etiam non ſecus ac Joſeph a muliere impudica, laſciviente, & in ipſum inſaniente, ad turpia ſolicitatus. Sed, quod majus eſſe videtur, S. Bernardinus, ut de hac muliere triumpharet, non fugit ſicut Joſeph: ſed, exemplo non imitando, in campo certaminis remanens, de propria carne, ac de dæmonis, & mulieris hujus artibus generoſe triumphavit. Sed ſi S. Bernardinus habuit ſpiritum fortitudinis in ſervanda caſtitate: *Habuit etiam ſpiritum fortitudinis in propugnando pro nominis Jeſu honore.*

2. Michael Archangelus vocatur *fortitudo Dei*, eo quod fortiter & generoſe contra Luciferum, ejuſque ſectatores decertaverit. Naturæ humanæ invidebat ſuperbus ille Angelus, eo quod eam, relicta Angelica, Verbum divinum hypoſtatice aſſumpturum eſſet; quare præ vanitate & invidia, Chriſto, ſeu Verbo divino, naturæ humanæ unito, ſubeſſe renuit: *Suo recuſavit ſubeſſe Creatori; S. Aug. lib. 11. de civ. cap. 13.* Michael autem pro Chriſto ſtetit, ejuſque infenſiſſimum hoſtem Luciferum cum ſectatoribus ſuis fortiter debellavit, & cælo expulit: *Neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo, Apoc. 12.*

Quid ſimile in ſancto Bernardino intueor: ægre enim ferebat ardentiſſimus hic Chriſti amator, quod nomen ejus ab innumeris peccatoribus blaſphemaretur, & deſpiceretur; quare pro Chriſto ſtans, ut omnes ad ejus cultum & venerationem alliceret, (ſolebat ſub finem concionum ſuarum tabel-

bellam ſpectandam proponere, idque in primis religioſe, ac pie, in qua pictum erat dulciſſimum nomen Jeſu litteris aureis, ſolaribus radiis undique cinctum; porro populus id ſacratiſſimum nomen flexis genibus devotiſſime adorabat. *Sedul. Hiſtor. Seraph. c. 30.* aliqui peccatores verbis, & ſancta divi Bernardini arte ad Chriſti, ejuſque nominis venerationem adducebantur, alii vero prædicationibus ejus pejores & deteriores fiebant, quorum notiſſimus, & quaſi alter Lucifer fuit Manfredus Vercellenſis, qui cum ſectatoribus ſuis S. Bernardinum mendaciter, & calumnioſe apud ſummum Pontificem hæreſeos accuſavit, eo quod præfatam tabellam adorandam proponeret. Quare accerſitus Bernardinus, Romam ſe contulit, ut ſe, ſanctique nominis Jeſu gloriam tueretur, quod ita fortiter, & generoſe præſtitit, ut ſummus Pontifex, agnita accuſatorum malitia, necnon S. Bernardini zelo, & innocentia, amplam ei fecerit copiam libere undequaque prædicandi verbum Dei, dulciſſimumque Jeſu nomen populis oſtentandi. Inſuper, ut Bernardini repararetur fama, quam calumniis ſuis aliquo modo denigraverat Manfredus, juſſit Pontifex, ut in urbe Roma (in honorem ſacratiſſimi nominis publica totius Cleri fieret ſupplicatio, erecto vexillo; depictis hujus ſanctiſſimæ vocis characteribus. Ex quo tempore Templorum foribus, domorum frontibus & poſtibus cœpit affigi, crevitque ubique erga ſanctiſſimum nomen veneratio. *Vuading. an. 1426.*) Ecce magnam Bernardini fortitudinem in propugnando pro nominis Jeſu honore; *ſed habuit etiam ſpiritum fortitudinis in portandis auſterioris vitæ oneribus.*

3. Fortitudo Chriſtiana ad duriora quæque propter Dei amorem gratiſſimo animo ſuſtinenda inclinat: *Fortitudo eſt amor omnia propter Deum facile ſuſtinens. S. Aug. L. de mor. Eccleſ. c. 15.* Hac fortitudine etiam dum in ſæculo viveret, præditus erat S. Bernardinus; tunc enim gravi abſtinentia corpus ſuum vexabat; tunc vigiliis, orationibus, diſciplinis, aliiſque multis pœnitentiæ exercitiis carnem ſuam domabat: Sed hac fortitudine potiſſimum ditatus fuit, poſtquam minoriticæ militiæ nomen dedit; tunc etiam pœnitentiæ & mortificationis operibus ſe totum addixit; tunc tanta oculorum ejus extitit mortificatio, ut nullam unquam mulierem aſpexerit; tunc crebriora, & duriora ejus fuere jejunia; tunc tantus illius labor extitit in prædicationibus, in vitæ regularis exercitiis, & aliis extraordinariis, quibus ſe dedicavit, mortificationis oneribus, ut in hoc maxime Seraphico Patri aſſimilaretur: *Franciſci Aſſiſinatis abſtinentiæ & laboris non minus æmulus, quam profeſſionis cultor. Mar.*

Fortitudinem ſuam oſtentarunt Gentiles, ut ab hominibus viderentur, & laudarentur; Chriſtiani vero fortes, & in laboribus perferendis conſtantes extitere, ut Deo placerent, eique amoris ſui teſtimonia darent: *Fortitudinem Gentilium mundana facit cupiditas; fortitudinem autem Chriſtianorum Dei cupiditas facit. S. Aug. l. de ver. Inno. c. 295.* Hac autem Dei charitate ſufflammatus Bernardinus, fortiter & hilariter dira quæque patiebatur. Tres Epiſcopatus, Senenſem ſcilicet, Urbinatenſem, & Ferrarienſem ab Eugenio quarto ſummo Pontifice ipſi oblatos recuſavit, ut religioſæ & laborioſæ vitæ exercitiis adhæreret. Conſiliis paruit ſapientiſſimi Senecæ, ajentis quod qui virtutem ſectari ambit, proprium patrimonium, honores mundi, & alia fortunæ mendacia ablegare debeat: *Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia*; ipſe enim & patrimonio, & oblatis abrenuntiavit honoribus, ut vitam auſteram & duram ſectaretur. Ejus auſteritatem mirabantur fratres; licet enim maxima eſſet vitæ ejus innocentia: jejuniis tamen, vigiliis, diſciplinis, itinerationibus, & gravibus quibuſvis duræ pœnitentiæ exercitiis, tanquam fortis athleta, fortiter & hilariter corpus ſuum affligebat. In carne ambulans, non ſecundum carnem, ſed contra carnis concupiſcentias militabat: *In carne enim ambulantes non ſecundum carnem militamus. 2. Cor. 10. 3.* Nec contra carnem ſuam uſque ad mortem militare unquam deſtitit, ſed uſque ad ultimum vitæ ſuæ momentum fortitudinem ſuam in laboribus & mortificationibus manifeſtavit, & cuſtodivit: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Pſ. 58. 10.*

O virum fortiſſimum, in quo non pietatis ſolum & ſcientiæ, ſed etiam fortitudinis ſpiritus requievit! O utinam eodem fortitudinis ſpiritu omnes accenderentur! Sed, heu! multi non pro Dei gloria, ſed adverſus Deum fortes ſunt; multi adverſus Deum tendunt manum ſuam, & contra Omnipotentem roborantur: *Tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt. Job 15. 25.* Sed væ his qui fortes ſunt, ut faciant malum, & ut Deum injuriam inferant. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, inquit Iſaias propheta; *Iſ. 5. 22.* ſed dicamus etiam: væ iis qui fortes ſunt ad blaſphemandum, ad luxuriandum, & ad peccata quævis perpetranda! hæc enim fortitudo infirmitas eſt, malitia eſt, & magna damnatio eſt. Quare eam a vobis procul abjicite, & S. Bernardini fortitudinem imitantes, eſtote fortes in ſervanda caſtitate, in propugnando pro Chriſti honore, & in portandis auſteræ vitæ oneribus. Hac fortitudine de Deo triumphabitis, qui magnam in hoc mundo gratiarum copiam, & æternam in cælo beatitudinem vobis elargietur. *Amen.*

DE ASCENSIONE CHRISTI.

CONCIO UNICA.

Aſcendo ad Patrem meum. Joann. 20. 17.

CHriſti Aſcenſio eſt quaſi ſigillum, conſummatio, & clauſula omnium myſteriorum Salvatoris, *Felix clauſula totius itinerarii Filii Dei. S. Bern. ſer. 2. de Aſcenſ.* Hæc eſt feſtorum decus, & ut ait S. Bernardus, Aſcenſio Chriſti *eſt feſtum feſtorum, & ſolemnitas omnium ſolemnitatum, quia ipſa ſola ſummum obtinet principatum. Idem ib.* Unde S. Epiphanius Aſcenſionem inter Dominica feſta faſtigium tenere aſſerit: *Celebramus Chriſti Domini ſecundum carnem aſcenſum, quod ſane feſtum inter Do-*

mini-

minica faſtigium obtinet: ut enim caput totam corporis conſtitutionem exornat; ita hodierna ſolemnitas divinæ œconomiæ pulchritudinem, quaſi colophonem illi imponens, mirifice illuſtrat. S. Epiph. orat. de Aſcenſ. Magnum quidem ſuit, Deum hominem fieri, & in præſepio naſci; magnum fuit illum circumcidi, & a Magis adorari; magnum fuit, illum crucifigi, & a mortuis reſurgere; hæc omnia myſteria magna & mirabilia ſunt; ſed nil Chriſto glorioſius, quod hodie propria virtute ad cælos aſcendat, quod triumphali pompa in cælo recipiatur, & quod ad thronum Deo dignum exaltetur. Hoc eſt ſigillum myſteriorum Chriſti, hæc eſt ſolemnitas ſolemnitatum, & feſtum feſtorum, de quo &c. *Ave*.

Dicebat in corde ſuo Lucifer, quòd in cælum aſcenderet, in cælum intraret, in cælo ſederet. Superbus ille Angelus in cælum propria virtute aſcendere ambiebat: *In cælum aſcendam: Iſa. 14.* in cælum etiam intrare, ibique ſolium ſuum exaltare ſtatuerat, *Super aſtra cæli exaltabo ſolium meum*: in cælo tandem ſedere & regnare præſumebat: *Sedebo in monte teſtamenti.* Sed omnia præpoſtere Lucifero acciderunt: qui enim in cælum aſcendere ambiebat, de cælo cecidit; qui in cælum intrare decreverat, in infernum præcipitatus eſt; & qui in cælo ſedere præſumebat, in inferno æternum torquebitur. Ecce ſortem ſuperbi Luciferi; ſed Chriſtus humilis hoc obtinuit, quod ambiverat Lucifer; in cælum enim aſcendit, in cælum intravit, & in cælo ſedit. Apoſtoli illum aſcendentem admirati ſunt, Angeli ei in cælum intranti occurrerunt; & omnes Sancti illum in cæleſti throno ſedentem & regnantem contemplantur. Ut autem de altiſſimo Aſcenſionis Chriſti myſterio late diſſeramus; videamus: 1. Quomodo in cælum Chriſtus aſcendat: 2. Quomodo in cælum intret: 3. Quomodo in cælo ſedeat. Perpendamus, *quomodo in cælum aſcendat*, & timeamus; *quomodo in cælum intret*, & admiremur; *quomodo in cælo ſedeat*, & deſideremus. Tribus his quæſtionibus Aſcenſionis Chriſti myſterium explicabimus.

PRIMA PARS.

Quomodo Chriſtus in cælum aſcendit.

Cum Chriſtus poſt reſurrectionem vitam immortalem inchoaverit, non decuit eum in terris remanere: quare in cælum aſcendit, non ſecundum naturam divinam, quæ nunquam cælum deſeruit; ſed ſecundum naturam humanam, quæ virtute divinitatis ad cælum elevata eſt. *Naturæ divinæ propria uſus virtute, carnem cælo intulit. S. Cyprianus de Aſcenſione.* Aſcendit autem in cælum Chriſtus: 1. Impreſſis in terra veſtigiis: 2. Videntibus Apoſtolis: 3. Nube involutus.

1. Tempore Aſcenſionis imminente *recumbentibus undecim Diſcipulis, apparuit illis Jeſus, Marci 16.* & exprobrata eorum incredulitate, illos pro aſcenſu ſuo ad Patrem benigne conſolatus eſt, oſtendens, quam congruum eſſet, ut, peractis myſteriis pro quibus venerat, ad Cælum aſcenderet. Qua oratione finita, ad montem Oliveti ſimul cum Apoſtolis ſe contulit, ibique in eorum, & aliorum multorum Diſcipulorum præſentia, in cælum aſcendit; ſed calcata prius terra, cui pedum ſuorum veſtigia impreſſa reliquit.

De his impreſſis a Chriſto aſcendente veſtigiis mentionem faciunt Auctores plurimi; qui ſacratum hunc locum nunquam marmore, aut alio pavimento tegi potuiſſe referunt: quia quæ manus humana ad ornatum apponere conabatur, ſolum reſpuebat, vel potius divina manus excutiebat. Qua de re ſic ſcribit Divus Hieronymus: *Mons Oliveti ad Orientem Jeroſolymæ eſt, interfluente torrente Cedron: ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur. Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continue recipiunt. S. Hieron. de locis Hebr.*

Paulus Oroſius, & Gregorius Turonenſis ſcribunt, (ſulcos, quos rotæ curruum Ægyptiorum Hebræos perſequentium in mari rubro fecerant, in mari permanere, & quantum acies oculorum videri poteſt, in profundo cerni; quos ſi modicum commotio maris obtexerit, illo quieſcente, rurſus divinitus renovari, ut fuerant. *Apud Lorin. in Act.*) Hoc prodigium in aqua factum mirentur qui voluerint; ſed ſerio perpendamus nos miraculum, quod Chriſto in cælum aſcendente in terra factum eſt, & quod adhuc perſeverat; non enim ſine myſterio Salvator terram calcare, eique veſtigia impreſſa relinquere voluit. Et ſi in ejus mentem penetrare liceat, dicam, quod hinc haud dubie nos docere intendit, quod ut ad cælum aſcendamus, terram, & omnia mundi bona calcare, & contemnere debeamus: nam, ut ait Sanctus Auguſtinus, ut hæc bona ad cælum nos elevent, calcanda, & ſub pedibus ponenda ſunt: *Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos. S. Auguſt ſerm. 176. de temp.* Hæc bona avaros, & ambitioſos ad cælum non extollunt, quia non ea ſub pedibus, ſed in corde habent; non ea religioſe contemnunt, ſed inordinate deſiderant: quare, ut ad cælum nos evehant, parvipendamus, & calcemus ea inſtar Chriſti, qui in cælum aſcendit, impreſſis pedum veſtigiis, *ac etiam videntibus Apoſtolis.*

2. In cælum aſcendit Chriſtus, non gradiens, aut pedem poſt pedem movens; ſed ſtatu corporis recto: paulatim in cælum tendens; & hoc in præſentia Apoſtolorum, ac aliorum qui cum ipſis in monte Oliveti erant. *Videntibus illis, elevatus eſt. Act. 1. Gen. 5.* Tranſlatus eſt Enoch, raptus Elias in Paradiſum terreſtrem, abſque multis teſtibus, ſed Chriſtus aſcendit multis teſtibus præſentibus, & videntibus: *Non ſubito raptus eſt*, inquit Sanctus Bernardinus, *non furtim ſublatus, ſed videntibus illis elevatus eſt. S. Bernardinus de gradu humil. c. 1.* Cum Divus Paulus ad tertium cælum raptus eſt, nullum, vix enim vel ſeipſum, ut ita dicam, teſtem habuit; cum enim de illo raptu loquitur, ait: *Neſcio, Deus ſcit; 2. Cor. 12.* ſed Chriſtus Aſcenſionis ſuæ ſpectatores & teſtes multos habere voluit, *videntibus illis, elevatus eſt.*

Chriſti Aſcenſio non in inſtanti, aut momento, ſed cum temporis intervallo contigit: eum etenim Diſcipuli per aeris regionem euntem viderunt, & fixis oculis intuiti ſunt, ſicque Chriſtus videri voluit propter triplicem rationem, inquit Sanctus Bernar-

nar-

nardinus *Serm. de Aſcenſ. art. 2. cap. 1. Prima*, ut Aſcenſionis ejus tamquam ab eis patenter viſæ, firmiores eſſent teſtes. *Secunda*, ut cæleſtis patriæ, & gloriæ fides, & ſpes, & deſiderium firmius eis imprimeretur; & ut deſiderium veniendi ad eum excitaretur in iſtis. *Tertia*, ut myſtice innuatur, quod qui non videt Chriſtum aſcendentem, ſeu qui mentis oculo non contemplatur ejus Aſcenſionem, non eſt aptus, & diſpoſitus ad redundantiam ſpiritus ejus recipiendam. Sicut enim Eliſæo petenti duplicem Eliæ ſpiritum, dixit Elias: *Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris, non erit*: 4. *Reg.* 2. 10. ita, ut Chriſti ſpiritum & gratiam recipiamus, Chriſtum in cælum euntem intueri, ejuſque Aſcenſionem contemplari debemus. Illud myſterium non leviter tranſeundum, ſed ſerio meditandum, Chriſtuſque ſaltem mentis & cordis oculis a nobis eſt inſpiciendus; *Si vere*, inquit Sanctus Auguſtinus, *Serm.* 2. *de Aſcenſione: ſi fideliter, ſi pie Aſcenſionem Domini celebramus, aſcendamus cum illo, ſurſum corda habeamus*: mente videamus Chriſtum, qui in cælum aſcendit videntibus Diſcipulis; *ac etiam nube involutus*.

3. Divus Auguſtinus libro octavo de civitate Dei refert, Senatores Romanos, optantes urbis ſuæ fundatorem Romulum ut Deum coli, ſubornaſſe Proculum quemdam, ut populo aſſeveraret, ſe illum vidiſſe ad cælos evolantem, & deorum numero jam adſcriptum; ſed ut advertit Tertullianus, *Lib.* 4. *adverſ. Marc.* 7. Romulus nonniſi *ſcalis mendacii* ad cælum aſcendit. At Chriſtus multos, eoſque ſanctiſſimos ſuæ aſcenſionis adhibuit teſtes, qui eum aſcendentem viderunt, & in quorum præſentia nube a cælo miſſa involutus eſt: *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Hæc nubes, ut ait Doctor Angelicus, 3. *p. q.* 57. *art.* 4. non præbuit adminiculum Chriſto per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignum Divinitatis; fuitque quaſi thronus ejus regius, non ad ſuſtentaculum, ſed ad ornatum: *Thronus meus in columna nubis*. *Eccli.* 24.

Prædixerat Regius Propheta, Chriſtum nube circumdatum, ad cælum aſcenſurum: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*. *Pſalm.* 103. Chriſtus aſcendit, non pennis, aut alis arte fabricatis, ut Dædalus, aut Neptunus; non cereis, ut Icarus; non arte magica, ut Simon Magus; non ſcalis mendacii, ut Romulus; non ſolum mentis extaſi, ut Divus Paulus, Ezechiel, & multi alii Prophetæ, ſed in nube; *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*. Non quod hæc nubes ei neceſſaria eſſet, ut eum veheret, vel ſuſtentaret: ut enim ait Sanctus Bernardus, hæc nubes *nec feſſum juvit, aut pigrum impulit, aut cadentem ſuſtinuit*. *S. Bernardus de gradu humil. cap.* 1. Sed nube circumdari voluit ad ornatum, & pompam glorioſiſſimæ ſuæ Aſcenſionis: *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*.

Ecce quomodo Chriſtus ad cælum aſcendat; ecce modum Aſcenſionis ejus, quem ſi recte perpendamus, magna nobis ineſt timendi ratio: quia hoc aſcendendi modo indicatur nobis modus, quo in die judicii Chriſtus homines judicaturus veniet: Apoſtolis enim dixerunt Angeli, Chriſtum eodem modo venturum in judicio, quo ad cælos aſcendit: *Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*. *Act.* 1. Sicut enim hodie in cælum aſcendens, terram calcat; ita & in die judicii terram fremens conculcabit, & adſtantium cordibus terrorem incutiet; *In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes*. *Habacuc* 3. 12. Sicut hodie in cælum aſcendit, videntibus Apoſtolis; ita & in die judicii eum videbunt deſcendentem: *Egredietur de loco ſuo, & deſcendet*: *Michæa* 1. Sicut hodie in cælum aſcendit nube involutus; ita & in die judicii videbunt eum *venientem in nubibus cæli*. *Matthei* 24. Quare in hac ſolemnitate gaudendum ſimul & timendum; gaudendum quidem, quia Chriſtus ad Patrem vadit, ut glorificetur, & pro nobis intercedat. Sed eſt etiam timendum, quia hic Jeſus, qui hodie aſcendit in cælum, in die judicii deſcendet cum poteſtate magna, & majeſtate, ut judicet mundum: *Veniet in eadem gloria & majeſtate, cum eadem anima & corpore*, inquit Beda, *in Act. Veniet Judex cum eiſdem vulnerum, & plagarum in latere, manibus, pedibuſque impreſſis veſtigiis*, inquit Sanctus Cyprianus. *Serm. de Aſcenſione*. Veniet *juſtis in amore, impiis in tremore*, inquit Sanctus Auguſtinus. *Serm.* 180. *de temp.* Quare recogitantes quomodo Chriſtus in cælum aſcendat, timere debemus. *Videamus nunc quomodo in cælum intret, & admiremur*.

SECUNDA PARS.

Quomodo Chriſtus in cælum intret.

CHriſtus nube lucida circumdatus in cælum aſcendens, univerſam aeris regionem pertranſivit, per ignis ſphæram iter confecit, Lunæ, Mercurii, Martis, Solis, & aliorum orbium cæleſtium ſphæras penetravit; donec ad cæli empyrei portas evectus, in illud: 1. *Intravit* ablatis januis: 2. *Intravit* pluribus Sanctis comitatus: 3. *Intravit* jubilante tota cæleſti curia.

1. Chriſto ad cæli empyrei atrium adventante, factus eſt quidam dialogus inter Angelos Chriſtum comitantes, & Angelos in cælo exiſtentes: Angeli enim qui Chriſtum comitabantur, ad illos, qui in cælo empyreo ſummo honore excepturi expectabant, clamaverunt, dicentes: *Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. *Pſalm.* 23. Angeli vero intra cælum exiſtentes, non quod ignorarent quis eſſet Chriſtus, ſed gloriam & majeſtatem qua incedebat demirati, dixerunt; *Quis eſt iſte Rex Gloriæ?* Quibus aliis reſponderunt; Iſte eſt *Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio*: quare protinus, *Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ*. Seu, ut vertit Tertullianus: *Auferte portas, Principes, veſtras, & ſubleventur portæ æternales: & intrabit Rex gloriæ*. *Tertull. Scorp.* 10.

Cur clamant Angeli, non quod aperiantur, ſed quod attollantur, & auferantur cæli januæ? Nonne ad Chriſti ingreſſum ſufficiebat, cæleſtis Jeruſalem portas reſerari & aperiri? Cum Chriſtus baptizatus eſt, non confractæ, nec ablatæ, ſed apertæ ſunt cæli portæ. *Aperti ſunt ei cæli*. Cur ergo jam cæli por-

portas non ſolum aperiri, verum & auferri petunt Angeli: *Auſerte portas, Principes, veſtras. Matth.* 3. 16. Reſpondet Chryſoſtomus, quod videntes Angeli, cælos non amplius eſſe claudendos, quia juſti in lymbo non amplius erant detinendi, judicarunt minime jam neceſſarias cæli portas, & ideo non clamant: *Aperite portas*, quæ jam in Chriſti Baptiſmo fuerant apertæ; ſed clamant; Attollite, & *Auſerte portas, Principes, veſtras:* quia hæ portæ impoſterum non erunt neceſſariæ. Sed ad propoſitum noſtrum convenientius reſpondere videtur Genebrardus, dicens, ablatas eſſe cæli portas, *ut glorifice introeat Rex glorioſiſſimus. Genebrardus in Pſalm.* 23. Sicut enim Rege in aliquam ditionis ſuæ civitatem intrante, nonnumquam ad majorem pompam, non ſolum aperiuntur, ſed tolluntur civitatis januæ; ita & Chriſtus, ad majorem pompam, & magnificentiam, in celeſtem civitatem intravit ablatis januis; *ac etiam in eam intravet pluribus Sanctis comitatus.*

2. Poſt Protoparentis peccatum, generali quodam interdicto omnibus hominibus in cælum ingredi prohibitum eſt. Sicut enim poſt illud peccatum Deus *collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ: Gen.* 3. ita & poſt idem peccatum generali interdicto omnibus hominibus, etſi ſanctiſſimis, prohibitum eſt in cælum intrare ante Chriſtum. Illud autem interdictum hodie ſuſtulit Chriſtus, Sanctorum multorum animas quas ex lymbo eduxerat, cælo inferens, iiſque comitantibus in cælum ingrediens. Unde clamant Angeli: *Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ;* quaſi dicant, ablatum eſt interdictum; quare attollite portas, ut comitantibus Patriarchis, aliiſque ſanctis viris, Rex gloriæ ingrediatur. Et ideo D. Paulus Chriſtum in cælum intrantem, *Pontificem* vocat: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei. Hebr.* 4. 14. Intravit enim ut Pontifex magnus, quia ſublato interdicto ingreſſus eſt cælum, comitantibus illum plurimis ſanctis viris, quos a captivitate, ſeu a Lymbo eduxerat: *Dominum euntem ad cælos comitatur glorioſa captivitas. S. Ambroſius ſerm.* 2. *Pentec.*

Magnus ille Jacob de ſeipſo ait: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Geneſ.* 32. 10. Quod de ſe ipſo narravit Jacob; de Chriſto in cælum intrante appoſite dici poteſt: ipſe enim deſcendit de cælo, ipſe ſolus Jordanem paſſionis, baculo crucis innixus, trajecit; *Torcular*, inquit, *calcavi ſolus Iſaiæ* 63. Ipſe tandem non ſolus ad cælum regreſſus eſt: nam, ut ait Hugo Cardinalis, ipſe turmis duabus, una Angelorum, & altera hominum comitatus in cælum ingreſſus eſt; *Chriſtus*, inquit, *tranſivit Jordanem mortis, & cum duabus turmis in cælum regreditur comitatus, ſcilicet, turma Angelorum, & turma hominum. Hugo in cap.* 4. *epiſt. ad Epheſ.* Quale gaudium fuit his Sanctis Patribus, & a Lymbo erui, & ſimul cum Chriſto in Paradiſum ingredi? ſed ſi Chriſtus in cælum empyreum intravit pluribus Sanctis comitatus; *in illud etiam intravit, jubilante tota cæleſti curia.*

3. Quod veriſſimum eſſe judicabit quicumque judicio pollebit; ſi enim uno peccatore per pœnitentiæ portas cælum ingrediente, tota cæleſtis curia exultet; *Gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente; Lucæ* 13. 7. quanta cæleſtium civium fuere jubila, cum Creatorem, & Dominum ſuum Paradiſi portas introeuntem viderunt? Si etiam, cum Chriſtus in hunc mundum ſublunarem venit, cruentum cum hoſte certamen initurus, præ nimio gaudio cæleſtes ſpiritus in antrum Bethlemiticum ſe contulerunt, cum ingenti jubilo canentes, *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; Lucæ* 2. 14. quanta, quæſo, eorum eſt lætitia, quanta jubilatio, cum jam exacto conflictu, ipſum victorem & triumphantem in cælum ingredi conſpiciunt? Certe, inquit S. Bernardinus, tanta tunc cæleſtis curiæ fuit exultatio, tantaque jubilatio, ut vix explicari valeat. De ea tamen ſic loquitur.

(Quis enarrare ſufficiat, quanta lætitiæ exultatione repleta fuit illa civitas Beatorum in adventu Regis eorum, & illorum SS. Patrum? Cantant & jubilant omnes Angeli, & in introitu Paradiſi dignis vocibus laudant, dicentes: *Gloria, laus & honor tibi ſit, Rex Chriſte Redemptor.* Nunc tibi pangimus, ecce melos: *Benedictus es Domine, qui ambulas ſuper pennas ventorum; benedictus es, qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos.* Benedicat te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt: quia judicaſti nationes, impleviſti ruinas, conquaſſaviſti capita mortis, dæmonum, & inferni). Has, & alias laudes ad Chriſti in cælum intrantis gloriam ab Angelis decantatas congerit S. Bernardinus. *Serm.* 1. *de Aſcenſione.*

Alii nonnulli Auctores, ut Cæleſtis curiæ in Chriſti introitu jubilationem explicent; illum omnes Angelorum choros ſucceſſive luſtraſſe, & quemlibet chorum ſpecialem Hymnum ad ejus laudem decantaſſe dicunt. Cujus opinionis extitiſſe videtur S. Damaſcenus, dicens: *In enim in toto illo decurſu, ab empyrei introitu uſque ad ſummos Angelorum Ordines, o Chriſte, ſine ulla intermiſſione laudes tuas celebrant. Damaſcenus de Aſcenſione.* Sed certe curiæ cæleſtis jubila clarius concipi nequeunt, quam per conjecturas, & illationes. Duas jam nunc adduximus, quæ ſi non ſufficiant, tertia aſſumi poteſt ex magna lætitia, & jubilatione, qua in domo paterna acceptus eſt filius prodigus. De eo dicitur, quod diſſipaverit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe, cum tamen ad patris domum rediit, ut pater ei obviam venit, cecidit ſuper collum ejus, oſculatus eſt eum, ſtolam primam & annulum dedit ei, convivium parari, ſymphoniam audiri, ac alia aliqua lætitiæ & jubilationis ſigna edi voluit. *Lucæ* 15. O magnum hujus patris amorem in filium! Sed, heu! ſi tanta ſunt jubila, cum filius prodigus in paterna domo recipitur, quanta Patris æterni, beatiſſimæ Virginis, ac totius curiæ cæleſtis fuere jubila, cum unicus Dei Filius Jeſus Chriſtus, mundi Creator & Redemptor, in cælum empyreum triumphans ingreſſus eſt? Magna quidem & maxima extitere; ſed ineffabilia, ſed mente humana prorſus incomprehenſibilia.

Ecce quomodo Chriſtus in cælum intraverit; ecce

mo-

trodum ingreſſus ejus, qui quidem mirabilis, & omni admiratione diguus extitit. Si enim ſolemnes Romanorum tlumphos demirati ſuut antiqui; quanto omni admiratione, omnique ſtupore dignior cenſeri debet Chriſti in cælum intrantis triumphus, in quo non creatura, ſed Creator; non purus homo, ſed Deus homo; non intra urbis parietes, ſed intra mœnia cæleſtis Jeruſalem glorioſe receptus eſt? Poſtquam Chriſtus iu cælum aſcendit, Apoſtoli mirantes, & quaſi in extaſim rapti, ſurſum aſpiciebant: *Quid aſpicitis in cælum? Act.* 1. hodie & nos in cælum aſpiciamus; contemplemur quomodo in illud ingrediatur Chriſtus, & admitemur. In cælum empyreum intrat Chriſtus ablatis januis: o rem mirabilem! intrat Chriſtus Sanctis Patribus illum comitantibus: quis non miretur? intrat Chriſtus jubilante tota cæleſti curia: quid mirabilius? Miremur ergo Chriſtum in cælum intrantem; *ac etiam in cælo ſedentem.*

TERTIA PARS.

Quomodo Chriſtus in cælo ſedeat.

LIcet non habeamus teſtes, qui viderint, quomodo Chriſtus in cælo ſedeat; docet tamen Sacra Scriptura, illum ſedere ſupra omnes cælos, ſupra omoes Angelos & ad dexteram Patris: 1. Sedet ſupra omnes Angelos, qui de cælis deſcenderat: 2. Sedet ſupra omnes Angelos, qui ſe Angelis minorem fecerat. 3. Sedet ad dexteram Patris, qui Patris mandatis obtemperaverat.

1. Chriſtus, ut Verbum, ante Incarnationem in cælis habitabat, ibi regnabat, ibi Angelos habebat, ibique beatitudine ineffabili, & imperturbata fruebatur; ſed cum venit plenitudo temporis, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, in præſepio natus eſt, ab hominibus deſpectus eſt, & in cruce mortuus eſt. O miram Chriſti humilitatem! quæ hodie congruo præmio compenſatur, quia qui in Incarnatione deſcendit de cælis, in die Aſcenſionis ſuper omnes cælos aſcendit: ut enim ait D. Paulus, *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos. Ephеſ.* 4. 10. Quædam eſt proportio inter deſcenſum & aſcenſum Chriſti; ſicut enim a ſummo cælo deſcenderat: *A ſummo cælo egreſſio ejus*; ita & ad ſummum cælum, & ſupra omnes cælos aſcendit, & iis excelſior factus eſt: *Excelſior cælis factus. Hebr.* 7.

Propheta Regius Chriſtum non ſupra cælos, ſed in cælo ſedere ait. *Dominus in cælo ſedes ejus. Pſ.* 10. Non tamen inde inferendum, eum non ſedere ſupra omnes cælos; ſicut ille in domo eſſe dicitur, qui ſupra tectum domus eſt; ſic & Chriſtus in cælo ſedere dicitur, quia ſuper omnes cælos eſt; ita quod pedum plantis convexam cæli empyrei ſuperficiem attingat: *Chriſtus*, inquit Liranus, *in Pſ. 67. ſedet ſupra extremitatem cæli Empyrei quod eſt excelſius ſuper omnes cælos.* Doctor Angelicus prætacta Pſalmographi verba explicans ait, quod *ſedes Dei dicitur eſſe in cælo, non ſicut in continente, ſed magis ſicut in contento: D. Thom. 3. part. quæſt. 57. art.* 4. quia ſedes Chriſti eſt ſupra omnes cælos, & quaſi continet cælos. Et ideo Tertullianus aſſerit Chriſtum, quia ad inferiores terræ partes deſcenderat, hodie aſcendiſſe, non intra cælos, ſed ad ſuperiores cælorum partes, & ſupra omnes cælos: *Filius aſcendit in ſuperiora cælorum, qui & deſcendit in inferiora terræ. Tertullianus adverſ. Prax.*

Monet Chriſtus, non primas ambiendas eſſe ſedes: *Cum*, inquit, *invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco. Luc.* 14. Ubi ergo ſedendum? *recumbe in noviſſimo loco*, inquit, *ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: amice, aſcende ſuperius.* Chriſtus in hoc mundo, non in primo, ſed in noviſſimo loco ſe collocavit, ut enim teſtatur Iſaias, ipſe noviſſimus virorum æſtimari voluit: *Vidimus eum deſpectum & noviſſimum virorum. Iſ.* 53. 3. Sed Pater æternus in die Aſcenſionis Chriſto dixit: *Amice aſcende ſuperius.* Cœpit ille, videntibus Apoſtolis, ſurſum aſcendere, & primo quidem gradu in aeris regionem conſcendit, ſed continuo audivit Patrem clamantem: *Amice aſcende ſuperius.* Luciaiſſimam deinde ignis ſphæram tranſgreſſus eſt: ſed audivit iterum Patrem dicentem: *Amice aſcende ſuperius.* Aſcendit ipſe in Lunæ, Mercurii & aliorum Planetarum cælos; ſed iterum Pater ait: *Amice aſcende ſuperius*, eumque aſcendere fecit ſuper omnes cælos. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos.* At non ſolum ſedet ſuper omnes, qui de cælis deſcenderat: *Sed etiam ſedet ſupra omnes Angelos, qui ſe Angelis minorem fecerat. Cartagen.*

2. Chriſtus, quoad divinitatem, Angelis minor non fuit, nec eſſe potuit: ſed Angelis minor factus eſt, qui naturam humanam aſſumpſit, quæ Angelica minor eſt: Dei filius, inquit Tertullianus, *eſt infra Angelos diminutus, dum homo fit. Tertullianus lib. De carne Chriſti cap.* 14. Et in hoc ſenſu dixit Pſalmiſta, Chriſtum ab æterno Patre modicum quid citra Angelos fuiſſe minoratum: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* O magnam Creatoris dignationem, quod creatura ſua ſe minorem facere voluèrit! ſed qui Angelis ſe minorem fecit in Incarnatione, in die Aſcenſionis ſuper omnes Angelos aſcendit & conſtitutus eſt: *Conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem. Ephеſ.* 1. 21. (Licet corpus Chriſti, ut ait Divus Thomas, *3. part. quæſt. 57. art.* 50. conſiderando conditiones naturæ corporeæ, ſit infra ſpirituales ſubſtantias: conſiderando tamen dignitatem unionis, qua eſt perſonaliter Deo conjunctum, excellit dignitatem omnium ſpiritualium ſubſtantiarum. Et ideo ſecundum prædictæ congruentiæ rationem debetur ſibi locus altior ultra omnem creaturam, etiam ſpiritualem.) Quare hodie elevatus & conſtitutus eſt ſupra omnes Angelos, *ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem.*

Ex Doctore Seraphico ait D. Bernardinus, (quod hi beati, qui decedunt cum proprio merito, ad aliquem novem ordinum Angelorum ſecundum eorum merita aſſumentur. Unde ſicut ſunt novem ordines Angelorum; ſic erunt novem ordines hominum beatorum. Qui ergo habebunt merita Seraphini, ſicut Beatus Franciſcus, in illo ordine collocabuntur, &

ſic de aliis. *S. Bern. de Aſcenſ. ſer. 2. art. 2. c. 2.* Paucis interjectis ſubdit Bernardinus, Deiparam Virginem ſupra omnes hos Angelorum choros conſtitui. Et tandem ait, Chriſti thronum ſupra omnes Angelos & homioes eſſe elevatum; juxta illa D. Pauli verba: *Conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus: ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem. 1. Pet. 3.* Et juxta hæc D. Petri: *Profectus in cælum, ſubjectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.* Sed ſi in cælo ſedet ſupra omnes Angelos, qui ſe Angelis minorem fecerat: *in cælo etiam ſedet ad dexteram Patris, qui Patris mandatis obtemperaverat.*

3. Chriſtus, qui, ut Verbum, per omnia æqualis eſt Patri, minor illo factus eſt ratione humanitatis quam aſſumpſit, ratione cujus, Patris obtemperavit mandatis: *Sicut*, inquit, *mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Joan. 14. 31.* Ita illi obtemperavit, ut factus ſit obediens uſque ad mortem: *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Ad Philippenſ. 2. 8.* O magnam Chriſti obedientiam! Sed qui toto vitæ ſuæ tempore Patri obtemperaverat, in Aſcenſione ad Patris ſolium ſublimatur, ibique ad ejus dexteram collocatur; *Dominus Jeſus*, inquit Evangeliſta Marcus, *aſſumptus eſt in cælum, & ſedet a dextris Dei. Marci 16. 19.* Et ut ait D. Paulus, Chriſtus *ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis. Hebr. 1. 3.* Quod quidem in ſenſu metaphorico intelligendum eſt; Deus enim neque dexteram habet, neque ſiniſtram, quia ſpiritualis eſt. Et ut ait S. Petrus Chryſologus: *Sic a dextris ſedet Filius, ut Pater non ſedeat a ſiniſtris. Chryſ. ſer. 58.* Quare Chriſtus, ut homo dicitur a dextris Patris æterni ſedere, non vere, ſed metaphorice, ut indicetur illum in præſtantiori, & honoratiori loco ſedere. Sicut inter homines ille dicitur in præcellentiori loco ſedere, qui ad Regis dexteram ſedet: ita & Chriſtus in cælis ad dexteram ſedere dicitur, ut eum ibi in præcellentiſſimo loco ſedere indicetur.

Alio modo metaphoricam hanc ſeſſionem explicat S. Bernardinus, dicens, (quod per dexteram Dei Patris duo intelliguntur. *Primum* eſt æqualitas majeſtatis, ad quam Chriſtus ſedet ſecundum Divinitatem. Unde Hebr. 8. dicitur: *Habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis: ſecundum* autem, quod per dexteram intelligitur, ſunt potiora gloriæ bona, in quibus Chriſtus ſedet ſecundum humanitatem; quia collatum eſt ei quidquid conferri potuit. Et hoc modo Chriſtus *ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis. S. Bern. ubi ſup. art. 2. c. 3.) Hebr. 1. 3.*

Miremur Chriſtum ſupra omnes cælos, ſupra omnes Angelos, & ad dexteram Patris ſedentem. Sed identidem cum illo in cælum aſcendere deſideremus, ac ardenter ambiamus. *Si recte*, inquit S. Auguſtinus, *ſi fideliter, ſi devote Aſcenſionem Domini celebremus, aſcendamus cum illo, aſcendamus corde; S. Aug. ſer. 2. de Aſcenſ.* ſeu deſiderio, & piis ad cælum aſcendendi affectibus. Ipſe, ſicut grandis Aquila, ad cælorum ſublimia nidum, & ſolium ſuum poſuit; hæc autem Aquila nos quaſi pullos ſuos, ad volandum provocat; ipſe nos ad aſcendendum in cælum invitat; quare efficaci deſiderio ad cælum aſcendere peroptemus. Hoc deſiderio ad cælum aſcendebat D. Paulus: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; Ad Philipp. 1. 23.* eodem & nos ardeamus deſiderio: ubi Chriſtus eſt, ibi noſtra fixa ſint corda, & ad illum toto corde, totiſque affectibus aſcendere deſideremus. Sed talia noſtra ſint deſideria, ut nos ad omnia penitus eliminanda peccata commoveant: quia cum iis nullus ad Chriſtum aſcendere valet: *Nullum vitium noſtrum aſcendit cum medico noſtro. Et ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia, & peccata noſtra deponere. Aug. ubi ſup.* Sed præcipue ſuperbiam, avaritiam, & luxuriam, quæ in cælum aſcendere nequeunt: *Non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria. Ubi ſup.*

Superbi, quorum ingenium eſt, altiora ſapere, omnibus aliis præeminere, ſuper aſtra cum duce ſuo Lucifero elevari appetunt; At *non aſcendit ſuperbia*. Avari qui ſunt dii fortes terræ, intrare in potentias Domini, ac in cælo, ſicut & in terra dominari cuperent: At in cælum *non aſcendit avaritia*. Luxurioſi tandem, qui in voluptatum ſuarum cæno ſe volutare ſoliti ſunt, ab hujus ſæculi voluptatibus ad Paradiſi voluptates ſe tranſituros ſperant: At *non aſcendit luxuria*.

Hæc omnia N. N. attente perpendite; hæc animis veſtris ſerio revolvite; hodierna hæc ſit meditatio veſtra: *Cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria.* Et, ſi in cælum non aſcendant ſuperbi, eſtote humiles; ſi non aſcendant avari, eſtote miſericordes; ſi non aſcendant libidinoſi, eſtote mundi corde & corpore. Eſtote humiles, & in cælum exaltabit vos Deus. *Et exaltavit humiles.* Eſtote miſericordes, & divinam miſericordiam obtinebitis: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Luc. 1.* Eſtote tandem puri & mundi, & in cælo Deum videbitis: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5. Amen.*

DE SANCTO
ANTONIO PADUANO.
CONCIO UNICA.

Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores. 1. Cor. 12. 28.

A Prædicatoribus, qui elaborandis Sanctorum elogiis incumbunt, vix invenitur medium quod tenere debent, ut nec plus, nec minus quam par eſt, eos laudent pro quibus loquuntur. Verum eſt, inquit Seneca, quod laudatori naturale eſt per exceſſum potius, quam per defectum peccare: *Natura jubet augere laudanda; nemo non gloriam ultra verum tulit.* Nullus tamen eſt jam pertimeſcendi locus, quod S. Antonium de Padua, cujus encomia contexere ſuſcipio, ſupra merita extollam; cum tot fecerit miracula, tantis effulſerit virtutibus, tantiſque a Deo ditatus fuerit gratiis, ut vix eas verbis facundus Orator attingere valeat. Natus eſt in Portugallia ex parentibus non minus virtute, quam pie-

pietate fulgentibus, a quibus chriſtianæ, & piæ vitæ prima didicit elementa, quibus illuſtratus, ac abundanti divinæ gratiæ auxilio perfuſus, in juvenili, & petulanti ætate ad minimi umbram vitii pavit, leviſſimi criminis nævum declinavit, & virtutem ardentiſſime coluit. Quindecim annos natus, factus eſt Canonicus Regularis S. Auguſtini, ſub cujus regula religioſiſſime vixit, donec publico rumore didicit, Bernardum, Accurſium, & alios quoſdam Seraphici Franciſci filios apud Marrochium, Mauritaniæ urbem Martyres occubuiſſe. Tunc enim martyrii, & perfectioris vitæ deſiderio accenſus, religionem illam, quæ in ipſis conſtitutionis ſuæ primordiis Martyres pepererat, æſtimavit, amavit, & ambiit. Quare a S. Auguſtini inſtituto deſciſcens, Franciſcanæ Religioni nomen dedit, in qua ita floruit, ut Apoſtolorum, Prophetarum, ac Doctorum merita, & gloriam quodammodo aſſecutus ſit, ut nunc nobis probandum ineſt, &c. *Ave*.

GRatias ſuas Deus, ſuoſque favores hominibus ita diſtribuere ſolet, ut aliquos ad unam, & alios ad alteram dignitatem evehat: omnibus enim notum eſt, quod aliquos ad apoſtolatum vocet, ut beatos Petrum, & Paulum: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos*: quod alios prophetiæ dono illuſtret, ut Iſaiam & Jeremiam; *Secundo Prophetas*, & alios Doctorum titulo inſigniri velit; *Tertio Doctores*. Unde patet, quod ſecundum communem, & uſitatum divinæ providentiæ ordinem, *diviſiones gratiarum ſunt*; 1. *Cor.* 12. ita quod non uni omnes, ſed uni unam, & alteri alteram Deus largiri ſoleat. At quæ in aliis diſperſa ſunt, in uno Antonio Deus collegit, & conjunxit: non enim eum ſolum ad Apoſtolica munia vocavit, nec eum tantum vel Doctorem, vel Prophetam eſſe voluit; ſed Antonius fuit ſimul Apoſtolus, Doctor, & Propheta. Fuit 1. *Apoſtolus* cum Apoſtolis. 2. *Doctor* cum Doctoribus. 3. *Propheta* cum Prophetis.

PRIMA PARS.

S. Antonius fuit Apoſtolus cum Apoſtolis.

UT ſuæ Chriſtus Eccleſiæ fundamenta poneret, & ut eam dilataret, duodecim Miniſtros elegit, quos *Apoſtolos* vocavit, eoſque in univerſum terrarum orbem miſit: *Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermone confirmante, ſequentibus ſignis. Marci* 16. Iis duodecim, quodam elapſo tempore, & adjuncti fuere Mathias, & Paulus, qui Apoſtolatus gratiam accepere: *Accepimus gratiam, & Apoſtolatum. Rom.* 1. Et interdum, variis in temporibus, viros aliquos ad Apoſtolica munia obeunda vocavit Chriſtus, qui vere Apoſtoli appellari poſſunt; inter quos jure recenſendus S. Antonius, qui in vocatione, in prædicatione, in miraculorum operatione, in populorum converſione, ac in aliis multis vir Apoſtolicus, & vere Apoſtolus extitit.

Apoſtolos vocavit, & miſit Chriſtus; eos vocavit: *Venite poſt me: Matth.* 4. & eos miſit: *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. Marci* 16. Per hanc vocationem, & hanc miſſionem charactere Apoſtolatus inſigniti fuere Apoſtoli. Unde eos ſagittas electas vocat Propheta: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum. Pſ.* 126. Sicut enim ſagittarius ad ſe funem trahit ut arcum ſuum tendat, & deinde ſagittam mittit & vibrat: ita Chriſtus Apoſtolos ad ſe traxit per vocationem; & deinde quaſi ſagittas illos vibravit per miſſionem. Quod autem reſpectu primorum Apoſtolorum fecit Chriſtus, hoc & fecit reſpectu Antonii; hunc enim ad vitam Apoſtolicam vocavit, & hunc ad Apoſtolica munia obeunda miſit. Vocavit Antonium Chriſtus, cum eum ad Apoſtolicum Franciſci inſtitutum allexit: eum vocavit voce interna illi inſpirante, ut Apoſtolico fungeretur munere, & eum etiam vocavit per ſuperiores ejus, modo quodam mirabili: cum enim aliqua die ad fratres concio eſſet habenda, Superior, inſtigante ſpiritu Dei, Antonio, de cujus eruditione nihil comperti habebat, & quem de Sacris Scripturis nil ſcire putabat, præcepit, ut pulpitum conſcenderet, ibique diceret quidquid ſpiritus Dei ſuggereret; cui obtemperans humilis Antonius, tanto verborum ſplendore, tantaque myſticarum ſententiarum altitudine uſus eſt, ut omnes novum hunc concionatorem audientes, attoniti, & mirantes, illum non ad ſolitariam, ſed Apoſtolicam vitam vocatum cenſuerint. Quare agnita ejus vocatione, miſſus eſt, non in univerſum mundum, ſed ad multos multarum nationum populos, & ubique prædicavit, *ſequentibus ſignis. Iſ.* 49. Unde dicere potuit ſe a Deo miſſum eſſe, ut ſagittam electam: *Poſui me ſicut ſagittam electam*.

Imperavit Apoſtolis Chriſtus, ut Evangelium omni creaturæ prædicarent: *Prædicate Evangelium omni creaturæ; Marci* 16. omni autem creaturæ prædicarunt, cum homini prædicarunt; quia omnis creaturæ nomine intelligitur homo, qui aliquid de omni creatura participat; cum habeat eſſe cum creaturis inanimatis, vivere cum ſenſitivis, & ratiocinari cum Angelis. Sed Sanctus Antonius prædicavit omni creaturæ, modo quodam ſpecialiori; quia omnis creatura eſt rationalis, vel non eſt rationalis: prædicavit autem nonnunquam creaturis non rationalibus; cum enim quidam hæretici conciones ejus contemnerent, piſcibus copioſe confluentibus, capita ſuper undas erigentibus, & auditum mirum in modum præbentibus, in confuſionem hæreticorum concionatur. Et prædicavit etiam creaturis rationalibus, ſeu hominibus; tum in Gallia, tum in Italia; tum Catholicis, tum hæreticis; tanto cum applauſu, ut undique illum audituri confluerent populi; quos cum præ nimia multitudine capere non poſſent Eccleſiæ, in mediis campis prædicare cogebatur. Ubi aliquando in unica concione triginta auditorum millia habuit; ejuſque conciones & verba pluribus miraculis Deus confirmavit.

Apoſtoli, quos ad mundi converſionem Chriſtus miſit, ex ſeipſis infirmi erant & ignari: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* 1. *Corinth.* 1. Quare ut eos commendaret, eorumque verbis ac eorum miniſterio auctoritatem tribueret, dedit eis poteſtatem miracula faciendi, quibus indutata ac

Digitized by Google

ferina multorum corda mollierunt, innumeroſque populos ad credendum, & ad pie vivendum allexerunt: unde miracula quæ fecerunt Apoſtoli, vocant S. Patres argumenta miſſionis eorum, Evangelii ſigilla, & efficacia zeli eorum inſtrumenta. His autem argumentis, his ſigillis, & hac poteſtate faciendi miracula potiti ſunt omnes Viri Apoſtolici, & præcipue S. Antonius, cujus miſſionem crebris Deus confirmavit miraculis, & qui quod prædicavit, prodigiis & miraculis multis probavit. His portentoſus vir extitit, qui miracula, in aere, in mari, in terra, & in inferno operatus eſt. *In aere*; quia aer ejus obtemperavit imperio, cum crebreſcentem pluviam ita ab auditorum ſuorum cætu avertit, ut nec unica aquæ gutta eos, ſub dio ſtantes, attigerit. *In mari*: quia exortas tempeſtates pluries ſedavit. *In inferno*: quia dæmones ab obſeſſis corporibus ſæpe expulit, & ad infernum ablegavit. *In terra*, ubi cæcos, ſurdos, paralyticos, omniſque generis infirmos ſanavit, mortuos aliquos reſuſcitavit, & alia multa miracula fecit, quorum aliqua ad confirmationem doctrinæ & veritatis quam prædicabat, plurimum inſervierunt.

Et ut ex multis pauca dicam; in ejus legenda habetur; quod dum prædicaret, auditus eſt ab aliquibus, ab eo longiſſime diſtantibus, ita quod ſine miraculo ab iis audiri non poſſet. Aliquando ſimul & ſemel in duobus locis diſſitis, in cathedra ſcilicet & in choro viſus eſt. Quidam hæreticus, ut probaret, an hæc Evangelii verba (*ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marci* 16.) in eo vera eſſent, ei venenatum cibum appoſuit, qui nullo modo ei nocuit. Alii hæretici bufonem horribilem menſæ appoſuerunt dicentes S. Antonio illa verba Apoſtoli: *Omne quod vobis apponitur, manducate*; 1. *Corinth.* 10. 27. ille autem elevatis oculis in cælum, & ſigno crucis facto, bufonem in optimum caponem convertit, quem aſſidentes una comederunt, & ad veram fidem converſi ſunt. Dum Romæ prædicaret, a peregrinis variarum nationum & linguarum auditus eſt, ac ſi ſpeciali cujuſque lingua locutus eſſet. Taceo miraculum, quod ad confirmationem realitatis corporis Chriſti in Euchariſtia, fecit Toloſæ, cum mulus coram auguſtiſſimo Sacramento poplitem flexit. Et ne longius quam par eſt, mea protendatur oratio, innumera alia mitto miracula: ex allatis enim plus quam ſufficienter patebit, Antonium, non ſecus ac D. Paulum, habuiſſe ſui Apoſtolatus ſigna: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* 2. *Cor.* 12.

Magnum quidem Apoſtolatus Sancti Antonii ſignum extitere prodigia & miracula, quæ operatus eſt. Sed aliud adhuc ſui Apoſtolatus ſignum habuit; nempe uberem fructum prædicationum ſuarum, ſeu innumeras animarum converſiones, quæ prædicationibus ejus factæ ſunt. Verum eſt, multarum converſionum animarum non eſſe eſſentialiter & neceſſario Apoſtolatui annexam, cum ex Apoſtolis quidam paucos ad Chriſti fidem converterint, nec ideo Apoſtolorum nomen & meritum perdiderint. Cum tamen qui Evangelio laborant, labores ſuos efficaces eſſe vident; eos qui prædicationibus ſuis ad Chriſtum converſi ſunt, cum ingenti gaudio, veluti Apoſtolatus ſui ſigna inſpiciunt. Unde D. Paulus, quos ad fidem vocaverat, gaudium ſuum, & coronam ſuam appellat: *Gaudium meum, & corona mea*: *Ad Philippenſ.* 4. 1. eoſque Apoſtolatus ſui ſigna nuncupat: *Signaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* 1. *Corinth.* 9. Hoc autem ſignaculo notatus, & hoc charactere inſignitus fuit Sanctus Antonius, cujus labores Chriſto & Eccleſiæ utiliſſimi fuere; ipſe enim pauciſſimo tempore Galliam & Italiam peragravit, & ubique uberes prædicationum ſuarum fructus retulit. (O quot ille odia inexpiabilia, & implacabiles inimicitias ad pacem, & concordiam revocavit! quam multos, diuturna captivitate miſeros, libertati reſtituit! quot ille res, per uſuras & nefariam vim aliis ereptas, reſtituendas curavit! reddebantur pignora; remittebantur debita; compeſcebantur ſcorta a flagitioſo concubitu, fures & prædones retrahebantur a contrectatione rei alienæ: *Sedulius in vita S. Antonii*) & ut paucis multa complectar, hæretici multi, plures ſchiſmatici, & innumeri alii peccatores variis in locis prædicationibus S. Antonii, ad valedicendum peccatis, & ad Deo pie inſerviendum adducti ſunt. Et, quod mirum eſt, ita concionibus ejus movebantur, ac ad compunctionem alliciebantur auditores, ut ipſo in Italia concionante, viſæ ſint urbium plateæ pœnitentibus refertæ, qui palam flagellis corpora ſua cruentarent: (a qua ea laudabilis conſuetudo a tanto auctore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis: ita ut in omnibus Italiæ locis accuratiſſime hodieque obſervetur.) Ex quo patet, non ſolum magnos, ſed etiam perennes, & quaſi perpetuos eſſe fructus Apoſtolatus S. Antonii.

O magnum Apoſtolum, qui adhuc a ſummo cælo Apoſtolatus munere fungi videtur; eum enim audire videor, cuique noſtrum cum D. Paulo clamantem: *Æmulamini propheтare*; 1. *Cor.* 14. omnes optat characteris & miniſterii ſui eſſe participes. Non vult quidem, quod omnes publice prædicent, & quod quiſque varia luſtret regna, ut ibi Evangelicam doctrinam diſſeminet; ſed vult unumquemque ſui ipſius, ac etiam proximi alio modo Apoſtolum fieri: *Æmulamini prophetare.*

O peccator, qui tot annis in peccatis obdormiviſti, eſto tuus Apoſtolus, tibi ipſi prædica, & teipſum ad exſurgendum a peccato excita: *Exurge qui dormis.* O avare, qui uſuris & fraudibus aliena rapuiſti; o luxurioſe, qui fœdis concupiſcentiis carnem tuam toties conſpurcaſti; o homo peccator, qui toties contra Deum tuum peccaſti, dic tibi ipſi, & intus dic: cur contra Altiſſimum inſurrexiſti? cur contra Deum toties peccaſti? ſed cur, o miſer, in iniquitate tua adhuc immoraris? exurge a peccato tuo: *Exurge qui dormis.* Interroga teipſum, dic tibi ipſi: *Redde rationem villicationis tuæ*; & quaſi a Deo miſſus ſis ad tibi prædicandum, prædices, & ſuadeas tibi ipſi, ſi poſſis, luxuriæ, avaritiæ, ac omnium peccatorum fugam; prædica etiam tibi ipſi, humilitatis, patientiæ, & aliarum virtutum amorem; eſto tandem Apoſtolus tuus. Sed eſto etiam Apoſtolus reſpectu proximi; non enim ſolis Concionatoribus, ſed unicuique mandavit Deus

de

de proximo ſuo, & præcipue Magiſtratibus, Paſtoribus & parentibus, quibus incumbit ſubditorum ſuorum cura; eos monere & corripere debent, eos a peccati via avocare, & ad virtutis viam dirigere tenentur; exemplis & verbis evangelizare, ac reſpectu ſubditorum Apoſtoli quodammodo eſſe debent. Eſtote ergo Apoſtoli cum Sancto Antonio, qui fuit Apoſtolus cum Apoſtolis; *ac etiam Doctor cum Doctoribus*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Antonius fuit Doctor cum Doctoribus.

SAnctus Antonius, qui latere ambiebat, plerumque loca ſolitaria petebat, & cum inter Fratres verſabatur, vilioribus & abjectioribus quibuſque officiis incumbere ſolitus erat; quare ignarus & idiota a cunctis cenſebatur: donec modo quodam mirabili manifeſtata ejus ſcientia, a Seraphico Patre in Sacræ Theologiæ Lectorem nominatus eſt, primuſque creditur, qui in Ordine Minorum Theologiam docuit. Non immorabor in explicando quanta ejus in Theologia ſpeculativa fuerit peritia; nec dicam cum S. Bonaventura, Antonium habuiſſe ſcientiam Angelorum, Patriarcharum, Martyrum & Confeſſorum: ſed, ut ſcientiæ illius characterem inquiram, eum Doctorem eximium fuiſſe auſpicabor, ex hoc quod ſcripturarum, myſteriorum fidei, & morum ſcientiam in gradu perfectiſſimo habuerit. *S. Bern. ſer. 2. de S. Anton.*

Utiliſſimum eſt Sacræ Scripturæ ſtudium, ut enim ait S. Antoninus, (hic diſcunt feminæ pudicitiam, populi inveniunt pietatem, viduæ judicem, pauperes protectorem, advenæ cuſtodem. Hic inveniunt Reges quod audiant, judices quod timeant. Hæc triſtem conſolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, divitem, ut ſe cognoſcat, increpat. Omnibus ſe ſuſcipientibus apta medicamenta tribuit, nec peccatorem deſpicit, ſed per pœnitentiam remedium ei ingerit. *S. Anton. part. 4. tit. 33. c. 5.*) Ac non ſolum utilis, verum & ſublimis eſt Sacræ Scripturæ ſcientia, quæ, ut ait D. Auguſtinus, eſt *ſcientia ſcientiarum, ac omnium ſapientiarum & doctrinarum domina. S. Auguſtinus ſer. 38. ad Fratr. in Erem.* Sanctus autem Antonius, quamvis neſciri, & pro nihilo reputari ambiret, utilem hanc & ſublimem Sacræ Scripturæ ſcientiam perfecte callebat; divinum enim hunc librum, quam Biblia ſacra vocamus, continue volvebat; volumen illud ab ore & manibus ejus non recedebat, illud meditabatur die ac nocte, ac ita in SS. Scripturis doctus evaſit, ut a Summis Pontificibus vocatus ſit *arca teſtamenti & armarium ſanctuarium*. (Nec immerito illi tributum fuit a Pontifice, *Greg. IX. in Bulla canoniz.* ut *arca teſtamenti* diceretur: ita enim utriuſque teſtamenti paginas memoriæ plane affixas habebat, ut inſtar Eſdræ potuerit, ſi ſic res poſtulaſſet, omnes Scripturas divinas in integrum de ſua memoria, etiam codicibus omnibus prorſus abolitis, reſtituere. *VVading. ann. 1227. 15.* Teſtantur hoc, qui ejus quotidiano convictu, & familiari conſuetudine diu uſi fuere. Nec ei defuiſſet facultas, ſi res popoſciſſet, omnia ſcripta divina luculenter, & multiplici ratione exponendi interpretandique.) O virum in ſacra Scriptura vere doctiſſimum! De quo non dubitabit, qui libros ab ipſo compoſitos pervolutabit: tot enim Antonius in ſcriptis ſuis ſacræ Scripturæ enodat difficultates, tot abſtruſa explicat miniſteria, totque varios & novos ſacræ illius Doctrinæ ſenſus profert; ut extraordinariam, præcellentem ac mirabilem ſacræ Scripturæ ſcientiam ipſum habuiſſe fatendum ſit. *Sed habuit etiam ſcientiam myſteriorum.*

Doctor Catholicus fidei veritates & myſteria inprimis callere debet, ut fideles inſtruere, & hæreticos impugnare valeat: *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Ad Tit. 1. 9.* Hæretici ſeductores ſunt & fallaces, qui de fidei myſteriis diſputant, non ut ſciant, ſed ut decipiant: *Doloſa eſt doctrina hæreticorum, ſub nomine Dei blaſphema, ſub prætextu Religionis impia, ſub veritatis ſpecie fallax: S. Hil. in Pſ. 138.* illi autem, fallaci & caprioſa ſua ſcientia, Eccleſiam indeſinenter laceſſunt: *Hæreſis*, inquit Tertullianus, *L. de præſcr. c. 4. Eccleſiam laceſſit*. Quare Doctorum Eccleſiæ munus eſt, non ſolum fidei myſteria explicare; verum & fidem catholicam tueri, ac hæreticos qui eam impugnant, debellare; *Doctor*, inquit Auguſtinus, *Epiſt. ad Dul. cit. q. 4. debet eſſe defenſor fidei, & debellator erroris*. Hoc autem Doctoris officium præclare adimplevit Antonius, qui hæreticos non ſolum privatis ſcriptis inſectatus eſt, verum & pluries palam contra eos diſputavit, eorumque errores ita rationibus, auctoritatibus, miraculis, ac virtutum ſuarum exemplis confutavit; ut a Gregor. IX. ſummo Pontifice vocatus ſit, *Malleus hæreticorum*.

Omnes peccatores ad Deum convertere conabatur Antonius, ſed præcipuum ejus ſemper ſtudium, & conatus erat perpetuus, ut pernicioſiſſimas *vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, Cant. 2. 15.* nempe hæreticos peſtilentes, & falſas eorum doctrinas, pro viribus oppugnaret, funditus deſtrueret, ac radicitus extirparet. Adeo inſtructus erat efficacibus divinæ Scripturæ ſententiis, & ſolidis ac perſpicuis rationibus, ut qui nefanda eſſent hæreſi imbuti, coram illo conſiſtere, aut os aperire non auderent: *VVading. ann. 1225. 14.* ita ut ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promiſit Diſcipulis ſuis: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri. Luc. 21. 15.* Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes & verſutias, eorum conatus retardabat, nec facile quemquam ea tempeſtate uſpiam invenire licuiſſet, qui tam acriter & perpetuo illos inſectaretur, tamque continuam perſecutionis procellam illis excitaret. Unde factum eſt, ut paſſim ab omnibus; *indefeſſus hæreticorum Malleus* diceretur.) Fuit ergo S. Antonius Doctor egregius, qui myſteriorum fidei ſcientiam perfectiſſimam habuit. Sed & fuit Doctor optimus, *qui ſcientiam morum perfectiſſime calluit*.

Doctrina Moralis eſt omnium utiliſſima & ſacratiſſima, quia non in curioſis perſcrutandis immoratur, ſed docet declinare a malo & facere bonum: *Sacratiſſimam*, inquit S. Hilarius, *L. 4. in c. 3. de cæleſt. Hierarch. doctrinam habet, qui docet, quod ſapit, qui inſtruit, quod ſentit, qui docet non ſolum cognoſcere*

ſcere verum, ſed apprehendere bonum & amare juſtum. S. Antonius, qui in Theologia ſpeculativa, & aliis ſcientiis doctiſſimus fuit, moralem Theologiam in primis callui; de eo enim aſſerit Abbas Vercellenſis, *quod myſticam Theologiam ferventer deſideravit & abundanter habuit.* Quod patet ex ejus ſcriptis; in quibus omnia ad ſenſum moralem ac myſticum trahit, mirabileſque paſſim profert ſententias, quarum aliquas hic adducere non abs re erit. De invidis, qui aliorum felicitate torquentur, dicere ſolitus erat: *Quod magnam pœnam faceret Deus invido, ſi ipſum poneret in gloria Paradiſi, quia ibi totaliter excæcaretur a gloria proximi, & a luce beatitudinis ipſorum. Ser. Fer. 1. Dom. Paſſ.* De fructu, qui excipiendis pœnitentium confeſſionibus reportatur, ajebat: *quod prædicare eſt ſeminare, ſed confeſſiones audire eſt fructum metere: ſtultus eſt ergo qui ſeminat, & fructum colligere non curat. Ser. 4. de Apoſt.* Hæc verba Regii Prophetæ: *In veritate tua humiliaſti me, Ps. 113.* in ſenſu morali explicat de Chriſto, ad cujus humilitatem ſectandam omnes hortatur, dicens: *In veritate, id eſt, in Filio tui humiliato, egeno, peregrino humiliaſti me, egeno in præſepio pecoris, peregrino in patibulo Crucis, humiliato in utero Virginis. Nihil ſic humilias ſuperbum peccatorem, ſicut humilitas humanitatis Chriſti.* Omnia ejus ſcripta ſimilibus referta ſunt moralitatibus, qua inter prædicandum premere ſolebat, quibus ad contritionem, ad fletum, ad gemitum, ad peccatorum confeſſionem, & ad perfectam converſionem innumeros peccatores adducebat. Quare merito Doctor Seraphicus S. Antonii linguam benedictam vocavit: *O lingua benedicta;* benedicta enim fuit ejus lingua, quia Deum benedixit, ſed benedicta etiam fuit ob eminentem doctrinam tum ſcripturarum, tum myſteriorum Fidei, tum moralitatum, quas locuta eſt.

O utinam Doctorum omnium, ac etiam omnium hominum lingua huic eſſet ſimilis! Sed heu! multi ad malum & non ad bonum ſuis utuntur linguis. Multi linguis ſuis meditantur, non ſacram ſcripturam, ſed injuſtitiam: *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua. Pſ. 51.* Multi acuunt linguas ſuas, non ad feriendum hæreticos, ſed ad tollendam fratrum ſuorum famam, & ad denigrandos viros quoſque ſanctiſſimos: *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis. Pſal.* 139. Multi tandem utuntur lingua, non ad ſuos & aliorum mores recte formandos; ſed ad ſuſcitandas lites, ad miſcendas rixas, & ad omnia perturbanda: *Lingua tertia multos commovit, & diſperſit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Eccl.* 28.

O maledictæ linguæ, a quibus univerſa oritur iniquitas. *Lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis! Jac.* 3. o linguæ maledictæ, quibus ad iram Deus provocatur, & quibus innumeri ad interitum & ad damnationem adducuntur: *Multi ceciderunt in ore gladii, ſed non ſic quaſi interierunt per linguam ſuam. Eccl.* 28. Quare unuſquiſque linguam ſuam coercere & refrænare conetur; dicat unuſquiſque cum Propheta: *Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Pſ.* 38. Cuſtodite linguas veſtras ab omni malo, & eas ad benedicendum Deum, ac etiam ad verba ſcientiæ & ſalutis proferenda inſumite, inſtar S. Antonii, qui fuit Doctor cum Doctoribus; *& Propheta cum Prophetis.*

TERTIA PARS.

S. Antonii fuit Propheta cum Prophetis.

SIcut S. Joannis Baptiſtæ ſanctitatem famoſam & celebratiſſimam vocat S. Petrus Chryſologus: *Joannes Orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratiſſimus ſanctitate:* ita & Antonius fuit *celebratiſſimus ſanctitate: Chryſol. ſer.* 127. dum enim viveret, innumera quæ operabatur miracula, crebræ hominum peccatorum converſiones quæ ejus miniſterio fiebant, ejus comitas in converſatione, fervor illius in prædicatione, humilitas in inceſſu, patientia in adverſis, zelus gloriæ Dei, aliaque multa ſanctitatis ſigna quæ præferebat, eum ita commendabant, ac mirabilem efficiebant, ut uno omnium ore vir ſanctiſſimus diceretur. Sed ejus ſanctitas clarior fiebat ſpiritu prophetico, quo illuſtratus, abſtruſa multa, ſive præſentia, ſive futura, manifeſtavit. Ex quibus ut aliqua dicam, me legiſſe memini, quod cum in uſurarii cujuſdam exequiis Vir ſanctus concionaretur, auditoribus dixit, defuncti cor inter nummos in arca ejus degere: nonnulli ex defuncti amicis & parentibus arcam adierunt, in qua ejus erant nummi, in quorum medio cor ejus adhuc calidum invenerunt. Alia vice cum etiam populo prædicaret Vir ſanctus, dæmon curſoris ſpeciem præferens, ad nobilem quamdam Dominam, quæ concioni aderat, cum litteris venit; atque filium ejus ab hoſtibus captum & interfectum; ſpiritu autem prophetico ſatanæ verſutias agnoſcens Antonius coram omnibus dixit: nil timeas Domina: filius tuus & vivit & recte valet: curſor autem iſte, diabolus eſt. Ad quas voces imaginarius ille curſor evanuit. Cum eſſet Paduæ in Italia, ſpiritu prophetico novit quæ fiebant Ulyſſiponæ in Portugallia: ubi parens ejus homicidium aliquod perpetraſſe injuſte accuſabatur. Eodem ſpiritu illuſtratus Antonius mulieri cuidam prægnanti, filium, quem in utero portabat, Fratrem minorum futurum prædixit. Cum eſſet Guardianus Podienſis, ſeu Anicienſis in Gallia, quoties præteriret notarius quidam carni & mundo totaliter addictus, coram illo genu flectebat Vir ſanctus, ille autem exiſtimans hoc in ſui irriſionem fieri, exacerbatus, ab Antonio petiit, cur coram ipſo poplitem flecteret? Cui Antonius, hoc facio, quia revelavit mihi Deus præclarum te Martyrem fore, cujus prophetiæ veritatem probavit eventus. Cum enim hic notarius, ſimul cum Podienſi Epiſcopo, Jeroſolymam profectus eſſet, pro Chriſti fide decertans, a Saracenis occiſus eſt. Mortem ſuam prævidit, & alia multa prænuntiavit Vir ſanctus. Unde ſi Prophetæ a D. Auguſtino vocentur ora, per quæ Deus loquitur, *Prophetarum ora Dei ſunt os; Hom. 2. de verb. Iſ.* Antonius vere os fuit, quo Deus innumera prædixit. Nec mirum ſi ſpiritu prophetico polluerit Antonius, cum pluries ulnis ſuis ſuſcipere meruerit Puerum Jeſum, cui nota ſunt omnia, & a quo ut Doctore, futurorum notitiam percipere meruit.

O vi-

Digitized by Google

O virum mirabilem, qui prophetico ſpiritu plenus fuit, ſed quod mirabilius eſt, hic ſpiritus in eo, etiam poſt mortem, perſeveravit, nam ipſa ejus oſſa jam mortua prophetaverunt. De oſſibus Joſephi habetur in Sacra Scriptura, quod ipſo mortuo prophetaverint: *Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt. Eccli. 48.* De Eliſæi etiam cadavere dicitur, quod prophetaverit: *Mortuum prophetavit corpus ejus. Ibid.* Prophetaverunt Joſephi oſſa & Eliſæi cadaver, non futura prædicendo, ſed miracula operando; prophetare enim idem ſonat hic, ac miracula facere. Et hoc modo Antonii jam mortui oſſa prophetaverunt; corpus ejus magnus fuit Propheta, qui miracula multa patravit: ad contactum enim tumbæ ejus cæci viſum, ſurdi auditum, & claudi facultatem incedendi receperunt: ibi mutorum linguæ ſolutæ, curvi erecti, confracti conſolidati, membra mortua vivificata, & mortui ad vitam revocati. Unde ſi in laudem B. Cypriani dixerit S. Gregorius Nazianzenus, oſſa ejus eſſe *publicum Orbis bonum*; de oſſibus & reliquiis Sancti Antonii jure dicendum, quod fuerint *publicum Orbis bonum*, quia mortuum ejus corpus prophetavit, & innumera miracula in favorem multorum fecit.

Sed adhuc in toto Orbe prophetat Antonius, non ſolum quia miracula operatur, ſed etiam, quia ipſum invocantibus, ubi ſint res perditæ, manifeſtat; ut enim ait egregius Concionator Guillelmus Pepin. (habet S. Antonius privilegium a Domino circa res perditas, quæ ſæpe ſuis meritis recuperantur. Et hoc idem ego ipſe frequenter expertus ſum; ita ut merito de eo dicere poſſim, quod devotus Bernardus dicit in Laudem Dei Genitricis Mariæ: ſileat tuas laudes, o B. Antoni, qui te devote invocatum in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. *Pepin. ſer. de S. Anton.*)

Varie pingi ſolet S. Antonius; aliquando ſiniſtra librum tenens, quia, ut diximus, fuit *arca teſtamenti & ſacrarum Scripturarum.* Sæpe ſuper librum adpingitur puer, ut oſtendatur, virum ſanctum viſum eſſe nocte quadam puerum Jeſum amplectentem & oſculantem. In caſtitatis & pereximiæ puritatis teſtimonium alii eum lilia dextera geſtantem delineant. Sed alii ſuper librum piſcem adpingunt; cujus rei ratio eſt, quia aliquis mercator auro plenam crumenam, a piſce deglutitam, Sancti interceſſione, capto piſce invenit.

De ipſo etiam legitur, quod (cum apud Montem Peſſulanum Sacram profiteretur Theologiam, juvenis quidam in ſodalitium admiſſus, paulo poſt ad ſæculum rediens fugitive receſſit, ſurripiens Pſalterium egregia gloſſa illuſtratum, quo utebatur Vir ſanctus in expoſitione Pſalmorum ad Fratres. Ut ei conſtitit de furto, in oratione petiit a Domino reſtitui ſibi librum hunc valde neceſſarium. Exauditæ ſunt preces illius, nam occurrens dæmon fugitivo in quodam ponte, elevata magna ſecuri, minatus eſt ei mortem, niſi rediret, & redderet quæ abſtulit furto. *VVading. ann.* 1231. 14. Exhorruit ad terrum & terribile ſpectaculum; quare cum humilitate rediens, Pſalterium Viro ſancto, & ſeipſum reddidit Sodalitio.) Ex quibus patet, quod dum adhuc viveret S. Antonius, res perditæ eo intercedente inveniebantur: ſed ab ejus mortis tempore invocatur a fidelibus pro recuperandis rebus perditis, quæ ejus interceſſione inveniri ſolent: *Habet S. Antonius privilegium a Domino circa res perditas, quæ ſæpe ſuis meritis recuperantur.*

Quare pro inveniendis rebus perditis ad Antonium advolate, Antonium invocate. Multi, ut res perditas reperiant, ad divinos accurrunt, eoſque rogant ut divinent, quis eas abſtulerit, ubi ſint, & quomodo recuperari poſſint? At hos divinos conſulere Deus prohibet, dicens: *Nolite audire prophetas veſtros, & divinos, & ſomniatores. Jer. 27.* Hos prophetas & divinos ne audiatis, ſed S. Antonium invocate, hic eſt Propheta & divinus, ad quem confugere debetis, ut perditas res inveniatis; & præcipue ſi gratiam Dei per peccatum mortale amiſeritis. Maria vocatur *inventrix gratiæ; S. Bern. ſer. de Aſſumpt.* ſed S. Antonius eſt etiam gratiæ inventor, innumeri enim peccatores eam per ejus merita, & per ejus auxilium invenerunt; ſi pie eum invocaveritis, gratiam in hoc mundo, & gloriam in futuro invenietis. Amen.

DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

CONCIO PRIMA.

Quis, putas, Puer iſte erit? Luc. 1.

Sancti Joannis Baptiſtæ nativitas tot fuit referta prodigiis, ut quotquot tam portentoſum inſpicerent puerum, quaſi admiratione ſtupefacti, de mirabilibus quæ in eo illuceſcebant colloquentes, dicerent invicem: *Quis, putas, Puer iſte erit?* Seraph a ſublimibus deſcenderat ſedibus, ut futuram ejus prænuntiaret nativitatem, a Chriſto in ventre matris fuerat ſanctificatus; mulier ſterilis, & ætate provecta eum pepererat, & pater ejus Zacharias ipſius meritis loquelæ uſum, & prophetiæ donum impetrarat: quare tot quæ in hoc Præcurſore recens nato micabant prodigia, ita ſuſpenſos ſpectantium tenebant animos, ut quid de tam mirabili ſentiendum eſſet pueto ignorantes, ſeſe mutuo interrogarent, dicentes: *Quis, putas, Puer iſte erit?* Quod hi tunc tam ſollicite inquirebant, explicare mei nunc eſt inſtituti; & quis fuerit S. Joannes Baptiſta, ſive in nativitate, ſive in toto vitæ ſuæ decurſu, exponere jam mei eſt muneris. Unde quemlibet ex hic ſtantibus audire videor a me inquirentem, quis, & qualis fuerit ſanctiſſimus hic Chriſti Domini præcurſor: *Quis putas?* Ad tam arduam enodandam quæſtionem, conſulenda eſſent deſerta, in quibus auſteram peregit pœnitentiam; fluvius Jordanis, in quo Chriſtum baptizavit; Regum palatia, in quibus libere veritatem prædicavit, & carceres, in quibus glorioſum ſubiit martyrium. Aut, ut congruentius loquar, ad inveſtigandum quis fuerit S. Joannes Baptiſta, audiendi eſſent Prophetæ, Evangeliſtæ, Angeli, & Chriſtus, qui omnes in ejus elogia proruperunt, & illius ſe encomiaſtas exhibuerunt.

N. 4.

runt. Hi ſunt, a quorum dictis & ſententiis hujus panegyrici materiam elicere pertentabo, &c. *Ave.*

SAnctus Joannes Baptiſta illuſtribus multis in ſacra Scriptura inſignitur titulis; ſed adverto, quod in ea, modo quodam ſpeciali, vocetur Propheta, Pœnitens, & Magnus. Fuit Propheta: *Tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis. Luc.* 1. Fuit pœnitens: *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens.* Fuit magnus: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta. Matth.* 11. S. Joannes Baptiſta *per Dei gratiam*, qua replebatur, factus eſt Propheta maximus; *per Dei amorem*, quo ardebat, factus eſt pœnitens auſterus; & *per ingentia merita*, quibus affluebat, fuit homo magnus, & omnium hominum maximus: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta. Ib.* Quod S. Joannes fuerit Propheta, hoc habet commune cum Iſaia, Jeremia, & aliis Prophetis; quod fuerit pœnitens, hoc habet commune cum S. Paulo, Auguſtino, Magdalena, & aliis pœnitentibus; quod fuerit magnus, hoc habet commune cum Pompejo, Alexandro, & aliis multis viris illuſtribus. Quare, ut quid ſpeciale ad ſanctiſſimi hujus Præcurſoris gloriam proferam, dico, eum fuiſſe quidem Prophetam, pœnitentem, & magnum; ſed fuit: 1. *Propheta* ſine voce: 2. *Pœnitens* ſine crimine: 3. *Magnus* ſine vanitate. En tria puncta, quibus conſtabit, quis fuerit S. Joannes: *Quis putas, Puer iſte erit?*

PRIMA PARS.

Sanctus Joannes fuit Propheta ſine voce.

SI, ut ait Seneca, *Epiſt.* 102. *magnificum eſt a laudato, laudeque digno laudari*; maxima certe fuit gloria S. Joannis, qui non ſolum a Prophetis, & Evangeliſtis, ſed etiam ab ipſo mundi Redemptore multis præconiis exaltatus eſt. Eum coram turbis laudavit Chriſtus a conſtantia, dicens, Joannem non eſſe ſimilem arundini, quæ vento huc illuc agitatur: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Matth.* 11. Eum laudavit a pœnitentia, dicens, Joannem non eſſe virum mollem & delicatum, qui pretioſis, & mollibus veſtibus induatur: *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Sed tandem illum ſpecialiter laudavit a ſpiritu prophetico, eum Prophetam, & plus quam Prophetam eſſe aſſerens: *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.*

Propheta fuit S. Joannes, quem Prophetam vocandum eſſe prædixit Zacharias pater ejus: *Tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis.* Propheta fuit, qui prophetiæ donum in utero accepit, & qui Chriſti in carne œconomiam clarius, plenius & perfectius quam aliquis Prophetarum, cognovit. Sed fuit etiam Propheta, & plus quam omnes alii Prophetæ, qui eum anteceſſerant: quia illi Chriſtum futurum prædixerunt, Joannes vero illum præſentem monſtravit: *Alii Prophetæ de Chriſto tantum prædixerunt; Joannes etiam vidit & monſtravit. Theoph. in c. 7. Luc.* O Prophetam vere mirabilem! Sed unum in eo ſpeciali attentione, & admiratione mihi dignum videtur, nempe quod fuerit Propheta *ſine voce, quia abſque ullo verborum ſtrepitu prophetavit.*

Alii Prophetæ ſua loquendo manifeſtarunt vaticinia: Joannes vero tacendo. Alii multos & ænigmaticos intexerunt ſermones, ut ſuas aperirent Prophetias; Joannes autem ſine ullo diſcurſu & ſermone prophetavit. Alii figurativis multis uſi ſunt verbis, ut Chriſtum futurum prædicerent; ſed S. Joannes aliis Prophetis longe anteceſſit, quia ſine voce & verbo Chriſtum præſentem oſtendit. Alii Prophetæ, Chriſtum venturum annuntiabant: veniet, inquiebant, deſideratus gentibus; veniet & non tardabit: veniet & ſalvabit nos; aſt S. Joannes non Chriſtum venturum prænuntiavit, ſed ſpiritu prophetico plenus, abſque ullo ſermone, eum indigitavit, eumque digito præſentem eſſe monſtravit: *Propterea*, inquit Sanctus Hieronymus, *Joannes Prophetis omnibus major dicitur, quia quem cæteri prophetaverunt, ipſe digito demonſtravit. In c. 3. Ep. ad Epheſ.*

Ante & poſt nativitatem prophetavit Joannes, ſed ſemper ſine voce & ſermone. Prophetavit Joannes antequam naſceretur, cum ſcilicet Dei Genitrix Virgo Eliſabetham inviſit; tunc enim Joannes, in utero matris exiſtens, exultavit: *Exultavit infans in utero ejus: Luc.* 2. hæc autem exultatio, & ſacer ille Joannis nondum nati motus, fuit quædam prophetia; quia hoc motu, ut ait Chryſoſtomus, Chriſtum eſſe præſentem indicavit & prophetavit: *Exultans*, inquit, *puer prophetavit, non voce, ſed motu. Hom.* 27. *Imperf.* Chryſoſtomo aſſentitur Auguſtinus, dicens, quod Sanctus Joannes in utero matris adhuc exiſtens, Chriſtum præſentem eſſe manifeſtaverit & prophetaverit, non verbis quidem, ſed gaudiis & exultationibus: *Nondum natus jam prophetat, & quod voce non poterat, gaudiis confitetur.* O mirabilem Prophetam, qui in matris ventre exiſtens, non verbo, ſed motu & exultatione prophetat! ſed Sanctus Joannes poſt nativitatem mirabiliter etiam prophetavit, plus digito quam verbo: quia verbis ſuis Chriſtum eſſe venturum non prædixit, ſed digito eum præſentem oſtendit: *Quem cæteri prophetaverunt, ipſe digito monſtravit.* Unde Rupertus Abbas, Joannem fuiſſe Prophetam taciturnum, ait; quia non verbo, ſed digito Chriſtum patefecit; *Joannes non proferebat propheticum ſermonem, ſed digito monſtrabat verum Solem.*

Tria prophetarum genera agnoſcunt Theologi, *Primi*, futura prædicunt, & vaticinantur, ut Iſaias, Jeremias, & alii multi. *Secundi*, ſpiritu prophetico illuſtrati, præterita norunt & enarrant, & ſic Moyſes, de his quæ a mundi primordio facta ſunt, prophetice locutus eſt. *Tertii*, res præſentes quæ latebant, manifeſtant, & ſic Eliſæus novit Simoniam Giezi. Hujus autem ultimi generis Prophetarum fuit Joannes; quia Chriſtum, qui præſens aderat, Meſſiam eſſe, & corporis ſui motu, & digito deſignavit, *Non proferebat propheticum ſermonem, ſed digito monſtrabat verum Solem.*

Tanta erat S. Joannis Baptiſtæ fama, ut Judæi exploraturi an eſſet Meſſias, ad ipſum Sacerdotes & Levitas miſerint; qui autem ad hoc miniſterium fuere delegati, ab eo petierunt, quis ipſe eſſet.

Tu quis es? reſpondit Joannes, *Non ſum ego Chriſtus. Matth.* 11. Sed, o Joannes, inquiunt, ſi tu non es Chriſtus, forte tu es Elias, *Elias es tu?* reſpondit Joannes, ſe non eſſe Eliam, *Non ſum*. Urgent iterum hi nuntii, dicentes, o Joannes, ſi tu nos ſis Chriſtus, nec Elias, ſaltem tu es Propheta, *Propheta es tu?* reſpondet, ſe non eſſe Prophetam. *Nonſum*. O præcurſor ſanctiſſime, cur te eſſe Prophetam negas, cum revera ſis *Propheta Altiſſimi!* Velim te non eſſe Meſſiam, nec Eliam; ſed ſaltem Prophetam te eſſe fateris, *Nonſum*, inquit, Et revera Joannes non eſt Propheta, ſeu non eſt de hoc genere Prophetarum, qui multis & obſcuris ſermonibus futura prænuntiant; ſed eſt Propheta maximus, & feliciſſimus, qui Chriſtum præſentem & gratulabundo corporis motu, & digito indicare meruit, *Non proferebat propheticum ſermonem, ſed digito monſtravit verum Solem. Chryſol. ſerm.* 127.

Miror, quod ſanctus Petrus Chryſologus Joannem vocat *ſilentium Prophetarum*: cur, quæſo, eum hoc vocitat nomine? Forte quia ipſo naſcente, omnes alii Prophetæ mortui ſunt? Nequaquam, ejus enim nativitati ſuperſtes fuit Zacharias, qui ejus pater erat & Propheta. Cur ergo eum *ſilentium Prophetarum* appellat? Forte quia ipſo nato muti facti ſunt omnes alii Prophetæ, ita quod nullus ultra prophetaverit? Nequaquam, ipſo enim nato, prophetavit Zacharias. Cur ergo *ſilentium Prophetarum* vocatur? Ratio eſt, quia inter Propheras ipſe unus eſt, qui ſilens prophetavit, pluſque ille ſilentio, & ſine voce propheravit, quam alii verboſis ſuis vaticinationibus. Unde pingi poſſet Sanctus Joannes modo quo in urbe Padua pictus videtur Titus Livius, digitum ſcilicet labiis habens oppoſitum, ut hac effigie indicaretur, Joannem fuiſſe Prophetam taciturnum, qui tacens, nulloque effuſo ſermone prophetavit; ſed identidem pingi deberet alterius manus digito Chriſtum Salvatorem monſtrans; ut per hoc manifeſtaretur, Joannem ſine voce, Chriſtum eſſe præſentem, ſpiritu prophetico declaraſſe, *Non proferebat propheticum ſermonem, ſed digito monſtrabat verum Solem*.

O mirabilem Prophetam! quem quidem imitari nequimus; penes nos tamen eſt noſtro modo prophetare. Non omnibus datum eſt prophetiæ donum, nec omnes Prophetæ eſſe poſſunt, *Numquid omnes Prophetæ? 1. Cor.* 12. omnibus tamen datum eſt prophetare, ſeu Deum laudare. Prophetia in ſacra Scriptura nonnunquam ſumitur pro divinarum laudum modulatione; & ideo de Apoſtolis, divinas laudes decantaturis, dicitur, *Prophetabunt, Joel.* 2. ſeu laudes Dei cantabunt *filii veſtri*; & Divus Paulus mulieres divinis laudibus operam dantes prophetare ait: *Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite*: 1. *Cor.* 11. hoc etiam modo prophetabant filii Aſſaph, & Heman, de quibus dicitur, quod *prophetarent in cytharis, & pſalteriis, & cymbalis. 1. Paral.* 25. Ecce modum quo prophetare poſſumus, & debemus. O Chriſtiane, Deum vocibus tuis, ac operibus tuis lauda, & Deo gratiſſimus Propheta eris. Mirabantur qui Saulem prophetantem videbant: unde exivit proverbium: *Num & Saul inter Prophetas? 1. Reg.* 19. 24. O peccator, licet Saule ſis pejor, prophetiza modo quo potes, Deum ora, Deum lauda, Deum invoca; eſto Propheta cum S. Joanne Baptiſta, qui fuit Propheta ſine voce; *& pœnitens ſine crimine*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Joannes fuit pœnitens ſine crimine.

SAnctus Joannes Baptiſta vivere, & duræ pœnitentiæ exercitiis incumbere ſimul incœpit; vixque in incunabulis vagire deſierat, cum in deſertum ſeceſſit, ut ibi teneros artus omni mortificationum generi addiceret, & conſecraret. Plerique hominum, aut nunquam, aut tarde nimis de ſceleribus ſuis per pœnitentiam expiandis cogitant; antequam ſe pœnitentiæ jugo ſubdant, mundi & Babylonis deliciis inebriari volunt; ſed Sanctus Joannes mundo vale dixit, antequam de ejus militia aliquid deliberarit; & vix incedere noverat, cum in ſolitudinem, ad faciendos pœnitentiæ fructus, aufugit, & ſeceſſit. Tantaque ejus ibi extitit pœnitentia, ut eum Eremitarum Principem vocet S. Hieronymus: *Anachoritarum Princeps Joannes Baptiſta. Epiſt. ad Euſtoch.* Ita auſtera ejus fuit pœnitentia, ut ejus vitam continuum jejunium fuiſſe dicat S. Baſilius: *Joannis vita quid aliud erat, quam unicum & perpetuum jejunium? Conc. 1. de jejun.* Et Sanctus Petrus Damiani, Joannis vitam, ob portentoſam quam peregit pœnitentiam, continuam martyrium appellat: *Teneros artus continui quaſſat longitudo martyrii. Serm. de S. Joann. Bapt.*

Nec immerito a Sanctis Patribus ita ſuperexaltatur Joannis pœnitentia, cum ita dura & auſtera fuerit, ut vix explicari valeat. Quid enim durius, quam quod adoleſcens, Angelico promiſſus oraculo, conceptus miraculo, & ſanctificatus in utero, in horrida habitet ſolitudine; ibique ad ſopiendam famem locuſtas ſolum, & mel ſilveſtre comedat, ad extinguendam ſitim, aquam dumtaxat frigidam hauriat, & ad operiendam carnem unico tantum cilicio ex aſperis camelorum pilis contexto utatur? Duram hanc Joannis pœnitentiam præclaris verbis delineat Sanctus Petrus Damiani, dicens: (receſſus montium, ſylvarum anfractus, & vallium ſubterjacens vaſtitas, Puero Patriarchæ domicilia præbuerunt. Rigida veſtis, & duriſſimis hiſpiditatibus circumtexta, rigore ſqualliſero corpus afficit Patriarchæ, carnemque teneritimam immatura diſtrictio diſciplinæ feritate coarctat. Cibus autem ejus qualis erat? non quæruntur phaſiani, ſeu aliæ aves, nec per totam diſcurritur regionem, ut patriarchalis ſtomachus impleatur; ſed erat eſca ejus locuſta & mel ſilveſtre. Cæli rore paſcitur, & animalis viliſſimi ſatiatur edulio, nihilque coctum accipit jejunantis auſteritas. Caſtigato quippe ventri, & diuturna maceratione diſtento, ignota fuit varietas ferculorum, nec introivit in os ejus, quod gulam alliceret, ſufficeret ventri, ſtomacho blandiretur). O hominem vere pœnitentem! Sed o Joannes, dicito nobis, cur tam acerbam ſuſcipias pœnitentiam? cur cilicio corpus tuum crucies? & cur illud jejuniis, ac inedia opprimas? Quæ, quæſo, homicidia, quæ ſacrilegia ſic punis in temetipſo? Propter quæ crimina tam rigide

per

per pœnitentiam corpus tuum torquere & vexare non deſinis? Non quidem ob perpetrata ſcelera carni ſuæ duriſſimum indixit bellum Joannes; ſed in ſemetipſo arduam pœnitentiam ſimul cum admirabili innocentia conjunxit, fuit pœnitens ſine crimine; ſeu, ut loquitur Sanctus Petrus Chryſologus, Joannes fuit pœnitens *ab omni vitio defæcatus*. *Serm.* 88.

Pœnitentia, ut perpetrata deleantur ſcelera, videtur ſolummodo inſtituta; nihilominus eam toto affectu amplexatus eſt Joannes, licet in nullum aliquando peccatum ceciderit: unde a Sancto Bernardo vocatur homo, qui novum pœnitentiæ genus ſuſcepit: *Novum*, inquit, *in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem*. Antequam in hunc mundum veniret Joannes, Adamus, David, & alii multi pœnitentiæ operibus ſeſe addixerant; ſed ante pœnitentiam peccaverant, eorumque pœnitentia jam commiſſa ſupponebat peccata, ad quæ expianda inſumebatur; at Sanctus Joannes eſt novus homo, qui ad novum pœnitentiæ ſe accingit genus: licet enim nunquam peccaverit, gravem tamen & auſteram pœnitentiam amplectitur. Unde ejus inſtituta eſt pœnitentia, non ut præterita deleat peccata, ſed vel ut a futuris caveat, vel ut ad altiores perfectionis gradus aſcendat. Ejus pœnitentia fuit ſacrificium laudis, vel majoris perfectionis, non autem fuit ſacrificium expiationis: quia nullo unquam ſe fœdaverat ſcelere, & erat *ab omni vitio defæcatus*.

Pœnitentia, ſi auſtera ſit, & in omnibus numeris completa, totum hominem purificat, & ad Angelicam elevat puritatem: unde Tertullianus carnem pœnitentiæ operibus afflictam & mortificatam, angeliſicatam vocat: *Angeliſicata caro*. Et hanc angeliſicationem, ſi ſic loqui fas eſt, in Joanne operabatur pœnitentia; cum, jam purum, magis & magis purificabat; ac per novam quam illi ſemper conferebat puritatem, eum quaſi angeliſicabat; ſed in eo nulla delebat peccata, cum a matris utero ſumma cum innocentia vixerit; nec aliquod, ſive mortale, ſive veniale peccatum perpetrarit. Non mortale quidem, ut omnes penitus docent Auctores, dicentes, Joannem in utero fuiſſe ſanctificatum, & numquam acceptam in ventre matris ſanctitatem per aliquod mortale peccatum perdidiſſe: *Joannes ſanctitatem in utero accepit, quam numquam amiſit*. *Guerric. Abbas*. Sed nec etiam aliquod veniale peccatum commiſit Joannes, ſi credamus Toſtato aſſerenti, quod communi hominum judicio Joannes nec in unicum veniale inciderit peccatum: *Creditur communiter, quod neque venialiter peccaverit*. *Abulenſ. in Matth.* 14. q. 40. Et piæ huic opinioni favet Eccleſia, dicens, Joannem a teneris annis deſerta petiiſſe, ut leviſſimum etiam, & minimum quodque peccatum vitaret: *Ne levi quidem maculare vitam flamine poſſes*.

Quare miremini novum hunc pœnitentem, qui duræ & diræ ſe ſubdidit pœnitentiæ jugo, licet omni prorſus peccato eſſet immunis: *Novum in novo homine mirare pœnitentiæ fervorem*. Non mirum videtur, quod qui in gravia incidit peccata, ad duram, & auſteram ſe conſtringat pœnitentiam: quia per pœnitentiæ opera Deum placare, & injuriam illi irrogatam reparare neceſſario tenetur. Non mirum eſt, quod David, Paulus, Magdalena, & alii peccatores arduam ſuſcipiant pœnitentiam; quia neceſſario debent, *aut ardere, aut pœnitere*. *S. Auguſt.* Sed o rem mirabilem! Joannes Chriſti Præcurſor, Joannes in matris utero ſanctificatus, Joannes innoxius, qui nullo unquam ſe coinquinavit peccato, diræ, & acerbæ adhæret pœnitentiæ, & eſt pœnitens ſine crimine. O rem omnibus ſæculis admirandam!

Contemplemur N. N. mirabile illud pœnitentiæ exemplar, quod nobis hodie proponitur, & identidem ad rigidam ejus exemplo nos accingamus pœnitentiam: *Aſcendamus ad pœnitentiam, Fratres, interrogemus conſcientias noſtras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis*. *S. Chryſoſt. ſerm.* 162. Heu! inquiebat Doctor Seraphicus, ſi Joannes, qui ex utero fuit ſanctus, qui, ut dicitur, actualiter numquam peccavit, tam aſperam pœnitentiam faciebat; quid facere debent peccatores impii, peccatis omnibus pleni? *Serm.* 1. *de S. Joann. Bapt.* Heu! ajebat, Sanctus Antonius Paduanus, (ſi B. Joannes prænuntiatus ab Angelo, ſanctificatus in utero, laudatus a Domino, inter natos mulierum major, tanta fuit uſus auſteritate; quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi a Domino, *Serm. Dom.* 2. *Advent.* niſi miſericordia affuerit quid debemus facere? quanta afflictione, quanta auſteritate nos affligere?) Sed, heu! quis audiat, Joannem innocentiſſimum, & omnium hominum majorem, ſe totum pœnitentiæ dediſſe, quin ad pœnitentiæ operibus vacandum protinus accendatur? Heu Joannes omnis expers criminis auſteram libere ſectatur pœnitentiam; & vos, peccatores peſſimi, qui omni peccatorum genere affluitis, a pœnitentia abhorrebitis? Audite Joannem adhuc clamantem: *Pœnitentiam agite*. *Matth.* 3. Quaſi diceret, o vos peccatores libidinoſi, ebrioſi, blaſphemii, impii, & omnes qui in grave aliquod incidiſtis peccatum, ne in ſtatu peccati permaneatis, nec in malitia veſtra perſeveretis, ſed *Pœnitentiam agite*. Attendite, me licet innocentem, pœnitentiam egiſſe; quanto magis vos, o peccatores, pœnitentiæ vacare debetis, ut a Deo veniam impetrare & miſericordiam obtinere valeatis?

O peccatores, ſi tanta, quanta Joannis, veſtra eſſet innocentia, gravia pœnitentiæ onera vobis proponere & imponere minime auderem; ſed cum Joannes innocentiſſimus pœnitentiam egerit; cur & vos, qui peccatis multis inquinati eſtis, pœnitentiæ non adhærebitis, ut Deum adverſum vos iratum placare & æterna tartari ſupplicia vitare poſſitis? certe ſi recte ſapitis, pœnitentiam facietis: *Pœnitentiam agite*. Heu! quid in tremendo judicii die reſpondebit unuſquiſque veſtrum, cum illi Joannem proponet Chriſtus, dicens: Ecce Joannem præcurſorem meum; qui licet Angelica præditus eſſet innocentia, auſteram tamen egit pœnitentiam. Quare ergo & tu peccator, ſaltem neceſſariam ad tua delenda crimina pœnitentiam non es amplexatus? Non a viro tam innocuo, ſed a te peccatore exi-

gen-

gendum & expectandum erat pœnitentiæ ſacrificium. Cur ergo impœnitens uſque ad mortem in tua malitia perſeveraſti? O peccatores, a terribilibus Dei judiciis timete, ejus iram pertimeſcite, & ut eum vobis propitium efficiatis, *Pænitentiam agite* cum ſancto Joanne, qui fuit pœnitens ſine crimine: *Et qui fuit magnus ſine vanitate:*

TERTIA PARS.

Sanctus Joannes fuit magnus ſine vanitate.

NON eſt novum, quod Joannes dicatur *magnus*: a multis enim ſæculis *magnus* dictus eſt, & in æternum *magnus* vocabitur. Sed ut altiores & eminentiores celſitudinis, ac magnitudinis ejus ideas dare valeam, quid de illo populi, ſancti Patres, Angeli, & Chriſtus ſenſerint, breviter proponam.

Tanti apud populum fiebat Joannes, ut non ſolum tamquam Propheta honoraretur, verum & Angelus quidam incarnatus, immo & Meſſias a Deo miſſus eſſe crederetur: Joannes victu, veſtitu, & habitatione parvus & contemptibilis videbatur; tantam tamen in populorum corda de illo Deus injecerat æſtimationem, ut communiter Meſſias eſſe putaretur: *Tanta in Joanne excellentia erat, ut ipſe putatus ſit Chriſtus. Aug. ſerm. 2. de S. Joann. Bapt.*

Sed quid SS. Patres de S. Joannis magnitudine ſenſerint, audiamus. Eum ita ſublimat S. Chryſoſtomus, ut dicere non dubitet, nullum hominem Joanne majorem e quavis muliere fuiſſe genitum: *Non peperit mulier Joanne majorem, hom. 38. in Matth.* S. Ambroſius, Joannem Prophetas, Patriarchas, & omnes penitus homines præiſſe, & magnitudine anteceſſiſſe aſſerit: *Præcellit cunctis, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas: quiſquis ex muliere eſt, inferior Joanne eſt. Ambr. ſerm. 94.* S. Bernardus ait, quod exceptis Chriſto & Maria, Joannes omnibus ſit hominibus major; quodque tanta Chriſti, Mariæ & Joannis ſit magnitudo, ut nullus alius ei ſit æqualis: *Tria fecit Deus ſine ſecundo, Chriſtum, Mariam, & Joannem.* Multa de S. Præcurſore elogia contexuit Auguſtinus: ſed ejus tunc magis expreſſiſſe videtur magnitudinem, cum dixit: *quod quiſquis Joanne plus eſt, non tantum homo, ſed Deus eſt. Serm. 4. de S. Jo:* Nihil medium inter Deum, & Joannem ſtatuit Auguſtinus, quaſi unicus Joanni deſit gradus ad hoc ut Deus fiat.

A SS. Patribus ad Angelos tranſeamus, ut quæ eorum de Joanne fuerit ſententia, inquiramus. A S. Gabriele, qui a Deo ad prænuntiandam ejus conceptionem fuit miſſus, petamus, quis ejus de Joanne ſit ſenſus? *Erit magnus*, inquit. *Luc.* 1. Quaſi diceret: vultis, paucis dicam, quid erit Joannes? *Erit magnus* in omni genere magnitudinis: *Erit magnus* in natura, magnus in perſona, magnus in gratia: *Erit magnus* in officio, magnus in merito, magnus in omnium virtutum exercitio: *Erit magnus* in dignitate & poteſtate, magnus in prædicatione & paſſione; magnus tandem omni modo, quo purus homo magnus eſſe poteſt.

Sed quid de Joanne Chriſtus? quid de diſcipulo magiſter? certe pauciſſimis verbis hic totum Joannis perfecit panegyricum, dicens: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta. Matth.* 11. Videte Patriarchas omnes & Prophetas, inquirite inter Apoſtolos & Evangeliſtas, omnium Martyrum, Doctorum & Virginum ordines luſtrate; ſcrutamini tandem quidquid in humana natura apparuit ſublimius, nullumque purum hominem Joanne majorem invenietis: *Non ſurrexit major.*

Anne aliquid divino huic teſtimonio adjiciemus, ut Joannis explanemus magnitudinem? Videtur equidem, quod altius extolli nequeat, quam cum omni homine major dicitur. At Cancellarius Pariſienſis, cum nonnullis aliis Auctoribus, Joannem non omnes ſolum homines, ſed etiam omnes Angelos præire arbitratur, dicens quod in cælo ſolium pro Lucifero præparatum occupet; quodque licet natura omnibus fuerit Angelis inferior, ſuis tamen meritis ita fuit exaltatus, ut in cælo immediate poſt Chriſtum, & Mariam in throno Luciferi ſedeat: *Videtur Baptiſta primus poſt Mariam poſitus in ordine Seraphinorum loco Luciferi. Gerſon. tract. 4. in Cant. Dei.* Unde non ſolum dicendum cum Sancto Auguſtino, quod Joannes fuerit *major homine, par Angelis: Serm. 12. de Sanct.* ſed etiam quod omnibus hominibus, & Angelis aliquo modo major extiterit. O hominem vere magnum! & quod adhuc mirabilius eſt; Joannes fuit *magnus ſine vanitate.*

Joannes eſt ſimul magnus & parvus; eſt in aliorum æſtimatione magnus, & in ſua parvus; ſi Chriſtus, & alii conſulantur, Joanne *non ſurrexit major*: ſed ſi ipſe conſulatur, nullus homo ipſo minor apparuit; quantoque in aliorum oculis fuit major, tanto in ſuis minor extitit: *Vidi Joannem tanto humiliorem, quanto majorem. Auguſtin. Serm. 33. de Sanct.* Nulla in eo erat vanitas, ſed ſumma ei inerat humilitas: ut enim ait Doctor Seraphicus, Sanct. Joannes fuit *humilis in ſummo. Serm. de Sanct. Joann.* Sicut Deum dicimus eſſe ſumme bonum, quia nulla ei ineſt malitia; ita & S. Joannes dicitur ſumme humilis, ſeu *humilis in ſummo*, quia ab omni penitus vanitate fuit alienus.

Spiritus ſuperbiæ omnibus in dignitate conſtitutis, & ad ſublimia elevatis inſidias parat; ut inde raro in uno & eodem homine ſimul reperiantur ſublimitas, & humilitas: At in hoc potiſſimum mirabilis extitit ſanctus Joannes Baptiſta: quia licet a cunctis omnium hominum maximus cenſeretur, nullus tamen in eo apparuit vanitatis ſpiritus, ſed in illo ſumma ſemper eluxit humilitas; *Fuit humilis in ſummo.* Unde de illo dixit Auguſtinus, nil unquam eo humilius extitiſſe: *Nihil eſt humilius iſto præcone. tract. 4. in Joann.*

Magna Joannis humilitas apparuit in victu, veſtitu, inceſſu, habitatione, & converſatione; ſed eluxit præcipue in verbis quæ protulit, cum ſe indignum declaravit, corrigiam calceamentorum Chriſti ſolvere: *Cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere. Joann.* 1. Inter natos mulierum maximus erat Joannes, tantaque ejus erat apud homines fama, ut Meſſias putaretur.

Sed

Sed tanta Joannis extitit humilitas, ut calceamenti ejus corrigiam ſolvere ſe indignum conſeſſus ſit: *Cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere.* O magnam Joannis humilitatem! Certe *nihil eſt humilius iſto præcone.*

Datur tamen quid ultra in Joannis humilitate: quia ſeipſum ita humiliavit, ut vocem ſe ſolummodo eſſe dixerit: *Ego vox.* Cum enim ab illo petierunt Judæi, quis ille eſſet: *Tu quis es?* reſpondere potuiſſet, ſe eſſe Prophetam, plus quam Prophetam, Chriſti Præcurſorem, Anachoritarum Principem, lucernam lucentem, & ardentem, necnon omnium, uno duntaxat Chriſto excepto, maximum. Reſpondere etiam potuiſſet, quod eſſet *alipes orbis terrarum, ſolis ſtella, per ſe auditor Patris, Baptiſta Filii, ſpectator Spiritus ſancti, ſequeſter gratiæ, corona propheticæ, præcurſor veritatis, virginitatis ornator, caſtitatis legiſlator, improborum frænum, dux eorum qui probe vitam agunt. Andr. Cret. Orat. de decoll. S. Præc.* At Joannes, tacitis his, & aliis multis, reſpondit humiliter, quod eſſet vox: *Ego vox.* Quid eſt vox, niſi quidam oris ſonus? quid eſt vox, niſi aer certo quodam modo percuſſus? vox eſt entium fere infimum, & quaſi nihilum: *Quid eſt vox, niſi ſonus oris? & ſicut Grammatici tradunt, aer offenſus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum neſcio quid, & inane, & incorporale. Tert. l. adv. Prax. 7.* Ecce qualem ſe credit Joannes, nil aliud ſe dicit, quam vocem, ſeu ſonum quemdam tranſeuntem, & quaſi nihilum: O qualem humilitatem! & quid Joanne humilius eſſe poteſt? nil quidem *eſt humilius iſto præcone.*

Miremur profundam ſanctiſſimi Præcurſoris humilitatem, qui, quo major erat, eo ſe minorem profitebatur. Nos miſeri, & infirmi, ſummo ſæpe affectu ſublimari, & honorari ambimus; Joannes autem qui omnibus aliis hominibus erat major, deprimi, deſpici, & pro nihilo haberi peroptat. O N.N. ſi coram Deo magni effici cupimus, humilitatem toto corde ſectemur: *Amplectamur humilitatem, ſi ſublimes fieri deſideramus. Chryſ. hom. 66. in Matth.* Joannes magnus factus eſt per humilitatem, cui firmiter adhæſit, vultque Deus ſimiliter, ut quicumque in cælum ſublimari optant, in terra deſpectas humilitatis ſemitas teneant, eoque ad ſublimiores thronos in cælo exaltabuntur, quo humiliores in hoc mundo fuerint. Unde ſi quis in terris Joanne eſſet humilior, illo in cælis eſſet major, & elevatior: *Qui minor eſt in regno cælorum, major eſt illo:* Quare *amplectamur humilitatem, ſi ſublimes eſſe deſideramus.*

Sanctus ille Chriſti præcurſor fuit *Propheta ſine voce*, miremur pereximium illud donum a Deo Optimo Maximo illi impertitum. Fuit *Pœnitens ſine crimine*; nos autem ſaltem noſtrorum pœniteat criminum. Fuit tandem *Magnus ſine vanitate*; fugiamus & nos contagioſam vanitatis, & ſuperbiæ auram, humilitatemque ſectemur, ut gratiam, & gloriam conſequi mereamur. *Amen.*

DE SANCTO
JOANNE BAPTISTA:
CONCIO SECUNDA.

Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Joann. 1.

HOdie N. N. dies illuxit inſignis, tanto ceteris diebus ſanctior, quanto ſanctiorem Hominem terris effudit. In hac ſiquidem die natus eſt ille *Homo miſſus a Deo*, qui fuit Sanctorum ſplendor, Juſtorum gloria, lætitia Angelorum, Redemptoris Præcurſor, & Baptiſta Chriſti. Hodie natus eſt ille homo a Deo miſſus, qui fuit miles ſuperni Regis, præco Judicis, vox clamantis in deſerto, prædicator pœnitentiæ, amator caſtimoniæ, perſecutor luxuriæ, & innocentiæ defenſor. Natus eſt ille homo ex ſterili utero, parentibuſque ætate provectis: virtute tamen, Sacerdotalique ſanguine illuſtribus. Natus eſt, ejuſque nativitas univerſo pene terrarum orbi lætitiam intulit: *Multi in nativitate ejus gaudebunt. Luc.* 1. Eo nato muti parentis lingua ſolvitur, mirantur conſanguinei, & quotquot tam ſpecioſum, tam mirabilem, tamque portentoſum contemplantur infantem, attoniti, & ſtupefacti, ſeſe mutuo interrogant, dicentes: *Quis, putas, Puer iſte erit?* Ut huic quæſtioni ſatisfiat, poſſent conſuli Prophetæ, Angeli, & ipſe Chriſtus; ſed ut huic reſpondeam, dicam ſolummodo quod Joannes fuerit homo: *Fuit homo*; ſed fuit homo, & aliis hominibus major, Angelis par, & Chriſto ſimilis, ut videbimus, &c. *Ave.*

NOnnulli, variis in temporibus, mundo illuxere ſancti Viri, quorum ita pura, ita ſancta, ac ita a terreno quovis inquinamento defæcata fuit vita, ut an Angeli humana carne induti, vel homines Angelico ſpiritu animati extiterint, aliquis eſſet dubitandi locus; ſed Sanctus Joannes Baptiſta, officio, virtutibus, & meritis ita alios omnes Sanctos anteivit, ut non ſolum an Angelus, ſed etiam an Deus, ſeu Chriſtus fuerit, aliqui dubitarint. Eum Evangeliſtæ hominem vocant: *Fuit homo miſſus a Deo.* Illum Prophetæ Angelum appellant: *Ecce ego mitto Angelum meum. Malach.* 70. Eumque Sacerdotes, Levitæ, ac populi Deum, ſeu Meſſiam a Deo ad humani generis ſalutem miſſum, eſſe credunt: *Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus. Luc.* 3. 15. O quam varie de Joanne ſenſerunt antiqui! ſed quæ nunc tot inter opiniones noſtra de eo erit ſententia? Eumne Chriſtum, vel Angelum aut hominem fuiſſe ſentiemus? dicamus, quod Joannes fuerit homo: *Fuit homo*; ſed fuit homo aliis hominibus major, Angelis par, & Chriſto ſimilis. Joannes 1. Eſt homo omni alio homine major: 2. Eſt homo, qui vocatur Angelus: 3. Eſt homo, qui æſtimatur Chriſtus: *Hic homo eſt omni alio homine major*, & humilitatem ſectatur. *Hic homo vocatur Angelus*, & Pœnitentiæ adhæret. *Hic homo æſtimatur Chriſtus*, & Chriſtum laudat. En tres hujus concionis partes.

PRI-

PRIMA PARS.

Sanctus Joannes Baptiſta eſt homo omni alio homine major, & humilitatem ſectatur.

EX hominibus alii coram mundo, alii coram ſeipſis, & alii coram Deo magni ſunt. Coram mundo, & hominibus magni ſunt divites, & potentes ſæculi, quorum magnitudo tranſitoria, vana, & fallax eſt: cum hi magni ſint, non per bona interna animæ inhærentia, ſed per externa, quæ quaſi fumus deficiunt, & quæ in morte totaliter evaneſcunt. Coram ſeipſis magni ſunt ſuperbi, qui ſe aliquid eſſe putant, cum nihil ſint, & qui aliis dominari ambiunt: hi autem a Deo maledicuntur: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Iſa. 5.* Alii tandem non coram ſeipſis, ſed coram Deo magni ſunt; quæ magnitudo, non fucatis, & externis bonis, ſed virtutibus, & meritis, quæ adhærent animo, conſtat: nam, ut ait Origenes: *Peccatum hominem facit parvum & exiguum; virtus eminentem præſtat & magnum. Origenes hom. 12. in Levit.*

Joannes autem fucata, & apparente magnitudine, quæ ab hominibus ſæculi laudatur & approbatur, penitus caret: non enim palatia, ſed antra inhabitat; non purpura, ſed vili & diro veſtitur cilicio; non delicatis cibis, ſed melle ſylveſtri & locuſtis paſcitur; non exquiſito vino, ſed aqua pura ſitim pellit; non famulorum, ſed potius brutorum turba ſtipatus incedit: unde ſi externis & mundi tantum oculis metiatur, non magnus, ſed parvus & contemptibilis cenſebitur. Sed magnus etiam in oculis ſuis non eſt Joannes, qui ſe minimum, & quaſi nihilum reputat; quique ſe magnum dici & cenſeri ægre patitur. Sed Joannes magnus eſt *coram Domino*; parvus eſt in oculis ſuis & magnus in oculis Dei: tot enim ejus ſunt virtutes, tot prærogativæ, totque merita, ut coram Deo magnus ſit: *Erit enim magnus coram Domino. Luc. 1.* Tantaque ejus eſt magnitudo coram Domino, ut omnibus hominibus major a Domino proclamatus ſit; nam, ut ait Chriſtus Dominus; *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta. Matth. 11.*

Chriſtum Joannes laudavit cum illum indigitans, dixit: *Ecce Agnus Dei*; Chriſtus autem viciſſim in ſui Præcurſoris laudes prorupit: de eo enim dixit, quod eſſet Propheta, & plus quam Propheta, quod mollibus non eſſet veſtitus, quod mobilitati non eſſet ſubjectus inſtar arundinis; & ut paucis ejus perficeret panegyricum, eo majorem inter mulierum filios nullum ſurrexiſſe aſſeruit: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Dixit, *Inter natos*, & non inter natas, quia ſanctiſſima Virgo Maria Joanne major eſt. Dixit inter natos *mulierum*: quia Chriſtus, qui Joanne major eſt, non de muliere, ſed de Virgine natus eſt. Dixit: *Non ſurrexit major*; quia omnes penitus homines, uno Chriſto excepto, in peccatum originale ceciderunt: quare non Chriſtus, ſed omnes alii homines ab hoc peccato ſurgunt; hos autem inter homines qui peccatum originale contraxerunt, & qui ab eo ſurgunt, vel ſurgere poſſunt, nullus *ſurrexit major Joanne Baptiſta*.

Et revera, inquit Petrus Damiani *ubi ſupr.* quis inter omnes homines ſic glorioſe annuntiatus eſt? quis ita ſpecialiter in matris utero Spiritu ſancto legitur fuiſſe repletus? quem legiſtis intra matris uterum exultaſſe? cujus nativitatem vidiſtis celebrare Eccleſiam Dei? quis ſic puer eremum concupivit? quis ita legitur ſimiliter converſatus? quis pœnitentiam, & regnum cælorum primus oſtendit? quis baptizavit Regem gloriæ? Nullus equidem inter homines præclara hæc habuit privilegia; ac proinde fatendum, illo nullum alium hominem eſſe majorem: *Non ſurrexit major*. Cui Salvatoris ſententiæ humiliter adhæſit Auguſtinus, dicens: *Nihil majus extitit in genere humano, quam Joannes*. Magni fuere Patriarchæ, magni Apoſtoli & Evangeliſtæ, magni Martyres, Confeſſores & Virgines; ſed his & omnibus hominibus major fuit Sanctus Joannes Baptiſta, ac eo *nihil majus extitit in genere humano*; inquit Auguſtinus, & ut ait Theodoretus Studites, *& Prophetis & Apoſtolis, & aliis omnibus revera prior eſt magnus Præcurſor*,

Hanc Joannis ſupra ceteros præeminentiam adnotaſſe videtur Doctor Seraphicus, cum eum lilio aſſimilat: *Joannes Baptiſta florebit ſicut lilium. Ubi ſupr.* Lilium alios flores, non ſolum odore & albedine, ſed etiam celſitudine ſuperat: *Lilium dicitur flos Regius a regia qua præſtat celſitudine, quia tanta proceritate ſuper alios flores attollitur, ut interdum ad tria cubita ſurrigatur. Pierius lib. 5.* Similiter Joannes eſt ſicut lilium inter homines, quia eos non ſolum vitæ candore & variarum virtutum odore, ſed etiam celſitudine & magnitudine ſuperat: *Joannem*, inquit Ambroſius, *omnibus dico majorem, ſed inter mulieris, non virginis natos. Ambroſ. l. 1. in Luc. 5.* Ille, ut ait Chryſoſtomus; *omnibus Sanctis eſt major, cui ſolus Chriſtus eſt prior.* Addit Tertullianus, quod *Joannes ſic omnibus major eſt, dum ſolo Deo minor. Tertull. lib. ad Scap. 1.* O quam inſignia ſunt hæc pro Joannis magnitudine teſtimonia! o quam magna ſunt hæc ſancti Præcurſoris præconia! magnus eſt Joannes Baptiſta, & omni alio homine major: O rem mirabilem! ſed quid mirabilius in ſancto hoc Propheta inſpicio; nempe quod ſummam humilitatem cum ſumma celſitudine conjunxerit; Joannes enim, qui eſt omni alio homine major, *profundam ſectatur humilitatem*.

Certum eſt, quod quo quis major, eo humilior eſſe debeat: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Eccli. 3.* Nihilominus rara avis in terris humilitas honorata; & raro fit, ut qui dignitate ſunt ſublimes, corde & affectu ſint humiles: non enim ſola *ſcientia inflat*, ſed & poteſtas inflat, divitiæ inflant, honores inflant; & communiter, quo quis eſt dignitate major, eo eſt affectu ſuperbior. Sed Sanctus Joannes Baptiſta, qui omnibus hominibus major eſt, inter homines etiam humillimus eſt. Sanctus Joannes, inquit Doctor Seraphicus, *ſumme humilis fuit, vilia de ſe ſenſit, vilia de ſe prædicavit, vilia de ſe quærentibus reſpondit. S. Bonavent. ſerm. 2. de S. Joann. Bapt.* Eum Prophetæ, Angeli, populi, & ipſe Chriſtus magnum prædicant; & ipſe de ſeipſo ait: *Non ſum*; quaſi dice-

Digitized by Google

diceret: *Nihil ſum*. Nullus vult *non eſſe*, inquit Thaulerus, *quiſquis & eſſe cupit aliquid & apparere*. *Thauler. ſerm. 1. in Domic. 1. Advent.* Nullus quidem vult non eſſe; ſed omnes ex naturali propenſione, & eſſe, & magni eſſe, ac magni videri ambiunt; unus vult eſſe Abbas, alius vult eſſe Epiſcopus, alii divitiis affluere appetunt, ſupremas alii dignitates ardenter deſiderant: *Quiſque* tandem *& eſſe cupit aliquid, & apparere*. Sed tanta Sancti Joannis eſt humilitas, ut ſe nihil eſſe dicat: *Non ſum*. O Joannes, es ne tu Chriſtus? *Non ſum*. Es ne Elias? *Non ſum*. Es ne Propheta? *Non ſum*. *Ubi ſupr.* Joannes in mente ſua nihil eſt, & tamquam nihilum ſe reputat.

O magnam ſancti hujus præcurſoris humilitatem! Sed, inquit Doctor Seraphicus, (quis hodie humilis cum Joanne? quis non ſuperbus cum Herode? quis hodie mundus, niſi ſuperbia? unde diſcordiæ, unde bella, unde rixæ, unde incendia, unde homicidia, unde furta, unde adulteria, unde omnia mala, niſi ex ſuperbia, quæ divina pervipendit imperia, divina refugit præmia, nulla infernalia formidat ſupplicia? Utinam attenderent miſeri, quod eorum gloria eſt ſicut palea igne ſuccenſa, quæ adſtum oculi tota combuſta, nec etiam viles cineres relinquit: ſunt enim ſicut aqua defluens, quæ prius diſſolvitur, quam tangatur. Multum erigitur, & inflatur ſpuma maris, ſed mox evaneſcit modico vento tacta. Unde vobis, filii ſuperbiæ, tanta de vita fiducia? numquid non corpus humanum fragilius eſt quam vitrum: quia vitrum ſolo concuſſu alterius corporis rumpitur, ſed hominis corpus modis innumeris frangitur; ſed numquid confidis in pecunia? ſed ubi mundi divites, ubi principes, ubi Reges, qui omnia poſſederunt? Sic de potentia, ſic de ſapientia penitus eſt ſentiendum. Ergo, Fratres, non ſuperbiamus cum Herode, ſed ſimus humiles cum Joanne). Sed ſi Joannes eſt homo omni alio homine major, & humilitatem ſectatur, Joannes etiam eſt *homo*, *qui vocatur Angelus*, *& pænitentiæ adhæret*.

SECUNDA PARS.

Sanctus Joannes Baptiſta eſt homo qui vocatur Angelus, & qui pænitentiæ adhæret.

Cum homines natura ſua ſint partim corporei, & partim ſpirituales, Angeli qui ex natura ſua ſunt totaliter ſpirituales, iis ſunt nobiliores, eoſque naturæ perfectione antecunt, ac propius ad infinitam Dei dignitatem accedunt: *Angelos poſt Deum novimus*. *Tertull. lib. adv. Valent. 7.* Quare ut in enarrandis Sancti Joannis laudibus ulterius progrediar, & ut tantum Præcurſorem altius eveham; dico, quod Joannes non ſolum ſit homo omnes tranſcendens homines, ſed etiam, quod ſit homo, qui vocatur, & eſt Angelus a Deo in hunc mundum miſſus: *Ecce ego mitto Angelum meum*. *Matth. 11.*

Non defuere, ut teſtatur Sanctus Cyrillus, qui dicerent, Ioannem eſſe Angelum natura: *Jam*, inquit, *rumores fuerunt, non natura hominum, ſed de numero ſanctorum Angelorum Baptiſtam fuiſſe, ac humano corpore uſum, prædicaſſe*; *Cyril. in Joann. lib. 1. cap. 7.* quod hi affirmabant, quia de eo in Evangelio dicitur: *Ecce ego mitto Angelum meum*. *Matth. 11.* Sed fallebantur, quia Joannes Angelus fuit, non natura, ſed officio: non natura, ſed puritate; non natura, ſed vitæ ſanctitate.

Angelus eſt nomen officii, non naturæ; cæleſtes enim intelligentiæ vocantur Angeli, id eſt miſſi: quia a Deo ad hæc inferiora mitti ſolent. Et in hoc ſenſu homines, qui in hunc mundum ad officium aliquod nobile & inſolitum, ad humani generis ſalutem ſpectans, a Deo mittuntur, in ſacra Scriptura Angeli vocantur: *Nec novum eſt Spiritui ſancto, Angelos vocare eos, quos miniſtros ſuæ virtutis Deus effecit*. *Tert. lib. adv. Jud. 9.* Sic Chriſtus vocatus eſt *magni conſilii Angelus*, quia de ſanctiſſimæ Trinitatis conſilio miſſus eſt in hunc mundum, ut in eo Redemptoris officium adimpleret. Sic etiam Sanctus Joannes vocatur, & eſt Angelus ratione officii; quia in hunc mundum miſſus eſt, ut Præcurſoris officio fungeretur: *Ecce ego mitto Angelum meum*, inquit Malachias Propheta, *qui præparabit viam ante faciem meam*. *Malach. 3.* Hic Angelus, de quo loquitur Propheta, eſt S. Joannes Baptiſta, qui vocatur Angelus, quia Præcurſoris officio fugens, Chriſto præcurrit, ejuſque nuntiavit adventum: *Præcurſorem Chriſti Joannem futurum appellat per Prophetam Spiritus, dicens ex perſona Patris: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id eſt Chriſti, qui præparabit viam tuam ante te*. *Tert. ubi ſupr.* Hæc Tertullianus, cum quo *Angelum* ratione officii S. Joannem paſſim vocant Sancti Patres, ex quibus unum adducam S. Cyrillum, qui ait: *Angelus Baptiſta nuncupatus eſt, non quia natura Angelus eſſet, ſed quia ad annuntiandum clamandumque venit, præparandam eſſe Domini viam*. *S. Cyril. ubi ſupr.*

Angelus fuit ratione officii S. Joannes Baptiſta, ſed fuit etiam Angelus ratione puritatis Angelicæ qua floruit. Homines enim qui virgineam ſervant puritatem, ſunt quaſi Angeli in terra, & ut ait Tertullianus, unicam cum Angelis cæleſtibus familiam conſtituunt: *de familia Angelica deputantur*. *Tert. lib. 1. ad uxor. 4.* Sicut Chriſtus, ut Verbum, habet in cælis Angelos a quibus adoratur; ita, ut homo, in terris Angelos habere voluit, a quibus colatur: *Verbum carnem aſſumens de Virgine, familiam in terra inſtituit Angelicam*. *Hier. ep. 22.* Hæc autem familia Angelica eſt ordo Virginum, quæ cum Angelis unam conſtituunt familiam, ſeu quæ Angelicæ familiæ adſcribuntur: *de familia Angelica deputantur*. Huic haud dubie familiæ adſcriptus fuit S. Joannes, qui, ut ait S. Bonaventura, *fuit Virgo puriſſimus*; *S. Bonav. lib. medit. vitæ Chr. c. 13.* & de eo prius dixerat S. Bernardus: *Joannes virgo, immo virginitatis inſigne ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum*: *S. Bern. ſerm. de S. Joann. Bapt.* quare cum S. Joannes Baptiſta caſtitate virginea floruerit, per immaculatam hanc virginitatem, qua emicuit, factus eſt Angelus cum Angelis: *Non fuit ille natura Angelus*, inquit S. Hieronymus; *ſed fuit Angelus caſtitatis eximiæ puritate: nam in carne præter carnem vivere, Angelica eſt vita*. O mirabilem Angelum! Sed S. Joannes fuit.

Digitized by Google

fuit etiam Angelus vitæ innocentia, & ſanctitate pereximia, qua refulſit.

Licet Angeli non generentur, duo tamen eodem tempore in terra geniti ſunt Angeli, Chriſtus ſcilicet, & Joannes Baptiſta: *Cum Chriſtus Deus naſceretur in carne, Joannes Angelus eſt generatus in terris, Chryſol. ſerm.* 89. Chriſtus eſt magni conſilii Angelus, qui natus eſt ex Maria Virgine; & S. Joannes eſt Angelus, qui a ſancta Eliſabeth fuit genitus. Sicut autem Chriſtus dicitur Angelus, non ſolum quia miſſus eſt, ſed etiam ratione ſanctitatis incomparabilis, qua rutilavit, ita & Joannes eſt Angelus, non ſolum ratione officii, & puritatis Angelicæ, ſed etiam ratione ſanctitatis pereximiæ, quæ illum Angelum fecit, & ſupra Angelos ſublimavit: *Joannes eſt Angelus, & inter Angelos electus*, ait S. Bernardus *ubi ſupr.* Cur dicitur S. Joannes non ſolum Angelus, ſed etiam *inter Angelos electus?* Ratio eſt, quia per virtutes, & eminentem ſanctitatem, qua fulſit, non ſolum factus eſt *Angelis par*, ut ait D. Auguſtinus, ſed etiam ſupra Angelos elevatus eſt: *Iſte eſt mirabilis Angelus, qui Angelicam ſanctitatem tranſgreſſus eſt. Aug. ſerm. 12. de Sanct.* O mirabilem Angelum! ſed quid in eo adhuc mirabilius adnoto; nempe arduam pœnitentiam, quam ſimul cum virginea puritate, & præcellente ſanctitate in ſeipſo conjunxit: Joannes enim *eſt Angelus, qui pœnitentiæ adhæret.*

Apud Angelos non eſt pœnitentia; Angeli enim mali, nec gratiam, nec tempus, nec voluntatem pœnitendi habuerunt; boni vero Angeli pœnitentia non egent, nec apud eos pœnitentia locum habere poteſt, cum ſumma, & conſtante beatitudine perfruantur. Sed Joannes eſt Angelus, qui deſerta, & antra inhabitat, qui vigiliis, & jejuniis vacat, & qui acerbiſſimæ pœnitentiæ adhæret; ut enim ait Doctor Seraphicus, *fuit auſtera Joannis pœnitentia, ex parte loci, ex parte cibi, & ex parte veſtimenti. Ubi ſup.* Fuit quidem auſtera *ex parte loci*: quia cum adhuc puer eſſet, deſertum petiit, & in ſolitudine habitavit: *Venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto. Matth.* 3. Fuit etiam auſtera *ex parte cibi*: quia melle dumtaxat, & locuſtis veſcebatur, & ex iis ita parce ſumebat, ut quaſi nihil manducaret. *Erat neque manducans, neque bibens. Matth.* 11. Auſtera tandem ejus erat pœnitentia ex parte veſtimenti, quia non pretioſis, & mollibus induebatur veſtibus; ſed, ut dicit ſacer Textus, *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: Matth.* 3. unde inquit D. Hieronymus, omnia in Joanne auſteram redolebant pœnitentiam: *Veſtis aſpera, zona pellicea, cibus locuſta, & mel ſylveſtre, omnia virtuti, & continentiæ præparata. S. Hier. ep. 4. ad Ruſt.*

O mirabilem Angelum! o hominem portentoſum, qui ſimul cum vita Angelica auſteram, & duram jungit pœnitentiam! ſed o quam duriori, & aſperiori pœnitentiæ quiſque noſtrum adhærere debet! ſi enim Joannes, qui ſanctitate eſt Angelus, tam auſteram ſectatur pœnitentiam, quam duriori nos, qui peccatores ſumus, pœnitentiæ inſiſtere debemus? ſecundum menſuram culpæ debet eſſe menſura pœnitentiæ: quia, ut dicit S. Gregorius, *non debet eſſe par pœnitentia ejus qui parum, & ejus qui multum peccavit: Gregor. hom. 20. in Evang.* unde, juxta hanc regulam, pœnitentiæ operibus incumbere non tenebatur Joannes: quia Angelus puriſſimus, & ſanctiſſimus extitit, qui numquam peccaſſe creditur. Et juxta eamdem regulam graviſſima noſtra eſſe deberet pœnitentia, quia graviter, & pluries deliquimus. Sed o portentum ſtupore dignum! o rem ſanguineis lachrymis deflendam; pœnitentiam fugiunt, qui ob peccata perpetrata, pœnitentiæ jugo ſubdi tenentur! Joannes, qui pœnitentiæ legibus non ligatur, arduam ſuſcipit pœnitentiam, & nos, quibus pœnitendi onus incumbit, a pœnitentia abhorremus, pœnitentiam fugimus. Heu! quis hodie Joannis pœnitentiam imitatur? (Quis hodie, loquit Doctor Seraphicus, talem pœnitentiam facit? non in deſerto, ſed in amplis palatiis & lectis ſpatioſiſſimis pœnitemus; noſtra pœnitentia ſunt delicatiſſima veſtimenta, non duo paria, ſed plurima; non locuſta, nec panis, & aqua, ſed fercula varia, & vina dulcia, & diverſa: vere non eſt vera, ſed falſa noſtra pœnitentia, immo nec pœnitentia eſt nominanda, ubi nulla ſunt aſpera, ſed dulcia univerſa. *Ubi ſupr.*). O peccatores, videte Joannem, audite Joannem; videte hunc Angelum, qui licet puriſſimus, & ſanctiſſimus, gravi pœnitentia corpus ſuum affligit, & identidem intra vos dicite: Heu! ſi Joannes vir ſanctiſſimus duram ſectatus eſt pœnitentiam; quanto magis nos peccatores gravi pœnitentiæ incumbere debemus? Sed ſi Joannis non vos moveant exempla, ejus audite verba: audite hunc Angelum in deſerto clamantem: *Pœnitentiam agite!* ejus monitis obtemperate, & pœnitentiam aſperam agite inſtar S. Joannis, qui licet eſſet Angelus, duræ tamen pœnitentiæ adhæſit. Sed tandem *Joannes eſt homo qui æſtimatur Chriſtus, & qui laudat Chriſtum.*

TERTIA PARS.

Sanctus Joannes eſt homo, qui æſtimatur eſſe Chriſtus, & laudat Chriſtum.

NOverant omnes vicini, & cognati Eliſabeth, quod ipſa eſſet ſterilis, & ætate provecta: didicerant etiam haud dubie, Gabrielem Archangelum Zachariæ apparuiſſe, eique prædixiſſe, quod mulier ejus Eliſabeth paritura eſſet filium, qui vocandus erat Joannes, & qui magnus futurus erat coram Domino. Quare cum prophetiam veram eſſe probavit eventus, ſeu cum natus eſt Joannes, *mirati ſunt univerſi. Luc.* 1. & de Joanne recens nato dicebant invicem: *Quis, putas, puer iſte erit?* quis, putas, erit hic puer, qui natus eſt ex patre ſene, & matre ſterili? quis, putas, erit ille puer, cujus nativitatem prænuntiavit Archangelus Gabriel, aſſeruitque eum fore magnum coram Deo? quis, putas, erit hic puer, qui adhuc in cunis vagiens, muto parenti loquelæ uſum miraculoſe reſtituit? nullus, quid de hoc puero ſentiret, clare manifeſtabat: ſed omnes eum magnum fore credebant, & nonnulli eum eſſe Chriſtum jam ſuſpicabantur. Sed hæc eorum opinio crevit, cum in deſerto inhabitavit: Joannes enim adhuc puer deſertum adiit: ibi Baptiſmum pœnitentiæ prædicavit, ibique je-

juniis,

ſuniis, zelo quo ardebat, & pœnitentia, qua ſuum gravabat corpuſculum, tantam ſibi apud homines famam conciliavit, ut omnes eum eſſe Chriſtum crederent: *exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſnis de Joanne, ne forte eſſet Chriſtus. Luc. 3. 15.* Nec ſolus populus, ſed etiam Scribæ, Phariſæi, & viri docti Joannem eſſe Chriſtum cenſuerunt: unde ſolemnem ad eum miſerunt legationem, ut ab eo inquirerent, quis ille eſſet, credentes, quod eſſet Chriſtus: *Quærunt ab eo: tu quis es? tantus namque omnibus videbatur*, inquit Thomas a Villanova *ſerm. 1. de S. Joann. ut vix crederetnr eſſe qni erat, ſed Chriſtns.*

Legati ad Joannem miſſi ab eo non petierunt, an eſſet Chriſtus; ſed ſolummodo eum interrogaverunt, dicentes: *Tn quis es?* Licet autem hi a Joanne non petierint, an ipſe eſſet Chriſtus? reſpondit tamen ille: *Non ſum ego Chriſtus.* Cur Joannes ſe non eſſe Chriſtus reſpondit, cum non ab eo petatur, an ſit Chriſtus? ſic reſpondet, quia ſpiritu prophetico noverat, quod qui illum interrogabant, eum eſſe Chriſtum putarent: quare ut eorum tolleret errorem, reſpondit ſe non eſſe Chriſtum: *Non ſnm ego Chriſtus.* Et neceſſe fuit, Joannem confiteri, & aſſerere ſe non eſſe Chriſtum: quia tanti ficbat apud Judæos, ut ipſi eum eſſe Chriſtum ſemper crediđiſſent; niſi Joannes ſe non eſſe Chriſtum aſſeruiſſet: *Joannes*, inquit Auguſtinus, *credebatur Chriſtus, & in illo errore populns moraretur, niſi ab illo confiteute corrigeretur. Aug. ſerm. 5. de Sanct.* O magnam populi de Joanne opinionem! tanta enim ejus erat doctrina, mores ita ſancti, vita ita pura & portentoſa, ut Chriſtus putaretur; & cum eſſe Chriſtum ſemper crediđiſſent Judæi, niſi Joannes ſe non eſſe Chriſtum aſſeruiſſet: *Non ſum ego Chriſtus.*

Hæc Judæorum de Joanne opinio magis increbuit in Jordane; ibi enim, ut loquitur ſacer Evangeliſta Matthæus, *Joannes habebat veſtimentum de pilis camelornm, & zonam pelliceam circa lumbos ſnos: eſca autem ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre. Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnes regiones circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua. Matth. 3.* Cur tot populi ad Joannem in Jordane exiſtentem currunt? cur ab eo baptizari volunt? cur ei peccata ſua confitentur? ratio eſt, quia eum tanti faciebant, ut eum Chriſtum eſſe ſentirent. In qua opinione magis confirmati ſunt, cum Chriſtum ab eo baptizari viderunt; tunc enim non Chriſtum eſſe Chriſtum, ſed Joannem eſſe Chriſtum, & Meſſiam a Deo miſſum, crediderunt. Unde Pater æternus Spiritum ſanctum ſub columbæ ſpecie ſupra Chriſti caput miſit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus. Matth. 3.* Quaſi diceret: ne amplius credatis, Joannem eſſe Meſſiam promiſſum, ne putetis, Joannem eſſe Chriſtum & filium meum; non enim Joannes eſt filius meus, ſed ille ſupra quem deſcendit Spiritus ſanctus: *Hic eſt filius meus dilectus.* Addit S. Joannes Damaſcenus, quod ſi Spiritus ſanctus ſub columbæ figura non deſcendiſſet ſupra caput Chriſti, Joannem, prius quam Chriſtum, filium Dei eſſe populus crediđiſſet, & omnes arbitrati eſſent, has voces; *Hic eſt filius meus dilectus*, non de Chriſto, ſed de Joanne intelligendas eſſe; *Arbitrati eſſent ad Joannem ſpectare vocem illam: hic eſt filius meus dilectus. Damaſ. ſerm. de Tranſl.*

O quam magna de Joanne apud populum fuit opinio! ſed, o magnam etiam ſancti hujus Præcurſoris ſapientiam, qui dum a populo Chriſtus, & Meſſias æſtimatur, non inflatur ſuperbia, ſed Chriſtum laudat! Sacer enim textus de Joanne ait, quod crederetur eſſe Chriſtus: *Exiſtimante autem popnlo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus. Luc. 3.* Mox autem ſubdit Sacra Scriptura, Joannem hac populi opinione non ſuperbiviſſe, ſed Chriſtum laudaſſe, tum ab ejus baptiſmo, tum ab ejus perſona. Chriſtum laudavit Joannes ab ejus baptiſmo; dicens: *Ego quidem aqua baptizo vos, ſed ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne.* Quaſi diceret; vos me æſtimatis a baptiſmate quo vos abluo, ſed veniet Chriſtus, qui vos baptiſmo nobiliori, & efficaciori lavabit: meus namque baptiſmus eſt ſolum in aqua ad abluenda corpora, & in ſignum pœnitentiæ; ſed Chriſti baptiſmus in anima derivabit, quam gratia & Spiritus ſancti igne replebit. Chriſtum etiam laudavit Joannes a perſona dicens: *Veniet antem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ubi ſup.* Quaſi diceret: vos me pluris facitis, meque Chriſtum eſſe creditis; ſed velim ſciatis, infinitam eſſe diſtantiam inter illum, & me: tantæ enim Chriſti ſunt virtutes, tantæ perfectiones, tantaque ejus magnitudo, ut non ſim dignus eſſe ſervus ſervorum ejus, ac corrigiam calceamentorum ejus ſolvere.

O magnam Joannis virtutem! o pereximiam ſapientiam hujus S. Præcurſoris, qui dum Chriſtus æſtimatur, Chriſtum laudat, ejuſque perfectiones prædicat! O utinam nos eodem accenderemur ſpiritu! Utinam cum ab hominibus laudamur, ſuperbia non tumeſceret cor noſtrum, ſed lingua noſtra in Dei laudes prorumperet! Maximum eſt periculum, ne, qui laudatur, in ſuperbiam incidat, & in laqueum diaboli: *Periculoſum eſt honorantium favore demulceri: Beda in c. 6. Marc.* quare ſi ab hominibus laudemur, protinus ad Deum laudandum mentes & ora noſtra convertamus; illumque laudemus, cui ſoli debitus eſt honor & gloria. Si aliquod opus bonum facimus, Deum laudemus, *qui operatur in nobis velle & perficere. Ad Phil. 2.* Si aliqua perfectio in nobis eluceat, Deum laudemus, a quo eſt omne bonum, & omne donum: *Omne datum optimum, & omne donnm perfectum deſurſnm eſt, deſcendens a Patre luminum. Jac. 1.* Non ſimus ſimiles Oziæ, qui plurimis a Deo acceptis beneficiis, non eum laudavit, ſed in ſuperbiam incidit: *Elevatum eſt cor ejus; 2. Paral. 26.* ſed Regium imitemur Prophetam, qui ſemper effundendis Dei laudibus incumbit: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Vel potius imitemur Baptiſtam, qui cum ab hominibus laudatur, eorum laudibus non incantatur, nec inflatur, ſed Chriſtum Dominum laudat, & prædicat. Incantatricibus ſimiliter hominum laudibus ne faſcinemur, ſed laudes hominum, & quidquid in nobis laudabile reperitur ad Deum referamus, cui debetur omnis honor & gloria. Laudemus Deum in hoc mundo; & in æternum eum laudabimus eoque fruemur in gloria. *Amen.*

DE

DE SANCTO PETRO.

CONCIO UNICA.

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 16.

ORatoribus nonnunquam ita ſterilia, ingrata, & ignota pertractanda ſeſe offerunt ſubjecta, ut multa excogitare, multa adinvenire, multaque ad ſupplendum materiæ ſuæ defectui e penu ſuo promere cogantur. Ad has quidem nunc non redactus ſum anguſtias; nec eſt, quod de ſuſceptæ tenuitate & ſterilitate conquerar materiæ; cum ita abundans, opulentum, ac magnificum ſit ſubjectum, quod in manibus habeo, ut nedum exhauriri, ſed ne digno quidem ſermone quomodocumque attingi valeat. Heu! quis S. Petrum, Apoſtolorum Principem, Chriſti in terris Vicarium, cælique claviculariam dignis proſequi poſſit laudibus? quis enarrare queat, quam amara ejus pœnitentia, quam generoſa ejus fides, quam ardens ejus zelus, & quam ejus erga commiſſum ſibi gregem vigilans & laborioſa fuerit ſolicitudo? ſed quis calamo luſtrare valeat omnia loca, quæ ducente Chriſti ſpiritu, ſanctus hic peragravit Apoſtolus; ſimulque delineare zelum ſalutis animarum, quo ſemper exarſit, amoris divini flammas, quas ubique ſparſit, ac mirabilia opera, quæ undequaque eſt operatus? quis tandem portentoſa, quæ edidit miracula, innumeras, quæ ejus miniſterio factæ ſunt, animarum converſiones, necnon ardua, quæ adverſus pſeudoprophetas, idololatras & infideles pro Dei gloria ſuſcepit, certamina digne poſſet explanare? meam equidem hac in parte tenuitatem fateor; cumque pereximias & innumeras, quæ in Apoſtolorum Primate elucent, perfectiones inſpicio, protinus ſuſpicio; & identidem timeo, ne tam ſublimi & abundante obruar materia. Quod ne fiat, divinum ſupplices poſtulemus auxilium, mediante Dei genitrice Maria. *Ave.*

SAnctus Petrus, dum in hoc mundo inter homines verſaretur, fuit Pœnitens, Prælatus, & Apoſtolus. Fuit Pœnitens: *Flevit amare*: fuit Prælatus: *Tu es Paſtor ovium*, & fuit Apoſtolus, necnon inter Apoſtolos primus: *Princeps Apoſtolorum*. Illuſtris ille pœnitens torrente lacrymarum ſua lavit crimina; ſupremus hic Eccleſiæ Præſul ſupra alios Prælatos fuit ſublimatus; & dignus hic Apoſtolus ardentiſſimo erga magiſtrum ſuum Chriſtum fuit amore ſuccenſus. Unde, ut aliquo ordine magnalia Petri elucidanda ſuſcipiam, illum inſpicio, ut Pœnitentem contriſtatum, qui propria deflet crimina; ut Summum Pontificem, qui toti præeſt Eccleſiæ; & ut Apoſtolum zelantiſſimum, qui Chriſtum Salvatorem ſummopere diligit. Videamus ergo lacrymas, elevationem, & amorem S. Petri. Videamus: 1. Lacrymas hujus Pœnitentis: 2. Elevationem hujus Prælati: 3. Amorem Illius Apoſtoli. Lacrymæ Petri, ut Pœnitentis: elevatio Petri, ut Prælati: & amor Petri, ut Apoſtoli: en tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Petri pœnitentis lacrymæ.

PEccaverat Petrus: ſed qui factus erat peccator, fit pœnitens, omniumque pœnitentium exemplar mirificum. Pœnitentiam ejus nimiæ, quibus proprium corpus afflictavit, teſtantur mortificationes: ſed eam evidentius manifeſtant lacrymæ, quas fudit prompte, quas fudit amare, quas fudit diu. Non penſandum, Petrum eſſe pœnitentem delicatum, qui auſteræ pœnitentiæ onera fugiat; pœnitentiæ enim fortiter adhæret, eſtque verus pœnitens, qui ut perpetratum deleat crimen: 1. flet prompte: 2. flet amare: 3. flet diu.

1. Peccatores raro ad pœnitentiam prompte advolant, tardant potius converti ad Dominum, & de die in diem ad illum per pœnitentiæ viam reverti differunt. Dicunt cum Pharaone: *Cras, cras. Exod.* 8. Vel cum Latrone ſuam uſque ad mortem pœnitentiam procraſtinant. At Petrus non obdormivit in peccato, nec illud ſalutaris pœnitentiæ lavacro abluere diſtulit; non dixit: *Cras, cras*, non dixit: nondum advenit pœnitendi tempus; non dixit: intra aliquod tempus, vel circa vitæ meæ finem me peccaſſe pœnitebit, meque ad Deum totaliter convertam; ſed immediate poſt Petri culpam acceſſit Petri pœnitentia; peccavit Chriſtum negando, & ſtatim flevit pœnitendo; vixque negare deſierat Petri lingua, cum ad diluendam negationis maculam luſtrales, & ſacri baptiſmatis virtutem habentes lacrymas oculi ejus abunde effuderunt. Adhuc loquebatur Petrus: *Adhuc eo loquente*; *Luc.* 22. nondum loqui ceſſarat, vixque poſtremos negationis ultimæ pronuntiaverat accentus, cum illum reſpexit Chriſtus, & protinus in lacrymas prorupit; & *cœpit flere. Marc.* 14. Verum eſt, inquit S. Ambroſius, non fleviſſe Petrum prima vice, qua magiſtrum negavit: quia nondum miſericordibus eum Chriſtus reſpexerat oculis: *Negavit primo Petrus & non flevit: quia adhuc non reſpexerat Dominus. Ambr. in c. 22. Luc.* Propter eamdem rationem non flevit Petrus, mox ut Chriſtum ſecundo negavit: *Negavit ſecundo Petrus, & non flevit: quia adhuc non reſpexerat Dominus.* Sed cum tertio negavit Petrus, illum reſpicere dignatus eſt Chriſtus, & ſtatim tactus dolore cordis intrinſecus, copioſiſſime flevit: *Negavit tertio; reſpexit Jeſus, & ille amariſſime flevit.*

Refert Plinius, nonnulla in Phrygia videri ſaxa, quæ cum irradiantur a ſole, crebras ſtatim emittunt aquæ guttas, veluti ſi ſolis aſpectu ad lacrymandum moverentur. *Plin. de nat. hiſtor.* Durum quidem, & quaſi ſaxeum fuit Petri cor, cum Benefactorem ſuum, Creatorem ſuum, & Dominum ſuum negavit; ſed cum ſol Juſtitiæ Chriſtus eum benigne aſpexit, ac gratiæ ſuæ radiis illuſtravit, lapideum ejus cor ſtatim dolore fuit contritum, ejuſque oculi in fontes aquarum mox fuere converſi: *Convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Pſ.* 113. Petrus non eſt imitatus protoparentem noſtrum Adamum, qui poſt peccatum non ſtatim flevit, nec ſtatim pœnitentiæ adhæſit; ſed latere, & a facie Dei fugere conatus eſt; Petrus

vero abſque ulla mora flevit, & ad Deum converſus eſt: *Ille*, inquit S. Maximus, *tamquam deprehenſus, feſtinat ad latebras; hic tamquam emendatus, prorumpit ad lacrymas. S. Max. hom. 9. de negat. Petr.* Sed ſi Petrus eſt pœnitens contriſtatus, qui poſt peccatum flet prompte; eſt etiam pœnitens contriſtatus, qui poſt peccatum *flet amare*.

2. Ad exprimendam mirabilem oculorum Dei virtutem, lucidiſſimum Thraces pingebant ſolem, ex quo tres radii prodibant; quorum unus mortuum irradians ad vitam revocavit; alter duram illuminans rupem, in minutiſſima contrivit; tertius vero nivis montem pertingens, illum liquefecit. *Sidon. Apoll.* Præclaræ, ac ingenioſæ huic picturæ hæc verba ſuppoſuerunt: *Oculi Dei ad nos*: ut indicarent, his ſimiles eſſe effectus, quos in nobis oculi Dei cauſant. Et revera tres ex Chriſti, ſolis juſtitiæ, oculis exiere radii, qui ſimiles cauſarunt effectus. *Primo radio* Paulum illuminavit, eumque in peccatis mortuum ſuſcitavit. *Secundo* Matthæum in telonio ſedentem, & inſtar lapidis induratum contrivit. *Tertio* Petrum niveo monte frigidiorem, in uberem lacrymarum imbrem reſolvit: Chriſtus enim Petrum reſpexit, qui oculis Chriſti, quaſi lanceis, transfixus, de peccato doluit, atque amaras, ſeu ex cordis amaritudine manantes lacrymas copioſe fudit: *Egreſſus foras, flevit amare.* Sicut enim columba ſuo maſculo orbata continue gemit; ita Petrus, qui filius columbæ nuncupatur, agnoſcens, ſe Chriſtum, ſponſum animæ ſuæ, per peccatum amiſiſſe, ſtatim ingemuit, & amare flevit: *Egreſſus foras, flevit amare. Matth. 26.*

Narrat S. Evangeliſta Matthæus peccatum Petri, & amaras lacrymas, quas ad illud delendum effudit. Sedebat, inquit, Petrus foris in atrio Principis Sacerdotum: *& acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras; at ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: & hic erat cum Jeſu Nazareno: & iterum negavit cum juramento: quia non novi hominem. Et poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari, & jurare quia non noviſſet hominem. Matth. 26.* Ecce Petri peccatum; ſed immediate poſt lapſum, Chriſti oculis, & Dei gratia illuſtratus, ſuam agnovit miſeriam, factique pœnitens, egreſſus eſt extra atrium Principis Sacerdotum, ibique amaras fudit lacrymas: *Egreſſus foras, flevit amare*; & ut ait D. Auguſtinus, *amariſſime flevit. Aug. ser. 66. de temp.* Tanta lacrymarum Petri fuit amaritudo, ut ex acritudine, & multitudine earum, oculi illius facti ſint rubicundi, & quaſi ſanguinolenti. Immo, ut ait S. Clemens, in genis Petri factæ ſunt violentæ quædam impreſſiones, & profundi quidam ſulci, per quos, quaſi per quoſdam canales, aut aquæductus, lacrymæ ejus defluebant. Quare fatendum, quod Petrus amare & amariſſime fleverit, *sed flevit etiam diu*.

3. De eo ait S. Marcus Evangeliſta, quod flere cœperit: *Cœpit flere: Marc. 14.* ſed non dicit, quod aliquando flere deſierit; quia toto vitæ ſuæ tempore flere non deſtitit; ita quod ſingulis diebus, cum perpetrati recordaretur criminis, in amaras lacrymas prorumperet. Et ut aſſerit S. Clemens Papa, non ſolum flebat per diem, ſed eam contraxerat conſuetudinem, ut ſingulis noctibus a primo gallorum cantu uſque ad horam matutinam fleret. Unde cum Pſalte Regio merito dicere poterat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: Ps. 41.* erant etenim lacrymæ quotidianus ejus panis: quia flere non ceſſabat. Peccaverat negando, & peccatum abluit flendo; peccaverat in uno loco, & flevit ubique; peccaverat breviſſimo temporis intervallo, & flevit ſemper: *Semel negavit: semper flevit. S. Aug.*

Lacrymæ ſunt externa interni doloris indicia: *Lacrymæ teſtes sunt doloris*: ait Auguſtinus *l. 50. hom. Hom. ult.* ut dicit Seneca, *per lacrymas dolorem oſtendimus. Seneca ep. 64.* Graviſſimum autem eſſe dolorem ſuum lacrymis manifeſtavit Petrus, quia non pauciſſimo tempore, ſed diu, immo & ſemper flevit, nam ad ultimum uſque vitæ ſuæ terminum flere non deſtitit. Unde non ſecus ac D. Paulus dicere potuiſſet: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo: Rom. 9.* triſtitia enim & dolor ejus fuere continui & perennes, quia uſque ad mortem amare, & quaſi ſemper flevit: *Semel negavit, semper flevit.*

O Petre, ut quid tamdiu tuos producis fletus? ut quid tuæ tamdiu perennant lacrymæ? num toto vitæ tuæ tempore maculam, in uno quaſi momento contractam, lavare debes? num te latet, Deum eſſe patrem miſericordiarum, qui a peccatoribus tam auſteram, tamque diuturnam non exigit pœnitentiam? ſed, o Petre, cur te ſemper pœnitebit peccati, quod, ut primum flere cœpiſti, per Dei miſericordiam deletum eſt? & cur lacrymis lavas peccatum, quod jam totaliter lotum eſt? ceterum certum eſt, te die Pentecoſtes in gratia fuiſſe confirmatum: quare a lacrymis temperare debes; eſt quod gaudeas de certitudine ſalutis, & quod propter jam condonatum crimen tamdiu non plores. Hæ ſunt carnis, & mundi rationes, quibus forte aures præberet alius a Petro; at Sancto huic Apoſtolo tantus de perpetrato crimine dolor ineſt, ut ſi æternum in hoc mundo viveret, æternum illud deteſtaretur, ſemper in ejus deteſtationem amare fleret. Scit, ſe breviſſimo temporis intervallo peccaſſe; ſed diuturnis lacrymis crimen ſuum expiare intendit. Se ſemel peccaſſe novit, & vult ſemper pœnitere. Se a Deo gratiam impetraſſe, ſeque in gratia eſſe confirmatum non ignorat, ſed ſe Deum graviter offendiſſe ſemper recordatur; quare propter injuriam Deo ſuo irrogatam, uſque ad mortem lacrymas fundere non deſinit: *Semel negavit, semper flevit.*

O quam multi Petrum ſequuntur peccantem! ſed o quam pauci Petrum imitantur pœnitentem! *Toties negamus, quoties peccamus*, inquit S. Auguſtinus; tamen licet innumeri Chriſtum negent cum Petro, nullum fere reperire eſt, qui cum Petro, veræ pœnitentiæ lacrymas profundit. Permulti tot & tantis rei ſunt criminibus, ut ad veniam obtinendam ſanguineas emittere deberent lacrymas; & tamen nec unicam pœnitentiæ lacrymam effundunt; peccare ſciunt, & flere neſciunt: *Neſcit flere, qui flenda committit: & cum ipſe ſit lacrymabilis, non ha-*

Digitized by Google

habet culpæ lacrymas ſuæ. S. Aug. ſer. 7. in Ps. 118. O peccator, ſi peccaſti, flere debes, ut peccata tua expungas: *Flere debemus, fratres, peccata quæ commiſimus. Iſte fletus ſit panis noſter, quem die ac nocte comedere debemus. S. Aug. ſer. 11. ad Fratr. in eremo.* Heu! ſi ſcirent peccatores, quanta vis, & quanta virtus ſit lacrymarum, certe die, ac nocte lacrymas profunderent. Scitote, inquit S. Auguſtinus, unicam lacrymam ex corde contrito manantem, habere virtutem extinguendi totum inferni ignem: *Omnes aquæ non extinguerent unicam ſcintillam in inferno: ſed ſi una lacryma de puro & contrito corde proceſſerit, totum ignem inferni extinguit. Aug. in Pſ. 94.* O peccator, ſi peccata tua fleas in hoc mundo, numquam igne cruciaberis in inferno. Quare ſi peccaſti cum Petro, plora ſimul cum illo, plora prompte, plora amare, plora diu cum S. Apoſtolo. Sed poſtquam Petri pœnitentis lacrymas ſumus contemplati: *Petri, ut Prælati, elevationem admiremur.*

SECUNDA PARS.

Petri, ut Prælati, elevatio.

PEtrum fuiſſe Prælatum omni exceptione majorem omnis terra proclamat; ſed ut ejus celſitudinem & elevationem majori perſpicuitate explicare valeam, eum inſpicio reſpectu urbis Romæ, in qua thronum ſuum collocavit; reſpectu totius Eccleſiæ, cui glorioſe præfuit; & reſpectu totius orbis terrarum, quem illuminavit: & ſub his omnibus reſpectibus maxima fuit ſancti illius Prælati celſitudo: quia fuit: 1. Urbis Romæ gloria: 2. Eccleſiæ Chriſti fundamentum: 3. Mundi totius lumen.

1. Non modicum ad urbis Romanæ decus, & honorem contuliſſe cenſebat Cæſar Auguſtus, eo quod ex latere & luto conſtructas domos in magnifica commutaverit palatia: *Gloriabatur marmoream ſe reliquiſſe, quam lateritiam accepiſſet. Sueton.* Sed ad almæ hujus urbis gloriam magis contulit Petrus: quia deſtructis deorum templis, ac eliminata omni idololatria & ſuperſtitione, in ea Catholicam Religionem inſtituit; eamque fidei centrum, flagellum paganiſmi, totiuſque orbis Eccleſiaſtici Dominam, & Principem effecit.

Verum eſt, quod ante Petri adventum, Roma eſſet omnium totius mundi urbium florentiſſima: imperii namque ſui fines ex parte Orientis uſque ad Euphratem, ex parte Occidentis uſque ad Oceanum, ex parte meridiei uſque ad Africæ terminos, & ex parte ſeptentrionis uſque ad Danubium dilataverat: & ut ait Strabo: *Orbem univerſum paucis exceptis ſubjecerat.* Magna quidem extitit temporalis hæc urbis Romæ elevatio: ſed cum in eam thronum ſuum ſpiritualem tranſtulit Petrus, longe famoſior & illuſtrior evaſit: tunc vere totius mundi prima, & caput effecta eſt; tunc, ut ait S. Leo, ipſa per Petrum longe ultra terminos a Cæſaribus poſitos dominationem ſuam dilatavit: *Per ſacram Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſidens religione divina, quam dominatione terrena. S. Leo ſer. SS. Petri & Pauli.*

Antequam in urbe Roma ſuum Petrus collocaſſet ſolium, totum florentiſſimæ illius urbis decus idololatria, & horrendis aliis quibus ſcatebat vitiis, penitus deturpabatur. Verum eſt, quod eſſet Roma triumphans: ſed erat etiam Roma gentilis, Roma impia, Roma idolis ſerviens, omnibuſque fere vitiorum generibus indulgens. At Petrus adveniens, per ſe & per ſucceſſores ſuos, turpes illos, quibus urbs Roma dedecorabatur, delevit infamiæ characteres, idololatriam enim totaliter extirpavit, amandavit paganiſmum, idola ſubvertit, idolorum fana in Eccleſias convertit, in ea catholicam religionem inſtituit, eamque puram, ſanctam, ac omnibus populis venerabilem effecit: immo & religione catholica illius gloriam & potentiam, ultra terminos per Cæſares definitos, longius dilatavit: *Latius præſidens Religione divina, quam dominatione terrena.* O magnam urbis Romæ gloriam, quæ adhuc glorioſior & florentior facta eſt: quia, per S. Petrum, potentiam ſuam uſque ad cælos dilatavit: Petro enim Romam ingrediente, ipſa habuit claves Regni cælorum, quæ Sancto huic Apoſtolo datæ erant: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Antequam Romam Petrus veniret, eo nempe tempore, quo urbs illa famoſiſſima ubique victrix erat & triumphans, advolabant undique cives, qui ut ſe Romano ſubdi Imperio teſtarentur, urbium ſuarum claves Cæſaribus offerebant. Magna quidem hæc fuit urbis Romæ gloria: ſed libenter dicam, majorem adhuc ei Petrum attuliſſe gloriam, quia per Petrum habuit claves regni cælorum, ejuſque poteſtas uſque ad cælum dilatata eſt: *Tibi dabo claves regni cælorum: Matth. 16.* Sanctus ergo Petrus eſt Prælatus, cujus magna eſt elevatio: quia fuit urbis Romæ gloria: *ac etiam quia fuit Eccleſiæ Chriſti fundamentum.*

2. Dixit enim ei Chriſtus: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Matthæi 16.* Quaſi diceret: O Simon, volo, quod in poſterum voceris Petrus, quodque Eccleſiæ meæ ſis petra fundamentalis: O Petre, meæ voluntatis eſt, quod mecum totius Eccleſiæ ſis fundamentum: non quidem primarium, quod mihi ſoli competere poteſt: ſed eris tu fundamentum ſecundarium: quam dignitatem tibi ſoli concedam. Sic Chriſtum loquentem inducit S. Leo, ſequentibus verbis: *Ego petra, ego fundamentum: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris; ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. S. Leo ſer. 3. de S. Petro.*

Cum veniſſet Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, interrogavit Diſcipulos ſuos, dicens: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Reſponderunt, quod ab aliquibus Joannes Baptiſta, ab aliis Elias, & ab aliis Jeremias, aut unus ex Prophetis eſſe crederetur. Chriſtus vero Apoſtolos deinde alloquens, dixit: *Vos autem quem me eſſe dicitis? Matth. 16.* Nomine omnium reſpondit Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Mirabilis hæc fuit Petri confeſſio: ſed mirabilior extitit Petri confitentis remuneratio: quia ob talem confeſſionem factus eſt totius Eccleſiæ fundamentum. Dixit enim Chriſtus: O Pe-

Digitized by Google

tre, quia me Chriſtum Dei Filium eſſe confeſſus es: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quanta Petri gloria, quanta merces, quod a Chriſto factus ſit fundamentum illius Eccleſiæ, contra quam inferni portæ prævalere nequeunt; illius Eccleſiæ, quam ut ſponſam dilexit, & quam proprio ſanguine irrigavit; illius tandem Eccleſiæ, quæ omnium Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, & aliorum Sanctorum, qui in cælis regnant, mater agnoſcitur: *Mercedem Petro dat magnam*, inquit Theophylactus, *in c. 16. Matth. quia ſuper eum ædificavit Eccleſiam*. Sed ſi magna eſt Petri gloria, & elevatio, quia univerſalis Eccleſiæ fuit fundamentum; magna etiam ejus fuit elevatio, *quia totius orbis terrarum fuit lux*.

3. Verum eſt, quod fidelis quiſque animarum paſtor, lux mundi vocari poſſit, omnibuſque bonis animarum Paſtoribus dici poteſt: *Vos eſtis lux mundi*. Sed ſicut ſtella differt a ſtella in claritate, ita inter Petrum, & alios paſtores, ratione lucis, magna eſt differentia: de aliis enim dici poteſt, quod fuerint veluti faces accenſæ, vel quaſi fulgentes ſtellæ, quibus illuſtratus eſt mundus; ſed S. Petrus fuit quaſi ſol, qui virtutum, & meritorum ſuorum radiis totum terrarum orbem illuminavit: *Luminare majus fuit Petrus. Dion. Carthuſ. ſer. 3. de Apoſt.* Alii Prælati luminaria parva, & minora extiterunt; ſed omnium luminarium maximum fuit Petrus, qui quaſi ſol, & quaſi luminare majus, univerſum mundum irradiavit.

In mundi creatione fecit Deus duo luminaria magna: unum, ut præeſſet diei: & aliud, ut præeſſet nocti. Ex his autem duobus magnis luminaribus unum eſt alio majus, ſcilicet ſol, qui diei præeſt: & aliud eſt minus, videlicet luna, quæ præeſt nocti: *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut praeeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti. Gen. 1.* Duo hæc luminaria in ſenſu myſtico explicans S. Bernardus, ait, per ea ſignificari S. Apoſtolos Petrum & Paulum, qui duo maxima Eccleſiæ Catholicæ lumina extitere: *Iſti ſunt duo magna luminaria, quos Deus in corpore ſuæ Eccleſiæ conſtituit.* Sed quem ex his duobus *luminare majus* vocabimus; quem ex iis ſolem eſſe dicemus? Petrum utique, ut ait S. Joannes Chryſoſtomus: *Præeſt Petrus ſol diei Circumciſionis. Paulus luna nocti præputii. Chryſ. in c. 2. ep. ad Gal.* Ideo, inquit, S. Petrus dicendus eſt ſol, quia præfuit diei Circumciſionis; ſeu, quia illuminavit populum Judaicum, qui erat circumciſus; ſed S. Paulus dicendus eſt luna, quia præfuit nocti præputii: ſeu quia illuminavit Gentiles, qui incircumciſi erant, & qui in tenebris erroris & infidelitatis degebant. Ecce præclaram rationem, ob quam S. Petrus dicendus eſt ſol, ſed aliam propoſito noſtro idoneam adducit Dionyſius Carthuſianus, dicens: *Luminare majus fuit Petrus, quoniam major extitit Paulo poteſtate prælatica, & juriſdictione. Ubi ſup.* ſeu quia fuit Prælatus majoris elevationis, & juriſdictionis. O magnam Petri gloriam! o ſublimem hujus Apoſtoli elevationem! ſed quanto ſublimior, tanto a nobis magis honorandus eſt.

Omnes Sacerdotes Deus honorare jubet: *In tota anima tua*, inquit, *time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes. Eccli. 7. 31.* Ecce præceptum de colendo Deo ter repetitum, totieſque his verbis Sacerdotes colere præcipitur; ut intelligant omnes, poſt Deum honorandos eſſe Sacerdotes, qui etiam, licet mali ſint, ſunt honorandi: *Quamvis mali ſint Sacerdotes, non ſunt contemnendi, ſed in eis venerandus eſt ille, & colendus, cujus ſunt Sacerdotes. S. Paſch. in c. 4. Jer.* Sed ſi omnes Sacerdotes ſunt honorandi, quanto majori veneratione dignus eſt S. Petrus, qui fuit ſummus Sacerdos, & Prælatus toti Eccleſiæ præpoſitus? quanto magis venerari debemus Sacerdotem Sacerdotum Petrum, qui fuit urbis Romæ gloria, Eccleſiæ fundamentum, & totius mundi lux? Eum venerati ſunt alii Apoſtoli, illum venerata eſt Regina Apoſtolorum Dei Genitrix Maria, quæ illum *Patrem, & Paſtorem ſuum* vocabat: honoremus & nos hunc Prælatum, cujus maxima fuit elevatio: *Sed Petri etiam erga Chriſtum maximus fuit amor. Amad. c. 8. Apoc.*

TERTIA PARS.

Petri Apoſtoli erga Chriſtum amor.

OMnes Apoſtoli, uno Juda excepto, Chriſtum Dominum dilexere, cum pro ejus amore omnia reliquerint, vitam laborioſam ſuſceperint, & glorioſo martyrio occubuerint. Sed in S. Petri erga magiſtrum & Deum ſuum amore quid ſpecialius, & eminentius elucet; quippe quia eum amavit: 1. Amore ardentiſſimo: 2. Amore generoſiſſimo: 3. Amore obſervantiſſimo, & reverentiſſimo.

1. Ter a Petro petiit Chriſtus, an ipſum diligeret, *Simon Joannis diligis me? Joann. 21.* Reſpondit ſemper Petrus quod illum diligeret: *Tu ſcis Domine, quia amo te*. Sed o Petre, qualis, & quantus eſt ille amor, quo Chriſtum proſequeris? Reſpondet S. Chryſoſtomus, amore Petri fuiſſe ferventiſſimum, nullumque alium Apoſtolum tanto, quanto Petrum erga Chriſtum amore exarſiſſe: *Nemo ita ut Petrus Jeſum amabat. Chryſ. tom. 2. hom. 51.* Et S. Paſchaſius, S. Petrum aliis Apoſtolis in fide firmiorem, & charitate ferventiorem extitiſſe, prophetam: *Petrus ferventior fide, & charitate. Paſch. l. 12. in Matth.*

Quam ardens Petri erga Chriſtum fuerit amor, multis in caſibus apparuit; ſed potiſſimum cum Chriſtus Apoſtolis prædixit, quod unus ex eis ipſum traditurus eſſet: *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum: Marc. 14. 18.* Dixit Chriſtus, quod unus ex eis ipſum proderet; ſed proditorem non manifeſtavit: cur, quæſo, vulgare noluit, perfidum Judam eſſe hunc proditorem, a quo prodendus erat? Reſpondet Doctor Angelicus, quod Apoſtolos in proditoris cognitionem Chriſtus adducere noluerit, quia ſi Petrus eum noviſſet, haud dubie illum occidiſſet: tanto enim Chriſtum amore proſequebatur Petrus, ut Judam occidiſſet, ſi illum Chriſti futurum eſſe proditorem præ-

no-

Digitized by Google

noviſſet: *Ita fervidus in amore Chriſti erat Petrus, quod ſi pro certo ſciviſſet, Judam fuiſſe Chriſtum traditurum, ſtatim occidiſſet eum.* O ardentiſſimum Petri erga Chriſtum amorem! *quem dilexit etiam amore generoſiſſimo.*

2. S. Petrus natura ſua generoſus erat; in omnibus ejus actionibus magnitudo quædam animi, magnaque cordis elucebat generoſitas: ſive enim operaretur, ſive pateretur, ſive amaret, hæc omnia cum ingenita quadam animi generoſitate faciebat. Sed ejus generoſitas maxime enituit in amore quo Chriſtum proſecutus eſt; generoſumque hunc ei manifeſtavit amorem, cum palam proteſtatus eſt, quod pro illius amore carceris ignominiam, & mortis ſupplicium ſubire paratus eſſet: *Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem & in mortem ire. Luc. 22. 33.* O Petre, attende ad verba tua; vide, quid Chriſto pollicearis, facile tibi eſt promittere, ſed ſtare promiſſis tibi difficillimum erit; nil Petro videtur difficile, ut ſuum in Chriſtum teſtetur amorem: ita enim generoſus eſt amor, quo inflammatur Petrus, ut amore illo ſucceſus, difficilia quævis, immo & quaſi impoſſibilia aggredi & facere promittat: *Multa charitas animoſum eum reddidit, ut pelliceatur, quæ ſibi tunc quaſi impoſſibilia. Theophyl. in c. 22. Luc.*

At, quam generoſus fuit Petri erga Chriſtum amor, non verbis ſolum & promiſſis, ſed etiam factis multis conſtat, & præcipue ex hoc quod Chriſti patrocinium in horto Gethſemani ſuſceperit? Quid enim generoſius, quam quod ipſe ſolus, rubiginoſo quodam gladio armatus, trecentos circiter armatiſſimos ſatellites aggrediatur, uniuſque ex eis auriculam prædicat; advertit Petrus; trecentos eſſe qui adverſus Chriſtum armati accedunt; novit, eos infenſiſſimos eſſe Chriſti, & Diſcipulorum ejus hoſtes; probe ſcit, hujuſmodi homines minas & mortem ſpirare; videt, quod contra tot ſatellites nullo modo prævalere poſſit; quodque ſi unum percutiat, omnes haud dubie in ipſum irruent; ſed amore ita generoſo Chriſtum diligit, ut unus contra trecentos inſurgat ſatellites, & gladio, quem caſu geſtabat, unum ex his percutiat. *Malchum percuſſit eodem mentis ardore, quo cætera faciebat. Chryſ. in c. 20. Matth.* O generoſiſſimum Petri erga Chriſtum amorem: *Quem dilexit etiam amore obſervantiſſimo.*

3. Cum vera amicitia ſit inter pares; qui alios ſibi ſuperiores amant, amori ſuo reverentiam adjungere, ſeu illos amore quodam reverentiæ diligere debent, quia, inquit Doctor Angelicus, *cuilibet dignitati debetur reverentia; D. Thom. Opusc. 9.* & ut ait Hugo a S. Victore: *Amor ſine reverentia puerilis judicari debet. Hugo de inſtit. novit. c. 5.* Petrus autem Chriſtum amore obſervantiſſimo dilexit, tantaque amori ejus adjuncta eſt reverentia, ut præ humilitate, nec in conſpectu ejus remanere auderet. Unde miraculoſe facta piſcium captura, coram Chriſto procumbens, dixit: *Exi a me, quia homo peccator ſum. Luc. 5. 8.* Chriſtum ardentiſſime amabat Petrus; ſed ardenti ejus amori tanta obſervantia, tantaque adjuncta erat reverentia; ut ſi hominem infirmum & peccatorem, necnon Chriſti converſatione penitus indignum fateretur: *Multa reverentia Petrus rogat Jeſum, ut navi excedat, peccatorem ſeipſum dicens, & indignum illius converſatione. Theoph. in c. 5. Luc.*

Multis aliis in caſibus Petrus, ſe Chriſtum amore obſervantiſſimo diligere, teſtatus eſt; ſed præcipue in morte, cum cruci verſis in cælum pedibus affigi voluit. Ut enim ait Richardus a S. Laurentio. *Ubi amor, ibi oculi: Rich. l. 4. de laud. Virgin.* quare Petrus, qui ſummopere Chriſtum amabat, pedibus ſurſum, & capite deorſum crucifigi voluit, ut oculos in cælum, ubi erat Chriſtus, quem diligebat, haberet intentos. Sed inſuper crucifigi voluit capite deorſum verſo, ut hoc ſupplicio, ſe Chriſtum amore obſervantiſſimo diligere teſtaretur: *Tantum Chriſti gloriæ dedit, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigiis. S. Ambr. ſer. 20. in Ps. 118.* Chriſtum ita dilexit Petrus, ut pro illius amore crucis ſupplicium ambierit, & libentiſſime paſſus ſit; ſed Petri amor tantæ ſuit reverentiæ conjunctus, ut non eodem modo quo Chriſtus, ſed inverſo corporis ſitu, crucifigi voluerit; *Qui non recuſat Dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expavit triumphi. S. Aug. ſer. 28. de Sanct.*

Miramini pereximium Petri erga Chriſtum amorem, qui tantus extitit, ut de eo, ſicut & de Magdalena, dici debeat: *Dilexit multum.* Sed ſi dilexit Chriſtum Petrus: cur & nos eum diligere renuemus? nonne idem Chriſtus? nonne ſemper infinite amabilis, & nonne immenſis ab eo acceptis beneficiis ad eum amandum adſtringimur? innumeris quidem rationibus eum amare tenemur, & inexcuſabiles ſumus, ſi eum non diligamus. *Inexcuſabilis eſt omnis homo, ſi non diligit Chriſtum ex omni corde: nam naturaliter filius amat patrem, a quo habet partem corporis: quanto magis amare debet Deum, qui corpus & animam ex nihilo fecit? S. Bern. tract. de diligendo Deo.* Sed, o homo infelix, cur Chriſtum non amabis, a quo non ſolum corpus & animam, ſed gratiam, ſacramenta, ac innumerabilia, ſive ſpiritualia, ſive temporalia accepiſti bona? cur non amabis Chriſtum, qui pro tui amore, ſputa, clavos, lanceas, & ipſam mortem ſuſtinuit? hæc omnia re ad illum amandum invitant: *Clamant alapæ, ſputa, clavi, lancea, irriſiones & verbera, ut ipſe toto corde, totiſque viſceribus diligatur, qui pro dilectione noſtra talia, ac tanta pati dignatus eſt. Laur. Juſt. in faſt. div. amor.* Hæc omnia Chriſtum diligendum eſſe clamant; ſed clamat inſuper D. Paulus, eoſque anathemate ferit, qui eum non diligunt: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema. 1. Cor. 16. 22.* Quare amemus Chriſtum cum S. Petro, & cum eo in cælo regnabimus. *Amen.*

DE SANCTO PAULO.

CONCIO UNICA.

Gratia Dei ſum id quod ſum. 1. Cor. 15. 10.

Maximum laudis genus eſt, cum orationis copiam virtus exſuperat, & cum laudantis ingenium vincit magnitudo laudati: ſic enim, ut ait Sanct. Chryſoſtomus, oratori cuivis, licet facundiſſimo,

mo, *ſemel vinti glorioſius eſt, quam ſæpe viciſſe.* Hanc autem proculdubio hodie nanciſcar gloriam, cum ampliſſima & altiſſima mihi pertractanda ſe offerat materia; elogium nempe D. Pauli Apoſtoli, qui ranti extitit meriti, tantiſque gaviſus eſt prærogativis ac donis, ut ab aliquo homine, quantumvis erudito, ſufficienter laudari nequeat & extolli: *Quæ lingua*, inquir idem Chryſoſtomus, *laudibus Pauli invenietur æqualis, cum omnia quæ ſunt in hominibus, bona, una anima poſſideas, & ea cuncta plene atque cumulate, quæ non ſolum hominum ſunt: ſed quod amplius eſt, Angelorum?* D. Paulum laudare poſſumus cum Auguſtino, Chryſoſtomo, Bernardo & aliis ſanctis Patribus, ſed ejus meritis condignas laudes perſolvere non valemus: quia cum in eo collecta videantur omnia privilegia, ac omnia aliorum Sanctorum merita, tot pro unico Paulo elaborandi eſſent panegyrici, quot pro omnibus aliis Sanctis ſimul conficiuntur. Non plures, ſed unicum, eumque breviter & humili ſtylo contexemus: in quo quid per Dei gratiam D. Paulus fuerit, manifeſtare conabimur. *Ave.*

DIvum Paulum Tertullianus vocat *Apoſtolum Christi, Doctorem Nationum, & vas electionis; Tert. l. 4. de pud. 4.* Qui gloriæ & honoris tituli ex variis ſacræ Scripturæ locis deſumpti ſunt & collecti. In ſacris enim Codicibus D. Paulus dicitur Chriſti Apoſtolus. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti. 2. Cor. 1.* Ibi etiam vocatur Doctor Nationum: *Doctor Gentium in fide & veritate, 1. Tim. 2.* Ibi tandem vas electionis appellatur. *Vas electionis eſt mihi iſte, Act. 9.* D. Paulus ante converſionem, & antequam abundanti gratia fuiſſet ſuperfuſus, erat blaſphemus contra Deum, perſecutor Chriſtianorum, & adverſus Religionem Catholicam contumelioſus. *Prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: 1. Tim. 1.* Sed per gratiam quam in converſione accepit; & per cooperationem ſuam, ex blaſphemo Apoſtolus Chriſti, ex perſecutore Doctor Nationum, & ex contumelioſo vas electionis factus eſt. O mirabiles effectus divinæ gratiæ, quam accepit, & cui cooperatus eſt Paulus! qui perfectius concipientur, cum probaverimus, Paulum fuiſſe Chriſti Apoſtolum, Doctorem Nationum, & Vas electionis. Paulus: 1. Fuit Apoſtolus Chriſti, & inter Apoſtolos zelantiſſimus: 2. Fuit Doctor Nationum, & inter Doctores humillimus. 3. Fuit Vas electionis, & inter electos Chriſto ſimillimus.

PRIMA PARS.

D. Paulus fuit Apoſtolus Chriſti, & inter Apoſtolos zelantiſſimus.

APoſtolica dignitas omnibus aliis Eccleſiæ dignitatibus antecellit. *Dignitas Apoſtolatus*, inquit Doctor Angelicus, *eſt præcipua in Eccleſia. D. Th. in c. 1. ep. ad Rom.* Eam ita ſublimem, & eminentem cenſuit D. Paulus, ut illa ſe indignum judicaverit: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus. 1. Cor. 15.* Fuit tamen Apoſtolus, non quidem ex duodecim, qui a Chriſto adhuc in terris cum hominibus verſante, vocati ſunt; ſed fuit Apoſtolus, quem Chriſtus poſt Aſcenſionem mirabili modo ad Apoſtolatum vocavit, & Apoſtolorum collegio adjunxit, in quo ita Apoſtolico honore dignus factus eſt, ut ſimpliciter & per Antonomaſiam *Apoſtolus* dici & appellari ſoleat: *Sicut urbs antonomaſtice vocatur ipſa Roma, ita Paulus vocatur Apoſtolus. D. Th. ubi ſup.*

Apoſtolus fuit D. Paulus, qui non ab hominibus, ſed a Chriſto revelante Evangelium didicit: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Ad Gal. 1.* Ab eodem autem Chriſto, a quo Evangelium didicit, miſſus eſt, ut illud Gentibus & Judæis prædicaret; licet enim ſe Gentium Apoſtolum vocet: *Ego ſum Gentium Apoſtolus; Rom. 11.* a Deo tamen electus & miſſus eſt, ut nomen & Evangelium ſuum non ſolum Gentilibus, ſed etiam Judæis annuntiaret: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Act. 9.* O magnum Apoſtolum, cujus miſſio non ad hanc duntaxat, vel illam provinciam, ſed ad omnem penitus mundum extenditur! ſed non minor eſt latitudo zeli illius; eſt enim inter Apoſtolos zelantiſſimus, cum ejus zelus ad omnes totius Orbis homines diffundatur, quorum omnium ſalutem optat, & pro quorum ſalute laborat.

Sancto hoc zelo ſuccenſus Paulus optaſſet, ſi licuiſſet, & ſi fieri poſſet, alienus & ſeparatus eſſe a Chriſto pro omnium hominum ſalute: *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis. Rom. 9.* Eodem zelo ardens, omnium ſalutem ſe deſiderare conteſtabatur: Philippenſibus enim, & in eorum perſona omnibus hominibus dicebat: *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti. Ad Phil. 1.* Seu, ut exponit Doctor Angelicus: *Teſtis eſt mihi Deus quo modo cupiam veſtram ſalutem.* Et quia cordis deſideria ſoli Deo ſunt manifeſta, teſtem invocat Deum, quod ſalutis omnium zelo vere ardeat: *Teſtis eſt mihi Deus.* Unde ſi dixit Chryſologus, Chriſti cor eſſe *totius Orbis cor*: quia omnium hominum ſalutem ſummo affectu deſiderabat; ita cor Pauli fuit *totius Orbis cor*, quia tanto ſuccendebatur zelo, ut omnium hominum ſalutem ardenter optaret. De corde etiam Pauli dici poſſet quod de ſphæra ab Archimede compoſita dicebat Caſſiodorus: *Parva machina gravida mundo*; cor enim Pauli erat *parva machina* a Deo elaborata, & ſanctiſſimis moribus a Spiritu ſancto agitata; ſed hæc machina erat *gravida mundo*; quia præ nimio quo Paulus ardebat zelo, totum mundum ſalvare optabat: *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.*

Ardentiſſimus hic S. Pauli zelus, non in ſolis affectibus & deſideriis, ſed etiam in laboribus plurimis conſtitit ac poſitus fuit: zelus enim ejus naturam redolebat ignis, qui latere non poteſt, nec in ſinu aſcondi, quin foras erumpat: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Prov. 6. 27.* Quare zelus, quo cor ejus ſuccendebatur, foras prorupit; hunceque zelum teſtatus eſt laboribus plurimis, quos pro animarum ſalute ſuſcepit. Laboraverunt quidem omnes Apoſtoli, ſed plus aliis laboravit Paulus: Aliarum rerum gloria vinci a commilitonibus paſſus eſt; ſed in laborando pro animarum ſalute aliis omnibus antecelluit: *Abundan-*

undantius, inquit, *illis omnibus laboravi*. 1. *Cor.* 15. Gratiam Apoſtolatus quam acceperat, in ſe otioſam, & inutilem reſidere noluit; ſed illa adjutus, ſaluti animarum procurandæ incubuit, & ut ait D. Hieronymus, licet Paulus in Collegio Apoſtolico eſſet ultimus ordine, fuit tamen omnium primus in labore: *Paulus noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt: quia extremus licet, plus omnibus laboravit*. *S. Hier. Ep.* 13. Noverat S. Apoſtolus, quod *nullum eſt tam gratum Deo ſacrificium, quam zelus animarum*, quare ſancto hoc ſalutis animarum zelo exardeſcens, plus aliis omnibus laboravit: *Abundantius illis omnibus laboravit*. *S. Greg. in* 7. *Pſ. pœnit. Pſ.* 4.

Aliquam laborum, quos pro animarum ſalute ſuſcepit, ideam nobis objicit Paulus, cum ſe ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum prædicaſſe ait: *Ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti*. *Ad Rom.* 15. 19. Sed latius a zelantiſſimo hoc Apoſtolo pro Dei gloria, & animarum ſalute ſuſceptos, ac exantlatos labores enarrat S. Chryſoſtomus, dicens: (Paulus terram ac mare, Græciam, ſimulque Barbariam, omnemque prorſus regionem quaſi volitans circumivit, peccatorum ſpinas vellens, & verbum ſeminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens ex hominibus Angelos faciens; quin immo ipſos homines, quaſi ex dæmonibus in Angelos provehens. *Chryſ. hom.* 1. *de laud. Pauli*.) Sicut enim dæmon invidia tabeſcens terram circuit, ut animas Chriſti ſanguine redemptas perdat: *Circuivi terram*; ita & D. Paulus, apoſtolico accenſus zelo, terram, mare, ac omnem fere mundum luſtravit, ut eas e ſatanæ manibus eriperet, eaſque ad Chriſti ovile adduceret.

O pereximium ſancti hujus Apoſtoli zelum! quem clarius adhuc manifeſtare videtur Chryſoſtomus, cum Paulum *Solem* appellat: *Sol quidem hominibus eſt Paulus*; *Chryſoſt. hom.* 8. *de laud. Pauli*. Sol enim fuit Paulus, qui totum fere luſtravit orbem, & ſol fuit, qui zeli ſui flammas undique diſperſit. Sol noſter materialis, non in unica mundi parte fixus ſtat; ſed, ut ait Sapiens, *oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur; ibique renaſcens, gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans univerſa*. Sic S. Paulus, non in uno aut paucis locis fixus permanſit; ſed veluti ſol, zeli ſui flammis ardens, totum fere peragravit Orbem, & ubique magna zeli ſui dedit teſtimonia; tum prædicando, tum diſputando, tum idola ſubvertendo, tum impios arguendo, tum miracula multa faciendo: *Dæmones expulit, peccatorum nexus reſolvit; Tyrannos compeſcuit, Philoſophorum linguas obturavit, orbem Deo adduxit*: *Chryſ. Orat. Kalendis habita*.

Perbelle dixit Tertullianus, quod quilibet homo adverſus eos, qui Regi ſunt rebelles, arma ſumere, & militare debeat: *Contra Majeſtatis rebellem eſt omnis homo miles*. Omnes autem peccatores non Regi terreno, ſed Deo ſunt rebelles; ac proinde omnes penitus homines, acuto verbi Dei gladio armati, adverſus hos rebelles inſurgere debent; ut in iis deſtruant corpus peccati, ac ut eos Deo reconcilient. Quod perfectiſſime adimpleverunt multi viri zelantiſſimi, qui Evangelii armis inſtructi, pro Dei gloria adverſus peccatores decertarunt. Sed præcipue D. Paulus, qui advertens, omnes fere totius mundi homines divinæ majeſtati eſſe rebelles; ſancto verbi Dei, ac Evangelii gladio inſtructus, omnem pene peragravit Orbem, ut undique Dei infenſos peccatores quæreret, ac in Dei gratiam reduceret. In his temporibus totus mundus in maligno poſitus, ac infidelibus, Idololatris, & aliis peccatoribus, qui Dei jugo ſubdi recuſabant, erat plenus; Paulus autem captis S. Evangelii armis, totum fere volavit per Orbem, & ubique precibus, prædicationibus, diſputationibus, omnibuſque modis ſibi poſſibilibus contra hos rebelles pugnavit, ac innumeros cum Deo reconciliavit, & in viam ſalutis adduxit: *Dæmones expulit, peccatorum nexus reſolvit, Tyrannos compeſcuit, Philoſophorum linguas obturavit, Orbem Deo adduxit*.

O virum zelantiſſimum! o Apoſtolum igne zeli vere ſuccenſum! & o utinam aliqua ignis illius ſcintilla corda noſtra accenderet! A nobis Deus non exigit, ut pro animarum ſalute laboraturi, totum terrarum orbem peragremus, ſed vult ſaltem, ut cum coram nobis majeſtas ejus offenditur, pro illius gloria arma ſumamus; vult ut his caſibus ſimus omnes milites: *Contra Majeſtatis rebellem eſt omnis homo miles*. Nec dicat quis: Ignarus ſum, pauper ſum, contemptibilis ſum; ac proinde meum non eſt peccatores, qui Deo injuriam irrogant, monere, corripere, & arguere, & a ſemitis impietatis avocare. Hæc enim ratio non valet: quia cum de Dei gloria agitur, omnis homo arma capere, & a Dei partibus ſtare tenetur: *Contra Majeſtatis rebellem omnis homo miles*.

De Regis Crœſi filio, a nativitate muto, referunt Hiſtorici, quod cum miles quidam, adacto ferro, Crœſum occidere vellet, filius ille mutus, qui patri adſtabat, paterni amoris vi & impetu actus, neſcio qua virtute, diruptis linguæ impedimentis, clamaverit dicens: *O homo, cave ne Regem interficias*: Ecce quid fecerit ardens amor, & zelus filii in patrem; ſed ecce etiam quid in nobis operari debet zelus & amor noſter in Deum: cum enim nobis adſtantibus, ei injuria infertur, licet ſimus ignari, pauperes, contemptibiles, & ut ita dicam, muti; pro Dei tamen gloria ſi fieri poteſt, eſt loquendum, ac generoſe decertandum. Accendamur ergo ſancto zelo, inſtar D. Pauli, qui fuit inter Apoſtolos zelantiſſimus: *ac etiam inter Doctores humillimus*.

SECUNDA PARS.

D. Paulus fuit Doctor nationum, ac inter Doctores humillimus.

Divus Paulus ſe Græci ſermonis imperitum, non tamen ſcientia vacuum fatetur: *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*, 2. *Cor.* 11. 6. ſcientiarum quidem imperitus non fuit, qui, dum eſſet juvenis, ſub Gamaliele magiſtro in Lege & Prophetis doctiſſimus evaſit; & qui poſtmodum ingentes in cælo ſcientiarum theſauros acquiſivit; quibus inſtructus, non quorumdam dumtaxat hominum, vel quarumdam nationum, ſed totius mundi magiſter & do-

Digitized by Google

ctor factus eſt: Paulus, inquit Chryſoſtomus, eſt *magiſter Orbis. Chryſ. hom. 12. in Gen.* Verum eſt, quod præcipue Gentiles ſcientiam ſalutis docuerit: *Doctor Gentium in fide & veritate. Epheſ. 3. 8.* Sed fuit etiam Doctor Judæorum, ac omnium hominum; ad quos omnes docendos & illuminandos a Deo miſſus eſt: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes.*

Magnus quidem Doctor extitit D. Paulus, cujus ſchola fuit totus orbis terrarum, in quo per ſe, & per ſuas epiſtolas, omnes homines præclaram ſcientiam docuit. Sed ſi ſanctis Patribus fidem adhibeamus, Paulus habuit etiam Scholaſticos in cælo, Angelos ſcilicet, qui multa ab ipſo myſteria didicerunt; & qui ipſum ut magiſtrum & Doctorem habuerunt, *Paulus*, ut ait S. Chryſoſtomus, *Angelorum Evangeliſta, hic eos illuminavit. S. Chryſ. in c. 3. Epiſt. ad Epheſ.* Chryſoſtomo aſſentitur Sanctus Cyrillus Alexandrinus, dicens; quod *Paulo prædicante Evangelii myſteria didicerunt Angeli*: Unde S. Ambroſius eum non ſolum hominum, verum & Angelorum magiſtrum nuncupat: *Non ſolum hunc magiſtrum dedit Gentibus, ſed etiam Angelis. Amb. in c. 3. Epiſt. ad Epheſ.*

O mirabilem Doctorem! cujus ſcientia præcipue enituit in diſputationibus quas ſuſcepit, & in epiſtolis quas ſcripſit. Diſputabat ſæpiſſime D. Paulus, nec aliquis Apoſtolorum tam crebro, quam ille, publicas inſtituit diſputationes. *Act.* 17. Cum eſſet Athenis, diſputabat in ſynagoga per ſingulos dies: alibi etiam ſæpiſſime diſputabat, & ſuas nonnunquam diſputationes uſque ad mediam noctem pertrahebat; ac ita fortiter ex variis veteris teſtamenti locis Chriſtum eſſe verum Deum probabat, ut confunderet Judæos, *Confundebat Judæos qui erant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus. Act. 9.* Stupebant omnes qui Paulum de Chriſto diſſerentem audiebant, & præcipue Feſtus Præſes, qui eum ob nimiam ſcientiam inſanire credidit: *Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. Act. 16. 24.* Docuit Philoſophorum Princeps, *illos qui clareſcunt ingenio melancholicos eſſe, ac vitiis atræ bilis infeſtari, & mente alienari; Ariſtot. in Probl. ſect. 30.* idque Paulo accidiſſe credidit Feſtus, qui eum a nimio ingenii acumine, ac a nimia ſcientia inſanire dixit: *multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.*

Paulum diſputantem audire non meruimus; ſed ejus epiſtolas in manibus habemus, in quibus eſt doctrina tonans, doctrina univerſalis, doctrina perpetua, ac uſque ad mundi finem duratura. In epiſtolis ejus eſt doctrina tonans & terrens; non enim perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis utitur, ſed verbis & ſententiis tonantibus omnium hominum, etiam peccatorum quorumcumque, corda concutit; unde dicebat D. Hieronymus: *Quotieſcumque Paulum Apoſtolum lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua. Hieron. Apolog. ad Fammach.* In ejus etiam epiſtolis continetur doctrina univerſalis: non ſolum quia in iis, de omnibus quæ ad Evangelicam Doctrinam ſpectant, agitur; ſed etiam quia omnibus eſt utilis; ac per totum Orbem diffuſa, ut enim ait Gerſon: *Jam non eſt in Orbe Eccleſia, quæ B. Pauli non fulciatur doctrina. Gerſon Medit. 1. de Incarn.* Sed tandem in ejus Epiſtolis eſt doctrina ſana, & utiliſſima, quæ uſque ad mundi terminum durabit; unde S. Chryſoſtomus ait, D. Paulum eſſe Doctorem, qui poſt mortem docet, & prædicat, *Poſt mortem præco. Chryſoſtom. hom. 22. ad pop.* Non enim ſolum, dum viveret, in omnibus fere Orbis nationibus prædicavit; ſed etiam nunc ubique prædicat, ubique docet, & uſque ad mundi finem per ſuas Epiſtolas ubique homines docebit. Avaros ſemper docebit, ut terrena deſpiciant; luxurioſos, ut caſtitatem ſectentur; ſuperbos, ut ſe humilient, fures, ut ablata reſtituant, iracundos, ut manſuetos ſe exhibeant; & omnes, ut cæleſtia bona ſummo affectu inquirant: *Quæ ſurſum ſunt, quærite; Heb. 11. 4.* Unde de Divo Paulo, ſicut de Abel juſto dici poteſt, quod *defunctus adhuc loquitur*: per Epiſtolas enim, quas ſcripſit, adhuc loquitur, & uſque ad mundi finem loquetur, omneſque docebit homines, quid credere, quid amare, quid deſiderare, & quid facere debeant. O magnum Doctorem, qui docet omnes, qui docet ubique, qui docet ſemper, & qui docet omnia quæ ad hominum ſalutem & perfectionem ſpectant. Unde Sancti Patres ejus ſcientiam quam maxime extollunt. Divus enim Hieronymus eum vocat *bibliothecam divinitatis*, ut indicet eum de divinitate calluiſſe quidquid de ea purus homo ſcire poteſt. S. Dionyſius illum *abyſſum ſapientiæ* nuncupat. S. Chryſoſtomus illum mare ſapientiæ vocitat: *Ipſe mare ſapientiæ puriſſimum, & profundiſſimum. Chryſ. hom. 4. de laud. Pauli.* Et S. Vincentius Ferterius ait, quod Paulus *ſcivit plus quam Salomon, & omnes Philoſophi in tota vita ſua. Vincen. Ferr. ſer. de S. Paulo.* O quam eminens fuit D. Pauli ſcientia! ſed o quam humilis extitit Paulus, qui de ſua ſcientia non ſuperbivit! *ſed inter Doctores humillimus fuit.*

Homines docti, ſi magna virtute non ſint prædicti, in ſuperbiam perſæpe incidunt: quia *ſcientia inflat, 1. Cor. 8.* id eſt, facile extollit hominem in ſuperbiam; non quidem ex natura ſua, ſed occaſionaliter; quia multis eſt occaſio ſuperbiendi. Unde hæc eſt differentia inter ſcientiam, & charitatem, quod charitas non inflat, ſed ædificat; ſcientia vero, ut ait Bernardus, *ſer. 9. in Cant. eſt inflans, non ædificans.* Divum tamen Paulum, licet doctiſſimum, ſcientia non inflavit; ſed humillimus ſemper extitit: unde ex affectu humilitatis nunc ſe Apoſtolorum minimum, & Apoſtoli nomine indignum vocat: *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. 1. Cor. 15.* Nunc, non ſolum Apoſtolorum, verum & omnium Sanctorum, ſeu omnium Chriſtianorum ultimum ſe nuncupat: *Mihi omnium Sanctorum minimo. Epheſ. 3.* Et nunc ſe omnium peccatorum maximum appellat, *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. 1. Tim. 1.* O magnam hujus Doctoris humilitatem! o virum vere humilem! ſi enim, ut ait D. Bernardus, *Serm. 16. in Cant. verus humilis, vilis vult reputari*; quanta eſt humilitas D. Pauli, qui omnium Chriſtianorum minimus, & omnium peccatorum maximus dici vult,

& re-

& reputari? Certe Paulus eſt inter Doctores humillimus.

O utinam Paulum hac in parte imitarentur omnes docti! Sed heu! minima ſcientiæ ſcintilla in pleriſque ingentes ſuperbiæ ventos excitat, ſciunt parum, & ſuperbiunt multum; modica, ac quaſi nulla eorum eſt ſcientia; & maxima, ac quaſi diabolica eſt eorum ſuperbia. O miſeri! ut quid diligitis vanitatem? ut quid ſuperbitis de ſcientiis veſtris, quæ modicæ ſunt, & de quibus æterno Judici eſt reddenda ratio? *Noli extolli de tua ſcientia*, inquit Thomas a Kempis; *lib. 1. imit. cap. 2. ſed potius time de data tibi notitia*, & rationem dat propter quam quiſque ob datam ſibi a Deo ſcientiam timere debeat, quia, inquit, *quanto plus, & melius ſcis, tanto gravius inde judicaberis*. Quare quanto doctiores, tanto humiliores eſtote, inſtar S. Pauli, qui inter Doctores fuit humillimus, *& qui fuit vas electionis, ac inter electos Chriſto ſimillimus*.

TERTIA PARS.

S. Paulus eſt vas electionis, & inter electos Chriſto ſimillimus.

DIci poſſet, Paulum fuiſſe *vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo: Eccl. 50. 10.* fuit enim *vas auri*, propter fulgorem ſapientiæ, *ſolidum*, propter charitatem qua arſit; & *ornatum omni lapide pretioſo*, ſcilicet omnibus virtutibus, quibus tamquam pretioſis margaritis ejus anima decorabatur. Dici etiam poſſet cum Doctore Seraphico, Divum Paulum fuiſſe *vas altum*, & elevatum per contemptum terrenorum, *vas ſolidum*, & firmum per patientiæ virtutem, *vas purum*, & mundum per continentiæ donum. *D. Bonav. ſerm. 2. de converſ. S. Pauli*. Sed dicamus cum Chriſto, Paulum eſſe vas electionis: *Vas electionis eſt mihi iſte. Actor. 9.* Non enim vas perditionis, & reprobationis, ſed *vas electionis* fuit D. Paulus: quia ab æterno a Deo electus, & ad æternam beatitudinem eſt prædeſtinatus. *Paulus*, inquit D. Hieronymus, *in c. 1. epiſt. ad Galat. fuit vas electionis, & prædeſtinationis*; & ut ait Doctor Seraphicus, *notatur Pauli æterna electio, cum dicitur, vas electionis eſt mihi iſte. S. Bonav. ubi ſup.*

De Paulo Ananiæ dixit Deus: *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael. Act. 9.* In quibus verbis, ut docet Divus Bonaventura, duo tanguntur, temporalis ſcilicet Pauli Vocatio, & æterna ejus prædeſtinatio, temporalis vocatio in his verbis exprimitur: *Ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael*, quia iis verbis manifeſtatur; ipſum eſſe temporaliter vocatum ad prædicandum gentibus, & omnibus populis. Sed æterna Pauli electio, & prædeſtinatio his verbis adnotatur: *Vas electionis eſt mihi iſte*. Ut enim ait Doctor Seraphicus, (ad gratiam Sanctus Apoſtolus & ad gloriam ab æterno fuit electus, & a Chriſto temporaliter eſt vocatus; ut & gratiam haberet abundanter in via, & gloriam obtineret in patria. Unde bene de eo dicitur: *Vas electionis eſt mihi iſte*). Fuit ergo D. Paulus vas, non in contumeliam, ſed in honorem, fuit *vas electionis*, ſeu fuit ipſe electus, & prædeſtinatus ad gloriam: immo & fuit electus, ut ad altioris cæli ſedes ſublimaretur. Sed quod mirum eſt, D. Paulus *inter electos fuit Chriſto ſimillimus*.

Chriſtus eſt exemplar primarium, cui omnes electi ſimiles, & conformes eſſe debent: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui. Roman. 8. 26.* Chriſtus eſt primogenitus electorum: *Primogenitus in multis fratribus*, quare ei ut primogenito reliqui fratres ſecundogeniti, ſeu adoptivi, quoad fieri poteſt, ſimiles ac conformes reddantur neceſſe eſt, & præcipue in doloribus, paſſionibus, & tribulationibus; ipſe enim gravia tolerando, ſe omnibus electis in exemplum dedit, quod imitari debent, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 2. Pet. 2. 21.* Divus autem Paulus maxime conformis; & ſimilis fuit Chriſto in paſſionibus, unde ait, ſe cum Chriſto cruci affixum eſſe, *Chriſto confixus ſum cruci, 2. Corinth. 11.* Et ut pateat, quam ei ſimilis in hoc fuerit, audiamus eum enarrantem gravia quæ pertulit: (In laboribus plurimis, inquit, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe .... in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate, &c.) Tot & tanta paſſus eſt Divus Paulus, ut ejus vita, non tam vita, quam quotidiana, & perennis mors videatur: *Quotidie morior. 1. Cor. 15.* Unde D. Chryſoſtomus, Divum Paulum ita gravia, ſive a ſeipſo, ſive ab Imperatoribus, ſive a Judicibus, ſive a Gentilibus, ſive a falſis fratribus paſſum eſſe dicit tormenta, ut ea importabilia eſſe cenſeat: *Pauli famem, nuditatem, naufragia, deſerti habitationes, timores, pericula, inſidias, carceres, verbera, vigilias, & alia quæ perpeſſus eſt, ne ferenda quidem arbitror. S. Chryſoſt. lib. 3. de provid.* O quam gravia fuere Pauli ſupplicia! o quam ſimilis, & conformis fuit Chriſto, cum quo graviſſima multa pertulit! Sed adhuc ei fuit ſimillimus, quia gravia quævis ſupplicia maxima cum patientia perpeſſus eſt.

Tanta in mediis ſuppliciis fuit Chriſti patientia, quod *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*. Hæc, & alia multa patientiæ ſuæ teſtimonia exhibuit Chriſtus, in quo ei ſimillimus fuit Paulus, qui adverſus perſecutores non eſt iratus; ſed tanta ejus extitit patientia, ut benediceret maledicentibus, & pro omnibus perſecutoribus oraret: *Maledicimur*, inquit, *& benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus. 2. Corinth. 4. 11.* Et ut Sanctus ille Apoſtolus majora ederet patientiæ ſuæ teſtimonia, in mediis infirmitatibus, & perſecutionibus gaudebat: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. 2. Cor. 12. 10.*

Admirabilis non eſt hominis patientia, cum levia, aut nulla ſunt quæ patitur; ſed tunc eſt admirabilis, cum gravia multa immobiliter, & conſtanter

ter

Digitized by Google

ter tolerat; *Non eſſet laudabilis, nec admiranda patientia, ſi nullis inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propoſitum retineret, ſed in eo eſt præclara atque glorioſa, quod irruentibus in ſe tentationum procellis, immobilis perſeverat. Joann. Caſſian. collat. 18. c. 13.* Sed o quam mirabilior adhuc extit Sancti Pauli patientia; quippe qui inter innumeras tribulationes, & perſecutiones, quas a Judæis, & Gentilibus, a plebeiis, & Principibus, ab inimicis, & ab ipſis fratribus perpeſſus eſt, non ſolum immobilis perſeveravit: verum & pro perſequentibus oravit, iis benedixit, ac omnia æquo, & hilari animo pertulit, immo & totam gloriam ſuam in cruce, & in tribulationibus conſtituit: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Galat. 6.*

Admiremur Pauli patientiam, ac eam pro viribus imitemur. De numero electorum fuit; ſed inter electos Chriſto ſimillimus extitit, præſertim in patientia, quam exhibuit in medio laborum, & perſecutionum. Si etiam nos de numero electorum cum ipſo eſſe velimus, patientiam cum illo ſectemur neceſſe eſt: quia patientia eſt neceſſaria ad cælum via. Audite Divum Paulum, qui patientiam ad ſalutem neceſſariam eſſe clamat: *Patientia vobis neceſſaria eſt; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. Hebr. 10. 36.* Neceſſaria quidem eſt, quia tot difficultatibus, tentationibus, perſecutionibus, & adverſitatibus vita chriſtiana referta eſt, ut niſi continua patientia Chriſtianus inſtructus incedat, ad vitam æternam pervenire nequeat. O N. N. vultis regnum cæleſte aſſequi? *Patientia vobis neceſſaria eſt.* Lex illa omnibus hominibus eſt poſita: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. Tim. 2.* Qui inimici crucis ſunt in hoc mundo, numquam cum Chriſto regnabunt in cælo; ſed ſi contumelias, afflictiones, perſecutiones, & quæcumque in via mandatorum Dei dura, & aſpera occurrunt, patienter ſuſtinuerimus cum Chriſto, cum eo etiam in cælo regnabimus. Quare omnium virtutum, & præſertim patientiæ exercitiis vacemus, ut æternam beatitudinem obtineamus. *Amen.*

DE

SS. SACRAMENTO.

CONCIO PRIMA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Credere oportet accedentem ad Deum Hebr. 11.

MAgnum præteritis ſæculis, circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Eccleſiam inter, & dæmonem factum eſt prælium. Pugnavit dæmon per Hæreticos; & pugnavit Eccleſia per Doctores ſanctiſſimos, per Concionatores zelantiſſimos, ac per Martyres conſtantiſſimos, qui purpureis ſanguinis ſui characteribus quidquid de Euchariſtia credimus, generoſiſſime ſubſignarunt. Spiritu ſatanæ agitati, Eccleſiam aggreſſi ſunt Berengarius, Calvinus, & alii hæreticæ pravitatis ſectatores, qui Eccleſias vaſtaverunt, altaria deturbarunt, myſteria noſtra profanarunt; Dei vero ſpiritu ſuccenſi militarunt veri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filii, qui convicia, verbera, & ipſam mortem pro myſteriorum noſtrorum veritate propugnanda ſuſtinuerunt. Maxima fuit dæmonis malitia adverſus Eccleſiam, quæ graviſſima multa perpeſſa eſt: maxima etiam extitit fortitudo Eccleſiæ, quam, veluti Salomonis lectulum, plures viri fortiſſimi ambierunt, *omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, Cant. 3. 8.* & quæ tandem Doctorum ſuorum argumentis, Principum ſuorum armis, & Martyrum ſuorum paſſionibus de hæreſi triumphavit; tantuſque ejus, ſaltem in Gallia, extitit triumphus, ut nunc magna perfruatur pace, ſuaque myſteria ubique libere celebret. Nunc non in antris, ſed palam Sacerdotes ſacrificant; nunc non occiduntur qui ad Chriſtum in Euchariſtia honorandum conveniunt: nunc Concionatoribus Catholicis, de Euchariſtia dicentibus, non parantur inſidiæ, lingua non abſcinditur, & mors non infertur. Quare veniant, quæſo, per totam hanc Octavam auditores, quibus libere, & quam utiliſſime potero, de diſpoſitionibus ad Euchariſtiam debite recipiendam adhibendis prædicabo.

Cum Archangelus Gabriel Mariæ, Verbum æternum in ejus utero incarnandum nuntiavit: protinus petiit illa ab Angelo, quomodo hoc fieret: *Quomodo fiet iſtud?* Cum etiam, Angelico Prædicatoris fungens munere, in hoc pulpito, de Verbo Incarnato, per Euchariſtiæ ſumptionem ad nos veniente, locuturus appareo, mihi audire videor quotquot adſtant fideles, a me inquirentes, quomodo ad illud debite recipiendum ſe præparare debeant, ac dicentes cum Maria: *Quomodo fiet iſtud?* Octo reſponſionibus huic petitioni ſatisfacere conabor. Hodie reſpondebo, accedendum cum fide: *Credere oportet accedentem ad Deum. Hebr. 11.* Cras, cum admiratione veniendum eſſe dicam: *Mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Iſa. 50.* Die Sabbati proximo, cavendum ab indigna communione reſpondebo. *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. 1. Corinth. 11.* Reſponſum dabo die Dominica, quod tollenda ſint omnia peccata per veram pœnitentiam: *Pœnitentiam agite. Matth. 3.* Die Lunæ; quod ad dignam receptionem ſpirituali cultro, omnia vitia, ſeu affectus pravi ſint abſcindendi; *Statue cultrum in gutture tuo. Prov. 23.* Die Martis, vitam in melius mutandam eſſe dicam; *Mutaberis in virum alterum. 1. Reg. 10.* Die Mercurii, affectu filiali ſuſpirandum aſſeram: *Antequam comedam ſuſpiro. Job 3.* Et tandem die ultima reſpondebo, quod quiſque ſe diſponere teneatur, quaſi exiturus eſſet de hoc mundo; *Diſpone domui tuæ. Iſaiæ 38.* Ecce octo diſpoſitiones. Incipiamus hodie a fide, qua credere debemus, Chriſtum eſſe vere & realiter in Euchariſtia, &c. *Ave.*

INter omnia fidei noſtræ myſteria auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per excellentiam *myſterium fidei* vocatur. Verum eſt, Chriſti Incarnationem, Reſurrectionem & Aſcenſionem eſſe fidei myſteria; nullus quoque dubitat, quin Perſonarum

Divi-

Divinarum Trinitas ſit magnum myſterium fidei; multa etiam alia nobis credenda proponuntur myſteria, quæ nullo modo mente concipi & comprehendi poſſunt. Sed ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum *myſterium fidei* ſpecialiter dicitur; quoniam licet ad omnia ſupernaturalia myſteria fides neceſſaria ſit, multo tamen neceſſarior videtur ad hoc Sacramentum; tum propter innumeras quæ circa illud menti noſtræ ſeſe offerunt difficultates; tum quia in aliis myſteriis ea ſolum credimus, quæ non videmus; & in iſto unum videmus, & aliud credamus neceſſe eſt. Omnia quæ in hoc SS. Sacramento fide credenda ſunt, percurrere, nunc mei non eſt animi, de ſola namque loquar reali Chriſti præſentia in Euchariſtia, quæ credenda eſt; 1. Fide firma & conſtante; 2. Fide generoſa, & triumphante; 3. Fide efficaci & operante.

PRIMA PARS.

Fide firma credendum eſt, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia.

IN naſcentis Eccleſiæ principiis, antequam Euchariſticus panis fidelibus diſtribueretur, alta voce clamabat Diaconus; *Accedite cum fide S. Greg. lib. 2. Dial.* Laudabilis hæc nunc exolevit conſuetudo; ſed ſi non clamet jam Diaconus, clamant tamen Prophetæ, clamant Concilia, clamant ſummi Pontifices & ſancti Patres; accedendum cum fide. Clamori autem eorum clamorem meum adjungo, totiſque affectibus clamo, accedendum eſſe cum fide, ac firmiter credendum, Chriſtum vere & realiter eſſe in Euchariſtia, quia ipſe eſt Deus fidelis, verax & omnipotens; ipſe eſt; 1. Deus fidelis, qui promittit; 2. Deus verax qui aſſerit. 3. Deus omnipotens, qui hoc facere poteſt, quod aſſerit & promittit.

1. Aliquanto ante SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, diſcipulis ſuis promiſit Chriſtus, ſe illis daturum carnem ſuam ad manducandum; *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Joann. 6.* Non dixit Chriſtus, Euchariſticum panem, quem daturus erat, carnis ſuæ eſſe figuram, ſed eſſe ipſammet carnem ſuam; *non dixit*, ait Theophylactus, *panis quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed caro mea eſt.* Et ut omnem dubitandi locum tollat Chriſtus, explicat clarius, quæ ſit illa caro, quam daturus eſt ad manducandum, dicens, eſſe eamdem quam in cruce daturus eſt pro mundi vita: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quaſi diceret: hæc caro quam daturus ſum ad manducandum, non eſt caro imaginaria, metaphorica, & in figura; ſed eſt eadem caro mea, quam in crucem & mortem quoque tradam pro mundi vita, & ſalute: *panis, quem ego dabo ad manducandum, eſt illa ipſa caro mea, quam in mortem pro mundi vita daturus ſum. Euthym.*

Ecce quid promiſerit Chriſtus: quare cum pollicitus ſit, ſe vere daturum carnem ſuam ad manducandum, nullo modo eſt dubitandum, nec ullatenus vacillandum, ſed firmiter credendum, vere & realiter Chriſti carnem & ipſum Chriſti eſſe in Euchariſtia, in qua illum recipimus & manducamus. Chriſtus non eſt ſicut homines nebulones & mendaces, qui promiſſis non ſtant, & qui unum promittunt, & aliud faciunt; ſed eſt ipſe Deus fideliſſimus, qui certo ſtat promiſſis: *Fidelis autem Dominus eſt. 2. Theſſalon. 3.* Quare cum promiſerit Chriſtus, daturum ſeipſum nobis in Euchariſtia, neutiquam de hoc dubitandum, ſed firmiter credendum: tantaque fides eſt adhibenda Chriſto promittenti, ut plus ejus, quam oculorum noſtrorum teſtimonio ſit fidendum: *Si tuorum oculorum teſtimonium fidele putas, teſtimonium Dei majus eſt. Div. Bernard. ſerm. 77. in Cant.* Certum eſt, quod ſi corporeis oculis in Euchariſtia Chriſtum quis videret, eum ibi eſſe firmiter crederet; ſed, ut ait Divus Bernardus, plus Chriſti promittentis, quam oculorum noſtrorum teſtimonio credendum eſt. Credamus ergo, Chriſtum vere & realiter eſſe in Euchariſtia: quia ipſe eſt Deus fidelis qui promiſit, ſed firmiter etiam credendum; Chriſtum eſſe vere, & realiter in Euchariſtia; *quia ipſe eſt Deus verax, qui hoc aſſerit.*

2. Promiſerat Chriſtus, daturum ſe nobis ad manducandum, & non multo poſt tempore id quod pollicitus erat, adimplevit: adſtantibus enim Apoſtolis (accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite: *hoc eſt corpus meum: Matth. 26.* Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*) Non dixit Jeſus: *hæc eſt figura corporis mei*; ſed aſſeruit ibi eſſe corpus ſuum: *hoc eſt corpus meum.* Non dixit etiam Jeſus: *hæc eſt figura ſanguinis mei*; ſed aſſeruit ibi eſſe ſuum ſanguinem, non imaginarie, ſed realiter, & eundem quem in cruce fuſurus erat: *hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Quid clarius? Phariſæi tamen non valentes concipere, Chriſtum vere & realiter eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, de hoc dubitarunt. Sed Chriſtus, quæ dixerat, vera eſſe iterum aſſeruit, & juramento confirmavit, dicens, quod niſi carnem ejus manducarent, ejuſque ſanguinem biberent, vitam æternam non conſequerentur: *Dixit eis Jeſus: Amen, Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joann. 6.*

Ecce quid aſſerat Chriſtus, qui non ambigue, non figurative, nec amphibologice loquitur: quare cum aſſeruerit, ſe vere & realiter eſſe in Euchariſtia, de hoc nullo dubitandum; ſed hoc firmiſſime credendum eſt; *quoniam ille dixit: hoc eſt corpus meum, nulla dubitatione teneamur, ſed credamus*, inquit Sanct. Chryſoſtomus *Homil. 60. ad Popul. Cum Chriſtus ipſe aſſirmet, atque dicat de pane: hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* ait S. Cyrillus *Catech. 4.* Et, ut loquitur S. Ambroſius *Lib. 4. de Sacram. Ipſe Dominus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipimus & ſanguinem, nunquid debemus de ejus fide, & teſtificatione dubitare?* Certe non eſt quod dubitemus: Chriſtus enim eſt ſuprema veritas, qui mentiri nequit; *Impoſſibile eſt mentiri Deum: Hebr. 6.* quare cum ſe vere & realiter in Euchariſtia eſſe aſſerat, nullum in men-

tibus

Digitized by Google

ribus noſtris remanêre debet dubium, ſed hoc firmiter credamus neceſſe eſt.

Familiari utitur argumento S. Bernardus, ut hanc ſuadeat veritatem. Si inquit; credamus Galeno in his quæ ad humani corporis conſtitutionem ſpectant; ſi Ptolomæo fidem adhibeamus in his, quæ ad motum, figuram, magnitudinem & influentias aſtrorum attinent; ſi in rebus philoſophicis Ariſtoteli, & in arte bene dicendi Ciceroni fidem tribuamus; quanto majori jure credendum Chriſto, qui ſe in Euchariſtiæ Sacramento eſſe aſſerit? *Cur non magis credimus Deo, qui vult hoc Sacramentum eſſe corpus ſuum? S. Bernard. ſerm. de SS. Sacramento.* Aliud hic ſimile adducit argumentum S. Auguſtinus, dicens: Multa numquam vidimus, quæ tamen eſſe credimus, quia hæc eſſe ab hominibus didicimus; credimus verbi gratia eſſe unum aliquod regnum quod vocatur Hiſpania, & eſſe unam aliquam urbem quæ Roma dicitur: credimus etiam eſſe avem quæ appellatur Phœnix, & quoddam eſſe animal quod nominatur Elephas; eaque credimus, non quod viderimus, ſed quia ea eſſe, ab hominibus audivimus: ſi autem fidem adhibeamus hominibus hæc, & alia multa referentibus; cur non firmius credemus Chriſto ſe in Euchariſtia eſſe aſſerenti? *cur non magis credimus Deo, qui vult hoc Sacramentum eſſe corpus ſuum?*

His duobus argumentis tertium ſubjungo, quod deſumo ex motivo fidei noſtræ, quod non eſt aliud, quam auctoritas Dei revelantis, ſeu Deus ipſe in quantum revelans: cur enim credimus originale peccatum baptiſmo ablui, Verbum æternum humanam carnem aſſumpſiſſe, tres eſſe in divinitate perſonas, Patrem eſſe innaſcibilem, Filium a Patre procedere, Spiritum ſanctum communi Patris ac Filii ſpiratione produci, & alia fidei myſteria? hæc omnia credimus, quia Deus, qui eſt ſuprema veritas, ea revelavit; omnia haud dubie ex illo motivo credimus. Dicat nunc quis, an ſit aliquod fidei myſterium, quod Deus clarius, & expreſſius revelaverit, quam exiſtentiam Chriſti in Euchariſtia? Nullum; non enim ita clare revelavit divinitatem Filii, proceſſionem Spiritus ſancti, exiſtentiam ſuam ab æterno, baptiſmi virtutem, & alia fidei myſteria: numquam tam clare locutus eſt, quam in inſtitutione Euchariſtiæ; ut enim referunt Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas, poſitive, & clare, & expreſſis terminis declaravit, & aſſeruit corpus ſuum eſſe in Euchariſtia, dicens: *Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum*; quare cum Chriſtus, qui verax eſt, hoc aſſerat, ei firmiter credendum. Sed firmiter etiam credendum eſt, Chriſtum eſſe vere & realiter in Euchariſtia: *quia Chriſtus eſt Deus omnipotens, qui hoc facere poteſt, quod promittit, & aſſerit.*

3. Cum Mariam, Chriſti Matrem fore prænuntiabat Gabriel; non facile cognovit Deipara, quomodo ipſa ſimul mater, & virgo eſſe poſſet. Myſterium explicavit Angelus, & quomodo hoc fieret, enarravit; ſed tandem, ut omnis dubii, omniſque ſuſpicionis umbram e Virginis corde tolleret, concluſit, dicens, quod licet hoc facile concipi nequiret, hoc tamen non eſſet impoſſibile; *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, Luc. 1. 37.* Altiſſimum ſimiliter eſt Euchariſtiæ myſterium, nec facile concipi poteſt; quomodo Chriſtus ſit realiter in Euchariſtia, quomodo in cælo ſimul ſit, & in Sacramento, quomodo totus in tota, & totus in qualibet hoſtiæ parte exiſtat, quomodo accidentia remaneant ſine ſubjecto & quomodo Chriſti corpus ſit in loco ſine extenſione locali; ſed hæc, & ſere omnia alia evaneſcunt dubia, ſi perpendamus, Chriſtum eſſe omnipotentem, niſque ei eſſe impoſſibile; *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum:* quare cum Chriſtus ſe in Euchariſtia eſſe aſſeruerit, & hoc facere potuerit, ipſum vere & realiter in Euchariſtia eſſe firmiſſime credendum eſt.

Ut hujus myſterii veritatem ſuadeant Sancti Patres, varios, & portentoſos divinæ omnipotentiæ effectus proponunt. S. Cyrillus Chriſtum in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum mutaſſe ait; ex quo a pari vinum in proprium ſanguinem mutare potuiſſe infert. *Cyrill. Catech. 4. myſtag.* Sanctus Ambroſius a Chriſto, ut Verbo, creatam totius mundi machinam, Moyſi virgam in ſerpentem immutatam, ac ab omnipotenti ejus manu innumera miracula manaſſe dicit: ex quo concludit, quod ſi hæc a Chriſto facta ſint, multo magis credendum, quod ſub ſpeciebus Euchariſticis ſeipſum collocare potuerit. *Ambr. lib. de iis qui myſter. initiantur c. 9.* Dicunt alii, quod ſicut Chriſtus maternitatem, & virginitatem in Maria conjungere valuit; ita & ſub panis ſpeciebus corpus, & ſub ſpeciebus vini ſanguinem ſuum ponere potuit. Hoc certe potuit Chriſtus, qui eſt omnipotens; hoc potuit Chriſtus, cui, ut ait S. Joannes, a Patre æterno communicata eſt omnipotentia; *ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus: Joannis 13. 3.* quare cum Chriſtus ſe in Euchariſtia eſſe dixerit, & hoc facere potuerit, firmiſſima fide credendum eſt ipſum vere, & realiter eſſe in Euchariſtia; *Sed hoc etiam credendum eſt fide generoſa, & triumphante.*

SECUNDA PARS.

Fide generoſa, & triumphante credendum eſt, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia.

Corda noſtra fides prima ſubit, ut nos ad gratiam Spiritus ſancti recipiendam diſponat; unde fidem, *antiſtitam templi, quod Spiritus ſanctus ſubit*, vocat Hieronymus *Dial. cont. Lucif. c. 4.* Hæc autem fides, quæ Spiritum ſanctum ad nos venientem anteit, Chriſtum etiam in Euchariſtia ſe nobis dantem præcedere debet; ipſum enim ibi vere, & realiter eſſe, credere debemus, non ſolum fide firma, verum & fide generoſa ac triumphante, quæ triumphet: 1. *de viſu*, qui comprimendus eſt: 2. *de intellectu*, qui captivandus eſt; *de ſpiritu particulari*, qui ſacrificandus eſt.

1. Cum Divo Thomæ Chriſtum a mortuis ſurrexiſſe dictum eſt: pertinaciter incredulus hic reſpondit Apoſtolus: *Niſi videro, non credam.* O Thoma, tuo crede magiſtro, qui tot te præſente operatus eſt prodigia, crede Chriſto, qui intra tres dies ſe reſurrecturum promiſit, crede Mariæ Virgini; crede Magdalenæ, crede Apoſtolis qui Chriſtum a mortuis ſurrexiſſe aſſerunt: *niſi videro*, inquit,

non

non credam. O quam incredulus fuit Thomas! ſed o quam etiam increduli ſunt omnes hæretici! Thomas videre voluit, ut crederet, & innumeri hæretici, niſi viderint, credere renuunt: dicit Chriſtus ſe eſſe realiter in Euchariſtia, & hi non credunt, ejuſque verba in deteriorem ſenſum detorquent: Concilia œcumenica, ſummi Pontifices, necnon Sancti Patres aſſerunt, Chriſti verba non figurative, ſed litteraliter eſſe intelligenda, ac proinde ipſum vere & realiter eſſe in Euchariſtia; ſed hi non credunt, nec unquam credent, niſi videant; ipſorum quilibet cum Divo Thoma ait: *Niſi videro, non credam. Joann.* 20. At in hoc myſterio non conſulendi, ſed comprimendi ſunt oculi; de hoc Sacramento juxta illa quæ exterius videmus, non eſt judicandum; ſed fide generoſa aliud ab eo, quod oculo corporeo cernimus, credendum eſt: *Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides*. Vides in hoc Sacramento ſpeciem panis, & panem non eſſe credendum eſt. Vini ſpeciem vides, & credendum non eſſe vinum. Chriſti corpus, & ſanguinem non vides, & ibi Chriſti corpus, & ſanguinem eſſe credendum eſt. Fides enim, ut ait D. Auguſtinus, *de verb. Apoſt. ſer. 27. eſt credere quod non vides*. Fides non eſt credere aliquid quod videmus, & quia illud videmus; ſed fides eſt credere quod non videmus, quia Deus illud revelavit: *Fides ex auditu: Rom.* 10. quare cum Chriſtus revelaverit, ſe eſſe realiter in Euchariſtia, non fidendum oculis, qui illum non vident; ſed comprimendi ſunt, & fide generoſa ac triumphante, Chriſtum ibi vere & realiter eſſe credendum eſt.

Omnes ſenſus eſſe fallibiles ait Chryſoſtomus: *Homil. 23. in Matth. ſenſus noſter deceptu facillimus eſt*. Quod præcipue de viſu comprobatur; ſi enim ex viſu de ſolis magnitudine judicemur, eum mola aſinaria minorem eſſe cenſebimus; ſi baculus in aquam ſemimergatur, viſui curvus, vel fractus apparebit, licet rectus ſit, & integer. Turris quadrata, multumque diſtans, viſui rotunda videtur; ex quo patet in his, & aliis multis viſum falli, & decipi. Sed fallitur magis in ſpiritualibus, & ſupernaturalibus: non enim ejus eſt cognoſcere, an Deus ſit in mundo, an anima ſit in corpore, & an Chriſtus ſit in Euchariſtia: hujuſmodi ſunt extra ſphæram activitatis oculorum: quia, ut ait Doctor Angelicus: *de accidentibus ſibi notis tantummodo judicant. D. Th. hom. de Euchar.* Verum eſt, oculos, ſi ſani ſint, de objecto materiali in debita diſtantia poſito, ſaltem quoad exteriora judicare poſſe, & ſic oculi judicare, ſeu recte cognoſcere valent magnitudinem, figuram, & colorem hoſtiæ; ſed interna non penetrant, nec cognoſcunt, an ſub ſpeciebus hoſtiæ conſecratæ ſit Chriſti corpus, vel ſubſtantia panis: ſi de hoc ex aſpectu judicaremus, falleremur, & in errorem caderemus. Quare cum oculi ſint fallibiles, & facile decipi, & decipere poſſint, fide generoſa de iis eſt triumphandum, ut credamus Chriſto dicenti ſe eſſe in Euchariſtia: *hoc eſt corpus meum*. Sed hoc etiam credere debemus fide generoſa, *quæ triumphet de intellectu*.

2. Cum Chriſtus carnem ſuam ad manducandum ſe daturum aſſeruerit, Phariſæi, intellectus ſui acie hoc myſterium capere non valentes, dixerunt: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Joann.* 6. Non advertebant, quod *quæ exſuperant rationem, ſola indigent fide*: nondum probe ſciebant, quod *obedientiam fides exigit, non curioſitatem*, ut ait Chryſoſtomus *in Epiſt. ad Rom. homil.* 27. quare curioſe quærebant quomodo nobis dare ſe poſſet ad manducandum: *quomodo?* Eadem curioſitate laborant hæretici, & impii: quomodo, inquiunt, fieri poteſt, Chriſtum ſub parva hoſtia, immo ſub quavis hoſtiæ parte totum eſſe, & remanere? quomodo, ajunt virtute quatuor verborum e cælis deſcendit Chriſti corpus, & in manus venit Sacerdotis? quomodo verborum illorum vi, tota panis in totam corporis Chriſti ſubſtantiam convertitur? quomodo unum, & idem corpus uno, & eodem tempore in mille hoſtiis conſecratis, & in mille locis diſſitis eſſe poteſt? quomodo accidentia ſine ſubjecto manere valent? ac quomodo quantitas, color, ſapor, & odor panis eſſe poſſunt ſine pane? hi inſtar Phariſæorum dicunt: *quomodo?* ſed hoc myſterium ratione naturali non eſt ſcrutandum: non eſt curioſe dicendum, quomodo? *Ne quæramus quomodo*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. 4. in Joann. cap. 18. quomodo non cogitemus, aut proferamus; judaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicii cauſa*. Non utique dicendum, *quomodo?* ſed fide generoſa credendum Chriſto dicenti: *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum*. Non enim dixit Chriſtus, accipite, & examinate; ſed *accipite, & manducate*; quare non examinemus, ſed credamus: non dicamus, quomodo? ſed captivemus intellectum noſtrum in obſequium fidei, & ſicut captivus, non debet a domino ſuo rationem quærere eorum quæ jubet: ita, & rationem non petamus a Chriſto inſtituente Euchariſtiam. Non dicamus *quomodo?* ſed tota ratio noſtra ſit revelatio divina, cui innitentes, fide generoſa credamus, Chriſtum eſſe in Euchariſtia: quia ſe ibi eſſe dixit: *hoc eſt corpus meum*.

Judæos, curioſe nimis inquirentes quomodo Chriſtus ſit in Euchariſtia, modo mirabili arguit S. Cyrillus Alexandrinus. *Ubi ſup.* O Judæe, inquit, ſi a me petas, quomodo Chriſtus poſſit carnem ſuam dare nobis ad manducandum; a te viciſſim inquiro, quomodo Moyſi virga in ſerpentem mutata ſit? quomodo aquæ in ſanguinem converſa ſit? quomodo e percuſſa petra fluxerint aquæ? quomodo ſicco veſtigio mare trajeceris? Dic, inquit, o Judæe, quomodo hæc facta ſint? certe hæc explicare nequires, & tamen illa credis: cur ergo ſimiliter Chriſto, dicenti ſe eſſe in Euchariſtia, non credes, licet illud myſterium non concipias? certe iſtud credendum eſt ſicut cætera, nec dicendum, *quomodo?* Ecce Sancti Cyrilli rationem adverſus Judæos; qua ut adverſus incredulos Chriſtianos utar, ſic argumentor. Quæris, o Chriſtiane, quomodo poſſit Chriſtus carnem ſuam dare ad manducandum? & ego a te exquiro, quomodo Deus ſit ſimul trinus & unus? quomodo ſit æternus & immenſus? quomodo anima rationalis ſit tota in toto, & tota in qualibet corporis parte? & ut ad faciliora deſcendamus: dicito mihi, o Chriſtiane, quomodo & quibus funibus magnes ad ſe ferrum trahat? quomodo baſiliſcus ſolo viſu eum occidat, quem prius viderit, quam ſit ab eo viſus? quo-

modo

modo Salamandra ab igne non conſumatur, ac quomodo navis magno impetu procedens, a piſciculo, *remora* dicto, ſubito detineatur? Et ut magis adhuc humani intellectus eluceſcat infirmitas, a te peto, o Chriſtiane, an ſcias ex quo componatur formica, vel vilis quidam vermiculus? an cognoſcas, ex quo conſtituatur unius muſcæ pes, feſtuca una, immo & lutum quod pedibus calcas? conſtituuntur ne hæc ex punctis, vel partibus in infinitum diviſibilibus? quæ eſt rerum illarum materia & forma? certe hæc concipere nequis; quare cum ita debiles & infirmi ſint intellectus noſtri, ut hæc communia & facilia concipere non valeant; quanto debiliores ſunt & infirmiores ad altiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum concipiendum? pro certo ibi noſter hebeſcit animus; & ideo non dicendum, *quomodo?* ſed generoſe captivandus eſt intellectus noſter in obſequium fidei. Non dicendum, *quomodo?* ſed credendum Chriſto dicenti, ſe eſſe in Euchariſtia. Non dicendum *quomodo?* ſed hoc credendum eſt fide generoſa, quæ triumphet de intellectu; *& quæ triumphet de ſpiritu particulari.*

3. Omnes fere Hæreſiarchæ, cum ad metas non loquendi deducti ſunt, ſpiritu privato, ipſis contrarium inſpirante & teſtificante, ſe tegunt. Cum ad confutandos illorum errores manifeſta Conciliorum Generalium decreta, aperta SS. Patrum placita, & rationes indiſſolubiles adducuntur; ſe non iis, ſed ſpiritui privato, contrarium dictanti, credere dicunt. Cum Abaylardo objiciebatur, Sanctos Patres, & omnes penitus homines hæreticæ ejus doctrinæ adverſari; reſpondebat ipſe: *Omnes ſic, ego autem non ſic.* Eodem ſpiritu commotus Lutherus; Sanctorum Patrum doctrinæ conviciabatur, ut ſuam extolleret, eique pertinaciter adhæreret. Chryſoſtomus, inquiebat, verboſus eſt; Auguſtinus eſt ingenioſus; Hieronymi cerebrum a jejuniis debilitatum eſt; hi ſuo modo ſenſerunt, & ego alio: *omnes ſic, ego autem non ſic.* Simili etiam ſpiritu ductus Calvinus, ait Chriſtum non eſſe realiter in Euchariſtia; Chriſto, corpus & ſanguinem ſuum in Euchariſtia eſſe aſſerenti, non credit; Eccleſiam Romanam, Chriſtum ibi eſſe docentem, contemnit: & ſi ei dicatur ſanctos Eccleſiæ Patres idem ſentire reſpondebit ille: *ego autem non ſic.* Ecce ſpiritum Calvini: ſed quis credat, quod hujus homuncionis ſpiritus noſtræ fidei regula eſſe debat? quis judicet, privatum Calvini ſpiritum eſſe primum totius Orbis Chriſtiani mobile, a quo omnes fideles regi teneantur? ſeu potius, quis non cenſeat diabolicum, ridiculum, & imaginarium eſſe hunc ſpiritum? non enim nos in materia fidei a proprio & privato rationis inſtinctu, ſed a fide divina dirigi & gubernari debemus. Verum eſt, quod ſenſuum errores corrigat emendata ratio: ſed rationis errores fidei divinæ luce emendandi ſunt: *Ideo nos fideles appellamur*, inquit Chryſoſtomus, *Homil. 24. in Joann. ut humanarum cogitationum vilitate contempta, ad fidei altitudinem evadamus.* Quare privato huic non inhæreamus ſpiritui: ſed ſicut olim Iſaacum Deus ſibi ſacrificari petiit, privatum hunc ei ſacrificemus ſpiritum: non credamus, quod hic dictat ſpiritus; ſed fide generoſa, ac de hoc ſpiritu triumphante, credamus Chriſto aſſerenti ſe vere & realiter eſſe in Euchariſtia: *hoc eſt corpus meum*; Sed hoc etiam credendum eſt *fide efficaci, & operante.*

TERTIA PARS.

Fide efficaci & operante credendum eſt, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia.

CUm fides ſine operibus mortua ſit, fidem noſtram opera comitari, aut ſubſequi debent. Non ſufficit dicere, *credo*; ſed fides operibus manifeſtanda eſt: *oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Jacobi* 2. Tanta inter fidem & opera eſt connexio: ut fidei (ſi vera ſit) reſpondere debeant opera: ut enim ait Sanctus Gregorius, *Homil. 38. in Evangel. ille veraciter credit, qui exercet operando quod credit.* Unde ſi peccata pœnitentia deleri credamus, pœnitentiæ operibus eſt vacandum: ſi Chriſto inimicorum amorem præcipienti fidem adhibeamus, non odio habendi, ſed ſincere diligendi ſunt, & ſi credamus Chriſtum vere & realiter eſſe in Euchariſtia, eum ibi eſſe credendum eſt, non fide ſpeculativa & otioſa tantum, ſed fide efficaci, & operante, quæ inducat: 1. Ad eum viſitandum devote: 2. Ad eum adorandum humiliter: 3. Ad eum recipiendum frequenter.

1. Credis, inquam, o Chriſtiane, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia; credis ibi eundem eſſe Chriſtum, qui in Virginis utero recubuit, eundem qui pro nobis in cruce mortuus eſt, & eundem qui nunc in cælis cum Angelis regnat, credis hoc, aliter eſſes hæreticus, & æternis ſuppliciis dignus. Sed ſi Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia vere credas, cur non eum ſæpe & devote viſitas? Dixit ipſe: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum: Proverb.* 8. 31. cur ergo ad illum in tabernaculis exiſtentem non vadis? cur non illum ibi devote & ſæpe inviſis? Audiſti eum dicentem: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis*; *Matth.* 11. cur ergo tu, o Chriſtiane, qui innumeris gravaris infirmitatibus, ad eum non vadis, *qui ſanat omnes infirmitates tuas? Pſalm.* 102. ſcis, quod *non habet amaritudinem converſatio ejus*; *Sap.* 8. cur ergo ad eum non advolas, ut cum ipſo verſeris, ut coram illo cor tuum effundas, & ut ei debita ſervitutis officia perſolvas? Certe Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem ſæpe, pie & religioſe non viſitas, quia eum ibi eſſe non perfecte credis: ſi enim Deum, Creatorem & Redemptorem tuum ibi eſſe perfecte crederes, profecto illum crebro & devote viſitares: ſed o Chriſtiane, fac ut tua, quæ uſque nunc languit fides, in poſterum fervida ſit, & ad viſitandum Chriſtum in Euchariſtia reſidentem te alliciat. *Opus eſt*, inquit Sanctus Ambroſius *in capit. 4. Epiſt. ad Hebr. volenti cælum poſſidere, fidem operibus comitari*: quare ſi credas Chriſtum eſſe in Euchariſtia, fidem tuam ita comitentur opera, ut eum ibi frequenter & devote viſites.

In Euchariſtia Chriſtum vere ac realiter eſſe firmiſſime credebat Seraphicus Pater S. Franciſcus: & ut fidem ſuam operibus manifeſtaret, ad eum indeſinenter anhelabat: necnon ſæpiſſime, ac devotiſſime, non ſolum in domeſticis, verum in campeſtribus, ac in pauperculis Eccleſiis eum viſitabat.

Tanta

Tanta aliorum multorum Sanctorum erga Sanctiſſimam Euchariſtiam fides extitit, ut in templis, immo & in altaris ſuppeditaneo decumberent, ac ab Eccleſiis rariſſime diſcederent: ibi paſcebant, ibi cubabant, ibique manebant die ac nocte. Alii plurimi ſancti viri, cum ob infirmitates, ob nimiam diſtantiam, aut ob negotiorum multitudinem ad Eccleſias Chriſtum inviſuri, ſe conferre non valerent, eum mente & corde pluries qualibet die viſitabant, ac eodem modo erga eum afficiebantur, quaſi in Eccleſiis fuiſſent. O Chriſtiane, ſimilem habeto fidem, & ſi Chriſtum credas eſſe in Euchariſtia, ita credas, ut eum frequens viſites: ita efficax & operans ſit fides tua, ut te inducat ad eum viſitandum ſæpe & devote: *& ad eum adorandum humiliter*.

2. Chriſtum in Euchariſtia manſurum ſpiritu prophetico prævidens Regius Vates, ſummo affectu ad eum ferebatur. Unde nunc dicebat; *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*; Pſalm. 83. nunc ajebat; *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*; Pſ. 41. & nunc clamabat: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Optabat autem Propheta ad templum venire, non ut garriret, aut nugaretur; ſed ut Deum ſuum laudaret & adoraret; *Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo*. Pſ. 137. O Chriſtiane, ſi Chriſtum in Euchariſtia eſſe credas, ad Eccleſias propera, ad Eccleſias advola; non ut ibi confabuleris, non ut ibi familiæ tuæ negotia pertractes, non ut de omnibus quæ in civitate fiunt diſſeras, non ut videaris & videas; ſed ut ibi Chriſtum humiliter adores; & ut cum Propheta dicas, *Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo*.

Cum Chriſtus idem ſit in cælo & in Euchariſtia, idem hic & illic ei debetur honos; quare Angeli, qui in cælo Chriſtum adorant, ad nos etiam deſcendunt, ut eum in Euchariſtia adorent: *Aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis alis præditi vultus demittunt*. *Chryſoſtomus homil. de menſa & judicio*. Cæleſtes illos imitemur ſpiritus, mente Chriſtum contemplemur in cælo, ibique eum adoremus, ſed & Eccleſias frequenter adeamus, ut ibi Chriſtum Salvatorem mente & corpore adoremus, *adora & communica*, inquit Chryſoſtomus. *Homil. 61. ad Popul.* Non eſt mirum, ſacramentarios Chriſtum in Euchariſtia non adorare, cum eum ibi eſſe non credant. Sed tu, o Chriſtiane, qui Chriſtum in Euchariſtia reipſa præſentem eſſe confiteris & profiteris, ad ipſum adorandum frequentiſſime accedere debes. *Nihil prodeſt verbis proferre fidem, & factis deſerere veritatem*, inquit Auguſtinus; *Serm. 1. de Defunct.* quare ſi Chriſtum in Euchariſtia vere eſſe credes, tuam operibus oſtende fidem, fideſque tua ita efficax ſit, ut te inducat ad illum humiliter adorandum; *ac etiam ad eum recipiendum frequenter*.

3. In naſcentis Eccleſiæ primordiis tanta, & ita efficax erat erga Euchariſtiam fides & devotio, ut ſingulis diebus fideles communicarent: (in primitiva Eccleſia, quando magna vigebat devotio fidei chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut quotidie fideles communicarent. Unde Anacletus Papa dicit; peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus: ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia; *D. Th. 3. part. quæſt. 80. art. 10. ad quintum*.) Sed primus ille fidei fervor ita nunc languet, ut innumeri vix ſemel in anno communicent; credunt, inquiunt, Chriſtum in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe ac manducari; & tamen ad illum recipiendum quam rariſſime accedunt. O N. ſi Chriſtum in Euchariſtia eſſe credas, fides tua ſit efficax, teque ad illum frequenter ſumendum inducat. Audi ſanctos Tridentini Concilii Patres, te monentes, & hortantes, ad ita credendum, Chriſtum eſſe in Euchariſtia, ut illum frequenter ſumas. (Paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, orat & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli qui Chriſtiano cenſentur nomine, hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis ejus, ea fidei conſtantia & firmitate, ea devotione ac pietate credant & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint. *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8.*) Non ait Concilium, ita credere debere fideles, ut raro ſumant; ſed ita, *ut frequenter ſuſcipere poſſint*.

Ad frequentem Euchariſtiæ ſumptionem hortantur nos quotquot hac de materia ſcripſere Doctores Catholici, & (optaret ſancta Synodus, ut ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu; ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent. *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 6.*) Optaret etiam S. Auguſtinus, ut omnes fideles ita perfecte viverent, ut quotidie Chriſtum in Euchariſtia ſumere digni eſſent: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*. *Serm. 18. de Verb. Dom.* Sed optarem ſolum, ut omnes Catholici perfecte Chriſtum in Euchariſtia eſſe crederent; nec enim hoc ab aliquo perfecte credi poteſt, quin ad eum ſæpiſſime & ferventiſſime ſumendum moveatur. Quare o N. N. languentem, & forte mortuam in cordibus veſtris excitate fidem, dicat quiſque veſtrum: *Domine adauge nobis fidem*: *Luc. 17. 5.* habeat quiſque fidem firmam, & conſtantem, fidem generoſam & triumphantem, fidem efficacem & operantem: & in die Judicii dicet ei Chriſtus: *Fides tua te ſalvum fecit. Marc. 10. Amen*.

DE
SS. SACRAMENTO
CONCIO SECUNDA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1.

Mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Iſaiæ 60. 5.

Mirabilia quidem omnia Dei ſunt opera, nec quiſque cælum, terram, mare & quævis creata ſerio contemplari poteſt, quin in admirationem rapiatur, & quin cum Regio Propheta clamet: *Mirabilia ſunt opera tua, Domine*. Pſalm. 138. At Deus, qui in Orbis opificio ſe mirabilem.

Digitized by Google

bilem exhibuerat, majorem in Verbi incarnatione cunctis præbet admirandi materiam; cum ſcilicet magnus fit parvus, Deus fit infans, & Creator creatura, ac cum ſine ulla ſubſtantiæ confuſione *Verbum, anima, & caro*, ineffabili vinculo in perſonæ unitate conjunguntur. Sed tandem innovantur ſigna, augentur mirabilia, multiplicantur Dei miracula, dum Verbum caro factum, in Euchariſtiæ ſe ſiſtit Sacramento, quod hodie admirantes contemplaturi ſumus: *mirabitur, & dilatabitur cor tuum*. Cum altitudinem, varioſque maris æſtus concipere nequiret Chryſippus Philoſophus, in illud, neſcio quo ſpiritu, præcipitem ſe dedit, dicens: *O abyſſe, cum te capere non valeam, tu me recipe*. Profunda quidem abyſſus, & mare magnum eſt Euchariſtia, cujus myſteria humanus capere non poteſt intellectus: quare in illud immergendus eſt, non ut ea curioſius perſcrutetur, ſed ut ea plene, & corde dilatato admiretur. *Mirabitur, & dilatabitur cor tuum*. Altiſſimum ergo hoc admiremur myſterium, &c. *Ave*.

BOnitas, ſapientia, & omnipotentia mirabiles Dei ſunt perfectiones, quibus, quaſi tribus manus ſuæ digitis, omnia facit, omnia regit, omniaque conſervat: *Appendit tribus digitis molem terræ. Iſaia* 40. Verum eſt, quod aliqua Dei opera ejus bonitati, alia ejus ſapientiæ, & alia ejus potentiæ, ſpeciali quodam titulo tribui & adjudicari ſoleant: unde communiter mundi creatio opus ſapientiæ, & gratiarum effuſio bonitatis opus eſſe dicitur. In omnibus tamen Dei operibus tres illæ Dei ſimul emicant perfectiones, nec aliquod eſt Dei opus, in quo bonitatis, ſapientiæ & potentiæ divinæ radii non eluceant; ſed præcipue in Euchariſtia, quæ eſt quaſi ſpeculum, in quo hæ Dei perfectiones mirabiliter apparent. In hoc ſpeculo eas nunc inſpiciamus; in Euchariſtia & bonitatem, & ſapientiam, & potentiam Dei contemplemur, in ea admiremur. 1. Bonitatis Chriſti exceſſus: 2. Sapientiæ Chriſti adinventiones: 3. Potentiæ Chriſti prodigia. Hæc in Euchariſtia admirari debet cor noſtrum: *mirabitur, & dilatabitur cor tuum*.

PRIMA PARS.

In Euchariſtia admiremur bonitatis Chriſti exceſſus.

CHriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituit, in Euchariſtia ſe nobis dat ad manducandum, & in Euchariſtia reſidet, ac uſque ad mundi finem remanebit. Euchariſtiam inſtituit Chriſtus ipſa nocte qua traditus eſt: *in qua nocte tradebatur*; 1. *Cor.* 11. in Euchariſtia ſe nobis dat ad manducandum, quotieſcumque ad illum ſumendum accedimus: *accipite & manducate*; & in Euchariſtia uſque ad mundi finem in tabernaculis noſtris permanebit: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*. *Matth.* 28. Maxima autem eſt bonitas: 1. Chriſti hoc Sacramentum inſtituentis: 2. Chriſti in hoc Sacramento ad nos venientis: 3. Chriſti in hoc Sacramento nobiſcum manentis.

1. Juxta vulgatiſſimam Sancti Dionyſii ſententiam, *omne bonum eſt ſui diffuſivum*; quare cum Deus ſit infinite bonus, infinite etiam eum diffuſivum & communicativum eſſe oportet. Certum eſt infinitam Dei fuiſſe communicationem ad intra, ſeu intra Divinitatis ſinum, cum Pater æternus divinam ſui ipſius naturam Filio, & uterque eamdem Spiritui ſancto communicavit. Sed ut Deus incomprehenſæ bonitatis ſuæ magnitudinem ad extra, ſive in ordine ad creaturas manifeſtaret, ſeipſum infinite in Verbi incarnatione, & in Euchariſtiæ inſtitutione communicavit: in incarnatione quidem, cum Verbum æternum humanæ Chriſti naturæ uniri voluit; & in Euchariſtiæ inſtitutione, cum Chriſtus ipſa nocte, qua tradebatur, divinum hoc inſtituit Sacramentum, in quo ſeipſum Deum & hominem, omnibus ſumere volentibus, ac ut ait ſanctus Chryſoſtomus, *ſingulis fidelibus per hoc myſterium ſe communicat. Chryſoſtomus homil.* 23. *in Matth.* O infinitam Dei ſumme boni communicationem! ſed o infinitam etiam Dei Euchariſtiam inſtituentis bonitatem!

Chriſtus qui ab incunabulis magna hominibus amoris & bonitatis ſuæ teſtimonia dederat, ſpecialiora eis, ut ait ſanctus Joannes Evangeliſta, circa vitæ ſuæ finem dilectionis & bonitatis ſigna præbuit: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joann.* 13. 31. Major autem Chriſti in vitæ ſuæ fine erga homines bonitas tunc illuxit, cum ipſa nocte, qua tradebatur, Euchariſtiam inſtituit, in qua ſe comeſtibilem fecit, ſeque in cibum hominibus dedit: *Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit, & dixit; accipite & manducate; hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*. 1. *Corinth.* 11. Ecce inſtitutionem Euchariſtiæ, in qua Chriſti bonitas quam maxime manifeſtatur, non ſolum quia inſtituit Sacramentum, in quo ipſe fit cibus hominum; verum & quia illud inſtituit, *qua nocte tradebatur*: ſeu ipſa nocte nubila, & tenebroſa, in qua Pontifices adverſus illum inſurrexerunt, in qua perfidus Judas illum prodidit, in qua flagella, clavos, & crucem, cui affigendus erat, carnifices præparabant. Hac inquam, nocte, in qua homines illum dire perſequebantur, ipſe amoris igne ſuccenſus, panis & vini accepit elementa, eaque in corpus & ſanguinem ſuum tranſubſtantiavit, ut ſe manducandum hominibus traderet; *In illo fervoris exceſſu*, inquit ſanctus Bernardus, *Tom.* 2. *ſerm.* 54. *art.* 2. *quando paratus erat pro nobis in mortem tradere vitam ſuam, ab exceſſu amoris majus opus agere coactus eſt, quam unquam operatus fuit ab origine mundi, dare nobis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum*. O ineffabilem Chriſti erga nos bonitatem! o ardentem ejus amorem! o admirandam ejus erga nos charitatem! o Domine Jeſu, certe plus quam explicari, & concipi poſſit, dilexiſti nos in fine vitæ tuæ, cum adorandum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituiſti. *Sed maxima etiam eſt bonitas Chriſti, ad nos, & intra nos venientis.*

2. Non ſolum Sacramentum inſtituit Chriſtus, in quo paratus eſſet omnibus ſe dare & communicare; ſed revera omnibus hoc Sacramentum ſumere volentibus ſe communicat, & intra illos venit.

Non

Non ſolum dat corpus ſuum dignis, & amicis, ſed etiam illud non ſubtrahit indignis, malignis & inimicis; appropiant ſuper eum nocentes, ut edant carnes ejus; tantaque, ut ait Doctor Angelicus, eſt Chriſti bonitas, *ut permittat ſe ſceleratorum etiam manibus tractari & inimicorum, ac immundorum dentibus in Sacramento lacerari. Div. Thom. opuſc. 58. cap. 15.* Si Chriſtus ſoli Mariæ Virgini, aut Apoſtolis, aut aliis quibuſdam pereximiæ ſanctitatis Viris, corpus ſuum ſumere permiſiſſet, hanc ejus bonitatem omnia ſæcula proclamaſſent; ſed longe major eſt Chriſti ergo homines bonitas, quia juſtis & peccatoribus, dignis & indignis ſe dat ad manducandum, omnibus ſe dat in cibum, & æque vere in Judæ, ac in Petri corpus intrat, *ita quod*, ut ait D. Thomas, *uniantur in unitate corporis cibus & ſumens. Ubi ſupra.* O portentoſam Chriſti erga nos bonitatem!

Ut Artemiſiam Mauſoli Cariæ Regis uxorem, ſuum, plus quam credi poteſt, virum amaſſe perhibeant hiſtorici, de illa narrant, quod nedum undequaque acceſſiri curaverit viros eloquentiſſimos, qui mariti ſui fato functi virtutes & res præclare geſtas orationibus ſuis exornarent, nec ſolum etiam ſepulchrum, a nomine Regis *Mauſolæum* dictum, ædificari curaverit, adeo ſplendidum & magnificum, ut inter ſeptem Orbis miracula fuerit annumeratum, ſed præterea, in majus amoris argumentum mariti oſſa in pulveres juſſerit redigi minutiſſimos, quos poſtea vino commixtos ebibit, ut quantum fas eſſet, a marito non ſepararetur, ac intra ſe haberet quem diligebat. Magnus quidem extitit hujus mulieris amor, ſed longe major Chriſti erga nos fuit bonitas, quia corpus & ſanguinem ſuum ita ſub ſpeciebus Euchariſticis aptavit, ut a nobis edatur, intra nos veniat, nobis ſe commiſceat, ac nobis quodammodo uniatur. Unde ſicut olim pocula amatoria, ſeu philtra faciebant amantes, ut aliorum ſibi amorem conciliarent; ita Chriſtus quaſi cæleſte philtrum & poculum vere amatorium exhibet nobis in Euchariſtiæ Sacramento, in quo ad nos & intra nos venit, nobiſque corpus ſuum ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum præbet. O pereximium Chriſti erga nos amorem! O numquam ſatis prædicandam ejus bonitatem! ſed ſi maxima eſt bonitas Chriſti in Euchariſtia ad nos venientis, *maxima etiam eſt bonitas Chriſti in Euchariſtia nobiſcum manentis.*

3. Non eſt qui neget, Chriſti Salvatoris bonitatem maxime eluxiſſe in hoc, quod cum hominibus verſari, & triginta trium annorum tempore manere dignatus ſit, ſed hanc Chriſtus multiplicavit bonitatem: *multiplicaſti miſericordiam tuam; Pſal. 35.* ſeu, ut alia habet verſio; *extendiſti miſericordiam tuam*; Chriſtus enim, cujus tanta fuerat bonitas & miſericordia, ut in hoc mundo aliquibus annis viſibiliter commoratus fuerit, hanc multiplicavit & extendit bonitatem: quia nobiſcum inviſibiliter in Euchariſtiæ Sacramento uſque ad mundi finem manere vult. *Ecce*, inquit, *ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad finem ſæculi*: ubinam eſt Chriſtus nobiſcum? quo in loco nobiſcum manet? *in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento*, ut exponit Lyranus, ibique eſt non per intervalla, ſed continue; non in una hoſtia conſecrata, ſed in omnibus; non ad breve aliquod tempus, ſed uſque ad mundi terminum: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad finem ſæculi*; O magnam Chriſti bonitatem! Magna cenſeretur Chriſti bonitas, ſi in unico mundi loco, verbi gratia, in monte Thabor, aut in urbe Roma manere voluiſſet; ingens etiam ejus diceretur bonitas, ſi in unica hoſtia conſecrata aliquibus dumtaxat anni diebus, v. g. in feſto Paſchatis, aut Pentecoſtes morari ſtatuiſſet. At Chriſtus non in unico loco, non in unica hoſtia, non per intervalla, nec ad breve tempus, ſed in omnibus fere mundi locis, & in omnibus hoſtiis conſecratis eſt; ibi, quouſque corrumpantur ſpecies, aſſidue reſidet, ac nobiſcum uſque ad mundi finem in Euchariſtia remanet: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad finem ſæculi.* O mirabilem, ac ineffabilem Chriſti bonitatem!

Deos ſuos vinculis illigatos, ne ab iis dererentur, nonnullæ cuſtodierunt nationes: ſic Lacedæmonii Martis ſtatuam catenis ligatam tenebant; ſic Herculis ſimulacrum aureis funibus alii detinebant populi; & Apollinis ſtatuam, ne auferretur, alii ſollicite ſervabant. *Carthag. de Euchar. Homil.* 8. At non eſt, quod Chriſtum Deum & Dominum noſtrum detinere ſatagamus; ipſe enim nobiſcum eſt in Euchariſtia; ipſe ibi nobiſcum manet; ac aureis charitatis & bonitatis ſuæ catenis conſtrictus ipſe ibi uſque ad mundi finem manebit. Unde non eſt neceſſe, ut ei cum diſcipulis dicamus: *Mane nobiſcum Domine: Luc. 24. 25.* quia ipſe nobiſcum eſt, nobiſcum manet, & nobiſcum uſque ad mundi finem manebit: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad finem ſæculi.*

O admirabilem, ac omni admiratione dignam Chriſti bonitatem! clamabat Regius Propheta: *Quam bonus Iſrael Deus!* ſed & nos miſerantes clamemus: quam bonus Chriſtus Euchariſtiam inſtituens! quam bonus Chriſtus ad nos in Euchariſtia veniens! quam bonus Chriſtus, nobiſcum in Euchariſtia manens! Hanc Chriſti bonitatem admiratur Chryſoſtomus, dicens, omnes bonitatis Dei theſauros in Euchariſtia eſſe reconditos; *Euchariſtiam cum dico, omnium benignitatis Dei theſaurum aperio: Chryſoſt. hom. 24. in 1. Cor.* admiremur & nos Chriſti bonitatem in Euchariſtia, ac pro tanto beneficio debitas ei gratias referamus. Dixit Chriſtus, quod *ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ; Matth. 24. 28.* illud corpus de quo Chriſtus loquitur, eſt corpus ejus in Euchariſtia reſidens, circa quod, ut ait D. Ambroſius, congregari debent fideles: *Bonæ aquilæ circa altare; ubi enim corpus, ibi & aquilæ; Ambr. l. 4. de Sacram. c. 2.* circa illud corpus volitemus, ut Chriſto gratias referamus, ut fidei, humilitatis, amoris, & aliarum virtutum actus eliciamus; ac ut portentoſos bonitatis Chriſti exceſſus admiremur. At hos exceſſus præcipue admirari debemus antequam ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum recipiendum accedamus: tunc totus intellectus admirari, & totum cor noſtrum in admiratione bonitatis Chriſti dilatari debet: *mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Sed in Eucha-

chariſtia admirari etiam debemus *ſapientiæ Chriſti adinventiones*.

SECUNDA PARS.

In Euchariſtia admiremur ſapientiæ Chriſti adinventiones.

IN naturæ & gratiæ operibus mirabilis eſt Dei ſapientia; nullum eſt opus, quantumvis parvum & exile, in quo æternæ hujus ſapientiæ characteres non eluceant, in quo non legatur, ſupremum aliquem eſſe opificem, qui omnia mirabili cum ſapientia operatus eſt: *Omnia in ſapientia feciſti*. *Pſ.* 109. 24. Divinæ hujus ſapientiæ adinventiones admirabatur, & in iis enarrandis exercebatur Pſalmographus, dicens: *in adinventionibus tuis exercebor. Pſ.* 76. 13. Ejuſdem & ego ſapientiæ adinventiones nunc in Euchariſtia admiror; quæ quidem maxime mirabiles ſunt, quia in ea Chriſtus modum invenit, quo corpus ſuum ſit ſimul; 1. In cælo & in terra; 2. Magnum & parvum; 3. Manducatum & integrum.

1. Cordi Chriſti ex hoc mundo diſceſſuri, duo, ut ait D. Auguſtinus, inerant amores inter ſe pugnantes, ac ad oppoſita Chriſtum ſollicitantes; unus in cælum aſcendere, & alter in terra manere ei ſuadebat; unus ad patriam redire cæleſtem, & alter in terris inter homines morari inſtigabat; unus ajebat, neceſſarium eſſe, ut in terra remaneret, ne ab hoſtibus, tanquam lupis rapacibus, Eccleſia dilaniaretur; & alter dicebat, Spiritum Sanctum ad Eccleſiam non deſcenſurum, niſi ad Patrem unde venerat, ipſe remigraret. Quid igitur tunc facto opus eſt? quo ſe vertet Chriſtus? cujus amoris propenſionibus ſuffragabitur? E ſi a terra diſcedat, ut aſcendat in cælum, Eccleſia ſuo orbabitur capite & protectore; ſi autem non aſcendat in cælum, ſed in terra remaneat, hominibus non aperientur cæli, nec Spiritus Sanctus ſuper eos deſcender; quid ergo faciet Chriſtus? deſeret ne terram, ut in cælum aſcendat? abſtinebitne ab aſcenſu in cælum, ut in terra remaneat? aſcendet ſimul, & remanebit: ſapientia enim ejus invenit modum ſupra omnem modum, quo utrumque fiat, ut ſcilicet ad Patrem aſcendat quoad propriam formam, & nobiſcum maneat in forma cibi Sacramentaliter. Quo pacto utrique amori ſatisfecit Chriſtus: amori ſcilicet perfectionem flagitanti, dicens, *Vado ad Patrem*, & amori manſionem in terris ſuadenti, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Joann.* 14. 28. O mirabilem Chriſti ſapientiam!

Uſitarum eſt inter amantes, quando quis eorum abſcedit, dicere, *Etſi ab eo, tecum maneo.* Hyperbolicus eſt hic loquendi modus, ad indicandum, amantem a perſona amata nunquam diſcedere; ſed cum illa mente & corde ſemper remanere. Quod autem hyperbolice alii dicunt amantes, Chriſtus, qui eſt ſuprema veritas, abſque hyperbole dicere potuit; quando enim ab hominibus diſceſſit, cum iis remanſit; quando in cælum aſcendit, terram non reliquit: ſed ſimul *ipſe ſurſum*, *ipſe deorſum*, ut loquitur D. Auguſtinus, & ut ait Doctor Angelicus, *Corpus Chriſti vere eſt in cælo, & vere eſt in terra. Aug. ſer.* 4. *de verb. Dom.* O potentoſam ſapientiam Chriſti, qui modum invenit, quo corpus ſuum ſit ſimul in cælo & in terra; & *quo corpus ſuum ſit ſimul magnum & parvum!*

2. Credit ſancta Mater Eccleſia, & docet Catholica Fides, totum Chriſti corpus eſſe vere in Euchariſtia æque magnum, ac in cruce, & in cælo, *Ibi eſt ita magnum & ita perfectum*, inquit Doctor Angelicus, *ſicut fuit in cruce, & ita magnum ſicut in die Paſchæ reſurrexit. D. Th. opuſc.* 59. *c.* 3. Tanta autem eſt Chriſti ſapientia, ut invenerit modum, quo ſuum corpus, quod ita magnum eſt in Euchariſtia, in ea ſit etiam parvum, non quidem ratione ſui, ſed ratione parvæ hoſtiæ, intra quam totum remanet, & quaſi clauditur, ut enim ait D. Thomas, (corpus Chriſti non eſt ſub hoſtia naturaliter, ſed Sacramentaliter, & ideo non eſt ibi, ut locatum in loco, nec ſub dimenſionibus propriis, ſed ſub dimenſionibus quæ prius fuerunt, ſcilicet panis & vini, & ideo cum ſubſtantia de ſe, in quantum ſubſtantia, locum non occupet, nec requirat, niſi in quantum eſt ſub dimenſionibus quantitatis, ſequitur ex hoc, quod corpus Chriſti in Sacramento, non requirat, nec occupet plus loci, vel de loco, quam dimenſiones panis, ſub quibus velatur & regitur, occupant & requirunt. *Ubi ſup.*) Ecce quomodo corpus Chriſti in Euchariſtia ſit ſimul magnum & parvum; ſed ecce etiam mirabilem Chriſti ſapientiam.

Admirati ſunt antiqui ſapientiam Myrmecidis, ac artificioſam ejus manum, qua currum quatuor rotis volubilem, ac omnibus ſuis partibus inſtructum, quem una muſcæ ala tegere poterat, fabricare valuerit. Sed miranda magis Chriſti ſapientia, qui totum corpus ſuum ſub parva hoſtia, immo ſub minima hoſtiæ particula reponit; ita quod ſit ſimul magnum, & parvum, magnum quidem in ſe, & parvum ratione ſpatii, intra quod remanet. Quod explicant Theologi, dicentes, extenſionem localem actualem non eſſe de eſſentia corporis, ſed ſolummodo aptitudinalem, vel radicalem; quare cum actualis extenſio localis, ſeu in ordine ad locum, non ſit de eſſentia corporis, hanc extenſionem a ſuo corpore ſuſtulit Chriſtus; & fecit, quod in Euchariſtia non extendatur actu localiter; ſed ſolum aptitudinaliter intrinſece & in ordine ad ſe, ita quod partes corporis ſui non ſint confuſæ, ſed habeant diſtinctionem & ordinem corpori humano congruentem. Unde ſit Corpus Chriſti, quod in ſe magnum eſt, parvum eſſe ratione parvæ hoſtiæ, & parvi ſpatii in quo eſt, & in quod reſidet.

Quomodo hæc fiant, difficillime concipitur, nec intelligere poteſt imaginatio noſtra: quomodo tam magnum corpus ſub parva hoſtia contineri poſſit; illud tamen variis ſimilitudinibus explicant Doctor Angelicus *ubi ſup.* & D. Bernardinus. Sicut, inquiunt, ſpecies & figura turris, montis, vel ſolis, tota recipitur, & comprehenditur in oculo, qui eſt par-

parvus; ita & Chriſti corpus, quod eſt magnum, intra minutiſſimam hoſtiæ particulam continetur. Sicut in parvo ſpeculo apparet imago maximi hominis; ita in parva hoſtia remanet magnum Chriſti corpus. Sicut anima noſtra, ut ait D. Auguſtinus, eſt tota in toto corpore, & ita magna in corpore infantis, ſicut in corpore gigantis; quia propter corporis augmentum & diminutionem, ſeu alicujus membri truncationem, ipſa anima non minuitur vel augetur; ita inquit S. Bernardinus, *cum corpus Chriſti ipſa hoſtia majus ſit; nihilominus intra tam parvam hoſtiam continetur; non tamen contractum, ſed ita magnum atque perfectum, ſicut in cælo eſt. S. Bern. tom. 2. ſer. 54. art. 1. c. 2.* Miramini ſapientiam Chriſti, qui invenit modum, quo corpus ſuum in Euchariſtia ſit ſimul magnum & parvum. *Et qui invenit etiam modum, quo corpus ſuum ſit ſimul manducatum & integrum.*

3. Dixit Chriſtus: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Matth. 26.* Accipiunt & manducant fideles; ita tamen Chriſti corpus ſumunt & manducant; ut nunquam minuatur, vel conſumatur; ſed ſemper integrum perſeveret; *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille, nec ſumptus conſumitur. D. Th.* (Sicut homo, inquit S. Bernardinus, cum comeditur a leone, anima ejus non conſumitur, ſed tantum corpus; ſic dum hoſtia ſumitur a Sacerdote, non conſumitur corpus Chriſti, ſed tantum panis ſpecies. Et ſicut corrupto hominis corpore anima integra ſeparatur; ſic facta corruptione circa ſpecies panis, deſinit eſſe corpus Chriſti, & tamen integrum remanet. *D. Bern. ubi ſup. c. 2.*) Id adumbrare voluit Chriſtus miraculo quinque panum, quos benedixit, & ex quibus plurima hominum millia ſatiavit; & nihilominus, Deo illos multiplicante, non fuere imminuti, quin potius ita ſuperabundarunt ut variæ ſportæ ex his fuerint repletæ: *Non eſt ergo mirum*, inquit Doctor Angelicus, *ſi Deus conſervat ſuum corpus, ut comeſtum, non diminuatur, nec conſumatur, qui dictos panes non ſolum ſic conſervare potuit, ſed etiam augmentare. D. Th. opuſc. 59. c. 8.* O mirabilem ſapientiam Chriſti, qui corpus ſuum dedit in cibum inconſumptibilem, qui a fidelibus ſumitur & uſque ad mundi finem ſumetur; nec tamen in aliquo eſt conſumptus, neque aliquo modo unquam conſumetur, ſed ſemper integer perſeverabit.

Miramini in Euchariſtiæ Sacramento ſapientiam Chriſti, quæ tanta eſt; ut cælum adiens, nobiſcum remanſerit; quæ tanta eſt, ut corpus ſuum, licet magnum, ſub parva panis particula poſuerit, & quæ tanta eſt, ut corpus ſuum ab hominibus manducari volens, illud ſemper integrum, & inconſumptum ſervaverit, ad hoc ut iis eſſet in cibum perpetuum. Tanti faciebat Salomon, quod Templum ſuum Deus incolere dignaretur, ut admirans dixerit; *Ergone putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? 3. Reg. 8. 27.* ſimiliter & nos admirantes dicamus: *Ergone putandum*, quod cum Chriſtus in cælum viſibiliter aſcendit, nobiſcum in Euchariſtia inviſibiliter remanere voluerit? *Ergone putandum*, quod Chriſtus corpus ſuum magnum ſub parva hoſtia conſtituere dignatus ſit? *Ergone putandum*, quod Chriſtus corpus ſuum ſemper ad manducandum dare, & ſemper integrum ſervare velit, ad hoc ut in perpetuum uſum fidelibus eſſe queat? Hæ ſunt admirabiles ſapientiæ Chriſti adinventiones in Euchariſtia, quas ſæpiſſime admirari debent fideles, ſed præcipue antequam ſanctiſſimum hoc Sacramentum ſumant; tunc corda noſtra admirari, & in earum contemplatione dilatari debent. *Mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Sed in Euchariſtia *admirari etiam debemus potentiæ Chriſti prodigia.*

TERTIA PARS.

In Euchariſtia admiremur potentiæ Chriſti prodigia.

TAnta eſt Dei potentia; ut ſolo verbo cælum & terram, elementa & mixta, Angelos & homines creaverit; *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt.* Hanc Dei potentiam in omnibus naturæ, & gratiæ operibus admirabatur Regius Propheta, eamque ineffabilem eſſe prædicabat, dicens. *Quis loquetur potentias Domini?* Eam nunc in ſolo Euchariſtiæ Sacramento admirabor, ubi mirabiliter elucet, & in panis ac vini ſubſtantia, & in accidentibus Euchariſticis, & in corpore Chriſti. 1. *In panis ac vini ſubſtantia*, quæ tota immutatur: 2. *In accidentibus Euchariſticis*, quæ ſine ſubjecto exiſtunt. 3. *In corpore Chriſti*, quod ſimul eſt in pluribus locis.

1. Sancta Romana Eccleſia credit, totam panis & vini ſubſtantiam per conſecrationem converti in corpus & ſanguinem Chriſti; ita quod in inſtanti immediate ſequente prolationem horum verborum; *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei* tota panis & vini ſubſtantia in corpus, & ſanguinem Chriſti ſit immutata. In aliis mutationibus, tam naturalibus, quam miraculoſis, tota non mutatur ſubſtantia, ſed ſola forma; ita quod una forma alteri ſuccedat in eadem materia. Sic cum comburitur lignum, fit naturalis quædam mutatio a forma ligni ad formam ignis, remanet eadem materia in igne, quæ prius fuerat in ligno. Sic etiam in mutationibus miraculoſe factis; cum v. g. uxor Lot transmutata eſt in ſtatuam ſalis, cum virga Moyſis converſa eſt in colubrum, & cum in nuptiis Canæ Galilææ aqua migravit in vinum; tunc hæ quidem converſiones fuere miraculoſæ; ſed in iis facta eſt ſolum mutatio formæ; ita quod deſtructa præcedente, alia advenerit in eodem ſubjecto. In Euchariſtia vero fit converſio totius ſubſtantiæ panis & vini, in totam ſubſtantiam corporis & Sanguinis Chriſti; quæ converſio vocatur *tranſubſtantiatio*, ſeu converſio totius ſubſtantiæ in totam ſubſtantiam. Ad iſtam autem converſionem attingere nequit virtus agentis cujuſvis naturalis; non eam naturaliter facere poſſunt homines, non Angeli, ſed ita potens eſt Deus, ut illam quam faciliime faciat; nempe per ſolam conſecrationem, ſeu per ſolum verbum Chriſti, ore Sacerdotis prolatum. Sicut enim, inquit D. Thomas, verbum Papæ per ſuos nuntios promulgatum, facit omnes Prælatos in unum Con-

cilium convenire; ita Chriſtus verbo ſuo per ſuos nuntios ſacros Sacerdotes prolato, facit ut tota panis & vini ſubſtantia in corpus & ſanguinem ſuum immutetur. O mirabilem Chriſti potentiam!

Idem D. Thomas ſic ratiocinatur, (ſicut in principio creavit Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ſolo verbo ſuo, ſecundum illud Geneſ. 1. *fiat lux*, &c. Et ſicut fecit de omnibus & ſingulis creaturis ab initio creatis, ſecundum quod Pſalmiſta dicit *Verbo Domini cæli firmati ſunt*; ſic facit Deus in Sacramento, quia ſecundum Auguſtinum, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*. Et hoc eſt quod dicit D. Ambroſius. *Si tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur?*) Miramini Chriſti potentiam in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quæ tanta eſt, ut ſolo verbo totam panis & vini ſubſtantiam in corpus & ſanguinem ſuum convertat. *Sed ejus potentia etiam patet in accidentibus Euchariſticis, quæ ſine ſubjecto exiſtunt.*

2. Deſtructa panis & vini ſubſtantia, remanent color, ſapor, odor, & alia accidentia, quæ ſubſtantiæ panis & vini antea inhærebant. Hæc autem accidentia non inhærent corpori Chriſti, quod in Euchariſtia non eſt album, nec rotundum, nec ſapidum; ſed ſunt quaſi nebula operiens gloriam Domini, & quaſi velum ſacrum, intra quod latet Chriſti humanitas divinitati conjuncta. Quomodo hæc accidentia ſine ſubjecto eſſe poſſint, vix concipere poteſt humana ratio, *accidentis eſſe, eſt ineſſe*, ſeu ordinatur accidens ad inhærendum; quare difficillime concipi poteſt, quomodo ſint accidentia & actu non inhæreant. Sed plurima Deus facere poteſt, quæ humanus intellectus capere non poteſt, dicamus, inquit Auguſtinus, *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe*. Et ut ait Tertullianus. *Male Deum norunt, qui non putant Deum poſſe quod non putant*. Unde licet difficillime concipi queat accidentia Euchariſtica eſſe ſine ſubjecto, per Dei potentiam fit, ut ſine ſubjecto exiſtant.

Verum eſt, quod accidentia naturaliter inhærere appetant, & quod naturaliter ſine actuali inhærentia eſſe nequeant, ſed per Dei potentiam fit, ut actu non inhæreant. Sicut enim per potentiam ſuam infinitam Deus naturam humanam Chriſti abſque propria ſubſiſtentia & perſonalitate ſervavit, ita & accidentia Euchariſtica ſervare poteſt, & ſervat abſque actuali inhærentia. Et quis cenſebit Deum, qui potentia ſua intolerabilem mundi molem ſuſtinet, non valeat debilia quædam accidentia abſque ſubjecto ſuſtinere? Hoc quidem poteſt Chriſtus, & hoc per ſuam omnipotentiam facit: *Facit Deus*, inquit S. Bernardus, *ut ea quæ erant in alio per naturam, ſcilicet accidentia, virtute divina ſtabiliantur in eſſe ſine aliquo ſubjecto*. Cujus rei rationem affert idem S. Bernardinus, dicens; (ea quæ non ſunt proprie, ſed inſunt, accidentia ſunt; quæ Deus facit eſſe præter ſubjectum, atque per ſe ſubſiſtere, tamquam ea quæ per ſe ſunt, ſcilicet ſubjective. Poteſt autem hoc divina virtus efficere; quia cauſa prima plus influit in cauſatum eſſe, quam cauſa ſecunda. Cauſa enim accidentium prima Deus eſt; ſed cauſa ſecunda eſt ſubſtantia. Sublata igitur influentia ſubſtantiæ, reſpectu exiſtentiæ accidentium, remanet influentia cauſæ primæ,) qua ſcilicet fit, ut accidentia ſine ſubjecto exiſtant. Ecce mirabile prodigium potentiæ Chriſti in Euchariſtia. Sed aliud adhuc ejuſdem potentiæ prodigium in ea elucet, *in hoc ſcilicet, quod corpus Chriſti ſit ſimul in pluribus locis*.

3. Non ſolum credimus, Chriſtum ſimul in cælo eſſe, & in terra; in cælo viſibiliter, ac præſentia naturali; & in terra inviſibiliter, ac præſentia Sacramentali: ſed inſuper dicimus, eum in diverſis locis eſſe Sacramentaliter, ubicumque ſcilicet ſunt hoſtiæ debite conſecratæ; ut enim ait ſummus Pontifex Innocentius tertius, *ſicut Chriſtus ſecundum divinitatem eſſentialiter eſt in omnibus rebus; ita ſecundum humanitatem Sacramentaliter totus eſt in pluribus locis*. Et ut fatur Sanctus Auguſtinus, *in elligendum eſt corpus Chriſti eſſe in uno loco, id eſt, verum corpus in omni altari Sacramentaliter eſt, ubi celebratur*. Idem Auguſtinus aſſerit, Chriſtum ſe tuliſſe in manibus ſuis, poſtquam, accepto pane, hæc verba protulit. *Hoc eſt corpus meum: Chriſtus*, inquit, *ferebatur in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum*. Erat ergo Chriſtus tunc in duobus locis; aliter non ſe tuliſſet in manibus; ſicut itaque tunc Chriſtus corpus ſuum in duobus locis præſens exhibuit; ita & illud præſens efficit in omnibus locis, ubi hoſtiæ conſecrantur. Quod præclara ſimilitudine explicat Doctor Angelicus, dicens: Si faciei tuæ plurima proponas ſpecula, in omnibus æqualiter, & integraliter una apparebit facies; ſic eſt revera in Sacramento Chriſti, qui ſpeculum dicitur; Chriſtus enim idem & totus eſt in omnibus locis, ubi eſt Euchariſtiæ Sacramentum.

Dices forſitan, te concipere non poſſe, quomodo idem corpus Chriſti ſit ſimul in diverſis locis. Sed recordare, Chriſtum eſſe omnipotentem, & majora poſſe facere, quam ratio tua poſſit capere. Unde in his, & ſimilibus quæ fides docet, dic ſemper, eum qui te credere juſſit, eſſe omnipotentem, ac ea facere poſſe, quæ nos credere jubet; Hæc ſit ratio tua, inquit Auguſtinus; hoc ſit fundamentum, quo ad firmiter credendum compellaris: *Qui te magna credere juſſit, omnipotens eſt*. *Sic ergo pro lance rationis, omnipotentia Creatoris*. Verum eſt, ut ait Hugo a Sancto Victore, quod ſecundum legem a Deo in natura poſitam, idem corpus non poſſit eſſe ſimul in diverſis locis; ſed cum quilibet Legiſlator poſſit diſpenſare in lege quam ipſe ſtatuit, immo oppoſitum ordinare; ita & Chriſtus, qui ut Deus hanc legem ſtatuit, in ea diſpenſare poteſt, ac revera diſpenſat, faciens, ut corpus ſuum ſit ſimul in pluribus locis. Idem aliis ve bis docent Theologi, duplicem in Deo diſtinguentes potentiam; ordinariam unam, & extraordinariam alteram. Illa naturæ leges ſervat, agitque juxta ordinem in natura poſitum; iſta vero agit contra ordinem naturæ, ac ad omnia poſſibilia, & non repugnantia ſe extendit. Et ſic per potentiam ordinariam

facit

Digitized by Google

facit Deus, ut comburat ignis; per extraordinariam vero, ignis activitatem aliquando ſuſpendit, ut in fornace Babylonis. Per primam facit, ut ſol indeſinenter ab Oriente in Occidentem volvatur; per ſecundam vero illum aliquando immobilem reddit. Et ſimiliter per potentiam ordinatiam facit, ut unum corpus unico ſit in loco, & non in pluribus; ſed per potentiam extraordinariam facit, ut corpus ſuum diverſis in locis præſens fiat.

O admirabilem Chriſti potentiam in Euchariſtia! certe in ejus conſideratione mirari, ac dilatari debet cor noſtrum: *Mirabitur, & dilatabitur cor tuum*. Ad Deum oculos ſuos ſemper habebat Regius Propheta: *Oculi mei ſemper ad Dominum*; oculos & nos ſemper habeamus ad Dominum noſtrum in Euchariſtia manentem, ac mirabilia operantem; ibi oculi, mentes, & corda noſtra fixa ſint, ut portentoſa potentiæ ejus prodigia admiremur: *Venite*, inquit idem Propheta, *& videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*. Magnum prodigium, quod fecit Chriſtus ſuper terram, eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo plurima elucent potentiæ ejus prodigia; hæc videnda ſunt, hæc contemplanda ſunt, hæc miranda ſunt: Sed præcipue, cum Chriſtum ſumpturi, ad ſanctam Euchariſtiæ menſam accedimus, tunc maxime ejus mirari debemus potentiam, ac in ejus admiratione dilatari debet cor noſtrum: *Mirabitur & dilatabitur cor tuum*. Sed, heu! multi, & bonitatis, & ſapientiæ, & potentiæ ejus obliviſcuntur, ac Euchariſticam menſam deſpiciunt: *Menſa Domini deſpecta eſt*. Immo & multi criminibus ſuis contaminant: *Menſa Domini contaminata eſt*. O ingratitudinem fidelium, qui mentis oculos ad menſam Euchariſticam convertere recuſant, & quæ in illa mirabilia ſunt, admirari renuunt! O N. N. ſaltem ante communionem Chriſti bonitatem, ſapientiam, & potentiam in Euchariſtia admiremini; & hæc admiratio vos inducat ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum ſumma cum præparatione recipiendum, ut ejus virtute gratiam & gloriam obtineatis. *Amen*.

D E

SS. SACRAMENTO.

CONCIO TERTIA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit. 1. Cor. 11. 29.

SI quandoque Judicis munere fungi peroptarem, ad hoc maxime, ut adverſus indigne communicantes ſententiam ferrem. Nec nimis gravia eſſe poſſent ſupplicia, quibus illos addicerem; cum plus quam dici & concipi queat, enormia ſint crimina, quorum rei ſunt. Non eſt qui Judæ non deteſtetur ſcelus; non eſt qui adverſus hunc proditorem non iraſcatur, & qui non eum ſupra omnes homines ſceleroſum cenſeat; ſed non minus gravia ſunt indigne communicantium ſcelera; hi Judæ crimina participant, & ſimul cum illo judicium ſibi manducant: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. Quare ſicut initium omnis boni eſt declinare a malo; ita & magna ad Euchariſtiam digne recipiendam diſpoſitio erit, ſi quiſque ab indigna & mala communione caveat. Quod ut quiſque faciat, adverſus indigne recipientes ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum hæc erit concio, &c. *Ave*.

TRia ſimul & ſemel enormia commiſit peccata Judas, cum Chriſtum in horto Gethſemani oſculatus eſt. *Primum*, eſt hypocriſis infanda; quia Chriſtum prodidit, ſe ejus amicum eſſe ſimulans. *Secundum*, eſt gravis ingratitudo reſpectu Chriſti, a quo ad Apoſtolatum vocatus fuerat, & a quo innumera alia beneficia acceperat. *Tertium*, eſt horrendum ſacrilegium, quod perpetravit, cum polluto & probroſo ore ſuo Chriſtum oſculari, ac divinum ejus os tangere auſus eſt: *Juda, oſculo Filium Hominis tradis? Luc. 22.* 48. O quam gravia indigni hujus Apoſtoli fuere ſcelera! Quis hæc audiat, qui ſancto in Judam non accendatur odio? quis adverſus ſceleroſum hunc Diſcipulum non iraſcatur? quis non clamet, eum eſſe indignum omni gratia, & æternis ſuppliciis dignum? Aſt non ſolum adverſus Judam inſurgendum, & clamandum; verum & adverſus omnes qui indigne, ſeu in ſtatu peccati mortalis, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipiunt; hi etenim immania Judæ crimina participant: hi ſimul cum Juda ſunt & hypocritæ, & ingrati, & ſacrilegi; quia indigna communio eſt hypocriſis, ingratitudo, & ſacrilegium. Eſt: 1. Infanda hypocriſis: 2. Gravis ingratitudo: 3. Horrendum ſacrilegium.

PRIMA PARS.

Indigna communio eſt infanda hypocriſis.

SI hypocritis pluries maledixit Chriſtus, dum in hoc mundo verſaretur, dicens: *Væ vobis hypocritæ; Matth.* 23. maledictione, & execratione ſua non minus ferit indigne communicantes; cum ſint hypocritæ, qui videntur eſſe boni Chriſtiani, Angeli Dei, & amici Chriſti; ſed hi ſunt: 1. Foris boni Chriſtiani, & intus mali: 2. Foris Angeli Dei, & intus dæmoniaci: 3. Foris amici Chriſti, & intus proditores.

1. Omnes hypocritæ piarum perſonarum partes agunt, omnes boni volunt videri, non eſſe, & ut ait D. Paulus, omnes ſunt homines *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. 2. *Tim.* 3. 5. Unde eos cygno aſſimilant multi; ſicut enim cygnus candidis operitur plumis, ſub quibus nigra, & aſpera latet caro: ita & hypocritæ externam quandam præferunt ſanctitatis ſpeciem, ſub qua conſcientiam variis criminibus denigratam velant & operiunt. S. Gregorius hypocritam ſtruthioni ſimilem eſſe dicit: *Struthio volandi ſpeciem habet, ſed uſum volandi non habet: ita hypocrita cunctis intuentibus imaginem ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat. S. Greg. lib. 7. Mor.* 12. At melius

hypocritarum formam expreſſit Chriſtus, cum eos ſepulchra dealbata vocavit: *Væ vobis*, inquit, *Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis: quæ a foris parent hominibus ſpecioſa: intus vere plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Matth. 23. 27.* Si ſepulchrum ad alicujus Principis gloriam erectum inſpicias, protinus objiciunt ſe oculis marmora pulcherrima, ſtatuæ ſplendenti jaſpide factæ, ſtemmata auro, & argento rutilantia, inſcriptiones præclara Principis mortui facinora delineantes; omnia ibi exterius ſunt pulchra, omnia ſpecioſa; ſed ſi ſuperpoſitum lapidem amoveas, ſi ad ea quæ intrinſecus latent, oculos convertas, ibi oſſa ſolummodo nuda, & exeſa reperies; vel ſi aliquid carnis ſupereſt, eam vermibus ſcaturientem videbis. His ſepulchris ſimiles ſunt hypocritæ, qua exterius ſunt albi, ac pereximia ſanctitate præditi, ſed interius ſunt malitia, dolo, & iniquitate pleni.

Ecce indolem, & mores hypocritarum; ſed ecce etiam indolem, & mores indigne ſumentium Euchariſtiam, qui quidem externa multa ſanctitatis, & pietatis ſigna edunt; ſed, ut ait Doctor Angelicus, hi ſunt *hypocritæ, qui foris boni apparentes, occulte ſunt pravi. D. Th. Opuſc. 58. c. 17.* Hi foris, & quoad formam externam videntur eſſe boni, & pii Chriſtiani; ſed interius mali Chriſtiani, & Antichriſtiani ſunt, qui indigne, probroſe, & crudeliter Chriſtum tractant: *Nonne potius Antichriſtianus eſt, quam Chriſtianus judicandus, qui quantum in ſe eſt, Chriſtum jam factum impaſſibilem, ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, & ſepelit inhoneſte?* O infandam hypocriſim indigne ſuſpicientium Euchariſtiam; ſed magis adhuc infanda eſt eorum hypocriſis, *quia ſunt foris Angeli Dei, & intus dæmoniaci.*

2. De hypocrita ait Seneca, quod ſit *foris Cato, intus Nero*, ſed dici etiam poteſt, eum eſſe foris Angelum, intus dæmoniacum, ſeu a dæmone poſſeſſum: hypocritæ enim in vultu, in geſtu, & in omni externo apparatu Angelicam præferunt formam, & videntur quaſi Angeli carne humana induti, ſed interius ſunt quaſi dæmoniaci, qui a peccato, & dæmone poſſidentur. Cujus rei præclarum habemus exemplum in Juda, qui ad ſanctam communionem ſimul cum aliis Apoſtolis acceſſit; & ſi juxta faciem judicandum fuiſſet, ejus mores Apoſtolicos, & Angelicos eſſe quiſque cenſuiſſet, ſed revera intus erat quaſi dæmoniacus, quia intus a dæmone poſſidebatur, in eum enim ante, & poſt communionem ſatanam intraſſe referunt Evangeliſtæ. In eum intravit ſatanas ante communionem, cum perfido huic Apoſtolo Chriſtum prodere perſuaſit; *Intravit autem ſatanas in Judam. Luc. 22. 3.* In eum etiam intravit poſt communionem, *Poſt bucellam introivit in eum ſatanas. Joann. 13. 27.* Ante communionem in eum intravit ſatanas, ut eum deciperet, & ad Chriſtum prodendum induceret, poſt communionem vero in eum intravit, ut eum, tamquam rem ſuam, plenius poſſideret. *Poſt bucellam intravit*, inquit S. Joannes Damaſcenus, *ut ſibi jam traditum plenius poſſideret, in quem prius intraverat, ut deciperet, S. Damaſ. in Luc.* & ut ait D. Auguſtinus, *intravit in Judam, non ut alienum tentaret, ſed ut proprium poſſideret. S. Aug. tract. 62. in Joann.* Poſſeſſio, ut volunt Juriſtæ, fit per pedis poſitionem, & introitum in domum, cujus poſſeſſio capitur ab eo, qui futurus eſt ejus dominus, cum autem Judas indigne, & ſacrilege Euchariſtiam ſuſcepit, in eum introivit, & in eum quaſi pedem poſuit ſatanas, plenamque ejus poſſeſſionem accepit, *intravit in Judam, ut proprium poſſideret.*

Ecce qualis hypocrita fuerit Judas, ſed ecce etiam quales hypocritæ ſint omnes indigne Euchariſtiam ſuſcipientes; hi enim alios pios viros pietate, & innocentia antecedere fingunt, hi ſe ſanctos, & cæleſti pane dignos eſſe ſimulant, hi Angelicum praeferunt vultum, & ut panem Angelorum manducent, quaſi Angeli ab hominibus videri volunt. Sed dæmoniaci potius, ſeu a dæmone poſſeſſi dici debent, quia in eos intrat ſatanas, in eorum corda pedem figit, ac eorum poſſeſſionem capit. Immo eos dæmoniacis, ac a dæmone poſſeſſis infeliciores, & pejores æſtimat D. Chryſoſtomus: *Dæmonium patiente*, inquit, *pejor eſt qui poſtquam peccavit, accedit. Chryſ. hom. 60. ad Pop.* O infandam hypocriſim indigne ſuſcipientium Euchariſtiam, qui cum Angelos ſe eſſe ſimulent, a dæmone poſſidentur. Sed infanda etiam eorum eſt hypocriſis, *quia ſunt foris amici, & intus proditores.*

3. Judas ſub ſpecie amicitiæ Magiſtrum prodidit, quod Chriſtus ei exprobravit, dicens, *Oſculo Filium Hominis tradis? Luc. 22.* O magnum hypocritam, qui cum ſe Chriſti amicum eſſe ſimularet, eum prodidit! o infandam Judæ hypocriſim! ſed o infandam etiam indigne communicantium hypocriſim! ſicut enim ille oſculo Filium Hominis prodit, ita & iſti oſculo illum produnt, ac Judæ penitus aſſimilantur: *Qui*, inquit S. Bernardinus, *vult in peccatis latere ſub pulchra facie religionis, & communicare, aſſimilatur Judæ traditori, qui oſculo tradidit Filium Dei. S. Bern. tom. 2. ſerm. 55. art. 1. c. 2.*

Euchariſtia ore percepta, eſt quoddam oſculum, quo Chriſti corpus ſub ſpeciebus panis velatum oſculamur. Unde S. Ambroſius ait, quod Chriſtus in Euchariſtia reſidens, omnes ad communionem accedentes ad oſculum invitet, eoſque oſculetur: *Veniſti ad altare. Vocat Jeſus animam ſuam, & ait: Oſculetur me oſculo oris ſui. Vis ad Chriſtum aptare? nihil gratius. Vis ad animam? nihil jucundius: oſculetur me. S. Ambr. l. 5. de Sacr. c. 2.* Eſt igitur Euchariſtiæ perceptio oſculum mutuum utrinque datum, & acceptum. Sed cum Chriſtianus indigne accedit, ſub illo pacis oſculo, ac ſub illo amicitiæ ſigno Chriſtum prodit, *aſſimilatur Judæ proditori, qui oſculo tradidit Filium Dei.*

O infandam indigne communicantium hypocriſim! ſed o magnam eorum infelicitatem! mihi enim audire videor Chriſtum eos increpantem, & cuique indigne Euchariſtiam recipienti dicentem: væ tibi hypocrita: væ tibi, o plene omni dolo: væ tibi, qui alium te eſſe ſimulas, & qui ſub ſanctitatis, & amicitiæ ſpecie mihi injuriam irrogas. Credis forte, o hypocrita, Chriſtum tuas non noſſe fallacias, ſimulationes tuas ignorare, tuoſque neſcire dolos? ſed ſcito, quod latere poſſis coram hominibus, non autem coram Chriſto Domino, qui novit abſcon-

dita

dita cordis tui; *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra. Luc. 16. 15.* O hypocrita, cum ſub ſpecie pietatis ad recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum accedis, videt Deus intima cordis tui, videt quanta ſit tua iniquitas, videt, quam enormis, & infanda ſit hypocriſis tua, videt, & tacet, videt, & quaſi diſſimulat, ut bonitate, & clementia ſua te ad pœnitentiam alliciat: *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Sap. 11. 24.* Sed ſi tandem per pœnitentiam peccata tua non deleas, in furore arguet te, increpabit te, partemque tuam cum hypocritis ponet: *Partemque ejus ponet cum hypocritis. Matt. 24.* Juſtorum pars Deus eſt: *Pars mea Deus in æternum. Pſ. 72.* Sed, o miſer, qui indigne communicas, pars tua erit cum hypocritis, cum iis latere voluiſti in hoc mundo, & cum iis latebis in inferno, ibi latebis, ibi cruciaberis, ibique ingemiſces, & amare flebis: *Partemque ejus ponet cum hypocrytis. Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Quare cave ab indigna communione, quæ eſt infanda hypocriſis, & *quæ eſt etiam gravis ingratitudo.*

SECUNDA PARS.

Indigna communio eſt gravis ingratitudo.

INter plurima, maximaque vitia, nullum eſt frequentius ingratitudine, quæ tamen maxime cavenda, quia nihil ita Deo diſplicet, quemadmodum ingratitudo: *Ingratitudo multum Deo diſplicet: quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans, & urens omne bonum, obſtruens fontem divinæ miſericordiæ ſuper hominem. S. Aug. in Solil. c. 28.* Omnium hominum ingratitudinem luſtrare, infinita eſſet provincia, quare indigne communicantes ſolummodo inſpicio, qui quidem ingratiſſimi ſunt, quia injuriam inferunt Chriſto, qui eis dat, qui eis offert, & qui eis promittit. 1. Qui eis dat ſeipſum: 2. Qui eis offert ſuas gratias: 3. Et qui eis promittit ſuam gloriam, ſi ad ipſum recipiendum ſe debite diſponere velint.

1. Fabuloſam Solis menſam in Æthiopia fuiſſe præparatam refert Rodiginus, aitque, illuceſcente ſole, omnibus fuiſſe licitum ad eam accedere, ibique hilariter delicatos quoſque cibos ſumere: *Ubi vere illuxerit ſol*, inquit, *cuilibet licebat illuc ad veſcendum accedere. Rodig. l. 16. c. 4.* Si autem a fabula ad veritatem tranſeamus, quis dubitet Chriſtum, & in cælo, & in Eccleſia eſſe ſolem admirabilem? quis non dicat, quod *Sol eſt Chriſtus in gloria & in Eccleſia? Lauret. in alleg.* Æternus autem ille Sol diſpoſuit menſam, & grande ſpiritibus beatis convivium præparavit in cælo, ubi eos ex ſeipſo paſcit: *Ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Luc. 22. 29.* Ibi Beati opipare epulantur, ibi magnifice per Dei viſionem, & amorem paſcuntur. Sed in Eccleſia militante magnificum etiam Chriſtus præparavit convivium, ad quod omnes penitus homines invitat, & in quo non aves, non piſces, non terræ fruges, ſed ſeipſum Deum, & hominem manducandum apponit: *Singuli*, ut habetur in ſacro Canone, *accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis. De conſec. diſt. 2. qu. 77. c. Singuli.*

O magnam liberalitatem Chriſti, qui ſe totum dat juſtis, & injuſtis, dignis, & indignis! *O excellens liberalitas Chriſti, qui non ſolum dat ſe dignis, & amicis, ſed non ſe ſubtrahit indignis, malignis, & inimicis. D. Th. opuſc. 58.* Sed o quale donum! & quid majus, quid eminentius, quid utilius dare poteſt Chriſtus, quam ſemetipſum? Certe Chriſtus, licet omniſcius, neſciret invenire, & licet omnipotens, non poſſet tribuere majus donum: *Etiamſi*, inquit Thaulerus, *Chriſtus omnipotentia, & univerſa ſapientia ſua in hoc ſolum incubuiſſet, ut grande homini præſtaret beneficium, & inſigne quoddam amoris exhiberet opus, equidem, meo non poſſum capere intellectu, quod dignius, ſublimius, utilius, aut ſalubrius nobis donum largiri potuiſſet. Tauler. de inſtit. S. Sacram.* Tantum eſt illud donum, ut non ſolum Chriſtus erga nos liberalis, verum & prodigus dicendus ſit: *O Deum, ſi fas eſt dicere, prodigum ſui! Thauler. ubi ſup.*

Quare cum Chriſtus ſemetipſum det nobis in Euchariſtia; & cum tantum ſit illud donum quo nos afficit, infinita noſtra eſſe deberet gratitudo; aut ſaltem nos totos ejus obſequio mancipare deberemus: *Qui totum dat, totum petit*, inquit Seneca, *l. de Benef.* cum ergo Chriſtus ſe totum det nobis, expectat, & petit, ut viciſſim nos totos ipſi demus, & conſecremus. Sed o magnam eorum qui indigne communicant ingratitudinem! hi enim non ſe totos Chriſto conſecrant, ſed ſe totis ei injuriam inferunt: quia eum intra ſe, quaſi intra omnium vitiorum, omniumque abominationum cloacam mittunt: *Quis auditus ſuſtineret aurium*, inquit D. Auguſtin. *Opuſc. 58. c. 18. quis oculus non confunderetur ad intuitum, cujus mens non raperetur in exceſſum, ubi mundi pretium mittitur in ſterquilinium?* Corpus Chriſti in hunc mundum ingredientis, intra Virginis uterum, quaſi intra puriſſimum totius Orbis locum fuit collocatum. Judæi etiam corpus Chriſti mortuum *ſindone munda* involverunt; *Matth. 27.* ſed fideles indigne communicantes, ipſos Judæos ingratitudine ſuperant: quia Chriſtum in locum immundiſſimum, & quaſi in ſterquilinium mittunt: *Mundi pretium mittitur in ſterquilinium.* O inauditam indigne communicantium ingratitudinem! o quam ingrati ſunt erga Chriſtum, qui eis dat ſeipſum! *Sed ingrati ſunt etiam erga Chriſtum, qui eis dat ſuas gratias.*

2. Tanti valoris, tantique pretii eſt gratia divina, ut minimus ejus gradus omnibus terrenis bonis ſimul ſumptis præponderet. Congere, ſi fas eſt, omne aurum, omne argentum, omnes margaritas, ac omnia hæc mundi bona, quæ tanti ſiunt ab hominibus; & pro certo habeas, ut ait Doctor Angelicus, minimam Dei gratiam his omnibus bonis eſſe meliorem & pretioſiorem: *Bonum gratiæ unius hominis majus eſt, quam bonum totius univerſi. D. Th. 1. 2. q. 113. art. 9. ad primum.* Mundi bona ſunt materialia, & gratia eſt ſpiritualis, mundi bona ſunt naturalia,

& gratia eſt ordinis ſupernaturalis; ac proinde, cum gratia ſit ordinis ſuperioris reſpectu bonorum hujus mundi, *bonum gratiæ unius hominis majus eſt, quam bonum totius mundi*. Unde de gratia, ſicut & de ſapientia, dici poteſt, quod tanta ſit pretii, ut totius mundi divitiæ, quaſi nihil ſint reſpectu illius: *Præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Sap. 7.* Ita pretioſa eſt Dei gratia, ut reſpectu illius aurum, argentum, ac pretioſi quique lapides tamquam vile lutum, & arena contemptibilis, cenſenda ſint: *nec comparavi illi omnem lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Tanti tandem valoris & pretii eſt divina gratia, tum quia eſt ſpiritualis, tum quia eſt ordinis ſupernaturalis, tum quia Chriſti ſanguine, laboribus, ac meritis, quæ ſunt infiniti valoris, acquiſita eſt; ut minima gratia omnia hujus mundi bona longe ſuperet: *bonum gratiæ unius hominis majus eſt, quam bonum totius mundi.*

Chriſtus autem ad nos veniens, nobiſque ſe dans in Euchariſtia, ſuas ſecum affert gratias, ac manus ejus gratiis ſunt plenæ, quas offert omnibus, qui ipſum debita cum præparatione recipiunt. Verum eſt, alia Sacramenta aliquam conferre gratiam; ſed in iſto omnium gratiarum auctorem recipimus, qui ſecum omnium gratiarum theſauros defert: *Euchariſtiam cum dico, omnem benignitatis theſaurum aperio: Chryſ. hom. 24. in 1. Cor.* in iſto, omnium penitus gratiarum auctorem ac largitorem ſumimus, qui ſuas omnibus ipſum debite recipientibus ultro gratias offert, dicens: *Omnes ſitientes venite ad aquas; Iſ. 55. 1.* gratiæ meæ ſunt aquæ pretioſæ ſalientes ad vitam æternam, venite omnes & bibite ex hac aqua: *Omnes ſitientes venite ad aquas.* O immenſam Chriſti bonitatem, & benignitatem! ſed o ingratitudinem indigne communicantium, qui non ſolum oblatas reſpuunt gratias; verum & Chriſto gratias offerenti, injuriam inferunt: quia ejus corpus non ſolum intra ſe, quaſi intra cloacam recipiunt, ſed etiam ſanctiſſimum ejus corpus quaſi pedibus conculcant: *Hoc peccato*, inquit S. Ambroſius, *conculcatur corpus Domini. Ambr. in c. 10. ep. ad Heb.* Argumentatur D. Paulus, ac eos, qui Filium Dei conculcaverint, maximis dignos eſſe ſuppliciis probat, dicens, quod ſi morte digni ſint qui Moyſi leges violant, majoribus digni ſunt ſuppliciis qui Filium Dei conculcant: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit? Heb. 10.* Maximis quidem hi digni ſunt ſuppliciis; ſed qui ſunt hi, qui Filium Dei conculcant? *Chriſtum conculcat*, inquit Gloſſa, *qui indigne eo participat.* Chriſtum conculcant ingrati hi peccatores, qui Chriſtum ad ipſos venientem, & gratias offerentem, indigne recipiunt. O magnam horum peccatorum ingratitudinem! ſi enim, omnium plane hominum conſenſu, hi ingrati ſunt, qui accepti beneficii gratiam non referunt; quanto major eſt ingratitudo indigne communicantium, qui Chriſto ad ipſos venienti, ac gratias ſuas offerenti, non ſolum gratitudinis ſuæ ſigna non edunt; ſed & Chriſtum gratias offerentem, quantum in ipſis eſt, conculcant: *Chriſtum conculcat qui indigne eo participat.* O graviſſimam indigne communicantium ingratitudinem! *Qui etiam ingrati ſunt erga Chriſtum, qui eis vitam æternam promittit, ſi digne ipſum recipere velint.*

3. *Qui manducat meam carnem*, inquit Chriſtus, *& bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Jo. 6.* Non omnis qui manducat Chriſti carnem, habet vitam æternam; ſed omnis qui manducat *digne*, ut explicat Rupertus. Nec etiam omnis qui manducat digne, habet ſtatim vitam æternam; ſed ei promittitur vita æterna; quæ ei infallibiliter dabitur ſi perſeveret, daturque ei hoc Sacramentum, tamquam arrha vitæ æternæ: *Habemus vitam æternam*, ut exponit Hugo Cardinalis, *quia habemus arrham gloriæ.* Unde clamat S. Bernardus: *Gratulare ſponſa, pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter uniaris ſponſo in gloria.*

Eſt quidem quod gaudeamus de tanto bono; ſed eſt etiam, quod immenſas, & æternas pro tanto beneficio Chriſto rependamus gratiarum actiones. Et tamen ita ingrati ſunt qui indigne communicant, ut non ſolum oblatum reſpuant beneficium, ſed etiam Chriſto, illud promittenti, quantum in ipſis eſt, manus violentas inferant. Audite D. Paulum hac de re diſſerentem: *Quicumque*, inquit, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Quomodo reus? *ac ſi Chriſtum occidiſſet, & Chriſtum ſanguinem effudiſſet*, inquit Theophylactus. Quomodo adhuc reus? ac ſi Chriſtum ſimul cum Judæis crucifixiſſet: quia qui indigne communicat, peccatum crucifigentium Chriſtum participat: *Qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jeſum particeps eſſe convincitur*, inquit Petrus Damiani, *l. 4. ep. 14.* Quomodo tandem reus? non ſolum ſicut Judæi, verum & plus quam illi; quia hi ſemel dumtaxat Chriſtum occiderunt & crucifixerunt; qui autem Chriſtum indigne recipiunt (quantum in ipſis eſt) eum occidunt & crucifigunt, non ſemel ſolum, ſed quoties indigne accedunt: *Proh ſcelus*, inquit Tertullianus, *ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt, illi quotidie corpus ejus lacerant.* O inauditam ingratitudinem! O quam ingrati ſunt, qui indigne ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumunt!

O N. vide ingratitudinem tuam, & quotieſcumque ad indigne recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum accedis, audi Chriſtum intus tibi loquentem, tuamque tibi exprobrantem ingratitudinem. Judæos criminabatur Deus, ac eorum illis objiciebat ingratitudinem, dicens: *Ego eduxi Iſrael de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos; vos autem hodie projeciſtis Deum veſtrum. 1. Reg. 10. 18.* O N. quando indigne ſacra participas, audi Chriſtum ſimilia tibi objectantem: audi illum intus in corde ingratitudinem tuam tibi objicientem ac dicentem tibi: o ingrate, meipſum tibi do, meas tibi gratias offero, ac æternam tibi beatitudinem promitto, ſi digne communices: & tu pro tot bonis datis, oblatis & promiſſis, quantum in te eſt, me conculcas, me occidis, ac crucifigis: o quam gravis eſt ingratitudo tua! Sic loquitur Chriſtus in corde tuo, quotieſcumque Euchariſtiam indigne recipis, & tu autes

res cordis tui occludis, ut non audias: tu monita ejus ſpernis, correptiones parvipendis, & vituperationem pro nihilo habes. Sed time, o peccator, ne obliviſcatur miſereri Deus, time, ne accendatur velut ignis ira ejus; time, ne Chriſtus, qui i.a erga te bonus eſt, tandem iraſcatur, & ad indignationem provocetur: ut enim ait S. Petrus Chryſologus, *nihil eſt, quod adeo indignationem provocet Altiſſimi, ſicut ingratitudo*. Quare cave ab indigna Communione, quæ eſt gravis ingratitudo, *& quæ eſt etiam horrendum ſacrilegium*.

TERTIA PARS.

Indigna Communio, eſt horrendum ſacrilegium.

SI ſacrilegium eſt *ſacræ rei læſio, ſeu violatio: S. Anton. 2. p. tit. 2. c. 23.* patet, indignam Euchariſtiæ ſuſceptionem eſſe grave ſacrilegium: quia per illam graviter violatur, & profanatur Auguſtiſſimum illud Sacramentum, quod eſt res maxime ſacra, cui ex virtute religionis ſpecialis cultus, ac magna reverentia debetur. Immo & in eo tres ſacræ res violantur, & profanantur, ſcilicet ſpecies ſacramentales, corpus, & anima Chriſti. Unde indigna Euchariſtiæ ſuſceptio grave eſt ſacrilegium, quia per eam profanantur: 1. Sanctitas ſpecierum: 2. Sanctitas corporis Chriſti: 3. Sanctitas animæ ejus.

1. Species ſacramentales ſpecialem a nobis cultum exigunt. Noſtis quanta ſit reverentia, quæ Chriſti ſepulchro tribuitur: illud enim inviſuri ex omnibus mundi partibus advolant Fideles, procidunt humiliter in terram, quæ corporis Chriſti tactu ſanctificata eſt, deoſculentur, & ſe quiſque felicem arbitratur, quod videre, tangere, oſculari, & adorare poſſit locum, in quo ſacrum illud pignus aliquibus diebus remanſit. At non minor ſpeciebus Euchariſtis reverentia deberi videtur: quia non ſunt ſolummodo terra tranſitorio corporis Chriſti tactu ſanctificata; ſed ſunt ſubtilia elementa, & quaſi ſacræ faſciæ, quibus glorioſum Chriſti corpus actu continetur, & ſub quibus diu remanet. Aſſerit Doctor Seraphicus, quod ſi a Chriſti corpore hæ ſeparari poſſent ſpecies, iis etiam ſeparatis, magna deberetur reverentia, ex hoc quod in iis antea Chriſti corpus fuerit, ac remanſerit. *D. Bonav. in 4. d. 13.* Et docent Theologi, has ſpecies tanto dignas eſſe honore, ut eas cultu latriæ abſoluto, & reſpectivo adorare poſſimus: *abſoluto* quidem, ſi has ſpecies conſideremus, in quantum unum cum Chriſto conficiunt Sacramentum, Euchariſtiam ſcilicet, quæ ex Chriſto, & ſpeciebus conſtat: *reſpectivo* vero, ſi eas per præciſionem intellectus contemplemur, ut ſacratas a corpore Chriſti, cui antea fuerant unitæ; tunc enim eas tamquam rem ſacram ex conjunctione Chriſti ſanctificatam, & ſpecialem ad Chriſti corpus relationem habentem, adorare poſſumus. Si autem tanta his ſpeciebus ſanctitas inſit, & tanta ſint veneratione dignæ, quis dubitet, eum in grave incurrere ſacrilegium, qui indigne ſumendo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eas violat, & profanat? Haud dubie immani ſacrilegio reus cenſeretur, qui Chriſti Domini ſepulchrum pedibus conculcaret, vel alio ſimili modo profanaret: ſed quanto graviori ſacrilegio reus eſt, qui per indignam Euchariſtiæ ſuſceptionem adorandas ſanctiſſimi Sacramenti ſpecies profanat? *Manifeſtum eſt*, inquit Doctor Angelicus, *quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, incurrit ſacrilegium, tamquam Sacramenti violator. 3. p. q. 80. art. 8.*

Neminem latet, quantus cultus, quantaque tribuatur reverentia ſacris Chriſti ſindonibus, quæ in civitate Taurina, & aliis quibuſdam in locis ſervantur. Adorandæ hæ reliquiæ, veluti quid pretioſiſſimum & ſanctiſſimum religioſiſſime, ſummaque cum ſollicitudine cuſtodiuntur. Hæ non toties quoties, ſed quibuſdam ſolummodo anni diebus magno apparatu, ac ingenti pompa fidelibus undequaque advolantibus adorandæ exhibentur. Vix explicari poſſet, quanta populorum erga ſacra hæc lintea ſit reverentia, & non eſt, qui hunc graviſſimo ſacrilegio reum non judicet, qui ea conculcaret, vel ea alio quodam modo violaret. Sed non minori jure cenſendum, eos in grave ſacrilegium incurrere, qui per indignam Communionem ſacras violant Euchariſtiæ ſpecies, quæ ſunt veluti ſacræ ſindones, in quibus Chriſti corpus jam glorioſum, non tribus, ſed aliquando ſupra centum diebus remanet. Certe graviſſimum eſt hoc ſacrilegium: *Manifeſtum eſt, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, incurrit ſacrilegium, tamquam Sacramenti violator.* Sed indigna Euchariſtiæ ſuſceptio eſt etiam grave ſacrilegium, *quia per eam Chriſti corpus profanatur*.

2. Chriſti corpus, quod in Euchariſtia ſumimus, idem eſt, quod novem menſibus in Mariæ clauſum fuit utero; *idem*, quod reclinavit in præſepio, & *idem*, quod a' Paſtoribus, ac a Regibus Magis fuit adoratum. *Hoc eſt corpus meum*, inquit Chriſtus: quod corpus? illud corpus, cujus facies in monte Thabor reſplenduit ſicut Sol; *illud* quod ſuo contactu terram (quam ſanctam vocamus) ſanctificavit; *illud*, in quo tota Trinitas inhabitat; *illud* quod in cruce pro hominibus fuit immolatum, & quod nunc in cælo ab Angelis adoratur: hoc eſt corpus, quod in Euchariſtia ſuſcipimus. Verum eſt, hoc corpus eſſe jam impaſſibile, & glorioſum; ſed non minus eſt ſanctum, quam cum erat paſſibile, & infirmitatibus noſtris obnoxium: ac proinde in graviſſimum incurrunt ſacrilegium, qui indigne illud recipiunt, quia illud corpus, quod ſanctiſſimum eſt, polluunt, & profanant; *Polluimus corpus Chriſti*, inquit S. Hieronymus, *quando indigni accedimus ad altare. in c. 1. Malach.* Illud ſacrilegium ita grave cenſet D. Chryſoſtomus, ut illud ſupremum ſacrilegium vocet: *Sicut*, inquit, *debite communicare eſt ſupremus religionis actus; ita & indebite accedere eſt ex ſupremis ſacrilegiis*.

Sacrilegium dicimus, cum quis in crucifixum a pictore, vel ſculptore elaboratum malitioſe ſpuit, aut alio aliquo modo illum profanat: cur? quia hæc imago Chriſti eſt. Sacrilegium vocamus, cum quis Sacerdotem percutit, aut aliam aliquam gravem ei infert injuriam: cur? quia hic ſacer Chriſti miniſter eſt. Sacrilegium appellamus, cum quis templum violat: cur? quia hæc Deo conſecrata do-

mus

mus eſt. Heu! ſi hæc gravia ſunt ſacrilegia; quanto gravius ſacrilegium eſt indigna Communio, qua non ſolum in imaginem, in miniſtrum, vel in domum Chriſti, ſed in ipſum Chriſti corpus peccatur? Certe iſtud eſt unum ex gravioribus ſacrilegiis, quæ perpetrari poſſint: *Sicut debite communicare eſt ſupremus religionis actus: ita & indebite accedere eſt ex ſupremis ſacrilegiis.* Sed indigna Communio eſt etiam grave ſacrilegium: *quia per eam adverſus Chriſti animam irreverentia committitur.*

3. Peccatum ſacrilegii, ut ait Doctor Angelicus, in hoc conſiſtit (quod aliquis irreverenter ſe habet ad rem ſacram. Debetur autem reverentia rei ſacræ ratione ſanctitatis, & ideo ſecundum diverſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus reverentia exhibetur, neceſſe eſt, quod ſacrilegii ſpecies diſtinguatur. Tanto enim ſacrilegium eſt gravius, quanto res ſacra in quam peccatur, majorem obtinet ſanctitatem.) *D. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3.* Quare cum Chriſti anima ſit res maxime Deo ſacra, ſacrilegium, quod committunt indigne communicantes, eſt maximum ob irreverentiam quam animæ Chriſti inferunt.

Qui indigne communicat, irreverentiam committit contra ſpecies ſacramentales, contra corpus Chriſti, contra animam Chriſti, & contra perſonam divinam Chriſti. Iſta autem irreverentia contra perſonam divinam Chriſti, non eſt proprie ſacrilegium: quia ſacrilegium non eſt directe contra Deum, ſed ſolum contra res Deo ſacras: quare hæc irreverentia, quæ contra Chriſti perſonam committitur, non eſt proprie ſacrilegium, ſed eſt irreligioſitas alterius rationis, & quid ſacrilegio gravius. At indigna Communio eſt ſacrilegium *grave*, ratione ſpecierum ſacramentalium, *gravius*, ratione corporis Chriſti, & *graviſſimum*, ratione animæ Chriſti; ac tandem ratione ſpecierum, corporis, & animæ Chriſti quibus ſimul fit injuria, dicendum, indignam Communionem eſſe ſacrilegium horrendum. Immo, ut ait Doctor Angelicus, *ſacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, graviſſimum eſt inter omnia. Ubi ſup.*

O Chriſtiane, cum ad ſacram Communionem accedis aliena inique detinens, ſacrilegio animam tuam fœdas: cum accedis ſpiritu invidiæ, vindictæ, vel concupiſcentiæ exardeſcens, ſacrilegio conſcientiam tuam gravas: cum accedis nondum peracta pœnitentia alicujus peccati mortalis, cujus eras conſcius, ſacrilegium committis, *quod graviſſimum eſt inter omnia*, & propter quod ad graviſſima damnaberis ſupplicia. Si ſacrilegos Mercatores qui in Templo nundinabantur, manu propria plectere voluit Chriſtus; quantis afficiet ſuppliciis ſacrilegos Chriſtianos, qui indigne ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiunt? *Pro menſura peccati erit & plagarum modus; Deut. 25. 2.* quare cum graviſſimum ſit indigne communicantium ſacrilegium, graviſſima & erunt ſupplicia, quibus plectentur. O Chriſtiane, cum indigne communicas, injuriam ipſi illatam patitur Chriſtus; flagellis, & ſagittis armatus non cernitur; ſed veniet tempus, quo adverſum te ſagittas ſuas vibrabit, ac horrenda tua ſacrilegia dignis ſuppliciis puniet.

Audi D. Paulum dicentem: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. 1. Cor. 11.* O N. cum indigne ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipis, judicium tibi manducas, id eſt, *damnationem æternam*, ut explicat S. Anſelmus. Et revera damnationem æternam manducas: quia hic cibus, quem indigne ſumis, erit tibi in damnationem; ac in æternum damnaberis, graviſſimiſque in inferno addiceris ſuppliciis, quia eum indigne recepiſti. Imprudens ille conviva, qui ad nuptias Regis venit non habens veſtem nuptialem, miſſus eſt in tenebras exterioris: *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22. 3.* Chriſtiane, cum ad Euchariſtiam ſumendam indigne accedis, ad convivium Regis tui Chriſti venis, nuptialem non habens veſtem, & ideo ad tenebras exteriores, ſeu ad infernum diriſſimis ſuppliciis torquendus projiceris, niſi pœnitentiam egeris. Quare NN. ſuper omnia cavete ab indigna Communione: accedant digni, diſcedant indigni, vel ſe dignos fieri curent: *Si quis ſanctus eſt, accedat: ſi non eſt, curet per Dei miſericordiam. S. Clem. lib. 2. Conſtit.* Totis ergo conatibus ab indigna Communione cavete, & ad digne recipiendum Chriſtum vos præparate, ut gratiam in hoc mundo, & in cælo gloriam obtineatis *Amen*.

DE
S. S. SACRAMENTO:
CONCIO QUARTA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Pœnitentiam agite. Matth. 3. 2.

IN Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ receptione hic ordo ſervandus eſt, ut omnium primus accipiatur Baptiſmus, qui cæterorum eſt janua Sacramentorum: quo accepto, a peccatoribus in ſtatu peccati mortalis exiſtentibus, non eſt recipienda Euchariſtia, niſi prius ſalutaris pœnitentiæ lavacro, peccatorum ſuorum ſordes eluerint. *Quem*, inquit D. Auguſtinus, *mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam recipere.* Luculenter adnotavit Toſtatus, Sacerdotem magnum ſolitum eſſe ſemel dumtaxat quolibet anno in *Sancta Sanctorum* ingredi, nempe *in die expiationis*; ut inde diſceremus, inquit, ad recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum: (quod eſt Sanctum Sanctorum) peccatores debere tantum accedere *in die expiationis*; ſeu ia die qua per veram pœnitentiam ſua crimina expiaverint. Quod & docuit Sanctus Gregorius Papa, dicens: *Priuſquam corpus Chriſti accipiamus, amaritudo pœnitentiæ abſtergat amorem perverſæ vitæ.* Unde ſi quis a me quærat, quam peccatores ad digne recipiendam Euchariſtiam debeant adhibere præparationem, *Quomodo fiet iſtud?* Pœnitentiam agendam eſſe reſpondebo. *Pœnitentiam agite.* De hac diſpoſitione iſta inſtituetur concio, &c. *Ave.*

Pecca-

PEccaverat David, & ut per veram pœnitentiam ſuum deleret peccatum, mente illud recogitavit, corde illud deteſtatus eſt, & lingua illud confeſſus eſt. Peccatum ſuum mente recogitavit, ac ſerio illud examinavit Propheta: *excitabar, & ſcopebam ſpiritum meum*; corde illud deteſtatus eſt: *rugiebam a gemitu cordis mei*; & lingua illud eſt confeſſus, dicens: *Peccavi valde in hoc facto*. Multi cum Rege David in peccata labuntur, & pauci cum eo pœnitentiam agunt. Sed, o peccator, ſi David ſecutus es errantem, eum & ſequere pœnitentem; ſi peccaveris, pœnitentiam age, & præcipue antequam ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum accedas. Tunc mente revolvenda, ſeu ſerio examinanda ſunt peccata tua, tunc per verum dolorem ſunt deteſtanda; tunc per ſinceram oris confeſſionem Sacerdoti ab Eccleſia approbato ſunt manifeſtanda. O peccator, antequam ad Euchariſtiam recipiendam venias; recogita, deteſtare, & confitere peccata tua: 1. Ea recogita per prudens conſcientiæ examen: 2. Ea deteſtare per verum cordis dolorem: 3. Ea fatere per ſinceram oris confeſſionem. Mentis examen, cordis dolor, & oris confeſſio præcedere debent Euchariſtiæ ſumptionem, ut jam videre eſt.

PRIMA PARS.

Ante Euchariſtiæ receptionem peccator examinare debet conſcientiam ſuam.

CUm omnes peccatores ſint ignari, criminumque ſuorum naturam, numerum & malitiam vix concipiant, conſcientiam ſuam quiſque crebro ſcrutetur neceſſe eſt, ut quod peccaminoſum & ſceleroſum in ea latet, indagare & aperire valeat. Multi, inquit Chryſoſtomus, non ſua, ſed aliorum aſpiciunt peccata: *Aliena diſcutientes, propria non aſpicientes*; ſed ſi ſapiat peccator, non aliena, ſed propria inſpiciet peccata, eaque ſæpe ac ſerio examinabit, & tunc maxime cum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipere intendet: tunc meditabitur, & loquetur cum corde ſuo, ac rationem ab eo exiget eorum quibus aſſenſum præbuit: *Meditabar nocte cum corde meo*; tunc in examinandis propriis delictis exercebitur, *& exercitabar*, tunc per ſcopam ſtricti examinis intimos quoſque cordis angulos mundare conabitur, & *ſcopebam ſpiritum meum*.

Unicum futurum eſt generale judicium, ad quod omnes penitus homines judicandi accedeur, & ante Chriſtum juſtum Judicem attoniti convenient: *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. Sed antequam ad illud univerſale judicium accedamus, pluries noſmetipſos judicare debemus, quoties ſcilicet ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipere volumus, tunc quiſque examinare & judicare debet ſemetipſum: *Tunc judicium eſt mundi, id eſt mycrocoſmi*, inquit D. Bernardinus, *quia tunc homo, qui eſt par:us mundus, examinare debet conſcientiam, eamque ita examinare tenetur, ut nullum ibi angulum indiſcuſſum relinquat*.

Prævium hoc examen ante Euchariſtiæ ſuſceptionem neceſſarium eſſe ſpiritu prophetico prænuntiavit Vates Regius, dicens, quod *honor Regis judicium diligit*: hic enim Rex, cujus honor judicium diligit, eſt Chriſtus, ut ait Sanctus Bernardinus, & hic Rex judicium diligit in ſumptione corporis ſui, ſeu diligit, ut homines ante corporis ejus ſumptionem examinent & judicent ſeipſos, ac quod ita ſe examinent, quaſi exituri eſſent de hoc mundo, (*honor Regis*, ſcilicet Chriſti, inquit, *judicium diligit*, videlicet in ſumptione Corporis ejus, tunc enim diſcutienda eſt conſcientia, quaſi homo ſit tranſituens ad Patrem).

Terribilis eſt D. Pauli ſententia, dicentis, quod *qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. Ideo autem dicit indigne communicantem judicium ſibi manducare, quia propter cibum Euchariſticum quem indigne ſumit, a Deo ſevere judicabitur. Sed, inquit S. Bernardinus, ut ſeverum & tremendum illud Dei judicium declinemus, ante communionem nos ſerio examinare & judicare oportet. (Hoc enim invariabili lege ſancitum eſt, vel quod homo ſe examinando judicet ſemetipſum, vel quod a Domino judicetur. Si te judicas, non judicaris a Deo; ſi te non judicas, a Domino judicaris. Uno vero & ſancto judicio contentus eſt Deus; nam ſicut dicit Scriptura: *Non judicabit Dominus bis in idipſum*. Quare, ut a Deo propter indignam communionem non judicemus noſmetipſos, antequam ad recipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedamus.

Multi multa ſciunt, inquit S. Bernardus, *ſed ſeipſos neſciunt*. Hi ſunt ſimiles oculo, qui multa videt, ſeipſum non videt: maximi tamen eſt periculi ignorantia ſui: hæc eſt aperta ad omnem errorem, ad omne peccatum, & ad infernum via; hæc eſt dæmonis laqueus, quo homines capit, ac ad tartara ducit; &, ut ait S. Iſidorus: *Ignorantia mater peccatorum & nutrix eſt*. Veterator ſatanas oculos peccatoribus velare nititur, ut non videant malum, & ut peccata ſua non agnoſcant: avaro ſuadet, prudentis eſſe viri, facultates ſuas, etiam per uſuras, incrementare, luxurioſo venereas voluptates, aut levia, aut nulla peccata eſſe inſpirat; homini ultionem amanti, vindictam ut quid rationi & æquitati conſonum proponit; infantiæ & adoleſcentiæ peccata, non eſſe peccata, ac peccati malitiam non habere multis afflat: cuique tandem peccatorum ſuorum notitiam ſubripit, ad hoc ut omnes ad immorandum & in peccato perſeverandum inducat. Quare crebro quiſque ſerio examinare debet conſcientiam ſuam: quiſque ſcrutari & probare debet, an in ea aliquod grave lateat peccatum. Sed præcipue antequam ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum accedat; tunc prudenti cum ſolicitudine quiſque ſe probare & examinare tenetur: *Probet autem ſeipſum homo*, inquit Divus Paulus, *& ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. Quænam eſt hæc probatio, niſi vitæ & conſcientiæ diligens examinatio? hæc eſt probatio prævia, quæ ante communionem facienda eſt, tunc probare quiſque debet, quales fuerint præteritæ cogitationes, quales affectiones, quales ſermones, quales operationes; tunc probare & ſcrutari ſerio quiſque debet, an ſit error in intellectu, an malitia in af-

ſectu;

Digitized by Google

fectu; & an alicujus gravis peccati quomodocumque ſit reus, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, (& non aliter S. Bernardinus).

Prævia hæc probatio ita neceſſaria eſt, ut qui, ob defectum diligentis & ſufficientis examinis, aliquod mortale peccatum non confiteretur, peccaret mortaliter, ſi in hoc ſtatu ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reciperet, (qui, inquit S. Bernardinus, ex negligentia perquirendi & examinandi conſcientiam ſuam, obliviſcitur alicujus mortalis culpæ, ſumendo hoc Sacramentum mortaliter peccat, quia non ſervat hoc præceptum: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*). Si quis poſtquam ſufficienti examine conſcientiam ſuam probaverit, alicujus peccati mortalis non recordetur, non peccat quidem ſumendo Euchariſtiam in hoc ſtatu, quia Deus a nobis ſolum exigit examen diligens & ſufficiens, quale adhiberi ſolet in negotiis magni momenti. Sed ſi quis conſcientiam ſuam examinare negligat, & ob talem negligentiam alicujus peccati mortalis non recordetur, & per conſequens non integre confiteatur, peccat mortaliter, ſi in hoc ſtatu ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum participet. (Qui negligit examinare conſcientiam ſuam, ut ait jam laudatus S. Bernardinus; ſed impræparate & intricate, ac quadam inani levitate, & perniciosa tarditate eligit in fine quadrageſimæ confiteri, propter quod, vel peccata propria non cognoſcit, vel eorum ex negligentia ſua non recordatur, & per conſequens non plene confitetur ex culpa. Et quia ſecundum Scotum hæc eſt ignorantia craſſa, & affectata, talis ſuſcipiens corpus Chriſti, mortaliter peccat, quia facit contra illud præceptum: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*).

Quare N. N. ante communionem ſerio veſtram examinate conſcientiam. Nemo ſe ſeducat, nemo ſibi ipſi ſuadere conetur, ſe eſſe juſtum, cum peccator ſit; ſed quiſque ſeria conſideratione ſcrutetur, & ſollicite examinet ſeipſum; quiſque, & quantum fas erit, peccatum a non peccato diſcernat, & ſi adhibito diligenti examine, quidam adhuc ſcrupulus, aut quodam dubium remaneat, ſcrupulum & dubium ſuum prudenti aperiat Confeſſario. In hoc negotio ſalus cujuſque agitur; quare non negligenter, non perfunctorie, ſed ſerio quiſque ſe examinare tenetur: *Probet autem ſeipſum homo*. Debet probare ſeipſum, & non alios probare & examinare debet cor ſuum, linguam ſuam, oculos ſuos, manus ſuas, & pedes ſuos. Probare debet, an cor pravo affectu & iniquo deſiderio ad vindictam, ad iram, ad luxuriam, & ad alia peccata feratur, an lingua mendaciis, maledictis, execrationibus, & blaſphemiis ſit aſſueta, an oculi obtutibus ſuis animam fœdaverint, an manus ſanctis, vel iniquis operibus vacaverint, an pedes ad malum cucurrerint. *Probet autem ſeipſum homo*, ſeu ſerio ſe examinet, *& ſic de pane illo edat*. Sed ſi peccator ante communionem examinare debet conſcientiam ſuam, *peccata etiam ſua ante communionem deteſtari debet*.

SECUNDA PARS.

Ante Euchariſtiæ receptionem peccator ſua deteſtari debet peccata.

OMni tempore ad obtinendam peccatorum remiſſionem neceſſarius fuit dolor ex parte peccatoris; nec enim qui per peccatum mortale factus eſt Dei inimicus, cum eo reconciliari poteſt, niſi de offenſa in ipſum commiſſa prævie doleat. Hic dolor, eſt pœnitentia, quam dicunt Theologi, in omni tempore, & in omni lege fuiſſe neceſſariam neceſſitate medii, ad hoc ut homo peccator a Deo gratiam & miſericordiam conſequeretur; quia in omni tempore & in omni lege, ut obtineretur remiſſio offenſæ in Deum commiſſæ, neceſſe fuit, ut peccator ſuum deteſtaretur crimen, ac Deum, per verum cordis dolorem teſtaretur, quod adverſus illum peccaſſe diſpliceret. Sed potiſſimum de perpetratis criminibus dolere debet peccator, antequam ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum accedat: tunc, ut ait D. Ambroſius, non levis, ſed graviſſimus dolor prærequiritur: *O quanta*, inquit, *cordis contritione & lacrymarum fonte illud divinum & cæleſte myſterium eſt celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur, ubi ſummis ima, & humana divinis junguntur*.

Agnum Paſchalem edebant Hebræi tenentes baculos in manibus, cinctis renibus, & cum lactucis agreſtibus. *Baculos in manibus tenebant*; ut hinc diſcant omnes ad Euchariſticum agnum comedendum accedentes, quod baculos in manibus tenere debeant, ſeu, quod adverſus aereas poteſtates, & adverſus omne crimen eos armatos eſſe oporteat: *Cinctos renes habebant Judæi*, ut hac cæremonia ad menſam Euchariſticam acceſſuris omnis intemperantia coercenda & frænanda juberetur. Manducabant agnum Paſchalem *cum lactucis agreſtibus*; ut doceret nos Deus, quod ad agnum Euchariſticum comedendum quilibet peccator per amaritudinem doloris interni ſe præparare debeat: *Carnes*, inquit S. Gregorius, *cum lactucis agreſtibus ſunt comendæ, ut cum corpus Redemptoris noſtri accipimus, nos pro peccatis noſtris flendo affligamur*. Gregorio aſſentitur Nicolaus de Lyra, dicens: Agnus Euchariſticus comedendus eſt cum lactucis agreſtibus, id eſt, *cum peccatorum commiſſorum doloribus*: juxta illud Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Ante communionem enim recogitanda & examinanda ſunt peccata, & hoc examen fieri debet in amaritudine animæ, ſeu cum deteſtatione, & *cum peccatorum commiſſorum doloribus*.

Valde juſtum eſt, inquit Doctor Angelicus, ut ad tam dignum & venerandum cibum, ſcilicet ad ipſum Dominum omnium, non incurate & indevote, ſed aliquo competenti modo præparati accedamus. Quia autem mundiſſimum, ac Deo vivo plenum, & unitum eſt Chriſti corpus, neceſſe eſt ad illud recipiendum ſe præparare: *primo* per fidei plenitudinem: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, id eſt, in plena fide, credentes quæ non videmus, ſcilicet ſub ſpecie panis eſſe totum

tum Chriſtum, verum hominem & verum Deum. *Secundo*, inquit, præparare nos debemus per munditiæ magnitudinem: quia congruum eſt, ut vas ſuſcepturum corpus mundiſſimum, ſit mundum. Decet enim, quaſi aurum, eſſe puriſſimum cor, ac corpus, quod capere debet cæleſtem panem. Sicut enim Joſeph petiit a Pilato corpus Jeſu, *& involvit illud in ſindone munda*; ita & Chriſtum in ſindone munda involvere debent ſuſcipientes Euchariſtiam; ſeu illum mente pura, ac corde mundiſſimo recipere tenentur. Sed quomodo mundus fiet peccator, ut digne recipiat corpus Chriſti? per dolorem cordis, ut ibidem ait D. Thomas: *Si quis*, inquit, *ad ſuſcipiendum Dominum bene mundus vult fieri, debet per aquam lacrymarum*, ſeu per verum cordis dolorem, *emundari*. Nec per unicum dolorem peccator ſuum deteſtari debet peccatum, ut digne ſe præparet ad recipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed quaſi per plures dolores: *cum peccatorum commiſſorum doloribus*, ut ait Lyranus, quia, ut digne recipiatur Chriſti corpus, quaſi multiplex adhibendus eſt dolor, & multiplici dolore peccata deteſtanda ſunt, dolore ſcilicet interno, dolore univerſali, & dolore conſtanti, ac quaſi perpetuo.

Primo. Ante Euchariſtiæ ſuſceptionem peccator ſua debet deteſtari peccata *dolore interno*, ut enim ait S. Gregorius, *neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos in cordis contritione mallemus*. Ad peccatorum ſuorum deteſtationem ſatis eſſe credebant Judæi, quod ſua ſcinderent veſtimenta, quodque externo quodam ſigno ſe dolere manifeſtarent; at increpavit eos Deus, dicens non veſtimenta, ſed corda eſſe ſcindenda: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*. Multi ſimiliter antequam ad recipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſe offerant; labiis, oculis, ac externis quibuſdam ſignis peccata ſua ſe deteſtari indicant; ſed hæc parvi, aut nullius ſunt momenti, ſi externa illa doloris ſigna a corde non procedant: quia ad hoc ut peccatores digni fiant accipere ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, ſua prius deteſtari debent peccata dolore interno: *Neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos in cordis contritione mallemus*. Hypocritæ toti ſunt exterioribus doloris ac pœnitentiæ ſignis; & præcipue cum ad ſacram Synaxim accedere volunt. Tunc ſua fortius tundunt pectora; tunc ſuas magis exterminant facies; ſuaſque tunc diutius protrahunt preces, ac nonnumquam in fletus prorumpunt; ſed hæc nihil proſunt, ſi externus ille dolor ab interno non procedat: *Neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos in cordis contritione mallemus*. Mulierculas, immo & viros plerumque reperire eſt, qui ore dumtaxat actum contritionis proferunt: vel qui illum ſemel, iterum ac tertio in aliquo libello legunt, nec ad ea quæ dicunt & legunt ullo modo attendunt; actum doloris ore pronuntiant, ſed motum doloris in corde non habent: in iis eſt dolor ſine dolore; ſeu in his eſt externa quædam doloris ſpecies, ſed non verus dolor: quia verus dolor ad dignam Euchariſtiæ receptionem requiſitus, internus eſſe, & a corde manare debet: *Neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos in cordis contritione mallemus*.

Secundo. Ante Euchariſtiæ ſuſceptionem peccator ſua deteſtari debet peccata *dolore univerſali*, ſeu dolore, qui ad omnia mortalia quæ commiſit, ſe extendat; quia cum unum peccatum mortale non remittatur ſine alio, parum aut nihil prodeſſet, unum deteſtari & non aliud: ut enim ait S. Gregorius: *Quid prodeſt, ſi quis peccata luxuriæ defleat, ſi eum avaritia inquinat? Quid prodeſt, ſi iracundiæ peccata lugeat, & invidia facilius tabeſcat?* Plurimi antequam ad confeſſionem & communionem accedant, aliqua execrantur peccata, quibus non indulgent, & a quibus naturaliter abhorrent: ſed alia, quibus addicti ſunt, non deteſtantur, nec illorum eos pœnitet; omnia v. g. luxuriæ inquinamenta execrantur, ſed non uſuras & injuſtitias ſuas; ab omni ſpiritu invidiæ alieni ſunt, ſed non a ſpiritu vindictæ & ſuperbiæ: At, *quid prodeſt, ſi quis peccata luxuriæ defleat, ſi eum avaritia inquinat? Quid prodeſt, ſi iracundiæ peccata lugeat, & invidia facilius tabeſcat?* Parum quidem prodeſt, unum deteſtari peccatum & non aliud: quia ante communionem omnia prorſus peccata mortalia per verum dolorem deteſtanda ſunt. Iſraelitis non dedit Deus manna ad manducandum, quin prius rubrum mare tranſmearint, in quo omnes penitus eorum inimici ſubmerſi ſunt: ut Chriſtianos doceat, quod ſi Euchariſticum manna ſumere intendant, magnus illorum dolor eſſe debeat veluti mare: *Magna eſt velut mare contritio tua*; ac quod inimicos animæ ſuæ amaris illius maris aquis ſubmergere debeant: ita quod dolore univerſali omnia ſua peccata mortalia deteſtentur.

Tertio. Ante communionem peccator ſua deteſtari debet peccata *dolore conſtanti, & quaſi perpetuo*; ſeu dolore qui includat firmum & conſtans propoſitum numquam amplius peccandi mortaliter: *cum propoſito non peccandi de cætero*, ut loquitur Concilium Tridentinum. Si enim dolor verus ſit, ſemper aut formaliter, aut virtualiter includit tale propoſitum. Quia ſicuti filius de injuria patri illata non vere doleret, ſi in poſterum ſimilem ei injuriam inferre vellet: ita, inquiunt omnes Theologi, dolor de peccato adverſus Deum Patrem noſtrum commiſſo verus non eſt, ſi firmum non amplius peccandi propoſitum excludat. Quare o N. antequam ad communionem accedas, non dicas, te de perpetrato dolere; & tamen in eo velle perſeverare: talis enim dolor non eſt verus dolor; & ſine hoc non amplius peccandi propoſito ad ſacram Synaxim accedas, in grave ſacrilegium incurris, novoque animam tuam peccato inquinas. Sic ergo de peccatis doleas, ut firmiſſimo propoſito ab iis in futurum abſtinere ſtatuas. Pie dicebat piiſſima S. Auguſtini Mater: *Vellem potius filium meum Auguſtinum mori, quam quod remaneret in peccato infidelitatis*: ſic ante communionem quiſque in corde ſuo dicat: doleo de peccatis a me commiſſis, ac ita doleo, ut mori mallem, quam in iis perſeverare, & in ea reincidere: mallem mori, quam in luxuriis, ebrietatibus, blaſphemiis, ac aliis peccatis meis perſeverare. At peccator ante communionem non ſolum propria deteſtari debet peccata, *verum & ea confiteri debet*.

TER-

TERTIA PARS.

Ante Euchariſtiæ receptionem peccator omnia peccata mortalia confiteri debet.

CUm quis mortaliter peccavit, ſeque peccati mortalis reum agnoſcit, non ſufficit quod ante communionem peccata ſua deteſtetur, & quod, quantum potuerit, actus doloris eliciat; ſed inſuper ea confiteri debet: non ſatis eſt, quod ſit corde contritus, niſi etiam ſit ore confeſſus, & per confeſſionem Sacramentalem Eccleſiæ reconciliatus: ut enim ait Hugo Cardinalis, antequam Chriſtum in nobis recipiamus per communionem, evacuanda ſunt corda noſtra per confeſſionem: *Si*, inquit, *vultis digne recipere corpus Domini, fundite coram illo corda veſtra per confeſſionem*. Cor peccatoris eſt quaſi vas immunditia & iniquitate plenum, quod ante communionem effundere & evacuare debet peccator: quia Chriſtus, qui eſt ſumme purus, ægre habitat intra corpus hominis habentis cor impurum. Quæ eſt enim *conventio Chriſti ad Belial*? Quæ conventio eſſe poteſt Chriſti cum peccato? nulla equidem: quare antequam peccator intra ſeipſum Chriſtum recipiat per communionem, vas cordis ſui effundere debet per confeſſionem Sacramentalem, declarando omnia & ſingula peccata ſua Confeſſario legitimo: *Si vultis digne recipere corpus Domini, effundite coram illo corda veſtra per confeſſionem*.

Antequam congregaretur Concilium Tridentinum, nonnulli Auctores (pauciſſimi tamen) arbitrati ſunt, habentem conſcientiam peccati mortalis, non teneri confeſſionem præmittere ante uſum hujus Sacramenti: ſed contritionis actum ſolummodo debere elicere. At Concilium hanc reprobat ſententiam, ei adhærere prohibet, & confeſſionem Sacramentalem prævie requiri determinat: *Statuit*, inquit *atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſarii, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem*. Dixit Concilium præmittendam eſſe confeſſionem, *habita copia Confeſſarii*; quia ſi immineat alicui neceſſitas celebrandi, vel communicandi, & non habeat copiam Confeſſarii; celebrare, vel communicare poteſt prævio ſolum actu contritionis. Sed ſi habet copiam Confeſſarii, & peccata ſua confiteri poſſit, ea neceſſario ante Euchariſtiæ perceptionem confiteri tenetur, ut declarat Concilium, & imponit excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam, in eos, *qui prædicaverint, docuerint, pertinaciter aſſeruerint, aut publice diſputando defendere præſumpſerint, non eſſe neceſſarium præmittere confeſſionem ante communionem*.

Hanc neceſſitatem confeſſionis ante communionem faciendæ, multi ex Sanctis Patribus docuere; inter quos S. Cyprianus in ſuis Epiſtolis vehementer invehitur in eos peccatores, qui ante actam pœnitentiam, & ante Eccleſiæ reconciliationem ad Communionem accedunt. S. Auguſtinus ait, eum qui conſcientia peccati mortalis gravatur; non ſuo, ſed Sacerdotis arbitrio, debere ad hoc Sacramentum accedere, vel ab eo abſtinere. Et Hugo a Sancto Victore, confeſſionem ante communionem præmittere, ita neceſſarium aſſerit, ut quicumque, quantumvis contritus, ſine prævia confeſſione accederet, judicium ſibi manducaret & biberet, ac ſi reus eſſet corporis & ſanguinis Chriſti: *Si abſque Sacerdotis abſolutione*, inquit, *crimino ſus ad corporis Chriſti communionem accedat, pro certo ſibi judicium manducat, & bibit, etiamſi eum ante multum pœniteat, etſi vehementer doleat & ingemiſcat*.

Sed ad quid Conciliorum determinationes hic adducere? ad quid varias Sanctorum Patrum auctoritates hic congerere? nonne ipſa ratio plus quam ſatis dictat, quod omnis qui poſt Baptiſmi receptionem peccavit mortaliter, accedere non debeat ad recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo credimus realiter eſſe Chriſtum cæli & terræ Dominum, eumque æterno Patri ac Spiritui ſancto conſubſtantialem, quin prius adhibuerit modum aptiorem ac ſecuriorem ad mundandam animam ſuam, & ad delenda ſaltem omnia peccata mortalia, quibus inquinatur? Non eſt, qui hoc rationi & æquitati eſſe conſonum fateri non debeat. Hic autem modus eſt haud dubie, ut cum interno dolore externa peccatorum confeſſio conjungatur; ut ſi caſu contingat, ſolum dolorem non eſſe ſufficientem ad lavandam animam ab omni macula peccati mortalis, illum defectum ſuppleat ſacramentalis abſolutio. Nec argumentandum hic a pari de aliis Sacramentis; nam in iſto, in quo auctor Sacramentorum recipitur, major etiam probatio requiritur. De iſto ſpecialiter dicitur: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*: major autem hæc probatio in hoc conſiſtit, quod quicumque ſe peccati mortalis reum agnoſcit, vel ſuſpicatur, non ſolum conſcientiam examinet, nec ſolum de peccatis doleat, ſed etiam peccata per confeſſionem quaſi evomat, antequam ad communionem accedat. Cum enim Apoſtolus ait: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*; quid eſt, ſe probare, inquit S. Gregorius, niſi meliori & ſecuriori modo quo fieri poteſt, *evacuata peccatorum nequitia ſe probatum ad Dominicam menſam, & purum exhibere?* Hæc eſt probatio quam adhibere debet, quicumque peccavit mortaliter: hic ita ſe probare debet, ut omnia & ſingula peccata mortalia, quorum eſt reus, prævie confiteatur.

Quare N. N. non aliqua ſolum, ſed omnia prorſus peccata veſtra ante communionem confitemini: ite ad Sacerdotem, & revelate ei pudenda veſtra: dicite ei: peccavi in cælum & contra Dominum meum, quem intra me recipere concupiſco: narrate ei quæ, quot & quantæ ſint iniquitates veſtræ: nec timor, nec pudor, nec aliquid aliud a manifeſtandis ei omnibus criminibus veſtris vos impediat. Audite Deum dicentem: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion*; audite eum, & cuncta penitus ſolvite vincula, quæ a declarandis peccatis vos retardare poſſent. Pudor, timor & præſumptio, immania ſunt vincula, quæ collo vos ligatos tenent, & quæ vos a ſincera & integra peccatorum confeſſione cohibent: ſed ante communionem tetra hæc ſolvite vincula: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion*. Cum in turpe & probroſum aliquod crimen incidiſtis, pudor eſt vinculum, quo veſtra ligantur col-

la;

Digitized by Google

la: cum aliena rapuiſtis, timor reſtituendi eſt aliud vinculum, quo conſtringimini; cum in graviſſima & enormia peccata lapſi eſtis, præſumptio de bonitate & miſericordia Dei eſt aliud vinculum, quo ab integra peccatorum confeſſione impedimini, ſed omnia hæc ſolvenda ſunt vincula, ut ſincera & integra confeſſione omnia peccata veſtra deleatis. Non unum aut alterum ex his vinculis; ſed omnia penitus ſunt ſolvenda, ut libere, ſincere, & totaliter effundatis corda veſtra per integram omnium peccatorum confeſſionem: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

Inter Chriſtum & mortale peccatum infinita eſt oppoſitio. Chriſtus, qui in hunc mundum venit, ut peccata tolleret, infinite elongatus eſt a peccato, ac omne peccatum, ubicumque ſit, odio infinito proſequitur. Unde non ei major fieri poſſe videtur injuria, quam cum intra pectus hominis, gravi peccato inquinati, collocatur, eique unitur. Quid enim eſt Communio, quam communis quædam unio quæ fit inter Chriſtum qui recipitur; & hominem qui illum recipit? Quid eſt Communio, quam quædam unio & *germaniſſima ſocietas*, inquit Sanctus Cyprianus, quam contrahit homo cum Chriſto, quem intra ſe recipit? Quid eſt Communio, quam *ſpiritualis quædam inquiſitio*, ut ait Sanctus Dionyſius, qua Chriſtus ei qui illum recipit, quaſi inſeritur? quæ autem major injuria fieri poteſt Chriſto ſanctiſſimo, Chriſto puriſſimo, & Chriſto omnis munditiæ auctori, quam quod homini peccatori aſſocietur, uniatur, & inſeratur? Nulla quidem: quare N. N. cum per Communionem vobis uniatur & inſeratur Chriſtus, per veram pœnitentiam abjiciendum a vobis peccatum, quod maxime Chriſto diſplicet; per pœnitentiam ſunt prius ablegandæ omnes immunditiæ, omneſque iniquitates veſtræ: *Abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Quotieſcumque ergo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere vultis, ad illud recipiendum per veram pœnitentiam vos præparate: *Pœnitentiam agite.* Sed talis ſit veſtra pœnitentia, ut ſerio omnia veſtra perquiratis peccata per accuratum mentis examen, ut omnia veſtra deteſtemini peccata per ſincerum cordis dolorem, & ut omnia veſtra fateamini peccata per integram eorum confeſſionem. Facta autem hujuſmodi pœnitentia, ad Chriſtum humiliter accedite, a quo magnam gratiarum abundantiam in hoc mundo, & gloriam in futuro obtinebitis. *Amen.*

DE
SS. SACRAMENTO.
CONCIO QUINTA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Statue cultrum in gutture tuo. Prov. 23. 2.

AD Chriſtum, pacis & reconciliationis noſtræ auctorem, digne recipiendum, gladium eſſe aſſumendum non facile prima fronte ſibi ſuadebunt multi; ſed ſi vitia & peccata, quibus inquinamur, infenſiſſimos Chriſti inimicos eſſe adverterint, non eſt, qui congruentiſſimum eſſe non cenſeat, ut quilibet peccator, antequam ad ſacram Synaxim accedat, aſſumpto *gladio ſpiritus*, vitia, omneſque pravos animæ ſuæ affectus jugulet, ac penitus exterminet: *Statue cultrum in gutture tuo.* Chriſtus, qui Apoſtolis prohibuerat, ne baculos quidem ad ſe tuendos portarent: inſtante perſecutione, iis, ut gladios ſibi emerent, tunicam vendere imperavit: *Qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* O peccator, cum ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum accedis, crimina & vitia tua Chriſtum ibi realiter exiſtentem graviter perſequuntur: quare emendi gladii, ut iis mortem inferas, eaque ante communionem e corde tuo generoſe elimines. Unde ſi quis hodie a me quærat, quomodo ad digne recipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſe præparare debeat: *Quomodo fiet iſtud?* Omnia vitia jugulanda eſſe reſpondebo, & præcipue luxuriam, avaritiam, & vindictam, quæ Chriſto ſunt infenſiora, &c. *Ave.*

CHriſtum ab omni prorſus vitio alienum, ac penitus impeccabilem agnoſcimus: ipſe *peccatum non fecit*, ut ait S. Petrus; addamus, quod nec peccatum facere potuerit: ita enim, ratione unionis hypoſtaticæ, ab omni vitio fuit remotus, ut peccare ei quocumque modo fuerit impoſſibile. Sed licet ab omni vitio ſumme abhorruerit, ſpecialem tamen cum luxuria, avaritia, & vindicta oppoſitionem habere viſus eſt. *Cum luxuria*, quippe qui fuit Virginum flos, exemplar, & prototypus; *cum avaritia*, quippe qui erga homines ita liberalis ac prodigus extitit, ut non ſolum omnia bona, tam ſpiritualia, quam temporalia quæ poſſident, ſed etiam Teipſum iis dederit; *cum vindicta* tandem, quippe qui homines ipſi infenſiſſimos ita dilexit, ut pro eorum ſalute naſci, pati, & mori dignatus ſit. Quare cum tanta Chriſtum inter & hæc vitia ſit oppoſitio, nullus ad eum in Euchariſtia recipiendum accedere debet, quin prius hæc in ſeipſo penitus jugulaverit. Hoc ipſa luce videtur clarius; ſed ut id fortius adhuc probetur, ac efficacius ſuadeatur, dico, quod antequam peccator ad communionem accedat, deſtruere debet in ſemetipſo: 1. Spiritum luxuriæ: 2. Spiritum avaritiæ: 3. Spiritum vindictæ. Chriſtus ſumme purus eſt, tolle luxuriam. Chriſtus ſumme liberalis eſt, tolle avaritiam.

Digitized by Google

tiam. Chriſtus ſummè pacificus eſt, tolle vindictam. En tria vitia, quæ ſpirituali cultro jugulare debet peccator, antequam ad ſacram Synaxim veniat: *Statue cultrum in gutture tuo.*

PRIMA PARS.

Antequam peccator ad ſacram Communionem accedat, deſtruere debet in ſemetipſo ſpiritum luxuriæ.

Etſi omnibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtus dederit, etſi pro omnibus illud inſtituerit; pro iis tamen præcipue, & principaliter, qui munditia, & caſtitate eminent; hi ſunt victores generoſi, quibus dat Chriſtus manna cæleſte ſub Euchariſticis ſpeciebus reconditum: *Vincenti dabo manna abſconditum*. Luxurioſi, non victores ſed a ſpiritu luxuriæ & incontinentiæ victi ſunt, hi ſub carnis jugo ingemiſcunt: quare non iis dandum manna Euchariſticum, ſed ſolummodo *vincentibus*, id eſt ut exponit Rupertus Abbas, *iis qui fornicationes in ſemetipſis pervirtutem continentiæ deſtruunt*.

In veteri Lege a ſacrificiis canes, veluti animalia immunda, totaliter repudiabantur; & in lege nova luxurioſi, tamquam canes immundi, a Deo reprobantur, ac ſacris myſteriis penitus arcentur; ſacroſanctum enim Euchariſtiæ Sacramentum eſt panis Filiorum, qui hujuſmodi canibus non mittitur: *Ecce panis Angelorum, vere panis Filiorum, non mittendus canibus*. Prohibuit Deus, ne Sanctum daretur canibus. *Nolite Sanctum dare canibus*. Hi canes ſunt luxurioſi, qui impuris paſcuntur cogitationibus, qui obſcœnis æſtuant deſideriis, qui turpiloquiis delectantur, vel qui quocumque modo illicitis carnis immunditiis ſe conſpurcant; iſtiuſmodi canibus non eſt dandum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, iis impudicis non eſt mittendum; ſed e contra a ſacris myſteriis hi ſunt ablegandi, & quantum fas erit, a ſacra communione expellendi: *Foris canes, & venefici, & impudici*. Canes ſunt adoleſcentes, qui turpi ſe contactu contaminant; *canes ſunt* juvenes multi, qui membra ſua faciunt membra meretricis; *canes ſunt* maritatæ & maritati, qui juratam conjugii fidem violant: *canes ſunt* multæ omnis ſtatus, omnis conditionis, omniſque ætatis perſonæ, quæ vel tactibus impudicis vacant, vel quæ quocumque modo turpi luxuriæ vitio animam & corpus impudenter fœdant. Hi autem canes Euchariſtica menſa omnino ſunt indigni, ac ab ea ſunt repellendi: *Foris canes, & impudici*.

Chriſtus non ſolum Virginem Matrem, ſed etiam nutritium Joſephum eadem virginitate donarum ſibi elegit: virgineis utriuſque Parentis manibus tractari voluit. Joſeph, & Maria fuere lilia candidiſſima, inter quæ commorari, & paſci delectatus eſt: de ipſo enim ait Spiritus ſanctus, quod paſceretur inter lilia: *Qui paſcitur inter lilia*, id eſt, *inter Mariam & Joſeph*, ut explicat Rupertus Abbas. Quare ſi Chriſtus, omnis munditiæ parens, inter candida virginitatis lilia habitare & verſari ſemper amavit, dum eſſet in hoc mundo; quis credat, inquit Petrus Damiani, jam ipſum in cælis cum Patre regnantem, ab immundis canibus, ſeu a luxurioſis velle tractari, & manducari? *Si igitur*, inquit, *Redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero naſceretur, ſed etiam a nutritio virgine tractaretur; & hoc cum adhuc parvulus vagiret in cunis: a quibus nunc, obſecro, tractari vult corpus ſuum, cum jam immenſus regnat in cælis? Si mundis attingi manibus volebat in præſepio poſitus; quantam nunc corpori ſuo vult adeſſe munditiam, jam in paternæ majeſtatis gloria ſublimatus?* Certe nec nunc ab immundis tractari manibus, nec a luxurioſis viris indigne manducari vult Chriſtus. Unde S. Hieronymus, ferventiſſimo ſucceſſus zelo, adverſus canes impudentiſſimos, ſeu adverſus luxurioſos clamat, eoſque Judæ proditori aſſimilat, dicens: *Quid tibi cum feminis, qui in altari cum Deo fabularis? Dic Sacerdos, dic Clerice, dic quiſquis fueris qui Sacramenta ſumis, qualiter cum iiſdem labiis Filium Dei oſcularis, quibus oſculatus es labia meretricis? O Juda, Filium hominis oſculo tradis?* O quot in mundo impudici? quot proditores? quot cum Juda indignis, & impuris labiis Chriſtum in Euchariſtia oſculantur, & impudenter recipiunt? Sed advertant hi miſeri, quod gravem injuriam inferant Chriſto, qui ſemper virgineis manibus tractari, & inter Virgines verſari amavit.

Spiritus Sanctus Euchariſticæ menſæ convivas alloquens, ait, *Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam*; ſeu, cum veneris ad menſam Chriſti, qui Princeps eſt omnium Regum terræ, attente conſidera quid tibi apponatur comedendum; *attende*, quod cibus Euchariſticus eſt *ipſe Chriſtus*, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus Deus eſt; eſt *ipſe Chriſtus*, cujus bonitas, potentia, & ſapientia ſunt infinitæ; *eſt ipſe Chriſtus*, cujus anima divinitati hypoſtatice unitur, & donis innumeris locupletatur; eſt tandem *ipſe Chriſtus*, cujus corpus immaculatum, & ſumme purum ſemper extitit: hoc ſerio attendendum; & conſiderandum eſt: *Diligenter attende quæ appoſita ante faciem tuam*. Sed & diligenter, ac prudenter attendendum: qua prævia diſpoſitione ad tantum cibum ſumendum quiſque venire debeat; putas, quod turpibus concupiſcentiis æſtuanti, & pravis libidinibus effervescenti ad divinam hanc eſcam ſumendam pateat acceſſus? credis, quod homini immundo, ac prohibitis luxuriæ operibus addicto, Chriſtum puriſſimum recipere liceat? Certe nec expedit, nec licet: nullus ex hujuſmodi immundis canibus ad ſacram Synaxim accedere debet: *Inhumanus accedat nemo*, inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *nemo crudelis & immiſericors, nemo prorſus immundus*. Adnotandum, ut ait S. Thomas a Villanova, quod (non accedimus ad arcam ligneam, & altare aureum, & manufacta Sacramenta, & lapideum tabernaculum; ſed ad ipſam Dei ſublimem celſitudinem, beatis ſpiritibus præſidentem, ſub qua curvantur qui portant Orbem, & ad Judicem vivorum omnium & mortuorum Chriſtum, cui adſtabit omnis caro, coram quo omnes Reges terræ, & omnes gentes & Principes trepidabunt, ad verum Dei corpus, & ſangui-

guinem pretioſum, quo redemptus eſt mundus.) Quare cum tantus ſit cibus Euchariſticus, nemo, niſi puriſſimus ſit & mundiſſimus, ad eum recipiendum accedere præſumat: *Inhumanus accedat nemo, nemo prorſus immundus.*

¶ Quod ut quam verum & indubitatum ſit, clarius pateat, advertendum, quod inter Chriſtum qui recipitur, & fidelem qui eum recipit, mirabilis, & ineffabilis quædam fiat unio, quam diſſimiliter explicant S. Patres. S. Chryſoſtomus ait, Chriſtum ſe nobis commiſcere: *Cum amorem ſuum Deus indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit.* Doctor Angelicus inter Chriſtum qui comeditur, & hominem qui illum comedit, unionem omnimodam fieri aſſerit: *Cum datur in cibum, datur ad omnimodam unitatem: uniuntur enim in unitate corporis cibus & ſumens.* S. Laurentius Juſtinianus per Euchariſtiæ ſumptionem, nos Chriſti corpori incorporati ait: *O quam mirabilis,* inquit, *eſt dilectio tua, Domine, qui tuo corpori totaliter nos incorporari voluiſti!* S. Paſchaſius quandam noſtri cum Chriſti inviſcerationem & transformationem fieri docet: *Caro quidem carni ſpiritualiter conviſceratur, transformatur, ut & Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inveniatur, ſicut & ipſe noſtram in ſuam conſtat aſſumpſiſſe deitatem.* O admirabilem Chriſti unionem cum eo qui ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum recipit! Sed quis cenſeat Chriſtum cum cane immundo, ſeu cum homine luxurioſo ſic velle uniri? ſed quis etiam homo immundus, & laſciviæ deditus ad Chriſtum accedere præſumat, ut corpori ejus mundiſſimo uniatur? *Quis de cætero, his cognitis, impurus & immundus præſumat accedere?* Nullus quidem hoc præſumere deberet; ſed flens dico, hoc præſumunt multi, hoc præſumunt innumeri, qui vel non audentes hæc pudenda confiteri, vel ab iis abſtinere nolentes, ad ſacram Synaxim veluti canes impudentiſſimi accedunt, ac eam in ſtatu peccati mortalis recipiunt. Sed ſciant hi, graviſſimum illorum eſſe flagitium, & duriſſima eorum fore ſupplicia.

Graviſſimum certo illorum eſt flagitium: quia, ut ait S. Thomas a Villanova, hi rei ſunt, ac ſi Chriſtum occidiſſent, ac ſanguinem ejus effudiſſent. (Quantum vero flagitium ſit, inquit, in ſpurciſſimam pectoris tui cloacam ſacroſanctum Chriſti ſanguinem fundere, apoſtolica illa tuba perſonuit, dicens: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Quomodo reus eſt corporis, & ſanguinis Domini? *Ac ſi occidiſſet, & effudiſſet: non æqualiter quidem, ſed proportionaliter.*) Ecce flagitium hominis luxurioſi & immundi indigne ad ſacram communionem accedentis. Sed ſi pœnitentiam non egerit, duriſſima etiam ejus erunt ſupplicia in inferno, ubi graviſſime torquebitur: *Si beſtia tetigeris montem, lapidabitur,* inquit D. Paulus. Quæ verba exponens præfatus S. Thomas, ait: (beſtia quæ montem retinuerit, lapidabitur; hoc eſt, beſtialis & luxurioſus homo, qui montem illum excelſum, montem cunctis virtutibus, & gratiis coagulatum, montem denique in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, indigne tetigerit, *lapidabitur, torquebitur, & malleis inferni graviſſimis contundetur.*)

Ecce ſupplicia quæ præparavit Chriſtus luxurioſis & impudicis indigne eum ſumentibus; quare, tu immunde peccator, ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedere timeas, niſi prius immunditias tuas penitus laveris. Cum impurum quoddam ſomniantis viſum mentem S. Hieronymi præoccupaverat (licet in hoc non venialiter peccaverit) ad loca ſacra accedere formidabat: *Cum me,* inquit, *nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo.* Heu! quanto magis eſt, quod ad Chriſtum ſumendum accedere timeas tu, qui non ſolum involuntario phantaſmate præventus es, verum & voluntariis cogitationibus pluries delectatus es; quanto potiori ratione ad trepidandum tu teneris, qui pravis deſideriis, tactibus impudicis, ac venereis multis actibus & animam, & corpus tuum toties maculaſti? Certe eſt, quod plurimum expaveſcas; time, o immunde peccator; timorque tuus ita ſit efficax, ut ad totaliter deſtruendum in teipſo luxuriæ ſpiritum te vere compellat: *Statue cultrum in gutture tuo,* ut in teipſo jugules ſpiritum luxuriæ; *ac etiam ſpiritum avaritiæ.*

SECUNDA PARS.

Antequam peccator ad ſacram communionem accedat, deſtruere debet in ſemetipſo ſpiritum avaritiæ.

HUmanæ vitæ neceſſitates multas & magnas eſſe nemo negat: fames enim nos deprimit, ſitis præfocat, ſtringit frigus, calor diſſolvit; paupertas angit: quare ut iis, & aliis multis occurramus neceſſitatibus, temporalibus, & terrenis indigemus bonis, quæ quiſque cum æquitate, & prudentia, abſque nimia ſollicitudine acquirere, & conſervare poteſt ac debet. Unde non jam totalem bonorum fortunæ abdicationem unicuique ſuadere intendo; non dico, quod temporalia omnia quiſque abjicere teneatur, ut Chriſtum digne recipiat; ſed ſolummodo, quod avaritiæ ſpiritum quiſque reſecare, ac in ſeipſo jugulare debeat, antequam ad Chriſtum avaritiæ inimicum & ſumme liberalem, in Euchariſtia ſuſcipiendum ſeſe offerat.

Sicut calor & frigus, æſtus & hyems, dies & nox inter ſe opponuntur; ita & ſibi maxime adverſantur Chriſtus & avarus: Chriſtus, inquit D. Auguſtinus, avaritiam odio habet; *Contradicit Chriſtus avaritiæ:* avarus etiam, ut ait idem Auguſtinus, eſt Chriſti inimicus: *Inimica Chriſti avaritia.* Quare cum ita inter ſe pugnent Chriſtus & avarus, cum tanta ſit oppoſitio & contrarietas inter Chriſtum qui eſt ſumme liberalis, & avarum qui ad temporalia totis affectibus anhelat, ab Euchariſtica menſa arcendi ſunt omnes avari, qui per fas nefaſque terrena comparare & conſervare conantur: *Nullus Judas,* inquit Chryſoſtomus; *nullus avarus aſſiſtat: nam tales menſa non ſuſcipit.* Procul ab Euchariſtica menſa omnes uſurarii, procul teſtamentorum defraudatores, procul decimarum fures, & pauperum oppreſſores, procul iniqui omnes bonorum proximi raptores & detentores; non accedunt hujuſmodi avari ad Chriſtum liberaliſſimum, hi ad illum in Euchariſtia recipiendum non ſe offerant: *Nullus Judas, nullus avarus aſſiſtat.*

Digitized by Google

Chriſtus, qui ſemper, & ubique liberalis fuit, in Euchariſtia ſe prodigum exhibet: non enim dat nobis ibi Agnum Paſchalem, non azymos panes, nec manna de cælo, ſicut dedit Patribus veteris Teſtamenti; non dat ibi librum aliquem, ſicut Ezechieli, & S. Joanni Evangeliſtæ, non cibos communes, non aurum, non argentum, ſed ſeipſum, ſed omnia penitus quæ habet, & habere poteſt: *Dicere audeo*, inquit S. Auguſtinus, *quod Deus, cum ſit omnipotens, plus dare non potuit: cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit: cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Sanctiſſimus Propheta Zacharias omnia Chriſti bona in Euchariſtia, eſſe dicit: *Quid*, inquit, *bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines:* Hæc ſunt omnia Chriſti bona, ibi ſunt omnia bona divinitatis, & humanitatis ejus; ibi ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ ejus; ibi continetur formaliter, vel eminenter quidquid habere, & dare poteſt: *Cum ſit omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit; cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Quare cum tanta Chriſti ſit in Euchariſtia liberalitas, avaros ſummopere horret, iis adverſatur, & quemlibet avarum veluti Judam reſpicit, qui Euchariſtica menſa indignus eſt, ac ab ea removeri debet: *Nullus Judas, nullus avarus aſſiſtat.* Judas eſt hic homo dives, qui pauperes devorat in abſcondito; Judas eſt iniquus ille Judex, qui pauperum, pupillorum, & viduarum jura non tuetur; Judas eſt mercator, qui lucris, & negotiis immerſus, conſcientiæ obliviſcitur; Judas tandem eſt quicumque aliena rapit, vel injuſte detinet: his autem omnibus, qui Judæ avaritiam participant, ad ſacram Synaxim accedere prohibitum eſt: *Nullus Judas, nullus avarus aſſiſtat.*

Menſam Euchariſticam non pro avaris, & pro bonorum fortunæ iniquis amatoribus, ſed pro iis qui corde & affectu ſint pauperes, Deus præparavit: *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Non diviti avaro, inquit Propheta, ſed pauperi, & homini ab affectu terrenorum alieno hanc menſam paravit Deus. Verum eſt, avaros divites, ſicut & alios omnes peccatores, vere, & realiter manducare corpus Chriſti, illudque manducant ſacramentaliter, ſi illud in Euchariſtia vere, & realiter eſſe credant; ſed non manducant illud ſpiritualiter, quotieſcumque in ſtatu peccati mortalis exiſtentes illud ſumunt. Unde de avaris, ſicut & de omnibus malis Chriſtianis, ait Doctor Angelicus, quod *manducant, & non manducant corpus Chriſti; manducant quidem, quia corpus Chriſti ſumunt ſacramentaliter; & non manducant, quia virtutem ſpiritualem, id eſt, ſalutem animæ non percipiunt.* Et in hoc ſenſu avaris divitibus menſam Euchariſticam non præparavit Deus: quia ſcilicet avari in ea ſpiritualiter, ac ad animæ ſalutem non paſcuntur. Et ideo idem Propheta ait, quod *edent pauperes, & ſaturabuntur*; edunt quidem & pauperes & divites; ſed ſaturantur pauperes & non ſaturantur divites; *Quia non comedunt ſpiritualiter niſi pauperes, id eſt, contemptores divitiarum.* Quare ſi ſpiritualiter, & ad animæ tuæ ſalutem, Chriſti corpus manducare velis, deponas avaritiam, & mundi divitiis cor tuum non apponas: *Nullus Judas; nullus avarus aſſiſtat.*

Quicumque ad ſacram Euchariſtiam accedunt, a terrenis abſtrahi, & ad cæleſtia ſublimari debent: *Nihil terrenum cogitent mortales*, inquit S. Jacobus, *Rex enim Regum datur illis in cibum.* Chriſtus, qui in Euchariſtia ſumitur, totus ſpiritualis eſt, ipſum ejus corpus in ea eſt modo quodam ſpirituali; & cor illius ſpirituale, cæleſte, ac e terrenis omnibus eſt penitus abſtractum; quare ſpirituales ſimiliter, cæleſtes, ac ab affectu terrenorum remoti eſſe debent, quotquot ad Euchariſticum cibum ſumendum veniant: *Nihil terrenum cogitent mortales, Rex enim Regum datur illis in cibum.* Aſſerit Chriſtus, corpus ſuum eſſe in Euchariſtia: *Accipite & manducate hoc eſt corpus meum*; ſed dixit etiam quod ubicumque fuerit corpus ſuum, ibi congregandæ ſint aquilæ: *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Ad Chriſti corpus ſumendum congregati debent, non avari, qui ſunt quaſi lupi rapaces; ſed aquilæ, ſeu, homines a terrenis abſtracti, & ad cæleſtia tendentes: ut enim advertit Chryſoſtomus, *Chriſtus aquilas appellat, ut oſtendat ad alta eum debere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra ei debere eſſe commune.* Licet aquila interdum ad terram deſcendat, dicitur tamen *avis cæleſtis*; & ideo aquilam dimittebant Romani in exequiis Imperatorum, quaſi eſſet anima illorum, quæ cælos conſcenderet. Quare ſi ad Chriſti corpus ſuſcipiendum accedere intendas, non ſis avarus, & lupus rapax, ſed eſto aquila, eſto avis cæleſtis, eſto a terrenis omnibus penitus alienus; *Nihil terrenum cogitent mortales, Rex enim Regum datur illis in cibum.*

Sed, heu! quam multi lupi rapaces, quam multi avari ad Euchariſtiæ Sacramentum accedunt? inveniuntur Principes, Duces, Judices, Advocati, Procuratores, ac innumeri omnis ſtatus, omniſque conditionis viri, qui quaſi lupi rapaces aliena diripiunt; & tamen ad Chriſtum in Euchariſtia recipiendum accedere non formidant. Rapere fere omnes ſciunt, reſtituere norunt pauci, & fere omnes ſuo tempore ad ſacram Synaxim veniunt. O quot indignæ, & ob avaritiam ſacrilegæ fiunt communiones! O quam multi avari in ſtatu peccati mortalis Chriſtum recipiunt! O avare, ſcis haud dubie, quod omnis *qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*; ſed ſcito etiam, quod durius judicium fiet avaris divitibus, qui aliis præeſſe, eoſque opprimere conantur: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Quid reſpondebis, o avare, cum arguet te Chriſtus, dicens: meipſum tibi in cibum dedi, & tu nec panem fratri tuo pauperi dediſti; omnia bona mea tibi in Euchariſtia largitus ſum, & tu aliena abſtuliſti: Prophetæ, Evangeliſtæ, & S. Doctores aliena reſtituenda eſſe te docuerunt, & reſtituere noluiſti: ſciebas, quod ad ſacram communionem venire non liceret, quin prius cuique ſuum reddidiſſes, & reddere recuſaſti? O avare, quid Chriſto hæc, & alia multa exprobranti reſpondebis? Certe mutus hærebis, & ut alter Judas ad æterna ſupplicia damnaberis. Quare, o avare, antequam ad ſacram Synaxim accedas, *ſtatue culteum in gutture tuo*, ut te teipſo penitus deſtruas, & jugules ſpiritum avaritiæ; *ac etiam ſpiritum vincula.*

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

Antequam peccator ad ſacram communionem accedat, deſtruere debet in ſemetipſo ſpiritum vindiſtæ.

SAnctus Ambroſius in perquam amœni horti ſui oſtio amorem perbelle depingi curaverat, & in hujuſce oſtii ſuperliminari hoc lemma ſcribi fecerat: *Amoris oſtium, non hoſtium*; quaſi diceret, odia, & litigia nullum habere locum in loco, ubi omnia amœna, & floribus luxuriantia erant. Dicamus ſimiliter, oſtiolum tabernaculi, in quo ſacra clauduntur pignora, eſſe *amoris oſtium, & non hoſtium*: quia hoc oſtiolum non patet, niſi charitati, nec Chriſtus ex eo jucunde egreditur, niſi ut ſe pacificis, & concordiam amantibus communicet.

In ipſo naſcentis Eccleſiæ primordio aliqui contendebant, & *litigabant Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* hi litagabant, inquit Auguſtinus, *quia panem concordiæ non intelligebant*. Sed alii fideles, qui Euchariſticum panem intelligebant, mutuo charitatis vinculo erant conjunctiſſimi, eorum erat cor unum, & anima una: & ſi quandoque aliqua inter illos ſuboriretur rixa, promptiſſime extinguebatur; nec aliquis ad ſacram Synaxim accedebat, quin prius fratri ſuo eſſet reconciliatus, illique ſacro pacis fœdere conjunctus: *Ignoramus ſine pace communionem*. Iſtis autem temporibus multos habemus litigantes Judæos; nunc inter Chriſtianos multi ſeſe rodunt, dilacerant, devorant, odiique, ac invidiæ flammis exardeſcentes, Euchariſtica myſteria nonnunquam impudenter participant. Iſti litigant; quia *panem concordiæ non intelligunt*; iſti litigant; quia non probe norunt, ad ſacram communionem veniendum eſſe per amoris & concordiæ oſtium; *Amoris oſtium, & non hoſtium*.

Hoc oſtio ad Euchariſtiam ſumendam ſpeciali, & mirabili modo intravit S. Joannes Eleemoſynarius, qui cum die quadam ad ſacra myſteria celebranda, jam ſacerdotalibus eſſet veſtibus indutus, acceptæ ab aliquo Clerico injuriæ memor, iis ſe exuit, Clericum adivit, ac ab eo veniam petiit, quaſi illi injuriam intuliſſet, & deinde ad celebrandum reverſus eſt. Hic certe non fuit ex litigantibus Judæis, ſed fuit ex charitate ardentibus Chriſtianis, qui per pacis, & concordiæ oſtium ad ſacram communionem venit. Sanctiſſimum hunc Patriarcham imitemur, pacis & concordiæ oſtio ad ſacram Synaxim ſimul cum illo veniamus, & ſi tanti Viri non ſatis urgeat exemplum, ſerio perpendamus, Chriſtum, quem recipimus, eſſe pacis auctorem, Dominum, & Magiſtrum; hic eſt *Auctor*, qui pacem noſtram fecit; *Dominus*, qui pacem nobis præcipit; & *Magiſter*, qui pacem ſuo nos exemplo docet.

Noſtis NN. quomodo protoparentis peccato, æterni Patris inimici facti ſumus, infandum enim hoc crimen ita eum adverſum nos exacerbaverat, ut apud eum nullum nobis gratiæ, & miſericordiæ eſſet locus; quin contra nobis omnibus veluti inimicis, & reis, æterna ſupplicia præparavit. Sed in hunc mundum veniens Chriſtus, pacis noſtræ auctor, & princeps fuit; hic non fuit *diſſenſionis Deus, ſed pacis*; æterni enim parentis iram placavit, & *interficiens inimicitias in ſemetipſo*, pacem noſtram feliciſſime fecit. Quare cum Chriſtum pacis noſtræ auctorem in Euchariſtia recipiamus, quis ad eum accedere audeat, odii & vindictæ ſpiritu ſuccenſus? Certe qui hoc ſpiritu inflammatus ad eum veniret, non illum coleret, ſed illi injuriam faceret: *Pacis auctor, non bene ſine pace colitur*. Certe qui hoc inflammatus ſpiritu ad ſacram communionem accederet, Chriſtum pacis auctorem, non pacificum, & concordem; ſed diſcordem, & inimicum infenſiſſimum inveniret: quia, ut ait D. Auguſtinus, *non poteſt concordiam habere cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe cum Chriſtiano*. Certe qui Chriſtum, pacis noſtræ auctorem, ſic reciperet, non illum haberet pro ſe, ſed contra ſe: *Qui accipit myſterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed contra ſe*. Antequam ergo, o Chriſtiane, ad Euchariſtiam recipiendam venias, omnes iracundiæ, & vindictæ motus e corde tuo penitus expellas, ut Chriſtum pacis auctorem colas, ac illum benevolum experiaris, *Ac etiam ut Chriſto, qui pacem præcipit, obtemperes*.

Præcepit omnibus Chriſtus, ut proximum diligerent: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*. Sed generali huic præcepto ſpeciale aliud ſuperaddidit, quod ſolummodo tempus reſpicit, quo quiſque ad ſacram communionem accedit: præcipit enim quod tunc maxime e corde ſuo omnem odii, & vindictæ ſpiritum quiſque eliminet, ac quod fratri ſuo reconcilietur; *Si offers*, inquit; *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*. In quæ verba S. Hieronymus ait: *Si munera noſtra abſque pace offerre non poſſumus; quanto magis nec Chriſti corpus accipere?* Ecce Chriſti præceptum, quo a nobis omnem vindictæ ſpiritum expellere jubet, antequam ad altare munus noſtrum offeramus, & a fortiori, idem a nobis fieri imperet, antequam ſanctiſſimum ejus corpus recipiamus. Quare, o Chriſtiane, cum hoc præcipiat Chriſtus, ejus mandato obtempera, nec ad ſacram Synaxim accedas, quin prius fratri ſuo reconciliatus fueris; *Vade prius reconciliari fratri tuo*. Cum Jacob a domo ſoceri ſui Laban aufugiſſet, ac idola ejus furatus eſſet; iratus Laban, eum in manu forti inſecutus eſt, & cum illum deprehendiſſet, ad ſe reverſus dixit illi: *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum, ſed Deus Patris veſtri heri dixit mihi: cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius*; & ideo illi pepercit, ac cum illo fœdus iniit. O Chriſtiane, Deus ad te ſicut ad Laban locutus eſt dixitque tibi, ut parceres inimicis, antequam ſacra myſteria reciperes; dixit tibi: *Vade reconciliari fratri tuo*: Quare prius quam ad ſacram communionem accedas, dic in temetipſo: *Præcepit mihi Chriſtus*, ut injuriam mihi ab hoc homine illatam condonem: *Præcepit mihi Chriſtus*, ut inimico huic mihi infenſiſſimo ex corde parcam: *Præcepit mihi Chriſtus*, ut omnes odientes me diligam, ac iis reconcilier:

Vade reconciliari fratri tuo; quare cum hoc mihi præceperit Chriſtus, antequam ſacram Synaxim adeam, omnibus parcam, ac omnem vindictæ ſpiritum e corde meo tollam. Sed ſi vindictæ Spiritus ante Communionem e corde tollendus eſt, quia hoc præcipit Chriſtus; *eſt etiam tollendus, quia id ſuo exemplo docet Chriſtus.*

Chriſtus, qui præceptum de diligendis inimicis tulit, eorum dilectionem & in cruce, & in Euchariſtia ſuo nos exemplo docet; in cruce, ubi pro crucifigentibus orat, & in Euchariſtia, ubi impedit, ne Angeli indigne communicantes illico interimant. Promiſit Deus, ſe arcum in nubibus poſiturum in ſignum pacis & fœderis: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Arcus ille, ut ait Rupertus Abbas, eſt *Chriſtus Dei Filius.* Et revera Chriſtus in cruce, & in Euchariſtia eſt arcus fœderis & pacis: cur enim putas, Patrem æternum crucifigentes Judæos non peſſumdediſſe? Certe quia Chriſtus erat in cruce tanquam arcus fœderis & pacis; cur etiam ſimiliter indigne Euchariſtiam ſuſcipientes non ſtatim perimunt Angeli? Certe quia Chriſtus eſt in Euchariſtia tanquam arcus in nubibus, ibique ſicut in cruce pro nobis orat, Patris iram placat, ac ad ultionem paratos Angelos comprimit; ut enim ait S. Paſchaſius, *Ultores Angeli nec ſemel indigne communicanti parcerent, niſi bonitas Chriſti gladium ſuſpenderet, & removeret interdum momentaneam mortem. Unde Chriſto totum debemus adſcribere, qui ſuas etiam injurias libenter remittit, & pro delinquentibus in ſe, ſicut prius in cruce fecerat, etiam ſe Patri offerendo, idoneus exorator intervenit.* Quare cum Chriſtus in Euchariſtia pacem, concordiam, & amorem proximi ſuo nos doceat exemplo, tanti, quæſo, Magiſtri ſe quiſque Diſcipulum exhibeat, nec ad illum recipiendum accedat quis, ſi prius omnem odii & vindictæ ſpiritum e corde ſuo non expulerit; ridiculum enim eſſet, inquit Tertullianus, ſi ad Chriſtum pacis auctorem & Doctorem iret qui odii & diſſidii ſpiritu eſſet incenſus: *Quid eſt ad pacem Dei accedere ſine pace?* Quotieſcumque ergo NN. de Euchariſtia ſuſcipienda cogitabitis, dicat quiſque intra ſe: Chriſtus, quem accepturus ſum, pacem noſtram fecit, pacem præcepit, & pacem exemplo nos docuit; quamobrem ad illum veniam in pacis ſpiritu, omnemque vindictæ ſpiritum penitus a me tollam.

Theodoſia Leonis Armenii Imperatoris uxor, videns Michaelem Balbum ſtrenuum hominem, ad ſupplicium pridie Nativitatis Chriſti duci, quia fuerat injurius Imperatori, zelo concordiæ & amoris proximi percita, maritum adiit, dixitque ei: (Memor eſto, Imperator, te die craſtina fore participem Corporis ſacri ejus, quem nihil æque poteſt ac concordia demereri: ob amorem Regis pacifici eſto & tu Princeps pacificus. Morem geſſit ille bene ſuaſæ uxori, & pepercit.) O N. quotieſcumque in corde tuo erga inimicos aliquis excitabitur iracundiæ & vindictæ motus; memor eſto, te intra aliquod tempus *fore participem Corporis ſacri ejus, quem nihil æque poteſt ac concordia demereri*: quare ut dignus fias ad Regem illum pacificum accedere, eſto & tu pacificus, omneſque vindictæ motus in teipſo penitus extingue. Sume tandem in manu tua ſanctum gladium, ut in teipſo luxuriæ, avaritiæ & vindictæ ſpiritum jugules; & ſic dignus fies, qui Chriſtum in Euchariſtia ſumas, & in gloria poſſideas. *Amen.*

DE
SS. SACRAMENTO.
CONCIO SEXTA.

Quomodo fiet iſtud? Lucæ 1. 34.

Mutaberis in virum alterum. 1. Reg. 10. 6.

SUam ſerio examinare conſcientiam, peccata ſua deteſtari, ea omnia confiteri, ac ea jugulare, magnas ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum digne recipiendum præparationes eſſe nullus diſſitetur. Alia tamen, meo quidem judicio, major eſt præparatio, nempe *vitæ mutatio*, quam quaſi unicam adducit S. Auguſtinus, dicens: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam, ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam.* Et revera, quid peccatori intima cordis ſui pio examine ſcrutari prodeſt, ſi ſemper idem in ſe manet! Quid ei prodeſt, amariſſimo cordis dolore cruciari, ſi eoſdem ſemper ad peccandum affectus habeat? Quid prodeſt ei, ſua penitus in ſacramentali foro declaraſſe peccata, ſi nulla in ipſo cordis & voluntatis fiat mutatio? Certe hæc omnia parum proſunt. Quare hodie homini peccatori ad ſacram Communionem accedere cupienti, morum mutationem pro viribus ſuadere conabor. Sauli dicebat olim Samuel: *Mutaberis in virum alterum*: dicam ſimiliter hodie cuique peccatori, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere peroptanti, quod mores & vitam in melius mutare debeat: *Mutet vitam.* De hac vitæ mutatione iſta erit concio, &c. *Ave.*

EX peccatoribus, qui ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum accedunt, aliqui ficte & non vere, alii partim & non totaliter, alii ad tempus & non pro ſemper pravos mores immutant. Qui mutantur ficte ſolum & non vere, ſimulatores ſunt & hypocritæ: qui partim tantum & non totaliter mutantur, ſunt tepidi & ignavi: & qui non pro ſemper, ſed ad tempus dumtaxat mutantur, ſunt inconſtantes & ſtulti, qui ut luna mutantur: *Stultus ſicut luna mutatur.* Ecce quomodo multi ex peccatoribus mutentur, antequam ad ſacram communionem veniant; ſed, ſi recte ſapiant, longe aliter mutabuntur, eorumque mutatio non erit ficta, ſed vera; non erit dimidiata, ſed integra; & non erit ad tempus, ſed in perpetuum. O peccator, qui peccatorum ſarcina gravaris: o peccator, qui pravis habitibus conſtrictus detineris, & qui ſub dæmonis jugo ingemiſcis; peccator, inquam, qui Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis remanentem ſumere intendis, muta prius vitam tuam vere, muta totaliter, muta conſtanter; mutatio

tio tua ſit: 1. Vera & non ficta: 2. Integra & non partita: 3. Conſtans & non varians. Antequam peccator ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiat, mutari debet vere, totaliter & conſtanter: en tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Antequam peccator ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiat, mutari debet vere.

NOn eſt qui ſtupeat, ſi attente & serio recogitet, quomodo peccatores innumeri in ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſuſceptione ſe gerere ſoleant: nonne enim omni prorſus ſtupore & horrore dignum, quod tot ebrioſi, tot luxurioſi, tot publici uſurarii, tot iniqui bonorum proximi detentores, tot blaſphemi, totque alii omnis generis peccatores ſanctiſſimum hoc Sacramentum frequenter recipiant, nec tamen quocumque modo in melius mutentur? Poſt quatuor, ſex, & viginti communiones, ſunt ſemper iidem, & ſæpe pejores; non in melius, ſed in pejus ſæpe convertuntur, & accepto ſemel, bis, & pluries auguſtiſſimo hoc Sacramento, ſunt ebrioſi, luxurioſi, & aliis vitiis dediti, ſicut antequam illud reciperent. Stupete cæli ſuper hoc, & vos, o peccatores, antequam ad ſacram Synaxim accedatis, a vitiis declinate, peccata abjicite, vitamque & mores, non ficte, ſed vere in melius immutate.

Præviam hanc mutationem docuit Deus in manna, quod Judæis in deſerto ad veſcendum ſubminiſtravit: dedit enim ei Deus & coturnices & manna; cum hac tamen differentia, quod cum dedit eis coturnices, eas intra caſtra, & intra tentoria eorum miſit: *Coturnices detulit, & demiſit in caſtra;* cum autem dedit eis Deus manna, non illud miſit in caſtra, ſed extra; ita quod populus e caſtris egredi cogeretur, ut manna colligeret: *Egrediatur populus, & colligat.* Cur Deus qui populum e caſtris egredi non vult, ut manna colligat? Vult, inquit Rupertus Abbas, populum e caſtris egredi ad colligendum manna: ut doceat, quod ad manducandum manna Euchariſticum, *egrediendum de priſtina converſatione, de vetuſtate vitæ. Nondum enim depoſito vetere homine*, inquit, *non eſt nobis hoc manna colligere, hoc manna manducare.* O peccator, ſi manna Euchariſticum comedere intendas, in teipſo fieri debet mutatio, ita quod depoſito vetere homine, in novum tranſeas; annihilari debet in te vetus homo cum actibus ſuis, & formari homo novus, qui ſecundum Deum creatus eſt: *Expolìantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum.* Si enim hæc in te prius non fiat mutatio, Euchariſticum manna ſumere non debes: *Nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis hoc manna colligere, hoc manna manducare.*

Inter multa figurarum genera, quibus præſignificatum fuit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nil expreſſius, quam manna Iſraelitis a Deo miſſum, illud prænotaſſe videtur. Et ſi attendamus, quo nomine inſignitum fuerit manna, quomodo a Deo miſſum ſit, & quæ diſpoſitio ex parte eorum qui illud recipiebant, requireretur; hæc omnia peccatores docent, prius mutandam eſſe vitam, quam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiant. Quoad nomen, ſciunt omnes, quod a Davide vocetur panis Angelorum: *Panem Angelorum manducavit homo.* Modus quo mittebatur, in Sacra Scriptura deſcribitur, ubi dicitur, quod antequam mitteretur manna, levis quidam flaret ventus, quaſi ad ſcopandam terræ ſuperficiem; & deinde albus quidam a Deo mitteretur ros, quo tegebatur terra, ut in locum purum, ac mundum manna caderet. Quoad præparationem deſideratam in his qui manna manducabant, talis eſſe debebat, ut non in ſtatu peccati mortalis, ſed in ſtatu gratiæ eſſent: quia cum a juſtis manducabatur, in eo omnia ſaporis ſuavitas degustabatur: *Omne delectamentum in ſe habentem;* ſed cum a peccatoribus comedebatur, nauſeabant ſuper illo cibo: *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Ecce quomodo vocaretur, mitteretur & reciperetur manna; quæ omnia peccatores vitam mutare docent, antequam Euchariſticum manna comedant: ideo enim manna vocatur *panis Angelorum*; ut diſcant peccatores, quod ut digne Euchariſticum manna recipiant, vitam ſuam ſceleroſam, in vitam puram & Angelicam mutent, neceſſe eſt; ideo etiam cadens a cælo manna ventus levis terram ſcopans, & ros candidus terram tegens præcedebat; ut diſcant peccatores, ſcopanda corda & corpora, ac divinæ gratiæ ſplendore ornanda, antequam divinum manna in Euchariſtia reſidens comedere præſumant: ideo tandem peccatores in manu nil ſuave & palato jucundum deguſtabant, niſi prius peccata abjeciſſent, ac vitam in melius commutaſſent; ut hinc diſcant quicumque peccatis gravantur, quod ut digne ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiant, ſua abdicare peccata, ac vitam in melius mutare debeant. Ecce, o peccator, mutationem, quæ in te facienda eſt, antequam Euchariſticum manna manduces; & ſi hæc in te non prius facta ſit mutatio, ad illud cæleſte manna manducandum accedere non debes; *Nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis hoc manna colligere, hoc manna manducare.*

Deus qui per manna præſignificare voluit, vere mutari debere peccatorem, antequam auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiat; hoc idem indicat, & manifeſtat per *tranſubſtantiationem*, ſeu per mutationem ſubſtantiæ panis & vini, quæ fit in conſecratione. Docet enim fides, per verba conſecrationis a Sacerdote, Chriſti perſonam agente, prolata, totam panis & vini ſubſtantiam deſtrui, ac in corpus & ſanguinem Chriſti vere mutari, tranſmutatione mirabili, quam aptiſſimo vocabulo ſacra Synodus Tridentina vocavit *tranſubſtantiationem.* Similis autem in peccatore fieri debet mutatio, ſeu morum reformatio; ita quod cum ad Sacram Synaxim accedere cogitat, vitam & mores vere immutet, ac tunc deſinat eſſe quod erat, & in illud tranſeat quod non erat: tunc non debet perſeverare in malo, ſed declinare a malo, & facere bonum: tunc non idem in ſe ma-

nere, ſed in melius mutari debet. Cur enim Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis veniens hanc in pane & vino mutationem fieri vult? Anne quia ſimul cum panis & vini ſubſtantia ſub ſpeciebus Euchariſticis remanere non poſſit? Nequaquam, hoc enim ei facillimum eſſet, immo & ita fieri debuiſſe videtur, ut accidentia ſine ſubjecto non exiſterent: cur ergo hanc in pane & vino mutationem fieri vult? hoc equidem vult, ut ad peccatores doceat, quod antequam ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum veniant, eos vere mutari neceſſe ſit. Et ut hoc ſine fundamento dictum non putetur, Regium Prophetam hac de re differentem audiamus: *Paraſti*, inquit, *cibum illorum*, *quoniam ita eſt præparatio ejus*. Quaſi ſi diceret: Euchariſticum cibum Deus hominibus præparavit per mutationem & tranſſubſtantiationem, quæ fit in conſecratione: *Paraſti cibum illorum*; & ideo cibum Euchariſticum hoc modo Deus præparavit: *quoniam ita eſt præparatio ejus*: ſeu, ut diſcant peccatores, quod ſimili modo ſe præparare, ac vere mutare debeant, antequam cæleſtem hunc cibum recipiant. Hanc a peccatoribus præparationem Deus expoſtulat, hanc in iis mutationem fieri peroptat, hanc eos docet per mutationem ſubſtantiæ panis in corpus ſuum; & ſi antequam ad menſam Euchariſticam accedant, vitam & mores non mutent, inſenſibiles ſunt, ac ipſis creaturis inſenſibilibus duriores & inſenſibiliores; *Cum irrationalis creatura*, *ſcilicet panis*, *per verbum Dei convertatur in corpus Chriſti*: *quanta*, inquit D. Thomas, *erit peccatoris duritia*, *ſi Spiritus Sancti operationibus ad converſionem non perducatur*! O peccator; per veram mutationem, quæ fit in pane & vino, docet te Deus veram mutationem, quæ in te fieri debet, cum ad ſacram communionem accedis, & tamen idem ſemper in te remanes; ante communionem avarus eras, luxurioſus eras, uſurarius eras; & poſt communionem avarus es, luxurioſus es, uſurarius es, ac idem ſemper es: o quam magna eſt duritia tua! Certe durior es ipſis creaturis inſenſibilibus, quæ vere Chriſto veniente mutantur: *Cum irrationalis creatura*, *ſcilicet panis*, *per verbum Dei convertatur in Corpus Chriſti*, *quanta erit peccatoris duritia*, *ſi Spiritus Sancti operationibus ad converſionem non perducatur*!

Peccatores ante communionem vere mutari debere, variæ ſuadent rationes; unicam ſolum adducam, quod ſcilicet, ſi homo peccator ante communionem vere non mutetur, ita quod ſi ſaltem omnia peccata mortalia non abjiciat, cibus Euchariſticus erit quaſi gladius, quo ſpiritualiter occidetur. De muliere, quæ in ſtatu peccati mortalis, & antequam vitam mutaret, ad ſacram communionem acceſſit, ait S. Cyprianus, quod *non cibum*, *ſed gladium ſibi ſumpſit*: ſimiliter quotquot indigne & in ſtatu peccati mortalis accedunt, quaſi gladium eos miſere laceraturum in ſua viſcera trajiciunt: *non cibum*, *ſed gladium*. Cibus Euchariſticus ſimilis eſt pani ſubcinericio, qui ſimul panis fuit & gladius; licet enim nihil commune ſit pani, qui nutrit ad vitam, cum gladio qui cædit ad mortem, ſubcinericius tamen panis, de quo Judic. 7. panis quidem erat, & panis vocabatur; ſed & hic panis erat etiam gladius Gedeonis percutiens, & ſubvertens Madianitas: *non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis*. O panem mirabilem, qui panis eſt Iſraelitis, & gladius Madianitis! ſed o veram Euchariſtici panis figuram! Euchariſtia enim eſt panis bonis, qui in ſtatu gratiæ ſunt, & eſt gladius peccatoribus, qui nondum mutata vita illam ſumunt: eſt panis, quo nutriuntur, impinguantur, & vivificantur juſti; & eſt panis, quo veluti gladio ſpirituali trucidantur mali: *mors eſt malis*, *vita bonis*. De mirabili iſto pane ſumpſerunt Petrus & Judas, ille ad vitam, iſte ad mortem: *De uno pane & Petrus & Judas accepit*; *Petrus accepit ad vitam*, *Judas ad mortem*. Idem accidit omnibus, qui ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiendum accedunt: ſi enim in ſtatu gratiæ ſint, & debite ſe præparaverint, cum Petro cæleſtem hunc panem accipiunt *ad vitam*; ſed ſi ſint in ſtatu peccati mortalis, & prius quam accedant, vitam non mutent; ſuperſubſtantialis hic panis eſt illis *ad mortem*, & eſt quaſi gladius, quo illis mors ſpiritualis infertur: *mors eſt malis*; *vita bonis*.

Quare, o peccator, antequam accedas, vitam muta: *mutet vitam*, *qui vult accipere vitam*: Cibum hunc Euchariſticum non ſumas ex conſuetudine, non ſumas ut bonus, & juſtus videaris; ſed ante illius ſuſceptionem vere vitam & mores immuta: *mutet vitam*. Panis Euchariſticus vocatur *panis facierum*: quia, ut dicunt multi, Chriſtus in Euchariſtia duplicem faciem gerit, faciem ſcilicet Dei, & faciem Hominis; ſed dicitur etiam *panis facierum*: quia in Euchariſtia Chriſtus & faciem Patris miſericordis, & faciem ſeveri Judicis præfert: eſt in Euchariſtia, ut Pater miſericors reſpectu juſtorum, quos bonis & gratiis ſuis replet; ſed eſt etiam in ea ut juſtus & tremendus Judex reſpectu peccatorum, adverſus quos duram ſententiam dicit, ſi non mutata prius vita accedant; & quibus ſpiritualem animæ mortem infert, eoſque per peccatum mortale jam mortuus, quaſi morte ſecunda plectit, ac iis æternam mortem minatur. Deſine ergo, o peccator, perverſe agere; convertere ad Dominum, Deum tuum, & antequam ad ſacram Synaxim accedas, muta vitam tuam vere; *& eam muta etiam totaliter*.

SECUNDA PARS.

Antequam peccator ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiat, *mutari debet totaliter*.

PEr conſecrationem, virtute verborum a Sacerdote prolatorum, fit tranſſubſtantiatio, ſeu converſio totius ſubſtantiæ panis & vini in totum Chriſti corpus & ſanguinem: non fit ſolum transformatio, ſeu mutatio formæ in formam; ſed tranſubſtantiatio, id eſt, mutatio totius ſubſtantiæ panis & vini in totam corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam: ut enim in Concil. Later. habetur: *Verum Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur*; *tranſſubſtantialis pane in corpus*, *& vino in ſanguinem*. Non aliqua ſolum ſubſtantiæ pars mutatur, ſed tota totaliter panis & vini ſubſtantia immutatur, ac

trans-

tranſſubſtantiatur: *Tranſubſtantiatio pane in corpus, & vino in ſanguinem.* Quo docemur, nos non in parte ſolum, ſed in toto mutandos, cum ad ſacram communionem accedimus: non ita mutandi ſumus, ut pars vitiorum vigeat, & remaneat; ſed totaliter nos mutari oportet, ita ut ablegatis omnibus peccatis, virtutes ſummo affectu ſectemur: tanta in nobis fieri debet mutatio, ut depoſito veteri homine, in novum, ſeu in Chriſtum tranſeamus, eumque induamus: *Induimini Jeſum Chriſtum.*

Quando quis baptizatur, totus immutatur, & Chriſto quaſi induitur: *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Cum baptizatur homo, per Baptiſmum non ſolum in eo deſtruitur peccatum originale, nec ſolum per ſpirituale hoc lavacrum a quibuslibet peccatis actualibus mundatur, verum ſublatis quibuſcumque peccatis ipſe ſupernaturales fidei, & charitatis habitus in ſe recipit; ac proinde totus immutatur, & quaſi Chriſtum induit: *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Similiter, cum homo peccator ad ſacram Synaxim accedere intendit, ſeipſum prius quaſi baptizare debet: *Qui manducat hunc panem, ſpiritualiter renaſcatur.* Non debet quidem denuo baptizari Baptiſmi Sacramento, qui iterari nequit, ſed debet, quaſi baptizari: quia ſicut per Baptiſmi receptionem homo totus immutatur, ac ex filio diaboli fit filius Dei, & quaſi alter Chriſtus, cujus virtutes induit: ita & quotieſcumque peccator de Euchariſtiæ ſuſceptione cogitat, baptizari debet, id eſt, totaliter mutari, ita quod a peccatore in juſtum, & a filio diaboli in Chriſtum immutetur. Unde D. Auguſtinus ſic Chriſtum loquentem inducit: *Sum cibus grandium, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Quaſi dicat: Ego ſum cibus Juſtorum, qui apud me magni ſunt: *Sum cibus grandium*; quare non accedas, o peccator, niſi prius juſtus efficiaris. Nec putes me a te ita manducari, ut in te convertar; ſed debes tu in me mutari, ita ut pravos tuos mores totaliter exuas, ac meos induas: Cum alii manducantur cibi, quod manducatur, in manducantis ſubſtantiam convertitur; at ego, inquit Chriſtus, in te non mutabor, ſed e contra tu in me mutari debes, ita ut quidquid in te eſt veteris hominis, penitus expellas, ac virtutibus meis replearis: hæc eſt totalis mutatio, quam ante communionem fieri oportet, *nec tu me in te mutabis; ſed tu mutaberis in me.*

Pluries demiratus ſum perfectam & talem mutationem, quæ in Magdalena facta eſt; hæc erat *mulier in civitate peccatrix*; cujus peccata multa erant & magna, ac univerſæ civitati nota: hæc erat, de qua *ſeptem dæmonia exierunt*, ut habetur Luc. 8. id eſt, ut ibi exponit Gloſſa, *univerſa vitia, quibus plena fuerat*, quippe ut notat S. Gregorius, *ſeptenario numero ſumma univerſitatis exprimitur*: tota ergo univerſitas vitiorum in Magdalena erat. Sed, quæ vitiis plena erat, Chriſtum videns & tangens totaliter converſa & mutata eſt: ut enim Chriſtum in domo Phariſæi eſſe ſcivit, illum adivit, ad pedes ejus procidit, lacrymis eos lavit, ac ita immutata eſt, ut tot deinde rutilaverit virtutibus, quot antea vitiis fuerat denigrata: *ad numerum virtutum convertit numerum criminum*: O mirabilem Magdalenæ mutationem! ſed ſi hæc mulier Chriſtum videns & tangens totaliter mutetur; quanto perfectius mutari debet peccator, antequam ad ſacram communionem accedat, cum non Chriſtum videre & tangere, ſed quod magis eſt, illum vere & realiter intra ſeipſum recipere intendat? Certe tunc totus & totaliter mutari debet: ita ut deſtructo intra ſeipſum corpore peccati, totus in Chriſtum immutetur, ac virtutibus ejus fulgeat: *nec tu me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me.*

Serpentis prudentiam & laudat, & nobis imitandam proponit Chriſtus, dicens: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* Hæc autem ſerpentis prudentia in hoc potiſſimum elucet, ut ait S. Epiphanius, quod ad fontem bibiturus non accedat, prius quam totum, quo turget, venenum effundat; *Habet*, inquit, *hanc prudentiam ſerpens, velut naturæ rerum docti de hoc animali tradunt: quando enim ſiti preſſus, a latibulo procedit ad aquam, ut bibat; non ſimul accipit ſecum venenum, ſed in latibulo relinquit, & ſic progreſſus potum aquarum ſumit.* Magna quidem hæc eſt ſerpentis prudentia; quia ſi aquam frigidam frigido veneno infunderet, ipſe protinus moreretur, ac vita potius, quam ſitis ejus extingueretur. Ecce ſerpentis prudentiam; cujus nos imitatores eſſe vult Chriſtus; optat enim, ut antequam ad ipſum, *fontem aquæ vivæ*, in Euchariſtia reſidentem, veniamus, mortifera peccatorum noſtrorum venena effundamus; *Serpens*, ut ait S. Ambroſius, *cum venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat; extra fontem evomit venenum ſuum, & poſtea bibit. Ita & nos, quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum; hoc eſt, iracundiam, odium, invidiam, falſitatem, &c. & ſic ad altare Domini, corpore & ſanguine ejus ſatiemur.* O peccator, eſto ita prudens ut ad Chriſtum omnium gratiarum fontem, in Euchariſtia manentem, non accedas, niſi prius omnium peccatorum tuorum venena ſpueris, & procul expuleris. Sed aliam etiam imitare ſerpentis prudentiam, nempe pellis mutationem; non enim in hoc ſolummodo ſerpentis elucet prudentia, quod venena evomat, antequam ad fontem potaturus veniat; ſed in hoc etiam, quod *pellem mutet*, ut ait Theophylactus: ſic, o peccator, eſto prudens ſicut ſerpens, ita quod peſſimum peccatorum virus effundas, ac te totum immutes. O peccator, iracundiæ, invidiæ, iræ, ac alia veteris hominis venena evome; teque totum in novum hominem muta. Antequam ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum venias, ablegatis omnibus peccatis, humilitatem, patientiam, charitatem, & alias Chriſti virtutes ſectare, ejus mores indue, ac te totum in illum quaſi immutes; *nec tu me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me.*

Multos reperire eſt, qui hanc ſerpentis prudentiam imitati ſunt; unicum hic adducere placet, nempe S. Guillelmum Aquitaniæ Ducem. Hic Schiſmaticus, & Schiſmaticorum protector erat, Pictavienſem Epiſcopum, ac ipſum ſummum Pontificem ſumme oderat; varios Epiſcopos ab illorum Eccleſiis expulerat, & innumera alia crimina perpetraverat. Precibus, obſecrationibus, ac variis rationibus, fruſtra a viis peſſimis illum avocare conatus

eſt D. Bernardus; ſed tandem inſpirante Patre luminum, Vir ſanctus aſſumpto ſupra patenam Sanctiſſimo Sacramento, ad Comitem converſus; ſic illum affatus eſt; Rogavimus te, & ſprevisti nos; ſupplicavimus tibi, & contempſiſti. Adeſt Judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Adeſt Judex tuus, in cujus manu illa tua anima deveniet. Nunquid & ipſum ſpernes? nunquid & ipſum ſicut ſervos ejus contemnes? *Videns Comes Abbatem sacratiſſimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit, membriſque tremebundis metu & diſſolutis; quaſi amens ſolo pervolvitur, salivis per barbam defluentibus, ac cum profundis efflans gemitibus.* Ecce ſerpentem, qui præſente Chriſto venena effundit; ecce peccatorem, quem criminum ſuorum pœnitet. Sed & totaliter convertitur; & immutatur; nam protinus Pictavienſem Epiſcopum, quem ab Eccleſia ſua expulerat, in pacis oſculo recepit, ac ad propriam ſedem reduxit; & deinde ſummo Pontifici obtemperavit, ac tandem vir ſanctiſſimus evaſit. O peccator ſi famoſus hic Schiſmaticus ad SS. Sacramenti præſentiam totaliter convertitur; cur tu totus, & totaliter non immutaris, cum non ſolum ad videndum, ſed etiam ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum recipiendum accedas? mutare, o peccator; muta teipſum totaliter, antequam ad communicandum accedas; *mutet vitam qui vult accipere vitam. Sed muta etiam teipſum conſtanter.*

TERTIA PARS.

Antequam peccator ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipiat, mutari debet conſtanter.

Perbelle dixit Albertus Magnus, quod *ex ſumptione Euchariſtiæ nullus malus fit bonus.* Verum eſt, quod ex ſumptione Euchariſtiæ, qui bonus eſt, melior fit; ſed qui malus, & in ſtatu peccati mortalis eſt, per Euchariſtiæ ſumptionem non fit bonus; quia cum Euchariſtia non ſit Sacramentum mortuorum, ſed vivorum, hæc malos & per peccatum mortale mortuos non vivificat, nec bonos efficit; ſed eos bonos & vivos eſſe ſupponit. Quare antequam homo peccator ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum recipiendum accedat, mutari & bonus fieri debet totaliter, & *conſtanter*; ita quod antequam accedat, firmo & conſtanti propoſito, non amplius in peccata recidere, nec amplius vitiorum ſuorum idola colere ſtatuat; ſed in perpetuum bonis operibus inſudare, ac omni virtutum generi vacare decernat.

Conſtantem hanc mutationem docuit Oſeas Propheta, dicens, *Vivent tritico, & dicent, quid mihi ultra idola?* ait Propheta, quod *vivent tritico*, id eſt, ut explicat Nicolaus de Lira, *Euchariſtiæ Sacramento, quod conficitur de pane triticeo.* Hi autem qui hoc Sacramento vivent, & qui ad illud ſumendum accedent, dicere debent, *quid mihi ultra idola?* quid mihi idolum avaritiæ quod tamdiu colui? quid mihi idolum luxuriæ, cui toties incenſa obtuli? quid mihi ſuperbia, cui veluti divinitati pluties ſacrificavi? hæc idola nihil mihi amplius erunt, hæc protinus abjicio, iis æternum vale dico, iiſque abrenuntio, ut toto vitæ meæ tempore Chriſto Domino totis affectibus inſerviam.

Jacob Patriarcha ſacrificium Deo oblaturus, *convocata omni domo ſua, ait, abjicite deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta, ſurgite & aſcendamus in Bethel.* Nihil myſterio vacat in contextu illo Geneſeos, ac omnia ad rem noſtram dicta eſſe videntur. Jacob enim, antequam Deo ſacrificet, domum ſuam, ſeu domeſticos ſuos convocat, *convocata omni domo ſua*; o peccator, antequam ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumendum venias, convoca domum tuam, ſeu omnes animæ tuæ potentias; eas collige, ut tanto myſterio attendant, reminiſcatur memoria beneficiorum a Chriſto acceptorum; recogitet intellectus quanto amore nos proſequatur Chriſtus, qui ſeipſum nobis in cibum dare dignatur; ardentiſſimis amoris affectibus erga ipſum voluntas tua accendatur: hoc modo, o peccator, convocanda eſt domus tua, ut digne Chriſtum recipere merearis. Sed inſuper abjiciendi ſunt dii alieni. *Abjicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt,* habent oculi deos ſuos, ſcilicet corporum formas egregias, quibus ſæpe ſæpius impii devoventur; ſuis etiam aures capiuntur idolis, nempe ſermonibus obſcœnis, vel famam denigrantibus, quibus audiendis delectantur; guſtui ſua ſunt ſimulacra, dapes ſcilicet exquiſitæ quibus delinitur, & obſonia pretioſa, quæ nimio cum affectu appetit, omnia tandem quæ plus quam Deum diligimus, idola noſtra ſunt. *Quod quiſque plus amat, hoc illi deus eſt.* O peccator, antequam ad ſacram Synaxim venias, hæc omnia idola non ſolum ſunt relinquenda, ſed ſunt abjicienda & procul pellenda, ita ut nunquam ad illa revertaris. *Abjicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt.* Subjicit Jacob, *mundamini, ac mutate veſtimenta*; ſiquidem eliminatis idolis, ac omnibus peccatis, quiſque ante communionem ſeipſum mundare, ac penitus mutare debet, ita quod non amplius veteris hominis veſte induatur, ſed ſolum veſte nuptiali gratiæ. Et ut docet Jacob, hanc mutationem debere eſſe firmam & conſtantem, ſubdit, ſurgendum eſſe a peccato, & aſcendendum in Bethel; *Surgite, & aſcendamus in Bethel.* O peccator, antequam ad ſacram Synaxim accedas, ſurge ab omni peccato, & aſcende in Bethel, ſeu in domum Dei, ut ibi ab omni occaſione peccandi elongatus, conſtans ac firma ſit tua mutatio. Non ſis ſimilis Judæ, de quo D. Auguſtinus ait; quod *ſui ſemper ſimilis manſit, hoc eſt, tremendæ illius menſæ repletus cibo, nihil prorſus immutatus aut emendatus eſt.* Non imiteris hunc proditorem, ſed ad ſacram communionem accedens, mutare totaliter & conſtanter; firmoque propoſito idola tua non amplius adorare ſtatuas.

Cum viator eſſet Elias, ac impiæ Jezabelis perſecutionem fugeret; poſt longi, arduique itineris laborem, fame, ſiti, infirmitate, tædio vitæ, ac nimia laſſitudine quaſi deficiens, projecit ſe ſub juniperum, ibique obdormivit. Sed, ut ait ſacer textus, ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, *ſurge & comede.* Reſpexit Elias, & ecce ad caput ſuum

ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ, comedit ergo & bibit, *& rurſum obdormivit*. Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi, *ſurge*. O Angele Dei, cum dederis Eliæ, quod comederet; da etiam, ut poſtquam comedit, aliquantulum quieſcat & dormiat. Cur enim hominem illum ab itinere oppido fatigatum, poſtquam manducavit, tantiſper decumbere & dormire recuſas? res myſterio non vacat, panis namque ſubcinericius quem comedit Elias, *figura eſt panis Euchariſtici*, ut ait Lyranus, antequam autem comedatur Euchariſticus panis, ſurgendum a peccato, ac vita in melius mutanda eſt, & poſtquam quis ex eo comedit, non amplius decumbendum eſt, non amplius dormiendum in peccato, ſed conſtanter in bono perſeverandum eſt: mutatio quæ fit antequam quis ex pane Euchariſtico manducet, firma eſſe debet & conſtans; ita ut qui ex eo comedit, non amplius in peccatum incidat, nec in peccato obdormiat.

Sed heu! quam multi, poſtquam ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum receperunt in prima peccata recidunt, & in peccatis ſuis obdormiunt! *Multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*; ut ait D. Paulus. Non *pauci*, ſed *multi* ſunt imbecilles, & inſtabiles, qui damnabili inconſtantia, poſt Euchariſtiæ ſuſceptionem, in priora peccata revolvuntur; ac peccatis ſuis Chriſto, quem intra ſe receperant, gravem injuriam inferunt. Hi quodam modo Judæis ſunt ſimiles, qui in die Palmarum, honoris cauſſa, veſtimenta ſua, & ramos olivarum ſtraverunt in via, qua Chriſtus erat tranſiturus, illum etiam hac die filium David proclamarant, illi benedixerunt, cum in nomine Domini veniſſe confeſſi ſunt; ac tandem univerſa civitas Jeroſolymitana commota eſt, ut eum magnifice reciperet; ſed tanta Judæorum eſt inſtabilitas, ut paucis ab hinc diebus, non ſua ſternant veſtimenta, ut Chriſtum honore afficiant, ſed id irriſionem purpurea illum veſte induunt, ad illius pedes ramos palmarum non projiciunt, ſed adverſus illum gladiis & fuſtibus armati incedunt, non illum filium David proclamant, ſed illum pſeudoprophetam eſſe, ac populos ſeducere aſſerunt, maledicunt ei, cui antea benedixerant, ac acrius perſequuntur, quem antea ſummo apparatu receperant. O infandam populi hujus inconſtantiam! cui non abſimilis eſt multorum Chriſtianorum inſtabilitas: ipſi enim, non ſecus ac Judæi, circa Dominicam Palmarum, vel diem Paſchatis, Chriſtum intra ſeipſos per communionem recipiunt, eum hac die laudant, eum benedicunt, eumque, ſaltem quoad exteriorem formam, pluſimum reverentur; ſed paucis poſt diebus, in ſua recidunt peccata, in iis obdormiunt, ac proinde Chriſtum quem honoraverant, exhonorant, eumque quantum in ipſis eſt, dedecore, & ignominia afficiunt.

O peccator, noli ſic eſſe inſtabilis & inconſtans, ſed ſi ante Euchariſtiæ ſumptionem vitam mutaveris, firma & conſtans ſit hæc mutatio, ita ut in priſtina peccata non amplius labaris. Audi D. Bernardum, dicentem. *Erit filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuo ſordes inciderit*. O peccator, per prima tua peccata *filius gehennæ* factus eras, ſed cum pœnitentiam egiſti, & ad ſacram Synaxim veniſti, factus es filius Dei, & filius Paradiſi; ſi autem acceptis tot beneficiis in priora labaris peccata, pluribus titulis *filius gehennæ* efficieris, ac magnos iræ theſauros in inferno tibi congregabis. *Theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*. Quare, o peccator, cum ad ſacram Synaxim venis, vitam non mutes ad tempus, & ut iterum priſtina reſumas peccata; ſed muta vitam conſtanter; ita ut firmiſſimo propoſito non amplius peccare decernas. Indelebili ergo charactere in animo tuo præclaram hanc Auguſtini ſententiam hodie inſcribe; *Mutet vitam, qui vult accipere vitam*; illius ſemper recordare: ac antequam ad ſacram communionem accedas, muta vitam vere, totaliter, & cõnſtanter; ſi autem his modis vitam mutaveris, æternam in cælo vitam poſt mortem aſſequeris. *Amen*.

DE
SS. SACRAMENTO.
CONCIO SEPTIMA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Antequam comedam, ſuſpiro. Job 3. 24.

NOn amara ſanctiſſimi Patriarchæ Jobi, ſed dulcia Chriſtianorum ſuſpiria, nunc mihi explicate propoſui; ſuſpiravit Job, antequam vulgarem comederet panem: & ſuſpirare debent omnes Chriſtiani, antequam ad Euchariſticum panem comedendum veniant; ſuſpiravit ille mœrore confectus, & ſuſpirare debent iſti, variis & ſuavibus cordis motibus agitari. Laborabat ſimul & ſuſpirabat Job, laborabat, cum ſe ad laborem natum fateretur, *Homo natus ad laborem*, & ſuſpirabat ob plures, quibus obruebatur, afflictiones. *Antequam comedam ſuſpiro*. Debent ſimiliter & laborare, & ſuſpirare Fideles, antequam Euchariſticum cibum ſumant, *laborare* quidem in agenda pœnitentia, in vitiis jugulandis, ac in vita melius mutanda, & *ſuſpirare* ex deſiderio, ex amore, & ex lætitia. Pia hæc Fidelium ſuſpiria ſunt prævia ad communionem diſpoſitio, de qua nunc diſſeremus, &c. *Ave*.

TRiplici motu erga cæleſtem beatitudinem ferebatur Pſaltes Regius; motu ſcilicet deſiderii, amoris & gaudii. Hanc beatorum gloriam quam maxime obtinere deſiderabat Propheta, dicens: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus*. Cæleſtes illas manſiones ſummo etiam affectu diligebat, ajens, *quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum!* & quotieſcumque de futura beatitudine ſibi promiſſa cogitabat, cor ejus gaudio & lætitia ſuperabundabat. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*. Hi ſunt pii motus, quibus Regii Prophetæ

cor

Digitized by Google

cor erga cæleſtem beatitudinem ferebatur; ſed hi ſunt etiam motus, quibus cieri debet cor noſtrum, antequam ad ſacram Euchariſtiam ſumendam accedamus, ibi enim eſt Chriſtus, qui eſt objectum beatificum, quod deſiderare, quod amare, & in quo exultare quiſque tenetur, ſeu, ut aliis, propoſito noſtro congruentibus, utar terminis, ante communionem ſuſpirare debent fideles: 1. Ex deſiderio: 2. Ex amore: 3. Ex gaudio. Deſiderium, amor, & gaudium ſunt pia cordis ſuſpiria, quæ Euchariſtiæ receptionem antecedere debent, *Antequam comedam, ſuſpiro.*

PRIMA PARS.

Ante communionem ſuſpirandum ex deſiderio.

Chriſtus qui Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, reipſa illius voluit eſſe particeps, ipſe enim proprium corpus ſub ſpeciebus panis manducavit, & proprium ſanguinem ſub ſpeciebus vini bibit: ipſe, ut ait D. Hieronymus, fuit *conviva & convivium*. Quod & docet D. Thomas, dicens. *Chriſtus quæ ab aliis ſervanda inſtituis, ipſe primitus ſervavit, juxta illud Actuum 1. Cæpit Jeſus facere & docere. Unde & ipſe prius baptizari voluit, quam aliis Baptiſmum imponere, & ſimiliter primo ipſe corpus ſuum & ſanguinem ſumpſit & poſtea Diſcipulis ſumendum tradidit.* Antequam autem ſeipſum ſumeret Chriſtus, hanc ſui ipſius receptionem deſideravit, & hoc deſiderium fuit quaſi diſpoſitio prævia ad ſeipſum recipiendum, ut enim loquitur ipſe Chriſtus. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ſeu ut exponit S. Hieronymus, triginta & tres anni ſunt, per quos ſemper fames me ſollicitavit, ac deſiderium me tenuit, hunc, quem vobis præbeo, Angelorum panem comedere vobiſcum. O magnum Chriſti deſiderium; ſed ſicut ille ſui ipſius ſuſceptionem deſideravit, ita & nos illius ſumptionem magno affectu deſiderare debemus, ac quiſque noſtrum ante communionem dicere debet, Chriſtum Salvatorem meum, Deum meum, toto corde ſumere peropto, *deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare.*

In captivitate poſitus Daniel, lugens dicebat, *panem deſiderabilem comedi.* Deſiderabilem hunc panem, quem tanto affectu optabat Propheta, fuiſſe panem illum azymum, quo Paſcha celebrari conſuevit, & qui panis Euchariſtici eſt figura, ſentit Theodoretus. Si ergo panis azymus *deſiderabilis*, ſeu deſideriorum panis vocabatur, quanto magis eſt, & dici debet *deſiderabilis* panis Euchariſtiæ, in quo omnia Chriſti Dei & hominis bona continentur, & in quo ipſe Chriſtus vere & realiter recipitur? certe iſte eſt magnus, pretioſus, & exquiſitus panis, quem ſummopere deſiderare debemus. *Magnus eſt iſte panis*, inquit D. Chryſoſtomus, *qui replet mentem & non ventrem: iſte panis & noſter eſt, & Angelorum: iſte panis & manducatur & integer manet, de ipſo comedimus, inde vivimus, inde paſcimur, inde pervenimus.* O quam deſiderabilis eſt iſte panis! & quis eum manducare non deſideret?

Panis deſiderabilis erat manna Judæis a Deo datum, hic erat panis cæleſtis, panis miniſterio Angelorum hominibus exhibitus, ac omne delectamentum in ſe habens: quare ſummo affectu hunc panem deſiderare debuiſſent omnes Judæi, multi tamen ex iis manna cibum leviſſimum, ac quaſi vacuum & inanem æſtimantes, faſtidiebant & nauſeabant, dicentes. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Non pauci ex Chriſtianis ſuper cibo Euchariſtico ſimiliter nauſeant, de frequenti ejus ſumptione parum curant, & cum ex præcepto divino, vel Eccleſiaſtico ad illum recipiendum tenentur, ſegniter, perfunctorie, & tepide illum recipiunt, quaſi eſſet cibus leviſſimus, & nullius momenti. O N. N. non nauſeandum ſuper cibo Euchariſtico, ſed maximo cum deſiderio, & fervore eſt ambiendus. *Accedat nemo cum nauſea*, inquit Chryſoſtomus. *nemo reſolutus; omnes accenſi, omnes ferventes, & excitati.* Panis Euchariſticus, ut ait S. Ignatius Martyr (pharmacum immortalitatis eſt, mortis antidotum, vitamque in Deo reconcilians per Jeſum Chriſtum, & medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.) Panis Euchariſticus, inquit S. Hieronymus, (eſt ſacrum peregrinationis noſtræ viaticum, quo de hoc nequam ſæculo pervenitur ad cæleſtis Jeruſalem conſortium.) Panis Euchariſticus eſt cibus quo nullus pretioſior & deſiderabilior, (quid dulcius, ut loquitur S. Thomas a Villanova, quid pretioſius, quid purius iſto cibo? qui non de terra eſt, ſed de cælo venit, non hominum opere, ſed Spiritus ſancti virtute in ſacro Virginis utero formatus, omnem habet ſaporem, omnem continet ſuavitatem). Panis Euchariſticus, ut docet Euthymius, *non eſt panis ſimplex; ſed conjunctus divinitati.* Panis tandem Eucariſticus, non eſt panis azymus, non eſt ſimplex manna, nec panis vulgaris, ſed, ut fatur S. Ambroſius, *hic eſt panis vivus qui de cælo deſcendit, & ipſummet Chriſti corpus.* Quare cum talis & tantus ſit cibus Euchariſticus, non faſtidiendus, ſed ſummo cum deſiderio eſt appetendus: *Accedat nemo cum nauſea, nemo reſolutus, omnes accenſi, omnes ferventes & excitati.*

Quale noſtrum erga Euchariſtiam deſiderium eſſe debeat, mirabiliter explicat D. Chryſoſtomus exemplo parvuli eſurientis, qui matris mammas ardenter appetit, ſolicite quærit, celeriter capit, & lac ſtudioſe ſugit: *Nonne vides*, inquit, *quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt?* Simili, & longe majori deſiderio, ut ait idem Chryſoſtomus, erga Euchariſticum cibum quemque noſtrum ferri oportet, tantumque eſſe debet noſtrum erga Euchariſtiam deſiderium, ut unicus nobis ſit dolor hac eſca privari: *Accedamus cum tanta nos quoque ſollicitudine: quin immo longe majori, & unus ſit nobis dolor hac eſca privari.* Deſiderio Deum videndi, & cæleſtem beatitudinem obtinendi, ita æſtuabat Regius Vates, ut gemeret, doleret, ac ſe infelicem arbitraretur, ex hoc quod tempus aſſequendi protendebatur: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt.* Tantum ſimiliter nobis ineſſe debet deſiderium, tantaque fames Chriſtum in Euchariſtia recipiendi, ut *unus ſit nobis dolor hac eſca privari.*

Magna olim ſiti æſtuans David clamavit: O & quis

quis mihi daret po'um aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethlehem juxta portam! Quo audito, tres ſtrenui milites, magno cum vitæ ſuæ periculo irruptis Philiſthinorum caſtris, hanc adierunt ciſternam, & ex ea Regi ſuo aquam attulerunt, at, ut ait ſacer Textus, ex ea David *noluit bibere*. Allegorice hoc Davidis factum explicans S. Ambroſius, ait, eum non ſitiviſſe aquarum elementum; ſed Chriſtum fontem aquæ vitæ: *Sitiebat David, non aquam de lacu, qui eſt in Bethlehem, ſed oriundum ex Virgine Chriſtum in ſpiritu prævidebat*. Si autem David ſpiritu prophetico a longe agnoſcens Chriſtum fontem aquæ ſalientis in vitam æternam, tanto illum affectu deſiderabat; quid nos qui Chriſtum apud nos manentem habemus? quid nos qui ad bibendum ex divino hoc fonte vocamur? quid nos quibus dicitur: *Qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis?* Ardentiſſimum quidem ex hoc fonte bibendi nobis ineſſe debet deſiderium; ac continua Chriſtum recipiendi ſiti cruciati debemus. Non a nobis aurum & argentum exigit Chriſtus; ſed petit ſolummodo, ut ſitiamus, ac ut illum recipere deſideremus, non enim dicit: qui habet aurum & argentum, veniat; ſed, *Qui ſitit, veniat*: quare ſitiamus; & magno Chriſtum recipiendi deſiderio ardeamus. Nullum cogit Chriſtus ad ipſum recipiendum, nulli etiam accedenti ſe negat; ſed optat, ut accedentes ſitiant, ac ipſum recipere deſiderent: ſic enim Chriſtum loquentem inducit Chryſoſtomus: *Nemini vim facio, neminem traho; ſed ſi quis libens & promptus accedit: ſi quis ardet deſiderio, hunc advoco*; quare ſitientes ad Chriſtum veniamus; ac magno illum percipiendi deſiderio flagremus.

Chriſtus, ut habetur Canticorum 5. 16. *eſt totus deſiderabi is*: ſi enim deſideramus pulchra, nonne ipſe *ſpecioſus forma præ filiis hominum*? ſi optamus magna, nonne ipſe *magnus Dominus & laudabilis nimis*? ſi bona concupiſcimus, nonne ipſe eſt Deus, *cujus natura bonitas*? quare ipſe *eſt totus deſiderabilis*, non ſolum ſecundum divinitatem, ut explicat Gloſſa ordinaria, ſed etiam ſecundum humanitatem ab ipſo initio Conceptionis, uſque ad triumphum Paſſionis, Reſurrectionis, ac Aſcenſionis. Et ut exponit Hugo Cardinalis, Chriſtus *eſt totus deſiderabilis in ſe & in membris, ac quæri & deſiderari dignus*. Eum eſſe totum deſiderabilem agnoſcunt Angeli, qui ſemper eum magis & magis videre deſiderant; *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Eum maxime deſiderabilem cenſebat Zachæus, qui ex magno eum videndi deſiderio, *aſcendit in arborem ſycomorum*. Eum etiam ut potiſſimum deſiderabilem ſumma cum ſollicitudine quæſivit Magdalena: eum tandem cæli & terra, Angeli & homines deſideratunt. Quare cum Chriſtus ſit *totus deſiderabilis*; cur eum in Eucharíſtia recipere non optabimus? cum Angeli, Zachæus & Magdalena Chriſtum videre ardenter concupiverint, cur nos & eum videre in cælo, & ſub ſpeciebus Euchariſticis eum in hoc mundo manducare, ac intra nos recipere non ambiemus? *Accedamus ardenti cum deſiderio*, inquit Euthymius; non accedamus ſegniter; ſed antequam ad Chriſtum ſuſcipiendum veniamus, in varia ſuſpiria, ac in varios actus deſiderii corda noſtra effundamus. Plures viri pii ſæpe qualibet die, imo & ſingulis horis, ad Chriſtum in Euchariſtia remanentem, & oculos, & corda vertentes, ſuſpirant, multoſque deſiderii actus eliciunt; ſed ſi religioſo huic exercitio vacare pigeat, ſaltem inſtante communionis tempore, ſuſpirantes pluries dicamus: *Quis det de carnibus ejus ut ſaturemur?* vel multoties cum Sponſa Canticorum in hæc verba prorumpamus: *Veni Dilecte mi*. Vel etiam corde & ore crebro repetamus hæc Regii Vatis verba: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, Deus*. Vel tandem quiſque pia cordis ſui erga Chriſtum deſideria edat, ac iterum & iterum ſequentem ex D. Auguſtino ſumptam orationem proferat: (Oſtende te mihi conſolator meus, videam te lumen oculorum meorum, veni gaudium ſpiritus mei, videam te lætitia cordis mei, diligam te, vita animæ meæ, appare mihi delectatio mea magna, ſolatium meum dulce. Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ, inveniam te deſiderium cordis mei, teneam te amor animæ meæ; amplectar te Sponſe cæleſtis, exultatio mea ſumma, intus & extra, poſſideam te beatitudo ſempiterna, poſſideam te in medio cordis mei, vita beata). Ecce quomodo ante communionem ſuſpirandum ex deſiderio; ſed etiam ſuſpirandum ex amore: *Antequam comedam ſuſpiro*.

SECUNDA PARS.

Ante Communionem ſuſpirandum ex amore.

CUm Chriſtus Dominus amoris ſui ignem in corda hominum miſſurus veniſſet, totus igneus fuit, ac undique ardentiſſimas amoris flammas indeſinenter ſparſit; & præcipue circa vitæ ſuæ finem, cum auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Homines quidem toto vitæ ſuæ tempore dilexerit; ſed amor ejus ita in ſanctiſſimi illius Sacramenti inſtitutione crevit, ut non plus ultra progredi potuiſſe videatur: Unde S. Evangeliſta Joannes ait, quod cum Chriſtus *dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Dilexit nos Chriſtus *in finem*, id eſt, uſque *ad finem*, uſque ad ultimum amoris terminum; ita ut quaſi ſummus ejus fuerit amor, nec magis nos amare potuerit, quam cum corpus ſuum nobis in cibum dedit: *Ad finem dilexit nos Chriſtus*, inquit Chryſoſtomus, *Hoc eſt, in finem amoris: quia quid amplius pro amore noſtro præſtare potuit, quam ut ſeipſum ad veſcendum traderet nobis?*

In vexillis ſuis Alexander Magnus hanc curaverat apponi inſcriptionem, *Plus ultra*. Quaſi diceret: ſemper plus ultra progredi mei eſt animi; & quamvis plurima orbis terrarum regna ſubjugaverim, plus ultra mihi procedendum eſt, ut ſemper alia & alia regna imperio meo adjungam. Sed alia penitus oppoſita ſuſcriptio ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento congruentius, meo quidem judicio, apponi poſſet; in qualibet enim hoſtia cor Chriſti, ſacratiſſimis amoris flammis ardens, adumbrari poſſet cum hoc lemmate: *Non plus ultra*: quia nihil majus ad ſuum erga nos amorem exhibendum facere potuit Chriſtus, quam ſeipſum nobis

Digitized by Google

bis quoad divinitatem, & humanitatem in cibum dare: hic velut finis amoris ejus, hic Herculeas amor illius plantavit columnas, ultra quas non progredi potuiſſe videtur: *Non plus ultra.* Dat ſeipſum Chriſtus beatis in gloria, & dat ſeipſum nobis in Euchariſtia; ibi dat ſe beatis in præmium, & hic dat ſe nobis in cibum; ibi beatis communicatur clare viſus, & hic nobis communicatur inter accidentia occultatus: nil majus, quam ſeipſum, beatis dare potuit; & nil majus, quam ſeipſum, nobis dare valuit: dando ſeipſum beatis, ſummo eos proſequitur amore; & ſummum etiam nobis teſtificatur amorem, cum ſe nobis dat in cibum; ita quod non plus ultra nos amare poſſe videatur: *Ad finem dilexit nos Chriſtus, hoc eſt, ad finem amoris: quia quid amplius pro amore noſtro præſtare potuit, quam ut ſeipſum ad veſcendum traderet nobis?*

Majori Chriſtum amore proſequi non valemus, quam ſi animam, ſeu vitam noſtram pro illius gloria demus: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sed Chriſti, Euchariſtiam instituentis, erga nos amor longe major & eminentior eſt; nobis enim miſeris, nobis inimicis, nobis indignis dat non ſolum ſacratiſſimum Corpus ſuum, ſed etiam Divinam ſuam animam, ac totum ſeipſum. Unde hanc Chriſti erga nos charitatem ſummam & immenſam vocat Doctor Angelicus: *Chriſtus*, inquit, *ut arctius charitatis ejus immenſitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna, quando Paſcha cum Diſcipulis celebravit, tranſiturus de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit.*

O pereximium Chriſti erga nos amorem, qui est immenſus, & quo non datur plus ultra! Sed cur tanto nos proſecutus est amore? Utique ut nos ad ejus amorem alliceret: *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Hoc erga nos exarſit amore Christus, ut nos ad eum redamandum provocaret, & ut corda noſtra amoris ejus igne viciſſim accenderentur: *Cum Deus magna nobis beneficia præſtat*, inquit Sanctus Baſilius, *nil exigit a nobis, niſi ut eum diligamus.* Ecce quod a nobis exigere intendit Chriſtus, cum ſe nobis dat in cibum; optat ſolummodo ut ipſum amantem amemus, & ut amori ejus, prout fas erit, vicem rependamus: quare amemus Christum, qui ita dilexit nos.

Commento ſane egregio genium amoris delinearunt antiqui, fingentes, amorem vixiſſe diu breviuſculo corpore, & referente pueruli ſpeciem: indignata Venus Deos conſuluit, qua via creſcere & major fieri poſſet amor: reſponſum accepit, quod ut parvus ille amor major evaderet, alium amorem ipſam parere neceſſe eſſet, cujus conſortio primus amor augmentum caperet. Quo indicare voluit non ignara rerum antiquitas, amorem fomite indigere ut ardeat, nilque aptius eſſe ad exiguum, & ſopitum in alicujus corde amorem excitandum, & augendum, quam ſit prævius alter amor. Si autem ethnicos hos amores ſacris liceat aptare amoribus; dicam, Deum ab æterno prævidiſſe, hominum corda fore tepentia, ac proinde amorem illorum exiguum & prope nullum; quare ut incrementum aliquod hominum amori daret, alium amorem genuit, Christum ſcilicet, qui totus amor fuit, & qui ſuum potiſſimum exhibuit amorem, cum ſe nobis in cibum dedit. Quo nos amore proſecutus eſt Chriſtus, ut nos ad ſui amorem alliceret, & ut amor illius in corde nostro creſceret. Quare O N. creſcat nunc in corde tuo amor erga Christum; ama illum qui tantopere te dilexit; amore Chriſti liqueſcat cor tuum, & tunc præcipue cum de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſumendo cogitas, tunc amore ejus ſupra modum igneſcere debes. Tunc tantus Chriſti amor amore tuo compenſandus, totumque cor tuum tunc amoris incendio inflammari debet.

Hujus amoris igne Sanctorum multorum accenſa fuere corda; nec poteſt quiſquam amore Chriſti non ardere, ſi ejus erga nos amorem ſerio ante communionem conſideret: & ſi antequam ad Chriſtum ſumendum accedat, intenta mente revolvat, quis eſt ille qui venit, ad quem venit, quomodo venit, & cur venit. *Qui venit* non eſt purus homo, non quidam ex Apoſtolis, vel Evangeliſtis; non Cherubim, vel Seraphim; ſed Dominus ipſe Deus, ſed Chriſtus Mariæ Filius, ſed ipſe idem qui nos pretioſo ſanguine redemit: ecce qui venit. Sed *ad quem venit?* non ad unum ex beatis qui jam regnant in cælo, non ad aliquem ex Angelis, ſed ad hominem peccatorem, ad hominem infirmum, ac tanto beneficio penitus indignum: quis non miretur tantum Chriſti erga nos amorem? cujus cor ita durum ac frigidum erit, ut non amet Deum immenſæ majeſtatis, qui ad ipſum miſerum & peccatorem venire dignatur? certe non eſt cujus cor in ardentiſſimos amoris actus non prorumpat. Et præcipue ſi attente perpendat, *quomodo ad ipſum veniat Chriſtus*: non enim ad nos venit, ut Judex ſeverus, ſed ut Pater miſericors, qui nos totis viſceribus diligit; & ut ſponſus animarum noſtrarum, qui nobis uniri appetit: quis ergo hunc Patrem non diliget? quis hunc Sponſum non amabit? O N. ama Chriſtum Sponſum animæ tuæ: & ut ad eum amandum magis accendaris, meditare quem ob finem, ſeu *cur ad te veniat*: non enim venit Chriſtus propter commodum aliquod ſuum, ſed propter tuum; non venit, ut tuis te ſpoliet bonis, ſed ut gratia, ac innumerabilibus bonis te repleat: quis igitur tantam bonitatem non amabit? quis non tanto amori amore reſpondebit? quem non a nobis amorem tantus Chriſti amor extorquebit! Certe ſi totaliter non obduruerit cor noſtrum, ferventiſſimis ante communionem incumbere debemus amoris actibus, ac ſæpius Chriſto ad nos venienti dicere: *Diligam te, Domine amor meus, cibus animæ meæ, & vita cordis mei.*

Conquerebatur Thomas a Kempis, quod tanto amoris fervore ante communionem non arderet, quanto plures alii viri devoti, quorum corda ſacro amoris Chriſti incendio exardeſcebant: (quando, inquit, recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione, & affectu accedentium, tunc ſæpius in meipſum confundor & erubeſco, quod ad altare tuum, & ſacræ communionis menſam tam tepide & frigide accedo: quod ita aridus, & ſine affectione cordis

dis

dis maneo; quod non ſum totaliter accenſus coram te Deo meo; nec ita vehementer attractus & affectus, ſicut multi devoti fuerunt.) Sed o quam multi ſancto hoc Viro tepidiores & frigidiores ad ſacram communionem accedunt; ad menſam Euchariſticam, veluti ad menſam communem plures veniunt, nec minimam amoris ſcintillam in cordibus ſuis ſentiunt. Hoc multis accidit ob eorum negligentiam; ſed non deſunt, qui adhibita debita diſpoſitione, divini amoris ardorem in cordibus ſuis non experiantur. Iſti autem tunc illum deſiderare debent amorem, & deſiderio ſupplere, quod opere præſtare nequeunt. Illud a Deo documentum accepiſſe ſanctam Methildem affirmat Bloſius, dicens, quod ſic illam Deus allocutus ſit; (Cum ad communionem acceſſeris, deſidera in gloriam nominis mei omnem illum amorem erga me habere, quem unquam habuit ferventius cor. Quod ſi hoc pacto acceſſeris, recipiam deſiderium tuum juxta illum amorem, quem optaveris habere). O NN. antequam ad ſacram Synaxim accedatis, pro viribus corda veſtra ad eliciendos amoris actus excitate. Quod ſi amoris igne inſenſibiliter inflammari nequeant, eo ſaltem ardore deſiderate, ac a Deo ſupplices petite, ut tanto corda veſtra amoris igne accendat, quanto omnium Sanctorum corda exarſerunt, & ſic ſemper ex amore ſuſpirabitis. Sed ante communionem ſuſpirandum etiam ex gaudio: *Antequam comedam, ſuſpiro.*

TERTIA PARS.

Ante communionem ſuſpirandum eſt ex gaudio.

GAudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent & in vitiis homines ſæculi: ſed hæc gaudia, non ſunt gaudia; quia non in creaturis, ſed in ſolo Creatore verum, ſolidum & ſtabile reperitur gaudium: *Illud verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipiatur, & quod cum poſſederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis alia jucunditas, mæror eſt.* Quare non in caducis facultatibus, non in conviviis & comeſſationibus, non in impudicitiis & noxiis voluptatibus, ſed in Deo noſtro gaudeamus; ac quiſque noſtrum in corde ſuo cum Propheta quam ſæpiſſime dicat: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo.* Sed tunc maxime in Deo JESU noſtro gaudendum, cum ad illum ſumendum accedimus; quia ſicut Chriſti abſceſſus maximo Apoſtolorum corda mœrore affecit; *Triſtitia implevit cor veſtrum;* ſic ex adverſo Chriſti ad nos acceſſus ingenti nos gaudio & conſolatione replere debet; *Debemus in Chriſto, eum ſpiritualiter manducando, delectari, ſeu interna dulcedine inebriari.* Sicut ſancti in cælo a nimio quo fruuntur gaudio, quaſi inebriantur: *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei; & torrente voluptatis tuæ potabis eos;* ſic & nos, ut ait S. Bernardinus, ad Chriſtum, qui eſt objectum beatificum, accedentes, ſpirituali gaudio & interna dulcedine quaſi inebriari debemus: *Debemus in Chriſto, eum ſpiritualiter manducando, delectari, ſeu interna dulcedine inebriari.*

Spirituale hoc gaudium, quo prævio ad Euchariſtiam ſuſcipiendam accedendum eſt, docuit nos Spiritus ſanctus, dicens: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum; & bibe cum gaudio vinum tuum.* Dixit: *Vade.* Quo, quæſo, eundum eſt ante Euchariſtiæ ſumptionem? Non utique de loco in locum, ſed de peccato ad virtutem: *Vade*, ut exponit Hugo Cardinalis, *a peccatis recedendo, & bonis operibus inſiſtendo.* O peccator, antequam ad ſacram communionem venias, *vade* a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ; hoc autem facto, *comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Quis eſt ille panis, qui in lætitia comedendus eſt? Panis utique qui de cælo deſcendit, qui cum lætitia ſacramentaliter, ſpiritualiter manducandus eſt, ut ait præfatus Hugo. Quod vero eſt illud vinum, quod cum gaudio eſt bibendum? Hoc eſt vinum germinans Virgines, ſeu *Sanguis Jeſu Chriſti*, ut ſubdit jam laudatus Hugo. Cum ergo, o peccator, ad ſacram Synaxim accedere intendis, derelictis prius peccatis tuis, veni cum gaudio: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum.* Sed quale eſt gaudium quo affici debent corda noſtra, antequam ad communicandum accedamus? Non quidem leve, & inane eſſe debet illud gaudium; ſed inſolitus quidam lætitiæ affectus, & exceſſus, ac quædam quaſi ebrietas ſpiritualis: *Comedite amici*, inquit Spiritus ſanctus, & *inebriamini, chariſſimi.* Vult quod comedamus, & quod panem Euchariſticum comedentes inebriemur, ſeu quod inſolita quadam lætitia intus repleamur.

Ad epulandum, & in conſpectu Dei exultandum juſtos invitat Vates Regius: *Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* De quibus autem juſtis loquitur Propheta, an de iis qui in cælo regnant, vel de iis qui in hoc mundo militant, eſt aliquis dubitandi locus. Aſſerunt non pauci, illum loqui de juſtis in cæleſti gloria exiſtentibus, in qua æternum in conſpectu Dei epulabuntur, & exultabunt; præfatus Hugo hæc Prophetæ verba allegorice exponens, ait, illum loqui de juſtis in hoc mundo degentibus, quos ad Euchariſticam menſam invitat, ut ibi ſacratiſſimum Chriſti corpus cum lætitia, & exultatione comedant: Juſti epulentur, inquit, *in ſumptione Euchariſtiæ;* & exultent in conſpectu Dei, *quem recipiunt;* & delectentur in lætitia, *ita ut non tantum ſit exultatio exterius in corpore, vel in voce; ſed intus devotio, & lætitia in mente.* Et revera, cum unum & idem beatorum in patria, & juſtorum in hoc mundo ſit ferculum, Chriſtus ſcilicet, par etiam illis & iſtis eſt gaudendi ratio. Et ſicut gaudent beati in cælo Chriſtum videntes; ita & gaudere debent juſti in hoc mundo Chriſtum manducantes. Juſti ergo in cælo *epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Sed juſti etiam in hoc mundo, cum ad ſacram communionem veniunt: *Epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.*

Urbem Jeroſolymam ad exultandum, & jubilandum hortatur Zacharias Propheta: *Exulta ſatis*, inquit, *filia Sion, jubila filia Jeruſalem.* Ponderanda ſunt duo hæc verba, *exulta*, & *jubila:* exultatio enim lætitiam quamdam exteriorem, magnam

tamen,

Digitized by Google

tamen, denotat: jubilatio vero, ut docet S. Auguſtinus, interiorem quandam, & ineffabilem lætitiam ſignificat, & ideo interius, exteriuſque urbem Jeroſolymam lætari vult Propheta. Exultant nonnumquam peccatores exterius, & in rebus peſſimis; interius vero plerumque non jubilant, quin potius remorſibus conſcientiæ ſtimulati mœrent: ſed vult Propheta, ut Jeruſalem, & anima ſancta, exterius interiuſque gaudeat. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem*. Cur autem illam exultare & jubilare optat? rationem ſubdit ipſe, dicens: *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator*, illam exultare & jubilare vult, quia Chriſtus Dominus ad eam venturus eſt. Ecce quidem magnum exultandi & jubilandi motivum: ſed non minus exultare & jubilare debent quotquot ad Euchariſtiam ſumendam accedunt, quia ad eos venit, & intra eos recipitur idem Chriſtus, qui in urbem Jeroſolymam intravit. Verum eſt quod non veniat Chriſtus viſibiliter; ſed ut ait Hugo a Sancto Victore, *venit Chriſtus inviſibilis, venit occultus, venit incomprehenſibilis*. Quare o N. *exulta & jubila*, non in commeſſationibus, non in prædivitum veſtium nitore, non in ludis & deliciis corporalibus, ſed in Chriſto Rege & Deo tuo, qui ad te & intra te venit. Non ſis ſimilis iis, de quibus Sanctus Bernardus in ſermone de nativitate Chriſti ait, quod *non de nativitate, ſed de vanitate gaudent*; non gaudeas de mundi vanitatibus, & voluptatibus, ſed gaude, quod ad te venire dignetur *Chriſtus*, qui eſt Mariæ Filius, *Chriſtus* qui eſt Angelorum & hominum Conditor, *Chriſtus*, qui & ipſe cum Patre & Spiritu ſancto Deus eſt; hæc tibi maxima exultandi, & jubilandi ratio eſt: *exulta & jubila*.

De nobili quodam Viro narrat Theodorus, quod cum ſenſum & judicium amiſiſſet, quæcumque magna & pretioſa videbat, ſua eſſe crederet, gaudens ſe tot & tanta in hoc mundo poſſidere: cum præclara intuebatur palatia, exultabat, quaſi ad ipſum attinerent: non minori afficiebatur gaudio, cum in ſpecioſam & prædivitem quandam civitatem intrabat; & ſpecialiter adnotatur, quod cum in littore maris navem argento & mercibus onuſtam videbat, adſtantibus ajebat; attendite, quam felix & dives ego ſim! omnia enim hæc mea ſunt. Poſtea autem cum medicorum arte ſanus factus eſt, ſuam faſſus eſt ſtultitiam, dicens: qui me ſanum fecit, magno me gaudio privavit, ita enim gaudebam, ac ſi vere mea illa bona fuiſſent. O gaudium vere imaginarium! cui quidem ſimile eſt gaudium mundanorum, quia gaudium eorum ex opinione & erronea imaginatione procedit: *Gaudent*, quia ſe divites arbitrantur & felices: *Gaudent*, quia hæc & illa bona ſua eſſe credunt, cum mundi bona, & non ſua ſint: *Gaudent*, inſtar illius phrenetici: *Gaudium ipſorum*, inquit S. Auguſtinus, *quaſi phreneticorum eſt; quomodo enim phreneticus gaudet in inſania, & plerumque ridet & plangit eum qui ſanus eſt; ſic & illi*. O NN. non in fallacibus hujus mundi facultatibus & voluptatibus gaudendum eſt; ſed ibi fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia: gaudete & exultate in hoc, quod Chriſtus, in quo omne bonum, & qui eſt omne bonum, ad vos veniat; in hoc gaudendum, in hoc exultandum: *Exulta ſatis filia Sion, & jubila filia Jeruſalem; ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator*.

Hortatur nos Propheta, ut guſtemus quam ſuavis ſit Dominus, *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*. Guſtant & vident plerique hominum volatilem aliquam ſuavitatem in hujus mundi divitiis & deliciis, ſed pauciſſimi guſtant quam ſuavis ſit Dominus: ſi enim ſemel deguſtaſſent, quam ſuave ſit adhærere Deo, omnia quæ in mundo ſuavia & delectabilia ſunt, vana, inſulſa, & amara judicarent. Anima quæ aliquantulum guſtavit, quam ſuavis ſit Dominus, terrena cuncta faſtidit, inquit Seraphicus Bonaventura, ac *obliviſcitur omnia ex ebrietate nimia. Et ſi aliquid aliud ante ipſum ponatur, non poteſt ibi aliud, quam ſuum Dominum benigniſſimum intueri, & in eo ſumma dulcedine delectari*. O NN. antequam ad communionem accedatis, guſtate quam ſuavis ſit Dominus; guſtate & videte, quam ſuave, quam delectabile, quam honorificum, & quam utile ſit habere intra ſe Dominum ſuum, & Deum ſuum: certe qui hoc guſtaverit, terrena cuncta contemnet, ac pro nihilo habebit: certe qui hoc guſtaverit, antequam accedat, *ſuſpirabit* ex magno ſuſcipiendi Chriſtum deſiderio, *ſuſpirabit* ex ardentiſſimo illius amore, & *ſuſpirabit* ex ineffabili gaudio, quo cor ejus replebitur. Qui autem ſic ante communionem ſuſpiraverit, donis ſpiritualibus replebitur in hoc mundo, & æternam beatitudinem obtinebit in cælo. *Amen*.

DE
SS. SACRAMENTO.
CONCIO OCTAVA.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 34.

Diſpone domui tuæ. Iſaiæ 38. 1.

CUm omnia novæ Legis Sacramonta gratiam ex opere operato conferant, certum eſt, omnes Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum recipientes, aliquem ſemper ex ejus perceptione fructum elicere, modo ex parte ſui nullum obicem ponant; ſed ad magnam gratiarum copiam ex mirabilis hujus Sacramenti ſuſceptione obtinendam, ex parte recipientis magna deſideretur præparatio, quia pro menſura diſpoſitionis majoris vel minoris, major vel minor gratiarum, & donorum ſpiritualium abundantia ex communione percipitur. Omnia Sacramenta ſunt uberrimi Chriſti Salvatoris fontes, ex quibus puriſſimas divinæ gratiæ aquas haurimus: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*; ſed hanc ſacri fontis rationem habet præcipue Euchariſtia, quæ ut perennis cæleſtium gratiarum fons ab omnibus agnoſcitur: ſicut autem ex omnibus qui ad aquam ex fonte hauriendam accedunt, illi plus aquæ deferunt, quorum vaſa ſunt majora; ita ille majorem ex Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumptione gratiarum affluentiam exhauxit, qui majorem ad

illud.

Illud recipiendum adhibet diſpoſitionem. Varias in præcedentibus concionibus ad ſacroſanctum hoc Sacramentum recipiendum diſpoſitiones docuimus; ſed alia adhuc ſupereſt, quæ multas includit, & quæ quaſi omnium diſpoſitionum compendium eſt; nempe quod ante communionem domui, & conſcientiæ noſtræ diſponere debeamus, quaſi exituri eſſemus ex hoc mundo: *Diſpone domui tuæ*. De hac, &c. *Ave*.

CUm quis ex hoc mundo exiturus eſt, tria ipſi obviam proponuntur, mors ſcilicet, judicium, & Paradiſus: *Mors*, quam bonam eſſe deſiderat: *Judicium*, quod fauſtum eſſe optat; & *Paradiſus*, quem obtinere ambit. Sed vana, & inania erunt illa hominis ex hoc mundo exituri vota, niſi domui ſuæ diſponat, ac perfecte ſe præparet: quia mors bona, judicium fauſtum, & æterna beatitudo non dantur, niſi iis qui ad hæc ſe perfecte diſpoſuerint. Quotieſcumque autem ad ſacram Synaxim quis venire deſiderat, velim ut mortem, judicium, & Paradiſum mente revolvat: ac ſerio perpendat, quam debite præparatus eſſe optaret, ut bene moreretur; quam perfecte diſpoſitus eſſe vellet, ut ſecurus ad Dei tribunal ſiſteretur; ac quantam ab illo requiret Deus præparationem, ut Paradiſi gloriam ingredi mereatur. Et cum hæc æqua lauce ponderaverit, præparationem ad debite communicandum adhibendam identidem agnoſcet: quia ad Euchariſtiam percipiendam quiſque ſe præparare debet: 1. Sicut ad mortem: 2. Sicut ad judicium: 3. Sicut ad Paradiſum. Ad communionem quiſque ſe diſponere debet, *ſicut ad mortem*: quam bonam eſſe deſiderat; *ſicut ad judicium*, quod fauſtum ſibi eſſe optat: *ſicut ad Paradiſum*, quem obtinere ambit. Ecce quomodo quiſque ſe diſponere debeat ad Euchariſtiæ receptionem: *Diſpone domui tuæ*.

PRIMA PARS.

Ad Communionem quiſque ſe præparare debet ſicut ad mortem.

MAgnum ad vitam recte inſtituendam principium hoc eſt, ut quiſque quamlibet ex ſuis actionibus faciat, ac ſi ſtatim eſſet moriturus; illud docuerunt omnes ſpirituales vitæ Patres, illud adamuſſim ſervaverunt multi, illudque, quantum fas eſt, ſervare deberent omnes, ſaltem quoad communionem, ad quam quiſque ſe ſemper præparare deberet, ac ſi ſtatim de hoc mundo exituros, & morituros eſſet.

Hoc docuit nos Deus, cum Agnum myſticum, Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti figurativum, ab Iſraelitis, peregrinorum ſpeciem gerentibus, comedi voluit, dicens: *Renes veſtros accingetis, & calceamen a habebitis in pedibus veſtris, tenentes baculos in manibus*. Cur enim iis imperavit Deus, ut cinctis renibus, baculos in manibus tenentes, ac totaliter peregrinorum figuram præferentes, Agnum manducent? Hoc certe ita fieri ordinavit Deus, ut hac cæremonia doceat nos, quod Agnum Euchariſticum manducaturi, ita debeamus eſſe diſpoſiti, ac ſi ſtatim eo ſumpto, egrediendum nobis eſſet de hoc mundo, & moriendum: *Quicumque Agnum Euchariſticum manducant*, inquit S. Chryſoſtomus, *ita debent eſſe expediti, quaſi quotidie exituri de hoc mundo*. Et ut ait S. Euſebius, *ita accedere debes, ac ſi ſtatim moriturus eſſes*.

Invitatos ad nuptias locum ultimum tenere vult Chriſtus: *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco*. Has nuptias myſtice explicant D. Bonaventura, & venerabilis Beda de nuptiis, & unione, quæ in Euchariſtiæ receptione inter Chriſtum, & recipientem fiunt; quotieſcumque ergo ad convivium Euchariſticum quis accedit, eum in noviſſimo loco recumbere vult Chriſtus: *Recumbe in noviſſimo loco*. Videtur indifferens, quod in hoc convivio quis primum, ſecundum, vel ultimum locum teneat; immo videtur, quod quiſque primum locum ambire deberet, ut citius Chriſto frueretur: cur ergo vult Chriſtus, ut quiſquis in ultimo loco recumbat? Myſterium aperit D. Bernardinus, dicens: quod per noviſſimum locum mors intelligatur: *Noviſſimus locus mors eſt*. Vult ergo Chriſtus, ut ad Euchariſticum accedentes convivium, in noviſſimo loco recumbamus, ac ita nos diſponamus, quaſi eſſemus morituri. *Ita accedere debes, ac ſi ſtatim moriturus eſſe.*. O N. ſi jam te in noviſſimo loco poſitum videres; ſi nunc tibi mortem imminere cognoſceres, nonne protinus ludis, mundi vanitatibus, ac omnibus peccandi occaſionibus valediceres? nonne inimicis ex corde parceres? nonne inique ablata reſtitueres? & ut paucis multa dicam, nonne ad bene, & pie moriendum te diſponeres? haud dubie tunc pro viribus ad moriendum morte juſtorum te præparares; eodem autem modo te præparare debes, quotieſcumque ad communionem accedis; ad eam, ſicut ad mortem, te diſponere oportet: *Ita accedere debes, ac ſi ſtatim moriturus eſſes.*

Filiis Iſrael præcepit Deus, ut Agnum Paſchalem non mane, vel circa meridiem, ſed *ad veſperam* ſacrificarent: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*. Matutinis horis, vel circa meridiem fieri ſolebant veteris Legis ſacrificia; cur ergo Agnum Paſchalem vult Deus ſibi immolari *ad veſperam?* Præclaram, noſtroque propoſito congruam rationem adducit S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, dicens, hunc Agnum fuiſſe figuram Agni Euchariſtici, & ideo datum fuiſſe præceptum ſacrificandi, & manducandi Agnum Paſchalem ad veſperam, ut hinc diſceremus, Agnum Euchariſticum tanta cum devotione eſſe ſumendum, quanta ſi eſſemus in vitæ noſtræ veſpere, ac ſi ſtatim poſt ejus ſumptionem morituri eſſemus: *Quod ſumatur*, inquit, *Agnus Paſchalis ad veſperam, ſignificat, quod cum tanta devotione quiſque ſumere debet Agnum Euchariſticum, ac ſi in veſpere ſuo, id eſt, in fine vitæ ſuæ acciperet*. O Chriſtiane, ſi te in vitæ tuæ veſpere poſitum videres, ſi de mortis tuæ proximitate certus eſſes, quanta cum præparatione, & devotione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reciperes? nonne tunc ante ejus ſuſceptionem omnes hujus mundi curas abjiceres,

ut

ut de ſola beatitudine æterna cogitares? nonne omnem terrenorum amorem a corde tuo avelleres, ut totis affectibus ad Chriſtum anhelares? nonne quamlibet vel minimam animæ tuæ maculam lavare satageres, ut purus coram Deo tuo appareres? nonne tandem quidquid poſſes ſollicitudinis adhiberes, ut cor, mentem, animam, ac denique totum teipſum præparares ad digne recipiendum Chriſtum Salvatorem tuum? ſic haud dubie domui, & conſcientiæ tuæ diſponeres, ſi mortem tuam imminere cenſeres. Eodem autem modo te præparare debes, quotieſcumque ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum recipis; non enim minori cum præparatione, & devotione illud recipere debes, quam ſi eſſes in vitæ tuæ veſpere, & ſi ſtatim poſt ejus ſuſceptionem ex hoc mundo eſſes exiturus: *Quod ſumatur Agnus Paſchalis ad veſperam, ſignat, quod cum tanta devotione quiſque ſumere debet Agnum Euchariſticum, ac ſi in veſpere ſuo, id eſt, in fine vitæ ſuæ acciperet.*

In oratione Dominica a Deo non luxum, ut ait Nyſſenus, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium præfecturas, non pannos ſericos, non muſica acromata, non quidquam, quo anima a divina, & potiori cura abſtrahatur, ſed *panem* nobis dari petimus: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Quis eſt ille panis, quem a Deo petimus? Reſpondet Divus Auguſtinus, hunc panem non eſſe alium, quam Chriſtum, qui eſt panis vivus, qui de cælo deſcendit. Sicut, inquit, mendici a nobis panem petunt: ita & nos a Deo panem petimus: ſed longe alium, Chriſtum ſcilicet, qui eſt panis, qui de cælo deſcendit: *Quid a te petit mendicus? panem; & tu quid petis a Deo, niſi Chriſtum, qui dicit: ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi?* Ab Auguſtini ſententia non deviant Sanctus Cyrillus, Sanctus Ambroſius, & alii nonnulli ex Sanctis Patribus: qui per panem ſuperſubſtantialem intelligunt Euchariſtiam, quæ eſt panis ſuperſubſtantialis, in quo Chriſtus continetur, qui a Zacharia dicitur *frumentum electorum*. Ecce panem quem petimus, & hunc panem non Angelis, non brutis, ſed nobis hominibus dari poſtulamus: panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis. O mirabilem, & divinum panem, quem quidem ſummo affectu deſiderare, & petere debemus! ſed ad quod tempus vult Deus, nos hunc panem petere? non ad menſem, vel ad annum, ſed pro die ſolum præſente: da nobis *hodie*: cur non pro pluribus diebus, non pro pluribus menſibus, & annis, ſed pro die dumtaxat præſente, vult Deus, ut quotidianum, & ſuperſubſtantialem hunc panem poſtulemus? Reſpondet Chryſologus velle Deum, ut pro unica die hunc panem petamus, quia vult, ut illum ſumamus per modum viatici, quod non pro pluribus, ſed pro unica die peti ſolet: *Quotidianum & in die vult nos in Sacramento ſui corporis panem viaticum poſtulare*: quotieſcumque ergo Euchariſticum panem manducare optabimus, petamus, & recipiamus illum per modum viatici. Noſtis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum dari per modum viatici, in graviſſimis ſolum infirmitatibus & inſtante morte, & ſic ſanctiſſimum hoc Sacramentum ſemper recipiendum, quaſi per modum viatici: quia ſemper recipiendum, quaſi mors nobis immineret, & quaſi mox eſſemus morituri.

De viro vere religioſiſſimo, qui quotidie celebrare ſolitus erat, narratur, quod cum graviſſima laboraret infirmitate, ac in extremis eſſet poſitus, monuit eum Superior, ut ita peccata ſua confiteretur, ac ſi hac die eſſet moriturus: cui infirmus elevatis prius ad cælum oculis; o Pater, gratias ago Deo meo, quia a triginta annis qualibet die peccata mea confeſſum ſum, ac ſi ſtatim poſt confeſſionem fato functurus fuiſſem. O virum mirabilem! o utinam quiſque noſtrum illum perfecte imitaretur! utinam ſingulis diebus, vel ſingulis hebdomadibus quiſque confiteretur, ac ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reciperet, quaſi ſtatim eſſet moriturus! Dic, quæſo, o N. cum ad mortem infirmaberis, ſi dante Deo, tibi ſacrum deferatur viaticum, quæ erit cordis tui diſpoſitio, cum Sacerdotem ſacra pignora deferentem, fidelibus circumdatum, ad te venientem videbis? Quantus tunc erit dolor cordi tuo, quod Deum toties offenderis, quod illi non perfecte ſervieris, ac tempore tibi ad illum glorificandum dato non bene uſus fueris? Quantus tibi nunc inerit iniquitatum tuarum horror; quantove pudore ſuffunderis, quod viros ſanctos non imitatus ſis? Sed quanto nunc perfectionis, & ſalutis tuæ deſiderio ardebis? Hæc ſerio pondera, & quotieſcumque ad communionem accedes, eoſdem in corde tuo pietatis motus excita, & ſic te geras, ac ſi ſacrum tibi daretur viaticum, & ſi ſtatim moriturus eſſes. Sed ad communionem ſe etiam quiſque præparare debet, *ſicut ad judicium.*

SECUNDA PARS.

Ad Communionem ſe quiſque præparare debet, ſicut ad judicium.

Divus Auguſtinus frequentem, & aſſiduam formidoloſi Dei judicii cogitationem maxime commendat, & ut homines bene agere diſcant, optat ſolummodo, ut quiſque in omnibus, & ſingulis ſuis actionibus, ſe tremendo Chriſti tribunali aliquando ſtaturum recordetur: *In omnibus operibus veſtris ſemper mementote, quod omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque prout geſſit in corpore.*

O quam perfectæ ac omnibus numeris abſolutæ eſſent omnes actiones noſtræ, ſi nil operaretur manus, quin prius tremendi Dei judicii rigores mens recogitaſſet, & ſi quamlibet actionem ita faceremus, ac ſi ſtatim Chriſto judici illius rationem eſſemus redditurì! O utinam omnes noſtras operationes piæ hujuſmodi præcurrent cogitationes! ſed ſi de iis in omnibus prorſus operibus cogitare pigeat, hæc ſaltem recogitanda ante communionem; ad quam quemque ita ſe præparare opor-

Digitized by Google

oportet, ac ſi illa completa, mox Chriſto judici de ea eſſet rationem redditurus. Unde Regius Propheta ait; juſtitiam & judicium eſſe præparationem ad Chriſti ſedem: *Juſtitia, & judicium præparatio ſedis ſuæ.* Sedet Chriſtus, & intra nos remanet poſt communionem; ſed præparatio ad illum debite recipiendum, & ut intra nos ſedere veniat, ſunt juſtitia & judicium: *juſtitia* quidem, quia antequam quis ad communionem accedat, in ſtatu juſtitiæ & gratiæ eſſe debet: *judicium* vero, quia ad ſacram Synaxim ita ſe quiſque diſponere debet, ac ſi ſtatim a Chriſto eſſet judicandus.

Piam hanc præparationem docuit nos D. Thomas, dicens: *Adhæſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, & carnifex timor Domini, & ſic homo dignus erit ad ſumendum corpus Chriſti in Sacramento.* Appropinquante generali judicio, multa illud præſignificantia apparebunt ſigna: ut enim loquitur ſacer textus: *erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium.* Si autem nunc generale immineret judicium: ſi extremi illius judicii prænuntia jam ab hominibus viderentur ſigna, quæ, quæſo, ô peccator, tuæ eſſent cogitationes? Nonne accuſatrices eſſent: nonne intus te accuſarent? Certe te importune accuſarent, ac omnia quæ a juventute commiſiſti crimina, tibi exprobrarent. Nunc a delictis tuis mentem avertis, nunc iniquitatum tuarum recordari renuis, nunc peccatorum velles oblivisci: ſed ſi tremenda judicii dies jam impenderet, eorum neutiquam obliviscereris, ſed intus inſurgerent cogitationes omnium, etiam minutiſſimorum delictorum, quæ toto vitæ tuæ tempore perpetraſti, te accuſantes intus haberes accuſatrices cogitationes: ante communionem autem, ut ait Doctor Angelicus, non obliviſcaris criminum tuorum, ſed, non ſecus ac ſi extremum inſtaret judicium, accuſatrices in corde tuo ſint cogitationes. *Adſit accuſatrix cogitatio.* Sed, o peccator, ſi generale nunc immineret judicium, & ſi nunc in ſignum illius, terra tremeret, ſol obſcuraretur, & luna non daret lumen ſuum, qualis eſſet conſcientia tua? nonne te intus morderet? nonne tunc adverſum te teſtimonium daret? nonne intus diceret, verum eſt, quod in hoc & illo loco, hac & illa die, cum tali perſona, hæc & illa crimina commiſeris? Certe hæc & alia adverſus te tua teſtificaretur conſcientia: ante communionem autem adverſus te in teſtem ſimiliter adducenda eſt conſcientia tua, ante communionem fac ut contra te teſtimonium dicas, ut illius teſtimonio a te cognitis peccatis tuis, illotum te pœniteat. *Adſit teſtis conſcientia.* Sed tandem ſi extremum nunc inſtaret judicium, nonne timore horribili commoveretur cor tuum? Certe, plus quam dici poſſit, iratum Judicem extimeſceres, timorque ille te ad confitenda omnia peccata, ad reſtituendum ablata, ad parcendum inimicis, & ad omnia quæ veri Chriſtiani ſunt, facienda compelleret: ante communionem autem ſimilis tibi ineſſe debet timor, quo ad reſtituendum aliena, ad injurias condonandas, & ad facienda quæcumque faceres, ſi immineret Dei judicium, efficaciter movearis. *Adſit carnifex timor Domini.* Ad communionem tandem te præpara, ſicut ad Dei judicium, & ſic *dignus eris ad ſumendum corpus Chriſti in Sacramento.*

In Euchariſtia quoddam fit judicium, extremo Dei judicio non totaliter abſimile: in extremo enim judicio erit Chriſtus Judex, & in Euchariſtia eſt Chriſtus vivorum & mortuorum Judex: in ultimo judicio ſedebit Chriſtus *ſuper ſedem majeſtatis ſuæ:* & in Euchariſtia, velut in bonitatis, & juſtitiæ ſuæ throno Chriſtus reſidet: in judicio adſtabunt Chriſto Angeli, & ei in Euchariſtia indeſinenter ac reverenter aſſiſtunt: in judicio juſtos Chriſtus benedicet: *Venite benedicti Patris mei,* & in Euchariſtia gratiis, ac cæleſtibus donis juſtos Chriſtus afficit. In generali judicio adverſus impios duriſſimam Chriſtus ſententiam pronuntiabit, dicens: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum:* & in Euchariſtia cuique indigne accedenti ait interius: *Diſcede a me maledicte.* In judicio tandem impios æternis ſuppliciis adjudicabit, & in Euchariſtia indigne communicantes (niſi pœnitentiam non egerint) ad tartareos ignes projici imperat, ut enim ait D. Auguſtinus: *Qui ad convivium intravit, non habens veſtem nuptialem, ligatis manibus & pedibus, miſſus eſt in tenebras exteriores, ubi eſt fletus & ſtridor dentium: ecce qualem ſententiam meretur audire, qui ad convivium nuptiale, id eſt, ad altare Domini, aut ebrioſus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præſumit accedere.* En quomodo in Euchariſtia quoddam fiat judicium extremo Dei judicio ſimile: quare non ſegniter, non perfunctorie, ſed ſumma cum diligentia & ſollicitudine ad Euchariſtiæ receptionem, ſicut ad Dei judicium, nos præparare oportet. O peccator, ſi cum de Sanctiſſimo Sacramento recipiendo cogitas, Angelus a Deo miſſus diceret tibi: ſtatim poſt communionem morieris, & coram Chriſto Judice judicandus apparebis, audito hoc nuncio, hancne communionem negligenter faceres, ſicut ſolitus es? Sed nonne maxima cum ſollicitudine ad eam te diſponeres? nonne omnia interiora tua mundare ſatageres? nonne tunc quo ardentiori zelo, & quo majori poſſes fervore, ad ſacram Synaxim te ſiſteres? Hoc certe faceres, & recte faceres; ſed & fac in qualibet communione, quod faceres, ſi Angelus te immediate poſt eam judicandum eſſe præmoneret; ac ad quamlibet communionem, ſicut ad Dei judicium te præpara.

O quales, & quantos fructus ex Euchariſtiæ ſumptione perciperemus, ſi hoc modo ad eam recipiendam nos diſponeremus! intra breve quidem tempus ex peccatoribus juſti, & inter juſtos ſanctiſſimi evaderemus. De Dei judiciis non cogitant multi, antequam ad Euchariſtiam recipiendam accedant; non ad eam, tamquam ad Dei judicia, ſe præparant; ſed vel ex conſuetudine, vel ut pii cenſeantur, abſque ulla fere prævia diſpoſitione, Chriſtum ſumunt; & ideo, aut parvum, aut nullum ex tanti Sacramenti perceptione emolumentum percipiunt! imo & ſæpe Euchariſtiæ ſuſceptio non eis eſt in emolumentum, ſed in detrimentum. Qui indigne communicat, *judicium,* id eſt, condemnationem, *ſibi manducat & bibit.* Cur ſibi judicium manducat? Quia de extremo Dei judicio non curat, nec ad communionem, quaſi ad tremendum Dei judicium ſe præparat: ſi enim ad eam, veluti ad Dei judicium, ſe diſponeret, judicium non

ſibi manducaret; ſed ex ea uberes gratiarum fructus eliceret. Quare o N. antequam ad communionem venias, ſiſte te ante Chriſti judicantis tribunal, ſeu ſerio cogita, an ſis paratus ad ſubeundi Chriſti judicium: perpende prudenter, & animo agita, an ſi Chriſtus te judicaturus veniret, vere ei dicere poſſes: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*; ſeu paratus ſum ad judicium ſubeundum. Si autem te præparatum cenſeas ad Dei judicium, paratus es etiam ad communionem: maxima enim præparatio eſt, ſi ad eam te diſponas, veluti ad Dei judicium; & *veluti ad Paradiſum*.

TERTIA PARS.

Ad Communionem ſe quiſque præparare debet, ſicut ad Paradiſum.

ET in Paradiſo, & in Euchariſtia Chriſtus reſidet; in Paradiſo, ubi ſua præſentia Sanctos beatificat, & in Euchariſtia, ubi juſtos per abundantiorem gratiæ ſuæ communicationem magis juſtificat. Magnæ autem prærequiruntur diſpoſitiones, ut Chriſtum mereamur habere beatificantem in cælo; ſed & eædem deſiderantur, ut illum digne recipiamus in Euchariſtia: diſpoſitiones enim ad obtinendam Paradiſi gloriam ſunt humilitas, puritas, & timor Domini, quæ etiam ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem requiruntur; quod ut aliquo ordine breviter probetur, ab humilitate exordior.

Sicut ſuperbia eſt lata ad infernum via; ita & humilitas via eſt & diſpoſitio ad obtinendum Paradiſum; non enim ſuperbos, ſed humiles ſalvat Deus; *Humiles ſpiritu ſalvabit*: non ſuperbum Deus, ſed humilem populum ſalvum facit: *Quoniam tu populum humilem ſalvum facies*: non ſuperbis & inflatis, ſed pauperibus ſpiritu, ſeu humilibus, Deus regna cælorum tribuit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Unde Chriſtus aſſerit, quod niſi efficiamur parvuli & humiles, nullus ad cælum nobis patebit aditus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Quod ut quam verum ſit, clarius pateat, ſuperbum Phariſæum, & humilem Publicanum inſpiciamus; quorum primus, ſuperbia tumidus dicebat: *Non ſum ſicut cæteri hominum*: alter vero præ humilitate *nolebat nec oculos ad cælum levare*: primus autem a Paradiſo excluditur, & ſecundus in eo recipitur; quia, ut notat S. Paulinus: *Non poterat eo recipi lata jactantia, quo ſe humilitas anguſta collegit*. Humilitas ergo eſt magna ad Paradiſum aſſequendum diſpoſitio: ſed eſt etiam magna diſpoſitio ad Euchariſtiam digne recipiendam: Chriſtus enim, quem in Euchariſtia ſumimus, humiles ſupra modum diligit; & ſicut in humili præſepio recens natus voluit reclinari, ita & in humili pectore vult recipi; quare ut illum digne recipiamus, ex affectu humilitatis dicendum ei cum Centurione: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: ſeu non ſum dignus, qui te Deum meum intra meipſum recipiam. Filius prodigus patri dicere ſtatuerat: *Non ſum dignus vocari filius tuus*. Chriſtus autem in Euchariſtia eſt Pater noſter, qui nos propria carne, & proprio ſanguine paſcit; quare antequam ad illum recipiendum nos offeramus, quiſque ex animo humilitatis dicat ei: *Pater, non ſum dignus vocari filius tuus*. Cum Eliſabeth ad ſe Mariam venientem vidit, exclamavit voce magna, & dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quanto magis, cum Chriſtum ad nos venientem cernimus, ſumma cum humilitate dicere debemus: *Unde hoc mihi*, ut Dominus meus, & Deus meus, veniat ad me? Ante Communionem attente Chriſti majeſtatem, noſtramque vilitatem conſideremus, & admirantes, quod ille, quem laudant Angeli, & Dominationes adorant, ad nos vermiculos venire dignetur, dicamus humiliter: *Unde hoc mihi*, ut Dominus meus veniat ad me? Ecce quomodo ad Euchariſtiam, ſicut ad Paradiſum nos præparare debeamus per humilitatem; ſed ad eam etiam, ſicut ad Paradiſum, nos diſponere oportet *per puritatem*.

In cæleſti civitate, ubi plateæ ſunt aurum mundum, & omnia margaritis, lapidibuſque pretioſis rutilant, nihil inquinatum, & immundum recipitur. Ibi admittuntur ſolummodo immaculati & mundi, qui plene purgati ſunt, atque ut tales, ab æterno prævisi, ſcripti ſunt in libro vitæ Agni: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni*. Qui gravibus criminibus ſunt inquinati, indigni ſunt regno cæleſti, & obnoxii gehennæ; ut enim ait S. Joannes, *timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure*. Qui autem venialibus ſolum peccatis ſunt inquinati, cum ſint juſti, jus habent ad regnum, non tamen in illud intrabunt, niſi ab iis ſe expedierint, vel ſatisfaciendo in hoc mundo, vel ſatisfaciendo in purgatorio; quia nihil inquinatum in cælum ingreditur: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*: diſpoſitio ergo magna ad Paradiſum eſt puritas, & munditia. Sed hæc eſt etiam magna ad Euchariſtiam digne percipiendam diſpoſitio: ad Angelicum enim panem manducandum venire non debent, niſi qui Angelica puritate nitent; & ſicut caro, & anima, quæ per unionem hypoſtaticam a divino Verbo aſſumptæ ſunt puriſſimæ, & ſanctiſſimæ extiterunt; ita ſuo modo caro, & anima, quæ per unionem ſacramentalem Chriſto Domino copulantur, puriſſimæ, & ſanctiſſimæ eſſe debent. Unde clamat S. Chryſoſtomus, manum, os, & linguam recipientis Euchariſtiam, ipſis ſolaribus radiis debere eſſe puriora: *Quo non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne ſpirituali repletur? linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Purificate ergo corda, & corpora veſtra, ut vos ad digne recipiendam Euchariſtiam diſponatis: *Cum puritate, & animæ ſinceritate*, inquit præfatus Chryſoſtomus, *ad ſumendum hunc cibum accede ſemper, ſine hac ne præſumas unquam*. Sed tandem ad Euchariſtiam, ſicut ad Paradiſum ſe præparare oportet *per timorem*.

Quantumvis puri, & ſancti ſimus, in peccatum ca-

cadere poſſumus, & a peccato in infernum. Quare non præſumamus de ſalute noſtra, ſed cum timore eam operemur: *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. Timendum quidem, ut vitemus peccata; timendum, ut non cadamus in infernum; ſed & timendum, ut vitam æternam obtinere mereamur: quia Dei timor magna ad illam aſſequendam eſt diſpoſitio: ut enim ait Spiritus Sanctus, *Timor Domini ad vitam*, id eſt, ut Gloſſa, *Timor Domini ducit ad vitam*. Nec aliquis eſt dubitandi locus, quin Dei timor ducat ad vitam, & ſit maxima diſpoſitio ad æternam vitam impetrandam, cum eum qui ſancto Dei timore configitur, de beatitudine ſecurum, & jam beatum proclamet Vates Regius, dicens: *Beatus vir, qui timet Dominum*. Dei ergo timor eſt diſpoſitio ad Paradiſum, ſed eſt etiam diſpoſitio ad Euchariſtiam digne recipiendam, nec aliquis eam ſumere debet, quin prius ſancto timere cor ejus configatur. Coram Chriſto, quo in Euchariſtia alimur, Angelos tremere aſſerit Chryſoſtomus: *Ea re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt*: quanto magis nos, eundem Chriſtum manducaturi, timere, & trepidare debemus? Cum Beatæ Virgini Mariæ futuram in ejus utero Verbi incarnationem annuntiavit Angelus: *Turbata eſt in ſermone ejus*. Nonne videtur, quod audito hoc nuntio gaudere debeat Virgo, non turbari? cur ergo turbatur? *Turbata eſt*, inquit S. Petrus Chryſologus, *quia ſenſit in ſe ſupremum ſuſcipi judicem*: ſi autem Maria, omnium creaturarum plane puriſſima, & ſanctiſſima, turbatur, & extimeſcit, cum ad ipſam venit Verbum æternum, ut humanam in ejus utero carnem aſſumat, cur non timebimus inſtante communionis tempore, cum idem Verbum humana carne indutum ad nos veniat? Timeamus N. N. Deum infinitæ majeſtatis, & ſupremum Judicem, qui ad nos venit, timeamus, ne aliquid ſit in nobis, quod illi diſpliceat, ſed timeamus timore efficaci, quo ad credendum, ad pœnitendum, ad mutandam vitam, & ad omnia, quæ ad perfectam præparationem requiruntur, facienda moveamur.

O Domine, confige timore tuo carnes meas, quo confixus, numquam ad te accedam, quin prius omnibus modis mihi poſſibilibus me præparaverim. Sed, o Domine, quia ſine tuo auxilio vani eſſent omnes conatus mei, nec quomodocumque ſine te ad tam auguſtum, & tremendum myſterium me præparare valerem, adjuva infirmitatem meam: *Reſplende mihi, accende me, illumina, & ſanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple gratia, & plenum conſerva, ut ad ſalutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ; quatenus te manducando, vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, & requieſcam in te*. Amen.

DE

SANCTO MARTIALE.

CONCIO UNICA.

Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes.
Joann. 6.

SAnctus Martialis, cujus nunc elogium inſtituimus, erat Puer ille, habens quinque panes, quos Chriſtus ita multiplicavit, ut ad quinque hominum millia ſaturanda ſuffecerint. Martialis quidem tunc puer erat, non ætate, ſed ſancta ſimplicitate, cordis ſinceritate, & vitæ innocentia. Qui autem tunc Puer erat, factus eſt deinde homo virtute inſignis, poteſtate ſublimis, miraculis famoſus, dæmonibus terribilis, hominibus amabilis, Angelis ſpectabilis: qui Apoſtolicis concionibus, portentoſis ſuis actionibus, necnon mirandis cæleſtis ſuæ converſationis exemplis, innumeros populos ab iniquitatis via avertit, a dæmonis ſervitute liberavit, ad ſuave Chriſti jugum portandum adduxit, ac nomine & re Chriſtianos effecit. Unde ſi de Martiale dicamus, quod Puer fuerit: *Eſt puer unus hic*, dicendum identidem, quod Puer hic coram Deo & hominibus magnus factus ſit; ac ita magnus, ut magnitudinis, & perfectionum ejus nullus finis, nullusque terminus fuiſſe videatur.

De S. Martialis natione, parentibus, virtutibus, meritis, dignitate, & magnitudine dixerunt ſummi Pontifices, Sancti Eccleſiæ Patres, ſacri Canones, Concionatores famoſi, & majoris notæ Hiſtorici, quorum dictis eruditus, & auctoritate innixus, quam magnus extiterit ſanctus ille Vir, pro viribus propalare contendam, &c. *Ave*.

SI S. Martialis magnitudinem a patria, & parentibus auſpicari intenderem, eum natione Hebræum S. Stephani Protomartyris conſanguineum, & nobiliſſimi Viri Marcelli filium eſſe dicerem. Sed ad altiora, & ſublimiora orationem meam converto: utque quam magnus in hoc mundo fuerit Martialis, aliquo modo explicem, eum reſpectu Chriſti, S. Petri, & Lemovicenſis Provinciæ inſpicio; *Chriſti*, quem humiliter & generoſe ubique ſecutus eſt; *Petri*, quem poſt Chriſti Aſcenſionem Antiochiæ & Romæ comitatus eſt: *Lemovicenſis Provinciæ*, in qua portentoſa multa operatus, ac tandem in Domino mortuus eſt. Chriſtum ſecutus eſt Martialis, ejuſque fuit Diſcipulus & amicus; Petrum comitatus eſt Martialis, ejuſdem fuit ſocius & coadjutor: in Lemovicenſi Provincia diu moratus eſt Martialis, ibique Pontificis, & Apoſtoli munia glorioſe adimplevit.

En compendioſe collectam S. Martialis vitam, ex unde gloriam & magnitudinem ejus ſumere intendam. Sed ut de eo dicenda ordinate diſponam; utque clarius manifeſtem, quam magnus extiterit S. Martialis; dico, quod fuerit: 1. Chriſti Diſcipulus & Amicus: 2. S. Petri ſocius & coadjutor: 3. Lemovicenſium Antiſtes & Apoſtolus.

Digitized by Google

PRIMA PARS.

Sanctus Martialis fuit Chriſti Diſcipulus, & Amicus.

1. Chriſtus, qui diu in hoc mundo latuerat, paucis ante Paſſionem annis publice concionari, & divinæ doctrinæ ſuæ ſadios ſpargere cœpit; ſuiſque ſacris concionibus plurimos ad ſe attraxit Diſcipulos; ex quibus duodecim ſelegit, quos Apoſtolos vocavit, quos individuos ubique comites, quoſque mirabilium operum ſuorum teſtes, & Orbis totius Doctores eſſe voluit: *Ex Diſcipulis duodecim præcipuos lateri ſuo Chriſtus adlegerat, deſtinatos nationibus magiſtros. Tertull. l. de præſc. c. 20.*

Placuit Chriſto duodenarius ille Apoſtolorum numerus; qui ei adeo ſacratus fuit, ut deficiente Juda, Mathiam ad ejus locum occupandum, & ad diminutum duodenarium numerum complendum vocaverit. Sed licet duodecim illos Apoſtolos eximie ſelegerit, ut eſſent ſal terræ, orbis totius Doctores, & Eccleſiæ ſuæ fundamenta; alios tamen ad ipſum venientes Diſcipulos non abjecit. Qui contra, ex iis alios, ſeptuaginta duos elegit; inter quos S. Martialis eſt annumeratus. Cum enim ultra mare Tiberiadis concionaretur Chriſtus, ad eum magna cucurrit turba Judæorum, audire deſiderantium quæ ad ſalutem ſpectant: E quorum numero fuit Marcellus cum uxore ſua Eliſabetha, & filio unico Martiale; qui audientes Salvatorem, dicentem: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, per ſalubrem ſacri baptiſmatis undam renaſci voluerunt: & jubente Chriſto, a Sancto Petro baptizati ſunt. Revertentibus autem ad propria piis Beati Martialis parentibus, Chriſto vocanti totus adhæſit eorum filius: ac relictis omnibus, factus eſt Diſcipulus Divini illius Magiſtri, qui terrenas opes relinquere, honores mundi contemnere, ſæculi voluptates fugere, temporalia cuncta faſtidire, & ad æterna toto cordis affectu anhelare, indeſinenter prædicabat.

Martialis non fuit ſimilis illi, qui cum Chriſtum vocantem audiſſet; & dicentem: *Sequere me*: reſpondit, *Domine, permitte mihi primum ire, & ſepelire Patrem. Luc. 9.* Non fuit etiam ſimilis illi, qui Chriſto vocanti reſpondit: *Sequar te, Domine, ſed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi ſunt. Ib.* His ſane generoſior & longe perfectios fuit Martialis: quia cum Chriſtum vocantem audivit, de reditu ad propria non cogitavit, de terrenis quibus affluebant parentes non curavit; ſed mox, relictis parentibus & ablegatis terrenis omnibus, Chriſto totis affectibus adhæſit, eum in Magiſtrum & vitæ ducem aſſumpſit; ac factus eſt unus ex ſeptuaginta duobus illis Diſcipulis, qui, ſimul cum duodecim Apoſtolis, Orbis totius lumina, Evangelii prædicatores, æternitatis ſatores, poteſtatum infernalium debellatores, & mundi triumphatores fuerunt.

O quam glorioſum Martiali, quod aſſumptus ſit in Diſcipulum Magiſtri illius, in quo repoſiti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei! O quam magnus eſt Martialis, eo quod annumeratus ſit cum ſeptuaginta duobus illis Diſcipulis, quos in Evangelii ſui Miniſtros, & in totius Orbis Doctores Chriſtus ſpecialiter elegit! Magnus ſane eſt Martialis: quia eſt Chriſti Diſcipulus. Sed major adhuc Martialis: *Quia Chriſti Domini fuit ſpecialis amicus.*

2. Omnes quidem homines dilexit Chriſtus; ſed longe majori amore proſecutus eſt illos, quos in Diſcipulos aſſumpſit: & inter Diſcipulos unus fuiſſe videtur Chriſti Beniaminus, & ſpecialis amicus; Martialis ſcilicet, quem præ aliis amavit Chriſtus: totque ſpecialia amicitiæ ſuæ ei ſigna exhibuit, ut de Martiali, ſicut de Sancto Joanne Evangeliſta, dici poſſit, quod fuerit *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus*.

Nec hæc ſine gravi fundamento dicta eſſe, aliquis ſibi ſuadeat: Martialis enim Chriſto fuit chariſſimus, eique Chriſtus multa & eximia amicitiæ ſigna præbuit. Non ſolum quia amplam ei dedit poteſtatem infirmos ſanandi, mortuos ſuſcitandi, dæmones expellendi, & alia miracula faciendi: ſed etiam quia illum inſigniorum operum & myſteriorum ſuorum ſpectatorem & teſtem eſſe voluit. Nonne teſtis fuit Martialis pereximii hujus miraculi, quod operatus eſt Chriſtus, cum quatriduanum & fœtentem Lazarum in Bethania ſuſcitavit, & e ſepulchro eduxit? Nonne Martialis noviſſimæ illi Cœnæ adfuit, in qua ſub panis & vini ſpeciebus Chriſtus modo ineffabili Apoſtolis ſe comedendum tradidit? Nonne vidit & demiratus eſt Martialis altiſſimam & ſtupendam hanc humiliationem Chriſti, pedes Apoſtolorum lavantis? Sed cum Chriſtus, poſt reſurrectionem ſuam Diſcipulis apparens, ait: *Pax vobis*; nonne ibi fuit Martialis? Ibi etiam fuit, ubi Chriſtus cum Diſcipulis partem piſcis aſſi, & favum mellis comedit. Præſens denique adſtitit Martialis, cum Chriſtus clauſis januis ad Diſcipulos intravit, cum vulnerum ſuorum cicatrices eis oſtendit, & cum, elevatis manibus, coram Apoſtolis ad Cælos aſcendit.

Ecce quomodo Martialem diligebat Chriſtus: ſed ecce etiam, quam magnus & excelſus in hoc mundo fuerit Sanctus Martialis. Magnus fuit, quia in Chriſti Diſcipulum eſt electus; ſed major adhuc fuit, quia eum Chriſtus ſpeciali amore proſecutus eſt. Heu! ſi magnum quidpiam & expetendum putent homines, a Rege diligi; quam magnum & excelſum eſt, quod Martialis diligatur a Chriſto; cum quo ſi omnes Reges conferantur, pulvis ſunt & umbra? Heu! ſi de nomine & qualitate ſervi Chriſti Paulus gloriabatur: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*; quantus honor; quanta gloria S. Martiali, quod non ſolum Chriſti ſervus, verum & amicus, necnon ab eo eximie dilectus fuerit?

Magnum quid eſt peccatoribus, quod ita diligantur a Chriſto, ut iis converſionis gratiam conferat: majus & glorioſius eſt juſtis, quod ita a Chriſto amentur, ut gratia ſanctificans animas eorum exornet: majus adhuc eſt omnibus Chriſti Diſcipulis, quod non ſolum gratia ſanctificante, verum & pluribus aliis donis cæleſtibus eos ditaverit. Sed quid maximum & glorioſiſſimum fuit Beato Martiali, quod Chriſtus eum ita dilexerit, ut non ſo-

ſolum gratia ſanctificante & donis cæleſtibus eum cumulaverit: verum & illum præcipuorum miraculorum & myſteriorum ſuorum ſpectatorem & teſtem eſſe voluerit. Hoc ſane maximum; hoc glorioſiſſimum fuit S. Martiali. Sed ſi S. Martialis, magnus in hoc mundo fuit, quia Chriſti Salvatoris Diſcipulus & amicus extitit; magnus etiam dicendus eſt: *quia S. Petri Apoſtoli ſocius, & adjutor fuit.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Martialis fuit Sancti Petri ſocius, & adjutor.

1. ANtequam ex hoc mundo exiret Chriſtus, vix ab eo diſcedebat Martialis: ſed poſt Chriſti Aſcenſionem beato Petro, Apoſtolorum Principi, adhæſit ſanctus ille Diſcipulus; at cum eo Jeroſolymis quinquennio, Antiochiæ ſeptennio, & Romæ uno circiter anno remanſit. Unde, qui antea Chriſti, in hoc mundo viventis, fuerat Diſcipulus, poſtmodum D. Petri ſocius, & individuus comes factus eſt.

Norunt omnes, quod magnus, & ad magna vocatus fuerit S. Petrus: *Magnus quidem erat*; cum Apoſtolorum primus, Chriſti in terris Vicarius, cæli claviculariụs, Eccleſiæ totius caput, totiuſque Orbis, in re ſpirituali, Rex eſſet & ſupremus moderator: *Ad magna etiam vocatus erat*: cum a Chriſto delegatus fuerit, & inſtitutus, ut adverſus idolorum cultores decertaret, diaboli regnum deſtrueret, totumque mundum prædicationibus Evangelicis, laboribus multis, miraculis & portentoſis ſuis operibus ad Chriſti fidem converteret. Martialis autem, tanti & tam admirabilis Viri ſocius, mirandorumque ejus operum ſpectator & teſtis fuit. Cum enim poſt Chriſti Aſcenſionem, congregatis ſimul Apoſtolis, Petrus, ut ſupremus Eccleſiæ Paſtor, palam locutus eſt, iiſque in locum Judæ, qui ab Apoſtolatu deſciverat, alium eligere propoſuit: ibi erat Martialis. Cum poſt acceptum Spiritum ſanctum, Judæis Chriſtum crucifixum prædicavit Petrus, & plurima hominum millia ad Chriſti fidem convertit: hoc vidit S. Martialis. Cum Petrus dæmones ab hominum corporibus expellebat, ægrotos quoſque ſanabat, aliaque multa mirabilia paſſim faciebat: hoc intuebatur & admirabatur Martialis. Cum, tranſeunte Petro obvii quique ſanabantur infirmi, modo vel eorum unicus ab ejus fimbra tangeretur: hoc vidit Martialis. Vidit & Petrum Martialis, cum Ananias, & uxor ejus, coram illo mortui ſunt. Vidit, & audivit illum, cum paralytico dixit: *In nomine JESU ſurge, & ambula*: ac etiam cum Tabitam, mulierem Deo devotam, a mortuis ſuſcitavit. Hæc & alia innumera portentoſa vidit S. Diſcipulus, dum Petrum prædicantem, & pro hominum ſalute laborantem comitatus eſt in Provinciis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, & aliis quas toto poſt Chriſti Aſcenſionem quinquennio S. Apoſtolus peragravit. Sed tandem Martialis, ſimul cum Petro, Antiochiam venit; ubi ſummus ille Eccleſiæ Præſul ſedem ſuam Pontificalem poſuit: ibique toto ſeptennio ſuprema Eccleſiæ ſedes remanſit; donec ſcilicet Petrus, ſpeciali Spiritus ſancti revelatione illuſtratus, Romam venit, ut ibi ſupremam Eccleſiæ ſedem ſtatueret. Sed & tunc Martialem voluit habere ſocium, ac teſtem certaminum, quæ adverſus Imperatores iniit, laborum quos ad extirpandam idololatriam ſuſcepit, & mirabilium omnium quæ fecit, ut Chriſti Fidem, & chriſtianam Religionem ibi induceret, ibique ſtabiliret, ubi omnis regnabat iniquitas, & ubi idololatria triumphabat.

O quam felix fuit Martialis, quod ſupremus Eccleſiæ Princeps eum tanto tempore in ſocium individuum aſſumpſerit! O quam felices S. Martialis oculi, qui tot, & tam mirabilia, quæ Petrus toto duodecim annorum curriculo operatus eſt, videre meruerunt! Sed o quam magnum fuiſſe Martialem quiſque cenſebit, eo quod individuus extiterit comes illius, qui primam totius mundi ſedem primus poſt Chriſtum occupavit, & qui claves regni cælorum a Chriſto accipere meruit! Magnus ſane Martialis; quia Petri diu ſocius fuit; ſed major adhuc; *quia Petri fuit & adjutor.*

2. Sicut Chriſtus, qui omnes amabat Apoſtolos, Petrum tamen, Joannem & Jacobum ſecum aſſumpſit, & teſtes habere voluit, cum transfiguratus, & inſigniora alia miracula operatus eſt: ita S. Petrus, qui omnes haud dubie Diſcipulos diligebat, ex his aliquos in ſocios ſibi elegit; Apollinarem ſcilicet, Marcum Evangeliſtam, Rufum & Martialem noſtrum: qui omnes fuere comites ejus ſimul & adjutores.

Erant hi S. Petri comites, non ſolum ut portentoſa ejus opera demirarentur, verum & ut eum ad portandam Eccleſiæ molem, & ad glorioſe adimplendum ſummi Pontificis miniſterium adjuvarent. Unde ſi magna operabatur ille, magna & illi operabantur: ſi jejuniis, vigiliis, prædicationibus & miraculis fidem Chriſti ille adſtruebat; hoc idem faciebant illi: cum hac tamen differentia, quod Petrus eſſet ſupremus Eccleſiæ moderator & Præſul, qui in ſpiritualibus nullum ſupra ſe, præter Chriſtum agnoſcebat: illi vero ad Petri nutum moverentur, illaque facerent quæ Petrus jubebat, & ab illis fieri ordinabat. Sicut enim Angeli in cælo ſunt miniſtri Domini, facientes verbum ejus: ita Marcus, Apollinaris, Rufus & Martialis, erant miniſtri a S. Petro ſpecialiter aſſumpti ad miniſterium Apoſtolicum digne adimplendum, ipſique ei fideliter obtemperabant: & eum ad chriſtianam Religionem ſtabiliendam & propagandam adjuvabant.

Mihi videre videor Martialem collaborantem fidei Evangelii, cum Petro per varias Orbis regiones diſcurrentem, nunc Judæos & nunc Gentiles convertentem, ac ubique cum illo mirabilia multa operantem. Mirandorum operum, quæ faciebat Petrus, non ſolum ſpectator erat Martialis, ſed & erat adjutor, cooperator, & quaſi commilito, cum ipſo ardua pro Dei gloria ſuſcipiens, dura multa perferens, & hominum ſaluti ſummo zelo, multiſque curis & laboribus invigilans.

O quam glorioſum Sancto Martiali, quod Petro in adjutorium fuerit: Sicut enim turpe, indecorum & exitioſum eſt, quod quis cum malis & infimæ plebis hominibus fœdus ineat: ita utiliſſimum, & glo-

& glorioſiſſimum fuit S. Martiali, quod Petri, Apoſtolorum Principis pluribus annis ſocius & adjutor extiterit. Magnus ergo eſt S. Martialis, & quia Petri ſocius, & quia ejus adjutor extitit. Sed ut magis pateat, quam magnus in hoc mundo fuerit S. Martialis: conſideremus eum reſpectu Lemovicenſium, quorum Epiſcopus fuit, & Apoſtolus.

TERTIA PARS.

S. Martialis fuit Lemovicenſium Epiſcopus, & Apoſtolus.

1. POſtquam Cathedram ſuam Pontificalem Romæ erexit, ſtabilivit, & fixit S. Petrus, divina inſpiratione concitatus, Martialem ad convertendas Aquitaniæ gentes miſit, & delegavit. Cui humiliter obtemperans Sanctus ille Diſcipulos tam arduum opus generoſe ſuſcepit, & itineri protinus ſe commiſit. Dumque verſus civitatem Lemovicum, ſibi a S. Petro ſpecialiter commendatam pergeret, Tutela tranſiit, ubi munitiſſimum prominebat caſtellum, Romanorum Imperio ſubditum, cui Nerva Princeps, Neronis Imperatoris conſanguineus, præerat & pro Romanis dominabatur. Ibi ſanctum Chriſti Evangelium primo prædicavit Martialis: ibi Arnulphi viri prædivitis, apud quem diverſatus eſt, filiam a dæmonio liberavit: ibique unicum Nervæ filium a dæmone ſuffocatum, vita reſtituit; necnon ter mille ſexcentos homines ad Chriſtum convertit, & ſacri Baptiſmatis unda abluit.

O quam felix Tutela noſtra, quod omnium Aquitaniæ, immo, ut ſentiunt nonnulli, totius Galliæ Urbium *prima*, Evangelii Chriſti prædicatores audierit: *prima*, a Chriſti diſcipulis perpetrata miracula viderit: *prima*, chriſtianæ Religioni nomen dederit!

Tutela Agedunum, vulgo *Ajen*, perrexit Martialis, ubi, ejus opera, Idolorum Sacerdotes nonnulli, & utriuſque ſexus homines bis mille ſexcenti baptizati, & Chriſtianam Religionem amplexi ſunt. Ageduno ad populoſam & famoſam civitatem Lemovicam ſe contulit: ubi Pontificalem ſedem ſuam fixit, & viginti octo annis Pontificia munia glorioſiſſime, & feliciſſime obivit.

Hic vere fuit Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, qui totus de grege ſollicitus, non requiem amavit, ſed laborem: non terrenas opes, ſed Chriſti animas quæſivit, ut eas a Tartari faucibus eriperet, & ad cæleſte regnum perduceret. Non fuit hic ex paſtoribus illis, qui verbis iniquis & pravis ſuis exemplis oves ducunt in præceps, & infernalibus lupis vorandas tradunt; ſed fuit Paſtor vigilans, qui diu noctuque gregem viſitavit, cæleſti cibo pavit, a tartareorum luporum rabie defendit, ſupra modum multiplicavit, & ad cæleſte regnum ducere conatus eſt. Gaudeant Lemovicenſes, & in æternum glorientur, quod tantum Pontificem, omni virtutum genere ornatum, & omnibus numeris abſolutum habuerint. At Martialis, non ſolum Lemovicenſium Epiſcopus: *ſed etiam totius Aquitaniæ Apoſtolus fuit.*

2. Martialis quidem Apoſtolus fuit, ad Aquitanorum converſionem miſſus. Qui, licet Sedem Epiſcopalem Lemovici ſtatuiſſet: Toloſates tamen, Burdigalenſes, Cadurcenſes, Monatenſes, Pictavienſes, aliaſque finitimas regiones interdum adivit, & ubique Idolorum Templa diruit, Eccleſias Deo ubique conſecravit; totque miracula ubique operatus eſt, ac tanta virtute ubique prædicavit, ut populi, ipſum videntes & audientes, in admirationem rapti, turmatim ad Chriſti fidem converterentur.

Apoſtolos ſuos Chriſtus miſit, veluti oves inter lupos: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Matth.* 10. O mirandum certandi genus, quod ad triumphandum de rapacibus lupis oves inermes mittantur! Mirandum quidem; ſed efficax & glorioſum: Apoſtoli enim, veluti oves inermes, adverſus Judæos, Gentiles, Hæreticos, & alios hujuſmodi lupos generoſe decertarunt, de illis triumpharunt, ac lupos illos in oves, ſeu in Chriſtianos converterunt. Quod autem facere noverunt Chriſti Apoſtoli, hoc & fecit Martialis, Aquitaniæ Apoſtolus: ille enim a S. Petro in Aquitaniam miſſus eſt, tamquam agnus in medio luporum. Sed qui agnus erat manſuetudine, & vitæ innocentia, jejuniis, vigiliis, prædicationibus, miraculis, & virtute divina lupos in agnos; ſeu, omnes fere totius Aquitaniæ idololatras, in Chriſtianos convertit.

Ipſo tempore, quo ſanctus ille Apoſtolus civitatem Lemovicum primo ingreſſus eſt, phreneticum catenis conſtrictum, facto crucis ſigno, priſtinæ ſanitati reſtituit; quo viſo, nobiliſſima matrona Suſanna, a qua hoſpitio ſuſceptus fuerat, ſimul cum filia ejus Valeria, & aliis ſexcentis baptizata eſt. Paucis ab hinc diebus, vinctos plurimos Martialis a carcere liberavit, & aliquos Idolorum Sacerdotes, fato functos, palam a mortuis ſuſcitavit: quod cum vidiſſent, & admirati eſſent populi, ad Apoſtolum ſuum cucurrerunt, ut illum in vitæ ducem ſumerent; & tunc ex iis viginti duo millia promiſcui ſexus baptizavit. Non multo poſt Stephanus, totius Aquitaniæ Dux, ſimul cum toto ejus exercitu, ex quindecim militum millibus compoſito, ad Chriſtianam fidem converſus & baptizatus eſt. Ac tandem idem Dux ad eas omnes Galliarum gentes, quæ ditionis ſuæ erant, nuntios miſit, qui nomine ſuo omnia Idola minutatim confringerent, & ſoli Deo ſervire populis præciperent. O mirandum Apoſtolum, qui totam Aquitaniam, non ferro, ſed Dei verbo; non militaribus armis, ſed jejuniis, orationibus, & miraculis ad Chriſti fidem convertit!

Non facile explicari poteſt, quot & quanta, pro Chriſti fide inducenda, certamina inierit S. Apoſtolus; ubique enim illi fuere pugnæ, ubique terrores. Sed Vir Dei, baculo, quem a S. Petro acceperat, ac ſpeciali Dei auxilio armatus, fortis ſemper & triumphans fuit in bello, fortis fuit adverſus mortem, quia tactu hujus baculi, mortuos ſuſcitavit; fortis fuit adverſus ignem, quia magna miraculoſe extinxit incendia; fortis fuit contra dæmones, quia eos ab hominum corporibus expulit: fortis fuit contra Principes, quorum ſuperbiam fregit, & colla ſuavi Chriſti jugo ſubjecit: Fortis fuit contra Idolorum Sacerdotes, quos exarmavit, dejecit, a vana ſuperſtitione revocavit, & ad Chriſti ovile vocavit; fortis tandem fuit contra idololatriam, quam in tota Aquitania extirpavit.

Digitized by Google

Miramini nunc Sanctum Martialem, qui cum puer eſſet, quinque panes Chriſto obtulit. *Eſt puer hic habens quinque panes*. Obſtupeſcite, videntes, quod puer ille factus ſit homo magnus coram Deo & hominibus; ac ita magnus, ut Chriſti Diſcipulus & amicus, Petri ſocius & adjutor, Lemovicenſium Epiſcopus & Apoſtolus evaſerit.

O quam magnus fuit S. Martialis! At non ſatis eſt, quod illius magnitudinem agnoſcamus, & admiremur, debemus inſuper tantum virum pro viribus imitari.

Narrat ſacrum Evangelium, quod *acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Quis putas major eſt in Regno Cælorum? Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Matth. 13.* Parvulus ille, quem Chriſtus in medio Diſcipulorum ſtatuit, fuit ipſe S. Martialis, ut ait Lyranus. Hunc eundem puerum nunc in medio veſtrum ſtatuo; ac dico vobis: niſi a vitiis veſtris peſſimis convertamini, & efficiamini ſicut parvulus ille, non intrabitis in Regnum Cælorum. Non dico: niſi miracula & portentoſa faciatis, ſicut Martialis, non intrabitis in Regnum Cælorum. Sed dico: niſi converſi fueritis, & niſi voluntati Dei obtemperetis, ſicut Martialis, non intrabitis in Regnum Cælorum. Convertimini ergo ad Deum in toto corde veſtro; ac ſicut Martialis obtinuit Regnum Cælorum, non quia mortuos ſuſcitavit, & alia miracula eſt operatus; ſed quia Dei voluntati obtemperavit, & quia ea fecit, quæ Deus ab eo fieri deſiderabat: ita & vos Dei mandatis obtemperate, eaque omnia facite, quæ Deus a vobis fieri vult. Hæc ſi faciatis, in Regnum Cælorum intrabitis, & in eo cum S. Martiale æternum regnabitis. *Amen*.

DE VISITATIONE
SANCTÆ MARIÆ
VIRGINIS.
CONCIO UNICA.

Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Luc. 1.

VErbum incarnatum, quod ab æterno in Patris ſinu quieſcit; in tempore, a Paterno ſinu quaſi exiens, venit in hunc mundum: *Exivi a Patre, & veni in mundum. Joann. 16. 28.* Hanc Verbi incarnati ad extra exitionem, nomine viſitationis a Deo hominibus factæ, nuncupat Zacharias Propheta; eamque ex divinæ miſericordiæ viſceribus ortam eſſe teſtatur: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Luc. 1. 78.*

Sicut autem in ſinu Patris filius; ita & in proprio cubiculo quieſcebat Maria. Ibi divinorum contemplationi ſedulo vacabat; ibi in extaſim crebro rapiebatur; ibique mente, corde & corpore tota Deo adhærebat. Sed tandem ſurrexit Maria a loco orationis, & a quiete contemplationis. *Exurgens Maria*. Surrexit Maria, & ad cognatam Eliſabetham inviſendam properavit; non ex curioſitate, non ex animi levitate vel ex vanitate; ſed ut ſacro Spiritus Sancti obtemperaret impulſui; & ut unica hac Viſitatione cunctis hominibus mirabilia multarum virtutum præberet exempla; eoſque modum in mutuis viſitationibus ſervandum doceret. Contemplemur Mariam, viſitantem Eliſabeth, & a Deipara Virgine diſcamus modum, quo pie, & religioſe mutuæ viſitationes fieri debeant, &c. *Ave*.

NIhil uſitatius, nihil in corrupto hoc ſæculo frequentius, quam mutuæ puellarum, mulierum, & omnium utriuſque ſexus perſonarum viſitationes, quæ quidem quandoque pie & utiliter, ſed ſæpe cum maxima temporis & conſcientiæ jactura fiunt. Perſonæ enim, etiam piiſſimæ, frequentibus ſi vacent viſitationibus, a ſolitudinis amore paulatim declinant, pietatis & devotionis fervorem nonnunquam amittunt, & ut ait Sanctus Hieronymus *epiſt. ad Marcell. per frequentiam ſalutandi itur in verba, tempus teritur, lacerantur abſentes, vita aliena deſcribitur, & mordentes invicem, conſumitur ab invicem.*

Damna hæc, ex crebris viſitationibus oriri ſolita, probe novit peritiſſimus vitæ ſpiritualis magiſter, S. Laurentius Juſtinianus, qui multorum ex frequenti viſitatione ortam deplorat ruinam, dicens: *Quot temporibus noſtris fuerunt, & ſunt, qui tamquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, & qui paulatim ex frequenti ſæcularium converſatione, & confabulatione tepefacti, ad priſtina opera ſæcularis vitæ miſerabiliter redierunt? Laur. Juſt. l. de diſc. c. 12.*

Maria autem non frequens fuit in viſitationibus; ſed ſemel duntaxat a ſolitudine exiens, ab oratione exurgens, & divino afflata Spiritu, cognatam piam, & ſanctam, ex charitatis motivo viſitavit: *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, & ſalutavit Eliſabeth.* O quam pulchri ſunt greſſus Mariæ! Quam præclara & perutilia, in hac Viſitatione, nobis exhibet perfectiſſimæ viſitationis exempla! Ipſa namque in hac Viſitatione: 1. Feſtinat, & vadit ad domum Zachariæ: 2. Salutat Eliſabeth, & replet illam Spiritu ſancto: 3. Deum laudat, & officia charitatis impendit. En tria, quæ in hac Viſitatione facit Maria, quibus edocemur, qualiter in mutuis viſitationibus nos habere debeamus.

PRIMA PARS.

Maria in Viſitatione ſua feſtinat, & intrat in domum Zachariæ.

1. POſtquam de Spiritu ſancto concepit Maria, Chriſto gravida, ad Eliſabetham, quæ poſt lon-

longam ſterilitatem filium utero geſtabat, inviſendam ſe contulit, non lento gradu, ſed feſtinanter. *Abiit in montana cum feſtinatione.* Feſtinabat Virgo, ſed accelerato ſuo progreſſu numquam, ut leves feminæ aſſolent, modeſtiæ terminos tranſilibat. Feſtinabant illa, cujus filius feſtinanter in mundum venturus erat: *Ecce feſtinus velociter veniet. Iſa. 5. 26.* Feſtinabat Maria præ nimio gaudio, quo cor ejus in Deum exultabat: *Feſtina præ gaudio. Amb. in c. 1. Luc.* Feſtinabat ob Spiritus ſancti gratiam, qua replebatur, & quæ eam lente incedere non patiebatur: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Ambr. ib.* Feſtinabat etiam, inquit Origenes, quia Chriſtus, qui in utero ejus erat, ut Joannem ſanctificaret, eam ad properandum compellebat, *Jeſus qui in utero ejus erat, feſtinabat, adhuc in ventre matris poſitum Joannem ſanctificare. Orig. hom. 7. in Luc.* Sed tandem Maria Eliſabetham inviſura, properabat, *ne extra domum diu in publico moraretur*, ait S. Ambroſius, ac etiam ut mulieres publicum fugere, & per alienas domos non circumcurſare, doceret. *Diſcite*, inquit, *& vos mulieres, non per alienas domos circumcurſare, non in plateis morari, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria enim in domo ſera, feſtina in publico. Amb. l. 2. in Luc.*

Qui frequentes & prolixas ſectantur viſitationes, homines plerumque otioſi ſunt & vagi, qui nullo loco poſſunt conſiſtere, & ſecum morari. Ut enim advertit Caſſianus; *Acediæ duo ſunt genera, unum, quod ad ſomnum præcipitat: aliud, quod cellam deſerere, ac fugere cohortatur; ſuggerit ſalutationes, viſitationesque. Caſſ. coll. 5. c. 11.* Vagæ & pigræ hujuſmodi perſonæ, quæ plateas, & limina externorum terere ſolent, plerumque peccatis multis ſunt ſordidæ, bonis vacuæ ſunt operibus, omnique vitæ ſpiritualis ſenſu expertes: Si enim de frequenti converſatione & viſitatione erudite ſcribens Seneca, dicat, *Ego confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli, refero, aliquid ſemper, quod compoſitum, turbatur. Inimica eſt multorum converſatio, nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit. Senec. epiſt. 7.* Si, inquam, Seneca, vir ſapientiſſimus, & moralis vitæ obſervantiſſimus, ſe in converſatione ſemper in pejus declinaſſe fateatur; quid ſentiendum de his qui tota die, immo multis diebus, & quaſi ſemper undequaque vagantur ad oculos paſcendos, ad tempus fallendum, ad captandos rumores, & ad ſenſualitatem fovendam? Hi certe nunquam mores, quos extulerunt, referunt, a converſatione hi ſemper revertuntur minores gratia, minores virtute, & cæleſtium meritorum copia; hi in gravia, & multa incidere ſolent peccata, quare niſi charitas, ad viſitationibus vacandum urgeat; *quilibet raro ſit in publico, frequens in ſecreto. S. Gregor. l. 4. in Reg.* Non imitemur deſidioſos illos, & pigros homines, qui majorem vitæ ſuæ partem inanibus, & exitioſis viſitationibus inſumunt, ſed S. imitemur, qui *humana conſortia quantum poterant, vitabant, & Deo in ſecreto vivere eligebant. a Kempis l. 1. de imit. c. 20.* Imitemur præcipue beatiſſimam Virginem Mariam, quæ unicam Eliſabetham ſemel duntaxat viſitaſſe legitur: nec tunc diu in vicis, & plateis commorata eſt; ſed feſtinanter inceſſit: *Abiit in montana cum feſtinatione.*

O viri! o mulieres! Quotieſcumque, viſitationis cauſa, a veſtris egrediemini domibus, mementote, Mariam in Viſitatione ſua feſtinaſſe. At mementote etiam, eam non in domum aliquam ſcandaloſam, & de vitio ſuſpectam; ſed in ſancti Zachariæ domum intraſſe, in qua omnia ſancta erant; abiit in montana cum feſtinatione, *& intravit domum Zachariæ.*

2. Ad perfectionem, & ſanctitatem facile aſſequendam, nil efficacius, quam perſonis ſolide ſpiritualibus, vere piis, ac perfectioris vitæ ſtudioſis conſueſcere. Sicut enim qui cum impiis commorantur, ad omnis impietatis, & nequitiæ viam facile declinant, ita qui cum ſanctis, ac ſingulari pietate præditis perſonis converſantur, ad ſanctitatis apicem facile conſcendunt. Ut enim canit Pſaltes Regius, *cum Sancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Pſ. 17. 16.*

Ipſa docet experientia, quod tales eſſe ſoleamus, quales ſunt cum quibus verſamur. Unde, inquit S. Hieronymus, ad cognoſcendum qualis quidam homo ſit, ſciendum ſolum, quales ſint, quorum conſortio ſe immiſceat: *Vis noſſe hominem? Attende, quorum familiaritate aſſueſcat. Talis quisque cenſetur, qualis eſt quocum verſatur. S. Hieron. ad Nepot.* Vis noſſe quales hujus adoleſcentis, & puellæ illius ſint mores? Vide, quo ire, ad quorum domos ſe conferre, & quarum perſonarum familiaritate uti ſoleant; hi etenim vita & moribus tales cenſendi, quales ſunt, cum quibus verſari aſſueverunt; *Talis eris, qualis converſatio, quam ſequeris. Plut. l. de Amic.* Quare ſi impiorum, & perverſorum converſationi te dedis, impius & perverſus fies: ac *cum malo malus eris, & cum perverſo perverteris.* Et e contra ſi cum perſonis vere piis & ſolide ſpiritualibus verſeris, ſpiritualis & perfectus facile evades, *ac cum Sancto ſanctus eris & cum viro innocente innocens eris.*

Sanctorum animalium (de quibus Ezechiel) aſpectus ſimilis erat prunis ardentibus; *Aſpectus eorum, quaſi carbonum ignis ardentium.* Sancta autem hæc animalia, inquit S. Gregorius, ſignificant viros ſanctos & perfectos, qui vere ſunt quaſi carbones accenſi. Sicut enim carbo accenſus carbonem ſibi contiguum incendit; ita & vir quicumque prius, alterius ſancti viri conſortio ad pietatem plurimum accenditur: *Qui ſancto viro adhæret, ex ejus viſionis aſſiduitate, uſu locutionis, & exemplo operis accipit ut accendatur in amorem veritatis. Quia ergo ſancti viri juxta ſe poſiti, quaſi tangendo ad amorem patriæ cæleſtis accendunt, carbones ſunt. S. Greg. hom. 5. in c. 1. Ezech.* Ecce verba ſummi, ac ſanctiſſimi Eccleſiæ Pontificis; ſed ecce etiam cur Maria vadat ad domum Zachariæ. Non vadit ad domum alicujus impii: ſed ad domum viri, ſanctitate pereximia conſpicui; ad hanc domum vadit Virgo; & quæ ſanctiſſima erat, ibi ſanctior ſit; ibique ad Dei amorem magis inflammatur.

O N. N. attendite, qui ſint, quos inviſitis; itisne ad domum Zachariæ? Itiſne ad domum ſpiritualis, & piæ cujuſdam perſonæ, quæ charitatis igne ardeat, & quæ corda veſtra ſancto amore inflammet?

Digitized by Google

met? Hujuſmodi forte inviſitis perſonas, quæ venenato ſuccenduntur igne, & quæ impuri ignis flammas intra vos accendent? O quam infelices, qui talium ſe perſonarum conſortio immiſcent. Ab iis, quæſo, cavete; ab iis declinate; ac ſemper pro certo habete, vos tales futuros, quales ſunt hi, quibus convivitis; ſi cum malis verſemini, mali fietis; ſi autem cum bonis & piis, boni & pii eritis. Quare imitamini Mariam, raro ad extra eatis. Et ſi quandoque aliquem, vel aliquos viſitare, charitatis, aut urbanitatis leges poſtulent, feſtinate, & Zachariam, ſeu, perſonas pietate fulgentes inviſite. Ecce primum documentum, quod ex Mariæ viſitatione quiſque elicere debet. Sed & Maria in Viſitatione ſua *ſalutavit Eliſabeth, & replevit eam Spiritu ſancto*; ex quo alterum documentum eliciemus in ſecunda hujus concionis parte.

SECUNDA PARS.

Maria in Viſitatione ſua ſalutat Eliſabeth, & replet eam Spiritu ſancto.

1. INnumeri, qui ſuperbiæ ſpiritu inflati, cæteros ſuperbiendo deſpiciunt: ſuamque nonnumquam in hoc ſpecialiter manifeſtant arrogantiam, quod non alios primi ſalutare, ſed ab iis prius ſalutari expetant; ſimiles ſunt Phariſæis, qui *amant ſalutationes in foro*, *Luc.* 20. ſimiles etiam ſunt ſuperbo Aman, qui a Mardochæo ſalutari ambiebat & qui *cum experimento probaſſet, quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit, in unum Mardochæum mittere manus ſuas. Eſter.* 3. Hi ab aliis prius viſitari, & ſalutari deſiderant, ac ſæpe iraſcuntur, lites movent, rixas excitant, iiſque manus violentas inferunt, qui ipſos prius ſalutare recuſant: Maria vero, in cujus corde, non ſuperbiæ, ſed humilitatis regnat ſpiritus, ab Eliſabetha prius viſitari, & ſalutari non ambit. Eliſabetham quidem, & omnes puras creaturas dignitate, & meritis longe antecellit Maria, ſed tanta eſt ejus humilitas, ut Eliſabetham ipſa prior inviſat, priorque eam ſalutet: *Venit Maria ad Eliſabeth, nec ſolum vidit, ſed prior ſalutavit. Ambroſ. in cap.* 1. *Luc.*

Viſitationis cauſa venienti Mariæ occurrit Eliſabeth, ac admirans clamavit. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Luc.* 1. 34. Quaſi diceat, cum Maria ſit mater Salvatoris, & ego ſolum Præcurſoris; cum Maria ſit mater Ducis, & ego militis; cum ſit illa Mater Domini, & ego ſervi; cum ſit Mater Solis juſtitiæ, & ego Lucernæ; cum ſit mater Sponſi cæleſtis, & ego paranymphi; cum tandem ipſa ſupra omnem modum me dignitate antecellat, non poſſum non mirari, quod tam ſublimis Domina ad domum meam divertat, ad me venire dignetur, meque prior ſalutet. *Unde hoc mihi?* Vir ſcire, o Eliſabeth, unde hoc veniat? Certe a charitate & humilitate Mariæ. A charitate quidem qua ita ardet cor ejus, ut eam ad te inviſendam compellat. *Quid eam ad officium charitatis feſtinare cogebat, niſi charitas, quæ in ejus corde fervebat? S. Bonav. in ſpec. Virg. c.* 4. Ab humilitate etiam Mariæ hoc provenit, unde Euſebius Emiſſenus Eliſabetham, ſic Mariæ loquentem inducit. *Ego potius ire debui ad te, ſed tua, tuique filii humilitas coegit te venire ad me. Euſeb. hom. de Viſit.* O pereximiam Mariæ humilitatem, quæ tanta fuit, ut ipſa prior Eliſabetham inviſerit, eamque reverenter prior ſalutaverit.

Quanto quiſque in ſæculo major, tanto & arrogantior eſſe ſolet. At Maria, quæ non ſæculi, ſed cæli legibus regebatur, quanto omnibus creaturis major, tanto iis omnibus humilior fuit. *Maria quanto major erat, humiliabat ſe in omnibus, certe humiliata eſt præ omnibus, quæ major omnibus extitit. S. Bernard. Super Signum magnum.* Pereximia ejus humilitas, in Annuntiatione quidem maxime elucet, tunc enim Mater Dei fit, & ancillam ſe nuncupat, tunc cæli & terræ fit Domina, & humilis ancillæ nomen ambit, *Ecce Ancilla Domini*. O magnam Mariæ humilitatem, quam admiratur S. Ambroſius; dicens: *Vide humilitatem, ancillam ſe dicit Domini, quæ mater ejus eligitur. Ambroſ. lib.* 2. *in Luc.* Sed tam in Viſitatione, quam in Annuntiatione, major extitiſſe videtur Mariæ humilitas, quia in Viſitatione, *hæc Virgo, Verbo facta, & Deo plena*, ut loquitur S. Ambroſius, feſtinat ad Eliſabetham, eamque prior reverenter ſalutat. Qua humilitate nil ſublimius, nilque eminentius videtur. *Quid hac humilitate ſublimius? S. Bernard. ſerm. in Nat. Virg.*

Miramini hanc Mariæ humilitatem, ſed eam aliquo modo imitamini. Si Maria, licet ſupra modum major, ad minorem ire ac prior illam ſalutare non dedignatur, non vos pigeat viſitare, ſalutare, ac honore prævenire pauperes, infirmos, & alios, licet vobis longe ſint inferiores. Si Eliſabetham prior ſalutavit Maria, licet illa ſuperior, nobilior, & longe dignior eſſet: ſalutate ſimiliter, non ſolum ſuperiores, & æquales, ſed etiam inferiores, honore omnes prævenite; hoc tenete, hoc in viſitationibus veſtris religioſe ſervate, inſtar Mariæ, quæ ſibi inferiorem Eliſabetham prior ſalutavit. *Ac etiam eam Spiritu ſancto replevit.*

2. Cum adoleſcentes plerique, Joannæ, Margaritæ, Catharinæ, vel alterius cujuſque mulieris domum ingrediuntur, replent illam non ſpiritu Dei; ſed ſpiritu dæmonis & carnis, replent eam, non Spiritu ſancto; ſed ſpiritu maligno. Maria vero intrat in domum Zachariæ, & identidem Zachariam, Joannem, Eliſabetham, ac totam domum Spiritu ſancto replet. *Zachariam* quidem, qui Meſſiæ adventum tunc ex revelatione cognovit, qui tunc amoris divini igne ſpeciali modo ſuccenſus fuit, magnaque divinæ gratiæ incrementa percepit: *Joannem* etiam, qui adveniente Maria, Chriſto gravida, in matris utero ſanctificatus eſt. *Eliſabetham* tandem, quæ ut audivit Mariæ ſalutationem, Spiritu ſancto repleta eſt: *Ut audivit ſalutationem Mariæ, repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth. Luc.* 1.

Certum eſt, Mariam verbis urbaniſſimis, & ſanctiſſimis Eliſabetham ſalutaſſe. Quæ autem hæc verba fuerint, non explicant Evangeliſtæ; ſed quæcumque illa fuerint, tanta ſane eorum virtus, tantaque illorum efficacia extitit, ut Eliſabetham Spiritu ſancto, doniſque ſpiritualibus repleverint: *Vox Mariæ efficax fuit; & Spiritu ſancto replevit Eliſabeth; ac ve-*

ac veluti flumen chariſmatum cognatæ ſuæ emiſit. S. Greg. Thaumat. ſerm. 2. de Annunt. Cum Eliſabetham ſalutavit Maria, tanta in verbis ejus vis, tantaque virtus extitit, inquit Doctor Seraphicus, ut ipſa loquente, Eliſabethæ collata ſit Spiritus ſancti plenitudo: *Vide quanta virtus ſit verbis Dominæ; quia ad eorum pronuntiationem confertur Spiritus ſanctus. D. Bonav. tract. de vita Chriſti.*

Arca teſtamenti *manſit in domo Obededom tribus menſibus, & benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat. 1. Paralip. 13.* Hæc arca, ut ait Laurentius Juſtinianus, eſt vera, & expreſſa Mariæ figura: *Maria*, inquit, *teſtamenti Arca veriſſima, divinis manibus fabricata, auro veſtita mundiſſimo, virtutum gemmis ornata, atque ex imputribilibus lignis ſpiritualiter facta, ſuaviſſimum in ſe manna continuit. Laur. Juſt. ſerm. de Nat. Virg.* Sicut autem ſtante Arca in domo Obededom, Deus benedixit domui ejus, & omnibus quæ habebat: ita intrante Maria in domum Zachariæ, Deus benedixit domui ejus; ac Zachariam, Joannem, & Eliſabetham Spiritu ſancto, doniſque ſpiritualibus replevit: *Cum venit Maria ad Eliſabeth, & ſalutavit eam, exultavit infans in gaudio, & Spiritu ſancto plena Eliſabeth prophetavit. Orig. hom. 9. in Luc.*

O omnibus ſæculis admirandam Mariæ Viſitationem! Sed o quam contagioſæ, & exitioſæ multorum viſitationes, qui peccatorum virus ubique ſpirant & effundunt! Maria in Viſitatione ſua Eliſabetham, & totam domum in quam intrat, Spiritu ſancto, doniſque cæleſtibus replet; multi vero domos quas viſitant, obſcœnis ſermonibus, detractionibus, zizaniis, diſſenſionibus, impudicitiis, omnique peccatorum genere replent. O execrandas iſtorum viſitationes! Quæ nil aliud ſunt, quam *humanæ converſationis inquinamentum. Tert. lib. de orat. 11.* Abſtinete, quæſo, ab iis viſitationibus: & Mariam imitamini, quæ in ſua Viſitatione Eliſabetham ſalutat, & Spiritu ſancto replet: ecce ſecundum documentum, quod ex Mariæ Viſitatione eſt eliciendum. Sed Maria in ſua Viſitatione *Deum laudat, & officia charitatis impendit*, ex quo tertium documentum eliciemus.

TERTIA PARS.

Maria in ſua viſitatione Deum laudat, & officia charitatis impendit.

1. Eſt quod ſanguineis lugeamus lacrymis, ſi ſerio perpendamus crebra, & gravia peccata, quæ in viſitationibus perpetrari ſolent. Heu! quot ebrietates, quot fornicationes, quot inceſtus, quotque alia crimina, quæ nec nominari debent, in mutuis & frequentibus viſitationibus committuntur! Plerique in ſuis viſitationibus nil boni faciunt, nil boni dicunt; & ut loquitur Propheta, *nemo quod bonum eſt, loquitur, Jerem. 8. 6.* quin contra quamplurimi Chriſtiani, Ethnicorum more, in viſitationibus ſuis mala multa faciunt, & iniquiſſima verba proferunt: *Ibi enim ex ore Chriſtianorum, ubi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum, immo & blaſphemum canticum, quaſi venenum diaboli profertur: Aug. ſerm. 215. de temp.* Ibique verba fœda, impia, blaſphema, & in omni genere mala audacter & imprudenter palam dicuntur.

Satis notum eſt, quod malæ & iniquæ eſſe ſoleant Chriſtianorum multorum viſitationes, ac neminem latet, quod hi in iis non Deum laudare, ſed in multis eum offendere ſoliti ſint. At Maria, Eliſabetham viſitans, tota Dei laudibus occupatur, eumque non ore ſolum & labiis, ſed & tota mente, totaque anima laudat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1.* Deum laudent alii tubis, citharis, aliiſque muſicis inſtrumentis; bona quidem illa laus; ſed cum præcipua Dei laus ex corde & anima procedere debeat, Maria Deum corde, mente, & anima laudat. Hoc illius eſt pſalterium; hoc muſicum organum, quo in Dei laudes prorumpit: *Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. 42.*

Cum Zachariæ domum ingreſſa eſt Maria, laudavit eam Eliſabeth, dicens ei: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Laudatur Maria, & hujuſmodi laudibus non inflatur, ſed quo magis laudatur, eo & ipſa Deum magis laudat, & magnificat. Non eſt ſimilis Maria ſuperbis his mulieribus, quæ de generis nobilitate, de corporis pulchritudine, de bonis fortunæ, de animi dotibus, ac aliis gloriæ titulis, quibus ſupra alias eminent, indeſinenter ſe jactant; non eſt ſimilis vanis illis mulierculis, quæ ab aliis laudari appetunt, & quæ chimæricas ſibi perfectiones arrogant, ut aliorum laudes emendicent. Toto cælo his diſſimilis eſt Dei Genitrix, quæ laudibus ad gloriam ſuam prolatis vix attendit; & quæ, dum laudatur, tota Dei laudibus decantandis incumbit, Deumque toto corde glorificat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.*

Audi, o Maria, quæ ad tui laudem verba profert Eliſabeth, attende, quibus te proſequatur encomiis; adverte, quod ad tui gloriam dicat, te eſſe inter omnes mulieres benedictam, *benedicta tu inter mulieres*, quid ad hoc reſpondes? o Virgo Sacra. Reſpondeo, inquit, me ob tam ſingulare privilegium Deum laudare, & benedicere. *Magnificat anima mea Dominum.* Sed o Maria, ad tui laudem dicit etiam Eliſabeth, benedictum eſſe ventris tui fructum, *Et benedictus fructus ventris tui*: quid ad hoc reſpondes? Reſpondeo etiam, quod propter hoc Deum benedicam, & tota anima mea glorificem, *Magnificat anima mea Dominum.* Sed adverte, o Maria, quod Eliſabeth te Dei Matrem vocet. *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quid ad hoc dicis, o Virgo præclara? Dico, quod ob tantum mihi collatum beneficium, non meipſam, ſed Deum meum laudem & magnificem. Quo tandem magis ab Eliſabetha laudatur Maria, eo & ipſa Deum magis laudat, ſemperque reſpondet, *Magnificat anima mea Dominum.* Quaſi dicat, ut exponit Liranus: O Eliſabeth, tu me magnificas, ſed ego totum Deo attribuens, ipſum magnifico in hoc carmine. *Magnificat anima mea Dominum.*

Diſcite, o Chriſtiani, Deum ubique, ſed præcipue in viſitationibus veſtris laudare; nulla ibi obſcœna, impia, blaſphema, & quocumque modo mala proferatis verba, non ibi propriis incumbatis laudibus,

dibus, ſed corde, & anima Deum laudare, & benedicite. Si vana, & mala loquantur alii, laus Dei ab ore veſtro non recedat. *Laus Dei a corde, & ore Chriſtiani recedere non debet. S. Auguſt. in Pſalm.* 54. Si verbis, vel operibus injuriam Deo alii inferant, vos illum laudare & benedicere non deſinatis. *Benedicite Dominum in operibus ſuis, date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi. Eccli.* 39. Si alii Deum blaſphement, vos illum magnificate: ac quiſque veſtrum, ſaltem corde, & operibus ſuis dicat; *Magnificat anima mea Dominum*. Mementote, quod homo Chriſtianus in quolibet cœtu, quaſi in medio chori eſſe debeat, in quo Deum laudet, alioſque ad eum laudandum & benedicendum alliciat. Quilibet Chriſtianus imitari debet Mariam, quæ Eliſabetham viſitans Deum laudat, *At etiam cognatæ ſuæ multa charitatis officia impendit*.

2. Charitas eſt ignis quidam ſpiritualis, qui non quieſcit, ſed ſemper eſt in motu, & ut loquitur D. Dionyſius, *Charitas eſt ignis mobilis, inceſſabilis & ſuperfervidus*. Hic ignis, inquit ſapiens ille Vir, qui *Idiota* nominatur, habet requiem ſine requie, ejuſque requies non requies, ſed quædam potius inquietudo eſt. *Requies amoris inquietudo eſt*. Maria autem, ſacro hoc igne ſuccenſa ac ſuperfervida, a requie ſolitudinis egreſſa eſt, ut cognatam gravidam & vetulam inviſeret, utque ei multa charitatis officia impenderet. *Intravit Maria domum Zachariæ, ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvenculæ miniſterium ſedula impenderet. V. Beda ſerm. de Viſitati n.*

Adiit Maria domum Zachariæ, non ut probaret, an vera eſſent, quæ de Eliſabetha ab Angelo audierat; ſed ut ei prægnanti charitatis officia offerret, utque ei ex charitate miniſtraret. *Non abiit*, inquit Ambroſius, *in c. 1. Luc. quaſi incredula de oraculo, ſed quaſi læta pro voto, feſtina præ gaudio, religioſa pro officio*. Eliſabetham dignitate longe antcibat Maria; charitatis tamen igne ſuccenſa, ſuperior ad inferiorem, Maria ad Eliſabetham ſe confert, ut ei humiliter inſerviat, & ut ei charitatis officia impendat. *Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur. Ambroſ.* O ardentem & ſuperfervidam Mariæ charitatem!

Norunt omnes, Chriſtum præ nimia qua erga homines ardebat charitate, ad eos veniſſe, ut eis miniſtraret, ac ut eos innumeris charitatis officiis perſequeretur. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Matth.* 10. 28. In hunc mundum venit Chriſtus, ut hominibus miniſtraret: eiſque revera miniſtravit, cum prædicavit, cæcos illuminavit, mortuos ſuſcitavit, aliaque multa eis charitatis officia præſtitit. Maria autem, charitatis Chriſti imitatrix, ad Zachariæ domum vadit, *non miniſtrari, ſed miniſtrare*, non ad percipienda, ſed ad præſtanda cognatæ obſequia, apud eam enim *manſit quaſi menſibus tribus*; *Luc.* 1. ibique ſedulo Eliſabethæ miniſtravit. O magnam Mariæ charitatem! quam admiratur S. Bernardus dicens: *Veniſſe Mariam mirabatur Eliſabeth, ajens, Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Sed magis miretur, quod ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. S. Bern. ſerm. de Nativ. Virg.*

Miretur, quæſo, quiſque hanc Mariæ charitatem; ac pro viribus eam imitari conetur. Scis, o N. cognatum tuum, vicinum tuum, ac fratrem tuum Chriſtianum egere, ægrotare, tuoque indigere obſequio; vade ad eum, ut ei facultatibus vel officiis tuis ex charitatis motivo inſervias. Nec dicas, eum tibi eſſe inferiorem; quia quo major es, eo humilior, ac pro Dei amore erga fratres obſequentior eſſe debes. Audi Chriſtum dicentem: *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator. Luc.* 22. 26. Quare ſuperbiæ vento non infleris, nec fratribus charitatis tuæ viſcera claudas; ſed fraternæ charitatis igne ſuccenſus, viſita pauperes, infirmos, afflictos, & alios, licet tibi inferiores; eiſque pietatis & charitatis officia præſta, dicens cum Chriſto & Maria: *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*.

Ecce qualis fuerit Mariæ Viſitatio; & quæ documenta ex ea quiſque elicere debeat. Feſtinavit illa in ſua Viſitatione: properate & vos in viſitationibus veſtris, nec vagantes per vicos & plateas diu immoremini. Maria, in Viſitatione ſua adiit domum Zachariæ, Viri utique ſanctiſſimi: adite & vos non impiorum domos, in quibus fama & ſalus periclitatur: ſed domos perſonarum, apud quas virtus veſtra magis perficiatur, & charitas veſtra magis accendatur. Maria, in Viſitatione ſua, ſalutavit Eliſabeth ſibi inferiorem, ac replevit eam Spiritu ſancto: ſalutate pariter non ſolum ſuperiores, verum & inferiores, eoſque pietatis & devotionis ſpiritu replete. Maria tandem, in Viſitatione ſua, & Deum laudavit, & hominibus officia charitatis impendit: Deum ſimiliter in viſitationibus veſtris laudate, & benedicite, ac pauperibus, infirmis, & aliis quibuſque charitatis officia ſedulo præſtate. Si autem tales ſint viſitationes veſtræ, per gratiam ſuam viſitabit vos oriens ex alto, ſuiſque vos complebit benedictionibus in hoc mundo, & honorificentiore throno ſublimabit vos in cælo. *Amen*.

DE
SANCTO BONAVENTURA.
CONCIO UNICA.

In adinventionibus tuis exercebor. Pſalm. 76. 13.

QUemadmodum ſanctiſſimus Propheta Iſaias, in extaſim raptus, duos in cælo vidit Seraphinos, quorum unus dumtaxat ad ipſum volavit: *Volavit ad me unus de Seraphim*; *Iſa.* 6. ita duos nunc, mente & ſpiritu in cælo intueor Seraphinos, Seraphicum ſcilicet Patrem ſanctum Franciſcum & Seraphicum Doctorem Sanctum Bonaventuram, quorum cuilibet per eximia quidem debentur encomia, ſed eorum jam unus ſolum ad me volat; nempe Seraphicus Bonaventura, cujus elogia contexere, & panegyricum ſermonem conficere, mei nunc eſt oneris, & inſtituti.

Verum quidem, quod Seraphini illius tanta fuerit ſcientia, tantus amor, tanta laudum materia, ut omnes homines, quantumvis eruditi, & facundi, in eo laudando deficerent. Unde de eo dici

poſſet,

Digitized by Google

poſſet, quod de Sancto Baſilio, Nazianzenus; nempe quod, *ſi omnes eum laudemus, ejus tamen meritis inferiores cuncti apparebimus. Veluti qui ſolem aſpiciunt; quamvis unus alio plus minuſve, omnes tamen videndo deficiunt.* Non ideo tamen ab ejus abſtinebo laudibus, ſed divino fretus auxilio, pro viribus mirabiles, & ſanctas, quibus uſus eſt, inventiones enarrabo: *In adinventionibus ſuis exercebor*, &c. *Ave.*

DEus, qui in eſſentia ſua ſumme ſimplex eſt, homines qui corde ſunt ſimplices, plurimum diligit. Et ideo Apoſtolos, quos amicos vocat, ad columbinam ſimplicitatem ſectandam hortatur; *Eſtote ſimplices ſicut Columbæ. Matth.* 10. Ideo etiam declarat, quod non cum viris prudentibus in ſæculo, ſed quod cum viris ſimplicibus jucunde verſetur, & loquatur; *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Prov.* 3.

Licet autem erga homines, ſancta ſimplicitate florentes, magno Deus feratur affectu; ſanctiſſimus tamen Iſaias Propheta de homine juſto aſſerit, quod *fructum adinventionum ſuarum comedet. Iſa.* 3. Quæ, quæſo, adinventiones illæ, quarum fructum comedunt juſti? Anne homines ſimplices & juſti aliquas adinventiones habent? habent utique, ſuntque ſimul & ſimplices, & ſanctiſſima arte præditi, ad inveniendum novos perfectæ vivendi, Deoque placendi modos. Non ut ſanctiſſimus Galliæ Rex Ludovicus, præclara adinventione, eadem manu nunc crucem, & nunc enſem pro Dei gloria geſtabat: nonne ſimili inventione ſancta Eliſabetha nunc in xenodochiis pauperes, & infirmos viſitabat, ut eis ſubveniret, & nunc in palatio, quæ ſtatus ſui erant perfectiſſime adimplebat, ut ſponſo ſuo placeret? Nonne plures viri ſancti, miranda inventione, auſteram in ſeipſis pœnitentiam ſimul cum magna vitæ, & morum innocentia conjunxere? Nonne alii multi eadem inventione, in hoc mundo cum aliis hominibus commorari, & identidem cum Angelis in cælo mente, & ſpiritu verſari noverunt? Aliæ plurimæ Sanctorum in hoc ſæculo viventium extitere inventiones, ſed ſicut Vates Regius in ſolis Dei adinventionibus ſcrutandis ſe exercebat, *In adinventionibus ſuis exercebor*; ita & ſolis Sancti Bonaventuræ inventionibus explicandis jam incumbere intendo. Et ideo dico, quod Seraphicus ille Doctor, mirabili adinventione, in ſemetipſo ſimul conjunxerit: 1. Scientiam cum amore: 2. Magnitudinem cum humilitate: 3. Vitam activam cum contemplatione. En tres mirabiles Seraphici Bonaventuræ inventiones, quibus explicandis tota hac concione exercebor. *In adinventionibus ſuis exercebor.*

PRIMA PARS.

Sanctus Bonaventura in ſe ſimul ſcientiam cum amore conjunxit.

1. QUalis & quanta extiterit Sancti Bonaventuræ ſcientia, norunt Univerſitates in quibus floruit, Ordo Franciſcanus quem doctrinæ ſuæ radiis illuſtravit, ſummi Pontifices qui eum Seraphici Doctoris titulo inſignierunt, totuſque ferè terrarum orbis, in quo ita ſcientia ſua coruſcavit, ut de eo dici poſſit quod de Baſilio dixit Nazianzenus, quod ſcilicet ipſe fuerit *orbis Lumen, & doctrinæ Palatium. Epiſt.* 10.

Sanctus quidem Bonaventura fuit *orbis Lumen*, cum Clericis, & Laicis, Regularibus, & Sæcularibus, Græcis, & Latinis toti Eccleſiæ, immo & univerſo Orbi, humilitatis, manſuetudinis, charitatis, ac fulgentiſſimis omnium virtutum radiis mirum in modum illuxerit. Sed fuit etiam *doctrinæ Palatium*, quia in eo omnis ſcientia, ſive ſpeculativa, ſive moralis, veluti in Palatio ſuo reſidebat. Non minus enim quam trecenta opera, vel opuſcula compoſuit, in quibus de innumeris rebus, & ut ita dicam de omni ſcibili ad Philoſophorum, Theologorum, Concionatorum & omnium hominum utilitatem, ſtylo ſuavi, & clariſſimo pertractat.

Nec penſandum, quod materias perfunctorie ſolum pervolutet Divus Bonaventura: altiora enim cujuslibet ſcientiæ myſteria ſcrutatur, & penetrat, ac ut ait Abbas Trithemius. *Bonaventura ſcripſit alta, & profunda.* Nec imaginandum, quod inutilia docuerit, & ſcriptis mandarit, ut enim aſſerit Abbas. *Bonaventura omnes ſui temporis Doctores utilitate operum facile antecellit. Trith. de Script. Eccleſiaſt.* Nec credendum, doctrinam ejus ſubtilitate, claritate, & ſuavitate carere, ut enim loquitur Joannes Gerſon. *Doctrina ſancti Bonaventuræ nulla ſublimior, nulla divinior, nulla ſuavior, nulla ſalubrior. Gerſon lib. de exam. doctr.* Sed quod in Sancti Bonaventuræ doctrina majori dignum videtur admiratione, eſt ejus ſtylus qui ubique flammas ſpirat, plus enim corde quam ore loquitur, omniaque, & ſingula ejus verba ſunt quaſi ſcintillæ, quæ legentium corda ad Dei amorem accendunt. Unde de eo, ſicut de Elia, dici poteſt, quod *verba ejus ſicut facula ardebant. Eccli.* 48.

Hanc Divi Bonaventuræ doctrinam ita utilem, & ſublimem cenſebat Joannes Gerſon, *Ibid.* ut licet ipſe omnium ſcientiarum ſtudio vacans inſenuerit; licet ipſe altiores ſcientias magno applauſu docuerit, ſeipſum tamen arguat, quod in aliorum auctorum libris perlegendis tempus inſumpſerit, quodque operibus Divi Bonaventuræ legendis, volvendis, ſtudendis, immo, & tranſcribendis non totaliter incubuerit. Utpote quia hæc ſola plus quam ſufficiant, & in iis ſolis reperiatur ſcientia, qua nulla utilior, nulla ſublimior, nulla fœcundior. *Dixi mecum*, inquit, *ſufficit hæc doctrina, ne quid ſtulto labore conſumeris? Quid dictas, Quid ſcribis? Multiplicentur, & tranſcribantur opera Doctoris iſtius.*

O miranda Seraphici Bonaventuræ ſcientiam! Quæ inde etiam mirabilior, quod non tam labore improbo comparata, quam a Chriſto cruci affixo ei fuerit infuſa. Sicut enim Sancti in cælo omnia vident in Verbo, ita Bonaventura omnia legebat, & diſcebat in Crucifixo, hic erat Liber, a quo totam ſuam ſcientiam eliciebat. Et ideo quærenti Divo Thomæ, unde tantam hauriret ſapientiam, Crucifixum oſtendit Vir ille Seraphicus, dicens: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus. *En librum unde omnia excerpo, quæ lego in cathedris, aut in libris ſcribo.*

Maxi-

Digitized by Google

Maximo inter ſe amicitiæ fœdere conjuncti erant S. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura. Ambo ſimul magiſtrum habuere Alexandrum Alenſem, ambo Doctoratus laurea in Facultate Pariſienſi eodem tempore fuere inſigniti; ambo ſimul Theologiam, & Philoſophiam in eadem Univerſitate docuere; ambo quampluriinos libros, ad doctrinam, & ad pietatem ſpectantes, compoſuere; ambo Eccleſiaſticas dignitates acceptare recuſarunt; ambo ad Lugdunenſe Concilium vocati ſunt; ambo tandem ſtatus religioſi protectores, Univerſitatum lumina, & Eccleſiæ Catholicæ quaſi tutelares Angeli extiterunt. Eorum autem quilibet alterius ſcientiam mirabatur: & D. Thomas concipere nequibat, unde hauriret Bonaventura ſublimes, & divinos illos conceptus, nec non mirandam hanc ſcientiam, quam in libris, in Academiis, & in concionibus ſuis effundebat. Quare ab eo petiit Thomas, quibus ex libris tam altam, tam profundam, tam utilem, tamquam ardentem eliceret ſcientiam? Cui Bonaventura, Chriſti crucifixi oſtendens imaginem, coram qua preces fundere ſolitus erat, humiliter reſpondit: *En librum unde omnia excerpo, quæ lego in cathedris, aut in libris ſcribo.* O quam divinus ille liber! O quam felix Diſcipulus, qui in hoc libro mirabilia multa didicit! O quam miranda hujus Diſcipuli, ſimul, & Doctoris ſcientia! Tuam, o Bonaventura, admiror doctrinam. Sed quod in te mihi mirabilius videtur, hoc eſt, *quod ſcientiam in temetipſo ſimul cum amore conjunxeris.*

2. Licet ſcientia ſit amoris principium, quia voluntas non fertur in incognitum, nec amare poteſt quod non novit; experientia tamen conſtat, quod plerumque viri doctiores, non ſunt in Dei amore ferventiores; quin contra, quo ſiunt doctiores, eo ſæpe in Dei amore tepidiores evadunt. At ſicut Seraphini in cælo, quo perfectius Dei majeſtatem noſunt, eo ardentius ejus amore accenduntur; ſicut in illis ſcientia, & amor indiſſolubili uniuntur fœdere; ſic Bonaventura, quaſi alter Seraphinus, mirabili adinventione ſcientiam ſimul cum amore in ſeipſo ita copulavit, ut æqualiter in ſcientia, & in amore profecerit. Quantum ſciebat, tantum amabat; legendo, ſcribendo, ſtudendo, ſcientiam ſimul & amorem ſibi comparabat. Unde eum non ſolum Cherubinum ratione ſcientiæ, ſed etiam Seraphinum, ratione amoris, vocat Joannes Gerſon: *Bonaventura*, inquit, *veriſſimo nomine Seraphinus ſimul, & Cherubinus. Epiſt. in laud. Bonav.* Cherubinus erat & Seraphinus, quia in ſemetipſo ſcientiam Cherubinorum, & amorem Seraphinorum conjunxerat.

Cumque qui læſæ majeſtatis eſt reus, juxta legis Cæſareæ præſcriptum, capite plecti debet, ejuſque bona fiſco ſunt adjudicanda, *Majeſtatis reus capite plectatur, bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis.* Lucifer autem, cujus ſcientia omnem humanam doctrinam longe ſuperabat, divinæ majeſtatis ſuperbia ſua reus factus eſt; quare ad tartara fuit præcipitatus, ejuſque ſcientia S. Bonaventuræ videtur adjudicata. Sed Bonaventura Lucifero ſapientior fuit; quia Lucifer ſcientiam ſuam cum Dei amore conjungere neſcivit. Bonaventura vero, mirabili adinventione ſcientiam ſimul cum amore in ſemetipſo copulavit, fuitque ſimul Cherubinus, per ſcientiam qua rutilabat, & Seraphinus per amorem quo ardebat.

Quærunt Philoſophi, an in eodem ſubjecto lux ſine calore dici poſſit? In hoc dubio ſolvendo non immorabor, ſed in S. Bonaventuræ laudem dicam, quod in eo lux ſcientiæ ſine amoris divini calore nunquam extiterit, quia eadem proportione, qua ejus illuminabatur intellectus, ejus etiam in Dei amorem accendebatur affectus. Unde ſimilis fuit S. Bonaventura Seraphinis illis, de quibus ait Iſaias, quod *ſtabant & volabant. Iſai. 6.* Semper ſiquidem viri illius Seraphici intellectus ſtabat in Dei conſideratione, & identidem cor illius ad Deum per amorem volabat.

De Verbo Divino ait Doctor Angelicus, quod *eſt verbum, non qualecumque, ſed ſpirans amorem.* Idem dicendum de cognitionibus, quibus replebatur S. Bonaventuræ intellectus: hæ etenim erant verba mentis ejus, non qualiacumque, ſed divinum amorem ſpirantia. Quia cum ejus mens cæleſti ſapientia illuſtrabatur, cor ejus identidem charitatis ardore ſufflammabatur; ejuſque scientia ad Dei amorem ſemper referebatur, & terminabatur. *Cum ſtudet illuminationi intellectus, quam refert ad pietatem & religioſitatem affectus. Lib. de exam. Doct.*

Simile fuiſſe videtur cor D. Bonaventuræ famoſo Salomonis throno, in cujus medio ſculpta erat charitas. *Reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit. Cant. 3. 10.* In throni hujus medio ſculpta erat charitas, ſeu in ejus medio exarata, & ſcripta erant verba charitatem ſignificantia. Hæcque verba, ut dicunt ſacrorum Librorum interpretes, ibi ſcripta erant litteris ex rutilantibus pretioſis lapidibus mira arte concinnatis; ita ut hæ litteræ ſimul, & lucem emitterent, & charitatem ſignificarent. Cor autem S. Bonaventuræ huic throno ſimillimum erat, quia in medio cordis ejus ſculptæ erant ſimul ſcientia qua fulgebat, & charitas qua ardebat. Immo, & plus charitatis, quam ſcientiæ in ejus corde fuiſſe videtur, & ideo præclare dixit S. Franciſcus Saleſius, quod inter Doctores mallet eſſe Bonaventura, quam Thomas: quia mallet eſſe Seraphinus, quam Angelus, malletque minus ſcire, & magis amare. O mirandum Bonaventuræ cor, in quo tanta ſcientia, & tantus amor! O mirabilem Doctorem, qui ſacra adinventione in ſemetipſo ſcientiam cum amore conjunxit! Ac etiam magnitudinem & celſitudinem cum humilitate.

SECUNDA PARS.

Sanctus Bonaventura in ſe ſimul magnitudinem cum humilitate conjunxit.

1. REx Aſſuerus ſic exaltavit Aman, eumque favoribus & beneficiis ſuis ita ſublimavit, ut eum ſupra regni ſui Principes extulerit: *Rex Aſſuerus exaltavit Aman, & poſuit eum ſupra omnes Principes quos habebat. Eſther 3. 1.* Sic Deus, qui erga homines eſt beneficus, ſpecialibus & perexiniis beneficiis Sanctum Bonaventuram ſublimavit, & apud homines laudabilem fecit. Ei etenim, non ſecus

eus ac Salomoni, dedit *Deus cor docile, & animam bonam: Pſa. 44.* dedit ei ingenium acutum, memoriam felicem, paſſiones ad bonum inclinantes; dedit ei poteſtatem ſanandi infirmos, & ſuſcitandi mortuos: dedit tandem ei tantam in moribus diſciplinam, talem vitæ innocentiam, talem animi & corporis perfectionem, talemque in verbis, & geſtibus gratiam, ut omnium ſibi conciliaret animos; ac non ſolum plebejos, verum & Principes ad ſui venerationem alliceret.

Chriſtus, qui ex natura ſua, & ratione unionis hypoſtaticæ, Rex erat, & Dominus omnium; ſpeciali tamen alia ratione regnabat ſuper homines: ſpecie, ſcilicet, quadam externa, & pulchritudine mirabili, qua omnium ſibi devinciebat animos, omniumque ſibi corda ſubdebat: *Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna.* Hac ſpecie & pulchritudine ita ſupra hominum corda regnabat, & dominabatur Chriſtus, ut a Salviano vocetur *Magnes cordium. Lib. 4. de gubern.* Sicut enim Magnes occultam & innatam quamdam habet virtutem, qua ferro dominatur, illudque ad ſe trahit; ita Chriſtus, ſpecie ſua, pulchritudine ſua, & abdita quadam virtute, hominum cordibus dominabatur, eaque ad ſui amorem alliciebat, & ideo totus eum mundus ſequebatur: *Ecce totus mundus poſt eum abiit. Joann. 12.*

O quam magnus & potens fuit Chriſtus, ratione arcanæ hujus virtutis! Sed & dicamus, Sanctum Bonaventuram ſimilem quamdam habuiſſe virtutem, eademque virtute regnaſſe in populo. Ipſi namque arcana quædam a Deo data erat virtus, qua omnium ſibi ſubdebat, & ad ſe trahebat corda: *Magnes* erat Bonaventura, magnos & parvos, divites & pauperes, Principes & plebejos ad ſui amorem & venerationem alliciens. Ut enim de eo prædicavit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus a Tharentaſia: *Quicumque Bonaventuram videbant, ſtatim amore ejus capiebantur.*

O quam magnus fuit Bonaventura per Deum, qui eum exaltavit, & per abditam illam virtutem, qua hominum cordibus dominatus eſt! Sed magnus etiam, immo & maximus fuit in æſtimatione, & in oculis omnium. *Magnus* fuit in oculis Alexandri Alenſis, qui de Bonaventura dixit, quod eſſet verus Iſraelita, qui in Adamo non peccaſſe videbatur. *Magnus* fuit in oculis & in mente Doctoris Angelici, qui ejus ſcientiam mirabatur, & qui eum, adhuc viventem, *Sanctum* proclamabat. *Magnus* fuit in oculis, & in æſtimatione omnium Fratrum Ordinis Seraphici, qui eo tempore quo innumeri in hoc Ordine erant viri doctiſſimi, ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi; eum, quintum ſolum ſupra trigeſimum tunc annum agentem, unanimi conſenſu, in Miniſtrum Generalem elegerunt, & tanto miniſterio dignum cenſuerunt. *Magnus* fuit in æſtimatione ſummorum Pontificum, qui eum ad inſulas evexerunt. *Magnus* viſus eſt omnibus Concilii Lugdunenſis Patribus, qui ejus ſcientiam, ſanctitatem, manſuetudinem, in dubiis ſolvendis facilitatem, & in negotiis pertractandis dexteritatem ita demirati ſunt, ut eum Græci, ſimul cum Latinis, Eccleſiæ columnam vocaverint, ipſoque mortuo dixerint: *Periit columna Chriſtianitatis*; Magnus tandem judicatus eſt a viginti duobus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui cum poſt mortem Clementis Quarti, Viterbii ad eligendum ſummum Pontificem eſſent congregati, nec de aliquo uno eligendo convenire poſſent, totum ſuum eligendi jus uni Bonaventuræ contulerunt cum hoc pacto, quod ille haberetur, & agnoſceretur ut ſummus Pontifex, quem ipſe nominaret. O quam magnus in mundo Bonaventura! Sed quanto major, tanto humilior extitit: mirabiliter enim in ſemetipſo *humilitatem cum magnitudine conjunxit.*

2. Humilitas ſimul cum magnitudine in Angelis Apoſtatis, & in primis parentibus convenire non potuit: quia ut primum magni eſſe cœperunt, vanitate & ſuperbia inflati, a magnitudine ceciderunt. Sed Chriſtus in hunc mundum veniens humilitatem cum magnitudine reconciliavit. Ut enim ait S. Bernardus: Chriſtus qui erat magnus & laudabilis nimis, *factus parvus & amabilis nimis.* Sanctus autem Bonaventura, Chriſtum imitatus, in ſemetipſo magnitudinem cum humilitate coadunavit; fuitque ſimul magnus & parvus, maximus & humillimus. Et *quo magis ſcientia & auctoritate fulgebat, eo magis humilitate deprimebatur.*

Tanta ejus fuit humilitas, ut dum Miniſtri Generalis fungeretur officio, fratrum cameras verreret, infirmorum ſtrata verſaret, culinæ catinos & ollas libenter lavaret, nec non aliis quibuſque abjectioribus muniis ſtudioſe incumberet. Tanta etiam ejus extitit humilitas, ut Eboracenſem Epiſcopatum, ſibi a Clemente IV. ſummo Pontifice, oblatum, humiliter acceptare recuſarit. Huic tamen ſimilem, ac etiam majorem a Gregorio decimo ſibi oblatam in Eccleſia dignitatem acceptavit, quaſi coactus; ut, ſcilicet, Chriſti Vicario, cui reſiſtere nefas eſſet, religioſe obtemperaret. Sed & tunc maxime ejus eluxit humilitas, quia cum ei a ſummi Pontificis Legatis allatus eſt Cardinalitius pileus, ab iis inventus eſt, actu ollas, ſcutellas, aliaque vilia culinæ vaſa abluens: nec ab iis accipere voluit pileum, quin prius ſuſceptum humilitatis opus peregiſſet. Probe ſciebat Bonaventura, Chriſtum Dominum, præclarum hoc & ſanctum dediſſe monitum: *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Luc. 22.* Sciebat vir Seraphicus, quod *nihil eſt Deo charius humilitate, nihil operoſius gloria. Tertull. lib. de vel. Virg. 15.* Quare humiliavit ſe in omnibus, & in ſemetipſo humilitatem ſimul cum magnitudine conjunxit. Ecce mirabilem Sancti Bonaventuræ inventionem: *Qui etiam, miranda adinventione, in ſeipſo vitam activam cum contemplatione copulavit.*

TERTIA PARS.

Sanctus Bonaventura in ſe ſimul vitam activam cum contemplatione conjunxit.

1. IN cæleſti Regno non eſt vita activa & laborioſa; non enim ibi ſancti veſcuntur pane in ſudore vultus ſui; non ibi inveniuntur peregrini, qui ſuſcipiantur hoſpitio; non ibi eſurientes, quibus frangatur panis; non ſitientes, quibus potus por-

Digitized by Google

porrigatur, non ibi ægri, qui viſitentur, non litigantes, quorum jurgia componantur, non mortui, qui ſepeliantur: omnia iſta, & alia his ſimilia ibi non erunt. Quid ergo ibi erit? Ibi ſane erit optima illa pars, quam Maria elegit: ibi erit requies perpetua, ac continua divinæ Majeſtatis omniumque divinarum perfectionum contemplatio. Sed alia eſt hominum in hoc mundo morantium ſors; alia eorum eſt via. Licet enim illorum mentes ad cæleſtium contemplationem interdum eleventur, laborioſis tamen activæ vitæ exercitiis plurimum vacare ſolent, ac circa frequens miniſterium occupantur. Et præcipue Seraphicus Bonaventura, qui tot externis incubuit miniſteriis, tot præclariis charitaris officiis vacavit: totque pro Dei gloria labores exantlavit, ut merito dicere potuiſſet, quod a juventute, ad ultimum uſque vitæ terminum, vitæ activæ laborious inſudarit: *In laboribus a juventute mea.*

Sicut Divus Paulus ſe omnibus debitorem profitebatur, dicens: *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Rom.* 1. Ita Sanctus Bonaventura ſcholaſticis, ſacræ Scripturæ ſtudioſis, ſpiritualis vitæ amatoribus, Schiſmaticis, Ordinis Seraphici Fratribus, Sæcularibus & Regularibus, ac denique omnibus ſe debitorem arbitrabatur: quare ſummopere laboravit, ut omnibus faceret ſatis. Heu! quantus ejus extitit labor in componendis, ad eruditionem ſcholaſticorum, pluribus ſacræ Theologiæ voluminibus? Quantus labor in concinnandis, ad inſtitutionem Prædicatorum, concionibus de Sanctis & tempore? Quantus in conficiendis pluribus & piiſſimis variorum ſacræ Scripturæ Librorum commentariis? Quantus in componendis innumeris illis Operibus, Opuſculis, & Libris, quos in ſeptem magnis voluminibus collectos habemus? Sed dicat quis; quantus Bonaventuræ extiterit labor in docendo publice, & in prædicando ſæpiſſime? omitto laborem, quem in conſcribendis, propria manu, ſemel & iterum ſacris Voluminibus inſumpſit. Taceo laborem, quem in luſtrandis Sanctorum Gregorii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi & aliorum Sanctorum Patrum operibus adhibuit, ut ex iis, velut apis, flores odoriferos, ſeu ſententias ſelectiſſimas colligeret. Sub ſilentio prætereo alia multa, quæ ad totius Eccleſiæ utilitatem fecit. Sed tacere nequeo, quantus ejus extiterit labor in Ordinis Seraphici gratiam, qui quidem tantus fuit, ut ipſe dici poſſet quaſi manus, quæ eum ſapientiſſime rexit, & potentiſſime protexit. Nonne hic hujus Ordinis inimicos variis opuſculis confutavit? Nonne plures Libros vitam regularem edocentes compoſuit? Nonne præclaras conſtitutiones ad totius Ordinis regimen delineavit, ut Seraphici Patris labentem ſpiritum redintegraret? Sed mente revolvite Seraphicum hunc Doctorem, jam Capitula Generalia congregantem, jam Provincias & Regna peragrantem, ut Fratrum Conventus viſitet, & ut in iis diſciplinam regularem ſtabiliat. Sed quot Fratres tepidos Bonaventura ad regulæ obſervationem compulit? Quot fratres rebelles compreſſit? Quot lapſos erexit? Quot errantes ad Franciſci ovile revocavit? Quot revertentes benigne recepit? Quot ad altiorem vitæ perfectionem monitis, hortationibus, & exemplis ſuis excitavit? Bonaventura tandem, ſive ſtudendo, ſive docendo, ſive ſcribendo, ſive legendo, totus vitæ activæ addictus fuiſſe videtur. At revera non totaliter vitæ activæ vacavit; quia, mirabili adinventione, *vitam activam cum contemplatione conjunxit.*

2. Sicut raro ſanctificantur, qui peregrinantur; ita raro ad contemplationem proni & apti ſunt, qui vitæ activæ exercitiis ſe dedunt. Sicut enim Maria Martham ſolam miniſtrare ſinit: ita Martha circa miniſterium occupata, cum Maria cæleſtium contemplationi raro vacat. At Bonaventura, qui vitam gerebat activam, altiſſimæ etiam contemplationi animum habebat intentum. Subtrahebat enim ſe a ſuperfluis converſationibus, ab otioſis, & vanis circuitionibus, a novitatibus, & rumoribus audiendis. Cum Jeſu a turba, quantum poterat, declinabat; libenter tacebat, & latebat: quantum fas erat, ad cellam confugiebat, ibique, clauſo ſuper ſe oſtio, Jeſum dilectum ſuum ad ſe vocabat. Ibi ejus nativitatem, converſationem, paſſionem & mortem fervide meditabatur. Ibi divinæ contemplationi ita vacabat, ut ſæpe extra ſeipſum raperetur, & extaſim pateretur.

Nec hunc contemplationis ſpiritum amittebat, cum ſtudiis, compoſitioni Librorum, & externis aliis incumbebat exercitiis: tunc enim animum ſæpe ad interiora vocabat, mentemque ſuam ad Deum erigebat. Unde, ſicut Stephanum, lapidum ſtrepitus, lapidantium blaſphemiæ, & circumſtantium populorum clamores a cæleſtium contemplatione non avertebant; nec impediebant, quin cor ſurſum ad cælum elevatum haberet: *intendens in cælum, Act.* 6. ita negotiorum ſtrepitus non ſiſtebat, nec perturbabat Sancti Bonaventuræ ſpiritum, quem in mediis negotiis ad Deum per contemplationem ſemper erigebat. In quo eum ſimilem dicam duobus illis Seraphinis, de quibus ait Iſaias, quod *aliis duabus volabant*; *Iſai.* 6. intellectus enim & voluntas Bonaventuræ, erant quaſi duæ alæ, quibus continue ad Deum volabat. Intellectus volabat ad Deum per contemplationem; & voluntas ad Deum volabat per amorem.

Cum Seraphini a Deo ad hæc inferiora mittuntur, a Dei viſione & contemplatione nunquam ceſſant. Sic cum Seraphicus Bonaventura litterarum ſtudio operam dabat, ac externis ſe immiſcebat negotiis, a Dei contemplatione non deſiſtebat: ſed in mediis negotiis mentem ad Deum crebro erigebat, ut majeſtatem, ſapientiam, bonitatem, aliaſque ejus infinitas perfectiones contemplaretur. Et hoc modo, Mariæ ſimul & Marthæ officio fungebatur; ac mirabili adinventione contemplationem cum vita activa in ſeipſo conjungebat.

Quis non demiretur mirandi Sancti Bonaventuræ adinventiones? Mirabiles quidem ſunt; & o utinam in ſimilibus adinventionibus ſe quiſque exerceret! Sed, heu! plerique ſunt prudentes ut faciant malum, & ut novos peccandi modos inveniant: *Adinventiones eorum contra Dominum. Iſai.* 3. 8. Humilitatis, patientiæ, charitatis, & aliarum virtutum ſemitas invenire neſciunt: ſed ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum vias facile inveniunt. Perfecte norunt, *cor machinationibus tegere*,

gere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare: S. Greg. l. 18. Mor. c. 16. ſciunt uſuras palliare, acceptas ulciſci injurias, malum pro bono reddere, & alia multa peccata perpetrare. Hi autem malignis hiſce adinventionibus Deum adverſus ipſos irritant. *Irritaverunt eum in adinventionibus ſuis. Pſal. 105.* Hi in inferno juxta malignarum ſuarum adinventionum multitudinem cruciabuntur: *Juxta multitudinem adinventionum ſuarum, ſic & ſuſtinebunt. Job 20.* Quare a malignis hujuſmodi adinventionibus abſtinete: & mirabilibus Sancti Bonaventuræ adinventionibus imitandis vos exercete.

Diximus, quod vir ille Seraphicus, mirabili adinventione, ſcientiam cum amore in ſeipſo conjunxerit: ſimiliter, qui inter vos docti ſunt, ſcientiam cum amore in ſeipſis conjungere contendant, Heu! quid vobis proderit, perfecte noviſſe Philoſophiæ nodos ſolvere, altiſſima ſacræ Theologiæ myſteria explicare, omniumque ſcientiarum difficultates enodare, ſi identidem Deum non ametis? Talis ſane ſcientia, quæ in hoc mundo vobis eſſe poteſt ad gloriam, in inferno vobis erit ad pœnam: quare ſcientiis veſtris Dei amorem adjungite. Sed & in aliis adinventionibus Bonaventuram imitari contendite.

Seraphicus ille Doctor, magnitudinem in ſe ſimul cum humilitate conjunxit: *ſic ſi quis magnus eſt inter vos, fiat ſicut minor*, Scitote, quod *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam*: quare quantumvis magni ſitis in ſæculo, humiliamini, ut divinam gratiam aſſequi valeatis.

Imitamini tandem Sanctum Bonaventuram in adinventione, qua in ſeipſo vitam activam ſimul cum contemplatione conjunxit. Si ſtatus ad quem aſſumpti eſtis, & officia quibus fungimini, multis vos implicent negotiis, non iis veſtræ totaliter immergantur mentes: ſed quando Dei lex, ratio recta, & prudens pietas id requirent, negotiorum tumultui vos ſubtrahite; ut quæ Dei, & ſalutis ſunt, peragatis. Si ſic egeritis, adinventionum veſtrarum fructum in cælo percipietis. *Amen.*

DE
SANCTO ALEXIO.
CONCIO UNICA.

Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.
Joann. 16.

TOta hominum vira, peregrinatio eſt: quamdiu in hoc mundo morantur, peregrinantur a Domino; ſemperque in hoc mundo, tanquam peregrini vivere debent, ut tandem aliquando ad cæleſtem patriam pervenire valeant. At Alexius, qui ſimul cum aliis hominibus in hoc mundo peregrinus erat; novo, & mirabili quodam modo peregrinus eſſe voluit; ipſe namque *propter eximium Chriſti amorem, prima nocte nuptiarum, relinquens intactam ſponſam, illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit.* Quibus in itineribus, cum ignotus ſeptemdecim annis permanſiſſet; Dei monito, & impulſu, Romam ad Euphemianum Patrem, virum utique Romanorum nobiliſſimum, rediit: a quo, non ut filius, quia eum non cognoſcebat; ſed ut pauper & peregrinus receptus eſt.

Illuſtriſſimum, & ſanctiſſimum hunc demiror peregrinum: ad delineanda ejus magnalia ardenti moveor propenſione; meumque temperare non poſſum calamum, quin in ejus, quantum fas erit, laudes ſe diffundat.

Non illum laudabo à nobilitate, qua alios omnes Romanos anteibat; non a divitiis, quibus affluebat; non a famulis ter mille, a quibus circumdari, & miniſtrari ſolebat: non ab affinitate, quam contraxerat, nubendo puellæ ex Imperatoris domo oriundæ; nec tandem ab eleemoſynis quæ in domo ejus fiebant, in qua, ſingulis diebus, tres menſæ pauperibus, orphanis, & peregrinis parabantur. Licet enim ad Alexii gloriam hæc omnia non parum redundent: ea tamen ſubticeo, ut ad admirandam ejus peregrinationem tota mea vertatur oratio. A Chryſoſtomo didicit: quod *prima virtus eſt, & tota virtus, peregrinum eſſe mundi hujus: Chryſoſt. in Ep. ad Hebr. c. 11. v. 13.* Quare omnem Alexii virtutem, & perfectionem elicere conabor ex hoc, quod in mundo, & a mundo peregrinus fuerit, &c. *Ave.*

CHriſtus Dominus, qui Paſtoris, Medici, & Doctoris munia in hoc mundo obivit; peregrini etiam nomen, & titulum non recuſavit: *Hoſpes in terra eſſe voluit Dominus, peregrinus in mundo, per quem factus eſt mundus. Aug. ſer. 144. de temp.* Peregrinationis autem ſuæ principium, locum, & terminum docuit nos ipſe Salvator dicens: *Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Peregrinationis Chriſti principium eſt Pater æternus, in cujus ſinu fuit ab æterno; & a quo quaſi exivit, cum incarnatus eſt *Exivi a Patre.* Peregrinationis ſuæ locus fuit hic mundus ſublunaris, in quo, velut pauper & inops, triginta tribus annis peregrinatus eſt: *& veni in mundum.* Terminus tandem ſuæ peregrinationis eſt Pater æternus, ad quem rediit, cum ab hoc mundo diſceſſit: *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Ecce peregrinum admirabilem, quem perfecte imitatus eſt Alexius: exivit enim a Patre, venit in mundum, & rediit ad Patrem: *A Patre exivit Alexius*; cum ipſa nuptiarum ſuarum die, a Patris domo clam aufugit: *In mundum venit*; cum varias hujus mundi Provincias peragravit: *Rediit ad Patrem*; cum poſt ſeptemdecim annos a ſuo diſceſſu, ad paternam domum reverſus eſt. Quare ut totam Alexii peregrinationem dilucide explicare valeam, eum conſidero in egreſſu ſuo a domo Patris, in converſatione ſua extra domum Patris, & in regreſſu ſuo ad domum Patris; ac dico eum fuiſſe peregrinum mirabilem: 1. In egreſſu ſuo a domo Patris: 2. In converſatione ſua extra domum Patris: 3. In regreſſu ſuo ad domum Patris.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PARS.

I. Alexius fuit peregrinus mirabilis in diſceſſu ſuo a domo Patris.

ALexius, qui Euphemiani, viri nobiliſſimi, & in Imperatoris aula primi, unicus erat filius, ipſa nuptiarum ſuarum die, uxorem intactam relinquens, clam ſe ſubripuit, & a proprio domo auſugit, ut longam & diuturnam peregrinationem ſuſciperet. Eadem die qua Alexius factus eſt Sponſus, factus eſt etiam peregrinus; fuitque peregrinus admirabilis in diſceſſu ſuo a paterna domo, ſi conſideretur tempus, celeritas, & modus ſui exitus; ſeu, ſi conſiderentur: 1. *Tempus*, in quo exiit; 2. *Celeritas*, qua exiit; 3. *Modus*, quo exiit.

1. Tempus, quo a paterna domo exiit Alexius, fuit ipſa dies nuptiarum, in qua ad faſtum, ad epulas, & ad delicias omnia parata erant: fuit ipſa dies, qua de conjugio inito gaudebant parentes, applaudebant amici, congratulabantur omnes: fuit ipſa dies, in qua Sponſæ dixerat. *Accipio te in meam.* Hac inquam die, domum, parentes, amicos, & novam Sponſam reliquit Alexius, ut ad loca ſancta, & longiſſime diſtantia peregrinaretur.

O peregrinationem inexpectatam! Sed o peregrinum mirabilem, ſi ſpectetur tempus, quo a paterna domo, peregrinationis cauſa, exiit! Abraham admirantur multi, eo quod de terra ſua, de cognatione ſua, & de Patris ſui domo egreſſus ſit, ut ad alienas oras peregrinaretur: ipſe tamen hanc non ſuſcepit peregrinationem ipſa nuptiarum ſuarum die, nec uxorem, quam deſponſaverat, reliquit; ſed ipſam ſecum adduxit: *Tulit Saram uxorem ſuam, & egreſſi ſunt, ut irent in terram Chanaan. Gen. 12. 5.* Quare peregrinus longe mirabilior fuiſſe videtur Alexius, cum a paterna domo ſolus, ipſa nuptiarum die exierit, relinquens Patrem, Matrem, & Uxorem, ut duram, & diuturnam peregrinationem ad loca ſancta ſuſciperet.

Petrus, ut Chriſtum ſequeretur, & cum eo ad diverſa loca peregrinaretur; exiit a propria domo, & omnia ſua reliquit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Matth. 12. 27.* Quid ſunt hæc *omnia*, quæ Petrus reliquit? Hæc pene ſunt navis, & retia, quibus victum piſcando quæritabat: & cum his omnibus uxorem etiam reliquit, ut enim ait Hieronymus: *Habuit Petrus uxorem, & eam cum reti & navicula reliquit. Ep. 34. ad Julian.* Ecce quidem mirabilem peregrinum, qui ut Chriſtum ſequatur, exit a domo, navimque, retia, uxorem, & omnia quæ habet, generoſe relinquit. At ſi ad Alexium oculos convertam, quid mirabilius in eo intuear? hic enim a domo exiens, magnificum reliquit palatium, cujus erat Dominus; Patrem ditiſſimum, cujus hæres futurus erat; Matrem ſanctiſſimam, cujus unicus erat filius; & ſponſam nobiliſſimam, cujus erat ſponſus dilectiſſimus. Omniaque hæc reliquit Alexius, non in tempore ſenectutis, cum iis amplius frui non poterat; non in tempore gravis cujuſdam afflictionis, quo hæc omnia faſtidiebat; non inſtante mortis tempore, quo cuncta neceſſario ſint relinquenda; ſed in tempore juventutis, ſed ipſa die nuptiarum, hac inquam die, a domo exiens, patrem, & matrem, & ipſam ſponſam reliquit, ut in variis mundi regionibus peregrinaretur. Miror hunc peregrinum, & quidem plurimum mirabilis eſt in exitu ſuo a paterna domo; ſi conſideretur tempus, in quo ab illa exiit: ſed etiam peregrinus mirabilis, *ſi ſpectetur celeritas, & promptitudo, qua exiit.*

2. Chriſtus, qui nuptiis, in Cana Galilææ factis, viſibiliter interfuit, Alexii nuptiis inviſibiliter adeſſe voluit. In nuptiis Canæ Galilææ Chriſtus, exemplo ſuo, virtutis amorem Sponſis prædicavit: in nuptiis vero Alexii, novo huic Sponſo Chriſtus divitiarum contemptum, voluptatum abnegationem, & honorum ſæculi fugam intus inſpiravit. Et intus dixit Salvator: *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Matth. 19.* Ei intus ſuaſit, patrem, matrem, uxorem, & omnia temporalia protinus eſſe relinquenda, ſanctaſque peregrinationes pro ſui amore eſſe ſuſcipiendas. Alexius autem audivit Chriſtum intus loquentem, ſacrum gratiæ ejus motum ſenſit, & pro ejus amore domum, prædia, parentes, ipſam quoque uxorem ſtatim reliquit, & difficillimam peregrinationem ſuſcepit. Chriſto vocanti non obſtitit ſanctus hic adoleſcens, ſed non ſecus ac S. Gregorius Nazianzenus, ex animo dixit; *Sum tuus, ut libet, me bone Chriſte rege. In carm. ad Dial. in mor.* Hoc in corde ſuo dixit novus ille Sponſus, & Chriſti vocationi obtemperare non diſtulit uſque ad futurum tempus, ſed ſtatim a paterna domo generoſe exiit, parentes, uxorem, omniaque terrena mox reliquit, & diuturnam ad loca ſancta peregrinationem ſuſcepit.

Adoleſcens Alexius non fuit ſimilis adoleſcenti huic, qui Chriſto vocanti non ſtatim obtemperavit; & qui ſe excuſans, reſpondit: *Domine, permitte primum ire, & ſepelire Patrem meum. Luc. 9. 59.* Non fuit etiam ſimilis protervis illis adoleſcentibus, qui ut divinæ vocationi non obſequantur, vanas & futiles excuſationes adducunt; ſed nulla adhibita excuſatione, Chriſti vocationi protinus obſecutus eſt. Poterat quidem Alexius excuſationes adducere, quæ in ſapientium ſæculi ſenſu, veræ, legitimæ, immo & urgentiſſimæ viſæ fuiſſent; poterat namque Chriſto vocanti reſpondere: o Domine, unicus ego ſum filius Patris nobiliſſimi, & ditiſſimi, qui totam ſpem & conſolationem ſuam in me fixit; & qui pene præ afflictione morietur, ſi ab illo diſcedam, & ſi illa quæ inſpiras, adimpleam. Chriſto vocanti dicere etiam poterat; filius unicus ſum matris, quæ toto me corde diligit; quæ haud dubie mœrore conficietur, ſi ab illa modo, quo intendis, me ſeparem. Ei & dicere poterat: nobiliſſimæ Sponſus ſum puellæ, quam hodie in meam accepi, cui non parvam facere videbor injuriam, ſi ab ea, ipſa die nuptiarum, me ſubripiam; & ſi illam ipſa die, qua ſponſa mea facta eſt, quaſi viduam efficiam. Chriſto reſpondere etiam potuiſſet: o Domine, ſi quod ſuades, opere compleam, quid fiet de amplis facultatibus, quibus parentes affluunt? Quid de dignitatibus, quas poſſident? Quid dicent Romani, quibus ſum notiſſimus? Quid ſentient, quicumque rem tam inſolitam, tamque portentoſam audient? Hoc

haud dubie dixiſſet, haſque excuſationes adduxiſſet alius, qui Chriſtum minus amaſſet: ſed Alexius, abſque ulla renitentia, abſque ulla excuſatione, Chriſto protinus obtemperavit; & cunctis relictis, ſtatim a paterna domo exiit, ac inſpiratam a Chriſto peregrinationem illico ſuſcepit. O peregrinum mirabilem in exitu ſuo a paterna domo, ſi ſpectetur promptitudo, & celeritas, qua ab illa exiit! Sed Alexius eſt etiam peregrinus admirabilis in exitu ſuo a paterna domo: *ſi attendatur modus, quo ab illa exiit.*

2. Alexius peregrinationem, ſic a Deo inſpiratam, ſuſcepturus, antequam a paterna domo exiret, ſponſam ad Dei timorem, & ad virginitatis amorem primo hortatus eſt; deinde annulum ſuum aureum ei ſervandum tradidit, dicens. *Accipe, & ſerva, & Dominus ſit nobiſcum.* De facultatibus tandem ſuis aliquid ſumens, ad proximum maris portum perrexit, aſcendenſque navem, Laodiceam uſque devenit. Hic eſt modus, quo ſanctus hic peregrinus a paterna domo exiit: qui quidem modus eſt mirabilis; immo & in eo multa ſunt mirabilia. Mirabile enim eſt, quomodo Alexius ſponſam ſuam erudiendi, & ad Dei amorem excitandi, cor, & animum habuerit: mirabile eſt, quomodo ſecretum ſibi a Deo creditum, ſervare potuerit, & quomodo a domo, in qua tot erant domeſtici, omnibus inſciis evaſerit; mirabile eſt, quomodo a patre, matre, & ſponſa, ſiccis oculis ſe ſeparaverit; ac quomodo navim in portu paratam invenerit, in qua a nemine cognoſceretur, & a ſuſcepto opere retardaretur: in modo tandem, quo Alexius a paternis laribus exivit, omnia ſunt mirabilia.

Non ſemel demiratus ſum modum, quo Deus Lot de Sodoma eduxit: ad eum enim duos miſit Angelos, qui Sodomitas multos cæcitate percuſſerunt, & qui apprehendentes manum ejus, duxerunt eum extra civitatem; ibique locuti ſunt ad eum, dicentes; *Salva animam tuam: noli reſpicere poſt tergum; nec ſtes in omni circa regione. Geneſ. 19.* Ecce modum mirabilem, quo utitur Deus, ad educendum Lot de Sodomitis, ſed modo non minus mirabili Alexium de Sodoma, ſeu de mundo maligno eduxit. Verum eſt, quod Deus non miſerit Angelum, qui eum alloqueretur, & educeret, ſed ipſe illum intus allocutus eſt; ipſe illi inſpiravit, quomodo ſponſum affaretur, & quid ei offerret, ipſe illum intus docuit modum, quo ſe a domeſticis extricaret, & ad portum, cunctis inſciis, ſe conferret. Alexius autem cuncta, quæ Deus inſpiravit, perfectiſſime adimplens, modo mirabili a paterna domo exiit. Ecce peregrinum admirabilem in exitu ſuo a domo patris; *Exivi a patre.* Sed Alexius fuit etiam peregrinus admirabilis in converſatione ſua extra domum patris, & quandiu in variis mundi regionibus peregrinatus eſt. *Et veni in mundum.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Alexius fuit peregrinus admirabilis in converſatione ſua extra domum patris.

Peregrinatur tandem Alexius, & extra paternam domum, tamquam humilis peregrinus, ſeptemdecim annis diſcurrit, quo tempore Laodiceam, Edeſſam Siriæ civitatem, aliaque loca longiſſime diſtantia peragrat. Sed in tota hac peregrinatione Alexius eſt peregrinus in moribus, & converſatione ſua admirabilis; qui veri & ſanctiſſimi peregrini leges perfectiſſime ſervat. Ipſe etenim ſe exonerat, tranſit & tendit ad patriam: ipſe 1. *Se exonerat* bonis temporalibus: 2. *Tranſit* ignotus omnibus obviis: 3. *Tendit* ad patriam cæleſtem.

1. Omnis peregrinus, ſi prudentiæ vel minimum habeat, deprimentibus inutiliter non ſe onerat ſarcinis, quæ fatigationem augent, & pergendi facilitatem tollunt. Et in hoc potiſſimum prudentes eſſe ſolent peregrini illi ſpirituales & pii, qui pro Dei amore in mundo, & a mundo peregrinantur: iſti enim ita temporalibus ſe nobis exonerant, ut omnia penitus abdicent & relinquant, exceptis his, quæ ad victum & veſtitum ipſis neceſſaria ſunt. *Peregrinus victum & veſtitum habens, non vult aliis onerari. S. Bern. ſer. 8. in c. jej.*

D. Paulus ex piis & perfectis illis fuit peregrinis, qui ſolo victu & veſtitu contenti ſunt: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumur. 1. Tim. 6.* Ex ejuſdem generis peregrinis extitere nonnulli alii Sancti; ſed præcipue Alexius, qui peregrinus ita perfectus fuit, ut vile induens veſtimentum, propriis & pretioſis ſe veſtibus exoneraverit; omnemque pecuniam, quam e paterna domo tulerat, pauperibus diſtribuerit. Cum enim Edeſſam pervenit, omnia quæ ſecum portaverat, pauperibus largitus eſt: & vilia induens veſtimenta, cum ceteris pauperibus in atrio Templi Beatiſſimæ Virginis ſedere cœpit, mendicans; ac quandiu ibi remanſit de acceptis eleemoſynis ea ſolum retinens, quæ ſibi ad victum abſolute neceſſaria erant, cetera aliis pauperibus erogavit. Ecce peregrinum vere exoneratum.

In annalibus Fratrum Minorum *Tom. 1. ann. 1226. num. 18.* fertur, quod Frater Leo, Seraphici Franciſci filius & ſocius, aliquando in extaſim raptus, magnum viderit flumen, quod Fratres Minores tranſvadare tentabant. Ex iis autem aliqui, magnis diverſarum rerum onuſti ſarcinis, ad fluvii oram ſubmergebantur; alii ulterius progrediebantur; citiuſque, aut tardius a fluminis abſorbebantur voragine, juxta majus, vel minus pondus ſarcinarum, quas portabant: ſed alii, qui penitus exonerati erant, citiſſime & abſque ullo periculo transfrerabant. En veram figuram eorum, quæ in hoc mundo fiunt: mundus enim eſt flumen ampliſſimum, quod pertranſire debent omnes, ut ad civitatem ſanctam Jeruſalem pervenire valeant. Qui autem terrenis rebus ſe nimis onerant, quique nimio eas affectu diligunt, ab iis in infernum demerguntur: ſed qui iis ſe exonerant, ut nudi nudum Chriſtum ſequantur, ad Paradiſum facile & ſine periculo perveniunt: quare Chriſtus Diſcipulos docens viam facilem, qua ad cæleſtem gloriam pervenire poſſint, ait illis, ut in hoc mundo vivant tanquam peregrini ita exonerati, ut omnia penitus abdicent, *Nihil tuleritis in via. Luc. 9. 3.* Quam Chriſti doctrinam perfectiſſime ſectatus eſt Alexius: fuit enim peregrinus ſanctitate eximia præditus; qui non ſolum gravem ſarcinam divitiarum, quarum futurus erat hæres; ve-

Digitized by Google

verum & levem ſarcinam alicujus pecuniæ, quam a paterna domo tulerat, penitus abjecit; & qui terrena omnia abdicavit, ut in peregrinatione ſua non retardaretur, utque facilius in virtutis & perfectionis via progredi valeret. At ſi Alexius eſt peregrinus perfectiſſimus, qui terrenis omnibus ſe exonerat: *Eſt etiam peregrinus perfectiſſimus, qui tranſit ignotus.*

2. Viatores plurimi, tametſi nobiles, docti, divites, vel eminente aliqua dignitate præditi; cum per alienas tranſeunt regiones, ſe ſuumque diſſimulant ſtatum, ut ab obviis quibuſque non agnoſcantur. Quod utique accuratius, majorique cum ſollicitudine facere ſolent viatores hi, qui pietatis cauſa, & propter Deum in hoc mundo, & a mundo peregrinantur: hi etenim quidquid hominum laudes, & venerationem ipſis conciliare poſſet, ſtudioſe occultant; ac ſollicite curant, ut hominibus ignoti, ſolique Deo noti ſint: *Sicut qui ignoti & cogniti.* 2. *Cor.* 6. 8. Quid alii fecerint, jam non ſingillatim recenſebo, unicum intueor Alexium; mirabilem hunc jam ſolum conſidero peregrinum; qui in peregrinatione ſua ita hominibus latere voluit, ut cujus eſſet, cujus patris eſſet filius, & cujus puellæ eſſet ſponſus, nemini manifeſtaverit. Ubique & omnibus dignitatem ſuam, divitias ſuas, & virtutes ſuas pro viribus occultavit: ac hominibus ita ſe ignotum præbuit, ut a patris ſui domeſticis, qui illum quærebant, eleemoſynam acceperit; nec ab iis notus ſit, licet millies forte in paterna domo illum antea vidiſſent.

Cum David, fugiens a facie Saul, veniſſet ad Achim Regem Geth, dixerunt ſervi Achis, poſtquam viderunt David; *Nunquid non iſte eſt David Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: percuſſit Saul mille, & David decem millia?* 1. *Reg.* 21. David vero timens, ne ex meritorum & dignitatis ſuæ agnitione in grave aliquod incurreret periculum, ſtultum ſe eſſe ſimulavit: *Nam immutavit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantque ſalivæ ejus in barbam*; & per hanc ſtultitiæ ſimulationem ignotus remanſit, & liberatus eſt. Alexius ſimiliter, ut in peregrinatione ſua hominibus ignotus eſſet, veſtes mutavit, immutavit etiam os ſuum per jejunium; ac ita inter mendicos converſatus eſt, ut nec a propriis famulis cognoſci potuerit. Immo timens, ne a famulis, vel ab aliis agnoſceretur, & ne virtutes ſuæ hominibus innoteſcerent; mox ut aliquis ſanctitatis ſuæ rumor in aliqua civitate reſpergebatur, ad aliam diſtitam migrabat: & ſic ſemper erat peregrinus, non hominibus, ſed ſoli Deo notus. Sed ſi Alexius eſt peregrinus perfectiſſimus, qui tranſit ignotus, *eſt etiam peregrinus perfectiſſimus, qui ad cæleſtem patriam tendit, & ire ſatagit.*

3. Alexium peregrinantem mirabiliter delineaſſe videtur S. Bernardus, cum dixit, quod peregrinus *via regia incedit; non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſi forte jurgantes viderit, non attendit, ſi nuptias, vel choros ducentes, nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit.* S. *Bern. ſer.* 8. *in c. jej.* Alexius enim in peregrinationibus ſuis, via regia Sanctæ Crucis; & mandatorum Dei continue inceſſit: non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ut voluptates & honores ſæculi quæreret: hominum jurgiis non ſe immiſcuit: nec ſollicitus fuit, an homines quique nuptias facerent, vel choros ducerent; ſed ſemper tranſivit ut peregrinus, ad quem talia non ſpectabant; ſemperque & indeſinenter ad cæleſtem patriam tetendit. Sancti hujus peregrini cor, cæleſtis hujus patriæ deſiderio continue ardebat; & ideo pertranſibat, contemnens quidquid in mundo pulchrum & delectabile ſibi occurrebat: ac deſpiciens quidquid æſtimare ſolent alii, unicum ejus ſtudium erat, mandatorum & eminentiorum virtutum via incedere, ut ad cæleſtem patriam perveniret, ad quam indeſinenter anhelabat, & continue tendebat: *Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit.*

Tres peregrinorum leges enumerat Seraphicus Pater S. Franciſcus; nempe, *ſub alieno colligi tecto: pacifice pertranſire, ſitire ad patriam. Opuſc. tom.* 3. *collat.* 5. Quas leges perfectiſſime ſervavit Alexius: ille enim, relicto proprio palatio, varias peragravit provincias, ſub alienis tectis ſemper recumbens; ille etiam ita pacifice & pie pertranſivit, ut ſanctitatem ejus admirarentur, quotquot converſatione ejus vel minimum fruebantur; ille tandem ad cæleſtem patriam anhelavit, eam ardenter concupivit, & ad eam continue tetendit. Unde mihi audire videor ſanctum hunc peregrinum, in omnibus locis quæ pertranſibat, dicentem: *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus: Heb.* 13. 14. Ad cæleſtem enim patriam indeſinenter ſuſpirabat, & ſanctis ſuis operibus ad illam inceſſanter pertendebat. Ecce peregrinum vere mirabilem, quamdiu in mundo, ſeu extra patris domum peregrinatur; ſed Alexius eſt etiam peregrinus admirabilis, cum ad paternam domum revertitur: *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

TERTIA PARS.

Sanctus Alexius fuit peregrinus admirabilis in regreſſu ſuo ad domum patris.

Cum diu in Edeſſa civitate commoratus fuiſſet Alexius, eximiam ejus ſanctitatem aliqua beatiſſimæ Virginis imago manifeſtavit: quare ut hominum laudes & æſtimationem fugeret, inde receſſit, & Laodiceam venit: Cumque ibi navim conſcendiſſet, ut ad Tarſum Ciliciæ ſe conferret, Deo ſic diſponente, navis a ventis pulſa, in portum Romanum devenit. Ubi cæleſti irradiatus lumine, agnoſcens velle Deum, ut ad paternam domum reverteretur, ad eam reverſus eſt; ſed modo penitus admirabili. Ad eam enim rediit, ut hoſpitaretur, ut lateret, & ut pœnitentiam ageret: ad eam rediit: 1. Ut in ea hoſpitaretur, & non ut dominaretur: 2. Ut in ea lateret, & non ut luceret: 3. Ut in ea pœnitentiam ageret, & non ut deliciis frueretur.

1. Filius prodigus, de quo S. Lucas Evangeliſta, fame confectus, ad patrem redire ſtatuit, non ut tanquam ignotus & peregrinus ab eo reciperetur; ſed ut ei ſuam manifeſtaret miſeriam, uſque

ad miſericordiam flecteret: Alexius vero ad patrem redit, ut ei ſe occultet, & ut ab eo, velut vilis peregrinus, recipiatur. Obvio enim ſibi patri non dicit: pater meus es tu, & ego filius tuus ſum; ſed dicit ei. *Serve Dei, peregrinum in domo tua me ſuſcipi jubeas, & de micis menſæ tuæ me nutriri facias, ut tui quoque peregrini dignetur Deus miſereri.*

O Alexi, manifeſta teipſum Patri, & protinus recipieris ut filius ejus unicus, & omnium bonorum illius futurus hæres. Loquere, o Alexi! unicum proferas verbum, dic ſolum, quod Alexius ſis, & ſtatim amplexabitur te pater, qui te mortuum eſſe ſuſpicatur; gaudebit mater, quæ a diſceſſus tui tempore indeſinenter luget; tripudiabit uxor, quæ inſtar turturis gemere non deſinit, gaudium denique magnum erit in tota domo, in qua ut dominus ejus recipieris, loquere, & ſtatim in medio domeſticorum tuorum dominaberis. Loqui non vult Alexius, ut ſe filium eſſe manifeſtet, quia non redit ad domum patris, ut in ea dominetur, ſed ut in ea tanquam peregrinus & hoſpes recipiatur. Et revera a patre ſolum petiit, ut ipſum tanquam peregrinum recipiat; piuſque pater, qui filium non agnoſcebat, ordinavit, ut ſub quodam domus ſuæ tuguriolo, tanquam peregrinus collocaretur. O peregrinum ſanctiſſimum! O omnibus ſæculis admirabilem!

Peregrini, qui diſſitas peragrant regiones, in bonis quæ ipſis occurrunt, nihil habent, quam viſum, ſeu poteſtatem videndi ea. Si virentia prata, horti omnium florum genere ornatiſſimi, magnifica palatia, & alia, quantumvis pulchra & pretioſa ipſis occurrant: in his omnibus nullam habent dominationem, nullumque jus, ſed ſolam facultatem ea videndi inter tranſeundum. Alexius autem ad paternam domum rediens, in ea recipi voluit; non ut dominus, ſeu ut habens dominium & jus ſuper bona patris ſui, ſed ut peregrinus, nil in paternis bonis habens, quam viſum. Sicut cum longe a paterna domo peregrinatus eſt, in bonis quæ ipſi occurrerunt, nil habuit, niſi viſum; ita & ad paternam domum reverſus, nil niſi viſum in ea habere voluit. Sicut alii peregrini in Alexii domo viſum habebant; ita & ipſe in propria domo nullum dominium, nilque niſi viſum habere voluit: O peregrinum admirabilem, qui in paterna domo recipi vult, non ut in ea dominetur; ſed ut in ea hoſpitetur: *Et qui in ea etiam recipi vult, ut in ea lateat, & non ut fulgeat.*

2. Cum filius prodigus ad paternam domum rediit, accurrens pater, cecidit ſuper collum ejus, oſculatus eſt eum; dixitque ſervis, ut afferrent ſtolam primam, ſeu veſtem pretioſiorem, qua indueretur; annulum etiam, aliaque honoris ſigna ei dari curavit. Heu! ſi tantus honor impenditur filio illi prodigo, qui diſſipaverat ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſe, quanto honore affectus fuiſſet Alexius filius unicus, Alexius Sanctus, Alexius dilectus Deo & hominibus, ſi ſe manifeſtaſſet? Haud dubie a parentibus, a domeſticis, & ab univerſa civitate Romana immenſis fuiſſet honoribus cumulatus; ſed Alexius ad paternam domum non venit, ut in ea honoretur, & luceat; ſed ut lateat. Cum enim ad portum Romanum appulit, dixit in ſemetipſo: *Ibo ad patrem meum, & in domo ejus ignotus manebo.* Quod revera opere complevit: in paternæ enim domus tuguriolo ſeptemdecim annis latitavit; ibique toto hoc tempore ita ignotus fuit, ut famuli ipſum ſæpiſſime deriderent, ei illuderent, eumque nonnunquam injuriis afficerent.

Alexius in hoc tuguriolo, honorem inter & dedecus erat conſtitutus: ad utrumque manum extendere poterat; lucere, aut latere, in ejus erat poteſtate: ſi enim manifeſtaſſet ſemetipſum, honoratus fuiſſet ut Euphemiani filius, ut Imperatoris affinis, & ut vir nobilitate ſua fulgens; ſed maluit ſub tuguriolo ignotus, & ut vilis perigrinus latere, ibique irriſiones & injurias multas pati, quam in mundo lucere & honorari. Probe novit Alexius, honores mundi nihil eſſe, nomenque honoris habere, rem non habere: *Blandum nomen honor: S. Paulin.* quare volaticos & vanos illos deſpexit honores; maluitque in recondito paternæ domus receſſu, ut pauper peregrinus latere, quam in mundo lucere, & ab hominibus honorari.

De Galatio Sfortia legitur, quod pro ſymbolo depictum habuerit cæli globum, ſtellis ſatum, & perfuſo lumine coruſcantem, his verbis adjectis; *Me trahit altus honos.* Eodem ſane honore trahebatur Alexius; hic cæleſtem globum aſpiciebat; & deſpectui habens fugaces, unoque momento durabiles mundi honores, ad cæleſtes anhelabat, & iis ſolis trahebatur. Ei quidem ſeſe offerebant honores ſæculi; ad illos ſublimari, & iis frui poterat: at lucere noluit in mundo, ſed latere; omnes mundi honores deſpexit; & contemni, necnon ſub tuguriolo exhonorari prælegit, ut æternos in cælo honores aſſequi valeret. Quis non miretur ſanctiſſimum hunc peregrinum, qui ad paternam domum revertitur, ut in ea lateat, & non ut luceat? ſed Alexius eſt etiam peregrinus admirabilis, qui ad patris domum redit, *ut pœnitentiam agat, & non ut gaudeat, mundique deliciis fruatur.*

3. Cum filius ille prodigus, de quo jam diximus, ad paternam domum reverſus eſt, audita ſunt in ea ſuavis muſicæ inſtrumenta; gaviſus eſt pater, eo quod inveniſſet filium qui perierat; credidit que pius & miſericors pater, in filii reditu danda neceſſario gaudii, & lætitiæ ſigna; *Epulari & gaudere oportebat. Luc. 15.* Heu! ſi pater hic, redeunte prodigo & miſero filio, qui ſuam cum meretricibus diſſipaverat ſubſtantiam, tanta gaudii ſigna edidit; quantum in Euphemiani domo excitiſſet gaudium, ſi rediens Alexius ſeipſum manifeſtaſſet? Tota haud dubie ſupra modum gaviſa eſſet familia: parentum luctus converſus fuiſſet in gaudium, nilque non feciſſent, ut gaudii & lætitiæ ſigna ederent. Loquere ergo Alexi: manifeſta teipſum, & ſimul cum parentibus gaude. Abſint a me mundana gaudia, ait in corde ſuo Alexius: ad paternam enim domum venio, non ut deliciis affluam, ſed ut duræ pœnitentiæ operibus incumbam. A patre peto, non bonis ejus ſaginari, non voluptatibus ſæculi frui; ſed ſolum in recondito domus ejus receſſu latere, ut ibi pœnitentiam agam. Et revera toto ſeptemdecim annorum tempore in paternæ domus tuguriolo latens, corpus ſuum jejuniis, aliiſque pœnitentiæ operibus affligere non deſtitit.

Cum

Digitized by Google

Cum Alexium in hoc paternæ domur tuguriolo conſidero, mihi in mentem venit Tantalns, quem Poetæ fingunt in inferno, aquis immerſum uſque ad labium inferiur, & tamen bibere non poteſt; habentem fructus oprimos, usque ad labium ſuperius pendulos, & tamen ex iis comedere nequit; bonis plurimir circumdatum, & tamen iis potiri non valet. Hæc fictio eſt pictura levis eornm, quæ ex neceſſitate patiuntur in inferno damnati: ſed vidrtur etiam eſſe repræſentatio quædam pœnitentiæ, quam in paternæ domus tuguriolo voluntarie & libere ſuſcepit Alexius. Ipſe etenim in paterna domo propriam videt mulierem, & pœnitentiæ ſpiritu accenſus, eam non tangit, nec concupiſcit: cibos videt exquiſitos, & ex pœnitontiæ motivo ab iis abſtinet: circumdatur honoribur, ad quos elevari poteſt, & divitiis, quibus affluere & frui in ejus erat poteſtate: ſed pœnitentiæ animo concitatus, iis frui recuſat. O gravem Alexii pœnitentiam! Quam ipſe adhuc duriorem efficiebat vigiliis, jejuniis, aliiſque pœnitentiæ ſeverioris adinventionibus, quibus corpur ſuum dire cruciabat.

Ecce peregrinum vere mirabilem; *tum* in exitu a domo patris, *tum* in converſatione ſua extra domum patris, *tum* in reditu ſuo ad domum patris. Sed randem hic peregrinus ad optatum peregrinationis terminum, ſeu ad cæleſtem patriam feliciter pervenit: ejuſque ſanctitatem mox poſt ejus mortem Deus manifeſtavit voce e cælo delapſa, quæ die Dominica inter Miſſarum ſolemnia audita eſt, dicente: *Dei ſervum in domo Euphemiani quærito, ut ores pro urbe Roma.* In domo enim Euphemiani inventus eſt ſervus Dei Alexius, fato functus, in manu chartam detinens; quæ nec a patre, nec a matre, ſed a ſolo ſummo Pontifice evelli potuit. Summus autem Pontifex eam legi fecit coram innumera populi multitudine, adſtantibus etiam Alexii patre, matre, & uxore. Qui audientes, hunc Dei ſervum eſſe Alexium, quem tanta ſollicitudine quæſierant, amaras fudere lacrymas: utque Deus ſanctitatem ejus manifeſtaret, tactu corporis illius, dæmoniaci liberati ſunt, cæci viſum receperunt, & alii multi a variis infirmitatibus ſanati fuerunt.

Miramini Alexium, qui quidem dura in peregrinatione ſua perpeſſus; ſed jam laborum ſuorum remunerationem habet. Hunc miramini; & quantum fas erit, illum quiſque imitari conetur. Peregrinus ille fuit, & peregrini ſumus nor: peregrinus fuit ille voluntarie, & quamdiu in hoc mundo vivimus nos, peregrini neceſſario ſumus: *Non te fallas*, ait Auguſtinus, *hoſpes es, velis nolis.* Sicut autem Alexius tam perfecte in peregrinatione ſua vixit, ut tandem æternam beatitudinem aſſecutus ſit: ita & nos in peregrinatione noſtra Deo fideliter ſerviamus, mandata ejus cuſtodiamus, ac tam pie, tamque perfecte vivamus, ut poſt mortem ad cæleſtem patriam feliciter perducamur. *Amen.*

DE SCAPULARI BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO UNICA.

Induit me veſtimentis ſalutis; & indumento juſtitiæ circumdedit me.

QUi ſacra tantillum pervolutarunt volumina, adverterunt haud dubie, patres & matres, ſpeciali quadam cura & complacentia, filios ſuos veſtimentir induiſſe. Cum ſe nudos eſſe cognoverunt protoparentes noſtri, nonne Deus, qui eſt omnium pater, *fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos? Geneſ. 3.* Nonne Jacob, dilecto filio Joſeph, *fecit tunicam polymitam? Geneſ. 37.* Nonne revertenti filio prodigo, ſtolam primam dari juſſit pius ejus pater? Nonne Anna, matrr Samuelis, *tunicam parvam faciebat ei, quam afferebat ſtatutis diebus? 1. Reg. 2.* Nonne Rebecca, ut ſingularem, quo Jacob proſequebatur, amorem manifeſtaret, *veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum? Geneſ. 27.* Et ut ad Mariam Dei Genetricem veniamus, hæc Chriſtum recens natum *pannis involvit. Luc. 2.* Immo, ſi multis Auctoribus credamus, fecit Maria; & dedit Chriſto hanc veſtem inconſutilem, qua induebatur, & ſuper quam milites miſerunt ſortem; *& in veſtem meam miſerunt ſortem. Joann. 19.* Sicut autem Maria filio ſuo naturali Chriſto veſtimenta præbuit: ita & filio ſuo ſpirituali, Beato Simoni Stock, veſtimentum dedit, quod *Scapulare* vocamus, dicens: *Dilectiſſime fili, hoc recipe tui Ordinis Scapulare.* Iſtud autem eſt veſtimentum ſanctitatis & ſalutis, de quo jam nobis inſtituendus eſt ſermo, &c. *Ave.*

MUltos filios habet Maria, unum ſcilicet naturalem, & alios adoptivos. Filius ejur naturalis eſt Jeſus, quem ipſa in Bethlehem genuit; filii vero ejus adoptivi ſunt, quotquot illam reverenter colunt; & ſpecialiter Fratres Ordinis Carmelitani, necnon quicumque Scapulare pie & debite geſtant. Iſti filii, quos ſpiritualiter gignit, & lactat Maria: *Beatiſſima Virgo Carmelitarum Ordinem ſpiritualiter genuit, & ad ubera lactavit. Gregor. 13. in bulla.* Sicut autem Maria Filium ſuum naturalem, non ſolum veſte humanitatis noſtræ, verum & aliis veſtibus induit: ita & filiis ſuis adoptivis, ſeu Confratribus Carmeli, juſtitiæ & ſanctitatir veſtimentum dedit. Hoc veſtimentum non aliud eſt, quam Scapulare, quod Beato Simoni Stock, Ordinis Carmelitani Miniſtro Generali, ipſa Virgo propria manu præbuit, dicens: *Ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis, & pacti æterni.*

Illud veſtimentum dedit Maria, ut ſignum: *Ecce ſignum.* Illud etiam nunc proponam, ut ſignum mirabile fœderis, protectionis, & ſalutis. Scapulare *eſt ſignum fœderis*: quia qui illud pie geſtant, ſpe-

ſpeciali fœdere Virgini Mariæ ſunt conjuncti. *Eſt ſignum perfectionis*: quia illos Virgo efficaciter protegit. *Eſt ſignum ſalutis*: quia eorum ſaluti ſingulari cura & ſollicitudine Maria invigilat. Scapulare iis, qui illud pie deferunt, eſt: 1. Signum fœderis: 2. Signum protectionis: 3. Signum ſalutis.

PRIMA PARS.

Scapulare eſt ſignum fœderis.

SIcut, prima omnium mulierum, dicta eſt *Eva*, ſeu mater omnium viventium: ita, inquit S. Epiphanius, nobiliſſima, & perfectiſſima omnium mulierum Maria, *vera eſt Eva*: quia eſt mater viventium, id eſt, omnium prædeſtinatorum, quos ipſa juxta Chriſti crucem in dolore peperit. Sed inter adoptivos illos Mariæ filios, aliqui ſunt ſpecialiori quodam modo adoptati, & Mariæ filii, Religioſi ſcilicet Ordinis Carmelitani; ac etiam quicunque confraternitati Scapularis ſunt adſcripti. Sicut enim, licet omnes Apoſtoli eſſent adoptivi Mariæ filii: ſpecialiter tamen S. Joannes Evangeliſta filius ejus dicitur: *Mulier, ecce filius tuus*; ita licet omnes prædeſtinati, ſint adoptivi Mariæ filii; Carmelitæ tamen, & confratres Scapulare portantes, ſpeciali quodam modo ejus ſunt filii: quos Maria ut filios modo quodam ſpirituali genuit & lactavit. Unde de quolibet ex iis, poſſet Mariæ dici: *Mulier, ecce Filius tuus*.

Qui naturales habent filios, alios ſibi in filios non adoptant: ſed tantus Patris æterni erga nos amor extitit, ut, licet filium naturalem haberet ſibi coæternum & coæqualem, nos tamen in filios adoptaverit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus*. 1. Joann. 3. Amore quodammodo ſimili ſanctum Carmelitarum Ordinem proſecuta eſt Maria: licet enim naturalem, & æterno Patri conſubſtantialem ipſa haberet filium, adoptivos tamen in Carmelo filios habere voluit; & RR. PP. Carmelitas, ipſoſque aggregatos confraternitatis Scapularis ſodales, in filios adoptavit. Immo & adoptati iſti Mariæ filii ſimili quodam modo geniti ſunt, quo Patris æterni Filius. Sicut enim Chriſtus, æterni Patris Filius, genitus eſt in æternitate ex patre ſine matre, & in tempore ex matre ſine patre: ita Carmelitæ, Mariæ filii, bis nati ſunt, in veteri ſcilicet teſtamento ex Patre Elia ſine matre, & in novo ex matre Maria ſine patre: beatiſſima enim Virgo eos ſpiritualiter genuit.

O mirabiles & feliciſſimos Mariæ filios! Hi quidem non ſolum filii, verum & primogeniti Mariæ filii a ſummis Pontificibus ſunt vocati. Tum quia in perſona protoparentis Eliæ illam, nongentis annis antequam naſceretur, agnoverunt & venerati ſunt ſub ſpecie illius nubeculæ, quæ ſancto huic Prophetæ apparuit: *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*. 3. Reg. 18. Tum quia, ut varii narrant Hiſtorici, Prophetæ illius filii primam, quæ in honorem Virginis fuit conſecrata, Capellam ædificaverunt. Tum quia legitimi ſancti illius Prophetæ filii, omnibus ſæculis pro Mariæ gloria, nonnunquam etiam cum vitæ diſcrimine, generoſe decertarunt. Unde inter Mariam Matrem, & ejus filios Carmelitas, fuit ſemper viciſſitudo quædam amoris, & venerationis. Eos enim ſingulari ſemper amore proſecuta eſt Maria, ſuumque iis teſtificata eſt amorem innumeris gratiis & favoribus, quibus eos affecit; & viciſſim Carmelitæ, ut legitimi tantæ matris filii, eam ſpeciali cum reverentia ſemper venerati ſunt, ac pro illius gloria præteritis ſæculis glorioſe pugnarunt, ſicut & nunc pugnare non deſinunt.

Ecce fœdus, quo Maria cum Carmelitis, necnon cum ſæcularibus, Scapulare pie portantibus, conjungitur: non enim cum iis confœderata eſt ſolum ad debellandas tartareas poteſtates, & ad interimendas omnes hæreſes quæ in mundo oriuntur: ſed cum iis etiam iniit fœdus amicitiæ & affinitatis; quo ipſa eos in filios adoptivos recipit, & ipſi viciſſim eam ut Matrem venerantur. Si autem majus eſſe non poſſit fœdus, quam matris cum filiis ſuis, quanto, quæſo, cum filiis ſuis Carmelitis fœdere conjuncta eſt Maria? Certe tanto, ut majus eſſe non poſſe videatur.

At Mariæ non fuit ſatis, quod Carmelitis, ut filiis adoptivis, conjungeretur; voluit enim inſuper Virgo, hujus fœderis ſignum ſenſibile eis præbere; nempe Scapulare quod geſtant, & quod B. Simoni Stock, ut ſignum illius fœderis dedit, dicens: *Dilectiſſime fili, hoc recipe tui Ordinis Scapulare, meæ confraternitatis ſignum, fœdus pacis, & pacti ſempiterni*.

Poſt diluvium Deus cum hominibus fœdus quoddam ſpeciale inire dignatus eſt; & in illius fœderis ſignum, arcum cæleſtem in nubibus poſuit, ut hoc ſigno omnibus notum fieret, illum cum hominibus ſempiternum pepigiſſe fœdus: *Arcum meum ponam in nubibus, erit ſignum fœderis inter me, & inter terram*. Geneſ. 9. 13. Sicut autem arcum ſuum Deus in nubibus poſuit, ut ſignum publicum & ſempiternum fœderis, quod cum hominibus fecit: ita & Maria Scapulare dedit, ut ſignum publicum & æternum fœderis, quod cum Carmelitis iniit. Hoc Scapulare, eſt arcus cæleſtis Carmelitarum, quo Maria omnibus notum facere voluit, ſe illis tanto fœdere jungi, ut ipſa eorum mater, & illi filii ejus adoptivi ſint.

O qualem Mariæ erga Carmelitas dignationem! ſed o quantam illorum gloriam! ſi enim gloriabantur Judæi, quod filii Abrahæ eſſent: *Patrem habemus Abraham*: Matth. 3. quanto glorioſius eſt Carmelitis, & omnibus Scapulare geſtantibus, quod Mariæ tanto ſint fœdere conjuncti, ut filii ejus adoptivi ſint, ac dicere poſſint: *Filii Mariæ ſumus?*

Hoc quidem illis glorioſiſſimum: At parum eſt, quod filiorum Mariæ nomen, & veſtem habeant; ſi opera filiorum Mariæ non faciant. Cum gloriabantur Judæi, quod Abrahæ filii eſſent: *Pater noſter Abraham eſt*: reſpondit eis Jeſus. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Joann. 8. Debent ſimiliter Carmelitæ, & ſcapulariſtæ, qui filiorum Mariæ titulo gloriantur, filiorum Mariæ opera facere. Ita vivere debent, ut in eorum operibus fulgeant mores & virtutes Mariæ: *Mariam induite quotquot diligitis eam, hæc ſplendeat in moribus, hæc fulgeat in actibus*. D. Bonav.

Omnes baptizatos, Chriſti veſte eſſe indutos, aſſerit

Digitized by Google

ait D. Paulus; *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ad Gal.* 3. O ſplendidam, & glorioſam hominis baptizati veſtem! ſed veſtis illa, qua induitur Chriſtianus, eſt quaſi quidam contractus, quo ad Chriſtum imitandum ligatur. Convenire enim debent inter ſe veſtis qua induimur, & mores quos gerimus. Immo & videtur, quod ex ipſa veſte agnoſci debeant mores illius, qui eam geſtat: *Habitus mores pronuntiet. Tertull.* Quare omnes baptizati, qui Chriſti veſte induuntur, Chriſti etiam mores præferre tenentur. Quod autem, reſpectu Chriſti de omnibus baptizatis dico; dicam ſimiliter, reſpectu Mariæ, de omnibus, qui Scapularis confraternitati nomen dederunt; cum etenim iſti filiorum Mariæ veſtem gerant, filiorum etiam ejus mores præferre debent: ſi filiorum Mariæ nomine & veſte glorientur, opera filiorum Mariæ faciant neceſſe eſt; oportet, ut Marianus hic habitus, Marianas virtutes redoleat & pronuntiet. Quare, o vos omnes qui Scapulare geſtatis, ne impudicitiis, helluationibus, aliiſque filiorum diaboli operibus incumbatis; ſed filiorum Mariæ opera gerite, & tunc ſancta hæc veſtis erit vere ſignum filiationis veſtræ & fœderis, quod cum ea iniiſtis. Sed ſi Scapulare eſt ſignum fœderis; *Eſt etiam ſignum protectionis.*

SECUNDA PARS.

Scapulare eſt ſignum protectionis.

MUltis quidem titulis commendatur ſacer Carmelitarum Ordo, & præcipue ratione antiquitatis; cum ex Patre Elia diu ante Chriſti Nativitatem in monte Carmelo ortus ſit; ubi Carmelitæ primum filii Prophetarum ſunt vocati, deinde ibi Eſſeni ſunt dicti, & tandem in Eccleſia ſub nomine Religioſorum montis Carmeli glorioſe floruerunt. Sicut autem Mariam, & loca ſancta in quibus ipſa habitaverat, ii Religioſi ſpecialiter venerati ſunt; ita & viciſſim Maria eos ſpeciali ſua protectione ſemper fovit: hi ſunt filii dilectiſſimi, *quos ipſa ſpiritualiter genuit; Greg. XIII.* & hi ſunt filii chariſſimi, quos ipſa protegere non deſinit. Sed & ejus protectio ad ſæculares, qui Scapulare gerunt, ſe extendit: illos & iſtos ſua protectione fovet Maria, quæ ſcutis circumdata videtur, ut utroſque protegat.

Stat Virgo a dextris Dei. *in veſtitu deaurato; circumdata varietate*; ſeu ut alia verſio habet, *Circumdata ſcutis*: circumdatur enim Maria ſcutis, ut montis Carmeli Fratres, & confratres Scapulare geſtantes protegat. *Uno* ſcuto illos ab ira Dei tuetur: *alio* eos a dæmonis malitia defendit, & *alio* illos ab innumeris periculis & caſibus protegit; Unde videtur, Scapulare, quod & religioſi, & ſæculares geſtant, eſſe ſigillum, & ſignum publicum protectionis Mariæ erga illos. Verum eſt, Scapulare in ſe & materialiter tantum ſpectatum eſſe ſolummodo quoddam panni fruſtulum; ſed in ratione ſigni, Scapulare eſt quid pretioſiſſimum: quia non ſolum eſt ſignum fœderis quod Maria contrahit cum eo, qui illud defert; ſed eſt etiam ſignum ſingularis protectionis Mariæ erga eum.

Sicut Chriſtus Dominus Sacramenta inſtituit, quæ ſunt ſigna efficacia gratiæ, quam intra animas noſtras operatur: ita Maria inſtituit, non quidem verum Sacramentum, quia, ut ait Doctor Angelicus, ſolius Chriſti eſt Sacramenta inſtituere; ſed inſtituit Scapulare ut ſignum quoddam morale & ſenſibile protectionis ſuæ, quam non denegat iis qui illud deferunt, modo in malo non ſint penitus obdurati & pertinaces. Unde licet Scapulare non ſit Sacramentum, aliquid tamen Sacramenti habet, nempe rationem ſigni efficacis: quia eſt ſignum aliquo modo efficax protectionis Mariæ; quæ cum in aliquo Confratre Scapulare videt, hoc ſigno ab ipſo inſtituto, ad eum protegendum excitatur & movetur.

Sacramenta, ut tenet Doctor ſubtilis, cauſant moraliter gratiam; quia ſunt ſigna a Chriſto inſtituta, quibus movetur & determinatur ad conferendam gratiam iis, qui illa debite recipiunt. Sicut autem his ſignis movetur Chriſtus ad dandam gratiam illis, qui ea non indigne recipiunt: ita & Scapulare eſt ſignum a Maria inſtitutum, quo ipſa movetur & excitatur, ad protectione quadam ſingulari fovendum eos, qui illud debite portant. Sicut etiam in Sacramentis Chriſtus aliquid viſibile, ſeu ſenſibile eſſe voluit, quo inviſibiles eorum effectus ſignificarentur: ita & Maria hanc veſtem, quam Scapulare vocamus, dedit ut ſignum externum & viſibile, quo ſignificaretur protectio ſingularis, quam non denegat iis qui illud religioſe & debite portant. Quare dicendum, ſanctam hanc veſtem a Maria datam eſſe in ornamentum & in ſignum: data eſt in ornamentum, quia eſt extenſio quædam veſtis illius deauratæ, qua circumdatur Maria: *In veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Data eſt etiam in ſignum non ſolum fœderis, quod Maria contrahit cum illis, qui eam geſtant; verum & protectionis ſingularis, quia illis ſemper præſto eſt.

O ſignum mirabile! o ſignum efficaciſſimum, quo ad protegendos montis Carmeli Fratres, & Sodales eorum Scapulare portantes, Maria allicitur! Narrent omnes qui a pluribus ſæculis ſacra hac veſte induti ſunt, quantos Marianæ protectionis effectus perceperint: dicant, quot ex iis a ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ Maria vocaverit: dicant, quot ex iis a dæmonis poteſtate Virgo liberaverit, quot ægrotantes ſubito ſanaverit, quot naufragantes e mediis irati maris undis eripuerit, quot ad mortem vulneratos priſtinæ ſanitati reſtituerit, quot e latronum manibus eruerit, quotque ab innumeris aliis periculis ſalvos & incolumes evadere fecerit. Horum prodigiorum hiſtoriæ ſatis notæ ſunt, integramque eorum enarrationem facundus quique orator nuſquam perficere poſſet. Scimus Mariam eſſe protectricem Confratrum montis Carmeli. ſcimus etiam Scapulare eſſe ſignum ſenſibile & efficax protectionis ejus; ſed quot & quanti hujus protectionis effectus extiterint, ſcire non valemus.

Confidite vos, o felices montis Carmeli Fratres; ſperate in Maria vos omnes, qui Scapularis confraternitati eſtis adſcripti: hæc etenim vere vos & in adverſis & in proſperis proteget; modo religioſe & debite ſacrum hoc ſignum deferatis. Sed, heu flens dico, ex his Confratribus multi venerandam illam Virginis veſtem ſuis criminibus deturpant; &

dum ſignum illud protectionis Mariæ præferunt, Chriſtum & Mariam ſceleribus ſuis ad iracundiam provocant. Hi aliter veſte, & aliter criminibus ſuis loquuntur; veſte enim ſua dicunt Mariæ: protege nos; & criminibus ſuis dicunt ei: ne nos protegas. Maria tamen Confratres omnes qui Scapulare portant, ſive juſti ſint, ſive peccatores, vere protegit; ſed non æqualiter. Sicut enim Deus omnibus, etiam peccatoribus, quantumvis indiguis, cæleſtis ſuæ gratiæ auxilia confert, ſed non æqualiter: quia aliis majora, & aliis minora gratiæ ſuæ dona largitur: ita Maria omnes Ordinis Carmelitani Fratres omneſque Scapulare gaſtantes protectione ſua fovet, ſed non æqualiter, quia alios magis, & alios minus protegit.

Quis cenſeat, Mariam ſingulariter diligere & protegere hos confraternitatis Scapularis alumnos, qui obſcœnis impudiciciis vacant, qui ebrietatibus ſcandaloſis indulgent, qui turpibus uſurarum lucris crumenam implent, & qui cor invidia, vindicta, dolo, & aliis pravis affectibus turbatum habent? Crediderim, quod iſtos aliquo modo Maria protegat; ſed certe non protectione tanta, quanta eos qui ei pie & devote inſerviunt. Immo & timendum, ne in magnis & obſtinatis peccatoribus Scapulare ſit ſignum quoddam vanum protectionis Mariæ, quia in protectione quidem ejus ſignificat; ſed ita exiguam, ut quaſi ad nihilum ſit eis profutura. Quare o N. N. ita pie & religioſe Scapulare deferte, ut ſit vobis ſignum efficax pergrandis protectionis Mariæ: *ac etiam ut ſit vobis ſignum ſalutis.*

TERTIA PARS.

Scapulare eſt ſignum ſalutis.

Salutis noſtræ myſterium ita abſconditum eſt, & inſcrutabile, ut niſi ex ſpeciali Dei revelatione, ſcire quis poſſit, an de prædeſtinatorum numero ſit: *niſi ex ſpeciali Dei revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit. Trident. ſeſſ. 6. c. 12.* Altiſſimum hoc myſterium, magno Dei ſigillo obſignatum eſt: Unde ipſe ſolus illud penetrare valet, ipſique ſoli prædeſtinatorum numerus eſt agnitus: *Habens ſignaculum hoc, novit Dominus qui ſunt ejus. 2. Tim. 2.*

Licet autem de hoc myſterio apud homines certa non detur ſcientia, aliqua tamen a Theologis adnotantur prædeſtinationis ſigna, quæ certitudine quadam morali indicant, qui de prædeſtinatorum numero cenſendi ſint: inter quæ non ultimum locum tenet devotio erga Beatam Virginem Mariam, quæ inquit S. Bernardus, *certiſſimum eſt ſignum ſalutis æternæ conſequendæ.* Cui accinit S. Anſelmus dicens, affectum internum pietatis & devotionis erga B. Virginem, eſſe magnum prædeſtinationis ſignum: *Cui ſaltem ita conceſſum fuerit, ſæpe dulci ſtudio cogitare de Virgine, magnum promerendæ ſalutis indicium eſſe conjecto. S. Anſelm. de excell. Virg.*

Potentiſſima in cælo eſt Maria: ipſi enim a Chriſto omnis poteſtas collata eſt: *Data eſt ſibi omnis poteſtas in cælo & in terra,* inquit Petrus Damiani, *ſer. 1. de Nat. Virg.* Et ut aſſerit S. Anſelmus, ita potens in cælo eſt Maria, ut quidquid ipſa voluerit, fiat: *Quidquid tu virgo velis, nequaquam fieri non poterit. S. Anſelm. de excell. Virg. c. 12.* Quare cum Maria ſit apud Deum potentiſſima, tot gratias, totque auxilia in favorem clientum ſuorum, ac eorum qui ipſi ſunt vere devoti, a Deo obtinet; ut hi mediantibus his auxiliis, a peccatis ſuis facile ſurgant, in bono perſeverent, & æternam beatitudinem obtineant. Et ideo devotio illa, quæ multi erga B. Virginem feruntur, eſt ſignum ſalutis: *Servire Mariæ certiſſimum eſt pignum ſalutis æternæ conſequendæ.*

Quod de omnibus, qui Mariæ ſunt devoti dico, potiori quodam jure dicendum de his, qui Scapularis confraternitati nomen dederunt: hoc enim Scapulare, ſi ab iis pie & debite portetur, eſt iis in ſignum ſalutis: quia illud, ut ſignum ſalutis æternæ conſequendæ, B. Simoni Stock dedit Maria, dicens: *Ecce ſignum ſalutis.*

Non dixi, Scapulare omnibus, qui illud quomodocumque uſque ad mortem deferunt, eſſe ſignum infallibile ſalutis; ex illis namque multi damnantur. Sed dixi, Scapulare eſſe ſignum ſalutis iis qui illud pie geſtant, & qui ex pio in Mariam affectu omnia, quæ ad confraternitatem Scapularis ſpectant, uſque ad mortem implere ſatagunt. Iis equidem Scapulare eſt verum ſalutis ſignum: quia cum videt Virgo confraternitatis Scapularis alumnos hac ejus veſte indutos, ac pie & devote adimplentes illa, quæ eorum inſtituti ſunt; ipſa eos ut filios agnoſcit, ſpeciali eos protectione fovet; ab iis peccandi occaſiones avertit, iiſque a Chriſto tantam gratiarum copiam, ac tot & tanta auxilia ſpiritualia impetrat, ut nonniſi difficile perire poſſint: ac proinde Scapulare, ſi debita cum devotione feratur, eſt iis magnum & certum ſalutis ſignum.

Non ſemel demiratus ſum ſanctorum Anſelmi & Bernardi verba, aſſerentium, eos qui Mariæ ſunt devoti, perire non poſſe: *Qui ad Mariam acceſſerit,* inquit S. Anſelmus, *impoſſibile eſt ut pereat.* Et ut fatur S. Bernardus, Mariam alloquens: *Sicut a te averſus & deſpectus neceſſe eſt quod pereat: ſic ad te reverſus, & a te reſpectus impoſſibile eſt quod pereat. S. Bernard. ſup. Miſſus.* Quomodo, quæſo, perire non poteſt, qui magno devotionis & venerationis affectu Mariam proſequitur? Nonne poteſt hic in mortale aliquod peccatum cadere, ac in peccato uſque ad mortem perſeverare, & ſic damnari? Poteſt equidem abſolute loquendo, ſed rariſſime hoc accidit. Et ideo hoc impoſſibile eſſe dicunt ſancti Patres: quia hoc raro & difficile evenire poteſt. Sicut enim, cum ait Scriptura, impoſſibile eſſe, divitem intrare in Regnum Cælorum, *Marc. 10.* ibi *impoſſibile*, idem ſonat ac *difficile*: ita & cum dicitur, impoſſibile eſſe eum, qui devotus eſt Mariæ, perire, idem eſt ac ſi dicatur, difficile eſſe illum perire: quia ſcilicet Mariæ veris & piis ſuis clientibus tot gratias totque auxilia impetrat, ut difficillimum, & moraliter impoſſibile ſit, quod pereant. Gaudete omnes qui Mariæ eſtis devoti, gaudete & exultate in illa; utpote quia per eam ita de ſalute veſtra eſtis ſecuri, ut quaſi perire nequeatis. Sed gaudeant potiſſimum

ada-

Digitized by Google

adoptivi Mariæ filii; gaudeant qui Scapulare gerunt: ſi enim ex pio erga Virginem affectu illud deferant; ac ea adimplere ſatagant, quæ ad illorum ſtatum pertinent, numquam peribunt, æternum numquam patientur incendium; ſed Scapulare iis magnum ſalutis ſignum erit.

Sed heu! quam multi Scapulare collo, vel brachio alligatum gerunt, & de faciendis, quæ ad confraternitatem Scapularis pertinent, nec cogitant, nec curant! Credunt inſani, quod numquam peribunt, modo hanc Mariæ veſtem quomodocumque deferant; ſed falluntur maxime: quia Scapulare duo dicit: nempe veſtem illam, quæ defertur, & ſpiritum internum cum quo defertur. Quæ duo ita inter ſe ſunt connexa, ut ſi quis veſtem hanc ſine ſpiritu interno deferat, ad nihilum ei ſit profutura; veſtiſque hæc, quam ſine ſpiritu interno defert, non vere Scapulare; ſed potius cadaver Scapularis dicenda ſit. Sicut enim fidem a charitate ſeparatam S. Bernardus vocat *cadaver fidei*: ita veſtis hæc a ſpiritu interno ſejuncta, non vere eſt Scapulare; ſed quaſi cadaver, & apparentia quædam Scapularis. Sicut etiam fides, a charitate ſeparata, ſalutem non operatur: ita & Scapulare, ſi cum ſpiritu interno non deferatur, non erit *ſignum ſalutis*; ſed quaſi cadaver & apparentia quædam ſigni ſalutis.

Quare, o N. N. hanc vellem cum ſpiritu interno portate; eo ipſo quo ea induti eſtis, vos ut Mariæ adoptivos filios inſpicite, & ea quæ ſunt filiorum, reſpectu ſanctiſſimæ illius matris, facite. Si eam ut matrem inſpiciatis, totis viribus haud dubie contenderetis, filio ejus Chriſto non diſplicere; nec enim matri placere poteſt, qui filium ejus offendit. Si eam matrem veſtram eſſe credatis, ea omnia pro viribus adimplere conabimini, quæ ad confraternitatem illam ſpectant, quæ vos ejus filios efficit. Si autem hæc omnia facere ſoliciti ſitis, Scapulare vobis non ſolum erit in ſignum fœderis, & protectionis; ſed etiam in ſignum ſalutis æternæ. *Amen.*

DE SANCTA
MARGARITA.
CONCIO UNICA.

Simile eſt Regnum Cælorum homini negotiatori, quærenti bonas Margaritas. Matth. 13.

SAncta Romana Eccleſia, quæ Chriſti ſpirituale in terra eſt regnum, tota eſt in comparandis veris, & ſpiritualibus Margaritis; ſummo affectu quærit eximiæ virtutis perſonas, quæ ſanctitate ſua tantum ſupra alias eminent, quantum ſupra arenam, & lutum veræ eminent Margaritæ. Hujuſmodi tandem quærit Margaritas, quæ pretio ſuo terrena omnia tranſcendant, & quarum fulgore cæleſtis Jeroſolymæ atria niteant.

Perilluſtris illa virgo, cujus hodie ſolemnia colimus, eſt una ex pretioſis illis Margaritis, quam in Antiochiæ Pyſidiæ urbe, ſancta invenit Eccleſia. Genuit eam vir infidelis, mulier Chriſtiana illam educavit, famoſus illam exercituum Dux in matrimonium deſideravit, totus eam demiratus eſt orbis terrarum: illam denique in ſinu ſuo cæli receperunt, ubi æternis & incorruptibilibus coronis ditatur, & præmiatur.

Ibi Angeli pretioſam hanc Margaritam, non ſine magna animi voluptate contemplantur; ibi ſanctiſſimæ illius virginis virtutes, præmia, & triumphos attoniti admirantur; ibique ſimul cum illa ſequuntur Agnum quocumque ierit.

O utinam unus aliquis ex cæleſtibus iis ſpiritibus ornatiſſimum locum iſtum nunc occuparet, & coram auguſto hoc cœtu de portentoſis præclaræ illius virginis geſtis, paſſionibus, miraculis, & trophæis diſſereret! Utinam ex cæleſtibus intelligentiis aliquam Deus mitteret, ut pulchritudinem ſummumque cæleſtis illius Margaritæ pretium nobis explicaret! Tantæ enim virginis laudes digno eloquio proſequi, non tam hominum quam Angelorum munus eſt; ejuſque merita non tam humana, quam Angelica digna ſunt eloquentia. Meam hac in parte fateor infirmitatem: tota, ſi quæ in me eſt facundia, perexiniis tantæ virginis impar eſt meritis: de ea digne loqui non præſumo; & ut de ea quocumque modo diſſeram, ſupernis Spiritus ſancti auxiliis egeo, &c. *Ave.*

DOctores non pauci docent, Chriſtum eſſe pretioſam, & myſticam illam margaritam, pro qua comparanda quiſque ſua omnia dare debet. Quomodo autem Chriſtus ſit miranda hæc margarita, præclare explicat Doctor Angelicus, dicens, eum vere eſſe margaritam ratione puritatis ſuæ, ſoliditatis ſuæ, & pretii ſui: *Quia candidus propter puritatem, quia ſolidus propter ſanctitatem: quia pretioſus propter Deitatem. D. Thom. ſer. de S. Margarita.*

Chriſtus quidem eſt cæleſtis, & admirabilis Margarita, quæ omnes alia puritate, ſoliditate, & pretio ſuo longe tranſcendit. Sed, & ad S. Margaritæ laudem dici poteſt, quod ſuo modo vere gemma, & margarita fuerit; *ratione puritatis ſuæ*, quæ fuit admirabilis; *ratione ſoliditatis ſuæ*, quæ fuit inflexibilis; *& ratione pretii ſui*, quod fuit ineſtimabile. S. Margarita fuit gemma myſtica: 1. Propter puritatem ſuam: 2. Propter ſoliditatem ſuam: 3. Propter pretium ſuum.

PRIMA PARS.

Sancta Margarita fuit gemma myſtica ratione puritatis ſuæ.

PRæclare dixit Doctor Angelicus, res eo eſſe puriores, quo magis ab immunditia elongantur: quia, inquit, *puritas ſumitur per elongationem ab impuro. D. Th. 3. p. q. 17.* Hoc poſito principio, omnium oculis facile patebit, mirabilem extitiſſe S. Margaritæ puritatem: utpote quia hæc Virgo ſacra a Paganiſmi, luxuriæ, & omnium vitiorum immunditia perfectiſſime elongata fuit.

In medio Gentilium, impudicorum, & hominum omnium vitiorum generi deditorum, vivebat ſancta Mar-

Digitized by Google

Margarita. Sed hæc puriſſima extitit Margarita: quæ: 1. Cum inter Gentiles viveret, totaliter elongata eſt a Paganiſmi immunditiis: 2. Cum inter impudicos degeret, ab omni luxuriæ inquinamento penitus libera fuit: 3. Cum inter homines omni vitiorum genere deditos verſaretur, ab omni vitii turpitudine ſemota fuit.

1. Sordes ſuas, eaſque maximas habet Paganiſmus; ipſum quoque Pagani & idololatræ nomen ſordidum. Et ſi verum ſit ab omni peccato noſtras fœdari animas, nullum ſane a quo magis inquinentur, quam ab idololatria; quæ ideo a Tertulliano omnium criminum ſummum vocatur: *Principale crimen generis humani, ſummus reatus.*

In urbe autem Antiochiæ, medios inter Gentiles, & idololatras orta erat illuſtris virgo Margarita; ipſe quoque ejus Pater paganus erat, & in Herculis Templo Sacerdotis munia obibat; ſed hæc vere Margarita fuit puriſſima, quæ in medio Ethnicorum & Idololatrum vivens, nec vel minimum a fœdiſſima idololatriæ labe contaminata eſt.

Quod non ſine magna Dei providentia factum fuiſſe patet: mortua enim matre, pater, licet Gentilis, Chriſtianæ necnon piæ matronæ Margaritam nutriendam tradidit. Quæ religioſa mulier, non nutricis ſolum, ſed & piæ educatricis munere functa eſt; nec materiali ſolum lacte, ſed & ſolido doctrinæ chriſtianæ cibo Margaritam aluit.

Ætate creſcebat puella; ſed & bonis creſcebat moribus: proficiebat ætate; ſed & ſapientia Chriſtiana proficiebat. A pia nutrice diſcebat Chriſti virtutes colere, & Paganiſmi inquinamenta devitare: ab ea ad Dei amorem, & ad odium idolorum excitabatur, tantoſque adoleſcentula hæc ſub piæ magiſtræ diſciplina, in via virtutis progreſſus brevi fecit; ut in primis vitæ ſuæ annis, deos Gentium deteſtaretur, & ab omni idolorum cultu toto Cælo elongata eſſet. Unde ſicut gemmæ in medio aquarum maris formatæ, nil de maris ſalſedine retinent: ita Margarita in medio Paganorum nutrita, nil de Paganiſmi immunditia contraxit.

De ſacra hac Virgine eadem fere dici poſſent quæ de Centurione dixit ſanctus Petrus Chryſologus, qui multas ejus virtutes adnotat, & laudat his verbis: *Videtis penes Centurionem Divinitatis reverentiam, penes Gentiles legis cultum, penes militem ſtipendium gratiæ, penes Romanam fidei doctrinam, in frigore pagano chriſtianum fervorem. Chryſol. ſerm.* 102. Dicamus ſimiliter de ſancta Margarita, quod hæc Sacerdotis idolorum filia idola ſummopere abhorreat: quod hæc, inter idololatras nata, & educata, virtutibus chriſtianis, iiſque eminentiſſimis fulgeat; quod tandem hæc inter Paganos, & Infideles vivens, tanta polleat puritate, & innocentia, ut a Paganiſmi immunditiis penitus elongata ſit. Sed, & ita pura fuit ſancta Margarita: *ut licet inter impudicos degeret, ab omni tamen luxuriæ inquinamento libera fuerit.*

2. Omnium ſane vitiorum turpius eſt luxuria, quæ ſimul & animam, & corpus deturpat; quæ jumentis inſipientibus homines ſimiles efficit, & perſonam huic vitio deditam, abominandam, & execrabilem reddit: *Immunditia tua execrabilis. Ezech.* 24. 13. Margarita autem, licet inter homines libidinoſos viveret, neſcivit labem nivei pudoris: nulla in ea libidinis macula extitit, ac quidquid ad luxuriam quocumque modo allicere poteſt, toto corde exhorruit.

Non fuit ſimilis Margarita pleriſque hujus Ævi filiabus, quæ veſtibus pretioſis, prædivitibus ornamentis, pulchritudine elaborata, turpi, & incantatrice carnis ſuæ nuditate, necnon æquivocis, immo turpibus & ſcurrilibus verbis ad fœda homines trahunt; ſuntque ut loquitur Tertullianus, quaſi invitatoria quædam ad libidinem: *Invitatorium libidinis ſimus. Tert. lib. 2. de cult. fem.* 2. Nihil enim in Margarita, quod virgineum pudorem non redoleret, nil quod a modeſtia chriſtiana tantillum declinaret: ejuſque cor ab omni luxuriæ ſtudio ita alienum erat, ut millies mori maluiſſet, quam vel minima luxuriæ macula carnem ſuam denigrare.

Tanta puritate nitebat Margarita, ut ſimilis fuiſſe videatur cæleſtibus illis ſpiritibus, quos Deus Sodomam miſit. Hi enim Angeli ſub humana ſpecie cum Sodomitis verſabantur, cum illis hominibus, qui fœdioribus libidinibus erant dediti, in colloquia miſcebantur, nec tamen vel minima unquam luxuriæ labe contaminari potuerunt. Sic, licet inter libidinoſos Antiochenæ urbis incolas habitaret Margarita, ab omni tamen eorum immunditia prorſus aliena fuit, ſuamque virginitatem illibatam ſervavit. O mirandam Virginis hujus puritatem! quæ adhuc mirabilior fuit, *quod licet ſacra hæc Virgo inter homines omni vitiorum generi deditos verſaretur, ab omni tamen vitii turpitudine elongata fuit.*

3. Non ſola luxuria, ſed & omne mortale peccatum eſt gravis immunditia, quæ hominis animam turpem, fœdam, Deoque execrabilem reddit. Et ideo de anima peccatrice conqueritur Deus, dicens: *Maculata es in iniquitate tua coram me. Jer.* 2. 22. Quaſi dicat: mihi placere nequaquam potes, cum turpibus peccati inquinamentis maculata ſis.

Margarita autem, quantum humana patitur infirmitas, ab omni ſe peccato immunem ſervavit: nullum enim ſcimus in ea mortale fuiſſe peccatum; & venialia, in quæ incidit, ita levia extiterunt, ut quaſi nulla cenſenda ſint. Et ideo ſancta hæc Virgo quodammodo ſimilis fuiſſe videtur Chriſto, Virginum ſponſo, qui ab omni prorſus peccato ſegregatus fuit, & qui, ut loquitur D. Paulus, fuit *Innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus. Hebr.* 7. Margaritæ enim ita ab omni inquinamento peccati aliena fuit, ut a peccatis & omnium criminum macula penitus ſegregata fuerit.

Qua, quæſo, peccati macula inquinata eſſe potuit filia, in qua mirabilis eluxit omnium virtutum concentus? Quæ ſuperbia adnotari potuit in adoleſcentula, quæ chriſtianam humilitatem perfectiſſime coluit? Quæ avaritia in ea, quæ temporalia cuncta pro Chriſti ſponſi ſui amore deſpexit? Quæ libido in ea, quæ pro tuenda virginitate uſque ad mortem generoſiſſime decertavit? Quæ ambitio in ea, quæ ad altiores gradus ſublimari recuſavit? Quæ ira in ea, quæ velut agnus innocens ad victimam ducta eſt? In Margarita quidem, non peccata, ſed omnium virtutum ſpecies mirabiliter eluxerunt: tanta,

Digitized by Google

tanta in ea puritas, ut non ſolum a Paganiſmi, & luxuriæ, verum & ab omni, ſaltem gravis, cujuſque peccati immunditia elongata fuerit.

Miramini tantam in ſexu fragili puritatem; miramini Margaritam, quæ gemma eſt ita pura, ut ab omni prorſus immunditia aliena ſit: hanc miramini Virginem, ſed & ejus æmulamini puritatem. Veſtra & corda & corpora purificate: procul a vobis omnem infidelitatis, libidinis, & cujuſvis peccati immunditiam abjicite. Ab omni prorſus immunditia veſtras lavate conſcientias, & puritatem ſectamini inſtar ſanctæ Margaritæ, quæ gemma fuit admirabilis propter puritatem ſuam; *ac etiam propter ſoliditatem ſuam.*

SECUNDA PARS.

Sancta Margarita fuit gemma myſtica, ratione ſoliditatis ſuæ.

CORporum, quæ ſolida & dura ſunt, proprium eſt, quibus feriuntur ictibus, reſiſtere. Id quotidiana docet experientia, qua cuique conſtat, quod quo ſolidiora ſunt corpora, eo ad reſiſtendum ſunt aptiora. Et hoc eſt fundamentum, cui innixus, clariſſime probabo, ſanctam Margaritam fuiſſe vere gemmam myſticam, ratione ſoliditatis ſuæ: quia ſcilicet generoſe reſtitit Patri, Amaſio, & dæmoni. Reſtitit: 1. Patri irato: 2. Amaſio amore ſuccenſo: 3. dæmoni horrendo.

1. Mox ut Edeſus, Margaritæ pater, filiam Chriſtianæ Religioni nomen & affectum dediſſe novit, variis paſſionibus habenas remiſit: Jam de diis ſuis conquerebatur, quod ei filiam dederint, a qua eorum evertenda erant altaria: nunc rationibus cunctis, quas humana ſuggerebat ſapientia, filiam ad idola colenda allicere conabatur; nunc blanditiis & variis promiſſis eam ad ſibi parendum adducere pertentabat: minis deinde & ſuppliciis ad eam a propoſito deterrendam uſus eſt: ſolitis eam ſpoliavit veſtibus, vili eam induit ſacco, carceri illam mancipavit, nihilque non tentavit, ut illam ad Chriſtianæ Religioni abrenuntiandum inclinaret. At tunc Margarita vere gemma fuit ratione ſoliditatis ſuæ, quia irato parenti fortiſſime & generoſiſſime reſtitit, ut Dei, qui Pater omnium eſt, voluntati obtemperaret. Probe ſciebat pia adoleſcentula, quod cum cæleſtis & terreni patris mandata ſunt oppoſita, terreno quiſque reſiſtere debet patri, ut cæleſti pareat: *Terrenus pater Cæleſti poſtponendus eſt Patri. Chryſol. ſerm.* 19. Quare clamet, iraſcatur, minetur, ac quantum voluerit, Margaritam feriat terrenus pater, nec non omnia quæ poterit in Chriſtum adoleſcentulam moliatur; inanes erunt omnes furentis patris conatus: terrenum enim patrem ipſa cæleſti ſemper poſtponet; ac terreno ſemper reſiſtet, ut cæleſti debitam obedientiam præſtet.

Deus qui inimicos diligere præcipit, vult a fortiori, quod parentes diligamus: eo tamen ordine, ut eum majori, quam parentes, amore proſequamur. Et ideo jubet, ut aliquando parentes odio habeamus, dicens: *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & uxorem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc.* 14. Non quidem eos odio habere debemus, ut parentes, & genitores noſtros: ſed ut animæ, & ſalutis noſtræ hoſtes; cum, ſcilicet, contraria ſaluti præcipiunt; cumque id prohibent, quod Deus jubet. Tunc a nobis odio habendi; eiſque tunc reſiſtere debemus, ut jubenti Deo obtemperemus: tunc Pater cæleſtis terreno patri eſt præponendus: *Amandus eſt genitor, ſed præponendus eſt Creator. S. Auguſt.* Rectum autem & pium hunc charitatis ordinem perfectiſſime adimplevit Margarita: terrenum enim patrem & amavit, & exhorruit; eum amavit ut patrem, & in eis quæ juris paterni erant; ſed illum odio habuit, ut animæ ſuæ hoſtem, eique fortiter reſtitit, cum ſaluti ſuæ contraria imperavit. Et ideo hæc Virgo fuit vere gemma, ratione ſoliditatis: quia ſcilicet irato & iniqua jubenti reſtitit patri: *Ac etiam quia reſtitit amaſio, amore ejus ſuccenſo.*

2. Margarita, quæ pietate & generoſitate ſua patri exoſa facta erat, in paupertate & humilitate inter homines verſabatur, vilibus induebatur veſtibus, tenui cibo veſcebatur, & ab hominibus deſpici optabat, ut Chriſto, animæ ſuæ ſponſo, placeret. Non tamen merita & pulchritudinem ſuam ita abſcondere potuit Virgo præclara, ut hominibus ignota maneret. Olybrius enim Provinciæ unius gubernator, amore illius captus eam in ſponſam deſideravit, eamque in uxorem ab Edeſo patre ſupplex petiit. Amaſii votis annuit pater, & ut filiam a religionis propoſito averteret, illamque ad nuptias cum Olybrio ineundas alliceret, his fere verbis eam allocutus eſt: Noſti, o filia, quanto dolore afficiatur cor meum, ſcis, quod mœrore conficiar ob tuum agendi modum. Quare ſi quid in te bonæ indolis, ſi quid in te erga patrem reverentiæ ſupereſt: audi verba oris mei; audi patrem, qui tui magis, quam ſuiipſius ſolicitus, in ſponſum tibi offerre vult Olymbrium, virum nobilem, terrenis facultatibus affluentem, Ducem exercitus, & Provinciæ unius rectorem, qui te in ſponſam ſummo affectu deſiderat: Vide, quid ſis mihi reſponſura, o filia: ſed prius ſerio pondera, quantus ex propoſito matrimonio tibi, totique familiæ honor, quanta felicitas, quantaque bona ſint eventura. Non diu cogitavit Virgo, ſed contempta omni mundi aura, ſpretis cunctis ſæculi bonis, reſpondit: o pater, unus mihi eſt ſponſus in Cælo; quare ut illi injuriam non faciam, nullum alium unquam amatorem admittam. Velim, Olymbrium totius eſſe mundi Imperatorem, terrenarum omnium facultatum eſſe dominum, præclaris omnibus animi & corporis dotibus eſſe ditatum, illum numquam in ſponſum admittam: quia eo nobiliorem, ditiorem & pulchriorem ſponſum habeo in Cælo: *Sponſum offertis, meliorem reperi.*

Videns Olymbrius, ſe a Margarita deſpici, ex amatore mutatus eſt in Tyrannum, eam ut Chriſtianam & deorum inimicam apprehendi curat, tetro eam carceri includi jubet; alimenta ei ſubtrahi imperat, paucisque ab hinc diebus, iniqui hujus Tyranni ordinatione, flagellis diriſſime excepta, ferreis pectinibus excarnificata, in accenſum rogum projecta, & graviſſimis aliis ſuppliciis cruciata eſt. Quæ omnia facile vitare potuiſſet Virgo, ſi Olymbrium in ſponſum ſumere voluiſſet. Sed ſicut de Euſtochio virgine ait S. Hieronymus, quod *noluit militis eſſe uxor, ſed Regis*, Chriſti ſcilicet: ita & S. Margarita Olymbrio reſtitit adulanti, nuptias offerenti, minas intenta-

Digitized by Google

tentanti, variis eam ſuppliciis addicenti; nec unquam militis & Ducis illius ſponſa eſſe voluit, ſed Chriſti. O mirabilem Virginem, quæ vere gemma eſt, ratione ſoliditatis, cum fortiter reſtiterit amaſio ſuo Olymbrio, *ac etiam horrendo dæmoni*.

3. Non adverſus homines ſolum; ſed etiam adverſus aeras poteſtates decertavit Margarita: in mediis enim ſuppliciis adverſus virginem hanc inſurrexit ſatanas, ut terreret eam, quam dira quæque tormenta non terruerant. In carcere erat Margarita, cum ſub horrendi ſpecie draconis, ore & naribus tartareas flammas emittentis, ei dæmon apparuit, qui ad eam acceſſit, quaſi illam devorare voluiſſet. Sed invocato Chriſti ſponſi ſui nomine, illud phantaſma cito ipſa fugavit.

Cum beatam Juſtinam virg. ad diligendum Cyprianum magum inducere voluit dæmon, *a Virgine*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *non ſecus ac a bellica quadam machina repellitur*. *Greg. Naz. orat.* 18. Margarita ſimiliter portentoſum repulit dæmonem, ei generoſe reſtitit, illumque in fugam convertit.

O mirandam Virginem, quæ vere gemma myſtica extitit, ratione ſoliditatis: cum irato patri; amaſio, amore ejus ſuccenſo; horrendo dæmoni fortiter reſtiterit! O utinam ſuæ ſalutis hoſtibus ſic quiſque generoſe reſiſteret! Sed heu! quam pauci, patri a ſalute avertenti, ſæculi hominibus ad prava allicientibus, & urgentibus dæmonis tentationibus reſiſtunt! Quam pauci filii ad ſtatum religionis a Deo vocati, alio vocantibus parentibus obſiſtunt! Quam paucæ filiæ amatoribus ſuis prava ſuadentibus obſtant! Quam pauci homines dæmonibus tentantibus, & ad peccata trahentibus reſiſtere conantur!

Certe cum Dei res agitur, in ea ſegnes ac ignavi plurimum eſſe ſolent homines, & ad hominum, dæmoniſque potius, quam ad Dei partes declinant. Sed, heu! quis ut Deus, a quo habemus omnia, a quo ſperamus omnia, & in quo ſunt omnia? Quis ut Deus, in quo vivimus, movemur & ſumus, & ſine quo, nec unico momento, vivere poſſumus? Quis ut Deus, qui omnia poteſt, qui omnia eſt, qui omnia quæcumque vult facit in Cælo, & in terra, & qui animas noſtras ſalvare poteſt, vel mittere in gehennam? Certe, reſpectu Dei nihil ſunt, & pro nihilo a nobis reputari debent omnia. Quare ſuadeat Pater, quantum voluerit; ab iniqua alliciant homines, quantum placuerit; tentent dæmones, quantum fas erit; parentibus, iniquis amatoribus & dæmonibus fortiter reſiſtendum, ut Deo fideliter ſerviatur; inſtar S. Margaritæ, quæ fortiter omnibus ſalutis ſuæ hoſtibus reſtitit, & quæ vere gemma myſtica fuit ratione ſolidatis ſuæ: *ac etiam ratione pretii ſui*.

TERTIA PARS.

Sancta Margarita fuit gemma myſtica, ratione pretii ſui.

RES aliqua dicitur pretioſa a proprio valore, a raritate ſua, & ab hominum æſtimatione: *a proprio valore*; cum ex ſe magni valoris eſt: *a raritate*; cum raro quid ejuſdem rationis invenitur; *ab hominum æſtimatione*; cum eam ſapientes pluris faciunt. Margarita autem fuit gemma pretioſa: 1. Ratione proprii valoris: 2. Ratione raritatis ſuæ: 3. Ratione æſtimationis ſapientum.

1. Res nonnullæ tanti ex ſeipſis ſunt valoris, ut quanti valeant concipi nequeat. Dicite quæſo, quanti ſit valoris ſupremus Angelorum, quanti S. Michael? Quanti S. Raphael? Non eſt in hoc mundo qui dicat, vel dicere poſſit. Dicite adhuc, ſi poſſitis, quanti valoris ſit omnium Angelorum infimus, & poſtremus? Nec id quiſquam dicere valet: omnia enim creata corporea nihil ſunt, reſpectu minimo Angelorum. Sed dicat quis, quanti valeat anima una rationalis? Quanti valoris ſit anima illa, quæ ſpiritualis eſt, quæ ad Dei imaginem facta eſt, & quæ pretioſo Chriſti ſanguine redempta eſt? Quanti valet anima illa; cum cæleſtibus divinæ gratiæ theſauris eſt ditata, & ſanctis chriſtianarum virtutum habitibus eſt exornata? Infiniti quidem eſt valoris hæc anima. Sed quid dicendum de S. Margaritæ anima? Quis dicat, quanti ſit valoris hæc anima, quæ eminentioribus floruit virtutibus, immenſoſque gratiarum theſauros poſſedit? Quis explicet, quanti valoris ſit anima illa, quæ tota cæleſtis fuit, quæ cum Angelis magis quam cum hominibus converſata eſt, & quæ in corpore virgineo tota Deo fuit conſecrata? Certe non ab hominibus, ſed a Deo ſolo concipi poteſt, quantus ſit ejus valor, & quale pretium ejus; *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus*.

Propriam interpellabat animam D. Auguſtinus dicens: *Erige te anima mea, tanti valeas*. Quaſi dicat cujuſque hominis animam incomprehenſibilis eſſe valoris, & ideo ſupra terrena omnia eſſe erigendam. Quis ergo explicet quanti valoris extiterit S. Margaritæ anima, quæ ſupra naturalem ſuum valorem innumeris virtutibus, gratiis & donibus fuit ditata? Certe prætioſa hæc fuit Margarita ratione proprii valoris, *ac etiam ratione raritatis ſuæ*.

2. Si credamus Divo Hieronymo: *Pretioſum dicitur omne quod rarum*. Quod quotidiana probari poſſet experientia; qua conſtat, communia ab hominibus deſpici, rara vero ab iis plurimum æſtimari. Et ideo præclare dixit Tertullianus, rerum abundantiam ſibimetipſi injuriam facere: *Semper abundantia contumelioſa in ſemetipſa eſt*. *Tertull. lib. de hab. mul. c.* 7.

Si homines perfecte cognoſcerent, quanti quælibet res ex ſe valeat, res non a raritate, ſed a proprio cujuſque valore æſtimarent; ſed quia cognoſcere nequeunt, quanti ex ſe quælibet res valeat, rerum valorem ab earum raritate deſumunt, eaſque ſæpe eo pretioſiores cenſent, quo rariores ſunt: *Rebus pretium raritas facit*. *S. Bern. Ep.* 248.

Poſito hoc principio. De omnibus quidem Sanctis, qui extraordinaria ſanctitate præfulxerunt, dici poſſet, eos in conſpectu Domini eſſe pretioſos; quia hujuſmodi Sancti gemmis & auro ſunt rariores. Sed quid ſpeciale ad S. Margaritæ laudem dicamus, eamque gemmam pretioſam fuiſſe proclamemus: quia raræ multæ in ea virtutes, raraque, & pretioſa in ea dona extitere, quæ in aliis Sanctis non inveniuntur. Quid enim rarius, quam quod Sacerdotis Gentilis filia Templum ſit Spiritus Sancti?

Digitized by Google

cti? Quid rarius, quam quod inter medios idololatras, impudicos, & ſceleroſos homines, ipſa fidelis, pura, intacta, & innocens remaneat? Quid rarius, quam quod formidandis patris, amatoris, & Tyrannorum perſecutionibus adoleſcentula illa reſiſtat? Quid tandem rarius, quam quod in medio Infidelitatis & Paganiſmi ſinu reparatur filia, quæ pro fide catholica generoſe decertet, quæ pro Chriſti gloria ſanguinem fundat, & quæ homines, dæmoneſque terreat? Hæc vere eſt gemma pretioſa ratione raritatis ſuæ, *ac etiam ratione æſtimationis ſapientum*!

3. Si ab Olymbrio, Gentilibus, aliiſque viris inſipientibus quæramus, quanti faciant Margaritam; non dubium quin eam parvipendant, eamque omni dignitate, omnique honore indignam cenſeant. Sed ſi viros chriſtiana, & vera ſapientia præditos interrogemus, nullum reperire eſt, qui eam non pluri̇mi faciat. Eam tanti faciunt ſummi Pontifices, Imperatores, Reges, & omnes Orbis Chriſtiani Principes, ut illam cuncti ſupplices invocent, ejus patrocinio omnes fulciri caveant, ejus reliquias cuncti venerentur, nec aliquis eorum inveniatur, qui coram minimo ex oſſibus ejus procumbere recuſet.

Sed cur mundi hujus ſapientes Margaritam non æſtimarent; cum Deus, cujus ſapientia infinita eam plurimi fecerit, eamque ab hominibus æſtimari, & honorari curaverit? eam tanti fecit Deus, ut miniſterio illius miracula multa operari voluerit, quæ ſpectantes in admirationem rapuerunt: tanti eam fecit Deus, ut poteſtatem ei dederit ſupra principes & poteſtates; contuleritque ei cæleſtem quamdam virtutem, qua de principibus & tyrannis glorioſe triumphavit: eam Deus tanti fecit, ut ejus reliquias in variis mundi partibus honorari voluerit, eamque in æternum Angelis & hominibus venerandam propoſuerit. Sic a Deo, & a mundi ſapientibus æſtimata eſt Margarita: & ideo dicenda eſt gemma quæ vere eſt pretioſa, non ſolum ratione proprii valoris, & raritatis ſuæ: ſed etiam ratione æſtimationis ſapientum: *Hæc eſt pretioſa margarita*.

Mirabilem hanc demiremur gemmam; ſed & mirabiles ejus ſpectemus virtutes. Sicut in gemmis materialibus multæ latent virtutes, quæ hominum ſanitati conferendæ non parum proſunt; ita & Margarita Virgo, eſt gemma cujus maxima eſt virtus, maximaque apud Deum poteſtas: quare ſanctam hanc Virginem ſupplices invocemus, ut ejus virtute, corporis animæque ſalutem a Deo impetremus.

Præclare dixit ſanctus Joannes Climacus, quemque in hoc mundo ſuo egere Moyſe; ſeu potente quodam apud Deum interceſſore indigere; *Aliquo prorſus Moyſe ad Deum, ac poſt Deum mediatore nobis opus eſt. Clim. grad. 1.* Apud Deum potentiſſima eſt Margarita; quare illam in Moyſen veſtrum accipite, ad eam in neceſſitatibus veſtris accurrite, ejuſque auxilium, in iis præcipue quæ ſalutis veſtræ ſunt, ſupplices implorate. Non ab ea ſolum petatis, ut ab hac vel illa vos corporis infirmitate liberet; ſed ſummo cordis affectu eam rogate, ut cordis humilitatem, carnis puritatem, ardentem charitatem, aliaſque virtutes vobis a Deo obtineat. Vultis de aliqua triumphare paſſione, quæ vobis dominatur? veſtrum invocate Moyſen. Vultis urgenti cuidam tentationi reſiſtere? ad Moyſen veſtrum accurrite. Vultis vitia extirpare, urgentes carnis motus domare, vel virtutem aliquam acquirere? ad veſtrum advolate Moyſen. In omnibus tandem ſive ſpiritus, ſive corporis neceſſitatibus, ſanctæ Margaritæ patrocinium ſupplices poſtulate; ejuſque interceſſione peccati odium, virtutis amorem, gratiam & gloriam dabit vobis Dominus. *Amen.*

DE SANCTA
MAGDALENA.
CONCIO UNICA.

Dilexit multum. Luc. 7. 47.

VEri, Hyemi, & Æſtati ſimilis fuit Magdalenæ vita. Vernum vitæ ejus tempus fuit illud, in quo ipſa erat in civitate peccatrix: tunc enim, velut in florido vere, Magdalena pulchritudine, veſtibus, criniumque decore florebat. Huic veri ſucceſſit hyems, nubibus & pluviis, id eſt, dolore & lacrymis plena: cum ſcilicet, ſtans ad Chriſti pedes, abjectis juventutis floribus, & pœnitentiæ operibus vacans, multis lacrymis ſua crimina abluere meruit. Vitæ tandem ejus æſtas fuit totum illud tempus, quo cor ejus mirum in modum divino æſtuavit amore, & quaſi *amoris divini fornax extitit. Divus Bernardus ſerm. de Magd.*

De vere & hyeme vitæ ejus; ſeu de peccatis in quæ incidit, & de uberrimis lacrymis quas fudit Magdalena, ſpeciales conciones alibi inſtituimus. Unde ſolum ſupereſt, ut jam de æſtate, ſeu de amore quo ſucceuſa fuit, differamus.

Ante converſionem ſuam dilexerat multum Magdalena: ſed ea, quæ tunc amaverat, vana erant, profana erant, mundana erant, turpia erant. A tempore autem converſionis hæc omnia exhorruit, quæ antea dilexerat nihilque aliud amavit, quam Deum ſuum, quem non aliquantulum, ſed multum dilexit. *Dilexit multum*. De illo Magdalenæ in Chriſtum amore jam diſſeremus, &c. *Ave*.

CHriſtus Dominus, qui interdum in amicorum ſuorum laudes prorumpere dignatus eſt, laudavit in Chananæa & Centurione fidem, in Nathanaele cordis ſimplicitatem, in Petro divinitatis agnitionem, & in Baptiſta auſteram pœnitentiam, necnon firmam hanc animi conſtantiam, qua præditus erat. At in Magdalena virtutum omnium reginam laudat, prædicatque charitatem. *Dilexit multum*.

Perfectiſſime noverat Chriſtus id, quod in Magdalena erat laudabilius, & pauciſſimis verbis docuit nos, in quo potiſſimum illam laudare debeamus; cum in ejus laudem dixit, quod multum dilexerit. Divinum hunc admiremur Magdalenæ præconem, diſcamus ab illo, in quo tam lau-

dare

Digitized by Google

date debeamus, ab illo ſumamus dicendi materiam; & cum illo dicamus, quod Magdalena *dilexit multum*. Deum quidem multum dilexit hæc mulier: cum eum dilexerit: 1. Amore forti, & generoſo: 2. Amore liberali, & prodigo: 3. Amore ardenti, & fervido. Magdalena Deum amavit amore generoſo, & liberali & ardenti. En tres hujus concionis partes; quibus conſtabit, quod illa *dilexit multum*.

TERTIA PARS.

Magdalena Chriſtum dilexit amore generoſo.

DEum Magdalena poſt converſionem ſuam amavit, ejuſque amor ſemper fortis. & generoſus fuit, ſed tunc generoſior fuiſſe videtur, cum peccatrix illa mulier ad Chriſtum Dominum converſa eſt; tunc enim, Chriſti amore ſuccenſa, generoſe triumphavit de deliciis, de pudore, & timore. Ita tunc generoſus extitit Magdalenæ amor; ut triumphaverit: 1. *De deliciis*, quibus fruebatur: 2. *De pudore*, quo afficiebatur: 3. *De timore*, quo angebatur.

1. Spirituales deliciæ jucundæ ſunt & honeſtæ, ex virtutibus progenitæ, & a Deo puris mentibus infuſæ. Mundanæ vero deliciæ aut vanæ ſunt, aut turpes; quæ rationem obruunt, & homines molles, ignavos, imbecilles, brutis pejores, & ad omne malum proclives efficiunt. O exitioſas voluptates! a quibus difficillime ſe extricant qui iis ſeſe illaquearunt. Cum enim juvenis quidam laſciviens, vel frontoſa quædam juvencula, dempto pudoris velo, obſcœnis illis & libidinoſis jam proſtituta eſt voluptatibus, de iis triumphare, eaſque, niſi ſummo cum labore & potenti gratiæ divinæ auxilio, abdicare valet: quia, ut ait S. Antonius Paduanus. *Luxurioſo, deliciis carere, maxima pœna eſt. S. Anton. Dom. 2. poſt Trin.*

Magdalena, quæ fuerat mulier in civitate peccatrix, libidinoſis & ferreis illis ligata detinebatur catenis; tantoque difficillius eas rumpere, & ab iis ſe extricare valebat, quanto ardentiores erant flammæ, quibus cor ejus turpiter accendebatur, & quanto inveteratiores erant pravæ conſuetudines quibus detinebatur. Cum tamen fortis illa mulier ſacro amoris divini igne inflammari cœpit, ita generoſe de iniquis iis voluptatibus triumphavit, ut millies mori maluiſſet, quam ad vomitum ſuum redire: *In tanto caſtitatis & honeſtatis propoſito firma fuit, ut millies mori maluiſſet, quam amplius ruere in lapſum carnis. S. Bernard. ſer. de S. Magdal.* Illicitas voluptates ante converſionem nimium dilexerat Magdalena: ſed in converſione ſua Chriſtum *dilexit multum*; & ſacer ille amor, quo in Chriſtum exarſit, illam ita victricem fecit de profanis voluptatibus, ut millies mori, quam iis ſemel fœdari præelegiſſet. Addit S. Gregorius, Magdalenam, amore ſacro ſuccenſam, ita de illiciis quibuſque triumphaſſe voluptatibus, ut eas penitus mactaverit, & ex iis quaſi holocauſta fecerit: *Quot habuit oblectamenta, tot invenit holocauſta. S. Gregor. hom. 33. in Evang.* Magdalena ergo dilexit Chriſtum amore generoſo, quo accenſa triumphavit de deliciis, quibus fruebatur: *ac etiam de pudore, quo afficiebatur.*

2. Infeſtus, peſtilens, & exitioſus quidam eſt pudor, quo a pœnitentia ſuſcipienda plerumque peccatores avertuntur, & quo Magdalena a converſione ſua retardabatur; illa etenim, inquit S. Bernardinus, *erubeſcebat Chriſtum adire. Ibid.* Hæc tali rubore ſuffuſa, dicebat intra ſe, quomodo apparere audebo in loco ad convivium parato, in quo mihi illudent omnes convivæ? Quomodo Phariſæorum irriſiones, & impudentum aliorum hominum ludibria ferre potero? Qua fronte, & quo auſu, ego impudica & peccatrix accedam ad Chriſtum, qui eſt lilium convallium, ipſis Angelis purior, & omnis ſanctitatis origo? Hæc ſimilia Magdalenæ ſuggerebat pudor; ſed eo ipſo, quo cor ejus divino accenſum fuit amore, a tali verecundia vinci non potuit, quin contra de ea generoſe triumphavit: *Non vincitur humano rubore: quia devicta & tracta erat a divino amore. S. Bernard. ibid.*

Cum Magdalena erat mulier in civitate peccatrix, ab ejus corde omnem expulerat pudorem ſatanas, quo ablato, eam ad quævis ſcelera perpetranda facile alliciebat: cum autem peccatrix illa ad Deum per pœnitentiam venire voluit, pudore & verecundia a ſancto hoc propoſito eam dæmon deterrere voluit; ſed amor divinus, quo fuit accenſa, ita generoſus extitit, ut per eum de pudore quem inſufflabat ſatanas, glorioſe triumphaverit. Per dæmonis ſuggeſtionem ita pudor peccandi a Magdalena ablatus fuerat, ut ante converſionem impudenter & frontoſe peccata quævis perpetraret; ſed per amorem divinum ita triumphavit de pudore, a pœnitentia eam retrahente, ut pœnitentiam, necnon omnia quæ propriæ ſalutis erant, impudenter & frontuoſe fecerit: *Quæ prius frontoſa erat ad perditionem, poſtea frontoſior facta eſt ad ſalutem. Aug. hom. 48. de temp.* O quam generoſus fuit Magdalenæ hic in Chriſtum amor! ſed Magdalena Chriſtum amavit etiam amore genoroſo, *quo triumphavit de timore.*

3. Varia veræ converſionis impedimenta enumerat Doctor Seraphicus, inter quæ eſt timor pœnitentiæ. *Ibid.* Cum enim peccatores a via ſua prava declinare, & virtutis viam ſectari volunt, timor & tremor irruit ſuper eos: timent a deliciis elongari, pravas conſuetudines in ſemetipſis deſtruere, occaſiones peccati tollere, & auſteræ pœnitentiæ operibus incumbere; taliſque timor eos plerumque a facienda pœnitentia retrahit. At hic pœnitentiæ timor Magdalenam a ſuſcipienda pœnitentia nullatenus revocavit: ut primum enim Chriſti amore fuit ſuccenſa, ita generoſus in illa extitit ſacer ille amor; ut mulier hæc delicata, & deliciis addicta, nullo modo jejunia, vigilias, cameunias, & cuncta vitæ pœnitentis opera timuerit. Immo & ſacer ille amor ita generoſus in illa fuit, ut illa facilia, dulcia & amabilia fecerit, quæcumque ut dura & aſpera in pœnitentiæ exercitio alii formidare ſolent. Unde fit, ex Auguſtino: *Arte amoris, in delicias etiam laborioſa vertuntur*; dicendum, ita induſtrium & generoſum fuiſſe Magdalenæ amorem, ut quæcumque laborioſa & aſpera videntur in vitæ pœnitentis exercitio, in delicias ei converterit. Magdalena ſacro amoris igne ſuccenſa, non timuit ad Chriſtum ire, ad ejus pedes ſtare, capillis eos

ter-

tergere, peccatricem palam proclamari vitamque ſanƈtam & auſteram ſeƈtari: quia generoſus ille amor, quo cor ejus ſuccendebatur, ita de amore triumphaverat, ut quæcumque anteà timuerat, poſtmodum in delicias ipſi faƈta ſint.

Magdalenæ, in converſionis ſuæ principio, durum haud dubie fuit vitam voluptuoſam in vitam pœnitentem commutare: timuit illa mundum relinquere, voluptates abdicare, & auſteræ pœnitentiæ operibus ſe dedere. At cum *nil ſit tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: Auguſt. de Moral. Eccl. c.* 22. mox ut peccatricis illius cor ſacri amoris igne ſuccenſum fuit, hæc de timore illo glorioſe triumphavit. Divinus amor in ea generoſus fuit & triumphans, non ſolum de deliciis & pudore, ſed etiam de maligno illo timore, quo peccatores a converſione retrahuntur. Sed ſi Magdalena Chriſtum dilexit amore generoſo; *eum etiam dilexit amore liberali*.

SECUNDA PARS.

Magdalena Chriſtum dilexit amore liberali.

AMor eſt ſui ipſius diffuſivus, beneficus & liberalis: qui enim bene amat, dileƈto bona ſua communicat: & ſi ei bona ſua communicare renuat, cum vere non amat, ejuſque amor verus non eſt: quia amor ſi verus ſit, liberalis, & ſui ip us diffuſivus eſt. *Amor*, inquit Auguſtinus, *ubertate beneficentiæ profluit*. Talis autem extitit Magdalenæ erga Chriſtum amor, illum etenim amore ita liberali dilexit, ut ei dederit: 1. Totam mentem ſuam: 2. Totum cor ſuum: 3. Omnia obſequia ſua.

1. Qui perfeƈte Deum amat, ei totam mentem ſuam dat & conſecrat; ita ut ejus ſolum recordetur, & de eo tantum cogitet. Hic eſt perfeƈtus amor, quem Deus a nobis exigit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua. Luc.* 10. 27. Quid eſt enim, Deum tota mente diligere, quam eum ita diligere, ut tota mens ei detur, totaque de eo ſemper cogitet: *Diligere Deum tota mente*, inquit Bernardus, *hoc eſt, eum diligere tota memoria, ſine oblivione*. Magdalenæ autem amor, ita in Chriſtum liberalis fuit, ut totam mentem, omneſque cogitationes ſuas ei dederit: *Semper portavit Chriſtum in memoria*, ait D. Bonaventura, *ita ut de eo ſolo cogitaret. Ibid.*

Conquerebatur Job, quod cogitationes ſuæ in varia objeƈta diſperſæ, & diſſipatæ eſſent: *Diſſipatæ ſunt cogitationes meæ. Job* 14. 11. De hoc haud dubie conqueri poſſent plerique hominum quorum cogitationes in varia vagantur. Plus cogitat de mundo, plus de lite, plus de terrenis comparandis, quam de Domino Jeſu Chriſto, a quo venit omne donum, & omne bonum, quod in hoc mundo poſſidemus. Dant mentem, & cogitationes ſuas næniis, vel puerilibus negotiis: tamque parci, & in Chriſtum avari ſunt, ut nec unicam quavis die cogitationem ei impendant. At non ſic Magdalena, cujus amor ita in Chriſtum liberalis fuit, ut aliorum omnium oblita, ejus ſolius recordaretur: *Oblita erat omnia, præter illum quem diligebat ſuper omnia. S. Aug.* Sed ſi Magdalena Chriſtum amore liberali dilexit, quia ei dedit totam mentem, *amavit eum etiam amore liberali, quia eſt dedit totum cor ſuum.*

2. Non aliquam ſolum cordis noſtri partem, ſed totum cor a nobis exigit Deus; qui vult, ut eum ex toto corde, & ex totis affeƈtibus diligamus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc.* 10. 27. O quam pauci totum cor Deo dant! Quam pauci, omnes cordis ſui affeƈtus ad Deum dirigunt! Multi amant videri, amant honorari, amant divites fieri, amant illicitis voluptatibus inebriari: pauciſſimi vero ſunt, qui Deum ſolum ament, & qui totum ei cor offerant. At Magdalenæ in Chriſtum amor ita liberalis fuit, ut totum ei cor dederit, nihilque ab ipſo amaverit: *Chriſtum ſolum diligebat. D. Bonav. ibid.* Sciebat Magdalena, quod Deum ex toto corde non ament, qui cum eo aliud aliquid amant: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Aug. ſol. c.* 9. Quare nil niſi Chriſtum amavit, cique ſoli totum cor dedit, omneſque cordis ſui affeƈtus conſecravit.

Filius ille prodigus, de quo loquitur ſanƈtus Lucas Evangeliſta, ad ſe reverſus, dicebat: *Ibo ad Patrem meum, & dicam ei, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis. Luc.* 15. Cum tamen ivit ad Patrem, non ab eo petiit, ut ipſum tamquam unum ex mercenariis & famulis reciperet. Cur, o prodige, non petis quod petere ſtatueras? Cur propoſitum tuum executioni non mandas? Cur mercedem aliquam patrem non rogas? quia, ut ait S. Petrus Chryſologus, eo ipſo quod prodigus patrem vidit, de eo ſolo cogitavit, illum ſolum amavit, nec aliud quidquam deſideravit: *illi ſufficit pater. Chryſol. ſer. 4. de prodigo*. Sic Magdalena ita omnes cogitationes, omneſque affeƈtus ſuos ad Chriſtum direxerat, ut illum ſolum diligeret, eoque ſolo contenta eſſet: *Solum Chriſtum diligebat, eo ſolo contenta erat*. Dilexit ergo Magdalena Chriſtum amore liberali: quia ei totam mentem, totumque cor dedit; *Ac etiam quia omnia ſua ei dedit obſequia. D. Bonav.*

3. Magdalena, ante converſionem, ſibi & mundo obſequebatur: tunc cor, mentem, manus, & omnia bona ſua in carnis & mundi obſequium inſumebat: ſed poſt converſionem hæc omnia Chriſto conſecravit, ejuſque obſequio dedicavit. Ante converſionem oculi ejus deprædandis juvenum cordibus inſerviebant: & poſt converſionem, fundendis contritionis lacrymis occupantur. Ante converſionem, bona ejus temporalia, vanitatis & luxuriæ occaſiones erant, & poſt converſionem, ea in charitatis & miſericordiæ officia impendit. Ante converſionem, corpus ejus illicitis addiƈtum erat voluptatibus, poſt converſionem, pœnitentiæ & mortificationi totaliter fuit conſecratum. Eo ipſo tandem, quo Chriſtum novit, ita amore ejus exarſit, ut ſe & ſua omnia obſequio ejus conſecravit; ac, ut ait Sanƈtus Cyprianus: *Magdalena nil ſibi de ſe retinent, ſe totam Chriſto devovit. Cyprianus traƈt. de ablat. ped.*

Sciebat Magdalena, nil æquius, nilque rationi magis conſonum, quam quod membra, & bona illa, quæ immunditiæ, iniquitati, & diabolo ſervierunt, tandem aliquando ſerviant Chriſto; *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra*

veſtra

veſtra, ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Rom. 6. 16. Quare Magdalena imitata eſt obduratos illos peccatores, qui quo ſeniores, eo pejores fiunt; ſed quæ, dum eſſet juvenis, dæmonis fuerat famula; per veram converſionem facta eſt poſtmodum fidelis ancilla Chriſti; ac ſe, ſuaque omnia, Chriſti obſequio conſecravit. Tunc enim, amore ejus accenſa, ei obtulit *oculos*, quos flendis præteritis criminibus addixit; *aures*, quas audiendis divinis inſpirationibus inſumpſit; *totum corpus*, quod diris mortificationibus contrivit; ſeipſam tandem & omnia ſua Chriſto dedit, ejuſque obſequio devovit: *Nihil ſibi de ſe retinens, ſe totam Chriſto devovit.* Amavit ergo Magdalena Chriſtum amore liberali, quia ei mentem, cor, & obſequia dedit: *Sed amavit etiam eum amore ardenti.*

TERTIA PARS.

Magdalena Chriſtum dilexit amore ardenti.

AB inſtanti, quo Magdalena ad Chriſtum converſa eſt, eum ardenter dilexit; ſacri amoris igne continue accenſum fuit cor ejus; ſponſum animæ ſuæ numquam amare deſiit; amore ejus indeſinenter exarſit; eumque amore ardenti ſemper, & ubique dilexit, & præcipue in cruce, in ſepulchro, & in cælo. Amore ardenti hæc dilexit Chriſtum: 1. In cruce pendentem: 2. In ſepulchro jacentem: 3. In cælo regnantem.

1. Petrus, qui Chriſtum ter negaverat, ter de amore a Chriſto interrogatur. Ut enim loquitur Hugo a S. Victore, ſic Petrum affatus eſt Chriſtus. Petre, *amas, amas, amas?* Reſpondit ille: *Amo, amo, amo.* Petre, *amas Patrem, amas Filium, amas Spiritum Sanctum? Amo, amo, amo, corde, ore, opere.* Ecce ardentem Chriſti amatorem, cujus amor præeminentia ſupra alios Apoſtolos, & dignitate capitis viſibilis totius Eccleſiæ præmiatus fuit. Petri tamen amor, qui tunc ardens fuerat, non ſolum tepidus, ſed etiam frigidus factus eſt in hoc, quod Chriſtum uſque ad Crucem non ſit ſecutus. Amaverat Petrus Chriſtum miracula facientem, in Thabore transfiguratum, & cæleſtis gloriæ radiis rutilantem, ſed ipſum cruci affixum reliquit. Magdalena vero Petro fuiſſe videtur in amore ferventior, quia Chriſtum ad ſupplicium comitata eſt; & juxta crucem ejus ſterit; præ amore in corde perferens, quæ Chriſtus in corpore patiebatur ſupplicia: *Stabat juxta crucem Jeſu Maria Magdalena. Jo. 19.*

O ardentem Magdalenæ amorem! qui tantus extitit, ut Chriſtum Dominum numquam dimiſerit. Invenerat, quem diligebat anima ejus, tantoque eum proſecuta eſt amore, ut eum, etiam in cruce pendentem, dimittere noluerit. Ipſa Chriſti Salvatoris amore ſuccenſa intra ſe, ſimul cum ſacra Sponſa, dicebat: *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, Cant. 3. 4.* etiam quandiu in cruce duos inter latrones pendebit. Dimittat eum Petrus, dimittat eum Judas, dimittant eum, qui voluerint, tanto in eum amore ardeo, quod numquam illum dimittam. Magdalena ergo ardenter amavit Chriſtum in cruce pendentem, *ac etiam in ſepulchro jacentem. Jo. 20. 1.*

2. *Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum a monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dixit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.* Sic loquitur S. Joannes Evangeliſta, in cujus verbis clare elucet, quantum Magdalena Chriſtum in ſepulchro jacentem dilexerit. *Primo* enim ait, quod Magdalena ad Chriſti ſepulchrum iverit mane, quia amor quo inflammabatur, neſciebat tarda molimina. *Secundo* ait, quod iverit ad monumentum, cum adhuc tenebræ eſſent; quia amor quo erga Chriſtum in ſepulchro jacentem accendebatur, eam vigilantem & ſolicitam effecerat. *Tertio* dicit, quod Magdalena, videns ſublatum lapidem, cucurrerit ad Petrum, & ad Joannem, ad eos autem cucurrit, movente eam Chriſti amore, qui ei addidit alas. *Quarto*, ibi habetur, quod Magdalena dixerit eis, a monumento ſublatum eſſe Chriſtum. Quæ verba protulit, ob nimium quo ardebat amorem: *Amoris igne ſuccenſa, ejus, quem ablatum credebat, ardebat deſiderio. Greg. hom. 25. in Evang.*

Ecce multa amoris, quo Magdalena erga Chriſtum in ſepulchro poſitum ardebat, argumenta. Sed aliud non parvum hujus amoris argumentum habemus in hoc, quod Magdalena, aliis recedentibus, ad monumentum conſtanter remanſerit: *Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans. Jo. 20.* Cur enim aliis abeuntibus, illa juxta ſepulchrum remanet, niſi quia Chriſtum ardenter amat, & quia cæteris amore præſtat? *Tanta vis amoris eam accendebat, quod a monumento Domini, diſcipulis recedentibus, non recedebat. S. Greg. ib.*

Hæc omnia probant magnum Magdalenæ amorem erga Chriſtum in ſepulchro poſitum, ſed idem amor probari etiam poteſt, eo quod in Chriſti monumentum pluries aſpexerit, *inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum*, inquit S. Joannes Evangeliſta. Ipſa jam antea proſpexerat, & ſepulchrum corpore Chriſti vacuum viderat: cur ergo tam anxie iterum inſpicit? Ratio eſt, quia *amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit*, ut ait S. Gregorius. *Ib.* Vel, ut advertit Gilbertus Abbas, qui quærit quod amat, anxius eſt: *Anxietas iſta quærentis, eximiæ quoque dilectionis videtur odorem ſpirare. Gilb. ſer. 32. in Cant.* O quot argumenta ad probandum, quod Magdalena Chriſtum in ſepulchro jacentem amore ardenti dilexerit! *Sed amore ardenti dilexit etiam Chriſtum in cælo regnantem.*

3. Poſtquam enim reſurrexit, & ad cælum aſcendit Chriſtus, ad deſertum ſe contulit Magdalena; ubi uſque ad mortem per ſpatium circiter triginta annorum, rerum cæleſtium contemplationi vacavit, & toto hoc tempore, amore Chriſti exarſit cor ejus, eumque, ut ait S. Bernardinus, *ibid.* amavit amore invariabili, inſatiabili, & inacceſſibili. *Primo*, inquit, inflammavit cor illius amor invariabilis; nulla enim ex parte, & nulla ex cauſa variari cor ejus poterat a divina dilectione, non ſolum quia per lumen, a Deo ipſi infuſum, ad Dei contemplationem, & amorem determinabatur; ſed etiam quia a rebus ipſis viſibilibus movebatur ad amplectendum dilectum. *Secundo*, inflammavit cor ejus amor inſatiabilis; quia Deum amans, non ſatiabatur amo-

re,

re, quo enim magis amabat, eo magis amare deſiderabat, & quo magis de Dei deliciis guſtabat, eo magis de iis guſtare optabat. *Tertio*, ut cum aliis multis ait S. Bernardinus, Magdalenæ cor inflammavit amor inacceſſibilis, tanto enim, inquit, ardore amor animam ejus perſtringebat, ut inopinatis raptibus ſepties in die, Angelorum auxilio volans in illa ſublimia ſecreta cæleſtia, ad amorem inacceſſibilem raperetur.

O mirandum Magdalenæ amorem! ipſa equidem Chriſtum vere dilexit, & *dilexit multum*: cum eum generoſo, liberali, & ardenti amore dilexerit. Sed ſi Magdalena dilexit Chriſtum; illum & nos diligere debemus: quia *qui non diligit, manet in morte*. Et ut ait D. Paulus: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*. 1. Cor. 16. 22. Amemus ergo Chriſtum Dominum cum Magdalena: ſed & amemus eum amore generoſo, liberali & ardenti.

Amemus eum amore generoſo, quo de omnibus quæ amorem noſtrum cohibere, vel retardare poſſent, generoſe triumphemus: *Amor, ſi amor eſt, vincit omnia*, *Chryſol. ſerm.* 40. quæcumque ſcilicet ipſi opponuntur: quare ita generoſus ſit noſter amor, ut quæcumque nos ab amando Chriſto impedire poſſent, generoſe vincamus: *Sed diligamus etiam Chriſtum amore liberali*.

Tanta ejus in nos eſt liberalitas, ut ſe totum pro nobis dederit in cruce; ſeque totum det nobis in Euchariſtia. Tanta pariter noſtra in eum ſit liberalitas, ut ipſi noſmetipſos totaliter demus. *Demus* ei totam mentem, myſteria ejus continue contemplando: *Demus* ei totum cor, omnes noſtros in ipſum transferendo affectus: *Demus* ei omnia obſequia noſtra, cuncta opera ad majorem ejus gloriam dirigendo. Hæc eſt liberalitas, qua æternam beatitudinem emere debemus: *Præſenti liberalitate æternam vitam mercare*. *Chryſoſt. ſer.* 1. *de Martyr.* Sed diligamus tandem Chriſtum *amore ardenti*.

Ignis amoris noſtri in conſpectu ejus ſemper ardeat: ignita ſint verba, ignita ſint opera noſtra. Ita ut quicumque nos audierit loquentes, vel viderit operantes, dicat: ecce quomodo hic homo amoris divini igne ardet!

Sed, heu! quis hodie ſic Chriſtum amat? *Frigida ſupra nivem ſunt corda noſtra*, inquit Doctor Seraphicus, *frigida verba, & univerſa frigida ſunt opera, quaſi ſint adamantina. Dicitur enim, quod adamas nullo igne calefieri poteſt: ſunt ſimiliter multi, qui adamante duriores, & frigidiores, igne amoris divini calefieri non poſſunt*. *Bonav. ubi ſup.*

O quantam frigiditatem cordis humani, quod amoris divini igne indeſinenter ardere debet! Heu! quid tam amabile, quam Deus ipſe, qui charitas eſt? *Quid tam amabile, quam amor ipſe, quo amaris?* inquit *Bern. l. 5. de conſid.* Nil certe Deo amabilius: quare, ſimul cum Magdalena, amemus eum amore generoſo, liberali, & ardenti; ut cum ipſa eum in cælo æternum amare mereamur. *Amen*.

DE SANCTO JACOBO MAJORE.

CONCIO UNICA.

Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.
Matthæi 20.

VIvere & regnare, inordinatum hoc eſt ambitioſi hominis votum: mori autem & regnare, feliciſſima hæc eſt hominis Apoſtolici ſors. Jacobum in mundo vivere & regnare ambiebat mater ejus Maria Salome; ſed vir ille, Apoſtolico ſucсenſus zelo, qui non regnavit dum in hoc mundo viveret, poſt mortem regnare, & in Chriſti Regno ſedere meruit. Unde tunc quodammodo adimpletum fuiſſe videtur ambitioſum matris hujus deſiderium: quæ a Chriſto petierat, ut in Regno ejus ſederent filii: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei in Regno tuo*.

Hanc inſectari mulierem, mei jam non eſt inſtituti; ſed filium ejus S. Jacobum dignis proſequi laudibus vehementer optarem. Eum Eccleſia magnum, & majorem nuncupat; non tam ut eum ab alio Jacobo Apoſtolo diſcernat, quam ut declaret, eum magnum, & maximum extitiſſe virginea puritate, ferventi qua exardeſcebat charitate, & aliis multis virtutibus, quibus ad Chriſti thronos exaltari, & in Regno ejus ſedere meruit: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei in Regno tuo*. Jacobum in triplici Chriſti Regno, & in triplici throno glorioſe ſedentem proponam, &c. *Ave*.

CÆlum, Terra & Eccleſia, ſunt tria Chriſti Salvatoris Regna. Cælum eſt ejus Regnum, quia ibi eſt in æternum regnaturus: *In æternum Regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti*. 2. *Petr.* 1. Terra eſt ejus Regnum; quia totius terrarum orbis eſt primarius Dominus, & Rex: *Dominabitur a mari uſque ad mare*. *Pſ.* 71. Eccleſia eſt ejus Regnum; quia hæc eſt domus Jacob, in qua uſque ad mundi finem regnabit: *Regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis*. *Luc.* 1.

Sicut autem tria ſunt Chriſti Regna; ita & thronorum ejus tria ſunt genera. Quorum unus eſt thronus juſtitiæ: *Juſtitia thronus ejus*. *Prov.* 25. Alius eſt thronus gloriæ: *In throno honoris*. *Eccli.* 24. Tertius vero eſt thronus gratiæ & liberalitatis: *Ad thronum gratiæ ejus*. *Hebr.* 4.

Ecce tria Chriſti Regna, & tria thronorum ejus genera. Sed quis in tribus iis Chriſti Regnis, ſupra tres ejus thronos ſedebit? Jacobus utique, qui ſedet in Regno Cæli, in Regno Eccleſiæ, & in Regno Terræ. Sedet: 1. *In Regno Cæli*, ſupra thronum juſtitiæ: 2. *In Regno Eccleſiæ*, ſupra thronum gloriæ: 3. *In Regno Terræ*, ſupra thronum gratiæ. Sanctus hic Apoſtolus ſedet in Regno Cæli ſupra thronum juſtitiæ: quia hic thronus ei ex juſtitia erat debitus: ſedet in Regno Eccleſiæ ſupra thronum gloriæ: quia in Eccleſia plurimum honoratur: ſedet in Regno Terræ ſupra thronum gratiæ: quia

Digitized by Google

ſibi multas gratias; multaque beneficia hominibus impertit. En tres thronos, in quibus ſedet Jacobus, & en etiam tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Sanctus Jacobus ſedet in Regno Cæli ſupra thronum juſtitiæ.

SIcut Chriſtus altiſſimum in cælo thronum occupat, ibique ad Patris æterni dexteram ſedet; ita & Apoſtoli ſpeciales habent thronos, in quibus ſedent: *Sedebitis ſuper ſedes.* Unicum autem nunc inſpicio Jacobum Apoſtolum, in cæleſti regno ſedentem ſupra thronum juſtitiæ, ſeu ex juſtitia ipſi debitum: quia hunc thronum meruit, emit, & acquiſivit: 1. *Illum meruit* fideli obedientia, quam Deo præſtitit: 2. *Illum emit* voluntaria paupertate, quam ſectatus eſt: 3. *Illum acquiſivit* gravi certamine, quod iniit.

1. Obedientia eſt mirabilis illa virtus, qua cælum quiſque viator mereri debet, ſi ſaltem rationis uſu præditus ſit. Illud meruerunt Angeli, obtemperando præcepto ipſis a Deo impoſito: illud meruit Chriſtus, obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: illudque per obedientiam, legi divinæ præſtitam aſſequi meruerunt, quotquot Sancti nunc in cælo regnant. Iis enim Regnum cælorum datum eſt ex gratia, & ex juſtitia. *Ex gratia*: quia ſine divinæ gratiæ auxilio illud obtinere nequibant. *Ex juſtitia*: quia divina gratia adjuti, Dei voluntati obtemperantes, bona opera fecerunt; quibus Regnum cælorum aſſequi meruerunt.

Si autem aliis Sanctis datum eſt Regnum cælorum *ex juſtitia*, quia illud per obedientiam Deo præſtitam meruerunt; S. Jacobo, potiori quodam jure datum fuiſſe videtur juſtitiæ titulo: quia Chriſto ita perfecte obtemperavit, ut altioris & perfectioris obedientiæ exemplar extiterit. Taceo præcellentem hanc obedientiam, qua non ſolum Dei præcepta, verum & Evangelica conſilia perfecte ſervavit; qua haud dubie regnum cælorum obtinere meruit. Sed vellem præcipue, ut attenderet quiſque admirandam hanc obedientiam, quam Jacobus Chriſto, illum ad ſui obſequium vocanti præſtitit. Cum enim eum vocavit Chriſtus, mox relictis retibus ſecutus eſt eum. *Matth.* 4. 20. Chriſtum miracula facientem non viderat Jacobus; eum non audierat de regno Dei diſſerentem; ipſi etiam non promiſerat Chriſtus, ſe illum hominum piſcatorem facturum: & tamen ita ei obediens fuit, ut relictis retibus & patre, illum ſtatim ſecutus ſit. O heroicam Jacobi obedientiam! qua ad cæleſtes thronos ſublimari juſte meruit. Ac proinde Jacobus in regno cælorum ſedet ſupra thronum juſtitiæ, ſeu ex juſtitia ipſi debitum: quia illum meruit fideli obedientia, quam Deo præſtitit: *Et quia illum emit arcta paupertate, quam voluntarie ſectatus eſt.*

2. Pauperes ſpiritu beatos proclamat Chriſtus: quia, inquit, ad eos attinet regnum cælorum: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth.* 5. Quo, quæſo, titulo pauperum eſt regnum cælorum? Titulo emptionis, ait S. Bernardus; quia paupertas eſt pretium, quo regno cælorum emitur: *Paupertate regnum cælorum emitur; ſicut ſcriptum eſt, beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. S. Bernar.* Verum eſt, quod pacificis, mitibus, mundis corde, & aliis nonnullis promittat Chriſtus, ſe illis daturum regnum cælorum. At voluntariis pauperibus dicit, non quod iis dabit regnum cælorum; ſed quod ipſorum ſit regnum cælorum; quia ad eos attinet regnum cælorum, tamquam res, quam voluntaria paupertate emerunt. Sicut enim domum aliquam illius eſſe, & ad illum attinere dicimus, qui eam emit & ſolvit, ita regnum cælorum pauperum eſt, quia illud voluntaria paupertate emerunt, & ſolverunt. Unde S. Auguſtinus Chriſtianos felices arbitratur; quia voluntaria paupertate regnum cælorum emere poſſunt: *Magna felicitas Chriſtianorum, quibus datum eſt, ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. S. Aug. ſer.* 25. *de verb. Apoſt.*

Hoc pretio regnum cælorum emit S. Jacobus. Sciebat vir Sanctus, quod *difficile, immo impoſſibile eſt, ut præſentibus quis & futuris fruatur bonis. Hier. epiſt.* 34. *ad Jul.* Noverat vir Dei, quod *ſi eſt regnum cælorum pauperum, reſtat ut infernus ſit divitum. Auguſt. l. de cont. mund. c.* 6. Probe callebat doctrinam Chriſti, dicentis: *Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum; Matth.* 19. 24. quare ut regnum cælorum obtineret, illud paupertate emit. Jacobus, ut ait S. Hieronymus, erat nobilis & dives, licet humili vacaret arti, ipſe autem relictis retibus & cunctis terræ bonis, nudus nudum ſecutus eſt Chriſtum, ut paupertate emeret cælum. Quare jam in cælo ſedet ſupra thronum juſtitiæ, ſeu ex juſtitia, illi debitum: quia illum voluntaria paupertate emit: *Ac etiam quia illum acquiſivit gravi certamine, quod generoſe inivit.*

3. Quot in hoc mundo ſunt homines, tot eſſe debent milites, qui pro aſſequenda æterna beatitudine generoſe decertent: quia certiſſimum eſt, quod *non coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Tertull.* Omnem hominem in hoc mundo militem eſſe voluit Deus: *Omnis homo miles*; nec voluit Deus homines eſſe milites deſides & ignavos; ſed æterno ſuo decreto ſtatuit, ſe nulli daturum regni cæleſtis præmium, niſi prius in hoc mundo adverſus dæmonis tentationes, carnis illecebras, mundi blanditias, & pravos paſſionum ſuarum motus generoſe pugnarit. Et ideo omnes fideles monet S. Papa Gregorius, quod ſi Sanctorum gloriam obtinere intendant, dura & laborioſa in hoc mundo certamina inire debeant: *Si te delectat gloria Sanctorum, non te deterreat certamen laborum.* S. autem Jacobus velut athleta fortiſſimus, adverſus Dei & animæ ſuæ hoſtes generoſiſſime decertavit, & glorioſiſſime de iis triumphavit; pugnavit S. Apoſtolus contra dæmonem, malignis ejus reſiſtendo tentationibus; contra carnis impetus, eam jejuniis, vigiliis, & laboribus opprimendo; contra mundi faſtum, divitias & gloriam ejus pro nihilo habendo.

Ambitioſæ S. Jacobi matri dixerat Chriſtus, regnum cælorum non omnibus dari, ſed iis quibus paratum erat a patre: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. Matth.* 20. 21. Quæ verba ſic exponit Theophylactus: *Non eſt meum dare*

re

Digitized by Google

re ad gratiam; ſed iis qui certaverint & vicerint: quare S. Apoſtolus, ut regnum cælorum acquirere mereretur, adverſus ſalutis ſuæ hoſtes fortiter pugnavit, & de iis glorioſe triumphavit. Pugnavit vir Dei, inſtar D. Pauli, *non quaſi aerem verberans*, *1. Cor. 9. 26.* ſed caſtigando corpus, reſiſtendo ſatanæ, & deſpiciendo mundum. Unde cum eodem Paulo dicere poterat: *Debita eſt mihi corona juſtitiæ.* Seu ex juſtitia mihi debitum eſt, ut in cæleſti ſedeam regno: quia illud merui obedientia quam Deo præſtiti, illud emi voluntaria paupertate quam ſectatus ſum, & illud acquiſivi glorioſis certaminibus quæ inivi. Sed ſi S. Jacobus ſedet in regno cæleſti ſupra thronum juſtitiæ: *ſedet etiam in regno Eccleſiæ ſupra thronum gloriæ.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Jacobus ſedet in regno Eccleſiæ ſupra thronum gloriæ.

QUamvis S. Jacobi anima ad cæleſtes evolaverit thronos: ipſe tamen in Eccleſia, veluti in throno gloriæ & honoris ſemper remanet, quia in ea ut conſanguineus, Apoſtolus, & Martyr Chriſti honoratur: 1. ut Chriſti conſanguineus, & unus ex propinquioribus: 2. Ut Chriſti Apoſtolus, & unus ex charioribus: 3. Ut Chriſti Martyr, & unus ex generoſioribus.

1. Chriſti conſanguineus erat Jacobus, cum frater ejus in Sacra Scriptura dicatur *Jacobum fratrem Domini. Ad Galat. 1.* Verum eſt, quod S. Hieronymus Jacobum, nec fratrem nec Chriſti conſanguineum extitiſſe ſentiat. Chriſti enim, inquit, frater vocatur, non quod frater, vel conſanguineus ejus fuerit; ſed quia virginitate, humilitate, vitæ innocentia, & aliis virtutibus ita Chriſto fuit ſimilis, ut frater ejus videretur. Alii tamen Doctores unanimiter dicunt, Jacobum, non quidem Chriſti fratrem vere fuiſſe: quia Chriſtus unicus fuit Mariæ filius, ac proinde fratrem non habuit: ſed aſſerunt eum vere Chriſti conſanguineum, ejuſque conſobrinum extitiſſe: conſobrini enim, ut notat Lippomanus, *uſitato Scripturæ more, fratres vocari ſolent.*

O qualem honorem Jacobo, quod Chriſti conſanguineus extiterit! Glorientur Magnates ſæculi ex hoc quod Regum & Principum ſint conſanguinei, eſt ſane quod magis glorietur Jacobus, & in infinitum major in eum redundet gloria, ex hoc quod Chriſti Regis regum, & Domini dominantium conſobrinus fuerit. Honoris titulos inquirant alii in hoc, quod a Patriarchis, Prophetis, & Regibus originem ducant: idem quidem Jacobo debetur honos; quia a pluribus Patriarchis, & Regibus eſt oriundus; ſed inſuper longe majori dignus eſt honore; quia Chriſti, æterni Patris Filii, eſt conſobrinus. Et hæc eſt cauſa, propter quam Jacobum ſpeciali honore proſequitur S. Romana Eccleſia. Hæc honorat Iſaiam ut Chriſti Prophetam, Joannem Baptiſtam ut Chriſti Præcurſorem, & omnes Sanctos ut Chriſti ſervos, ſed Jacobum ſpecialiter honorat ut Chriſti conſanguineum, & unum ex propinquioribus: *Et illum etiam honorat ut Chriſti Apoſtolum, & unum ex charioribus.*

2. A Chriſto dilecti fuere omnes Apoſtoli. At ei haud dubie chariores extitere Petrus, Joannes & Jacobus. Tantus enim Chriſti in eos fuit amor, ut illos ſibi familiares eſſe voluerit, & quaſi *individuos in comitatu, in diſciplinatu, & convictu. Tertull. l. de præſc. hæret. 22.* Eos ſecum habere voluit Chriſtus, cum Archiſynagogi filiam a mortuis excitavit: eos in Transfigurationis ſuæ teſtes aſſumpſit, eoſque ſecum duxit in hortum Gethſemani, ut ſanguinei ſudoris, & extremæ, quam paſſurus erat, triſtitiæ ſpectatores forent? *Tres illos Apoſtolos*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *ſecum Chriſtus tunc habere voluit, tamquam familiares & chariores. Dion. in c. 7. Luc.*

O qualem honorem Jacobo, quod fuerit Apoſtolus a Chriſto dilectus, & unus ex charioribus! Magno ſe honore affici credunt qui a Regibus & Principibus diliguntur: *Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt:* ſed quanto major in Jacobum honos reſilit ex hoc, quod unus ex charioribus Chriſti Apoſtolis fuerit? Chriſtum adorant Angeli: coram illo timent Archangeli, & tremunt poteſtates: *Angeli*, ut ait Proclus, *cum metu inſerviunt, Archangeli cum tremore adorant. Cherubin, gloriæ magnitudinem minime ferentes, cohorreſcunt: Seraphim, circumvolantes, propius accedere non audent:* quanto autem felicior, & majori honore dignior S. Jacobus, qui coram Chriſto non ſtetit tremens, & quaſi ſervus, ſed ut Apoſtolus ſpecialiter ab illo dilectus, & ut unus ex ipſius charioribus? Inde ſane maximo dignus eſt honore Jacobus, & ideo a S. Romana Eccleſia maxime honoratur. Omnes Apoſtolos honorat Eccleſia, quia hi Dei amici ſunt: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus;* at ſpecialiorem Jacobo impendit honorem, quia non ſolum Apoſtolus, ſed etiam unus ex charioribus Apoſtolis fuit. Quare S. Jacobus in Eccleſia ſupra thronum gloriæ ſedet; cum in ea honoretur ut unus ex charioribus Chriſti Apoſtolis: *ac etiam ut unus ex generoſioribus Chriſti Martyribus.*

3. Cum Maria Salome a Chriſto petiit, ut duo filii ſui, Joannes & Jacobus, in ejus regno, unus ad ipſius dexteram, & alter ad ſiniſtram ſederent, ab iis petiit Chriſtus, an Martyrii calicem bibere valerent? *Poteſtis bibere calicem?* Illi autem protinus reſponderunt: *Poſſumus.* Et revera uterque glorioſo coronatus eſt martyrio. Martyr fuit Joannes, martyr fuit & Jacobus. An Joannes Jacobo, vel Jacobus Joanne in martyrio generoſior fuerit, jam non inquiro; ſed quod ad rem meam attinet, dico, Jacobum in martyrio generoſiſſimum extitiſſe, non ſolum, quia diram mortem pro Chriſto & Evangelio conſtantiſſime eſt perpeſſus: non ſolum etiam, quia Jeroſolymis paulo poſt Chriſti mortem a Judæis, tunc contra Chriſtum, ejuſque Diſcipulos maxime furentibus, eſt occiſus; ſed in hoc potiſſimum generoſiſſimus, & unus ex generoſioribus Martyribus viſus eſt, quod primus ex Apoſtolis Martyr occubuerit: *Jacobus primus de omnibus Apoſtolis amorem Chriſto reddidit, quem accepit, nam primus inter Apoſtolos morti ſe tradidit. S. Bonav. ſer. 1. de S. Jac. ha.*

Inter Apoſtolos Petrus primus fuit poteſtate; & auctoritate: quia ei Chriſtus claves regni cælorum tradidit, eumque ſuum in terris Vicarium conſtituit. S. Andreas inter eos primus fuit vocatione: quia primus Chriſtum adiit, & ad eum Petrum adduxit. S. Joannes primus fuit in dilectione: quia fuit diſcipulus ille, quem potiſſimum diligebat Jeſus. At S. Jacobus ex Apoſtolis fuit primus martyrio; *Jacobus primus ex collegio Apoſtolorum ſolium Sacerdotale, proprio purpuratus ſanguine, & dealbatus in Chriſto victor aſcendit. Paſch. in c. 27. Matthæi.*

O magnam Jacobi generoſitatem! Alii Apoſtoli ita generoſi fuere, ut pro Chriſto ſanguinem fuderint, & martyrium obierint, ſed in hoc aliis eſt generoſior Jacobus, quod primus inter conſodales, ſine aliquo prævio eorum exemplo, martyrii palmam retulerit. O qualem Jacobi gloriam! o quanto dignus eſt honore generoſus ille Martyr! Omnes Martyres veluti Chtiſti victimas, ſancta veneratur Eccleſia, eoſque veluti invictos fidei teſtes religioſe honorat: *Non ſolum non contemnuntur, verum etiam magis honoribus præferuntur Martyres. Auguſtinus ſerm. 9. in Pſalm.* 118. Si autem Eccleſia cunctos veneretur Martyres, quanto majorem impendit honorem Jacobo, qui inter Apoſtolos, Martyrum primicerius, & protomartyr extitit? Certe in Eccleſiæ regno ſedet ſupra thronum gloriæ & honoris; quia in ea honoratur ut unus ex proximioribus Chriſti conſanguineis, ut unus ex charioribus Chriſti Apoſtolis, & ut unus ex generoſioribus Chriſti Martyribus. Sed poſtquam S. Jacobum in regno Eccleſiæ ſupra thronum gloriæ ſedentem vidimus: *Eum in regno terræ ſupra thronum gratiæ & liberalitatis ſedentem contemplemur.*

TERTIA PARS.

Sanctus Jacobus ſedet in regno terræ ſupra thronum gratiæ & liberalitatis.

SAnctus Jacobus, cujus anima in cælo fulget, in terra reſidet, non ſolum quoad ſancti corporis ſui reliquias, ſed etiam quoad multa beneficia quæ hominibus impendit, & præcipue infidelibus, militantibus, & peregrinis. Unde dicam, quod Sanctus Jacobus in regno terræ ſupra thronum gratiæ & liberalitatis ſedeat: quia ibi dat 1. Fidem infidelibus: 2. Victoriam militantibus: 3. Subſidia peregrinis.

1. Sanctus Jacobus, dum in hoc mundo viveret, infidelibus multis fidem dedit: cum ex iis plurimos ab infidelitatis tenebris avocaverit, & ad veram Chriſti fidem converterit; ſed ejus erga infideles liberalitas, eo etiam mortuo, perſeveravit, quia a tempore, quo e vivis exceſſit, per ſe, & per diſcipulos ſuos, infideles multos, præſertim in Hiſpania illuminavit. Ut enim ait Venerabilis Beda, *Sanctus Jacobus etiam poſt mortem illuminavit Hiſpaniam fide, ac pietate, quam illi impetravit.* Verum eſt, quod de eo dicant aliqui, quod in Hiſpania novem ſolum infideles ad veram Chriſti fidem prædicationibus ſuis adduxerit; ſed, ut ait Sanctus Vincentius Ferrerius: *illi novem fuerunt novem grana fructificantia, qui totam Hiſpaniam converterunt. Vincentius Ferrerius de S. Jacobo.* Vel potius hi fuere veluti novem aſtra fulgentiſſima, quæ infidelitatis fugarunt tenebras, omneſque totius Hiſpaniæ infideles fidei lumine illuſtrarunt.

Duodecim Apoſtoli ſunt duodecim illa fundamenta, quibus civitatis cæleſtis Jeruſalem muri ſolidantur: *Murus civitatis habet fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni, Apocal.* 21. 14. Quodlibet autem ex præfatis fundamentis lapide quodam pretioſo ornatur; *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata: Fundamentum primum, Jaſpis: ſecundum, Saphirus: tertium, Calcedonius. Ibid. v.* 19. Singulis Apoſtolis ſinguli lapides pretioſi appropriantur; &, ſi Venerabili Bedæ fidem adhibeamus, per Calcedonium intelligitur, S. Jacobus Apoſtolus, quia, inquit, *Calcedonius habet fulgorem ſub dio, non in domo.* Jacobus enim magnum in propria domo videtur non habuiſſe fulgorem; cum humilis piſcator extiterit. Sed poſtquam ſub dio fuit, ſeu, poſtquam ad prædicandum exiit, infidelibus mirabiliter affulſit, doctrinæ chriſtianæ radiis eos illuminavit, eoſque & in vita & poſt mortem, per ſe, & per diſcipulos ſuos ad veram fidem adduxit. Sedet ergo S. Jacobus in regno terræ ſupra thronum gratiæ & liberalitatis: quia ibi dat fidem infidelibus; *ac etiam; quia ibi dat victoriam militantibus.*

2. Non quidem omnibus, (neque enim omnes vincere poſſent) ſed iis dumtaxat, pro quibus pugnat. Pluries autem pro Hiſpania pugnavit, ejuſque hoſtes penitus profligavit. Et ut alias omittam, quas nonnulli auctores narrant; inſignem hanc ſolum referam victoriam, quam tempore Ramiri Regis Hiſpani, Sancti Jacobi auxilio freti, glorioſe reportarunt. Ingemiſcebat plus Rex, Hiſpaniam ſub dira Maurorum tyrannide oppreſſam videns, & ægre ferens, quod infidelibhs illis immane centum virginum tributum ſingulis annis Caſtellæ Regnum ſolvere teneretur. Quare ut ſe & ſuos libertate donaret, coacto exercitu, infideles illos eſt aggreſſus: & o rem mirabilem! dum adverſus formidandos illos hoſtes decertavit Rex, ab ipſo conflictus principio viſus eſt Sanctus Jacobus, albo inſidens equo, & gladio triumphali quem geſtabat, Mauros percutiens, quorum ſexaginta millia in campo cæſi occubuerunt, & e prælio Hiſpani victores exierunt.

A nonnullis auctoribus fertur, vel fingitur, quod cum aliquando Romani dubio Marte pugnarent, Caſtor & Pollux, albis reſidentes equis, a Romanorum ſteterint partibus, pro iis decertaverint, iiſque nutantem victoriam comparaverint. Fictitium ſane eſt hoc commentum; ſed veriſſimum eſt, quod pugnante Hiſpanorum exercitu, Sanctus Jacobus aliquoties viſibiliter, & pluries inviſibiliter pro iis decertaverit, eoſque de hoſtibus victores efficerit i Unde in memoriam talium beneficiorum a Sancto Jacobo acceptorum, ordinem militarem equitum Sancti Jacobi inſtituerunt Hiſpani: tantaque eorum ad Sancti Jacobi patrocinium eſt fiducia, ut ipſum in præliis ſpecialiter invocent, & inſtante conflictu clamare ſoleant; *Sancte Jacobe, Hiſpania pugnat.* Quaſi dicant; o Sancte Jacobe, qui adjutor in opportunitatibus ſæpe nobis fuiſti: exurge nunc in adju-

Digitized by Google

adjutorium noſtrum. Pluries patribus noſtris pugnantibus propitius fuiſti, eorumque hoſtes debellaſti; ſimili nos jam favore proſequere, hoſteſque noſtros fuga, debella, & nobis ſubjice. Nec vana eorum ſunt vota, eis enim ſæpe præſto fuit S. Jacobi patrocinium; ac S. hujus Apoſtoli auxilio & meritis, Hiſpani e prælio ſæpe victores exierunt. Sedet ergo S. Jacobus in regno terræ ſupra thronum liberalitatis; quia dat victoriam militantibus; *ac etiam quia dat ſubſidia peregrinis.*

3. Decollato Jeroſolymis S. Jacobo, diſcipuli ejus, ut refert S. Antoninus, *1. p. tit. 6. c. 7.* nocte corpus ejus rapientes, ad maris littus illud detulerunt, ibique divinitus paratam invenerunt naviculam, in quam ingreſſi, ſeque divino committentes gubernaculo, ad Hiſpaniæ oram in Galleciam appulere. Cum autem, inquit Doctor Seraphicus, B. Jacobi corpus ibi appulit, *ipſa rupis ſe expandens, & in ſepulchri formam effingens, Sanctum excepit cadaver, perſeveratque hodie eadem ſpecies ſepulchri. Bonav. ſer. de S. Jac.* Incredibile autem, quanta peregrinorum multitudo ex omnibus orbis Eccleſiaſtici partibus, a primis Eccleſiæ temporibus, ad S. hujus Apoſtoli ſepulchrum accurrant: Mirabilis eſt fidelium cordibus infuſa devotio, qua ab extremis terræ finibus, *tum* ad honorandas Sancti illius reliquias, *tum* ad implorandum ejus patrocinium, ad Compoſtellam alliciuntur. Sed & maximi ſunt favores, maximaque ſubſidia, quæ in ſacro hoc ſepulchro percipiunt peregrini. Ut enim ait Calliſtus ſecundus Pontifex maximus. *Si mille haberem ora, milleque linguis præditus eſſem, non poſſem partem laudum Apoſtoli pertingere, nec miracula ejus cuncta innumeris diebus recenſere.*

Congratulatur Clarevallenſi Monaſterio S. Bernardus, quod in eo ſepultum jaceat S. Malachiæ, Hiberniæ primatis, corpus, eoque veluti theſauro pretioſiſſimo gloriatur: *Magnificavit*, inquit, *Dominus facere nobiſcum, cum locum noſtrum dignatus eſt pretioſiſſimo corporis ejus locupletare theſauro. S. Bern. ep.* 311. Sed eſt quod magis de S. Jacobi reliquiis glorietur Hiſpania: ſunt etenim theſaurus terrenis omnibus bonis pretioſior; ſuntque quaſi aurifodinæ Peruanis fœcundiores & pretioſiores. Quia ex Peruanis eliciuntur ſolummodo metalla quædam & gemmæ materiales: ex S. vero Jacobi ſepulchro ſpiritualia, & omni temporali pretio majora multa oriuntur ſubſidia; tum Hiſpanis, tum peregrinis alienigenis, qui ad illud viſitandum & honorandum devote accedunt.

Ecce quomodo Jacobus in triplici Chriſti regno vere ſedeat. *In regno cæli*, ſupra thronum juſtitiæ & æquitatis: *In regno Eccleſiæ*, ſupra thronum gloriæ & honoris: *In regno terræ*, ſupra thronum gloriæ & liberalitatis.

Miremur S. Apoſtolum in triplici hoc throno ſedentem, & cum illo ſaltem in throno cæleſti aliquando ſedere ambiamus. Honoremus illum in Eccleſiæ throno ſedentem, invocemus eum in terræ throno hominibus bene facientem; ſed in regno cæli cum illo ſedere, potiſſimum deſideremus. Ibi ſedet Chriſtus ad dexteram Patris: ibi omnes Sancti in thronis omni lapide pretioſo ornatis ſedent, optemus & nos ad cæleſtes illos thronos ſublimari, ibique cum Jacobo in æternum regnare. Paupertate, obedientia aliiſque virtutibus ad cæleſtem thronum, exaltatus fuit S. Apoſtolus, eaſdem & nos ſectemur virtutes, ut ad cælum evehi mereamur. *Amen.*

DE SANCTA ANNA:

CONCIO UNICA.

Terra noſtra dabit fructum ſuum.
Pſalm. 84. 13.

DE S. Anna loquor, quæ cum diu terra ſterilis & infœcunda fuiſſet, partus & fœtus nullos noverat: ſed tandem a Spiritu Sancto, & virtute Altiſſimi fœcundata, Mariam Virginem, fructum ſane benedictum, cæleſtem & divinum parere meruit: *Terra noſtra*, inquit S. Vincentius Ferrerius, *id eſt, B. Anna dabit fructum ſuum, id eſt, B. Virginem. Vinc. Ferr. ſer. 2. de nat. Virg.*

Ex fructu illo divinitus dato, quanta nobilitas, quanta dignitas, quantæ virtutes, quantaque ſint merita S. Annæ, quæ tantum edidit fructum, auſpicari intendo. Si etenim ex fructibus cognoſcitur arbor: utpote quia fructuum bonitas arboris ſemper arguit bonitatem, a benedicto ventris S. Annæ fructu facile inveſtigabimus, quanta extiterit arbor a qua talis & tantus fructus productus eſt. Loquemur ergo de mirando illo fructu, non in ſe, ſed reſpectu arboris, ſeu B. Annæ, quæ illum produxit. Vel potius de S. Anna diſſeremus, reſpectu Mariæ, quæ eſt benedictus fructus, quem parere meruit, &c. *Ave.*

SIcut aliqui ſunt fructus injuſtitiæ, tenebrarum & dedecoris: ita & ſunt fructus juſtitiæ, luminis, & honoris. De fructibus juſtitiæ loquitur D. Paulus, optans, ut iis repleamur: *Repleti fructu juſtitiæ. Ad Philipp.* 1. De fructibus etiam lucis ſermocinatur idem Paulus, dicens: *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate. Epheſ.* 5. Fructus tandem gloriæ, & honoris commemorat Spiritus Sanctus his verbis: *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Eccl.* 24.

Certum eſt autem, Mariam, quæ eſt benedictus fructus ventris B. Annæ, reſpectu totius orbis & omnium hominum, fuiſſe fructum juſtitiæ, lucis, & honoris. Fuit, reſpectu totius orbis, *fructus juſtitiæ*: quia per illam Chriſtum, omnis juſtitiæ & ſanctitatis auctorem mundus accipere meruit. Fuit etiam *fructus lucis*: quia illum peperit, qui univerſum mundi cæleſti luce illuminavit. Fuit tandem *fructus honoris*: quia illius, cui omnis debetur honor & gloria, mater extitit.

Non ultra inſpiciam, qualis & quantus, reſpectu totius mundi, fructus extiterit Maria: ſed ut extra propoſitam materiam mea non evagetur oratio, ad B. Annam redeo; & dico, quod Maria, ſpeciali, & miro quodam modo fuerit, reſpectu B. Annæ: 1. Fructus juſtitiæ: 2. Fructus lucis: 3. Fructus honoris.

PRIMA PARS.

Maria, reſpectu Sanctæ Annæ, eſt fructus juſtitiæ.

Maria eſt ſimul gratiæ, & juſtitiæ fructus. Maria eſt gratiæ fructus: quia per gratiam, & ſpecialem Dei favorem ſterilitas Annæ depulſa eſt, & Maria in lucem edita. Eſt etiam Maria fructus juſtitiæ: quia eſt fructus, quem Anna juſte producere meruit: 1. Suis precibus: 2. Suis lacrymis: 3. Suis votis.

1. Mulieribus, matrimonio junctis, innatum eſt deſiderium, legitimam ex marito procreandi prolem; hæcque eſt differentia; inquit Auguſtinus, *Lib.* 4. *Conf. c.* 2. inter libidinoſas meretrices, & mulieres conjugatas, quod iſtæ prolem deſiderent: illæ vero non quærant prolem, ſed delicias. Anna autem licet ſterilis, & jam provectioris eſſet ætatis, hoc, generandi prolem, accendebatur deſiderio: & ideo *Deum orabat, rogabat, ſupplicabat, ut vincula ſolveret ſterilitatis; S. Vinc. Ferr.* ſuiſque precibus ita Deum exoravit, ut ablata ſterilitatis turpitudine, immaculatam Virginem parere, ſaltem de congruo, meruerit: *Anna, cum petitionem ſuam obtuliſſet, promeruit accipere Sanctam Virginem. Andr. Cret. Encom.* 1. *de dormit. Virg.*

Suas antiquitus preces ſupra mare fundere ſoliti erant nonnulli Gentiles; ea moti ſuperſtitione, quod factæ alibi preces, a diis ſuis exaudiri nequirent. Vanam illam & ſuperſtitioſam conſuetudinem merito damnat D. Auguſtinus: ſed laudanda eſt præclara, & nequaquam ſuperſtitioſa adinventio S. Annæ, quæ preces fudit non ſupra elementare noſtrum mare; ſed ſupra Mariam, quæ a Doctore Seraphico *Amarum mare* nuncupatur. Suppliciter enim a Deo petiit Anna, ut ſterilitatis ſuæ vincula ſolveret, utque optatam ſibi daret prolem; precibuſque ſuis Mariam in filiam a Deo obtinere meruit: & ideo, ut ait S. Germanus: *Dominus flexus Annæ precibus, miſit ad eam Angelum, qui prænunciaret Mariæ Conceptionem. Germ. Conſt. in Encom. Virg.* Maria ergo eſt *fructus juſtitiæ*, reſpectu S. Annæ, quia Anna talem fructum producere meruit precibus ſuis: *ac etiam ſuis lacrymis.*

2. Turpis erat, & exoſa in lege veteri mulierum ſterilitas, quæ non naturæ debilis, & infirmæ, ſed iracundiæ divinæ effectus æſtimabatur. Quare Anna potum ſuum cum fletum miſcuit, precibus ſuis crebras addidit lacrymas, & oculis lacrymantibus a Deo prolem poſtulans, filiam immaculatam, & omni exceptione majorem impetravit: *Anna Joachim uxor*, inquit S. Antiochus, *flens in horto ſuo, promeruit accipere Sanctam Virginem Mariam. S. Antioch. hom.* 107.

Mulierum fœcunditas, in ſacris codicibus, fœcundirati vitis præclare aſſimilatur: *Uxor tua ſicut vitis abundans. Pſ.* 127. 3. Quod in primis Beatæ mulieri Annæ, Joachim Sponſæ, convenire videtur. Sicut enim aquæ guttas præmittit, & quaſi flet vitis, prius quam flores & fructus pariat, ita B. Annæ partum præceſſit fletus; ſuis namque lacrymis Mariam, omnium fructuum pulcherrimum, & ſaluberrimum producere meruit.

Precibus importunis Chananææ ægrotanti filiæ a Chriſto impetravit ſanitatem; amore ferventi & generoſo in Chriſti Vicarium eligi, & ſupra Eccleſiæ thronum erigi meruit Petrus; humilitate profundiſſima, & quaſi annihilatione ſua ad Chriſti maternitatem exaltata eſt Maria. Et Anna lacrymis, ex orationis, humilitatis, & amoris affectu provenientibus, fæcundari, necnon Mariæ Mater effici meruit. Unde Maria, *Margarita orbis terrarum pretioſa*, merito dicitur. *S. Cyrill. hom.* 6. *in Neſtor.* Sicut enim margaritæ ex cæli rore efformantur; Ita Maria ex rore oculorum, ſeu ex S. Annæ lacrymis facta eſt; quia Anna uberrimis oculorum ſuorum lacrymis eam a Deo obtinere meruit. Dicamus ergo, Mariam eſſe fructum juſtitiæ reſpectu S. Annæ, quia ſcilicet juſte eam Anna obtinere meruit ſuis lacrymis; *ac etiam ſuis votis.*

3. Deum precantur, lacrymas fundunt, & vota emittunt multæ mulieres, ut a Deo prolem impetrent: ſed ex his lacrymis & votis, & ſeipſas tantum reſpiciunt: filioſque ſolum deſiderant ad ſui-utilitatem, ad domus ſuæ gloriam, vel ob aliquod temporale emolumentum, quod inde ſibi eventurum ſperant. Anna vero prolem optabat, non tam propter ſe, quam in totius mundi bonum, quod partu ſuo eventurum prævidebat. Et ideo precibus & lacrymis ſuis votum adjunxit; vovit enim Domino, quod ſi ſterilitatis ſuæ vincula ſolveret, ſibique prolem daret, eam ipſi in templo conſecraret, taliquo voto intemeratam Virginem Mariam parere meruit. *Videns, quod virtute naturali non poterat obtinere prolem, obtinuit per votum, & promiſſionem. S. Vinc. Ferr.*

Anna, Samuelis mater, cum ſterilis diu permanſiſſet, votum emiſit, quo pollicita eſt Deo, quod ſi ſterilitatis ſuæ vincula ſolvere dignaretur, non ſolum levia aliqua munuſcula, ut facere ſolent aliæ mulieres, ſed ipſam prolem, vi voti obtentam, ei in templo conſecraret. Illudque votum ita apud Deum efficax fuit, ut virtute ejus, datus ſit illi filius, quem pia mater, adhuc in cunis vagientem, Domino obtulit. Sicut autem cum Anna, Samuelis mater, ſterilis eſſet, vi voti, puerum a Deo impetraverat, quem ei in templo obtulit; ita & B. Anna, Virginis Mariæ mater, ſterilitatis morbo laborans, virtute voti & promiſſionis quam emiſit, Mariam concipere, & parere meruit. *Quemadmodum priſca illa Anna cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem & promiſſionem Samuelem procreavit: eodem modo Anna, mater Virginis, per obſecrationem & promiſſionem, Dei genitricem a Deo accepit. S. Damaſc. l.* 4. *de fide c.* 15. Maria eſt ergo fructus juſtitiæ reſpectu S. Annæ: cum talem fructum precibus, lacrymis, & votis ſuis Anna obtinere meruerit. Sed Maria, reſpectu S. Annæ, *eſt etiam fructus lucis.*

SE-

Digitized by Google

SECUNDA PARS.

Maria, reſpectu S. Annæ, eſt fructus lucis.

MAria fuit quidem fructus lucis in ſe; quia in ipſo matris utero exiſtens, & antequam nata eſſet, rationis lumine pleniſſime, & perfectiſſime fuit illuſtrata. Sed fuit etiam fructus lucis, reſpectu S. Annæ matris ſuæ: quia per Mariam, quæ eſt benedictus fructus ventris S. Annæ, illuſtrantur mentes hominum ad cognoſcendum quanta fuerit illa mater, quæ tantam filiam genuit; ac per eam clariſſime demonſtratur; Annam fuiſſe matrem: 1. caſtiſſimam: 2. prudentiſſimam: 3. ſanctiſſimam.

1. Ad caſtitatem conjugalem religioſe ſervandam adſtringuntur quidem omnes, qui ſunt matrimonio juncti, multique haud dubie eam fideliter ſervant: ſed illam eminentiori & mirabiliori quodam modo ſervaverunt Joachim & Anna. Et ideo a S. Joanne Damaſceno vocantur *caſtiſſimum par Turturum ratione præditarum*: *S. Damaſc. orat. 1. de nativ. Virg.* quia ſcilicet, inſtar Turturum caſtiſſimi extitere.

Quanta eorum fuerit caſtitas, a Virgine Deipara revelatum eſt S. Brigittæ, quæ ſic Mariam ſibi locutam eſſe dicit: *Deus conjugium Patris mei & Matris meæ tanta caſtitate conjunxit, ut nunc non inveniretur caſtius conjugium. In revel. l. 1. c. 9.* Unde non deſunt, qui aſſerant, quod Joachim & Anna abſque ullo libidinis affectu Deiparam genuerint; eo modo, quo primi parentes, ſi non peccaſſent, filios in terreſtri Paradiſo procreaſſent. *Galatin. l. 7. c. 8.*

O mirandam Annæ & Joachim caſtitatem! ſed unde, quæſo, cognoſcitur, quod tanta eorum fuerit caſtitas? A Maria utique, quæ eſt eorum fructus, quæ eſt fructus lucis, quo illuſtrantur hominum mentes, ad hoc ut cognoſcant, caſtiſſimos eſſe debere parentes, qui tantam filiam gignere meruerunt. Ex hoc enim, quod pepererint Mariam, quæ Virgo erat puriſſima, & quæ immaculata Chriſti Salvatoris mater eſſe debebat, optime infertur, quod & ipſi genitores puriſſimi & caſtiſſimi eſſe deberent. Unde ſic Joachim & Annam affatur S. Joannes Damaſcenus: *Ex ventris veſtri fructu immaculato agnoſcimini, o Joachim & Anna; quemadmodum Chriſtus dixit: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. S. Damaſc. orat. 1. de dorm. Deip.* Maria eſt fructus lucis reſpectu S. Annæ: quia per Mariam clare cognoſcitur, quod S. Anna fuerit caſtiſſima; *ac etiam quod fuerit prudentiſſima.*

2. Deus qui Annam elegit, ut eſſet Mariæ genitrix, eam etiam elegit, ut eſſet ejus educatrix. Verum eſt, quod Maria, quæ ab utero matris ſapientiſſima, & ſanctiſſima erat, hominum non egebat auxilio, ut bonis moribus imbueretur, & ut ad bonum faciendum excitaretur. Anna tamen, ex Dei ordinatione, facta eſt magiſtra educationis ejus, vereque ejus educatrix fuit; quia ei bonæ educationis præcepta propoſuit. Quare fatendum, Annam fuiſſe mulierem ſapientiſſimam & prudentiſſimam; non enim illam Deus in magiſtram, doctricem, & educatricem Mariæ elegiſſet, ſi eam ad tale munus obeundum, & ad tantum Miniſterium excipiendum ſapientiſſimam & prudentiſſimam eſſe non noviſſet.

Ex hoc quod Philippus, Macedonum Rex, Ariſtotelem Alexandri filii ſui præceptorem inſtituit, optime infertur, quod ad tale munus obeundum Philippus nullum Ariſtotele ſapientiorem, & aptiorem invenerit. Similem in modum, cum B. Annam Deus educationi Virginis Mariæ præfecerit, inferendum, nullam Deum in toto Orbe mulierem Anna prudentiorem, & ſapientiorem inveniſſe. Maria ergo eſt fructus lucis, reſpectu S. Annæ; quia a tali fructu, quem ſummo ſtudio excoluit B. Anna, optime cognoſcitur, & infertur eam ſanctiſſimam, & prudentiſſimam extitiſſe. Sed Maria eſt etiam fructus lucis, reſpectu S. Annæ: *quia ex tali fructu clare dignoſcitur S. Annam fuiſſe mulierem ſanctiſſimam.*

3. Licet de Annæ ſanctitate non diſſerat Sacra Scriptura; eam tamen ſanctiſſimam fuiſſe prædicant ſancti Patres. *Anna*, inquit D. Hieronymus, *ſimplex & recta, apud homines irreprehenſibilis erat. S. Hieron. de ortu Virg.* Eam non ſolum irreprehenſibilem fuiſſe, verum omni virtute & ſanctitate floruiſſe ait S. Joannes Damaſcenus: *Anna, cum omni virtutum genere floreret, apud Deum & homines irreprehenſibilis extitit. Damaſc. orat. l. de nat. Virg. Vinc. ſerm. 2. de nat.* Et S. Vincentius Ferrerius addit, quod in corde B. Annæ fuerit abyſſus gratiarum & ſanctitatis; *Abyſſus erat in corde Annæ.* Cum autem Sacra Scriptura de B. Annæ ſanctitate non diſſerat; unde dignoſcere potuerunt ſancti Patres, tantam extitiſſe ejus ſanctitatem? Quod eſt principium, quo in agnitionem ſanctitatis ejus venerunt? Illud principium eſt Maria: ex hoc enim quod Anna a Deo electa fuerit, ut eſſet Mariæ mater, optime inferunt, Annam fuiſſe mulierem ſanctiſſimam. Maria eſt fructus lucis, quo patefit illis ſanctitas arboris, quæ talem fructum produxit; & ideo dicunt omnes cum S. Damaſceno; *Ex fructu arbor cognoſcitur; optima ergo arbor Anna, ex qua eximius fructus productus eſt: Damaſc. ibid.* optima ergo & ſanctiſſima eſt Anna, cum Maria ſit fructus ventris ejus.

Mirum eſt, quod S. Evangeliſta Matthæus, in Dei genitricis Mariæ laudem dixerit ſolum; quod Chriſti Salvatoris mater fuerit: *De qua natus eſt Jeſus. Matth. 1.* Cur innumeras Mariæ virtutes tacet Evangeliſta? Cur ſupereffluentem gratiam, ſanctitatem ineffabilem, omniaque dona, ſuperne illi collata, ſilet? Cur non ampliorem ejus Panegyricum inſtituit? Ratio eſt: quia ex hoc quod Chriſtus ſit Mariæ filius, optime colligitur, eam fuiſſe humillimam, puriſſimam, prudentiſſimam, ſanctiſſimam, & innumeris donis præditam; *Omnia collecta ſunt, cum dictum eſt, ex ea natum fuiſſe Jeſum. D. Th. a Villan. de nat. Virg. ſerm. 2.*

Eodem modo ratiocinandum de B. Anna. Ejus enim virtutes, ejuſque ſanctitatem tacet Sacra Scriptura; de iis nullam mentionem faciunt Canonici utriuſque Teſtamenti libri; quia ut hæc cognoſcantur, ſufficit, quod Maria ſit ejus filia. Ex hoc namque, quod Maria ſit Annæ filia, ſufficienter colligitur, Annam fuiſſe virtuoſiſſimam & ſanctiſſimam. *Quia omnia collecta ſunt, cum dictum eſt, ex*

Anna natam eſſe Mariam. Maria ergo eſt fructus lucis, reſpectu S. Annæ; cum per Mariam cognoſcatur, Annam eſſe mulierem caſtiſſimam, prudentiſſimam, & ſanctiſſimam. *Sed Maria eſt etiam fructus honoris, reſpectu S. Annæ.*

TERTIA PARS.

Maria, reſpectu S. Annæ, eſt fructus honoris.

UNiverſus terrarum orbis a beatiſſima Virgine Maria, gloria haud dubie, & honore repletus eſt: *Terra per hanc Virginem repleta eſt gloria. Ildeph. l. de Virg. Mar.* Sed B. Anna, præ ceteris creaturis ſupra modum dignificata, & exaltata fuit ab inclyta filia ſua Maria, quæ, reſpectu Annæ matris ſuæ, fuit vere fructus honoris. Quia per eam B. Anna mirum in modum fuit: 1. Nobilitata: 2. Ditata: 3. Sublimata.

1. Nobilis erat B. Anna; cum fuerit ex progenie David; cumque inter prædeceſſores, ſeu, majores ſuos multi Patriarchæ, Prophetæ, multi Judices, multique Reges & ſummi Sacerdotes annumerantur. Sed maxima ejus nobilitas orta eſt a Maria filia ſua magiſque nobilitatur a prole, quam ab avis, atavis, omnibuſque qui in ſua genealogia eam anteceſſerunt.

De beatiſſima Virgine aſſerit Damaſcenus quod licet clariſſima eſſet a nobilitate, quam a progenitoribus acceperat; longe tamen clarior erat a nobilitate, quam a prole ſumpſerat. *Clara proavorum titulis, ſed multo clarior nobilitate prolis*. Cujus rei rationem adducit Damaſcenus, dicens, quod Maria a parentibus ſolum haberet, quod eſſet filia regum; a Chriſto vero haberet, quod eſſet mater Regis regum. *Filia ſiquidem regum, ſed mater Regis regum.*

Pari ratione dicendum, Annam non tam a ſuis prædeceſſoribus, quam a Maria filia ſua fuiſſe nobilitatam. Nempe, quia Anna a prædeceſſoribus, & progenitoribus ſuis habet ſolum, quod fuerit filia hominum nobilium; ſed a Maria habet, quod ſit mater matris Chriſti, qui non ſolum homo nobilis, ſed etiam Deus eſt, cujus magnitudinis nullus eſt finis. Quare Rodulphus Agricola, ſpectans ſupereminentem illam nobilitatem, quam Anna a Maria filia ſua deſumit, ſic præclare in ejus laudem canit;

Conſpicuos præſtant alios benefacta parentum;
Tu contra natæ nobilitate nites.

Maria ergo, reſpectu S. Annæ, eſt fructus honoris, cum per eam S. Anna, mirum in modum ſit nobilitata; *ac etiam cum per eam ſit mirum in modum ditata.*

2. Per Mariam ditata eſt S. Anna non ſolum, quia a Deo, intuitu Mariæ, innumeris repleta eſt gratiis, & bonis ſpiritualibus; ſed etiam, quia ad Annam, jure materno attinuiſſe quodammodo videntur omnia Mariæ bona, ſive temporalia, ſive ſpiritualia. Sicut enim de ſervo dicitur, quod quidquid acquirit, domino ſuo acquirit; quodque omnia bona quibus utitur, ad Dominum cujus eſt ſervus attinent, ita & omnia filiorum bona (ſi ſaltem mancipati non fuerint) ad parentes, qui eos genuerunt, quodammodo attinent. *Putare debet quiſque omnia quæ poſſidet, eorum eſſe, qui genuerunt. Plato l. 4. de lege.* Quod verum eſſe videtur, etiam de bonis ſpiritualibus, ſeu de virtutibus, donis & actionibus ſanctis Filiorum; quæ parentibus quodammodo tribui poſſunt. *Quemadmodum enim Phydiæ, aut aliorum artificum ſtatuæ, ſi ipſæ rurſus aliquid agerent, id quoque opus non dubitaremus tribuere artifici: eodem modo actiones etiam noſtræ, parentum noſtrorum opera eſſe dicamus, per quos nati ſumus. Stob. ſer. 27.*

Juxta illud principium, fatendum, Beatam Annam fuiſſe ditiſſimam per Mariam; cum omnium bonorum ſpiritualium ejus particeps fuerit. Unde S. Anna ſic Mariam affari poterat; o Maria, omnia tua mea ſunt; & ego dives ſum, non ſolum per mea, ſed etiam per tua bona ſpiritualia, quæ jure materno ad me attinent. Dicere illi potuiſſet: o filia mea dilectiſſima, *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas; Prov. 31. 29.* ſed omnes illæ ſpirituales divitiæ quas congregaſti, juris mei ſunt, o filia mea ſanctiſſima, ſcio, quod Deus te omni ſpiritualium bonorum genere repleverit, ita ut dicere poſſis, *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia; Prov. 8.* ſed gloriari poſſum, quod mecum etiam ſint, quia omnia tua, mea ſunt. Fuit ergo Maria fructus honoris reſpectu S. Annæ, cum per illam S. Anna ditata ſit, *ac etiam mirum in modum ſublimata.*

3. Maria per maternitatem ſuam ita ſublimata fuit, ut Deo matrem ipſa majorem facere eſſet impoſſibile. Majus cœlum poſſet facere Deus, majorem mundum poſſet facere Deus, ſed majorem matrem, quam matrem Dei, Deus facere non poſſet. Et ratio eſt, quia, ut ait D. Auguſtinus, *Matris dignitas ſumitur ex dignitate prolis*: quare cum non poſſet facere Deus matrem, quæ majorem habet filium, ita nec poſſet facere matrem majorem Maria, quæ talem habet filium. Unde S. Anſelmus ait, quod Maria per maternitatem ſuam ita ſublimata ſit, ut poſt Deum nil illa ſublimius cogitari poſſit, *Hoc ſolum de B. Virgine prædicare, quod Dei mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel excogitari poteſt. S. Anſel. l. de excel. Virg. c. 2.*

O quam ſublimis, & ſupra ceteras creaturas exaltata eſt Maria, quia mater eſt Chriſti! Sed o quam ſublimata eſt etiam Sancta Anna, quia eſt mater matris Chriſti! Maximus ſane & ineffabilis eſt honor beatiſſimæ Virginis Mariæ, quod tantum filium genuerit, ſed maxima eſt etiam gloria Beatæ Annæ, quod tanti filii matrem pepererit. Unde, ſi Olympias, Alexandri Macedonis mater, hoc titulo inſigniri curabat, *Olympias, Alexandri Magni mater*, quaſi nihil ſibi glorioſius cenſeret, quam quod Alexandri mater eſſet, Anna potiori jure in præcellentem gloriæ ſuæ titulum, hoc epigraphe uti potuiſſet, *Anna, Dei genitricis mater*, nec enim quid glorioſius ad B. Annæ laudem dici poteſt, quam quod ſit Mater matris Dei. Et ideo ſanctam Annam ſupra omnes alias mulieres ſublimem, omnique veneratione dignam proclamat Fulbertus Carno-

uo-

Digitized by Google

notenſis, dicens; *Vere beata, & omni veneratione habenda, & quodam privilegio ſacro prædicanda mater, quæ omnium anteceſſit matres in concipiendo & generando eam quæ ſuum & omnium generaret creatorem. Fulbert. ſerm. de nat. Virg.* Maria ergo eſt fructus honoris reſpectu Sanctæ Annæ, eum per illam Beata Anna ſupra modum nobilitata, ditata, & ſublimata fuerit.

Miramini fructum illum benedictum ventris Sanctæ Annæ, ſed miramini matrem, quæ talem fructum peperit. Miramini Annam, & ejus auxilium ſupplices implorate; quo enim excelſior, eo apud Deum eſt potentior.

Fideles hortatur Sanctus Leo, ut cum Sanctis omnibus amicitiam contrahant, eorumque ſuffragia poſtulent. *Confirmate amicitias cum ſanctis Angelis, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribuſque ſociamini; & per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia. S. Leo ſerm. 5. de Epiph.* At in primis cum Beata Anna iucunda eſt amicitia, ejuſque potiſſimum ambienda ſunt ſuffragia, utpote quia apud Deum potentiſſima eſt per ſe; & per Mariam cujus eſt mater.

Aſſuevit Deus favores concedere, quos ab illo petimus per interceſſionem Sanctorum, qui ſolummodo ejus ſervi ſunt. *Conſuetudo eſt Dei, hunc honorem dare ſervis ſuis, ut propter eos ſalventur & alii. Chryſoſt. hom. 24. in Gen.* Quanto potiori jure favores, quos petemus, & præcipue gratiam ſalutis, a Deo impetrabimus, ſi apud eum mediatrix noſtra ſiat Beata Anna, quæ non ſolum Chriſti ancilla, verum & Mariæ mater, Chriſtique avia extitit? Invocate ergo ferventer Sanctæ Annæ patrocinium, ſanctiſſimam hanc mulierem in patronam ſumite, & mediante ejus patrocinio, gratiam & gloriam obtinebitis. *Amen.*

DE SANCTO IGNATIO:

CONCIO UNICA.

Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.
Act. 9. 15.

DE Gentium Apoſtolo præfata proprie intelliguntur verba; ſed nulla iis vis, injuria nulla fiet, ſi iis utamur ad laudem Sancti Ignatii, Societatis ſanctiſſimi Nominis JESU Inſtitutoris, qui, ut alter Paulus, vere vas electionis fuit, & qui Chriſti Jeſu nomen per ſe & per filios ſuos, ad omnes orbis terrarum nationes glorioſe portavit. Perilluſtris ille vir ex nobilibus ortus eſt parentibus in Cantabria, fuitque in Ferdinandi Regis Aula educatus, e qua diſceſſit, ut terrenæ militiæ nomen daret; in qua non parva animi, & generoſitatis ſuæ teſtimonia edidit. At Deus, qui tantum Virum ad altiora vocare ſtatuerat, ſingulari ſua providentia fecit, ut generoſus ille athleta armis ſuis valediceret; utque vir ille, genere ſuo nobilis, mundi gloriam deſpiceret, & in ipſo juventutis flore carnis illecebras comprimeret. Eum deinde ita Deus illuſtravit, ita præparavit, totque gratiæ ſuæ donis ditavit, ut vas electionis, omni virtutum genere confertum, ſuoque auctore dignum illum fecerit.

In divini hujus opificis manibus Sanctum Ignatium, ut vas electionis, hodie inſpicere ſtatui; ejus gloriam non ab avorum, & proavorum nobilitate, non a fama, quam in illuſtriſſimi Regis aula comparavit; non a præclaris facinoribus, quibus ſe in ſæculo commendabilem præſtitit: nec a variis animi & corporis dotibus, quibus floruit, elicere intendo: hoc enim unum ad unum ad ejus gloriam dicam, quod vere vas electionis extiterit. *Vas electionis eſt mihi.* Hic totus concionis hujus ſcopus, hæc tota orationis illius materia, &c. *Ave.*

SAnctus Paulus Apoſtolus vas ſacrum extitit, gratia, charitate, & zelo plenum. Plenus fuit gratia divina Paulus: cum per Dei gratiam, qua affluebat, ſe omnia apud Deum poſſe aſſeruit; *Omnia poſſum in eo qui me confortat. Phil. 4. 13.* Plenus fuit charitate; cum proteſtatus ſit, ſe ita ardenter & conſtanter Deum diligere, ut ab ejus amore averti & ſeparari nequiret; *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei. Rom. 8.* Plenus tandem fuit zelo ſalutis animarum; cum ut omnes ſalvaret, omnium ſe ſervum fecerit; *Omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. 1. Cor. 9.*

En tres inſignes titulos, quibus Divum Paulum vere vas electionis fuiſſe conſtat; ſed identidem ad Sancti Ignatii gloriam dicamus, quod vere vas electionis extiterit: quia gratia, charitate, & ſancto zelo cor ejus plenum fuit. Unde ſicut de Divo Paulo dixit Deus, *Vas electionis eſt mihi*; ita de Sancto Ignatio dicendum; *Vas electionis eſt Deo.* Sanctus enim Ignatius eſt vas electionis, quod repletum eſt; 1. Gratia Dei; 2. Amore Dei; 3. Zelo gloriæ Dei. Plenitudo gratiæ, plenitudo amoris, plenitudo zeli, en tres plenitudines glorioſas, treſque hujus concionis partes, quibus S. Ignatium vere vas electionis fuiſſe patebit.

PRIMA PARS.

Sanctus Ignatius plenus fuit gratia.

SAnctorum plurimi uberibus quidem gratiæ divinæ imbribus irrorati ſunt; ſed de S. Ignatio, ſicut & de Beato Stephano dici poteſt, quod tantam a Deo gratiarum acceperit copiam, ut vere gratia plenus fuerit; *Plenus gratia. Act. 6.* Nec ſolum hanc gratiarum plenitudinem in provecta ætate percepit S. Ignatius; verum & in ipſo converſionis ſuæ tempore plenus fuit gratia triumphante, operante, & humiliante; plenus fuit: 1. *Gratia triumphante*, quæ illum ad terrena omnia abjicienda impulit: 2. *Gratia operante*, quæ illum ad ardua ſuſcipienda movit: 3. *Gratia humiliante*, quæ illum ad vilia, & abjecta multa pro Dei amore facienda inclinavit.

1. Certum eſt, Dei gratiam libero hominis arbitrio nullam unquam inferre neceſſitatem: quantumvis enim vehemens & efficax ſit divinæ gratiæ motus, ei quiſque reſiſtere poteſt, ſed ita efficaces & triumphantes nonnunquam a Deo dantur gratiæ, ut

licet

licet iis reſiſti poſſit, nullus tamen, quamvis induratur, eis reſiſtat: *Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanct. c.* 8. Ignatium autem ab ipſa juventure Deus non communibus ſolum gratiæ ſuæ radiis illuſtravit; gratias enim triumphantes ab ipſo converſionis primordio illo conceſſit; gratias illi victrices dedit, quarum virtute omnia fregit vincula, quibus ſæculo adſtrictus detinebatur, ac terrena omnia reliquit, ut ſe totum Dei obſequio conſecraret.

Terrena ante converſionem ſapiebat Sanctus Ignatius; quæ mundi ſunt quærebat, iis ſe immiſcebat negotiis, quæ ſtatui ejus conformia erant: & ideo poſtquam iis vacavit exercitiis, quæ juvenem & nobilem virum decebant, ſæculari militiæ nomen dedit, ut generoſitatis ſuæ ſigna daret, & ut ad altiora in ſæculo properaret. Quo concitatus motivo, ita omnibus ſe commiſit periculis, ut in urbis Pampelonenſis obſidione, globo a tormento bellico emiſſo, una ex tibiis ejus confracta fuerit. Quare cum diu cubili decumbere tunc coactus ſit, ſpiritualium librorum lectioni incubuit, potius ut tædium vitaret, quam ut inde cogitationes ſalutis eliceret. Sed opportuno tempore adveniens victrix Dei gratia, incantavit cor ejus, manifeſtavit illi, quam bonum, quamque ſuave ſit adhærere Domino, illumque ſuaviſſimo & fortiſſimo ſuo illicio, ab abrenuntiandum ſæculo, & ad Chriſti obſequio ſe conſecrandum allexit.

Eodem tempore, quo ſpiritualia in Libris lectitabat Ignatius, ad cor ejus loquebatur Dei gratia, intuſque ei dicebat; o Ignati, non amplius pro vanitate, ſed pro æternitate decertandum: non ultra pro terrenis principibus, ſed pro Domino exercituum militandum: tempus eſt, ut totum te Dei tui obſequio mancipes. non amplius ambigendum: ſed jam jam omnibus eſt abrenuntiandum, ut verus ſis diſcipulus Chriſti, dicentis: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet: non poteſt meus eſſe diſcipulus: Luc.* 14. 33. Tanta autem fuit divinæ illius gratiæ efficacitas, ut citiſſime terrenis cunctis abrenuntiaverit Ignatius, ſeque totum Dei obſequio mancipaverit. Sanctus ergo Ignatius eſt vas electionis, vere plenum gratia triumphante, quæ illum ad terrena omnia abjicienda impulit; *Sed & eſt vas electionis plenum gratia operante, quæ illum ad ardua ſuſcipienda movit.*

2. Præclare dixit Sanctus Bernardus, quod Dei gratia *voluntatem torquentem, facit currentem. S. Bernard. ſerm. 2. in Cant.* Ac de Sancto Ignatio dicere poſſumus, quod plenus fuerit gratia quadam operante, quæ non ſolum voluntatem ejus, ſed & illum totum currentem fecit, illumque ad longas & difficiles pro Dei gloria peregrinationes ſuſcipiendas induxit. Non ſine multo labore pedeſter incedere poterat vir ſanctus, nec ſine magna Dei gratia ardua itinera obire illi fas erat: ſed operante illa Dei gratia excitatus & adjutus, mox ut convaluit, ſuis ſe ſubduxit Ephebis, & ad Montem Serratum ſe contulit: ubi datis egeno ſuis veſtibus, vili ſe induit ſaeco. A Monte Serrato Manreſam perrexit: ubi poſtquam anno integro cum pauperibus in xenodochio victitavit, Barcinonam adivit; inde Romam, Paduam, Venetias, & tandem Jeroſolymam. Ubi tot ſpiritualibus cor ejus ſuperabundavit gaudiis & conſolationibus, ut reliquo vitæ ſuæ tempore hic commorari optaſſet: & ideo dicere incipiebat; *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* Sed Dei gratia eum adhuc currentem fecit, eumque a Jeroſolyma civitate diſcedendum compulit, ut Barcinonam reverteretur.

Deo dicebat Sponſa; *Trahe me, poſt te curremus. Cant.* 1. 3. Duo autem hæc in Ignatio operabatur Dei gratia: trahebat eum, eumque ad præcipuas Europæ nationes currere faciebat; trahebat eum intus, ut illum a parentibus & notis elongaret; eumque currere faciebat, non inani curioſitatis & levitatis ſpiritu; ſed ut ubique propriæ ſaluti, Deique gloriæ conſuleret. Et revera mirandos virtutis actus ubique eliciebat; ubique diriſſimis corpus ſuum excipiebat flagellis; ubique acerbis illius jejuniis affligebat; orationi ubique, aliiſque multis pietatis exercitiis ferventer vacabat: ubique ſalutis viam ignaros docebat, ubique prodigia multa operabatur, omnibuſque portentoſa omnium virtutum exempla præbebat. Unde de ipſo, ſicut de Chriſto Salvatore dici poteſt, quod *pertranſiit benefaciendo, Act.* 10. 38. quia gratia illa operans, qua plenus fuit, ad ſanctas peregrinationes ſuſcipiendas, & ad ubique hominibus bene faciendum illum impulit. Sed ſi Sanctus Iguatius plenus fuit gratia operante, quæ illum ad ardua ſuſcipienda movit; *plenus etiam fuit gratia humiliante, quæ illum ad vilia & abjecta multa pro Dei amore facienda inclinavit.*

3. Nonnullæ a Deo dantur hominibus gratiæ, ut illos deprimant, humilient, & quaſi annihilent: & hujuſmodi ſunt, ni fallor, illæ gratiæ, quas Divus Paulus eminentes vocat; *Propter eminentem gratiam Dei in vobis. 2. Cor.* 9. Eminens autem hæc gratia in cor Ignatii ingreſſa eſt, ut ſuprema quædam domina, ad illum humiliandum, illumque Dei voluntati totaliter ſubjiciendum: & ideo fecit, ut vir ille nobilis in xenodochiis habitaret: ut vir ille dives cum pauperibus commoraretur; ut generoſus ille miles pias ſuſciperet peregrinationes: ut homo ille delicatus, crucis Chriſti jugum portaret; & ut eximius ille vir, qui inter aulicos floruerat, primis Grammaticæ elementis ediſcendis incumberet; quid humilius? quid abjectius?

Cum humilitas ſit omnis perfectionis fundamentum, & baſis: Deus homines humiliare ſolet: antequam eos ad alta mmulſteria elevet, humiliat eos prius, & deinde eos elevat: *Humiliat & ſublevat. 1. Reg.* 2. 7. Hoc agendi modo erga Ignatium uſus eſt Deus: ad altiora enim miniſteria eum ſublimare ſtatuerat, eum non ſolum novum Apoſtolum; ſed etiam fulgentiſſimi Ordinis Patriarcham, mundi totius lumen, & hominem ſæculis omnibus portentoſum facere intendebat. Quare antequam ad tam alta ſublimaretur Ignatius, ad profundam humilitatis abyſſum, illum Deus vocavit; deditque illi gratiam hanc humiliantem, qua ad hoc redactus eſt, ut factus ſit pauper peregrinus, exul, in Grammatica Scolaſticus, mundo ignotus, apud homines quaſi nihil: *Ad nihilum redactus ſum. Pſalm.* 72. 21.

O Do-

O Domine, quam admirabiles ſunt in B. Ignatio operationes gratiæ tuæ! Miranda hæc gratiæ tuæ opera in hoc S. videre non poſſum, quin totus obſtupeſcam, & quin identidem dicam, hunc vere fuiſſe vas electionis, Dei gratia plenum; *Vas electionis eſt mihi*. Sed S. Ignatius eſt etiam *vas, Dei amore plenum.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Ignatius, plenus fuit amore Dei.

QUantus in Deum fuerit S. Ignatii amor, explicare, immo & concipere difficillimum eſt; non parvam tamen ſui in Deum amoris ideam dabo; ſi dicam, quod ita Deum dilexerit, ut: 1. de Deo ſolo cogitaret: 2. de Deo ſolo loqueretur: 3. Soli Deo placere optaret.

1. Mentis cogitatio ibi eſſe ſolet, ubi eſt cordis affectus, de eo mens cogitat, quod cor amat; & quo ardentius objectum aliquod a corde diligitur, eo attentius ejus conſiderationi mens adhæret. Unde ſi unicum objectum cor diligat, de eo ſolo mens cogitat; *Amans nihil aliud cogitat, quam quod diligit. Idiota l. 1. c. 1. cont. de divino amore*. Tanto autem amore Deum proſequebatur Ignatius, ut de eo ſolo cogitaret. In peregrinationibus quas ſuſcepit; in ſtudiis quibus ſedulo incubuit; in publicis concionibus quas ad populum habuit, in charitatis & pietatis exercitiis, quibus totum ſe dedit, in omnibus actionibus ſuis, ſemper, & ubique de Deo cogitabat, cui placere intendebat.

Maximus extitit Magdalenæ in Chriſtum amor; cum de ipſa ſacrum teſtetur Evangelium, quod multum dilexerit; *dilexit multum. Luc. 7. 47.* Plurima, eaque magna ſui in Chriſtum amoris ſigna dedit hæc mulier; ſed illud in primis, quod de dilecto ſolum cogitarit, omniumque aliorum oblita ſit; *Oblita erat timere, oblita erat gaudere, oblita erat denique omnia præter illum, quem diligebat ſuper omnia. Orig. hom. de S. Maria Magd.* Quod autem de Magdalena, hoc & de S. Ignatio dici debet; hic etenim ita Deum dilexit, ut de eo ſolo cogitaret, & aliorum omnium oblivïſceretur. In quo cuſtodibus Angelis ſimilis fuiſſe videtur Ignatius: hi etenim curæ ſuæ commiſſos homines illuminant, erudiunt, defendunt, protegunt, & ad cælum dirigunt; nec tamen propterea, vel unico momento, a Dei cogitatione & contemplatione avertuntur; *Semper vident faciem Patris. Matth. 8. 10.* Sic S. Ignatius externis multis incumbit exercitiis; nunc enim rudis populi eruditioni, nunc impiorum converſioni, & nunc animarum ſelectarum perfectioni vacat. Strenue laborat, jam ut famoſum Societatis JESU Ordinem inſtituat, jam ut adverſus inſurgentes hæreſes decertet, & jam ut Eccleſiæ jura tueatur; ſed in his omnibus muneribus obeundis, eſt quaſi Angelus, qui ſemper videt faciem Patris. Deum enim ita diligit, ut ſemper & ubique de eo cogitet. O ardentem Ignatii in Deum amorem! Sed eum adhuc magis amat; *quia de eo ſolo loquitur.*

2. Qui terrena diligunt, de terrenis facile loquuntur; *Qui de terra eſt, de terra loquitur: Joann. 3.* Sed e contra qui Deum & cæleſtia ſapiunt, de Deo & cæleſtibus loqui ſolent; quia de his quæ diligit, quiſque libenter loquitur. S. autem Ignatius tanto in Deum accendebatur amore, ut omnia quæ proferebat verba, ſancta eſſent, de Deo eſſent, & ad Dei gloriam ſpectantia eſſent. Sanctiſſimus ille vir Samuelem imitabatur; de quo teſtatur Scriptura, quod *non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. 1. Reg. 3. 19.* Nullum enim Ignatii verbum in terram cadebat. Vana non loquebatur, non inutilia, non jocoſa, non exitioſa; ſed ſemper aut tacebat, aut divina, & ad Dei gloriam ſpectantia proferebat. Et quod majori admiratione dignum eſt, tanto cum ſpiritus fervore de Deo loquebatur, ut verba ejus eſſent quaſi jacula ignita, a quibus audientium corda ad Dei amorem, & ad morum mutationem mirum in modum accendebantur.

Difficile, & quaſi impoſſibile eſt, ignem abſcondere: quia ſemper ſeipſum prodit & manifeſtat; *Quis enim celaverit ignem? indicio ſemper proditur ſuo.* Divini autem amoris ignis ita ardebat in corde Ignatii, ut non poſſet illum abſcondere. Ignem hunc nonnunquam manifeſtabat cæleſti fulgore, quo vultus ejus radiabat: ſed illum manifeſtabat ſæpius ignitis verbis, quæ proferebat; de Deo enim & de divinis ſæpiſſime, & ferventiſſime loquebatur, ejuſque ſermo, ſive in prædicando, ſive in exhortando, ſive homines alloquendo, *quaſi facula ardebat. Eccli. 48. 1.* De Deo, & de divinis tanto cum ſpiritus fervore diſſerebat, ut non tam loqui, quam flammas effundere, & audientium corda urere videretur. Ecce exceſſum amoris, quo in Deum ardebat Ignatius: eum ita amabat, ut de eo ſolo loqueretur; ſed illum etiam ita amabat, *ut illi ſoli placere optaret.*

3. Qui hominibus placere ſtudent, nunquam perfecte Deo ſerviunt: *Si hominibus placerem, ſervus Dei non eſſem: Galat. 1.* quare ut quis perfecte Deum amet, illique inſerviat, ſemper eo tendere debet, ut illa faciat, quæ ei placita ſunt; ac cum Chriſto dicere, *quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joann. 8.* Hoc autem unum intendebat S. Ignatius; in omnibus ſuis actionibus Dei voluntatem quærebat, eamque ſemper adimplere conabatur. Unde cum Dei gloriam in omnibus ſpectaret, hæc verba crebro iterabat; *ad majorem Dei gloriam*. Quaſi diceret: nihil pro mundo, nihil pro vanitate, nihil ob temporale emolumentum, nil ut corruptæ naturæ faveam, nil ut hominibus placeam; ſed omnia *ad majorem Dei gloriam.*

Piiſſimus Imperator Jovinianus, teſte Cardinale Baronio, in ſymbolum ſibi elegit hæc verba: *Scopus vitæ meæ Chriſtus*. Ecce ſcopum quem ſibi præfixerat ille Princeps: Chriſtum ſolum ſcilicet, cujus unius gloriæ, & honori totus militabat: ad hunc ſcopum omnis belli apparatus, vigiliæ omnes, omniaque opera, pericula & vulnera ſpectabant. Quod autem Jovinianus in profana, hoc Ignatius in ſacra militia ſpectavit: pro ſingulari enim teſſera, & ſymbolo aſſumpſit hæc verba: *Ad majorem Dei gloriam*; & in omnibus laboribus, ſtudiis, concionibus, functionibus, miſſionibus, & operibus, Dei gloriam ſemper, tanquam unicum ſcopum ſpectabat.

Ex illuſtriſſima Farneſiorum familia Alexander Cardinalis (qui poſtea ſummus Pontifex Paulus tertius fuit)

Digitized by Google

fuit) pro gentilitia teſſera ſagittam ad ſcopum directam præferebat, hoc lemmate ſubjecto: *ſic mitte ſagittam*. Quaſi dicat: omnes actiones tuas, veluti ſagittas, ad Dei amorem, quaſi in ſcopum referas. Hic autem erat ſcopus, ad quem indeſinenter collimabat Ignatius: ſive biberet, ſive manducaret, ſive aliud quidquam ageret, omnia ad majorem Dei gloriam faciebat; nilque aliud, quam Dei gloriam in omnibus quærebat, & intendebat. Ita Dei amore incendebatur, ut illi ſoli placere, omniaque ad ejus gloriam facere ſatageret. O quam magnus Sancti illius in Deum amor extitit: hic vere fuit vas electionis plenum amore Dei: *ac etiam plenum zelo ſalutis animarum*.

TERTIA PARS.

Sanctus Ignatius plenus fuit zelo ſalutis animarum.

OMnibus notum eſt, zelanctiſſimum fuiſſe Sanctum Ignatium, ac ſalutis animarum zelo tot ejus quam maxime exarſiſſe. Sed ut majorem aliquam zeli ejus notitiam dare valeam, dico, maximum ejus fuiſſe zelum, reſpectu ignarorum, peccatorum & omnium hominum: 1. *Reſpectu ignarorum*, quos omnes illuminare voluit: 2. *Reſpectu peccatorum*, quos omnes convertere optavit. 3. *Reſpectu omnium*, quos omnes ſalvare deſideravit.

1. Vir ille admirabilis, in adoleſcentia ſua humanis literis ediſcendis nullo modo incubuerat; cumque jam ad tertium ſupra trigeſimum ætatis ſuæ annum perveniſſet, omni latinitatis notitia penitus carebat: tanto tamen ex tunc ſalutis animarum zelo exarſit, ut ab Orbe terrarum, humanarum litterarum, & principiorum fidei ignorantiam fugare ſtatuerit. Quamobrem, inſtar puerorum, primis Grammaticæ rudimentis ſtudere cœpit, tantoque affectu & labore ſtudio litterarum vacavit; ut non multo poſt tempore, in Pariſienſi Facultate magiſterii laurea donatus ſit.

En Ignatium jam doctum, & ad erudiendos ignaros idoneum. In corde ejus tunc magis inardeſcit zelus, majori tunc accenditur deſiderio omnes ignaros erudiendi; & ut propoſitum ſuum efficacius adimplere valeat, in ſocios ſibi aſſumit novum Univerſitatis Pariſienſis Baccalaureos, qui omnes Ignatii propoſitum approbant & laudant; ejuſque piæ voluntati adhærentes, ſimul cum eo ignarorum eruditioni incumbere ſtatuunt. Et ideo ſummum adeunt Pontificem, cui cum ſuam manifeſtaſſent voluntatem, prævidens Pontifex, quanta Orbi Chriſtiano ventura eſſent emolumenta, ſi novum inſtitueret Religioſorum Ordinem, qui totaliter rudium eruditioni, & hominum ſaluti vacarent, eos ad Religionis vota admiſit, & ſocietatem inſtituit, cui præfecit Sanctum Ignatium: qui primi propoſiti ſui tenax, ac ardens zelo erudiendi ignaros, filios ſuos ſpeciali voto adſtringit, diſſitas quaſque adeundi terræ partes, ut ibi cum Superioribus placuerit, ignaros erudiant, & animarum ſaluti incumbant.

Nec mora, zelum enim ſuum continere nequit Ignatius: quare protinus filios ſuos undequaque mittit, ut veluti fulgentia ſidera, ignorantiæ tenebras ab omnibus terræ finibus expellant. Necdum annus integer elapſus eſt, cum in Gallia, in Hiſpania, in Italia, in Germania, in Portugallia, in Hybernia, & in Indiis viſi ſunt Ignatii filii, qui ubique fidei principia docent, ubique prædicant, ubique Gymnaſia ad juvenum eruditionem inſtituunt. Quo factum eſt, ut brevi tempore, Sancti Ignatii zelo, totius fere mundi facies ſit immutata, & a toto terrarum orbe turpis ignorantiæ tenebræ fugatæ ſint.

Miror hunc Sancti Ignatii zelum, qui in hoc adhuc mirabilior eſt; quod uſque ad mundi finem perſeveraturus ſit: dici enim poteſt, quod quamdiu ſtabit terrarum orbis, tamdiu zelo ſancti hujus viri erudientur ignari, & ad litterarum, fideique notitiam adducentur. Quandiu in hoc mundo vixit Ignatius, rudes plebejos, & cæcos peccatores illuminare non deſtitit: eoſque filiorum ſuorum miniſterio, uſque ad mundi finem illuminabit: ore eorum uſque ad extremi Judicii diem catechizabit, prædicabit, & omnes Orbis populos erudiet. Unde ſi de Abele dicat Divus Paulus, quod *defunctus adhuc loquitur*, *Hebr.* 11. 4. dicendum, quod Ignatio illud idem quotidie fiat miraculum: ille enim poſt mortem e ſummo cælo loquitur, ille filiorum ſuorum ore in Eccleſiis, in Gymnaſiis, & ubique ad puerorum & fidelium eruditionem loqui non deſinit, nec uſque ad mundi terminum deſinet. O quam magnus eſt ille Ignatii zelus reſpectu ignarorum! *Sed & maximus extitit ſancti illius zelus, reſpectu peccatorum, quos omnes ad Deum convertere optavit.*

2. Jurgioſi & rixoſi eſſe ſolent viri zelo gloriæ Dei ſuccenſi: quia peccatores aggrediuntur & laceſſunt, ut eos ad morum mutationem, & ad veram converſionem adducant. Ex hujuſmodi rixoſis viris fuit Jeremias, quem, ob zelum ſalutis animarum, quo ardebat, *virum rixæ & diſcordiæ* vocant ſacræ paginæ: *Jerem.* 15. 10. rixoſi etiam fuere S. Paulus, S. Athanaſius, S. Chryſoſtomus, omnes Apoſtoli, omneſque qui zelo gloriæ Dei fuere accenſi: quia peccatoribus, qui gloriæ Dei hoſtes ſunt, bellum indixerunt. Sed ſi quis unquam, ex viris, zelo gloriæ ardentibus, rixoſus fuit, maxime Ignatius; quia non aliquos dumtaxat, ſed omnes penitus Orbis terrarum peccatores aggreſſus eſt, ut eos a vitiis avocaret, & ad Deum converteret. Taceo, quæ Romæ pro impudicarum mulierum, necnon pro Judæorum, & licentioris vitæ hominum converſione fecit. Non enim intra famoſæ illius civitatis muros clauſus remanſit zelus illius; ſed ad ultimos uſque terræ fines progreſſus eſt; quo filios ſuos miſit, ut illic hæreticos, iſtic infideles, hic male moratos Chriſtianos, & ubique omnis generis peccatores laceſſerent, ac ad Deum convertere conarentur.

Sancti Ignatii filii, in manu patris ſui erant quaſi ſagittæ in manu potentis, quaſi ad omnes mundi partes jaculabat. Sicut enim de Germanis, ſeu, Alemannis, dixit nonnullus, quod eſſent quaſi telæ ad uſum præliorum ſolummodo deſtinata: *In uſum præliorum ſepoſiti, velut tela, atque arma belli reſervata. Joann.* 3. ita Sanctus Ignatius filios non ad Eccleſiaſticas dignitates, non ad honores ſæculi;

ſed

Digitized by Google

ſed ad bella vocavit: eoſque ad omnes habitabilis terræ terminos miſit, ut omnibus peccatoribus bellum denuntiarent; eoſque verbis, exemplis, omnibuſque ſibi poſſibilibus modis ad Deum converterent. O mirabilem Ignatii zelum! qui vere magnus eſt, reſpectu peccatorum, quos omnes convertere vult: *ac etiam reſpectu omnium hominum, quos omnes ſalvare intendit.*

3. Filium ſuum miſit in mundum Pater æternus, ut ejus miniſterio omnes penitus homines ſalvarentur: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Sicut autem Chriſtus in hunc mundum venit, ut omnium hominum ſaluti incumberet: ita & tantus Ignatii zelus extitit, ut non unius ſolum Provinciæ, vel Regis unius; ſed totius mundi homines ſalvare optaret: & ſicut alter Paulus, omnes in Chriſti viſceribus cuperet; *Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti. Phili.* 1.

Paulum & Moyſen ſancto ſalutis animarum zelo exarſiſſe adnotat S. Chryſoſtomus: Pauli tamen zelum Moyſi zelo præfert; quia Moyſi zelus ad unicam ſolum gentem: Pauli vero zelus ad omnes mundi nationes extendebatur: *Ille pro una gente, iſte pro univerſo Orbe certavit. Chryſoſt. hom. 1. de laud. Pauli.* En Ignatii zelum in Paulo perfectiſſime delineatum; quia Ignatius, ſicut alter Paulus, omnes penitus homines ſalvare deſiderat. Ignatii zelus, non unius dumtaxat Provinciæ, vel unius Regni, ſed totius mundi homines reſpicit, pro omnium ſalute decertat, cum ferventibus precibus, quas ad Deum fundit; tum libellis ſpiritualibus, quos componit, tum continuis charitatis exercitiis quibus incumbit. Sed efficacius adhuc pro omnium ſalute decertat per filios, in quibus ſeipſum quaſi multiplicat, quoſque ad omnes terræ partes mittit, ut ubique bellum vitiis indicant, & pro omnium ſalute decertent.

O mirabilem Ignatii zelum! o quam vere fuit ille vas electionis, gratia, Dei amore, & ſalutis animarum zelo plenum! ſed o quantum honorem huic electionis vaſi impendere debemus!

Alia ſunt vaſa in honorem, & alia in contumeliam: *Aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam. Rom. 9. 21.* S. Ignatius autem eſt vas in honorem, quia eum Deus vas electionis, omnibus ſæculis venerandum, fieri voluit. Honorate virum hunc ſanctiſſimum, quem Deus ab omnibus honorari vult, ſed & timete, ne ſitis vaſa *in contumeliam.* Peccatores illi, qui Dei gratiam in vacuum recipiunt, qui in Dei amore frigent, & qui nullo accenduntur zelo ſalutis animarum: hi, inquam, peccatores, ſunt vaſa in contumeliam, quæ in Infernum Deus projiciet: *Vaſa iræ apta in interitum. Ibid. v. 21.* O quam infelices, qui contumeliæ & iræ vaſa ſunt! ſed poteſt quiſque pro libito, aut vas honoris, aut vas contumeliæ fieri. Si Dei gratiæ, ad converſionem vocanti reſiſtitis, vaſa iræ eritis: ſi in corde veſtro amoris divini ignem extinguatis, nec Deum præ omnibus diligatis, vaſa iræ eritis; ſi zelo ſalutis filiorum, domeſticorum, aliorumque qui ad vos ſpectant, careatis, eritis vaſa iræ apta in interitum. Sed ſi contra gratiæ divinæ non reſiſtatis, ſi Dei amore ardeatis, ſalutiſque proximi zelo, quantum Deus a vobis exigit, ferveatis; eritis vaſa in honorem, deſtinata ad æterna tabernacula, & ad cæleſtem beatitudinem, quam vobis opto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

DE SANCTO
PETRO AD VINCULA.
CONCIO UNICA.

Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Act. 12. 6.

VIncinculis conſtringitur ſummus ille Pontifex, qui omnium delictorum vincula ſolvere poteſt; ferreis ligatur catenis ſupremus ille Eccleſiæ Paſtor, qui a ſervitute dæmonis captivos liberat homines; carceri mancipatur Princeps ille Apoſtolorum, qui peccatores, ſub dira Satanæ ſervitute ingemiſcentes, a peccatis liberat, & in libertatem filiorum Dei vocat. De Sancto Petro Apoſtolo loquor, cujus merita in toto terrarum orbe ſunt notiſſima, cujus virtutes undique rutilant, & cujus ſanctitas undequaque emicat.

Sanctiſſimum hunc Apoſtolum, & Chriſti Domini in terris Vicarium apprehendi juſſit Herodes, vinculis eum conſtringi imperavit, eumque in tetro carcere *quatuor quaternionibus militum tradidit cuſtodiendum.* Sed a ſummo cælo reſpexit Petrum Altiſſimus, cum ipſo fuit in tribulatione, & mediante Angelo, duæ, quibus ligabatur, catenæ de manibus ejus ceciderunt, carceris januæ ei ultro apertæ ſunt, & de impiiſſimi Herodis manibus liber evaſit.

Hodie ſanctum hunc Antiſtitem non in mari Tiberiadis piſcantem & retia reficientem: non in monte Thabor cæleſtis beatitudinis gaudia ſuaviter prægustantem: non denique in ſupremo Eccleſiæ throno ſedentem, & oracula proferentem, ſed in carcere, vinculis ferreis conſtrictum contemplabimur, &c. *Ave.*

SAnctus Petrus in carcere detentus, omni gloria, omni libertate, omnique felicitate penitus carere videtur. Quæ etenim eſſe poteſt gloria ei, qui carceris ignominiam patitur? Quæ libertas illi, qui catenis ferreis vinctus detinetur? Quæ felicitas ei, qui ſub impii Herodis captivitate ingemiſcit?

Fateor, quod ſanctiſſimus ille Apoſtolus aliquo modo miſer ſit, cum carceris afficiatur ignominia, quod quodam modo captivus ſit, cum diris conſtringatur vinculis; & quod in conſpectu ſaltem hominum infelix ſit, cum gravia ab Herode perferat ſupplicia. At ſi res æqua lance libretur, Petrus inter ignominias carceris maxime eſt exaltatus; inter vincula quibus ligatur, eſt maxime liber, & inter ærumnas quas patitur, eſt maxime beatus. Quæ omnia patebunt, cum probaverimus quod Sancti Petri in carcere exiſtentis, magna ſit gloria, magna libertas, & magna beatitudo: 1. *Magna eſt*

ejus.

Digitized by Google

ejus gloria inter ignominias quibus afficitur: 2. *Magna eſt ejus libertas* inter vincula quibus conſtringitur: 3. *Magna eſt ejus beatitudo* inter ſupplicia quæ patitur.

PRIMA PARS.

Magna eſt Petri gloria inter ignominias quibus afficitur.

HErodes impius, ut placeret Judæis, Petrum, dignitate clarum, miraculis fulgentem, & ab omnibus Chriſtianis ſummè honoratum, dedecore & ignominia afficere excogitavit: quamobrem ſanctiſſimum hunc Antiſtitem intra tetrum carcerem claudi, & vinculis ferreis ligari curavit; ut proinde Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia, omnibuſque opprobrium fieret. Aſt inter imaginarias illas carceris & vinculorum ignominias maxima fuit Petri gloria: quia vincula ei fuere: 1. Pretioſa ornamenta: 2. Glorioſa præmia: 3. Sublimiora honoris inſignia.

1. Qui multorum rei ſunt criminum, ferreis non in honorem, ſed in dedecus, ligantur catenis: vincula non iis honoris & gloriæ, ſed maximæ ſunt notæ infamiæ. At Petrus inſons, & pro Chriſti gloria ſuppliciis addictus, ornatur vinculis quibus ligatur; & catenis quibus conſtringitur, velut pretioſiſſimis ornamentis decoratur. Unde S. Proclus, Conſtantinopolitanus Antiſtes, Petri catenas vocat *Regalem ornatum. Hom. 2. de laud. Pauli.* Et revera Sceptrum, Corona, cunctaque pretioſa indumenta & monilia non tantum Principes, Reges & Imperatores adornant, quantum Petrum ferreis, quibus nectitur, catenis decoratur: quia ut optime loquitur S. Chryſoſtomus, *non ita caput ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, ut catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Hom. 8. in epiſt. ad Epheſ.*

De Sancto Paulo ait Chryſoſtomus, non quod ligatus, ſed quod coronatus fuerit catena, *Eum coronabat catena. Hom. 10. in Epiſt. ad Coloſſ.* Hoc idem dicamus & nos de D. Petro: moris enim erat antiquitus victimas, dum ad mortem ducerentur, coronare. *Ipſæ beſtiæ & aræ, ipſi Miniſtri & Sacerdotes eorum coronabantur, Tertull. lib. de cor. mil. c. 10.* Petrum autem ad victimam parabat Herodes, & licet eum non coronare, ſed torquere & depretiare intenderit, ipſa tamen vincula, quibus manus ejus ſtrinxit, venuſtum & regale ei fuere ornamentum; ipſæ catenæ quibus eum ligavit, glorioſa coram Deo & ſpecioſa ei fuere corona, qua caput ejus cinctum & ornatum fuit. Magna ergo eſt gloria Petri conſtricti, cum hæ catenæ ſint pretioſa ejus ornamenta. *Sed magna etiam eſt ejus gloria, quia hæ catenæ ſunt glorioſa ejus præmia.*

2. Stans Jeſus in Partibus Cæſareæ Philippi, ſcire voluit ex ore aliorum, quid de ipſo ſentirent homines. Et ideo diſcipulos interrogavit, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reſponderunt illi, quod aliqui arbitrarentur, eum eſſe Joannem Baptiſtam; alii, eum eſſe Eliam; & alii, eum eſſe Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit illis Jeſus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Reſpondit Petrus, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Matth. 16.* O præclaram Petri confeſſionem, qui palam profitetur, Chriſtum eſſe Deum, Patriſque æterni unicum Filium! Qualem autem mercedem, & quale præmium dedit Chriſtus Petro pro tali confeſſione? Duplicem quidem ei largitus eſt mercedem, claves ſcilicet & catenas; dedit ei claves; *Tibi dabo claves Regni Cælorum; Ibid.* & dedit ei catenas, quas ipſe divinis ſuis manibus compoſuit, ut forent præmium ſuæ confeſſionis. *Has catenas*, inquit S. Proclus, *compoſuit Dei Patris Verbum, ut ejus de Deo confeſſionis præmium eſſent. Ibid.* Nec penſandum, vile & contemptibile eſſe illud præmium; cum hæ catenæ, quibus ligatur Petrus, ſint toto cælo pretioſiores. *Si quis*, inquit Chryſoſtomus, *mihi daret totum cælum, aut illam catenam, ego illam præferrem. Hom. 8. in Ep. ad Eph.*

De quolibet homine juſto, tribulationem patiente, aſſerit Deus, quod cum ipſo eſt, quod eum a pœnis quas patitur, liberabit, quodque illum glorificabit. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Pſalm. 4.* Hæc autem omnia ſpecialius & glorioſius exequitur Deus, reſpectu Petri incarcerati, & catenis ferreis onuſti; cum ipſo enim eſt Deus in carcere per gratiam, per conſolationes internas, & per abundantiorem aſſiſtentiam: illum etiam liberat a carcere, ejuſque catenas ſolvit mediante Angelo. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manibus Herodis; Act. 12.* ſed tandem eum Deus glorificat, non ſolum in cælo poſt mortem; ſed etiam in carcere per ipſas catenas, quibus ligatur; quia eas tanti ſublimat, ut eas glorioſum & pretioſum confeſſionis ejus præmium efficiat. Magna ergo eſt Petri, catenis conſtringi, gloria, cum hæ catenæ ſint glorioſa ejus præmia; ſed magna etiam eſt ejus gloria; *quia hæ catenæ ſunt ſublimia honoris inſignia.*

3. Sicut enim pro peccato catenis ligari, maxima eſt infamia: ita & pro Chriſto vinciri, maxima eſt gloria: *Sicut peccati cauſa vinciri opprobrium eſt; ita pro Chriſto cuſtodiæ vincula ſuſtinere, maxima gloria. Ambr. in Epiſt. ad Philipp.* Tanta quidem hæc eſt gloria; ut pro Chriſto vinculis necti, quid glorioſius ſit, quam eſſe Imperatorem, & Doctorem. Immo, inquit Chryſoſtomus, *vinctum eſſe propter Chriſtum, eſt præclarius, quam eſſe Apoſtolum, quam eſſe Evangeliſtam. Chryſoſt. hom. 8. in ep. ad Epheſ.* O magnam gloriam vinculorum, & vinctorum propter Chriſtum!

Verum eſt, quod hæc doctrina a mundi ſapientibus non concipiatur; hi capere nequeunt, quomodo catenæ ferreæ, quæ coram hominibus ſunt ſervitutis & infamiæ nota, poſſint eſſe honoris & gloriæ inſignia. Rident, cum audiunt, quod glorioſum ſit ligari propter Chriſtum; ſed ſi corda eorum Chriſti urerentur amore, hanc doctrinam caperent, mirarentur & ſectarentur: *Si quis in Dominum inſanit, & ejus amore uritur, novit vim vinculorum. Chryſoſt. ubi ſup.* Sanctus Chryſoſtomus, qui Chriſti Domini mirum in modum ardebat amore, vinculorum, & eorum qui propter Chriſtum vincti ſunt, gloriam & dignitatem apprime novit, & ſupra modum extollit; *Nihil*, inquit *ibid. eſt ita præclarum, ut* vin-

Digitized by Google

vincula propter Chriſtum, atque catenæ ſanctis illis manibus impoſitæ: hoc fortaſſe eſt præclarius, quam ſedere a dexteris; hoc eſt magnificentius, quam ſedere ſuper duodecim ſedes. Si quis me apud ſuperos collocaret cum Angelis; aut cum Paulo vinctis, eligerem carcerem & vincula. Si quis me faceret unam ex poteſtatibus, quæ ſunt circa cælos, aut circa thronos, aut talem vinctum, potius optarem talis eſſe vinctus. Fatendum ergo, quod Petri inter ignominias carceris & vinculorum exiſtentis, maxima ſit gloria. *Sed magna etiam eſt ejus libertas inter vincula, quibus conſtringitur.*

SECUNDA PARS.

Magna eſt Petri libertas inter vincula quibus conſtringitur.

DE Joſepho Ægyptiaco, in carcerem conjecto, vinculiſque conſtricto aſſerit Chryſoſtomus, quod inter vincula liber fuerit, ac vera libertate gaviſus ſit; *Erat Joſeph liber inter vinctos. Chryſoſt. in cap. 39. Gen.* Tunc liber erat Joſeph: quia dum corpus ejus vinculis irretitum tenebatur, innocens ejus animus nullatenus alligabatur; ſed penitus liber remanebat.

De beato Petro ſimiliter dicam, quod licet in carcere detineatur, & catenis ferreis corpus ejus conſtringatur, ipſe tamen liber eſt inter vincula: quia eſt liber: 1. A ſervitute peccati: 2. A ſervitute concupiſcentiæ: 3. A ſervitute dæmonis.

1. Omnes qui in gravia incidunt peccata, talium fiunt peccatorum ſervi; *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Joann. 9.* Peccata ſunt quaſi funes tartarei, quibus capiuntur & conſtringuntur qui ea perpetrant: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Prov. 5.* Petrus autem in miſeram hanc peccatorum ſuorum ſervitutem olim redactus fuerat; catenis peccatorum ſuorum aliquando fuerat ligatus; ſed poſt amaram, quam propter Chriſtum amplexus eſt pœnitentiam talibus amplius non fuit ligatus vinculis; non amplius peccati ſervus extitit; ſed ab omni crimine liber permanſit; ac in medio carceris exiſtens, maxima libertate gaviſus eſt. Ut enim ait S. Iſidorus, *nemo magis liber, quam ille, qui nullius mali ſibi conſcius eſt. Iſidor. in Etim.*

Hanc, qua fruebatur, libertatem indicaſſe videtur ſanctus ille Apoſtolus, dormiens inter vincula, quibus tenebatur, & inter milites, a quibus cuſtodiebatur. Imperaverat enim Herodes quod ſanctus ille vir mitteretur in carcerem, & duabus catenis ligaretur, intendens, intra breve tempus, eum populo ad occidendum producere. Petrus autem ſic ligatus, ſic morti adjudicatus quiete & tranquille dormit: *Erat Petrus dormiens inter duos milites ligatus catenis duabus. Act. 12.* Cur ſecûre inter catenas & milites dormit Petrus? ibi dormit; quia magna fruitur libertate. Impii, dum in thronis ſedent, dum in conviviis ſe exquiſitis ingurgitant cibis, dum abdomini & veneri indulgent, formidant, trepidant, nec quiete unquam dormire queunt: quia ſunt ſervi peccati, & timent, ne vinculis criminum ſuorum ligati, in infernum perpetuo cremandi detrudantur. At Petrus inter vincula & ſatellites ſuavi indulget ſomno: quia conſcientia ejus ab omni criminum nævo libera eſt. Sed ſi Petri magna eſt inter vincula libertas: quia liber eſt a ſervitute peccati, magna eſt etiam ejus libertas: *quia liber eſt a ſervitute concupiſcentiæ.*

2. Concupiſcentia tyrannus eſt ſæviſſimus, qui homines trahit, ligat, & ſæpe in ſervitutem redigit: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Jacobi 1.* Hæc homines impudicos venereis voluptatibus, avaros tranſitoriis & fallacibus ſæculi bonis; & ſuperbos vanis & imaginariis mundi honoribus, tanquam viles ſervos alligat. At S. Petrus, dum in vinculis corpore ligatus degebat a ſervitute concupiſcentiæ penitus erat liber; concupiſcentia non illum carnis voluptatibus alligatum detinebat: cum ipſe propriam reliquerit uxorem, & caſtitatem perpetuam voverit; concupiſcentia cor ejus dignitatum amore non alligabat: cum ipſe in omni humilitate inceſſerit, omniumque peripſema propter Chriſtum eſſe voluerit; concupiſcentia tandem non illum induxit ad ſerviendum divitiis & mammonæ iniquitatis: cum ipſe cuncta mundi bona reliquerit, *Ecce nos reliquimus omnia.* Tanta tandem Petri, catenis ferreis ligati, fuit libertas, ut totaliter a concupiſcentiæ ſervitute liber extiterit.

Hortatur nos Spiritus Sanctus, ut infeſtos concupiſcentiæ motus non ſequamur: *Poſt concupiſcentias tuas non eas. Eccli. 17.* Hi autem homines concupiſcentiæ motus ſequuntur, qui iis conſentiunt. *Poſt concupiſcentias imus, cum illis conſentimus. Hugo 161.* Et hi qui concupiſcentiæ motibus conſentiunt, ſunt ejus ſervi: quia ab ea vincuntur, capiuntur & poſſidentur. *Qui cedit concupiſcentiis atque conſentit, vincitur, capitur, traditur, poſſidetur, a quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Auguſt. contra Julian. lib. 5. c. 3.* O quanta multorum infelicitas, qui poſt concupiſcentias ſuas vadunt, praviſque earum trahuntur illecebris! Hi plerumque ſe liberos eſſe arbitrantur, dum miſera concupiſcentiarum ſuarum ſervitute ligantur: At S. Petrus inter vincula, quibus ligatur, eſt penitus liber a ſervitute concupiſcentiæ: terrena bona non ambit, ſed cæleſtia; quia voluptates carnales non requirit, ſed ſpirituales, & quia non ad mundi, ſed ad æternas cæli dignitates anhelat. Sed ſi magna Petri, vinculis conſtricti, eſt libertas: quia liber eſt a ſervitute concupiſcentiæ; magna etiam eſt ejus libertas: *quia liber eſt a ſervitute dæmonis.*

3. Sicut hi ſunt fideles Dei ſervi, qui ei in omnibus obediunt, ejuſque cuncta ſervant præcepta: ita & dæmonis ſervi ſunt, qui ei ſerviunt, ejuſque parent mandatis. Dicit Deus, *declina a malo & fac bonum*, quare ſi ab omni declines peccato, & bonis totaliter incumbas operibus, tunc te verum Dei ſervum eſſe comprobas. Dicit dæmon, *declina a bono, & fac malum*, quare ſi ejus dictis obedias, deviando a bono, & iniquis vacando operibus, tunc dæmonis ſervus efficeris. O quot Satanæ ſervi in hoc mundo! Quot ſunt; qui bene facere neſciunt, & qui malis penitus ſe dedunt operibus! Hi quidem dæmonis ſervi, numero ſuo Dei famulos longe ſuperant: pauci enim ſunt, qui dæ-

monis

Digitized by Google

monis voluntati non obſequantur, qui iniquo huic domino non famulentur. At S. Petrus in carcere exiſtens, ſe totum Deo conſecrat, dæmoni nullatenus ſubjicitur, ſed Deo; ſub dæmonis non ſtat dominio; ſed ipſe dæmoni potius dominatur, ac propriis catenis dæmonem alligatum & captivum detinet. *Ab his catenis*, inquit S. Proclus, *dæmonum pravi ſpiritus illigati enecantur, ab his Princeps hujus mundi captivus ducitur. Ubi ſup.*

S. Vincentius Ferrerius ait, *ſer. S. Petri ad Vincul.* quod ſicut Herodes Petrum duabus catenis vinctum detinebat, ita & dæmon ſervos ſuos duabus catenis vinctos tenere ſolet: duæ autem hæ catenæ ſunt longa conſuetudo & mala ſocietas. *Prima catena*, qua dæmon ſervos ſuos ligatos detinet, eſt inveterata conſuetudo: qui enim a multo tempore jurare, blaſphemare, furari, ad uſuram mutuare, & alia peccata perpetrare aſſueverunt, ab iis difficillime ſe expediunt; quia prava conſuetudo eſt fortiſſima catena, qua a dæmone captivi detinentur. *Secunda catena*, eſt mala ſocietas, qua dæmon quoſcumque homines, quantumvis innocentes, ad innumera trahit peccata, eoſque ita alligatos detinet, ut nequaquam ſua frangere vincula, & ab ejus ſervitute ſe liberare queant. Ecce qualibus potiſſimum catenis ſervos ſuos dæmon vinctos teneat. At S. Petrus, qui catenis ferreis erat conſtrictus, malignis dæmonis catenis ligari nequivit, mala non fuit ligatus conſuetudine, qui infirmos curare, afflictos viſitare, miracula multa facere & omnibus bonorum operum generibus vacare conſueverat: prava etiam ſocietate non fuit conſtrictus: quia cum ſanctiſſimis viris in terra viventibus, & cum Angelis in cælo regnantibus converſari ſolitus erat. Quare S. Petrus in carcere exiſtens, non dæmonis, ſed Dei ſervus extitit. Ac proinde Petrus, catenis ferreis conſtrictus, magna fruebatur libertate, quia a ſervitute peccati, concupiſcentiæ & dæmonis liber erat. Sed ſi Petri inter vincula, quibus ligabatur, magna erat libertas; *magna etiam erat ejus beatitudo inter ſupplicia quæ patiebatur*.

TERTIA PARS.

Magna eſt Petri beatitudo inter ſupplicia, quæ patitur.

Quis beatus cenſebit Petrum in tetro detentum carcere, infenſis ſibi militibus circumdatum; & proximæ morti adjudicatum? Quis arbitrabatur, ſanctum hunc Apoſtolum felicem eſſe inter vincula quibus conſtringitur, inter ſupplicia quæ patitur, & inter funera quibus deſtinatur? Fateor, quod ſi ſecundum carnis & ſanguinis leges de Petro judicemus, infelix & miſer dicendus ſit: ſed ſi chriſtiane & juxta Chriſti leges ſententiam feramus, Petrus inter vincula & ſupplicia eſt beatus, ac beatior: 1. Herode, qui eum carceri mancipavit: 2. Chriſtianis, qui ei compatiuntur: 3. Angelo, qui eum e carcere liberat.

1. Beatus, & ipſo Herode felicior erat Petrus in carcere detentus: quia Herodes purpura indutus, & redimitus corona, erat quaſi dæmonis victima ad æternas inferni pœnas deſtinata; e contra vero S. Petrus erat victima Deo conſecrata, & ab ipſo in æternum coronanda. Sicut ſolebant antiqui, boves, arietes & alia animalia, ad ſacrificium deſtinata, vitiis ornare, & lauribus coronare: ſic Herodes, quia a dæmone ſacrificari, immolari, & in æternum ad tartara præcipitari debebat, induebatur ſplendide, & coronabatur glorioſe in hoc mundo. Sed Petrus Herode longe felicior erat; quia per levia quæ patiebatur ſupplicia, ad æterna parabatur præmia; & tranſitoriis quibus affligebatur pœnis, ad perpetuas cæli delicias ordinabatur.

Felicem haud dubie Herodem, & infelicem Petrum cenſebant Judæi. Cum Herodem videbant exaltatum ſicut cedrum Libani, ſed etiam ſupra Judaici Regni ſolium divitiis affluentem, cunctiſque fruentem deliciis, eum felicem proclamabant: *Beatum dixerunt, cui hæc ſunt*. Et contra, cum Petrum cernebant vinctum, in carcere detentum, traditum viginti militibus ad cuſtodiendum, variis affectum injuriis, & ultimo ſupplicio damnandum, eum utique infelicem & miſerum cenſebant. Sed fallebantur: nam infelix erat Herodes, & Petrus feliciſſimus; infelix erat Herodes, quia licet regnaret in hoc mundo, a Deo tamen odio habebatur: *iniquos odio habui*. Infelix erat, quia licet divitiis & deliciis afflueret; interius tamen nulla fruebatur pace: *Non eſt pax impiis*. Infelix tandem erat: quia cum Crucis Chriſti eſſet inimicus, extra Paradiſi viam incedebat, & præceps ad tartara in æternum cruciandus currebat. At Petrus erat feliciſſimus, quia in carcere exiſtens, a Deo amabatur, viſitabatur ab Angelis, a cælo protegebatur, interna fruebatur pace, Chriſti paſſionibus conformabatur, & ad æterna præmia parabatur. O Petrum vere felicem, & ipſo Herode feliciorem, *Sed Petrus erat etiam felicior Chriſtianis, qui ei compatiebantur*.

2. Cum Petrus eſſet in carcere, Chriſtiani ei compatientes, indeſinenter Deum pro ipſius liberatione orabant; *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo*. S. Vincentius Ferrerius ait, quod ita ei compatiebantur, ut pro ipſo orarent flentes: *Orabant pro liberatione Petri flentes*. Flere quidem decebat, quia privabantur capite ſuo, Paſtore ſuo, & duce ſuo; ſed flere non debebant Petrum, quaſi miſerum & infelicem: miſer enim non erat; ſed beatus & iis qui ei compatiebantur beatior. Quod, quam verum ſit, ex ipſis Chriſti verbis conſtat: nonne dixit Chriſtus Dominus: *Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum ad verſum vos? Matth. 5. 11.* Nonne docuit divinus ille Magiſter, beatos eſſe, qui propter juſtitiam perſecutionem patiuntur? *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Matth. 5. 10.* Quis ad hæc Petrum infelicem cenſebit? Vel potius, quis non eum beatum, & iis qui ipſi compatiuntur, feliciorem proclamabit? iis quidem beatior erat Petrus quia pro Chriſto; & propter juſtitiam dira patiebatur; ipſi vero nondum digni facti erant, tantam, quantam ipſe, pro Deo perſecutionem pati.

Octo beatitudines, ſeu octo gradus ad æternam beatitudinem aſſequendam aſſignat Chriſtus. *Primus* gradus eſt, per paupertatem abjicere curam divitiarum. *Secundus*, per manſuetudinem motus animi com-

Digitized by Google

componere: *Tertius*, peccata lugere; *Quartus*, eſurire & ſitire juſtitiam, ſeu, virtutum augmentum: *Quintus*, miſericordiæ ſpiritualis & corporalis operibus vacare: *Sextus*, cordis munditiæ ſtudere: *Septimus*, pacem inter omnes conciliare: *Octavus*, patienter perſecutiones propter Deum & juſtitiam pati. *Matth.* 5. Pleraſque ex his beatitudinibus, ſimul cum Petro, poſſidebant alii fideles; qui ei compatiebantur; ſed ad octavam & ſupremam nondum pervenerant; aut ſaltem non eam ita perfecte aſſecuti erant ac Petrus: quia ipſe in carcere, duabus ligatus catenis, exiſtens, iis longe graviorem propter juſtitiam patiebatur perſecutionem. Quare in conſpectu Dei, & juxta divinam Chriſti doctrinam, iis erat beatior. Sed ſi S. Petrus inter ſupplicia fuit beatior fidelibus, qui ei compatiebantur: *Fuit etiam beatior Angelo, qui eum liberavit.*

3. Cum Petrus in carcere inter duos milites duabus catenis vinctus dormiret, venit ad eum Angelus de cælo, qui ſplendore ſuo totum irradiavit habitaculum, *percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens, ſurge velociter. Act.* 12. 7. Beatus haud dubie erat ille Angelus, & beatitudine cæleſti fruebatur: dum enim erat in carcere, Deum facie ad faciem contemplabatur, eum amore beatifico diligebat, ac proinde non minus erat beatus, quam illi qui in cælo remanentes, indeſinenter vident faciem Patris æterni. Auſim tamen dicere cum S. Chryſoſtomo, quod Petrus in carcere fuit beatior Angelo, a quo fuit percuſſus, excitatus, & liberatus: *Si quis mihi diceret*, inquit Chryſoſtomus, *quid malles, an eſſe Angelus, qui Petrum pupugit; an Petrus, qui ſalvus evaſit? mallem eſſe Petrus, propter quem venit Angelus. Ubi ſup.* Sed quomodo Petrus inter vincula & ſupplicia beatior eſſe poterat Angelo, qui actu beatitudine fruebatur inenarrabili & æterna? Beatior erat, non in ſe & actu; ſed beatior erat *in ſpe*, ut loquitur S. Auguſtinus: quia cum gravia propter Chriſtum pateretur, ex hoc ſolidam habebat ſperandi rationem, quod aliquando Angelo hoc beato, a quo liberabatur, futurus eſſet ipſe beatior; quodque per paſſiones ſuas, altiores beatitudinis æternæ gradus comparaturus eſſet.

D. Paulus, in hoc mundo vivens, fuit in vincula conjectus, & fuit in Paradiſum uſque ad tertium cælum raptus. Paulus in vinculis videbatur miſerrimus; in cælo vero haud dubie erat beatus, & beatitudine Sanctorum, ſaltem tranſeunter, fruebatur. Nihilominus, ſi fidem adhibeamus Chryſoſtomo, S. Paulus beatior fuit inter vincula, quam cum raptus eſt in Paradiſum, & uſque ad tertium cælum ſublimatus: *Non eam beatum exiſtimo Paulum quod raptus ſit in Paradiſum, quam quod conjectus ſit in carcerem. Non tam eum cenſeo beatum, quod raptus ſit in tertium cælum, quam eum cenſeo beatum propter vincula. Ubi ſub.* Similiter dicamus de Petro, quod ipſe catenis conſtrictus, & in carcere exiſtens, beatior fuit Angelo, qui divinam eſſentiam contemplabatur facie ad faciem, & qui Paradiſum inhabitare ſolitus erat. Quare Petro in vinculis exiſtenti dicamus: *Beatus es Simon Barjona: Matth.* 16. beatus ſane es, & ipſis Angelis beatior.

Ecce quanta fuerit gloria, quanta libertas, quanta beatitudo Petri in carcere degentis, & vinculis conſtricti. Contemplemur eximiam hanc gloriam, ad quam inter vincula, & per vincula evehitur: demiremur ſanctam & plenam hanc libertatem, qua in ſua captivitate, & dum catenis ferreis eſt conſtrictus, perfecte fruitur; ſed in primis ejus ambiamus beatitudinem, beatus eſt ſanctus ille Apoſtolus, cum pro Chriſto patitur; optemus & nos gravia cum ipſo propter Chriſtum perpeti; S. Petrus, ſicut & alter Paulus, gaudebat, cum pro Chriſto patiebatur: *Placebo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus.* 2. *Cor.* 12. 10. Gaudebat: quia in ipſis tribulationibus æternam prægustabat beatitudinem, & per pœnas quas patiebatur, majora ſemper ſibi comparabat in cælo gaudia: gaudeamus pariter & nos in tribulationibus noſtris, ſemperque graviora pro Chriſto pati optemus, ut inde aliquando beatiores in cælo fieri valeamus. Si graves adveniant morbi, in his gaudeamus; ſi ſupperveniant inimici qui nos perſequantur, eos diligamus; ſi temporalium bonorum jacturam faciamus, Deum benedicamus: optemus tandem ſemper plura & plura pro Chriſto perpeti in hoc mundo: ac morbos, injurias, perſecutiones patiamur cum Petro, ut cum illo beari mereamur in cælo. *Amen.*

IN FESTO
SANCTÆ MARIÆ ANGELORUM.

CONCIO PRIMA.

A Domino factum eſt iſtud.
Pſalm. 117.

Munus quod unum & idem ipſum eſt, aliud & aliud eſſe videtur, cum a Rege, & cum a viro ruſtico fit; in manu enim Regis quaſi augetur, & pretioſius evadit; ſemperque pluris fit, cum a regia, quam cum a ruſtica & ignobili manu procedit. Quia ſicut perėximiæ ſanctitatis viri, res etiam profanas contactu ſuo ſanctificant; ita & Principes muneribus & donis, quæ ab eorum oriuntur manibus, aliquem magnitudinis characterem imprimunt, quo pretioſiora & hominibus longe acceptabiliora redduntur, quam ſi a ruſticis & plebeis fierent.

Indulgentiæ omnes, quibus in Eccleſia fruimur, dona quidem pretioſiſſima ſunt in ſe; cum ex Chriſti & Sanctorum ſatisfactionibus componantur; ſed quid præ aliis nobilius & ſublimius in Indulgentia S. Mariæ Angelorum cernitur, utpote quod a Chriſti Domini manu immediate procedat: *A Domino factum eſt iſtud.*

Scimus ſummum Pontificem, auctoritate a Deo accepta, Indulgentias concedere, quæ & plenariæ & perpetuæ ſunt, non ſecus ac iſta; ſed hoc præ ceteris præclarum & ſpeciale habet Indulgentia Sanctæ Mariæ Angelorum, quod non ſolum a Chriſti in terris Vicario, & a ſervo ſervorum Dei; ſed ab

ab ipſo Chriſto Domino immediate manaverit. Eam a Chriſto humiliter petiit S. Franciſcus; eamque mediante Dei genitricis interceſſione obtinuit; ejuſdem & nos Dei genitricis auxilium imploremus, ut dignum de tanta Indulgentia ſermonem inſtituere valeamus, &c. *Ave*.

UT firmiter & perfecte aliqua ſtabiliatur Indulgentia, a perſona auctoritatem habente dari debet: ſi autem de ejus valore aliquod inſurgat dubium, eam confirmari neceſſe eſt: & eandem ut eam quiſque lucrari poſſit, publice eam juris fieri, & rite publicari oportet.

Certum eſt quod ſummus Pontifex, poteſtate a Chriſto accepta, Indulgentias quaslibet concedere, confirmare & publicare ſoleat: at Indulgentia Sanctæ Mariæ Angelorum, non ab hominum ſolum, ſed a Deo immediate data, confirmata & publicata eſt. Dedit quidem Chriſtus ſummo Pontifici poteſtatem ligandi & ſolvendi quodcumque voluerit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, ſed in iſta Indulgentia aliquid Chriſtus ſibi reſervaſſe videtur: in terris enim apparuit, ut illam daret: & licet S. Franciſcum ad ſummum Pontificem delegaverit, ut ab eo hanc Indulgentiam dari, confirmari & publicari peteret; eam tamen Chriſtus per ſeipſum dedit, & confirmavit, & publicavit. Indulgentia S. Mariæ Angelorum: 1. A Chriſto data eſt: 2. A Chriſto confirmata eſt: 3. A Chriſto publicata eſt. En tres hujus orationis partes, quibus hanc Indulgentiam a Deo eſſe conſtabit: *a Domino factum eſt iſtud*.

PRIMA PARS.

Indulgentia S. Mariæ Angelorum a Chriſto data eſt.

QUamquam omnes totius orbis Eccleſias ſummopere veneraretur Pater Seraphicus; Eccleſiam tamen Portiunculæ, ſeu S. Mariæ Angelorum, quæ ab Aſſiſio non longe diſtat, præcipuo ſtudio, ſingularique religione ſemper coluit. *Tum*, quia beatiſſimæ Virgini erat dedicata. *Tum*, quia in ea ſuaviſſimi Angelorum concentus ſæpe audiebantur. *Tum*, quia in ea Pater ſanctus, ex Dei ordinatione, Ordinem ſuum erat inchoaturus. In hac autem Eccleſia Chriſtus viſibiliter apparuit, ac Indulgentiam plenariam & perpetuam dedit: 1. *Ut mercedem* zeli quo ardebat Franciſcus: 2. *Ut ſignum* amoris ſui erga peccatores: 3. *Ut monumentum* ſuæ liberalitatis erga Eccleſiam.

1. Sanctiſſimo ſalutis animarum zelo ardebat Pater Seraphicus; cor ejus quaſi fornax accenſa videbatur, ex qua ſacri illius zeli ſcintillæ indeſinenter prodibant; nec unius dumtaxat, ſed omnium animarum ſalutem zelabat, & ſummopere deſiderabat: *Fervidum habebat zelum ad ſalutem omnium ſalvandorum. D. Bonav. c. 9. legend.* Non defuere Sancti, quorum zelus intra unius Diœceſis, vel unius Provinciæ, immo & unius loci particularis terminos claudebatur: ſed Seraphici Franciſci zelus nullum agnoſcebat terminum, quia ad omnes mundi partes, ac ad omnes animas protendebatur. Et ideo in ipſo naſcentis Ordinis ſui primordio, convocatis fratribus, eos in quatuor partes, ad modum crucis, ordinavit; dixitque aliquibus qui ex una parte erant: ite vos ad orientales plagas; dixit aliis nonnullis, qui ex altera parte ſtabant: pergite vos verſus Occidentem: alios vero verſus Meridiem, & alios verſus Septentrionem delegavit, præcipiens eis, ut undequaque prædicarent, & animarum ſaluti ſedulo vacarent. O mirabilem S. Franciſci zelum! Quem Chriſtus approbavit, & glorioſe præmiavit, annuens votis ejus, danſque ei Indulgentiam plenariam & perpetuam in gratiam peccatorum, quorum ſalutem zelabat Pater Seraphicus.

Aſſerit D. Paulus, & certo certius eſt, quod in cælo *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. 1. Cor. 3. 8.* Sed interdum, & ſæpiſſime, etiam in hoc mundo, dat Deus hominibus mercedem laboribus & virtutibus eorum debitam. Taceo innumeros, quos in hac etiam vita Deus præmiavit, ut de ſolo Patre Seraphico loquar: hic etenim ardentiſſimo ſuccenſus zelo, per ſe & per fratres ſuos ſtrenue pro animarum ſalute laboravit. Deus autem ut mercedem zeli & laborum ejus illi tribueret, votis ejus annuit, eique quod optavit & petiit, libere conceſſit. Petiit enim a Chriſto Franciſcus; ut plenariam & perpetuam Indulgentiam concederet omnibus, qui debite facta peccatorum confeſſione, Eccleſiam S. Mariæ Angelorum certa quadam anni die ingrederentur; Chriſtus autem, ut præmiaret zelum animarum quo ardebat Pater Seraphicus, ei hanc Indulgentiam libere conceſſit. Unde hanc Indulgentiam ſummus Pontifex Martinus IV. *juſtam* vocavit: quia, ſcilicet, illam conceſſit Chriſtus ut mercedem, quam aliqua cum juſtitia laboribus & zelo S. Franciſci debere videbatur. Sed ſi Chriſtus hanc Indulgentiam dedit, in mercedem zeli quo ardebat Franciſcus, *eam etiam dedit in ſignum amoris ſui erga peccatores*.

2. Lazarum, Magdalenæ fratrem, diligebat Chriſtus, ſuumque erga illum tunc ſpecialius manifeſtavit amorem, cum eum ſuſcitare voluit. Tunc enim videntes Judæi, quod fleret Chriſtus, ac ad illum a mortuis excitandum ſe aptaret, dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum. Joan. 11. 36.* Magnus quidem Chriſti erga hunc mortuum amor fuit; ſed majus hodie erga omnes homines per peccatum mortuos, amoris ſui dat teſtimonium: cum eis omnibus Indulgentiam concedat, qua mediante, a peccatis ſuſcitari, necnon a terris criminum ſuorum vinculis ſolvi poſſunt. Mirabile amoris teſtimonium peccatoribus Chriſtus dederat, cum pro iis incarnari, naſci ac naturæ humanæ infirmitatibus ſubjici voluit: ineffabile etiam charitatis ſuæ ſignum eis exhibuit, cum pro iis pati, crucifigi, & mori dignatus eſt: incomprehenſibile tandem eis divini amoris ſui teſtimonium præbuit, cum, ad Patrem vadens, in hoc mundo ſub ſpeciebus Euchariſticis remanſit, ut iis eſſet in cibum. Sed hodie deſcendit de cælis & in Eccleſia S. Mariæ Angelorum viſibiliter apparuit, ut novum & inſolitum amoris ſui ſignum pec-

catoribus daret: Indulgentiam ſcilicet S. Mariæ Angelorum, qua mundari, ac ab omnibus pœnis peccatis eorum debitis, liberari valeant.

Cum Moyſes paſceret gregem ſuum in deſerto, rubum vidit, qui ſemper ardebat, & igne numquam abſumebatur: *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Exod. 3. 2.* Attonitus Moyſes, ac a tanto prodigio quaſi ſuſpenſus hærens, dixit: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam: quare non comburatur rubus.* Appropinquans autem Moyſes, audivit Dominum de medio rubi loquentem, ac dicentem, ſe de cælo deſcendiſſe, ut populum, ſub dira Ægyptiorum tyrannide ingemiſcentem, liberaret: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, deſcendi, ut liberem eum.* O portentoſum Dei erga Iſraelitas amorem! Cui ſimilem cunctis peccatoribus hodie exhibet Chriſtus; ipſe etenim de cælo ſancto ſuo, ſub diaboli tyrannide gementes in terris peccatores videns, ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum deſcendit; ibique in ſpeciale amoris ſui ſignum, Indulgentiam plenariam, qua a dæmonis ſervitute liberari valeant, eis libenter concedit. Sed ſi hanc Indulgentiam dedit Chriſtus in ſignum amoris ſui erga peccatores: *eam etiam dedit in monumentum ſuæ liberalitatis erga univerſam Eccleſiam.*

3. Chriſtus in cælum aſcendens, duos in Eccleſia pretioſiſſimos reliquit theſauros. *Primus*, eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; quo theſauro nihil ditius, nihilque pretioſius eſſe poteſt: cum in eo Chriſti corpus, ſanguinem, animam & divinitatem eſſe definierit ſanctum Concilium Tridentinum. *Secundus*, eſt theſaurus Indulgentiarum, quem Petro & Succeſſoribus ejus diſpenſandum reliquiſſe docent Sacri Canones: *Theſaurum, quem ſui ſanguine acquiſivit, per beatum Petrum, ejuſque Succeſſores, commiſit ſalubriter fidelibus diſpenſandum. Clem. 6. in extrav. unigenitus.* Iſte theſaurus infinitus eſt: cum non ſolum ex finitis Sanctorum, ſed etiam ex infinitis Chriſti ſatisfactionibus conſtet: hujus autem theſauri clavem Petro & ſucceſſoribus ejus Chriſtus reliquit. Sed o rem mirabilem! Chriſtus hodie de cælo in Eccleſiam Sanctæ Mariæ Angelorum deſcendit, & ſumpta illius theſauri clave, ut erga Eccleſiam ſe liberalem exhibeat, illum aperit, & Indulgentiam plenariam, omnibus qui in hanc Eccleſiam, certa quadam cujuslibet anni die intrabunt, libenter concedit. Dum in terris verſaretur Chriſtus, theſaurum hunc aperuit, ut Magdalenæ, Paralytico, Latroni, mulieri adulteræ, & aliis quibuſdam veniam & indulgentiam concederet; ſed hodie ut erga univerſam Eccleſiam ſe liberalem præbeat, theſaurum hunc aperit; ac plenariam & perpetuam Indulgentiam tribuit omnibus, qui peracta peccatorum confeſſione in hanc Eccleſiam determinata quadam cujuslibet anni die intraverint. O admirandam Chriſti liberalitatem erga Eccleſiam ſuam!

Amor, inquit S. Dionyſius, *non permiſit Deum ſterilem in ſe manere. Dionyſ. de div. nom. c. 4.* Et revera, mox ut a Patre æterno proceſſit filius, amor eos ſteriles in ſe manere non permiſit; ſed illos ad producendum Spiritum Sanctum compulit. Eoque producto, licet impoſſibile eſſet, aliam divinam Perſonam produci, amor tres divinas Perſonas ſteriles remanere non eſt paſſus; ſed eas ad productiones ad extra movit, nulla enim creatura facta eſt, in qua amoris divini characteres non eluceant, & quaſi ex infinito Dei amore non procedant. Hic autem Dei amor, ſterilis certe non fuit erga Eccleſiam, erga quam ſe maxime beneficum & liberalem exhibuit. Chriſtus enim dedit ſeipſum, ſua Sacramenta, ſua merita, exempla ſua; ac inſignem Indulgentiarum theſaurum, quem hodie ſolemniter aperit, ut toti Eccleſiæ bene faciat, utque Indulgentiam plenariam & perpetuam, ab omnibus fidelibus lucrandam, concedat. Quis non miretur tantam Indulgentiam, quæ vere a Domino eſt; cum eam dederit Chriſtus, *ut mercedem* zeli quo ardebat Franciſcus, *ut ſignum* amoris ſui erga peccatores, & *ut monumentum* ſuæ liberalitatis erga Eccleſiam: Sed ſi hæc Indulgentia a Domino eſt, quia Deus illam dedit; a Domino etiam eſt, quia Deus illam confirmavit: *a Domino factum eſt iſtud.*

SECUNDA PARS.

Indulgentia S. Mariæ Angelorum, a Chriſto confirmata eſt.

ISraelitas monuit Moyſes, quod ſi peccatis ſuis Deum ad iracundiam provocarent, cito perituri eſſent. Quod, ut verum eſſe probaret & confirmaret, teſtes adduxit cælum & terram: *Teſtes invoco hodie cælum & terram, cito perituros vos eſſe. Deut. 4. 26.* Sed hodie Chriſtus, ut Indulgentiam Sanctæ Mariæ Angelorum veram eſſe confirmet; non ſolum cælum & terram, verum & infernum in teſtem adduxit: ac utitur: 1. *Teſtimonio Cæli*, ut hanc Indulgentiam Franciſco confirmet: 2. *Teſtimonio Terræ*, ut eam confirmet ſummo Pontifici: 3. *Teſtimonio Inferni*, ut eam confirmet omnibus hominibus.

1. Cæli teſtimonium ſæpe adhibuit Deus ad confirmandas veritates, quas hominibus credendas propoſuit: cum enim legem dedit Moyſi, magna in cælo audita ſunt tonitrua, quæ erant quaſi *vox Domini in magnificentia*, quæ hanc legem, ſanctam, juſtam & divinam eſſe aſſerebat. Cum Pater æternus Chriſtum filium ſuum eſſe, probare & confirmare voluit, cæli miniſterio uſus eſt: inſolita enim quædam vox audita eſt in cælo, eum Patris æterni filium eſſe aſſeverans: *Et ecce vox de cælis, dicens; hic eſt filius meus dilectus. Matth. 3. 17.* Cum Evangelicam legem authentico teſtimonio Deus propalare voluit, *factus eſt de cælo ſonus.* Sed hodie, ut Chriſtus Franciſcum de veritate Indulgentiæ quam ei conceſſit certiorem faciat, majus quoddam de cælo adducere videtur teſtimonium: non enim per vehementes quoſdam ſonos, non per voces in aere auditas, nec per formidanda tonitrua; ſed per ſeipſum, per Mariam, & Angelos de cælo deſcendentes, Patrem Seraphicum de veritate Indulgentiæ ipſi conceſſæ certum facit. Si ſolus Chriſtus de cælo deſcendiſſet, forſitan Franciſcus ſe illu-

illuſum eſſe timuiſſet; & cum Apoſtolis forte dixiſſet Apoſtolicus ille vir; *Phantaſma eſt. Matthæi* 12. 26. Sed cum videt, Chriſtum ſemel & iterum de cælo ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Angelorum deſcendiſſe; cum audit Mariam intercedentem, ac præfatam Indulgentiam a Chriſto obtinentem; cum videt & audit cæleſtes ſpiritus, ob tam inſigne acceptum beneficium ipſi congratulantes; nullus de veritate hujus indulgentiæ remanet dubitandi locus; tollitur omnis quæ advenire poſſet ſuſpicio; & Franciſcus ita de hujus Indulgentiæ veritate convictus eſt, ut Bullas, ipſi a ſummo Pontifice ad ejus confirmationem oblatas, recipere humiliter recuſet, dicens: mihi ſufficiunt Chriſtus, Maria & Angeli: mihi ſufficit teſtimonium quod a cælo habeo.

In incarnationis myſterio Chriſtus *Inclinavit cælos & deſcendit*, *Pſ.* 17. 10. ut ab hominibus videretur & cum iis converſaretur: *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Baruch.* 3. 38. Poſt Reſurrectionem autem hominum conſpectui ſe ſubduxit, & ad cælum aſcendit, ubi eum ſancti, & Angeli facie ad faciem contemplantur, ſemperque magis & magis illum videre peroptant: *In quem deſiderant Angeli conſpicere*. Sed, novo & portentoſo miraculo, hodie Chriſtus iterum *inclinavit cælos & deſcendit:* orbes illos cæleſtes quaſi inclinavit Salvator, & in Eccleſiam S. Mariæ Angelorum deſcendit, ubi cum Franciſco familiariter converſatus eſt. Sicut enim de Adamo (dum primævum innocentiæ ſtatum ſervavit) aſſerit S. Gregorius, quod *anticipata felicitate, lumine gloriæ fruebatur, & adhuc vivus videbat Dominum, cujus aſpectum vix Angeli ſuſtinere poſſunt*: ita & Franciſcus anticipata quadam felicitate, Chriſtum Dominum lumine gloriæ radiantem, in Eccleſia Portiunculæ vidit, & audivit in conſpectu B. Virginis Mariæ & Angelorum loquentem, ac præfatam Indulgentiam ſibi concedentem; quare de ejus veritate, & de ejus valore, ac de futura ejus promulgatione ita certus, & convictus eſt Pater Seraphicus, ut Bullas Pontificias non requirat; ſed teſtimonium de cælo ſibi ſufficere aſſerat. Sed ſi Chriſtus utitur *Cæli* teſtimonio, ut hanc indulgentiam Franciſco confirmet; utitur etiam *Terræ* teſtimonio, *ut eum confirmet ſummo Pontifici*.

2. Non ſatis erat, de hujus Indulgentiæ auctore certum eſſe Beatum Franciſcum; ſed inſuper aliquod requirebatur teſtimonium, quo, eam a Chriſto eſſe datam, ſummo Pontifici conſtaret. Sicut autem ad eam confirmandam Franciſco, *Cæli* teſtimonium adhibitum eſt; ita & ad teſtificandum ſummo Pontifici, eam a Chriſto eſſe datam, *Terræ* teſtimonium aſſumitur, quæ acerbioris hyemis tempore fœcundatur, & præclaras roſas ad probandam hujus Indulgentiæ certitudinem, ſummo Pontifici deferendas, miraculoſe producit.

Bis Chriſtus, ſimul cum Maria & Angelis in Eccleſia Portiunculæ viſus eſt. Prima vice, Patri Seraphico Indulgentiam conceſſit, cumque ad hujus Indulgentiæ confirmationem obtinendam, ſummo Pontifici delegavit. Altera vice, determinavit Chriſtus tempus lucrandæ illius Indulgentiæ, nempe a Veſperis primæ, ad Veſperas ſecundæ diei Auguſti; Et ut ſummus Pontifex de veritate hujus Indulgentiæ, & de tempore ad illam lucrandam aſſignato nullatenus dubitaret, ſubito miraculoſæ hic viſæ ſunt roſæ; dixitque Franciſco Chriſtus, ut ſummum Pontificem adiret, eique in teſtimonium eorum quæ peracta erant, aliquas ex his roſis deferret: *Defer in teſtimonium de roſis albis & rubris. VVading. Tom.* 1. Ad ſupremum Eccleſiæ moderatorem properavit Pater Seraphicus, ac manifeſtata ei Chriſti Salvatoris voluntate, aliquas in confirmationem eorum quæ dicebat, ei roſas obtulit: quas cum vidit Pontifex, earum pulchritudinem admirans, de his quæ aſſerebat Franciſcus plene convictus eſt, dicens: *Credimus, credimus, quod verum eſt teſtimonium veſtrum*. Viſis venantibus, & ſuaviſſime olentibus his roſis, quaſi extra ſe raptus clamat Pontifex: o quales roſas in menſe Januario mihi offert Franciſcus! hæ roſæ non niſi a Deo miraculoſe fuere productæ. & licet nullum aliud mihi ineſſet teſtimonium, facile mihi ſuaderem veriſſima eſſe, quæ de hac Indulgentia Franciſcus & ſocii ejus referunt: *Credimus, quod verum eſt teſtimonium veſtrum*. Sed ſi Chriſtus utitur terræ teſtimonio, ut hanc Indulgentiam confirmet ſummo Pontifici: utitur etiam inferni teſtimonio: *ut illam omnibus hominibus confirmet*.

3. Hanc Indulgentiam non unus dumtaxat, ſed plurimi approbarunt & confirmarunt ſummi Pontifices: uti Honorius III. Alexander IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Joannes XXII. & alii nonnulli. Quorum aliqui exquiſitis eam laudibus extollunt, ut Martinus IV. Alii eam omnibus domibus fratrum tam primi, quam tertii Ordinis communicant, ut Sixtus IV. & alii eam anno Jubilæi, ſimul cum aliis Indulgentiis, ſuſpendere nolunt, ut Urbanus VIII. qui cum pro anno Jubilæi 1624. celebrando, omnes alias ubique Indulgentias ſuſpenderit, hanc ipſe dato diplomate, intactam eſſe declaravit: nec illam in verbo Romani Pontificis comprehendi voluit. Sed licet pluribus ſummorum Pontificum teſtimoniis hæc Indulgentia fuerit confirmata, ad eam tamen plenius coram hominibus confirmandam, inferni inſuper teſtimonium Chriſtus adhibuit: dum ad teſtificandam hujus Indulgentiæ veritatem ipſos dæmones compulit: qui in corporibus quorumdam hominum ab iis poſſeſſorum exiſtentes, non ſemel confeſſi ſunt, veriſſimam & efficaciſſimam eſſe hanc Indulgentiam, cujus virtute multi peccatores juſtificabantur, & ab inferni faucibus ad cæleſtes thronos evehebantur.

Perbelle dixit Eraſmus, *nullum gravius teſtimonium; quam inimici de inimico. VVading. tom. 2. ad ann.* 1227. *n.* 17. Cum enim aliquis ex inimicis noſtris aliquid fatetur, quod ad noſtri gloriam, & ejus dedecus vergit, ejus ſane teſtimonium graviſſimum eſt & irrefragabile: quia non eſt qui facile ad inimici ſui gloriam, & ſui ipſius detrimentum loquatur. Indulgentia autem S. Mariæ Angelorum eſt quidem ad Dei gloriam, ut patet: ſed eſt etiam in dæmonum detrimentum, cum ejus virtute innumeræ ab eorum manibus eripiantur animæ; quare cum Indulgentiæ hujus veritatem & virtutem fateantur dæmones, eorum teſtimonium verum eſſe nullus inficiabitur. Ecce quomodo cæli, terræ & inferni teſtimonio hanc

In-

Indulgentiam Chriſtus confirmavit: *Sed hæc Indulgentia fuit etiam a Chriſto publicata.*

TERTIA PARS.

Indulgentia S. Mariæ Angelorum a Chriſto fuit publicata.

INdulgentiam Sanctæ Mariæ Angelorum Chriſtus quidem dedit & confirmavit: ſed etiam publicavit in Eccleſia Portiunculæ, in urbe Aſſiſio, & in cordibus fidelium: 1. *In Eccleſia Portiunculæ*, miniſterio Angelorum: 2. *In urbe Aſſiſio*, miniſterio Epiſcoporum: 3. *In cordibus fidelium*, miniſterio gratiæ ſuæ.

Indulgentias, quæ a ſummis Pontificibus conceduntur, publicare ſolent nonnulli Prælati, vel alii homines ad hoc delegati; ſed ad publicandam Indulgentiam Portiunculæ, Angelos Deus vocat & delegat. Poſtquam enim Chriſtus hanc Indulgentiam conceſſit, ac ejus lucrandæ tempus deſignavit, audita eſt in Eccleſia Portiunculæ vox Angelorum multorum, ſumma cum melodia canentium Hymnum: *Te Deum laudamus*; tum in gratiarum actionem tanti beneficii hominibus imperititi, etiam ad publicandam in hac Eccleſia, & notificandam hominibus hanc Indulgentiam, quam Chriſtus in gratiam hominum peccatorum largiri dignatus eſt. Cæleſtem hunc concentum audit Pater Seraphicus; eam audiunt & nonnulli ex ejus fratribus; qui attoniti Deum laudant & glorificant, eo quod in Eccleſia Portiunculæ hanc ipſis Indulgentiam annuntiare, & publicare dignetur.

Cum mente revolvo mirabilia, quæ hodie in Eccleſia Portiunculæ fiunt, mihi in mentem veniunt, quæ Chriſto naſcente, in Bethlemitico diverſorio facta ſunt. In hoc diverſorio cernebatur Chriſtus, & in Eccleſia Portiunculæ idem hodie Chriſtus videtur; in diverſorio erat mater Chriſti Maria, quæ eſt etiam in Eccleſia Portiunculæ: in diverſorio apparet Chriſtus, ut totum genus humanum redimat; & ad Eccleſiam Portiunculæ venit Chriſtus, ut Indulgentiam ad omnium ſalutem largiatur: dum tandem Chriſtus eſt in Bethlehemitico diverſorio, canunt Angeli Hymnum: *Gloria in altiſſimis Deo*, ut Verbi divini Incarnationem hominibus annuntient; & in Eccleſia Portiunculæ, Hymnum: *Te Deum laudamus*, canunt Angeli, ut in favorem fidelium a Chriſto datam Indulgentiam annuntient, & publicent. Indulgentia ergo S. Mariæ Angelorum a Chriſto publicata eſt in Eccleſia Portiunculæ *miniſterio Angelorum*; ſed a Chriſto etiam publicata eſt in urbe Aſſiſio, *miniſterio Epiſcoporum*.

2. Scimus ſcripſiſſe ſummum Pontificem Epiſcopis Aſſiſiatenſi, Trudentino, Peruſino, Spoletano, Fulginatenſi, & aliis quibuſdam, ut a Chriſto conceſſam Indulgentiam in Eccleſia Portiunculæ prope Aſſiſium, ſolemniter publicarent; ſed & ipſi eam etiam, ibi ex Chriſti ordinatione, civibus Aſſiſiatenſibus publicarunt. Eam enim ad decennium ſolum valituram publicare volebant Pontifices; ſed Chriſto ſic diſponente, cum hæc verba proferre volebant: *ad decennium*, dicebant ſemper: *in perpetuum*. *VVading. Tom. 2.* Nunc unus & nunc alter ſurgebat, ut eam ad decennium publicaret, & quilibet audiebatur miraculoſe hæc verba pronuntians: *in perpetuum*. Unde dici poteſt, quod ipſi tunc non loquebantur; ſed Chriſtus per eorum ora: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Matth. 10.* Non loquebantur ipſi, prout loqui volebant, ſed loquebantur prout Chriſtus eos loqui diſponebat; volebant ipſi loqui, ut indulgentiam ad decennium ſolum valituram annunciarent: & eos ſic loqui diſpoſuit Chriſtus, ut eam in perpetuum valituram ſemper publicarint.

Inter varia, quæ Chriſtus operatus eſt miracula, adverto, quod muros loqui, & Apoſtolos variis linguis loqui fecerit. Mutos loqui fecit Chriſtus: *Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui. Marci 7. 37.* Apoſtolos etiam variis linguis loqui fecit: *Cœperunt loqui variis linguis. Act. 2. 4.* Sed hodie Chriſtus novo & ſtupendo miraculo homines loqui facit aliter, quam ipſi velint. Volebant enim Epiſcopi, ad publicandam Indulgentiam Portiunculæ congregati, eam publicare, ad tempus ſolum aliquod valituram, & illos Chriſtus ad illam plenariam & perpetuam publicandam miraculoſe compellit. Sed ſi Chriſtus hanc Indulgentiam in Aſſiſiatenſi ſolo publicat miniſterio Epiſcoporum, *eam etiam in cordibus fidelium publicat miniſterio gratiæ ſuæ.*

3. Sicut homines externis vocibus; ita & Deus gratia, necnon internis illuſtrationibus ſuam ſæpe manifeſtat voluntatem: ad aures enim loquuntur homines, & Deus ad corda. Ad hominum corda olim locutus eſt Deus, cum legem ſuam ſervare iis ſuaſit. *Lex mea in corde eorum; Iſai. 51.* Et ad corda etiam hominum Deus hodie loquitur: cum iis Sanctæ Mariæ Angelorum Indulgentiam notam facit, ac eos ad illam lucrandam allicit. Non de aliquibus ſolummodo, quibus revelatione divina notificata eſt hujus indulgentiæ magnitudo; ſed interrogate innumeros, qui a tempore conceſſionis ejus, ex omnibus mundi partibus ad illam lucrandam Aſſiſium properant: interrogate ſexaginta mille peregrinos, qui hujus indulgentiæ lucrandæ cauſa, ſingulis annis ad Eccleſiam Portiunculæ convenire ſolent; eos rogate, ut dicant, a quo hujus Indulgentiæ magnitudinem noverint, & a quo ad illam lucrandam moti ſint? Reſpondebunt haud dubie, quod non a ſolis hominibus edocti ſint; ſed & a Dei gratia, ac ab illuſtratione quadam interna, qua ad tantam Indulgentiam lucrandam fuere concitati: reſpondebunt certe, digitum Dei eſſe hic, Deumque hanc Indulgentiam in cordibus eorum publicaſſe, & eos ad illam lucrandam quaſi manu duxiſſe.

Hoc haud dubie novit ſupremus Eccleſiæ moderator Innocentius XII. nunc vivens & regnans: qui ad augendam, fovendamque populi pietatem, Apoſtolico diplomate, dato Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, die 18. Auguſti 1695. concedit Indulgentiam plenariam omnibus utriuſque ſexus fidelibus, qui Eccleſiam S. Mariæ Angelorum vere pœnitentes & confeſſi, ac ſacra communione refecti, in quocumque anni die devote viſitaverint, ibique oraverint pro, &c.

Non hortabor vos, ut Aſſiſium, hanc Indulgentiam lucraturi, vos conferatis. Sed cum per extenſionem, eam hodie in Eccleſiis noſtris lucrari quiſque poſſit; ægre fero, quod vel unicus fidelis eam lucrari negligat. O peccatores! quid proderit vobis tanta Indulgentia, ſi de ea lucranda non curatis? certe non ſolum non proderit; ſed oberit: & forte majoris erit occaſio damnationis. Deus enim inde ſumet occaſionem ad graviora ſupplicia condemnandi eos, qui tanti beneficii fructum ſibi applicare negligunt.

Ad bibendum ex aqua gratiæ, omnes invitat Chriſtus: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: Joann.* 7. 37. Indulgentia autem S. Mariæ Angelorum eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam; eſt fons gratiarum uberrimus & ſaluberrimus, quem Chriſtus omnibus aperit: omneſque vocat ad bibendum ex hac aqua: *omnes ſitientes, venite ad aquas. Iſ.* 55. 1. Nullum Chriſtus ab hoc beneficio excludi: ; ſed vult, ut omnes ex hac aqua bibant, & hanc Indulgentiam lucrentur, etiamſi aurum & argentum pauperibus diſtribuendum non habeant: *omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate*: quare qui eam non lucrantur, ab eo, ut ingrati & deſides punientur; tantumque beneficium eis majoris damnationis occaſio fiet. Properate ergo, properate ad hanc piſcinam, quæ omnibus eſt aperta; properate ad viſitandam aliquam Ordinis Fratrum Minorum Eccleſiam; properate per cordis dolorem & oris confeſſionem, ut hanc Indulgentiam lucrari valeatis.

Ab aliis Indulgentiis lucrandis ſe excuſant nonnulli, quia argentum in eleemoſynas, & alios pios uſus erogandum non habent; ſed ad iſtam lucrandam non requiritur pecunia pauperibus diſtribuenda, vel aliis piis uſibus inſumenda: quare, *qui non habetis argentum, properate*. Alii ab Indulgentiis lucrandis ſe excuſant: quia inquiunt, jejunare, & alia opera ſatisfactoria facere nequeunt, ſed ad iſtam lucrandam non dura requiruntur jejunia, non peregrinationes ad loca remotiſſima: ſed ſolummodo ut quiſque actum doloris eliciat, peccata debite confiteatur, & aliquam ex Eccleſiis Ordinis Minorum viſitet; quo certe nil facilius. Properate ergo, ut tantam lucremini Indulgentiam, & ea mediante, æternam beatitudinem obtineatis. *Amen*.

IN FESTO SANCTÆ MARIÆ ANGELORUM.

CONCIO SECUNDA.

Pater, dimitte illis. Luc. 23. 34.

CRedetis forte, auditores ornatiſſimi, quod Chriſtum in cruce pendentem, & prædicta verba proferentem, tunc proponere intendam? At non hæc ſane mea mens, mea hæc non eſt intentio: non enim Chriſtum Redemptorem in crucis patibulo orantem, ſed perfectum Chriſti imitatorem Franciſcum, zelo ſalutis animarum ſummopere ſuccenſum intueor: eum orantem, lacrymantem, ac veniam pro peccatoribus enixe petentem inſpicio, eumque in publico hoc conſeſſu proponere volo, magno cum ſpiritus fervore poſtulantem, ut miſeris peccatoribus gratia & venia concedatur.

Carnis illecebras non petit Pater Seraphicus: non terrenas facultates, nec altiores Eccleſiæ dignitates ambit: non rogat, ut victui ſuo tribuantur ſuperflua & delicata: non poſtulat, ut a corpore ſuo infirmitates expellantur, nec ut anima ſua ſpiritualibus, & cæleſtibus repleatur conſolationibus. Sed hodie petit ſolummodo, ut peccatoribus ignoſcatur, utque venia, indulgentia, & gratia illis concedatur.

Pro peccatoribus gratiam petiturus Pater Seraphicus, ad varia ſe ſiſtit tribunalia: nunc enim Patris æterni in cælo regnantis, nunc Chriſti in Eccleſia Portiunculæ apparentis, nunc ſummi Pontificis in Eccleſia præſidentis tribunal adit: & ubique ut peccatoribus dimittatur, poſtulat: ubique clamat: *Pater, dimitte illis.* Audiamus & contemplemur Patrem Seraphicum, gratiam & indulgentiam pro peccatoribus ſummo affectu petentem, &c. *Ave*.

TRes ſunt omnium hominum Patres: quorum unus eſt Pater in ordine creationis, alius eſt Pater in ordine redemptionis, & alius eſt Pater in ordine ſanctificationis: *Pater in ordine creationis*, eſt Pater æternus, cui ſpecialiter creationis mundi opus attribui ſolet: *Pater in ordine Redemptionis*, eſt Chriſtus, cujus pretioſo ſanguine redempti & liberati ſumus: *Pater in ordine ſanctificationis*, eſt non ſolum Spiritus Sanctus, cujus gratia ſanctificamur, ſed etiam ſummus Pontifex, cui poteſtatem ſolvendi peccata, & peccatores ſanctificandi Chriſtus contulit, dicens: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Hi ſunt tres Patres, ad quorum tribunalia ſe ſiſtit Seraphicus Franciſcus, ut peccatoribus ignoſci petat. In cubiculo enim ſuo orans, ſanctoque ſuccenſus zelo, Patrem æternum ſupplex rogat, ut peccatoribus dimittat; a cubiculo ad Eccleſiam Portiunculæ, Angelis ducentibus, ſe confert; ibique a Chriſto Domino poſtulat, ut peccatoribus gratiam & indulgentiam concedat; ac tandem indulgentia hac a Chriſto obtenta, ad ſummum Pontificem properat; eumque ſupplex rogat, ut indulgentiam ſibi a Chriſto conceſſam publicari curet.

Contemplemur Patrem Seraphicum pro peccatoribus orantem ante thronum Patris æterni, ante thronum Chriſti, & ante thronum ſummi Pontificis: *Ante thronum Patris æterni*, prius quam Indulgentiam obtineat: *Ante thronum Chriſti*, cui illam obtinet: *Ante thronum ſummi Pontificis*, poſtquam illam obtinuit. Videamus Franciſcum: 1. Ante thronum Patris æterni, a quo gratiam pro peccatoribus ſummo cum zelo petit: 2. Ante thronum Chriſti, a quo indulgentiam pro peccatoribus obtinet: 3. Ante thronum ſummi Pontificis, a quo obtentam indulgentiam publicari impetrat. Hæc ſunt tria tribunalia, & tres throni, in quibus Franciſcum audiemus clamantem: *Pater, dimitte illis.*

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PARS.

Sanctus Franciſcus a Deo gratiam pro peccatoribus ſummo cum zelo petit.

AD Dei gloriam maxime conferunt, qui ſancto ſuccenſi zelo, animarum ſaluti vacant; ut enim ait S. Gregorius: *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus ſalutis animarum. S. Greg. hom. 12. in Ezech.* Quare Seraphicus Franciſcus, advertens, quantum gloriæ Deo conferre poſſet, ſi animarum ſaluti ſedulo invigilaret, ardentiſſimo ſalutis animarum zelo fuit concitatus; ac earum ſaluti procurandæ totus incubuit: *Fervidum habebat zelum ad ſalutem omnium ſalvandorum, & non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foveret, quas ille redemit. S. Bonav. in vita Sancti Franc.*

Ardentiſſimo hoc ſalutis animarum zelo ſuccenſus Pater Seraphicus, tribus vicibus itineri ſe commiſit, ut ad ſemotas infidelium oras properaret; ſed bis divina diſpoſitione prohibitus, tertiâ tandem vice poſtquam opprobria, verbera, vincula, & alia multa perpeſſus eſt, ad Soldani Babyloniæ conſpectum perductus, tanto cum ſpiritus fervore evangelizavit Jeſum, ut illum admiratus ſit Soldanus, ac nutu divino manſuetus, & in illum benignus factus ſit. Ejuſdem zeli ardentiſſimas alibi, immo & ubique flammas efflavit Pater Seraphicus; ſive enim oraret, ſive homines alloqueretur, ſive concionaretur, ſive aliud quidpiam operaretur; hæc omnia fiebant *in igne zeli ejus. Sophon. 1.* At zeli ejus ignis potiſſimum exarſit immediate, antequam hodiernam obtineret Indulgentiam; tunc enim privatim in cubiculo orans, ac ab æterno Patre veniam pro peccatoribus poſtulans, omnia oſſa ejus dicebant: *Quis ſimilis tui in diis, Domine?* Sed tunc etiam omnia oſſa illius, omnes artus, & omnia quæ in ipſo erant, dicebant & clamabant ad Dominum, ut peccatoribus ignoſceret, eiſque veniam largiri dignaretur: *Pater, dimitte illis.*

Hominis, vero zelo ſuccenſi, varios affectus perfecte deſcribit S. Auguſtinus, dicens, quod talis homo *peccatores cupit corrigere: ſi emendare non poteſt, tolerat, gemit. Aug. tract. 10. in Joann.* Vir ſancto ſalutis animarum zelo ardens: *Primo*, ut ait Auguſtinus, *peccatores cupit corrigere*, ardenter enim cupit, ut peccatores omnes a viis ſuis peſſimis avertantur, & ad Deum convertantur, & ideo illos corripit. *Secundo*, ſi eos emendare non poteſt, *tolerat*, & ægre patitur, quod in ſtatu peccati perſeverent. *Tertio*, gemit, & amaras fundit lacrymas, ut Deum adverſus peccatores iratum placare valeat; utque gratiam & miſericordiam, qua indigni ſunt, iis obtineat. Ecce characterem hominis ſancto ſalutis animarum zelo accenſi; ſed ecce etiam characterem S. Franciſci, qui magno peccatores corripiendi, & ad Deum convertendi deſiderio flagrans, ſumma cura & indefeſſo labore, per ſe, & per fratres ſuos ſaluti illorum invigilabat: cum autem ad meliorem vitæ frugem eos adducere nequibat, intus angebatur, gravique cruciabatur dolore; & tandem multis precibus multiſque lacrymis Deum ad veniam & gratiam iis concedendam flectere conabatur. Quod in primis fecit immediate, antequam famoſam & mirabilem Portiunculæ Indulgentiam impetraret: tunc enim ferventius pro peccatoribus oravit; tunc pro illorum ſalute amarius flevit, tuncque incredibili affectu clamavit ad Dominum, ut peccatoribus dimitteret; utque veniam & gratiam illis concedere dignaretur.

Zelus, eſt ſacer quidam ignis, qui intus latere, & in ſinu abſcondi nequit: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in corde ſuo? Prov. 6.* quare cum Seraphici Franciſci cor ſancto ſuccenderetur zelo, ignis zeli ejus, ſæpiſſime foras erupit. Jam in mediis ſylvis foras erumpebat ille ignis; cum ibi audiebatur clamans: *Amor non amatur*; Jam hunc ignem foras mittebat, cum ferventiſſimis prædicationibus, quas ad populum habebat, innumeros ad Religionis ſtatum, & ad Dei cultum alliciebat. Jam zeli illius flammas efflabat, cum vicos & plateas circumiens, miranda quam præferebat modeſtia, & ignitis quos proferebat ſermonibus, plurimos ad pœnitentiam excitabat. Sed hodie in primis foras erupit Franciſci zelus: cum in cubiculo, lacrymis & orationibus multis a Deo petiit, ut peccatoribus ignoſceret: *Pater, dimitte illis.* Hic enim Franciſci zelus tunc ita foras erupit, ut ab ejus corde exiens, ad cælos uſque aſcenderit, Deumque moverit ad ei delegandos Angelos, qui eum ad Eccleſiam Portiunculæ ducerent, ut ibi zelo & votis ejus ſatisfieret.

Qui ſancto ſuccenſi ſunt zelo, dolore conficiuntur ob peccata quæ homines in Deum perpetrant: non poſſunt ſcire, Deum offendi, & in corde ſuo non ſauciari. Cum enim infinitam Dei Majeſtatem, ejuſque ineffabilem in homines agnoſcant bonitatem: & videant, Deum, cui omnis debetur honor & gloria, innumeris hominum criminibus dedecorari, tanto intus dolore cruciantur ut penitus deficiant. Sancto autem hoc zelo ardebat Franciſcus: noverat ille, quam magnus, quam ſuavis, quantoque honore dignus ſit Deus: quare videns, Deum, qui infinito honore dignus eſt, a peccatoribus offendi, intus angebatur, totuſque in ſemetipſo deficiens, ac penitus dolore confectus, ad Deum clamabat, ut peccatoribus ignoſceret. Angelos autem ad eum miſit Pater æternus, ut illum conſolarentur, & confortarent; quod fecere Angeli: dixeruntque illi, ut ad Portiunculæ Eccleſiam ſe conferret: ubi a Deo, quæ petebat, obtenturus erat.

Ecce quomodo Franciſcus ante thronum Patris æterni ſteterit, & ab eo gratiam & miſericordiam pro peccatoribus poſtulaverit. Videamus nunc eumdem Franciſcum ſtantem ante thronum alterius Patris, Chriſti ſcilicet: audiamus illum a Chriſto enixe petentem, ut indulgentiam plenariam & perpetuam peccatoribus largiri dignetur, ac ei ſummo cum ſpiritus fervore dicentem: *Pater, dimitte illis.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Franciſcus a Chriſto Indulgentiam pro peccatoribus obtinet.

CUm in cubiculo pro peccatoribus oraret, & amaras funderet lacrymas Seraphicus Franciſcus, ad eum venit conſolator Angelus, qui eum ex parte Dei monuit, ut ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum properaret: ubi Chriſtus, Maria, & innumeri Angeli eum expectabant. (Quo nuntio, incredibili affectus lætitia, confeſtim ſurrexit: & ſumma cum religione delubrum ingreſſus, cum primum ineffabilem illam filii Dei Majeſtatem, & gloriam aſpexit, ante conſpectum ejus procubuit, eumque quam maxima potuit animi ſubmiſſione, ac pietate adoravit. Quem Dominus benigniſſime appellans admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro ſalute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, ſupplex petiit, ut omnibus Eccleſiam illam introeuntibus concederet veniam, & indulgentiam omnium peccatorum, quorum confeſſionem Sacerdoti feciſſent: *Reſpondit Dominus, id ſibi placere.*) *Brev. Franc.*

Hyperbolice dixit nonnullus ex antiquis Poetis, quod cum crebri, & copioſi e cælo cadunt imbres, ipſum cælum deſcendere videatur: *Totumque putas deſcendere cælum.* Hodie vero, non per hyperbolem, ſed vere dici poteſt, quod totum cælum ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum deſcendere videatur; deſcendit enim Chriſtus, deſcendit Maria, deſcendunt Angeli multi. Et ideo Franciſcus, non ſecus ac S. Joannes Evangeliſta dicere potuit: *Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem novam, deſcendentem de cælo a Deo. Apoc. 21. 2.* Vidit enim Pater Seraphicus, cæleſtem Jeruſalem ad Portiunculæ Eccleſiam deſcendiſſe; ac ipſam Eccleſiam quaſi in Paradiſum eſſe transmutatam per Chriſti, Mariæ, & Angelorum præſentiam. Chriſtum in Eccleſia ſanctæ Mariæ Angelorum vidit Franciſcus; ac ab eo humiliter petiit, non ut uni duntaxat, aut alteri peccatori parceret; ſed ut plenariam concederet indulgentiam omnibus, qui facta prius peccatorum confeſſione, in hanc Eccleſiam certo quodam die ingrederentur. Utque hoc facilius impetrare poſſet, Mariam & Angelos hic ſtantes rogavit, ut apud Chriſtum intercederent. Quod cum ipſi feciſſent, Franciſco, quod petierat, Chriſtus libenter conceſſit.

Vult Deus, ut dona quæ fratribus noſtris facimus, ſint occulta: ita ut neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera: *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Matth. 6. 3.* Ipſe vero inſignia ſua dona non clam, ſed palam, & magnifica quadam cum liberalitate largiri ſolet. Videte, quomodo ſe geſſerit, cum legem Iſraelitis dedit; nonne tunc magnifica ejus fuit liberalitas? Magnifica quidem extitit, non ſolum ob tonans, & fulgurans cælum; ſed etiam multas ob cæremonias, quas tunc ſervari voluit. Attendite, quomodo ſe habuerit Chriſtus; in Nativitate ſua, cum ſeipſum hominibus manifeſtavit & tradidit: nonne tunc magnifica fuit ejus liberalitas? Fuit equidem: *tum*, a cæleſti Angelorum concentu, qui tunc in terris auditus eſt: *tum*, a Regibus Magis, qui illum adoraturi venerunt: *tum*, a prodigiis multis, quæ in Nativitate ejus facta ſunt. Mente revolvite Deum, in die Pentecoſtes hominibus dantem Spiritum Sanctum: nonne magnifica tunc ejus fuit liberalitas? Fuit ſane: quia tunc magnus factus eſt de cælo ſonus; tunc igneæ ſupra Apoſtolorum capita deſcendentes linguæ apparuerunt; & ipſi Apoſtoli mox ut Spiritu Sancto fuere repleti, variis linguis loqui cœperunt. Sed ſi in his & aliis multis caſibus magnifica fuit Dei liberalitas, magnifica ſpecialiter viſa eſt, cum Indulgentiam Portiunculæ Franciſco conceſſit: *Magnifica* utique fuit: quia tunc Chriſtus de cælo in Eccleſiam S. Mariæ Angelorum deſcendere & in ea ſe viſibiliter manifeſtare voluit: *Magnifica* fuit; quia hanc Indulgentiam per ſeipſum, præſente & intercedente B. Virgine Maria, ac adſtantibus Angelis, concedere dignatus eſt: *Magnifica* tandem fuit; quia plenariam conceſſit Indulgentiam omnibus, qui poſt legitime factam peccatorum confeſſionem, in Eccleſiam S. Mariæ Angelorum certo tempore ingrederentur. Quare dicendum quod tunc cor ſuum Chriſtus juxta Franciſci cor vere appoſuerit: *Aut quid apponis erga eum cor tuum? Job 7. 17.* Animarum enim ſalutem Franciſci cor ſummopere ſitiebat; & ideo hanc Indulgentiam a Chriſto poſtulavit: Chriſtus autem cor ſuum cordi Franciſci apponens, ei liberaliter & palam, quod deſiderabat, largitus eſt.

Cum Chriſtus in cruce penderet, lancea latus ejus apertum eſt, ex quo *continuo exivit ſanguis & aqua. Joann. 19. 34.* Ex eo non ſolum fluxit aqua apta ad lavandum, ſed etiam ſanguis, dans aquæ virtutem lavandi ſordes peccatorum: *Non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. 1. Joann. 5.* Dirum quidem fuit hujus lanceæ ferrum; ſed omnibus peccatoribus utiliſſima fuit operatio per hanc lanceam facta, cum ſacrum Chriſti latus aperuerit; ex quo ortus eſt ſanguis ille pretioſiſſimus, ad abluenda & purganda omnium hominum peccata aptiſſimus. Quid autem ſimile hodie operari videtur Seraphici Franciſci oratio: hæc etiam ad intima cordis Chriſti penetrat, ex quo plenariam Indulgentiam, magnamque gratiarum copiam ad abluendas peccatorum ſordes elicit.

Omnibus apertum eſt, ac Evangelico teſtimonio probatum, voluiſſe Chriſtum, ut manum ſuam Thomas intra latus ejus mitteret: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan. 27. 27.* Cur Thomæ non credentis, & contradicentis infidelem manum intra latus ſuum mitti voluit Chriſtus? Hoc quidem voluit; ut per talem contactum increduli hujus Apoſtoli ſanaretur infidelitas: ſed hoc etiam voluit, ut digitis Sancti Thomæ aperta Chriſti vulnera fidem Reſurrectionis ejus undique effunderent: *Ut effundant toto Orbe mea vulnera fidem. Petrus Chryſol.* O admirabilem digitorum Sancti Thomæ operationem! Sed o mirabilem etiam Sancti Franciſci orationem, quæ quid ſimile in Chriſti corde operatur! Ejus enim oratio cor Chriſti Salvatoris pie tangit & tundit, ac Chriſtum allicit ad fundendos gratiarum cæleſtium theſauros, ſeu, ad concedendam plenariam perpetuam Indulgentiam omnibus

nibus

Digitized by Google

nibus rite confeſſis, qui in Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum certo quodam die ingrederentur.

O miram Chriſti dignationem! Sed o potentiſſimam etiam Franciſci orationem! Ita ſegniter & imperfecte orant multi, ut oratio eorum meritoria & efficax non ſit: ſed in peccatum convertatur: *Fiat oratio eorum in peccatum*. *Pſalm.* 108. Franciſci vero oratio ita pura, fervens & perfecta extitit, ut non in peccatum fuerit: ſed plenariam indulgentiam ad delenda hominum peccata impetraverit. Miramini hanc Seraphici Franciſci orationem: ac ab eo diſcite ferventer orare, ab eo diſcite, ita orare, ut oratio in peccatum non convertatur, ſed ad delenda ſaltem peccata veſtra inſerviat.

Sanctus Franciſcus, non ſecus ac Regius Propheta, in gemitu cordis ſui orabat: *Rugiebam a gemitu cordis mei*. *Pſal.* 108. 7. Oravi: in gemitu cordis ſui Pater Seraphicus: oravit, & Indulgentiam ad delenda hominum peccata obtinuit. Orate ſimiliter in gemitu cordis veſtri; orate, gementes & flentes, orate dolentes, & contriti corde; ut veſtrorum indulgentiam & veniam peccatorum obtinere valeatis. Sed poſtquam Franciſcum vidimus ante thronum Chriſti, a quo Indulgentiam aſſecutus eſt, contemplemur eum ante thronum ſummi Pontificis, a quo Indulgentiam, quam a Chriſto obtinuerat, confirmari, & publicari impetravit. Ille eſt tertius Pater a quo S. Franciſcus petiit, ut peccatoribus ignoſceretur: *Pater dimitte illis*.

TERTIA PARS.

Sanctus Franciſcus obtentam a Chriſto Indulgentiam, a ſummo Pontifice confirmari, & publicari impetrat.

LEproſos quos mundabat, & ſanabat, ad Sacerdotes mittere ſolitus erat Chriſtus; iis enim dicebat, ut coram Sacerdotibus ſe ſiſterent; *oſtendite vos Sacerdotibus*. *Luc.* 17. Immo & quandoque illos quos mundaverat, non ad Sacerdotes inferiores, ſed ad Principem Sacerdotum mittebat: *Vade, & oſtende te Principi Sacerdotum*. *Marc.* 1. 44.

Leproſus quidem non erat ſanctus Franciſcus, ſed pro omnibus hominibus fœtida peccati lepra infectis, a Chriſto Salvatore medicamina ad eorum lepram curandam idonea; ſeu Indulgentiam plenariam poſtulavit. Quam quidem ei conceſſit Salvator; ſed voluit ut Sacerdotum Principi, ſeu ſummo Pontifici ſe oſtenderet, ac ab eo præfatam Indulgentiam confirmari, & publicari poſtulaſſet. Quare ad ſummi Pontificis thronum ſe contulit ſanctus Franciſcus; ad Honorium tertium, tunc totius Eccleſiæ moderatorem, protinus properavit, eique, Peruſiæ tunc degenti, rem totam humiliter & ſincere expoſuit; rogans, ut quod placebat Chriſto, cujus ipſe in terris perſonam & vices gerebat, id ipſi non diſpliceret.

Humilem audivit oratorem Pontifex; ſed ſicut Eliſæo dixit Elias, quod rem difficilem poſtulaſſet: *Rem difficilem poſtulaſti*. 4. *Reg.* 2. ita & Honorius Franciſco rem, quam petebat, difficilem, & magnam eſſe reſpondit: *Tum*: quia Indulgentiam petebat omnino liberam; hoc eſt, ſine oblationibus: *Tum*, quia eam abſolutam & perpetuam eſſe volebat. Cardinales etiam qui adſtabant, Franciſci petitioni adverſabantur, dicentes, quod ſi hæc Indulgentia concederetur, Indulgentiæ terræ ſanctæ, necnon ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli non magni haberentur, & a fidelibus negligerentur. Sed tandem Intelligens Pontifex, quæ circa hoc eſſet Dei voluntas: *Indulgentiam plenariam, liberam, & perpetuam* beato Franciſco conceſſit; eamque ut talem publicari, & promulgari voluit.

Magnum Jubilæum, magnamque Indulgentiam Chriſtus, cruci affixus, hominibus conceſſit. Magna fuit hæc Indulgentia: quia ad omnes homines, ad omnia peccata, & ad omnia tempora ſe extendit: *Ad omnes quidem homines*: cum pro omnium ſalute mortuus ſit: *Ad omnia crimina*; cum ſanguis ejus ad omnium ſcelerum, quantumvis gravium, ablutionem datus ſit: *Ad omnia tempora*; cum mortis & paſſionum ejus virtus uſque ad mundi finem ſit hominibus profutura. Magnæ autem huic Indulgentiæ aliam aliquomodo ſimilem a ſummo Pontifice petiit Franciſcus: ab eo enim ex parte Chriſti Indulgentiam petiit, quam lucrari poſſent omnes penitus homines, qui certa & indicta quadam die Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorum ingrederentur; pœnamque peccatis eorum, quantumvis gravibus, debitam remitti poſtulavit: nec hanc gratiam pro aliquo ſolum tempore, ſed in perpetuum petiit: ac inſuper petiit Pater Seraphicus, ut hæc Indulgentia eſſet omnino libera; ita ut eam lucrarentur fideles abſque ulla eleemoſynarum oblatione. Voluntati autem divinæ piiſque Franciſci votis annuens Pontifex, Indulgentiam conceſſit plenariam, liberam, & perpetuam; ſcripſitque Epiſcopis Aſſiſiatenſi, Peruſino, Spoletano, & aliis nonnullis, ut die prima Auguſti omnes ad Portiunculæ convenirent Eccleſiam, quam ritu conſecrationis dedicarent; & ſolemniter Indulgentiam hanc plenariam, & perpetuam, publicarent lucrandam quolibet anno, a Veſperis primæ diei menſis Auguſti uſque ad Veſperas ſecundæ diei, ab his qui contriti, & confeſſi, ſacram hanc ædem viſitando intrarent.

O mirabilem, & pereximiam Indulgentiam! Quæ ſucceſſu temporis ab aliis Pontificibus, cæteris Seraphici Ordinis Eccleſiis communicata eſt. Nam Sixtus quartus eam omnibus domibus Fratrum tam primi, quam tertii Ordinis communicavit: quam conceſſionem Leo decimus, aliique nonnulli ſummi Pontifices confirmarunt: & noviſſime Gregorius XV. propria Bulla, hanc indulgentiam perpetuam conceſſit omnibus Chriſti fidelibus, qui præviis debita Confeſſione, & ſacra Communione, Eccleſias quaſcumque Fratrum Minorum per univerſum Orbem præfata die viſitaverint.

Ecce quid a tribus Patribus enixè poſtulaverit Seraphicus Franciſcus: ecce quid ante Patris æterni, Chriſti, & ſummi Pontificis thronum petierit, & obtinuerit: ecce fructum zeli, orationum, & ſolicitudinis: ecce portentoſam indulgentiam, quam impetrare meruit; qua nulla divinior, cum a Chriſto Domino immediate data ſit; qua nulla efficacior, cum omnes pœnas peccatis debitas tollere valeat;

leat; qua nulla diuturnior, cum uſque ad mundi finem ſit valitura. Sed, heu! quam pauci tanti beneficii participes fieri curant! Quam pauci de hac in noſtris Eccleſiis Indulgentia lucranda ſunt ſoliciti! Multi quidem juſtificari, ſanſtificari, & ſalvari facile poſſent, ſi huic Indulgentiæ lucrandæ ſedulo incumberent: ſed, heu! ut verbis utar Chryſoſtomi: *Nosmetipſi cauſa noſtræ perditionis ſumus; quia non inſtanter ad Deum accedimus, non interpellamus aſſidue, non rogamus quemadmodum pro tanta dignum eſt cauſa rogare. Chryſoſt. hom. 24. in Matth.* Addamus & quod cauſa noſtræ perditionis ſumus; quia oblatas Indulgentias lucrari renuimus, & præcipue Indulgentiam ſanctæ Mariæ Angelorum; quam quo facilius homines lucrari queunt, eo ſegnius ad illam lucrandam ſe accingunt.

Heu! ſi ſcirent, & ſerio ponderarent peccatores, quanta Inferni & Purgatorii ſint ſupplicia, totis ſane conatibus hanc Indulgentiam quiſque lucrari contenderet, ut ea declinare valeret. Si unus aliquis ex damnatis, vel ex his qui in Purgatorio igne cremantur, Deo permittente, in hunc mundum veniret; palamque prædicaret, quam gravia & terribilia ſint alterius mundi tormenta; certe quotquot illum audirent, terrore quaterentur; nec eſſet aliquis, qui ad hæc ſupplicia vitanda, Indulgentiam quam prædicamus, ſummo ſtudio lucrari non ſatageret. Rogo autem vos, fratres, ut hoc nunc faciatis, quod ageretis, ſi Concionatorem hunc ex alio mundo venientem audiretis; a peccatis omnibus declinate; expurgate vetus fermentum per ſinceram peccatorum veſtrorum confeſſionem; & oblatam Indulgentiam ad tollendas peccatorum reliquias lucrari contendite: ut adveniente morte, nil in vobis purgandum ſuperſit; nilque vos impediat, vel retardet ab aſſequenda æterna beatitudine; quam unicuique veſtrum opto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Amen.*

DE

SANCTO DOMINICO.

CONCIO UNICA.

Poſitus ſum ego Prædicator. 1. Timoth. 2.

PRædicatoris munus altum eſt; & qui illud digne obeunt, merito dici debent ſal terræ, mundi lumina, nuntii veritatis æternæ, animarum ſalvatores, ſatores æternitatis, & quaſi matres fœcundæ, quæ ſanctitatis & lucis filios Chriſto pariunt: *Filioli mei, quos iterum parturio Galat. 4.*

Verum eſt, nonnullos Concionatores ſua imperitia, adulteratis ſuis concionibus, ſuaque vita minus recte ordinata, muneri, quo honorantur, injuriam facere; dignitatemque Prædicatoris, qua inſigniuntur, in ſeipſis vilem, abjectam, & contemptibilem efficere. Sed S. Dominicus Prædicatoris dignitati, ad quam a Deo vocatus eſt, novam adjecit gloriam, ſplendorem novum contulit, eamque virtutibus & meritis ſuis illuſtriorem fecit, cum fuerit exemplar, prototypus, & Patriarcha Prædicatorum: *poſitus ſum ego Prædicator.*

Scio, de Dominico dici poſſe, quod fuerit Patriarcha cum Abrahamo, Propheta cum Iſaia, ſolitudinis cultor cum Benedicto, Evangelicæ paupertatis ſectator cum Seraphico Franciſco, & eminentiorum virtutum exemplar cum nonnullis aliis viris ſanctiſſimis. Sed quia hic in univerſo orbe Eccleſiaſtico, ut inſignis Prædicator, necnon ut Prædicatorum anteſignanus, & Pater inſpicitur, eum nunc ſolummodo ut Prædicatorem perfectiſſimum proponam, &c. *Ave.*

SCientia, zelo, & vita exemplari florere debet Prædicator Evangelicus. In eo requiritur ſcientia, ut *potens ſit exhortari in doctrina ſana; & eos, qui contradicunt, arguere. Ad Titum 1.* In eo deſideratur zelus: quo accenſus, peccatores generoſe arguat, obſecret, & increpet: *Argue, obſecra, increpa. 2. Timoth. 4.* In eo tandem rutilare debet vita exemplaris: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum. Ad Titum 2.* Si Concionator ſcientia non luceat, eſt quaſi ſol ſine lumine, ſi zelo non ardeat, eſt quaſi ignis ſine calore, ſi bonis ſuis exemplis alios ad bona opera non excitet, eſt Doctor ſine unctione, & arbor ſine fructu.

Hæc ſane in Evangelico Prædicatore requiruntur. Sed heu! quam multi Concionatores ſunt ignari, & omni ſcientia vacui! quam multi frigidi ſunt, & omni zelo deſtituti, quam multi pluribus ſunt vitiis dediti, quibus pravis ſuis exemplis deſtruunt, quam verbis ſuis ædificare valeant; At Sanctus Dominicus Prædicator extitit perfectiſſimus, cujus ſcientia fuit maxima, zelus ſanctiſſimus, & vita ſupra modum exemplaris. Perpendamus Concionatoris illius ſcientiam, zelum, & ſancta exempla: 1. *Scientiam*, qua illuſtratus fuit: 2. *Zelum*, quo fuit accenſus: 3. *Bona exempla*, quæ edidit.

PRIMA PARS.

S. Dominici ſcientia.

PRædicatores, in Sacra Scriptura vocantur *Angeli*; non ſolum quia a Deo, tanquam Angeli, in hunc mundum miſſi ſunt, ut hominum ſaluti invigilent: ſed etiam quia, ſicut Angeli ſuperiores magna replentur ſcientia, qua alios ſibi inferiores irradiant: ita & Prædicatores multa repleri debent ſcientia, ut prædicationibus ſuis homines illuſtrare valeant. Sancto autem Dominico non defuit ſcientia, in perfecto concionatore deſiderata; cum habuerit ſcientiam: 1. Univerſalem: 2. Fœcundam: 3. In oratione comparatam.

1. Sicut, qui in arte picturæ peritiſſimi fieri cupiunt, omnium rerum notitiam acquirere pertentant, ut penicillo ſuo quaslibet res repræſentare & delineare valeant, ita & Prædicatores pulchritudinem virtutis, peccati deformitatem, gaudia Paradiſi, inferni ſupplicia, naturæ ſecreta, myſteria gratiæ, & omnia aliquatenus ſcire debent, ut de iis juxta auditorum quorumcumque captum palam loqui ſint parati. Unde ſapientiſſimus Salo-

mon

mon a Spiritu Sancto afflatus, Prædicatorem non unius duntaxat, aut alterius ſcientiæ ſtudio vacare peroptat; ſed vult, ut omnium antiquorum ſcientiam exquirat: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens. Eccli.* 39. Vult etiam ut Prophetarum libris volvendis, intelligendis, & explicandis ſedulo incumbat. *Et in Prophetis vacabit.* Vult inſuper, ut occulta proverbiorum, & parabolarum intelligere conetur. *Occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur.* Vult tandem, Prædicatorem apud alienigenas peregrinari, ut ibi multa addiſcat, ibique homines declinare a malo, & bonum facere doceat: *In terram alienigenarum gentium pertranſibit, bona enim & mala in hominibus tentabit.*

O quam latam, fuſam, & univerſalem eſſe Prædicatoris ſcientiam deſiderat Salomon! Sed o quam univerſalis etiam fuit ſcientia Sancti Dominici: qui non ſolum antiquorum Philoſophorum, & aliorum Sapientum ſcientias acquiſivit; verum proverbiorum, parabolarum, Prophetarum, & omnium Sacræ Scripturæ Librorum ſenſum & explicationem ſollicite exquiſivit. Immo & Galliam, Italiam, aliaſque nonnullas alienigenarum gentium nationes peragravit, & ubique ſcientiam boni faciendi, & mali vitandi, non ſolum plebejos, ſed & Univerſitatum, necnon Eccleſiæ Romanæ primates docuit. Habuit inſuper Sanctus ille Concionator ſcientiam ſui ipſius, ſcientiam crucis, ſcientiam cordium, ſcientiam futurorum, ſcientiam Sanctorum, & ſcientiam omnium. Unde, ſi dicat Tertullianus, hominem Chriſtianum omnia ſcire: *Nos ſimplices omnia ſcimus. Tertullianus adverſ. Valentin.* 3. potiori quidem jure de Sancto Dominico dicendum, quod omnia aliquo modo ſciverit. Sancti ergo Dominici ſcientia fuit univerſalis, ſed *fuit etiam fœcunda.*

2. Nonnulli Concionatores ſpecioſas, ſed vacuas; mirabiles, ſed inutiles ad populum habent conciones. Et licet ſint doctiſſimi, eorum ſcientia non eſt fœcunda, ſed ſterilis, quia per eam, ne unicam quidem Chriſto animam parere valent: *Sterilis, quæ non paris.* Hi non ſimiles ſunt Divo Paulo, omnium Concionatorum facile primo, cujus ſcientia ita fuit fœcunda, ut per eam innumeros Chriſto filios pepererit: *Per Evangelium ego vos genui. 1. Corinthios* 4. 15. Sed Sanctus Dominicus, Sancti Pauli Apoſtoli in prædicatione æmulus, ſcientiam ſimul cum illo, efficacem habuit & fœcundam, qua innumeros Chriſto filios ſpirituales genuit. *Filii dæmonis* erant Mauri, majorem Hiſpaniarum partem occupantes. *Filii dæmonis* erant Albigenſes, Arragoniam, Navarram, & aliquas Regni Galliæ Provincias ferro vaſtantes, & contagioſa doctrinæ ſuæ lue infeſtantes. *Filii dæmonis* erant innumeri omnis generis peccatores, qui tempore Sancti Dominici in hoc mundo vivebant; Sancti autem Dominici doctrina ita fœcunda fuit, ut concionibus ſuis innumeros ex his dæmonis filiis Chriſto pepererit. Et præcipue ex Albigenſibus, ex quibus centum millia ad Chriſti fidem adduxit. O quam fœcunda fuit hujus Sancti ſcientia!

Duplicem in Verbo æterno fœcunditatem agnoſcunt Theologi, internam unam, & externam alteram. *Interna*, ſimul cum Patre, producit Spiritum Sanctum. *Externa*, ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto, omnia creata ad extra producit. Bina autem Verbi æterni fœcunditas aliquo modo in Sancti Dominici ſcientia reperitur: fuit enim fœcunda, non ſolum *ad extra*, in quantum innumeros Mauros, Albigenſes, & alios hæreticos, qui extra Eccleſiæ ſinum vagabantur, ad veram fidem, & ad Chriſtum convertit; ſed fuit etiam fœcunda *ad intra*, in quantum innumeros Catholicos, qui intra Eccleſiæ ſinum erant, iterum parturivit, & Chriſto iterum genuit; cum illos ſcientia, prædicationibus, & præclaris virtutum exemplis ad ſtatum Religionis, & ad vitam perfectiorem vocavit.

Videte magnum, & famoſum hunc Fratrum Prædicatorum Ordinem: videte quot ibi ſint, & fuerint Epiſcopi, quot Archiepiſcopi, quot ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quot ſummi Pontifices. Numerate, ſi poſſitis, quot in eo fuerint Martyres, quot ſancti Confeſſores, quot illuſtriſſimi Doctores. Recenſete, ſi fieri poſſit, quot in illuſtri illo Ordine ſint, & fuerint eximii Concionatores; & ſcitote, quod hi omnes ſint filii ſpirituales, quos Dominicus ſcientia & virtutibus ſuis Chriſto peperit: O quam fœcunda fuit Sancti Dominici ſcientia! Sed ſcientia ejus *fuit etiam in oratione comparata.*

Concionatorum ſcientia e furſum a Patre luminum deſcendere debet. Sicut enim Angeli ſuperiores prius a Deo illuſtrantur, quam ipſi Angelos inferiores illuſtrent, & irradient: ita & Prædicatores a Deo in oratione irradiari, & erudiri debent prius, quam pulpita conſcendant, ut alios doceant & illuminent. Oportet ut Prædicator ea in concionibus doceat, & effundat, quæ in oratione a Deo didicit; & ut ait S. Auguſtinus, oportet ut *Prædicator orator ſit, antequam dictor; Auguſt. de Doctrina chriſtiana* 14. *cap.* 15. vel ut loquitur S. Bernardus, Concionator, inſtar conchæ ſe habere debet: *Si ſapis, concham te exhibebis, non canalem. Bernard. ſerm.* 18. *in Cantica.* Sicut enim concha non effundit aquam, quin prius repleatur; ita Concionatores Apoſtolici aqua ſapientiæ repleri debent in oratione, antequam illam effundant in prædicatione.

O quam pauci Concionatores his reguntur legibus! Quam pauci orationi ſedulo vacant prius, quam pulpita conſcendant! Quam pauci in oratione diſcunt, quod in prædicatione docent! At Sanctus Dominicus, qui ſtudio multo factus erat Vir doctiſſimus, in oratione ſemper doctior fiebat; ibique diſcebat, quod auditoribus prædicaturus erat. Orabat Sanctus Dominicus, & prædicabat; orabat fere ſemper, & prædicabat ſæpe; ſed hic erat ordo inter orationes & prædicationes ejus, quod prius oraret, quam prædicaret; illudque in oratione diſceret, quod in prædicatione effundebat. Unde rogatus ab aliquo, quo ex libro eliceret tam alta, tam ſublimia, & tam utilia, quæ in prædicationibus ſuis proferebat, reſpondit humiliter, quod illa *ex libro charitatis* hauriret: ſeu a Deo qui charitas eſt & qui eum in oratione illuſtrabat,

Digitized by Google

bat; & erudiebat. Ecce qualis & quanta fuerit S. Dominici ſcientia. Sed viſa pereximii hujus Prædicatoris ſcientia, *de ejus zelo aliquantulum diſſeramus.*

SECUNDA PARS.

Sancti Dominici zelus.

QUamtumvis doctus eſſet Sanctus Dominicus, parum profuiſſet ejus ſcientia, ſi ſimul cum ea ſalutis animarum zelum non habuiſſet. Sed pereximius ille Prædicator, ſcientia & zelo ſimul floruit, habuitque zelum ardentiſſimum, generoſiſſimum, & conſtantiſſimum. Habuit: 1. *Zelum ardentiſſimum*: quo animarum ſalutem ardenter deſiderávit: 2. *Zelum generoſiſſimum*; quo pro illarum ſalute, gravibus ſe periculis expoſuit: 3. *Zelum conſtantiſſimum*; quo ut illas ſalvaret, duriſſima multa paſſus eſt.

1. Zelus, ſi verus ſit, igneam ſortitur naturam; & ab ignita illa charitate procedit, quæ viri zeloſi cor accendit, illudque ad ardenter deſiderandam aliorum hominum ſalutem excitat: *Zelus*, inquit D. Auguſtinus, *in Pſalm.* 118. *eſt de amore veniens*, & ut ait S. Dionyſius, 4. *de div. nomin. zelus eſt amatoris quidam impetus*.

Zelo hoc fervido, & amatorio illo impetu ita concitabatur S. Dominicus, ut cum Regio Propheta quaſi tabeſceret, eo quod multi a ſalute deviarent: *Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei*. *Pſalm.* 118. 39. Ardentiſſimo hoc zelo ita ſuccendebatur, ut ſicut alter Paulus, pro fratrum ſuorum ſalute, anathema eſſe peroptaret: *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*, *Roman.* 9. Igneo hoc zelo ita urebatur, & ſufflammabatur, ut ab illo intus comederetur, & quaſi voraretur: *zelus domus tuæ comedit me*. *Joann.* 2.

Probe ſciebat S. Dominicus, quod *nihil tam dignum Deo, quam ſalus hominis*: *Tertull. lib.* 2. *adverſ. Marc.* 17. quare animarum ſalutem ardentiſſimo zelo deſiderabat. Fervido enim hoc ſuccenſus zelo, hæreticis, & infidelibus prædicavit, plurimas peragravit Provincias, ad barbaras nationes migrare pertentavit: & ut alios a Maurorum ſervitute liberaret, ubi in magno ſalutis periculo verſabantur, ipſe ſemetipſum ſervum tradidit. Hoc eodem zelo igneſcens Dominicus; ferventibus cælum crebro tundebat orationibus, ubertes jugiter fundebat lacrymas, flagellis pluries ſingulis diebus carnem ſuam cruciabat, continuis corpus ſuum affligebat jejuniis, plurimis illud vexabat laboribus, & alia multa pro animarum ſalute faciebat. Cor randem Sancti Dominici erat quaſi fornax zelo ſalutis animarum ſemper ſuccenſa, nilque magis optare videbatur vir ſanctus, quam ſalutem hominum, quos omnes in Chriſti viſceribus eſſe cupiebat: *Cupio omnes vos in viſceribus Chriſti*. Ecce Prædicatorem, cujus zelus fuit quidem ardentiſſimus: *Sed & zelus ejus fuit generoſiſſimus.*

Non ſine myſterio prægnans Sancti Dominici mater, in ſomno ſibi viſa eſt, in alvo ſua videre canem facem accenſam ore geſtantem. Sanctus enim Dominicus, quem tunc in ventre portabat, ratione zeli quo exarſit, fuit fax accenſa: & ratione officii Concionatoris, quo functus eſt, fuit quaſi canis myſticus, ad cuſtodiendum Chriſti ovile delegatus. Nec credendum: quod Dominicus fuerit canis mutus, latrare non valens, fuit enim canis audax, qui generoſo accenſus zelo, adverſus hæreticos, & omnis generis peccatores latravit. Sanctus Dominicus, ut ait Sanctus Vincentius Ferrerius, clamavit contra dominos temporales, qui populos tyrannice vexabant, eoſque ad reddendum cuique ſuum induxit; clamavit contra Prælatos, Religioſos, & Clericos ſæculares, eoſque ad ea, quæ ſtatus ſui ſunt, facienda perduxit; clamavit contra uſurarios, & cives crudeles, qui pauperibus non ſubveniebant, eoſque ad miſericordiam, & liberalitatem movit; clamavit contra mulieres luxurioſas, eaſque ad caſtitatem ſectandam compulit; ſed potiſſimum clamavit adverſus Albigenſes hæreticos, in quos, generoſo ſuccenſus zelo, inſurrexit, eorumque hereſim penitus extirpavit.

Notum omnes, quod tempore Sancti Dominici, Albigenſes hæretici, Toloſam, Carcaſſonam, Albiam, plureſque alias munitiſſimas civitates, tum in Gallia, tum in Regnis Navarræ & Arragoniæ occuparent; quodque formidandis ſuis exercitibus omnia ſibi obvia ferro, flammiſque vaſtarent. Sanctus autem Dominicus adverſus infenſiſſimos illos Eccleſiæ hoſtes ad cruciatam Catholicos inclinavit: ex quibus copioſus ordinatus eſt exercitus, in cujus fronte eſſe ſolebat vir ſanctus, Chriſti crucifixi imaginem manu gerens, Duceſque & milites catholicos hortans ad fortiter pro fide & Religione catholica decertandum, hæreticos vero, ex adverſa parte ſtantes, arguens & generoſe increpans. Nunc ad milites catholicos ſe convertens, unicuique eorum dicebat: *Confortare, & eſto robuſtus*. *Joſue* 1. Nunc vero ad Albigenſes ſuum dirigens ſermonem, eos dire & generoſe arguebat & increpabat. O quam generoſus fuit hic Sancti Dominici zelus! *Sed zelus ejus fuit etiam conſtantiſſimus.*

3. Omnis Apoſtolicus Concionator conſtanti ſuccendi debet zelo: *tum*, ad portandos prædicationis labores: *tum*, ad ſuſtinenda adverſa multa, quæ in prædicationis exercitio toleranda occurrunt: *qui locum prædicationis ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare*. *Gregor. homil.* 8. *in Evang.* Sanctus autem Dominicus conſtantiori adhuc egebat zelo, quam alii Prædicatores: quia Hæreticis, Mauris, aliiſque multis Eccleſiæ, & Evangelicæ veritatis hoſtibus prædicavit, a quibus irriſiones, opprobria, verbera, multaſque perſecutiones perpeſſus eſt. Tanta autem ſancti illius viri fuit conſtantia, ut pro Dei gloria & animarum ſalute, æquo & hilari animo, dira quæque pertulerit, immo & occaſiones pro Chriſto patiendi quæſierit. Et ideo raro Toloſam adibat, quia ibi honorabatur; ſæpe vero ad urbem Carcaſſonam ibat, quia ibi illudebatur, conſpuebatur, percutiebatur, & gravia patiebatur, Quæ omnia ita conſtanter perferebat, ut ſemper graviora & prolixiora ſupplicia pati ambiret. Unde fatenti Hæretico, quod ipſi inſidias ad necem paraſſet, conſtanter reſpondit vir ſanctus, *Pergratum mihi praſtitiſſes officium, ſi primo mihi*

mihi pedes abſcidiſſet, deinde brachia fregiſſet, poſtea oculos eruiſſet: & tandem, abſciſſo capite, mortem intuliſſet. Lib. 1. vita S. Dom. c. 8.

O magnam præclari hujus Prædicatoris conſtantiam! Qui conſtantiori etiam zelo accenſus fuiſſe videtur, cum in fronte exercitus Crucigerorum ſtabat. Ubi crucigeris prædicabat, ut pro Chriſto & Eccleſia ſtrenue decertarent: Albigenſes vero, ex adverſo ſtantes, acriter arguebat, & increpabat nullo modo timens inſidias quas illi ſtruebant, minas quas intentabant, gladios quos acuebant, & innumera jacula quæ vibrabant. Tunc vir ſanctus robur, fortitudinem, & ſpecialem conſtantiam percipiebat a Chriſto crucifixo, cujus imaginem circumferebat, & manu geſtabat, tantaque ejus erat conſtantia, ut ferociſſimorum, & infenſiſſimorum illorum hoſtium enſes, ſagittas, & crudelitatem nullo modo timeret. Chriſto, cujus imaginem palam gerebat, hæc Judithæ verba ſæpe dicebat: Domine, *da mihi in animo conſtantiam*. Quaſi diceret: Domine, Albigenſes nominis tui hoſtes ſunt, crudeles ſunt, mihi infenſiſſimi ſunt, nilque tam in votis habent, quam me cruciare, ditioribus quibuſque modis me torquere, & morte me ſæviſſima plecti, quare rogo ut des mihi conſtantiam ad hæc omnia perferenda. Tantamque ei dedit Chriſtus conſtantiam, ut nec Albigenſium furorem, nec exercitum eorum quocumque modo pertimeſceret, dicens cum Propheta: *ſi conſiſtant adverſus me caſtra, non timebit cor meum*. Ecce Concionatorem vero zelo ſuccenſum; ſed viſo hujus Prædicatoris zelo: *admiremur præclara virtutum, & morum ejus exempla*.

TERTIA PARS.

S. Dominici exempla.

Sanctus Dominicus exemplum fidelium, extitit *in verbo, in converſatione, in charitate, 1. Timot.* 4. maxima enim ſemper & ubique ſanctitatis & virtutis exempla dedit; 1. In verbis quæ protulit: 2. In converſatione quam cum hominibus habuit: 3. In charitate qua exarſit.

1. Prædicatores ſunt lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, ut luceant omnibus qui in domo Dei ſunt, debentque primo lucere verbis ſuis, ac ita verbis lucere debent, ut omnia verba quæ proferunt, ſint circumſpecta, ponderata, & ordinata: *Concionatores debent eſſe exemplum fidelium in verbo circumſpecto, ponderato, ordinato. D. Thom. in 1. Timoth. 4. lect. 3.* Verba eorum debent eſſe circumſpecta, ſeu tanta cum prudentia & circumſpectione prolata, ut nullum verbum ſcurrile, mendax, vel quocumque modo malum & peccaminoſum proferant. Verba eorum debent eſſe ponderata, ita ut nec unicum verbum dicant, quod in divinæ ſapientiæ lance non ſit alicujus ponderis, & momenti. Verba tandem eorum debent eſſe ordinata, talemque ordinem in verbis ſuis ſervare tenentur, ut nullum verbum proferant, quod ad Dei gloriam, vel proximi profectum non ſit ordinatum.

Ecce qualia a Prædicatoribus ſint exhibenda virtutis exempla *in verbo*; ſed ecce etiam qualia fidelibus, *in verbo*, virtutum exempla præbuerit S. Dominicus, omnia enim ejus verba mirum in modum fuere circumſpecta, ponderata, & ordinata: *Circumſpecta*, & prudentiæ ſale condita fuere omnia S. Dominici verba: tanta enim cum ſapientia & circumſpectione loquebatur, ut quotquot in informationibus pro ejus canonizatione factis, interrogati fuerunt, aſſeruerint, quod non ſolum a verbis malis abſtineret; verum & ab otioſis & indifferentibus ita ut nuſquam illum, nec unicum verbum otioſum proferentem audierint. *Ponderata* etiam, maximique ponderis & valoris fuere ejus verba, quia verbis ſuis, *tum* in prædicatione, *tum* in converſatione prolatis: *Raynerium* Albiæ Epiſcopum, ſectæ Albigenſium Principem: *Alphonſum*, hujus nominis octavum, utriuſque Caſtellæ Regem: *Alphonſum alium*, Galliciæ & Leonis Regem, ac etiam Magnates alios plurimos cum centum mille aliis Hæreticis, necnon innumeris aliis omnis generis peccatoribus ad Deum convertit. *Ordinata*, tandem fuere ejus verba, non enim vel unicum verbum proferebat, quod ad Dei gloriam non dirigeret, quam in omnibus verbis & operibus ſemper quærebat. Ecce quomodo S. Dominicus fuit exemplum fidelium *in verbo*, ſed eorum etiam fuit exemplum *in converſatione*.

2. Concionatores præ cæteris omnibus bonam converſationem habere debent, ita ut non ſolum luceant verbis, cum concionantur, ſed etiam luceant operibus, dum cum hominibus converſantur, ac ita luceant, ut qui eos vident, ſuſpiciant, ad bene faciendum moveantur, & ad Deum glorificandum inducantur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Matth.* 5. Heu! quid prodeſt, ſi Concionator pulchra dicat, & operibus contradicat? Quid proſunt ſancta ejus verba, ſi mala & ſcandaloſa ſint ejus opera? Certe inutilia & inefficacia ſunt Concionatoris verba, ſi unum dicat, & aliud faciat, & ſi ipſe non faciat, quod aliis faciendum prædicat. O quam multi ſunt hujuſmodi Concionatores, qui malignis ſuis operibus plus deſtruunt, quam verbis ſuis ædificare valeant. Sed Sanctus Dominicus, qui exemplum fuit hominum *in verbo*, fuit etiam exemplum eorum *in converſatione & opere*, nec aliquid faciendum prædicavit, quod ipſe perfectiori modo non fecerit. Cum prædicabat, ſuperbiam eſſe ablegandam & humilitatem ſectandam, identidem miranda humilitatis exempla exhibebat, omnibuſque notum erat, quod tanta ejus eſſet humilitas, ut ſibi oblatos Epiſcopatus recuſaret, ad quaſque dignitates evehi renueret, nec hominum minimo præferri optaret. Cum in concionibus ſuis avaros increpabat; quotquot eum audiebant, noverant, quod ipſe pecuniam, ſupellectilem, patrimonium, & cuncta quæ juris ſui fuerant, pauperibus erogaſſet, ut paupertatem evangelicam ſectaretur. Impudicis & luxurioſis mirabile reliquit caſtitatis exemplum: ipſe enim moriens, Confeſſario ſuo declaravit, quod per ſingularem Dei gratiam, ipſi datum erat, caſtitatem talem ſervare, qualem habet puerulus, in cunis vagiens. Quid dicam de mortificationibus, aliiſque ejus virtutibus? Sciunt omnes, quod vir ille ſanctiſſimus

ſimus

Digitized by Google

ſimus diro veſtiri ſolebat cilicio, catena ferrea ſupra nudam carnem cingebatur, a carnibus abſtinebat, vilibus aliis cibis parce veſcebatur, orationi ſedulo inſiſtebat, aliaque tot & tanta omnium virtutum dabat exempla, ut merito dici poſſit, quod non ſolum verbis, ſed etiam mirandis altiſſimarum virtutum exemplis univerſam Eccleſiam ſuſtentaverit: *In vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum. Eccl. 5.* Unde non mirum, ſi ſummus Pontifex Innocentius III. in ſomnis viderit S. Dominicum, Eccleſiam Lateranenſem humeris ſuſtinentem, ne rueret; ipſe enim non materialem hanc Eccleſiam, ſed totam Eccleſiam Romanam ſuſtinuit per miranda virtutum exempla, quæ præbuit in verbo, & converſatione: *ac etiam in charitate.*

3. Quid prodeſſet Concionatori ſi linguis Angelorum loqueretur, charitatem autem non haberet? Nonne hic eſſet *velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens? 1. Corinth. 13.* Sed quomodo Concionator ad Dei amorem alios accendere valet, ſi ipſe prius charitatis igne non ardeat? Nonne ut aliorum corda charitatis igne inflammet, debet ipſe prius charitatis igne ardere? Certe *de incendio ardor eſt; Tertullian. lib. de pall. 3.* & ut Concionator aliorum corda Dei amore ardere faciat, debet ipſe charitatis incendio ardere, charitatis flammas emittere, & ardentiora charitatis exempla exhibere.

Non deſunt ſancti Concionatores, qui hoc charitatis igne ardeant; ſed hoc igne potiſſimum exarſit S. Dominicus. Et ideo in ipſo Ordinis ſui ſcuto gentilitio appingitur ſtella, cum hac epigraphe: *Lucet & ardet.* Quia ſcilicet S. Dominicus, ratione doctrinæ ſuæ & miraculorum, quæ operatus eſt, toti terrarum orbi illuxit; & ratione ſuæ charitatis, totus ignitus fuit, amoriſque divini flammas emittere nunquam deſtitit.

Ardentem hanc charitatem & maximum hunc, quo in Deum ardebat amorem, manifeſtavit jugibus quas fundere ſolebat lacrymis. Si enim, ut ait D. Auguſtinus, *lacrymæ teſtes ſunt amoris*; maximum ſane in Deum amoris teſtimonium præbuit S. Dominicus: quia ſæpe & amariſſime ex amore flevit; *ejuſque gemitus tanti erant, ut in dormitorio vicini excitarentur, ac ipſi quoque flere cogerentur.*

Heu! quantum amabat, qui tales lacrymas fundebat. Sed ardentem, qua ſuccendebatur, charitatem magis adhuc teſtatus eſt S. Dominicus per ardorem & ſolicitudinem illam, qua omnium ſalutem ambiebat, quærebat, & procurare conabatur. Religioſis enim & ſæcularibus, fidelibus, & infidelibus, magnis & parvis, ac omnibus denique prodeſſe ſtuduit, utque omnibus prodeſſet, continue oravit, vigilavit, prædicavit, ac charitate ſemper accenſus, longa & difficilia ſuſcepit itinera, multa ſubiit pericula, plurimoſque, & graviſſimos labores portavit.

O magnam Sancti Dominici charitatem! o quam præclara ſunt charitatis exempla quæ præbet eximius ille Concionator! Sed ejus imprimis eluxit charitas in martyrii deſiderio, quo exarſit. Docuit Chriſtus Salvator, quod *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hac autem charitate ſummopere exarſit Sanctus Dominicus, & ideo in Maurorum regionem ſe contulit, ideo furentibus Albigenſibus ſe oppoſuit. Ideo utriſque prædicavit, & alias multas martyrium patiendi occaſiones ſollicite quæſivit.

Ecce prædicatorem perfectiſſimum, qui ſimul doctiſſimus, zelantiſſimus, & vita exemplari florentiſſimus fuit. O utinam omnes Concionatores ſimili illuſtrarentur ſcientia, pari arderent zelo, & eadem omnium virtutum exempla ederent! ſed o utinam! ſicut innumeri auditores Sancti Dominici concionibus ad veram morum converſionem adducti fuere; ita qui nunc Concionatores audiunt, eum fructu verbum Dei reciperent, & ad veram converſionem perducerentur.

Verum eſt, quod Prædicatores debeant eſſe ſcientia præditi, zelo accenſi, & vita exemplari ſplendidi; ſed qualeſcumque ſint Concionatores, debent ſemper auditores ex eorum concionibus ſpiritualem aliquem fructum elicere. Non jubet Deus, ut qui verbum Dei audiunt, ſcrutentur, qualis ſit ſcientia, qualis ſit zelus, & qualis vita Concionatorum, ſed vult ut eorum verbis obtemperent; idque faciant, quod Concionatores ex parte Dei faciendum prædicant. *Quæcumque dixerint vobis ſervate & facite. Matth. 23.* Magnam ergo cum reverentia quoſcumque Concionatores audite, illos inſpicite veluti magiſtros a Deo miſſos, ut ſalutis viam vos doceant: eorum verbis fideliter obtemperate, ſimulque cum verbo prædicationis infundet vobis Deus gratiam ſanctificationis, qua adjuti æternam felicitatem in cælo obtinebitis. *Amen.*

DE
SANCTO LAURENTIO.
CONCIO UNICA.

Igne me examinaſti. Pſalm. 16.

Beatus Laurentius, cujus hodie ſolemnia colimus, amavit Deum; imitatus eſt Chriſtum; Sanctorum veſtigia ſecutus eſt; mirabilique qua florebat charitate, æſtimatus eſt Pater pauperum, egenorum defenſor, ſervorum Chriſti ſervus, & bonorum omnium ſectator præcipuus. *Laurentius Juſtin. in ſolemnitate S. Laurentii.*

Ætate cum eſſet junior, ſenſus canos gerebat in corde: non enim carnis ſecutus eſt petulantiam, non terrenarum facultatum opulentiam appetiit, nec Sacerdotalis dignitatis gradum ambivit. Quin potius corpus jejuniis attrivit, vigiliis edomuit, laboribus afflixit, nullamque ſibi requiem indulſit: ſed tanquam athleta fortiſſimus in pœnitentiæ quotidianæ ſe ſtadio exercuit.

Major factus, magno cum ſtudio Martyrum circuibat cryptas, optans iis aſſociari; tantoque martyrii flagrabat deſiderio, ut cum Romanæ Sedis ad ſupplicium traheretur Antiſtes, ipſe grandi ad eum vociferatione clamaret: *Quo progrederis ſine filio Pater? Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono tuo properas?*

Digitized by Google

vat? Ipſe autem paucis ab hinc diebus voti & deſiderii ſui compos effectus eſt. Nam ex crudelis tyranni Decii ordinatione fuit a militibus comprehenſus, carceri mancipatus, diſtentus equuleo, fuſtibus cæſus, laniatus verberibus, craticulæ ſuperpoſitus, & aſſatus incendio; *Igne me examinaſti*.

Sanctiſſimum hunc Levitam nunc non contemplabimur concionantem, cæcos illuminantem, pauperibus bona diſtribuentem, ſed ferreæ craticulæ decumbentem: ubi atrociſſimis flammarum pœnis excruciatur, &c. *Ave*.

CUm Moyſes ſoceri ſui gregem ad interiora deſerti duxiſſet, vidit a longe rubum, qui ardebat, & non abſumebatur: *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Exod. 3.* Princeps ille populi Iſraelitici, admiratione & curioſitate motus, ad rubum illum ire ſtatuit, ut melius videret illum, utque portentum illud contemplaretur; *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. Ibid.*

Magnum quid erat haud dubie, videre rubum inconſumptibilem: ſemper ardentem, & nunquam deficientem; ſed longe majus & mirabilius ſpectaculum nobis hodie videndum & contemplandum ſancta proponit Eccleſia. Non enim rubum ſpinoſum & ſilveſtrem, flammis expoſitum, iiſque reſiſtentem, ſed hominem cæleſtem, craticulæ ſuperpoſitum, & crepitantium vim flammarum glorioſe ſuſtinentem, a nobis conſiderari, & honorari deſiderat. Non rubus in deſerto ardens; ſed Laurentius in Urbe Roma craticulæ appoſitus, eſt viſio magna, quam jam viſuri & contemplaturi ſumus. Venite ergo, & videte mecum viſionem iſtam magnam: attente conſideremus Sanctum Levitam Laurentium, flammis ardentibus expoſitum, & de iis triumphantem. Contemplemur eum craticulæ ſuperpoſitum; & dicamus, quod craticula fuerit ei Cathedra, lectus, & thronus. Craticula fuit ei: 1. *Cathedra* Doctoris & Prædicatoris: 2. *Lectus* quietis, & dulcedinis: 3. *Thronus* gloriæ & honoris.

PRIMA PARS.

Craticula fuit Sancto Laurentio Cathedra Doctoris, & Prædicatoris.

AD erudiendum Dei populum nulla eſt utilior forma, quam Martyrum eloquentia; validiora enim ſunt exempla, quam verba, & efficacius eſt opere docere, quam voce. In hoc autem dicendi modo maxime floruit beatus Martyr Laurentius; ipſe etenim in craticula, quaſi in Doctoris, & Concionatoris Cathedra conſtitutus, exemplo ſuo homines mirabiliter docuit: 1. Patientiam: 2. Conſtantiam: 3. Dei amorem.

1. Antequam craticulæ ſuperponeretur Laurentius, varia, & mira patientiæ protulit exempla. Poſtquam enim Eccleſiæ theſauros Decio clare recuſavit, avaro illo ſæviente tyranno, ſanctus hic Levita tetro fuit carceri mancipatus, in quo multis diebus ſine cibo, & potu remanſit. Inde tamen extractus fuit, ut ad diis ſacrificandum compelleretur; ſed cum unicum Deum cæli & terræ Creatorem, ſe colere, palam profeſſus ſemper fuiſſet, ſcorpionibus cæſus, diris exceptus flagellis, & pectinibus ferreis excarnificatus fuit. Inſuper ardentes laminæ lateribus ejus admotæ ſunt; deinde ad cataſtas fuit damnatus, ubi funiculis ligatum ejus corpus, ita diſtentum eſt, ut oſſa a nervis, & nervi a carne ſepararentur.

In his omnibus ſupplicits mira quidem Laurentius patientiæ protulit exempla; ſed in craticula, cui tandem ſuperpoſitus eſt mirabiliora certe præclaræ hujus virtutis documenta toti orbi Chriſtiano præbuit. Hæc enim craticula fuit gymnaſium patientiæ, vel quaſi Cathedra Doctoris & Concionatoris, in qua invictus ille Martyr, exemplo ſuo, altiorem & eminentiorem patientiam docuit.

Quod, quæſo, majus hujus virtutis exemplum noſtris unquam ſeſe oculis obtulit? quis unquam homo patientior ſanctiſſimo illo Levita, qui dum in craticula ſæviſſime ureretur, non ſolum nullum impatientiæ verbum protulit; ſed etiam ignium vim & flammarum ardorem animo æquiſſimo, & ſumme tranquillo paſſus eſt? *Flamma uſtus, ſed patientia tranquillus. Auguſt. ſerm. 23. de deverſ.* Sicut aurum percuſſum, non reddit ſonum, inquit S. Bonaventura: ita & Sanctus Laurentius, dum in craticula igne combureretur, & bidentibus ferreis, vel aliis crudelitatis inſtrumentis attereretur, nullum impatientiæ ſignum dedit, ſed præ nimia qua pollebat patientia, corde tranquillo & quiete dolores tanquam favores, & veluti eximia beneficia percepit.

O portentoſum altioris patientiæ exemplum! Sed patientia ejus major adhuc fuiſſe videtur in hoc, quod in craticula poſitus, quo graviora erant ſupplicia quæ patiebatur, eo ferventius Deum orabat & benedicebat. Sicut tres pueri, in fornace ambulantes, Deum laudabant, & orabant, ita Laurentius, craticulæ decumbens, Deum continue laudabat, & deprecabatur: *Illi ſtantes in pœnis, elevatis manibus orabant Dominum: hic autem proſtratus in ſua pœna, toto corpore Deum deprecatur. Ambroſius homil. 2. de S. Laurent.* Torquentur ejus oculi, & ipſe Deum benedicit: torquentur brachia, & ipſe Deum benedicit; torquentur latera, & ipſe Deum benedicit, & *toto corpore Deum deprecatur*.

Ecce hominem vere patientem: ecce verum Prædicatorem, qui exemplo ſuo efficaciter nos docet patientiam in adverſis. Sed ſi craticula fuit Laurentio Cathedra Doctoris, in qua docuit homines patientiam, fuit etiam Cathedra Doctoris, *in qua docuit eos conſtantiam*.

2. Viri conſtantis eſt, non trepidare, nec aliquod timere ſupplicium. Rugiant leones, ſæviant tyranni, inſurgant dæmones, gravia quævis inferantur ſupplicia, impavidus ſemper ſtabit vir conſtans. Hujuſmodi autem extitit inclyti Martyris Laurentii conſtantia; qui palam proteſtatus eſt, quod nulla tormenta, quantumvis dira & immania, pertimeſceret. *Non timeo tormenta tua*. O Martyr invictiſſime, nonne times ſcorpiones, flagella & cataſtas? *Non timeo*. Nonne times cratem ferream, & ignem ſuppoſitum, a quo lente torquendus es? *Non timeo*. Nonne times innumera alia ſupplicia, quæ crudeliſſimus carnifex, tibique inſenſiſſimus tyrannus

nus excogitare poteſt? *Non timeo*. Tantaque denique eſt ejus conſtantia, ut nulla ſibi parata, vel quæ parari poſſunt, ſupplicia pertimeſcat. O magnam Laureotii conſtantiam! *o Martyris conſtantia, omni honore colenda! quæ tanto vigore emicuit tantaque virtute profecit, ut immaniſſimis nequaquam ſuppliciis cederet, nec atrocibus flecteretur pœnis, ſed clamaret, non timeo tormenta tua. Laur. Juſtin. ſerm. de S. Laur.*

Conſtantia in hoc convenit cum patientia, quod inclinet ad æquanimiter perferenda quævis adverſa. Sed conſtantia addit patientiæ quandam animi firmitatem, qua vir conſtans, impavidus & immobilis permaneat ſuppliciis, quantumvis atrocibus] & quantumvis diuturnis. Unde conſtantia videtur eſſe patientia quædam, non ſimpliciter, ſed patientia firma, immobilis & perſeverans. Et hæc conſtantia, ſeu patientia firma, immobilis & perſeverans, maxima extitit in S. Laurentio, craticulæ ſuperpoſito, quia ibi ſæviſſimam, & diuturnam lenti ignis pœnam ita conſtanter pertulit, ut immobilis ſemper remanens, jam unum, & mox aliud latus, quaſi quadam cum complacentia comburere aſpiceret. *Ipſe lætiſſimo vultu reſpexit ad Imperatorem, dicens: Ecce miſer, aſſaſti unam partem, gyra aliam, & manduca, quia jam video, quod diu deſideravi!* *Vincent. Ferrer. ſerm. de S. Laur.* O virum vere conſtaotem! O mirabilem Laurentii conſtantiam! O mirandum chriſtianæ conſtantiæ Doctorem, qui non lingua ſolum, ſed & omnibus membris conſtantiam prædicat. Sed ſi craticula Laurentio fuit cathedra Doctoris, in qua hominibus prædicavit conſtantiam: fuit etiam cathedra Doctoris, *in qua eis Dei amorem prædicavit.*

3. Duplici comburebatur igne Laurentius, *uno*, ſcilicet, elementari & externo, a quo ejus torquebantur latera, *altero*, cæleſti, & divino, quo cor ejus accendebatur. Unde præclare adootavit S. Ambroſius, quod in perſona Laurentii hæc verba Regius Vates protulerit. *Ure renes meos, & cor meum.* Non enim Laurentii ſolum renes uſſit ignis elementaris, ſed inſuper cor ejus combuſſit ſacra amoris divini flamma, & ut loquitur S. Maximus: *In Laurentii pectore inſuperabilis ſancti Spiritus flamma fervebat.*

Aliquas cæleſtis hujus ignis ſcintillas emiſerat Laurentius, cum Sixtum Pontificem, ad ſupplicium euntem, ſic allocutus eſt. *Quo progrederis ſine filio Pater? Quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras; quid ergo in me diſplicuit paternitati tuæ? Max. homil. 1. de S. Laur.* Ignitas etiam ſacri hujus amoris flammas e corde emiſerat: cum carceres, flagella, ſcorpiones, & cataſtas perpeſſus eſt; quia in his omnibus ſuppliciis ignita verba continue proferebat. Sed ſacro illo igne magis ſuccenſum fuit cor ſancti hujus Levitæ; cum craticulæ ſuperpoſitus, igne externo corpus ejus cruciabatur. Tunc enim *in corde ejus inſuperabilis ſancti Spiritus flamma fervebat.* Tunc tantus fuit ignis amoris divini, quo invictiſſimi illius athletæ cor ardebat, ut ardore ſuo externum ignem ſuperaverit; *Segnior fuit ignis, qui foris juſſit, quam qui intus accendit. S. Leo ſerm. de S. Laur.* Tantus taodem tunc fuit ignis, quo interius ardebat S. Laurentius, ut ignis externus, videretur eſſe frigidus, reſpectu ignis divini, quo cor ſancti illius Martyris accendebatur; *In comparatione fervoris quo pectus ejus ardebat, exterior perſecutorum flamma frigeat. Auguſtinus ſerm. 36. de diverſ.*

O ferventiſſimum Laurentii amorem! O mirandum ignem, quo accenditur cor ejus? Hodie a beato Laurentio diſcamus, Chriſtum amare crucifixum; ſeu pro Dei amore ſupplicia, & adverſa quævis portare. Sanctus ille Levita in craticula, tanquam in Cathedra Concionatoria poſitus, non ſolum patientiam & conſtantiam, ſed etiam Dei amorem nos docet. Studeamus ſub tanto Doctore, & ex mirabilibus ejus exemplis aliquod emolumentum eliciamus. At poſtquam Laurentium in craticula, tanquam in Cathedra Doctoris & Prædicatoris vidimus; dicamus, quod craticula fuerit ei etiam *lectus quietis & dulcedinis.*

SECUNDA PARS.

Craticula fuit S. Laurentio lectus quietis & dulcedinis.

DUri haud dubie Laurentio fuere cruciatus, quos pertulit: ipſique non parum acerbus fuit ignis, a quo caro ejus aſſabatur. Nihilominus audacter dicam, quod in mediis tormentis, ſuperna dulcedine ſuperfuſus, ei craticula fuerit lectus mollis & ſuavis: 1. Propter Chriſti præſentiam, qua recreabatur: 2. Propter Paradiſi gloriam, quam contemplabatur: 3. Propter inferni pœnam, a qua præſervabatur.

1. Diriſſima quidem & acerbiſſima patiebatur glorioſus athleta Chriſti Laurentius, dum craticulæ ſuperpoſitus ureretur, ſed ut Regii vatis utar verbis, Dominus opem tulit illi ſuper lectum doloris, ejuſque ſtratum ita verſavit, excuſſit, ventilavit, & emolliit. Vel potius Laurentium, in craticula jacentem, gratia ſua ita fovit, ſua præſentia, ſuoque auxilio ita recreavit, & conſolatus eſt, ut craticula ei lectus ſuavis extiterit; in quo ita quiete jacebat, ut diceret circumſtantibus, ab una in aliam partem me verſate, & de carne mea, ſi velitis, comedite. *Beatiſſimus Martyr oſtendens, quam quiete jaceret in illo ignito ferro, ait circumſtantibus; jam me verſate, & ſi una pars cocta eſt, manducate. Chryſol. ſerm. 135.* Laurentio præſens aſtitit Chriſtus per auxilium gratiæ ſuæ quo illum roboravit, & per conſolationem internam, qua illum fovit, ſuaque præſentia ita illum illuminavit, recreavit, & conſolatus eſt, ut craticula ei fuerit lectus quietis & dulcedinis; *Ille craticulam ſupplicii, lectum quietis putabat. Chryſol. ibid.*

Laurentius ſimul & ſemel patiebatur, & conſolabatur, torquebatur igne externo, & fovebatur conſolatione ioterna: cruciabat eum tyrannus, & tormenta ejus leniebat Chriſtus; dira ei erat craticula; ſed per Chriſtum ipſi mollis & ſuavis fiebat. Quia Chriſtus qui potentior eſt ad conſolandum quam tyrannus ad torquendum, unxit eum oleo lætitiæ & conſolationis; ſuaque præſentia, & aſſiſtentia ita illum recreavit, & conſolatus eſt, ut craticula fuerit ei lectus quietis, & dulcedinis. Sed craticu-

Digitized by Google

ticula fuit ei etiam lectus quietis & dulcedinis *propter gloriam Paradiſi, quam contemplabatur.*

2. Nihil eſt, quod tormenta ita alleviet ut contemplatio æternæ illius felicitatis, qua præmiantur in cælo, qui in terra pro Chriſto paſſi ſunt, & ideo cum Martyres, cæleſti lumine ſuperfuſi, contemplantur ſempiternam illam beatitudinem pro qua decertant, in mediis ſuppliciis quaſi nihil patiuntur. Quod teſtatur expertus Chriſti Martyr S. Flavianus, dicens: *Nulla caro patitur, dum animus in cælo eſt, & nequaquam corpus hoc ſentit, cum ſe Deo tota mente devovit. Apud Sur. 24. Febr.* Sed hoc clarius patet in invictiſſimo Chriſti Martyre S. Laurentio: cui ita ſuavis fuit craticula, ut magna alacritate tyranno illuderet, taliſque hilaritas & dulcedo a gloria æterna, quam contemplabatur, procedebat, & ideo in craticula exiſtens, clamabat. *Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Dum corpus ejus ſuper ardentes decumbebat carbones, animus illius intra Paradiſi januas ingreſſus eſt, ibi æternam illam contemplatus eſt beatitudinem, pro qua decertabat, ibi arcana vidit, quæ non licet homini loqui, ibique tot & tantis mens illius ſuperfuſa fuit deliciis, ut ſibi corpus ſuum in lecto molli potius, quam ſuper ſtratum ferreum decumbere videretur.

De Machabæis Martyribus aſſerit Theophylus Alexandrinus, quod tormenta quæ patiebantur, non ſentirent: quia dum eorum torquerentur corpora, ſpiritus in cælo erat: *In Paradiſum animæ deambulantes, non ſentiebant quod patiebantur.* Similem in modum Laurentius, ſupra craticulam poſitus, urebatur, & torquebatur; in atroci tamen illo ſupplicio, quaſi inſenſibilis videbatur: quia ut ait S. Ambroſius, dum ſanctus ille Levita torqueretur in terris, animus ejus verſabatur in cælis: *Jacet licet ante pedes tyranni exuſta caro, corpus exanime; nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in cælis. Ambr. hom. 1. de S. Laur.* Homo equidem nobis ſimilis erat Laurentius: ejus caro ænea non erat; vere & crudeliter ab igne cruciabatur, ſed cum in mediis ignibus ſuſpiciebat Regnum Cælorum, pro quo aſſequendo pugnabat; & coronam gloriæ quam ſperabat, nihil ducebat omnia tormenta, nihilque pati videbatur. Immo, in mediis tormentis lætabatur, deliciabatur, & exultabat, quaſi in molli, & florido lectulo fuiſſet. Craticula ergo fuit Laurentio lectus quietis, & dulcedinis propter gloriam Paradiſi quam contemplabatur: *Ac etiam propter inferni pœnam a qua præſervabatur. S. Maxim. hom. 1. de S. Laur.*

3. Cum Martyres acerbiſſimum, & æternum inferni ignem contemplabantur, omnia hujus mundi ſupplicia eis ſuavia videbantur. Unde S. Ambroſius explicans illa Regii Prophetæ verba: *Principes perſecuti ſunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum, Pſ. 118.* ait, quod Martyres non timeant terrenos Principes, quorum ſupplicia cito tranſeunt; ſed quod maxime formident a verbis Dei, homines ad æterna ſupplicia damnantis; *Pone*, inquit, *Martyrem circumſpectantem omnia plena ſuppliciis; dicit Martyr: Principes quidem me perſecuti ſunt, ſed non timeo eorum minas & verba; a tuis, o Chriſte Judex, verbis formido, ne mihi aliquando dicas: diſcede a me, maledicte, in ignem æternum. Ambr. in Pſ. 118.* Tormentis autem illis æternis attendebat Laurentius, dum in craticula combureretur: ignem illum perpetuum, illud ſine fine incendium, illamque pœnæ recrudeſcentis ærumnam mente revolvebat. Quare pœnas pœnis, lectumque ſuum æterno damnatorum comparans cubili, lectum ſuum ita ſuavem ſentiebat, ut mente hilari exultaret, & ſubjicientibus prunas inſultaret: *Subjicientibus prunas inſultat Levita Chriſti.*

S. Laurentium, in craticula patientem, beatiſſimum prædicat S. Maximus, dicens: *Quid hoc beatius viro? Maxim. hom. 3. de B. Laur.* Quæ, quæſo, hæc eſt beatitudo, qua gaudet ſanctus ille Levita? In quo beatus eſſe poteſt, qui igne crematur, qui a tortoribus ſupra craticulam varie verſatur, & qui atrociora patitur tormenta? Fuit beatus; quia momentaneo hujus mundi igne, flammam gehennæ perpetuo exurentis evaſit; fuit beatus: quia *arſit ne arderet, & ut non ureretur exuſtus eſt, Ibid.* fuit beatus: quia per levia quæ perferebat tormenta, ab æternis inferni ſuppliciis præſervabatur. Tantaque hæc ejus erat felicitas, ut præ nimio quo afficiebatur gaudio, in craticula, veluti in lectulo dulcedinis quieſcerat; ac in eo, ſicut alter Job, ſolatio repleretur: *Conſolabitur me lectulus meus. Job 7.*

O utinam cæli gloriam, & inferni ſupplicia ſerio ponderarent quotquot in hoc mundo vivunt homines! o utinam illa ſæpe mente volverent! Sed o utinam capere valerent immenſum gloriæ pondus quo premuntur, & ineffabilia tormenta a quibus præſervantur, qui pro Chriſto in hoc mundo gravia patiuntur! Certe ſi conciperemus ſupernæ civitatis quanta ſint gaudia, & quanta inferni ſint ſupplicia; etiamſi in craticula lento igne combureremur, craticulam, ſicut Laurentius, tamquam lectulum floridum arbitraremur. Sed ſi craticula Laurentio fuit lectus quietis & dulcedinis; *fuit ei etiam thronus gloriæ & honoris.*

TERTIA PARS.

Craticula fuit Sancto Laurentio thronus gloriæ & honoris.

Laurentium, quem multi reverebantur, dedecorare, & quaſi annihilare ſtatuerat Decius Imperator; ſed mirabili Dei providentia factum eſt, ut invictus ille Martyr in craticula non dedecus & ignominiam; ſed famam, gloriam & honorem inveneri:. Craticula enim fuit ei thronus gloriæ & honoris: quia in craticula exiſtens, magnam ſibi gloriam conciliavit: 1. In Urbe Roma: 2. In toto terrarum orbe: 3. In cælo.

1. Antequam in craticula ureretur Sanctus Laurentius, magno in honore habebatur in Urbe Roma propter Leviticum miniſterium quo digne fungebatur, propter bona Eccleſiæ quæ fideliter pauperibus diſtribuebat, & propter crebra miracula quæ operabatur; ſed in craticula patiens, majorem ſibi in Urbe Roma gloriam comparavit, quia in cra-

ticula, velut in throno Majeſtatis rutilans, *triumphavit* de Imperatore tyranno, cujus ſuppliciis flecti nequivit, *triumphavit* de tortoribus, quibus inſultavit; *triumphavit* de ſuppliciis, quæ parvipendit; *triumphavit* de igne elementari, quem interno amoris ſui igne vicit. Et ideo Romani demirantes eximios Laurentii, in craticula exiſtentis, triumphos, majori eum honore proſecuti ſunt, ipſumque, & craticulam, quæ triumphorum ejus inſtrumentum fuit, in æternum venerabuntur: *In honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicii. S. Leo ſer. de S. Laur.*

Die fere integra Laurentium ſupra craticulam remanſiſſe cenſent nonnulli auctores; huncque diem S. Auguſtinus, *ſer. 37. de diverſ. triumphalem diem* appellat: quia hac die in craticula, velut in throno exiſtens, glorioſiſſimos retulit triumphos; quibus Urbem Romam plurimum decoravit; & ad majorem ſibi honorem impendendum induxit. Laurentius in craticula, triumphis ſuis Romam, totumque Romanum Imperium decoravit & illuſtravit, unde a Ruperto Abbate vocatur *decus Romani Imperii*: & ut aſſerit S. Leo ſummus Pontifex: ſicut Stephanus Jeroſolymam, ita Laurentius Romam decoravit & glorificavit: *Tam illuſtris Roma Laurentio, quam clarificata eſt Jeroſolyma Stephano.* Sed ſicut Laurentius triumphis ſuis Romam decoravit, & illuſtravit, ita triumphis quos in craticula retulit, Urbem Romam ad ſibi majorem honorem impendendum induxit: ab hoc enim momento, quo in craticula triumphavit Laurentius, eum Urbs Roma ſummo in honore habuit, eumque uſque ad mundi finem venerabitur. Sed ſi craticula fuit Laurentio thronus gloriæ & honoris: quia in craticula patiens, & moriens, maximum in Urbe Roma ſibi honorem comparavit; craticula fuit ei etiam thronus gloriæ & honoris: *quia in craticula patiens & moriens, maximam ſibi in toto terrarum orbe gloriam conciliavit.*

2. Laurentius in craticula tanta fide, tanta patientia, tanta charitate, totque aliis eminentiſſimis effulſit virtutibus, ut mundum illuminaverit univerſum: *Tanta ejus Martyris gloria extitit, ut paſſione ſua mundum plane illuminaverit univerſum. S. Auguſt. ſerm. 30. de Sanctis.* Si Sol in unico cæli loco ſtaret, non totum mundum, ſed unicum ſolum illuminaret Hemiſphærium: ſed Laurentius in craticula tot virtutibus emicat, ut in ea veluti in throno immobilis permanens, non unicum Hemiſphærium, ſed univerſum terrarum orbem illuminaverit. Sicut autem Laurentius in craticula, totum terrarum orbem illuminat; ita & Laurentium in craticula, velut in throno gloriæ ſuæ exiſtentem totus terrarum orbis veneratur. Ubique narrantur ejus virtutes, ubique prædicantur ejus miracula, ubique cantantur ejus triumphi; & ut ait S. Maximus; *Triumphum B. Laurentii totus ubique mundus conſona devotione concelebrat. Sanctus Max. hom. 1. de S. Laur.*

Cum Chriſtianos perſecuti ſunt tyranni, eorum gloriæ militaverunt: dum illos deprimere & dedecorare contenderunt, eos glorificaverunt, eoſque glorioſos, omnique honore dignos effecerunt: non illos vicerunt, ſed provexerunt; *Provexiſtis Martyres, non viciſtis. S. Aug. ſer. 10. de S. Laur.* Sed Martyrem aliquem nullus unquam tyrannus magis evexit, quam Decius; cum enim Laurentium in craticula aſſari præcepit, ei thronum præparavit: quia nobilis illa craticula fuit thronus gloriæ ejus, in quo non ſolum a Romanis civibus, verum & ab omnibus ferre terræ habitabilis incolis honoratus eſt. Verum eſt, quod Roma, urbium Regina, Catholicæ caput Eccleſiæ nobilitata Petro, illuſtrata Paulo, innumeriſque rutilans Sanctorum agminibus, ſpeciali cultu Laurentium in craticula, triumphantem ſemper venerata ſit. Sed ſicut Laurentius in craticula, non ſolam Romam, ſed etiam univerſum mundum illuminavit: ita & univerſus terrarum orbis Laurentii craticulam, & Laurentium in craticula, velut in throno ſuo rutilantem & triumphantem demiratur & veneratur. Heu! quot, in hujus ſancti Martyris honorem, Eccleſiæ in toto terrarum orbe ædificatæ! Quot ſermones Panegyrici in ejus honorem fuere compoſiti? Quot ſolemnia celebrata! Quot Reges, quot Principes, quotque ſummi Pontifices, e thronis ſuis deſcendentes, ante ſancti hujus Martyris craticulam, ejuſque alias reliquias ſe proſtraverunt! Certe nunquam verbis explicare poſſemus, quantam ſanctus hic Levita, in craticula exiſtens, in univerſo terrarum orbe aſſecutus ſit gloriam. Sed ſi craticula fuit thronus gloriæ ejus, quia in craticula exiſtens, magnam in toto terrarum orbe ſibi gloriam conciliavit; fuit etiam thronus gloriæ ejus: quia in craticula exiſtens, *magnam ſibi in cælo gloriam comparavit.*

3. Martyres de tyrannis victores evadunt, cum pro Chriſti gloria mortem obeunt: tunc vincunt, cum occiduntur: *Vincimus cum occidimur. Tertull. ſcorp. 1.* Diſceptatio & pugna quædam eſt Martyrem inter & tyrannum; Tyrannus a Martyre exigit, ut vivat, negetque Chriſtum; Martyr vero ait: moriar, ne Chriſtum negem. Quare cum pro Chriſti gloria moriuntur Martyres, ſua morte tyrannos vincunt, & de iis glorioſe triumphant: quia tunc tyranni confuſi ſunt, eo quod obtinere non potuerint quod obtinere intendebant. Si autem de tyrannis Martyres victores ſint, eis magna debetur in cælis gloria, quam victoribus promiſit, qui non mentitur Deus: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo. Apoc. 3.* Quantam ergo gloriam in cælo ſibi comparavit S. Laurentius! Quam glorioſam & pretioſam coronam in Paradiſo obtinere meruit invictus ille Martyr, in craticula exiſtens! *Quam glorioſa, & quanta multitudine, quantaque florum varietate diſtincta Laurentii Martyris fulget corona! Aug. ſer. 2. de S. Laur.* Certe cum ſanctus ille Levita in craticula exiſtens præ cæteris omnibus Martyribus fortius & generoſius dimicaſſe, ac glorioſiorem de tyranno victoriam retuliſſe videatur: ita & majori gloria eum in cælo fuiſſe donatum, nobiliorique corona eum præmiatum fuiſſe credendum eſt. Fuit ergo craticula Laurentio, non ſolum Cathedra Prædicatoris, & lectus quietus; ſed etiam thronus gloriæ & honoris.

Contemplemur jam ſanctiſſimum hunc Martyrem in hac Cathedra, in hoc lecto & in hoc throno: ac ex ejus exemplis aliquod ad profectum noſtrum ſpiritualem emolumentum elicere conemur.

Cra-

Digitized by Google

Craticula ei fuit Cathedra Prædicatoris. Audiamus eum in hac Cathedra concionantem, ac patientiam, conſtantiam, Deique amorem nos docentem. Audiamus eum & quod inſpirat facientes, patienter, conſtanter, & propter Deum tribulationes quaſque perferamus.

Craticula fuit et etiam lectus quietis propter Chriſtum, cujus præſentia recreabatur propter Paradiſi gloriam, quam contemplabatur, & propter inferni pœnam à qua præſervabatur. Heu! ſi in hoc mundo tribulationes patimur, imploremus auxilium Chriſti, qui noſtros poteſt leuire dolores, cæleſtem contemplemur gloriam, quam obtinebimus, ſi pro Chriſti amore patiamur: tormentorum inferni meditemur gravitatem, quam levibus & momentaneis tribulationibus, pro Chriſto paſſis, vitare valemus. Hæc ſi ſerio perpendamus, adverſa quævis nobis ſuavia fient.

Craticula tandem fuit Laurentio thronus gloriæ: quia in craticula patiens, magnam ſibi in Urbe Romaâ, in toto terrarum orbe, & in cælo gloriam conciliavit. Dira quæque cum Laurentio generoſe patiamur: & ſi non in hoc mundo, ſaltem in cælo magnum obtinebimus gloriæ pondus: pro momentanea enim tribulatione, quam pro Dei amore patienter in hoc mundo ſuſtinemus, dabit nobis Deus in cælo æternum gloriæ pondus. *Amen*.

DE SANCTA CLARA.

CONCIO PRIMA.

Quæ eſt iſta? Cant. 8. 5.

UT perfecte dignoſci poſſit, quæ & qualis fuerit illuſtris illa virgo, cujus hodie feſtum celebramus, audiendus eſſet Seraphicus Pater S. Franciſcus, qui apprime novit, quo duceretur ſpiritu, quibus decoraretur virtutibus, quibuſque meritis & perfectionibus hæc Chriſti Sponſa polleret.

Si jam, Deo ſic volente, in hoc pulpito appareret, & de ſanctiſſima virgine Clara ſermonem inſtitueret vir ille Seraphicus, diceret haud dubie, eam fuiſſe virginem facie decoram, conditione nobilem, in omni pietate recte inſtitutam, & innumeris virtutibus ornatam. Diceret etiam, eam fuiſſe divinitatis ſolium, lucis æternæ filiam, necnon novum quoddam ſidus ſanctitate undique nora rutilans, & miraculis plurimis undique coruſcans. (Crediderim tandem, quod ſi Franciſcum de ſpirituali ſua filia Clara differentem audiremus, miranda ejus opera ita propalaret, & eminentem ejus perfectionem ita extolleret, ut omnes auditores in admirationem raperentur, & ad venerationem tam piæ, tam humilis, & tam puræ Chriſti Sponſæ mirum in modum adducerentur.

O utinam beatiſſimæ virginis Claræ orator nunc eſſet, qui olim in perfectionis via ſanctiſſimus illius Pater ſpiritualis extitit? Sed quia hanc a Deo gratiam expectare, vana eſſet præſumptio, ſacram illam Virginem pro modulo noſtro laudare pertentemus, & ex innumeris propemodum perfectionibus, quibus decorata fuit, aliquas attingamus, ſedulo inquirentes, quæ & qualis illa fuerit: *Quæ eſt iſta?* &c. *Ave*.

BEata Clara, cujus orationem Panegyricam ſuſcipimus, dum in hoc viſibili mundo verſaretur, fuit filia, pauper, & virgo. Natura eam fecit filiam: profeſſio, quam amplexata eſt, eam pauperem effecit: puritas eximia, qua polluit, eam virginum collegio adſcripſit. Qui audient, eam fuiſſe filiam, credent forte quod infirma fuerit & debilis: qui ſcient, eam fuiſſe pauperem, judicabunt haud dubie, quod omni bonorum genere ſpoliata fuerit: qui eam fuiſſe virginem addiſcent, cenſebunt forſitan, quod penitus ſterilis fuerit omnique progenie caruerit. At toto cælo errarent, qui talia de S. Clara efformarent judicia.

Verum quidem eſt eam fuiſſe filiam, pauperem, & Virginem, ſed *ſi fuit filia*, mirabili etiam generoſitatem floruit; *ſi fuit pauper*, ineſtabilibus identidem divitiis abundavit: *ſi fuit virgo*, virginitas ejus nobili & ſancta fœcunditate fuit illuſtrata. Quare ad B. Claræ gloriam dicamus, quod fuerit filia, pauper, & virgo. Fuit: 1. *Filia* & generoſiſſima: 2. *Pauper*, & ditiſſima: 3. *Virgo*, & fœcundiſſima. Ecce quæ fuerit S. Clara: *Quæ eſt iſta?*

PRIMA PARS.

Sancta Clara fuit filia generoſiſſima.

FIlia generoſa, rara eſt avis in terris. Unde vix talem aliquam inveniri poſſe cenſebat Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?* Illa tamen Virgo, quæ nobis hodie colenda proponitur, vere eſt filia generoſiſſima contra parentes, contra infideles & contra Deum: 1. *Contra parentes*, qui vocationi ejus adverſantur: 2. *Contra infideles*, qui Monaſterium ejus invadere conantur: 3. *Contra Deum*, qui virtutem ejus variis adverſitatibus probat.

1. Clara, dum eſſet juvenis, in domo patris ſui ſedebat ſolitaria; ibi delicatum corpuſculum diro affligebat cilicio, ibi ad pauperes libenter manus extendebat; ibique jejuniis, orationibus, aliiſque pœnitentiæ, & pietatis operibus indeſinenter vacabat. At, major facta, afflante ſancto Spiritu, in altum ducere, & altiora virtutis & perfectionis fundamenta jacere cogitavit. Cumque Seraphico Patri, quem in vitæ ſpiritualis ducem ſibi elegerat, ſacrum hoc cordis ſui deſiderium ſincere apparuiſſet, de ejus conſilio, ipſa die Palmarum, domo, civitate & conſanguineis derelictis, ad conventum S. Mariæ de Portiuncula, cum honeſta ſocietate properavit. Ubi abraſis crinibus, objectis pretioſis veſtibus, depoſitiſque variis capitis ſui ornamentis, vili ſe ſacco induit, rudi ſe cinxit fune, velo contemptibili caput operuit; & mundo totaliter valedicens, ſe totam Chriſti Domini obſequio conſecravit.

Tam novi, tamque ardui & generoſi facinoris rumor ad Claræ conſanguineos volavit, qui cum nil ſimile unquam vidiſſent, hoc ad totius familiæ opprobrium verti crediderunt; quare hoc ſanctæ virginis propoſitum damnarunt, & blanditiis, promiſ-

ſis,

ſis, minis, aliiſque variis modis, eam a propoſito deterrere, & ad paternam domum reducere conati ſunt, ſed fruſtra. Quia Clara fuit filia generoſiſſima, *quæ parentibus fortiter reſtitit & conſtanter. Alexander IV. in Bulla Canoniz.* Sciebat Virgo ſacra, dixiſſe Chriſtum; *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14.* Quare tanta ejus fuit generoſitas, ut Deo ipſam ad ſolitudinem & ad Religionem vocanti humiliter obtemperaverit, parentibus vero ipſam blanditiis, promiſſis & minis ad ſæcularia redire impellentibus, fortiter & conſtanter reſtiterit. O magnam Claræ generoſitatem! At hæc filia non ſolum eſt generoſiſſima adverſus parentes, qui vocationi ejus adverſantur: *Sed etiam adverſus infideles, qui Monaſterium ejus invadere conantur.*

2. Gravis, tempore S. Claræ, adverſus Eccleſiam excitata eſt tempeſtas ſub Friderico II. Imperatore, qui Saracenis, aliiſque infidelibus, velut malitiæ, tyrannidiſque ſuæ miniſtris utebatur. Terribilis tunc imperiali juſſu, in Italiam venit horum infidelium exercitus, qui varias urbes ſibi obvias diruit, vaſtavit, & ſolo æquavit, ejuſdemque ſortis haud dubie fuiſſet urbs Aſſiſias, ſi B. Clara iis generoſiſſime non obſtitiſſet. Sed feliciter accidit, ut cum infenſiſſimi hi Reipublicæ chriſtianæ hoſtes ad urbem Aſſiſium invadendam properarent, occurrerit eis, non longe ab urbe, Monaſterium S. Claræ, intra cujus clauſtrum, omne nefas patrare intendentes, magno cum impetu irruerunt. Virginum autem, ibi recluſarum, tunc frigidus tremor occupavit artus: tunc formidine tremuerunt omnes, una excepta Virgine Clara, quæ impavido corde, ſe infirmitate detentam, ad clauſtri januam, præcedente eam capſa qua ſacratiſſimum Chriſti corpus ſervabatur, duci jubet: ibique, ſolo Chriſti Domini auxilio freta, hoſtes illos peſſimos aggreditur, ſolaque ſua præſentia, & paucis verbis cæleſti impetu prolatis, impudentes illos canes e clauſtro ejicit, tartareumque hunc exercitum totaliter deturbat, & procul ab Aſſiſio pellit.

Mihi videre videor ſanctam virginem Claram ad clauſtri januam, in conſpectu effrænatorum illorum militum ſtantem, & ſacram paropſidem dextera tenentem. Tunc non confuſa eſt, cum locuta eſt inimicis ſuis in porta, ſed ſancto afflata, & roborata Spiritu, eos generoſe affata eſt, dicens: venite, properate omnes, arma ſumite, vibrate tela, & adunatis viribus in me omnes irruite. Quantumvis enim formidabilis ſit veſter exercitus, nullatenus timebo, ſed ſemper ſperabo in Deo meo, quem præ manibus teneo: *Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Pſ. 26.* Inſurgant adverſum me caſtra veſtra, nullum mihi timorem incutient: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Ib.* Miramini generoſitatem S. Claræ, quæ ipſo tempore, quo a Saracenorum facie omnis fugit Italia, hæc iis ſeſe obviam offert: timent alii, & ipſa eos aggreditur: vincuntur alii, & ipſa, ſolo Chriſti fulta præſidio, eos vincit, & in fugam convertit. Unde de Clara dicendum, quod Saracenis non ſolum fuerit *terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*, ſed etiam plus quam variæ caſtrorum acies ordinatæ; nullo modo enim eis terribiles erant Italorum exercitus; ſed Clara iis exercitibus terribilior, eos e clauſtro ejecit, & in fugam convertit. Clara ergo eſt filia generoſa adverſus illos infideles, qui eam perſequuntur: *Sed eſt etiam filia generoſa contra Deum, qui virtutem ejus variis adverſitatibus probat.*

3. Amicos ſuos Deus morbis, aliiſque adverſitatibus probare ſolet. Sic olim fidelem probavit Abrahamum, cum præcepit ei, ut unicum ſibi immolaret filium: ſic patientiſſimum probavit Jobum, cum eum divitiis ſpoliavit, orbavit filiis, & graviſſimis morbis afflictavit: ſic tribulationibus multis chariſſimam Matrem Virginem Mariam, Apoſtolos, Martyres, alioſque Sanctos probare voluit. Et præcipue B. virginem Claram, quæ continuo morbo, vel potius variis morbis, ſibi invicem ſuccedentibus, toto viginti octo annorum tempore afflicta, & probata fuit. At illuſtris illa virgo, inter infirmitates quibus gravabatur, fortis & generoſa fuit contra Deum: quia illas ſuſtinuit, non ſolum ſine murmure, & querimonia; verum & magna cum complacentia, laudans, & benedicens Deum, a quo affligebatur.

Deum Sacra Scriptura proponit ſagittis armatum, quibus homines ferit, & quæ ab ejus manu ad homines tranſeunt: *Sagittæ tuæ tranſeunt. Pſ. 76.* Hæ Dei ſagittæ ad omnes penitus homines tranſeunt; quia Deus omnes homines percutit, affligit, & ſagittis tribulationum ita ferit, ut nonnunquam ab iis dejiciantur, & ſub Dei manu cadant: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* At S. Clara non cecidit ſub manu Dei, nec per ejus ſagittas dejecta fuit. Verum eſt, quod viginti octo annis integris Deus in illam diras ſagittas vibraverit: quia toto hoc tempore eam Deus variis infirmitatibus probavit. Sed illa fuit filia generoſiſſima contra Dominum: quia immiſſas a Deo ſagittas, & graves quoſque morbos conſtanter, & æquo animo ſuſtinuit. Sagittabat illam Deus variiſque morbis illam affligebat, ipſa vero magis & magis confortabatur, & percutientem Dei manum generoſe ſuſtinebat. Ecce filiam vere fortem & generoſam. *Sed Clara fuit etiam ſimul pauper & ditiſſima.*

SECUNDA PARS.

Sancta Clara fuit pauper & ditiſſima.

PAupertatem ſummopere dilexit B. Clara; piaque hæc pauperrimi Franciſci diſcipula, quæ a Deo vocata erat, ut pauperum dominarum eſſet mater & primiceria, altioris paupertatis exemplar & ſpeculum eſſe voluit: & ideo in victu, veſtitu, ædificiis, aliiſque omnibus miranda evangelicæ paupertatis exempla præbuit. At pauper illa ſanctimonialis, quæ terrena omnia abdicaverat, ditiſſima fuit: quia habuit omnia terræ bona, omnes virtutis divitias, & omnes cæli theſauros. Habuit: 1. *Omnia terræ bona* ſub pedibus: 2. *Omnes virtutis divitias* in anima: 3. *Omnes cæli theſauros* in poſſeſſione ſua.

Ex hominibus alii poſſidentur a divitiis, & alii di-

Digitized by Google

divitias poſſident. A divitiis poſſidentur avari: & ideo vocantur *viri divitiarum*; *Pſ. 73. 6.* ſeu, viri ſub divitiarum dominio viventes. Divitiarum ſunt domini hi, qui eas abdicant, relinquunt, & quaſi pedibus calcant. Sancta autem Virgo Clara omnium hujus mundi bonorum vere fuit domina: quia a bonis temporalibus non poſſeſſa fuit; ſed bona temporalia ipſa poſſedit: tuncque ea perfecte poſſedit, cum ea contempſit, reliquit, & pedibus calcavit. Unde ſicut de Jobo dicitur, quod *divitiarum non erat famulus, ſed dominus*: *Chryſ. hom. 22. in Matth.* ita & de Clara dicendum, quod bonorum temporalium non fuerit ancilla, ſed domina: quia temporalia omnia contempſit, & abdicavit, *ſolumque Jeſum Chriſtum in hoc mundo habere voluit.*

Iſraelitis dixit Deus, eos fore dominos, non bonorum quæ in corde, vel in arca haberent; ſed eorum quæ pedibus calcarent: *Omnis locus, quem calcaveris pes veſter, veſter erit. Deut. 11. 24.* In quæ verba ait Pater Seraphicus: *Calcare eſt contemnere; paupertas omnia calcat; ergo eſt omnium regina. S. Franc. tom. 1. Op.* O quam alta eſt hæc Chriſti Philoſophia! O quam pauci illam concipiunt! Totus enim mundus plenus eſt viris & ſervis divitiarum, qui earum ſubjiciuntur dominio, qui eas nimium diligunt, & nimio cum affectu inquirunt. At Beata Clara temporalium omnium bonorum fuit domina: quia ea maxime deſpexit, pedibus conculcavit, & totaliter reliquit, ſolumque Jeſum Chriſtum in hoc mundo habere voluit. Clara ergo fuit ditiſſima: quia terrena omnia habuit ſub pedibus: *ac etiam quia omnes virtutis divitias habuit in anima.*

2. Divitiæ hominum ſæculi ſunt aurum & argentum, illique ſoli divites æſtimantur, qui magnam horum metallorum copiam poſſident. Sed apud Deum veræ divitiæ ſunt virtutes; iique ſolum divites habentur, qui chriſtianis virtutibus fulgent: *Solum illum Deus divitem novit, qui non opum, ſed virtutum fructus recondat. Ambr. l. 2. epiſt. 4.* O homines! ſi divites eſſe cupitis, iſtas divitias amate: ne diligatis imaginarias illas divitias, quæ cum labore acquiruntur, cum timore conſervantur, & cum mœrore amittuntur: ſed veras virtutis divitias concupiſcite, & ad eas aſſequendas pro viribus contendite; inſtar S. Claræ, quæ virtutibus dives fuit, magnoſque virtutum theſauros poſſedit. Clara, inquit Alexander IV. *Ibid.* fuit humilitatis vaſculum, armarium caſtitatis, charitatis ardor, dulcor benignitatis, patientiæ robur, nexus pacis, mitis in verbo, lenis in facto, & in omnibus amabilis & accepta. Hiſpido panno, & aſpero cilicio utebatur, vigiliis & orationibus aſſidue vacabat; ita abſtinentiæ & jejuniis erat addicta, ut longo tempore tribus cujuslibet hebdomadæ diebus; videlicet, ſecunda, quarta, & ſexta feria nullum penitus cibum ſumeret: ac tandem, inquit Summus Pontifex: *Clara fuit fæcunda quædam parens virtutum.* O filiam vere virtutibus divitem!

Clara, ait Præfatus Pontifex; *fuit altum ſanctitatis candelabrum, vehementer in tabernaculo Dei rutilans. Ibid.* Sicut enim in Salomonis Templo aureum erat candelabrum, in quo variæ lampades accenſæ, magnumque fulgorem emittentes videbantur: ita Clara, quæ erat candelabrum aureum: ta-tione charitatis qua ardebat, innumeris virtutibus, tanquam tot luminibus fulſit in Templo Dei. *Hæc*, inquit idem Pontifex, *fuit pauperum primiceria, duciſſa humilium, magiſtra continentium, pænitentium Abbatiſſa, aliarumque virtutum magnam copiam habuit.* Clara ergo fuit ditiſſima, cum omnes virtutis divitias habuerit in anima ſua; ſed fuit etiam ditiſſima: *quia omnes cæli theſauros habuit in poſſeſſione ſua.*

3. Pretioſi, immenſi, & infiniti ſunt theſauri regni cæleſtis: nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quales & quanti ſint hi theſauri; eos laudare poſſumus, ambire poſſumus, acquirere poſſumus, ſed mente eos capere non poſſumus. Tales enim theſauri, qui tanti ſunt, ut eorum naturam & magnitudinem concipere non valeamus, paupertate voluntaria acquiruntur, & ad Evangelicos pauperes attinent: *Beati pauperes ſpiritu*, inquit Salvator, *quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum, Matth. 5. & Luc. 6.* Quo, quæſo, titulo ad pauperes attinet regnum cælorum? Titulo emptionis, quia ſcilicet, illud emerunt pauperes ſpiritu, cum ſua omnia temporalia pro Dei amore dederunt, & reliquerunt: *Pauperum eſt regnum Cælorum*, inquit Hugo Cardinalis, *titulo emptionis, ex pretio jam ſoluto.* Regni cælorum pretium ſtatuit Chriſtus, dicens; *Omnis qui reliquerit domum autem fratrem, ... propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Quare cum pauperes ſpiritu pro emptione regni cæleſtis juſtum & indictum pretium ſolverint: cum omnia ſua pro Dei amore reliquerint: eo ipſo quo ea reliquerunt, facti ſunt regni cælorum domini.

O homines duræ cervicis, & tardi corde! ut quid vilia, contemptibilia, & fallacia mundi bona non derelinquitis, ut eorum abdicatione regnum cælorum emere valeatis? Ut quid divitias veſtras in Eleemoſynas non erogatis, ut cæleſtes theſauros obtineatis? Vobis certe ſapientior fuit illuſtris virgo Clara, quæ ineffabiles & pretioſiſſimos cæli theſauros obtinuit: quia paternam domum, terrenam hæreditatem, & quidquid in hoc mundo habuit, pro Dei amore reliquit. Hoc pretio cæli theſauros emit, & regni cælorum domina facta eſt: ipſius enim, ſicut & aliorum, qui Evangelicam paupertatem ſectantur, eſt regnum cælorum jure & titulo voluntariæ paupertatis: *Ipſorum eſt enim regnum cælorum jure & merito paupertatis. S. Bern. epiſt. 208.* Ecce Claram, quæ, licet omnia ſua penitus abdicarit, nec quidquam proprium pro ſe, vel pro ſuo Monaſterio habere voluerit, apud Deum tamen ditiſſima fuit. Sed ſi S. Clara fuit ſimul pauper & ditiſſima; *fuit etiam Virgo ſimul & fæcundiſſima.*

TERTIA PARS.

Sancta Clara fuit Virgo, & fæcundiſſima.

NOvo & ſtupendo miraculo factum eſt, ut Maria ſimul Virgo puriſſima, & Mater fœcundiſſima

fuerit, *gaudia matris habens cum virginitatis honore. S. Bern. ſuper Miſſus*. Mirandum hoc privilegium ſoli quidem Dei genitrici Mariæ datum eſt: quid tamen ſimile video in B. Clara, quam virginem puriſſimam fuiſſe fatentur omnes. Sed hæc Virgo, fuit etiam fœcundiſſima: quia genuit filias, Angelos, & Virgines. Genuit: 1. *Filias* Religioni: 2. *Angelos* Deo: 3. *Virgines* Paradiſo.

1. Antequam mundo valediceret, & Chriſto ſe penitus conſecraret B. Clara, pauca in Eccleſia Dei erant filiarum Monaſteria: tunc enim de Religione, ſicut de Sara dici poterat, quod eſſet ſterilis, aut quod eſſet quaſi terra deſerta, invia, & inaquoſa, in qua pauciſſimæ inveniebantur filiæ. At eo ipſo, quo B. Clara intra Monaſterii ſui ſepta novum & ſanctum vitæ ſpiritualis inſtitutum ſuſcepit, tanta virtutis ejus undique diſperſa eſt fama, ut ex omnibus Italiæ partibus feſtinarent filiæ, quæ, ejus exemplo, virginitatem ſuam Chriſto vovebant, vitamque religioſam ſimul cum Virgine Clara profitebantur. Quare intra breve tempus tot hujuſmodi germina Chriſto & Religioni, exemplis, precibus & verbis ſuis Clara peperit, ut in ea impletum fuiſſe videatur propheticum illud oraculum; *Multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Iſ. 54.* Hæc etenim innumeras cujuſvis conditionis filias Religioni peperit, & ad ſuſcipiendam vitam monaſticam allexit.

Intra pauperis Monaſterii muros clauſa latebat virgo Clara, ſed vitæ & virtutum ejus ſplendor extra clauſtra prodiit, & longe, lateque diffuſus eſt. Quare cum vitæ ejus ſanctitas, & inſtituti novitas in omnes Eccleſiaſtici orbis partes ſubito reſperſa ſit; in odorem virtutum ejus undequaque innumeræ ad eam filiæ advolarunt. Currebant Duciſſæ, feſtinabant Marchioniſſæ, volabant omnis ætatis & conditionis virgines; quarum *aliæ* palatia ſua in Monaſteria mutabant; *aliæ* omnia ſua bona ad novas, tum in urbibus, tum in campeſtribus ædificandas inſtituti S. Claræ domos, libenter elargiebantur: *aliæ*, in maximo numero in ſacris illis domibus habitabant. Ex quo factum eſt, ut B. Clara fuerit virgo fœcunda, quæ innumeras Chriſto & Religioni filias peperit, & quæ uſque ad mundi finem parere non deſinet. Sed ſi Clara fuit Virgo fœcundiſſima, quæ innumeras Religioni filias genuit; *Fuit etiam Virgo fœcundiſſima, quæ Angelos Deo peperit.*

2. Si S. Ambroſio fidem adhibeamus, qui virgines ſunt, puritate ſua Angeli ſunt; totque ſunt Angeli in terris, quot ſunt virgines, quæ angelicam puritatem ſectantur. *In Virginibus ſacris vitam Angelorum videmus*, inquit Ambroſius, *De inſt. virg. c. 7.* Et, ut aſſerit Tertullianus, virgines ob vitæ candorem & puritatem, familiæ adſcribuntur Angelorum: *De familia Angelica deputantur. Tertull. l. De uxor. c. 4.* Apoſtoli, ut Apoſtoli; Martyres, ut Martyres; & Confeſſores, ut Confeſſores, non ſunt de Angelorum familia, hoc enim ad ſolas virgines attinet; hoc ſingulare earum eſt privilegium: quare cum ex hoc mundo exeunt, ab Angelis tamquam Angeli recipiuntur. Debent ergo inſpici virgines ſacræ, tamquam Angeli terreſtres, & qui verbis vel exemplis alios ad virginitatem ſervandam inducunt, ſunt quaſi genitores Angelorum; ſeu, virginum, quæ puritate ſua Angeli ſunt. Sicut enim per Evangelii prædicationem fideles Chriſto pariebat D. Paulus: *Per Evangelium ego vos genui*; ita & qui filias ad virginitatem Deo vovendam alliciunt, Angelos Deo pariunt: quia virgines, puritate ſua, terreſtres Angeli ſunt.

O ſanctam & nobilem progeniem! O mirabilem ſobolem! O quam felices, qui Deo dicere poſſunt, Domine! verbis & exemplis meis hanc & illam virginem, ſeu, hunc & illum terreſtrem Angelum tibi genui: Sed, o quam felicior B. Clara, quæ non unam dumtaxat, aut alteram, ſed innumeras virgines Deo peperit! O quam felicior hæc virgo fœcundiſſima, quæ tot Angelos Deo genuit, quot filias verbis & exemplis ſuis ad virginitatem ſervandam adduxit. Sed ſi clara fuit virgo fœcundiſſima, quia Angelos Deo peperit; fuit etiam virgo fœcundiſſima: *quia virgines multas Paradiſo genuit.*

3. Poſt diluvium dixit Deus ad Noe & filios ejus: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, Gen. 7.* Hæc verba: *replete terram*, non ſine myſterio dicta eſſe advertit D. Hieronymus; quia, inquit, ſicut matrimonium terram hominibus; ita virginitas Paradiſum animabus puris & ſanctis replet. *Nuptiæ terram replent, virginitas Paradiſum. Hieron. l. 1. adverſ. Jovin.* Unde qui alios ad virginitatem ſervandam alliciunt, ſunt quaſi piæ & fœcundæ matres, quæ virgines cælo pariunt, & cælum virginibus replent.

O ſanctiſſima Virgo Clara, auſim dicere, quod multum tibi debeat Paradiſus; quia innumeras illi virgines peperiſti, illumque ſacris virginibus repleſti. Antequam virginum collegia inſtitueres, paucæ in cælo erant virgines, paucæ ibi erant, quæ virginitatem ex voto ſervaſſent, ſed ex quo tot virginitatis ſacraria inſtituiſti, Paradiſum virginibus repleſti. Heu ſi Paradiſi intima mentibus noſtris luſtrare poſſemus, quot ibi ex illuſtriſſimo S. Claræ Ordine virgines adnotaremus! Ibi ſane Agnetem, ibi Coletam, ibi Eliſabetham, ibi Ludovicam, ibi Catharinam Bononienſem, & innumeras alias hujus inſtituti virgines videremus, ac diceremus. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. Sapient. 4.* O quam pulchræ & formoſæ virgines illæ, quas Clara mirabilibus ſuis exemplis, & ignitis ſuis ſermonibus Paradiſo peperit!

Videtis nunc, quæ fuerit ſanctiſſima virgo Clara: *Quæ eſt iſta?* fuit enim filia generoſiſſima, quæ de conſanguineis, de infidelibus, & de dæmone triumphavit, fuit etiam pauper ditiſſima, quæ habuit omnia terræ bona ſub pedibus, omnes virtutis divitias in anima, & omnes cæli theſauros in corde. Fuit tandem virgo fœcundiſſima, quæ genuit filias Religioni, Angelos Deo, virgines Paradiſo.

Ecce quæ fuerit ſancta virgo Clara. Sed jam inquirere vellem, qui ſint hi qui me audierunt explicantem, quæ fuerit beata hæc virgo? Dicite, quæſo, qui eſtis vos? Non quæro, an ſitis Religioſi, Clerici, Cauſidici, vel Mercatores, ſed quæro, qui eſtis vos in vita chriſtiana & ſpirituali? Quæro, an ſitis juſti, vel peccatores? Crediderim multos ibi adeſſe viros juſtos & pios, ſed heu! quot ſunt ibi peccatores! Quot Dei inimici! Quot reprobi! Heu! ſi omnium ibi adſtantium corda ſcrutari

tari

Digitized by Google

tari liceret, quot invidiæ motus, quot vindictæ deſideria, quot luxuriæ incendia, quotque omnis generis abominationes ibi videremus!

In templo nil videbat Ezechiel, niſi abominationes magnas, majores, & peſſimas: quocumque ſe vertebat, abominationes in hoc templo cernebat. *Ezec.* 8. O fratres dilectiſſimi, a Deo facti eſtis, ut ejus templum eſſetis: *Templum Dei eſtis vos*. 1. *Cor.* 3. Heu! ſi templi hujus altare intueri fas eſſet: ſi cordium veſtrorum intima penetrare liceret: quid ibi videremus, quam peccata magna, & abominationes peſſimas? Sed quod jam videre non licet, in tremendo Dei judicio videre licebit: quia tunc Deus revelabit peccata in intimis cordium veſtrorum penetralibus abſcondita: tunc enormia & horrenda illa peccata, quæ in cordibus veſtris latent, omnibus patefaciet: *Tunc illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. 1. *Cor.* 4.

O qualis tunc peccatoribus erit confuſio, cum ſecretiora eorum peccata omnibus nota fient! Sed, o quam melius eſſet, jam peccara hæc per pœnitentiam delere, quam talem confuſionem coram Chriſti judicantis tribunali perpeti! O peccator, has de corde tuo abominationes tolle: lava animam tuam ab omni inquinamento peccati. Et ſi in omnibus B. Claram imitari nequeas, eſto ſaltem generoſus in ſuſcipiendis iis quæ ſalutis tuæ ſunt; fias dives virtutibus illis, quæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt, & te fœcundum exhibe in edendis bonorum operum fructibus, quibus æternam beatitudinem aſſequi poſſis. *Amen*.

DE SANCTA CLARA.

CONCIO SECUNDA.

Palma in manibus eorum.
Apocal. 7. 9.

SI ipſa conſtet experientia, oculorum aciem a nimio luminis fulgore obtundi: illoſque cæcitate feriri, qui objectum prælucidum fixa palpebra contemplantur, quomodo mihi fas erit intueri, & contemplari ſanctiſſimam virginem Claram, quæ in hoc mundo tanquam novum ſidus emicuit, & quæ humilitate, abſtinentia, charitate, innumeriſque aliis virtutibus, velut tot micantibus radiis, univerſum Orbem Eccleſiaſticum mirabiliter illuſtravit? Meam quidem hanc in parte fateor infirmitatem, & ſincere confiteor, quod cum ad illam Chriſti Sponſam mentis meæ oculos converto, ut ejus intuear virtutes, merita contempler & demirer miracula, quædam mihi ſubito advenit cæcitas, ſimilis cæcitati Doctoris gentium, qui, licet lumine circumdaretur, apertis oculis nihil videbat: *Circumfulſit eum lux e cælo, apertiſque oculis nihil videbat*. *Act.* 9.

Claræ mater, partui proxima, coram Chriſti crucifixi imagine pro felici parturitione orans, a ſummo cælo venientem audivit vocem, dicentem: *Ne paveas mulier, quia quoddam lumen ſalva parturies, quod totum mundum illuſtrabit*. Tantum ſane lumen extitit B. Clara, illiuſque virtutes & perfectiones ita eminentes fuere, ut illam fixa palpebra contemplari, & de illius meritis debite diſſerere nequeat infirmus orator. Quare, miſſis innumeris prodigiis, quæ in ſacra hac Virgine quiſque adnotare, & admirari poteſt, illam ſolum proponam ut triumphantem, & palmas manu geſtantem, *Palmæ in manibus eorum*, &c. *Ave*.

NOn caret myſterio, quod B. Clara, ipſa die palmarum, ſumpta prius palma e manu Summi Pontificis, novum & perfectius vivendi genus ſuſceperit. Sicut enim dies palmarum fuit triumphalis Chriſti dies; ita & hac ipſa die B. Clara, in ſignum futuri ſui triumphi, palmam accipere voluit: *Clara palmam in manibus ponit*, inquit S. Antoninus, *quaſi quodam præſagio futuræ victoriæ*. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 6.

Videamus S. Claram, palmam manu geſtantem, conſideremus glorioſos, quos retulit triumphos: perpendamus, quomodo triumphaverit de mundo, de ſeipſa & de natura. Clara: 1. Triumphavit de mundo, omnem ejus gloriam contemnendo: 2. Triumphavit de ſeipſa, corpus ſuum domando: 3. Triumphavit de natura, miracula multa operando. Ecce tres B. Claræ Virginis triumphos, & tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Beata Clara triumphavit de mundo.

CLara toto vitæ ſuæ tempore de mundo triumphavit, quia ejus divitias, delicias & gloriam ſemper contempſit, & pro nihilo habuit. Sed ejus de mundo triumphos inquiro, & perpendo in hac ſolum ſupra modum laudabili, necnon in illis temporibus nova & portentoſa actione, in qua, relictis domo, parentibus, & omnibus bonis ſuis, ſumpto vili ſacco, abraſis crinibus, in arctum monaſterium ſecedit. In qua quidem actione de mundo triumphat: 1. Relinquendo domum & parentes: 2. Mutando veſtimenta: 3. Radendo crines.

1. S. Franciſcus, qui de mundo glorioſe triumphaverat, S. virginem Claram de eo triumphare docuit. Sicut Abrahamo dixit Deus: *Egredere de cognatione tua, & de domo patris tui, faciamque te in gentem magnam*. *Gen.* 12. 1. ita Franciſcus, ſpiritu Prophetico agnoſcens, quod B. Claram genti magnæ præficere, & multarum Virginum matrem facere Deus ſtatuiſſet; ut eam ad tale Dei propoſitum digne adimplendum diſponeret, voluit, ut hæc Virgo ſacra prius de mundo triumpharet per generoſam domus parentum & omnium temporalium abdicationem. Hæc fuit prima præceptio; hoc primum documentum, quod Virgini Claræ Franciſcus tradidit.

Mihi audire videor Patrem Seraphicum, clienti & diſcipulæ ſuæ Claræ ſic ex parte Dei loquentem: O Clara, Deo ſimul, & mundo placere non potes; ſi enim mundo placere ſatagis, Deo placere nequis. Quare, ut Deo placeas, utque te totam ejus obſequio mancipes, mundo & parentibus valedicas neceſſe eſt: *Audi ergo, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum*

mum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. Pſ. 44. Sic Claram affatus eſt Pater Seraphicus; quæ piis ejus conſiliis obtemperans, mundum relinquere protinus ſtatuit. Et ut glorioſius de mundo triumpharet, ipſa die Dominica palmarum, in qua coram Summo Pontifice, tota curia Romana, omnibuſque Urbis Aſſiſii incolis, ornata ut ſimilitudo templi apparuerat, domum, conſanguineos, totumque mundum dereliquit, ut Chriſto ſe totaliter conſecraret. O quam glorioſus eſt ille Claræ de mundo triumphus! ſed glorioſe etiam de mundo triumphavit ſacra hæc Virgo, cum veſtimenta mutavit, ſeu, *cum depoſitis pretioſis indumentis, vili ſacco corpus ſuum operuit.*

2. Præclaris & pretioſis indui veſtibus naturaliter ambiunt mulieres; ut enim loquitur S. Chryſoſtomus; *Eſt genus mulierum, ſe ornandi ſtudioſum. Chryſ. hom. 1. in c. 13. ad Epheſ.* Multæ de corporis ornatu plurimum ſunt ſolicitæ; de ornatu vero & munditia animæ parum curant; Plurimas reperire eſt, quæ novo ſemper, & vano quodam corporis ornamento ſuperbiam ſuam excolere, hominumque amorem ſibi conciliare conantur, Deo vero placere nullo modo ſtudent. Non advertunt, exquiſitum & ſuperfluum hunc ornatum, multorum eſſe cauſam peccatorum: Non prævident, quod in formidando extremi judicii die Deus acriter arguet ſuperbas has mulieres, quæ, non alendis pauperibus, ſed emendis pretioſis & ſuperfluis corporum ſuorum ornamentis, divitias conſumpſerunt. At B. Clara his ſapientior, & ſanctior mulieribus, pretioſa quæque abjecit veſtimenta, ſplendidum omnem mundi ornatum pro Chriſti amore contempſit. Et ut glorioſius de mundo & pompis ejus triumpharet, vili ſe ſacco induit, & rudi chorda corpus ſuum accinxit.

Job, vir ſanctiſſimus, veſtimento ita vili & duro indui ſolitus erat; ut non tam veſtis, quam ſaccus carni ejus aſſutus videretur: *Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. Job 16.* Jobum, virum utique ſanctiſſimum, hac in parte imitatur S. Clara, abjectis enim veſtibus illis, quibus uti ſolita erat; ut hodie glorioſius de mundo triumphet, vili, & ſubcinctitio ſe induit ſacco; quo ſolo veſtimenti genere, per totum vitæ curriculum induta eſt, ita ut hunc ſaccum cum carne ſua conſuiſſe videatur. O quam glorioſus eſt ille B. Virginis Claræ de mundo triumphus! *Sed de mundo etiam triumphat, proprios radendo crines.*

3. Vult quidem Apoſtolus, 1. *Cor.* 11. quod mulieres comam nutriant; ut ſcilicet, ea caput contegant: non autem ut ei excolendæ, & elaborandæ nimio ſtudio incumbant. Cum enim mulieres nimia ſolicitudine crines componere ſatagunt, magnam temporis jacturam faciunt, laqueos ad capiendos juvenes contexunt, dæmoni tentatori arma adverſus ſeipſas offerunt, & ut ait S. Cyprianus, capillos in inferno flammeos ſibi fore præſagiunt. *Sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auſpicares. Cypr. 1. de diſcipl. & habitu mulier.* Hæc omnia probe noverat B. Clara; quare a vana, & nimia hac crines excolendi cura ſemper aliena fuerat; ſed ut glorioſius de mundo triumpharet, novo, tuncque inſolito pietatis affectu, crines ſuos, licet pulcherrimos, penitus deraſit: volens ex his, quaſi funes aureos componere, quibus mundum devinciret, & ſub ſuo imperio quaſi ligatum detineret.

Cum olim Lucillus e magna maris tempeſtate ſalvus evaſiſſet, nil aliud habens diis ſuis offerendum, quam proprios capillos, illos protinus raſit, illoſque in ſacrificium & gratiarum actionem iis obtulit. Sic cum B. Clara e naufrago hujus mundi pelago ſalva evaſit, parentes, amicos, & omnia temporalia reliquit: quare cum ſoli ei ſupereſſent crines, eos generoſe deraſit, *tum* ut eos Deo offerret, *tum* ut inde manifeſtaret, ſe mundum, omnemque ejus pompam pro nihilo habere. Unde coram conſanguineis, a ſancto propoſito eam avertere conantibus, illamque ad propria reducere molientibus, ipſa attonſum denudavit caput, criniumque inciſuram detexit. Quaſi eis diceret; totum mundum, & omnem ejus ornatum ita contemno, ut nihil ejus, ne quidem crines meos ſervare, & retinere voluerim. Ecce Virginem de mundo vere triumphantem: quare danda eſt ei palma. *Sed danda ei etiam palma, quia de ſeipſa triumphaverat.*

SECUNDA PARS.

Beata Clara triumphavit de ſeipſa.

De corporibus noſtris tunc vere triumphamus, cum ſanctis mortificationibus illa ſpiritui, & Deo ſubjicimus; cumque inordinatos eorum motus per arctioris pœnitentiæ opera comprimimus, & ad divinæ legis præſcriptum regulamus. Et hic fuit modus, quo B. Virgo Clara de carne ſua triumphavit; variis enim mortificationum generibus corpus ſuum attrivit, afflixit, & legi ſpiritus ſubjecit. Ex quibus ſolum recenſebo ejus jejunia, lectum, cilicium. 1. *Jejunia*, quæ crebra erant, & auſtera: 2. *Lectum*, qui durus erat, & dirus: 3. *Cilicium*, quod vile erat & hiſpidum.

1. Norunt omnes, corpus eſſe infenſiſſimum animæ noſtræ hoſtem, qui adverſus illam continue inſurgit, quique eam ad illicita, & Deo diſplicentia ſemper inclinare conatur. Hic eſt hoſtis domeſticus, qui indeſinenter ſaluti noſtræ inſidiatur, & de quo triumphare debemus, ſi ſalvari cupiamus: *Caro eſt nobis hoſtis domeſticus, inimicus gravis eſt noſtri. Ambr. in Pſ. 118. ſerm. 11.* Jejunia autem ſunt arma aptiora ad triumphandum de hoc hoſte: quia jejuniis carnem affligimus, inordinatos ejus impetus comprimimus, ejusque rebellionem edomamus. *Jejunium omnem carnis rebellionem edomat. Cyprianus de jejun. & tent. Chriſti cap. 2.* Et hæc ſunt arma, quibus de carne ſua triumphavit Beata Clara; cujus jejunia ita crebra & auſtera extitere, ut longiſſimo tempore, ſolo pane & aqua victitans, jejunaverit. Jejunia ejus erant ex iis, quæ S. Hieronymus fortiſſima & diriſſima vocat. *Fortiſſimum jejunium eſt panis, & aqua. Hieronymus Ep. 2. ad Nepot.* Clara enim, longiſſimo vitæ ſuæ tempore, ſolis pane & aqua veſcebatur. Immo, temporibus Adventus & Quadrageſimæ in diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, ab omni penitus abſtinebat cibo, tamque exitialia jejunia diutiſſime pro-

Digitized by Google

protraxiſſet, ſi Epiſcopus Aſſiſias, & S. Franciſcus non prohibuiſſent; præcipientes, ut ſingulis diebus, unam ſelcem cum dimidia panis unciam in paſtum ſumeret.

Sciebat Virgo ſacra, quod *luxurias raro non bene paſta caro*, quare ut omnes corruptæ carnis motus in ſe extingueret, utque de carne penitus triumpharet, arctiſſimis, & portentoſis eam jejuniis cruciavit. Non ſolum jejunavit Clara, ſicut ſanctiſſimus Propheta Daniel, qui ut Deum adverſus peccatores iratum placaret, toto trium hebdomadarum tempore, ab omni carne & vino abſtinuit, nec panem ad ſatietatem ſumpſit. *Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum. Dan.* 10. 3. Sed durioribus, arctioribus, & pluribus jejuniis ſancta hæc Virgo carnem ſuam afflixit, & ſpiritui ſubjecit. Non enim aliquibus ſolum hebdomadibus, ſed diuturno tempore ſolis pane & aqua victitavit. Immo, & aliquibus hebdomadæ diebus, nec panem, nec aquam ſumpſit; ſed erat *neque manducans, neque bibens*, quouſque a ſuperioribus ei præceptum eſt, ut qualibet die unam ſaltem & dimidiam panis unciam in cibum ſumeret. Ecce Virginem, quæ de carne ſua vere trimphat crebris, & exitialibus ſuis jejuniis: *Sed de ea etiam triumphat duritie lecti, cui decumbit.*

2. Homo chriſtianus corpori ſuo bellum indicere, illudque variis modis torquere, frænare, & quaſi interimere debet: *Hoc eſt opus veſtrum in hac vita; actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere. D. Auguſtinus.* Ecce magnum, & continuum B. Claræ opus, quæ in hoc mundo ſolum vivere viſa eſt, ut corpus ſuum affligeret, & cruciaret, illud enim arctiſſimis jejuniis, fame, inedia, aliiſque diris mortificationibus torquebat. Et ſi quandoque aliquam ei requiem denegare non poterat, illud, præ laſſitudine & debilitate cadens, non mollis lectus, ſed nuda humus, vel aliqui ſarmentorum faſciculi recipiebant: *Nudum ſolum, & interdum ſarmenta pro lecto habebat. Alexander in Bulla canoniz.* Ita dirum corpori ſuo indixerat bellum ſacra hæc Virgo, ut non ſolum illud cruciaverit dum vigilaret, ſed etiam cum dormiret; quia cum ſomno aliquantulum indulgere cogebatur, ſupra nudam humum, vel ſupra aliquos ſarmentorum faſciculos decumbebat, ubi corpus ejus non tam requieſcere, quam torqueri videbatur.

A Gentilibus olim Chriſtiani vocabantur *homines ſarmentitii*; quia cum ab his infidelibus mori adjudicabantur, ſæpe ſtipiti alligabantur; ibique ſarmentorum faſciculis circumdata eorum corpora comburebantur: *Nos ſarmentitios appellatis*, inquit Tertullianus, *quod ad ſtipitem devincti, ſarmentorum ambitu comburimur*. Sarmentitia quidem hoc modo eſſe voluiſſet B. Clara: quia pro Chriſto mori, & comburi optaſſet. Sed alio titulo vere ſarmentitia fuit; quia ſcilicet laſſum, debile, & infirmum corpus in lecto ſarmentitio reclinabat: ubi non tam reficiebatur, quam torquebatur. O mirabilem Virginem! quæ, licet juvenis, nobilis, delicata, & infirma, de ſuo tamen triumphavit corpore, non ſolum arctis jejuniis, quibus illud afflixit, ſed etiam lecto duriſſimo, quo illud cruciavit. *Et de illo tandem triumphavit vili & hiſpido cilicio, quo uſa eſt.*

3. Depoſitis pretioſis ſæculi veſtibus, & ablegato mundo muliebri, ſacco quodam vili, & cilicino ſe induit B. Clara; ac ſicut alter Acab, *operuit cilicio carnem ſuam. 3. Reg.* 21. Non ſolum ciliciolum aliquod ſub veſte gerebat; ſed tota veſtis ejus aſpera erat, & verum cilicium erat; ita ut cum Regio Vate dicere poſſet: *Poſui veſtimentum meum cilicium.*

Nec hoc unicum Claræ erat cilicium: aliis enim duobus interdum carnem ſuam cruciabat: quorum unum ex equorum pilis nodoſe erat contextum: aliud vero erat ex corio porci, quod ſecreto ſub tunica deferebat; & cujus pilos, aliquantulum abraſos, ad carnem vertebat. Novum quidem iſtud cilicii genus, ſed durum etiam ſimul erat & myſticum. *Durum*; quia verſa ad carnem hiſpida illa pilorum tonſura, carnem lancinabat, & maxime cruciabat, & *Myſticum*: quia obſcœni illius animalium corium indicabat, ſacram hanc Virginem de obſcœnis carnis voluptatibus triumphaſſe. Sicut ſilveſtrium ferarum, quas occiderant, pellibus indui ſolebant Perſonarum Reges in ſui ſignum triumphi, nec pretioſioribus, & glorioſioribus indui poſſe veſtibus arbitrabantur, dicentes, quod *eximius decor eſt, tergis horere ferarum*. Sic de cilicio ex ſuina pelle compoſito, dicendum, quod aſperum & decorum Claræ fuerit: *Aſperum* quidem: quia ab illo virginea ejus caro cruentabatur; *Decorum*, quia erat in ſignum triumphi, quem ſacra hæc virgo de carne ſua tulit. Demus ergo palmam B. Virgini Claræ, quam quidem meruit: quia de mundo & de ſeipſa triumphavit. Sed demus ei etiam palmam: quia triumphavit de natura. *Ecce tertium Beatæ Claræ triumphum, & tertiam hujus concionis partem.*

TERTIA PARS.

Beata Clara triumphavit de natura.

TUnc de natura quis triumphat, cum extraordinaria a Deo accepta poteſtate, id facit, quod naturaliter, & ſolis naturæ viribus effici nequit: ſeu, cum quis poteſtate divina, miracula operatur. Et in hoc ſenſu de natura triumpharunt plures Sancti & præcipue B. Clara, quæ, Dei virtute, miracula, & prodigia multa operata eſt: ex quibus tria ſolummodo recenſebo, quæ ſanctæ illius Virginis merita, & Dei gloriam non parum manifeſtant: *Primum* fuit in Agnetis, ſororis ſuæ, favorem: *Secundum*, in favorem filiarum ſuarum ſpiritualium: *Tertium*, in favorem ſui Monaſterii. *Primo* miraculo, liberavit ſororem ſuam a perſecutione parentum: *Secundo*, liberavit filias ſuas ab inedia: *Tertium*, liberavit Monaſterium ſuum a furore infidelium.

1. Elapſis ſexdecim diebus a converſione Sanctæ Claræ, Agnes, divino afflata Spiritu, ad eam properat; eique declarat, ſibi jam mundum amareſcere, & Deum dulceſcere, ſeque ad hoc veniſſe, ut totam, & totaliter Dei obſequio ſe manciparet. Gaudet B. Clara; ſororem amplectitur; eam in novitiam recipit, ac primævum ejus in religione fervorem demiratur, cum ſubito duodecim ex conſanguineis, furore correpti, in Monaſterium irruunt, ut Agnetem inde eripiant, eamque ad ſæculum

redi-

redire cogant. Qua renuente, ipſam vi extra Monaſterium ejiciunt, per devexum montis trahunt, veſtes lacerant, vitam evulſis replent crinibus, ac innocentem hanc adoleſcentulam interdum pugnis, calcibuſque crudeliter percutiunt. Clamat ad Dominum fervens illa novitia, ſororiſque Claræ auxilium implorans, exclamat, dicens: *Adjuva me, ſoror mea clara, nec me Domino tolli permittas*. Clara autem mox Dei imploravit auxilium: ac ab eo, flens, humiliter petiit, hanc ut famulam ſibi eripi non pateretur; tantaque orationis ejus fuit efficacia, ut ſubito Agnes maximi ponderis, & gravitatis facta ſit. Ita, ut duodecim illi conſanguinei, & alii multi, qui ad hoc ſpectaculum videndum advolarant, adhibitis omnibus conatibus, e loco in quo jacebat, eam nequaquam amovere potuerint. Quo miraculo confuſi, attoniti & perterriti, a propoſito deſtiterunt; ac orationum beatæ Claræ vim, & efficaciam admirantes, & prædicantes, ad propria reverſi ſunt.

Oratio juſti clavis eſt cæli; *Aug. ſerm. 226. de Temp.* orationibus enim ſuis Sancti, veluti aurea clave, ſibi cælum aperire ſoliti ſunt. Et præcipue beata Clara, quæ hac clave ſibi cælum aperuit, *tum*, ut Dei miſericordiam impetraret, *tum*, ut infirmos ſanaret, *tum* ut a dæmone poſſeſſos liberaret. Sed oratione cælum ſpecialius pulſavit, & aperuit in ſororis ſuæ Agnetis gratiam, non ſolum ut ejus obtineret converſionem, verum & ut illam a leonibus præparatis ad eſcam, ſeu, a conſanguineis; eam vi e clauſtro eripere conantibus, liberaret: Ejuſque tunc oratio tantæ apud Deum virtutis fuit, & efficacitatis, ut magno, & evidenti miraculo factum ſit, quod tanti ponderis ſubito hujus adoleſcentulæ corpus extiterit, quod a multis & validioribus viris e loco nequaquam moveri potuerit. Ecce illud miraculum, quod B. Clara in ſororis ſuæ favorem fecit. Tranſeamus ad illud, *quod Clara in gratiam filiarum ſuarum ſpiritualium operata eſt*.

2. De mendicatis panum fragminibus Clara; ejuſque filiæ veſci ſolitæ erant. Quod ſi quandoque oleum, vel alia neceſſaria deficiebant, B. Clara ferventibus ſuis orationibus, a Deo hæc impetrabat. Quod ſæpe eveniſſe fertur, ſed præcipue quadam die, in qua, urgente fame, & inſtante hora comedendi, unicus in Monaſterio erat panis. Tunc enim nullatenus turbata eſt virgo, ſed humili & ferventi oratione, divinum implorans auxilium, ita multiplicatus, vel ampliatus eſt ille panis, ut ex media ejus parte quinquaginta ſorores, quæ in hoc habitabant Monaſterio, neceſſitati ſuæ occurrerint, & ſufficienti refectione recreatæ fuerint.

Cum Chriſtus Dominus copioſam turbam in deſerto ex quinque ſolum panibus, & duobus piſcibus paſcere cogitabat, Andreas dixit: *Hæc quid ſunt inter tantos? Joann. 6. 9.* Sed Chriſtus cujus poteſtas infinita, hos panes ita multiplicavit, ut tota hæc turba ex iis uſque ad ſatietatem manducaverit, ac fragmentorum panis duodecim cophini ſuperfuerint. Ecce magnum miraculum in favorem copioſæ hujus multitudinis a Chriſto factum. Quid autem ſimile in B. Clara video, unicus enim in ejus Monaſterio erat panis. Unde merito dici poterat, *Quid inter tantos*; Seu, quid erit unicus ille panis, ſi inter tot filias dividatur? Ille tamen panis virtute, & meritis ſanctæ Claræ a Deo ita fuit multiplicatus, ut, data cuique ex quinquaginta ſororibus congrua portione, media ejus pars intacta remanſerit. Quare ſi de Chriſto, qui miraculoſe panes multiplicavit, dicat Auguſtinus, *in Pſalm. 9.* quod *fontes panis erant in manibus ejus*, de B. Clara ſimiliter dici poteſt, quod in manibus ejus fontes panis fuerint, quia in ſororum ſuarum favorem, panes miraculoſe multiplicare meruit. Videamus jam illud miraculum, quod Clara in monaſterii ſui gratiam operata eſt, *tum ab eo Saracenos expulit*.

3. Cum infideles illi & Barbari homines ad civitatem Aſſiſium, obſidionis cauſſa, properarent; occurrit eis ſanctæ Virginis Claræ Monaſterium, quod extra civitatis muros erat conſtructum. Intra clauſtrum irruunt hi Dei, & puritatis inimici, illudque pietatis ſacrarium in lupanar mutare intendunt. Sed Clara, impavido corde, ad locum in quem jam irrepſerant illi infideles, præcedente capſa, in qua ſacratiſſimum Chriſti Corpus ſervabatur, ſe infirmam duci jubet, ubi coram illis ſic Deum deprecata eſt. O Domine, ne permittas inermes ancillas tuas horum Barbarorum manibus tradi, ne ſinas, puriſſimas ſuas virgines in poteſtatem impudicorum illorum hominum venire. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*, moxque audita eſt vox de cælo, dicens, *Ego vos ſemper cuſtodiam*. Et revera, orationis B. Claræ virtute, ſtatim canum illorum repreſſa eſt audacia, ac miraculoſe factum eſt ut per muros quos aſcenderant, celeriter deſcenderent, & extra Monaſterium, immo longe a Monaſterio, & ab Urbe Aſſiſio fugerent.

Magnum olim factum eſt prælium in cælo, cum Lucifer ſuper aſtra ſolium ſuum ponere, Altiſſimo ſimilis eſſe, Deique thronum invadere intendebat, ſed nondum cæleſtis illius civitatis muros conſcenderat ſuperbus ille ſpiritus, cum Michaelis, pro Deo pugnantis, virtute, a cælo expulſus, & ad infernum cum Angelis ſuis Apoſtatis præcipitatus eſt. Heu! quid aliud Saraceni, quam Angeli tenebrarum? Quid aliud ſanctæ Claræ Monaſterium, quam terreſtris quidam Paradiſus, ſanctiſſimis & Angelica puritate rutilantibus refertus virginibus? Terreſtrem autem hanc Jeroſolymam invadere ſtatuunt Sarraceni, qui rebellis Luciferi ſunt veri filii. At B. Clara, ſola ſuæ orationis virtute, illos miraculoſe debellat, ejicit, & longe expellit. Hoc certe maximum eſt miraculum, & ſi dicat S. Hieronymus, quod *inter miracula, quæ fecit Jeſus, hoc videtur mirabilius eſſe; quod potuerit, ad unius flagelli verbera, tantam e templo ejicere mercatorum multitudinem, menſaſque ſubvertere, Cathedras confringere, & alia facere, quæ vix magnus faceret exercitus, S. Hier. l. 3. comment. in 21. Matth.* videtur et iam, quod inter miracula, quæ virtute divina fecit S. Clara, hoc majus eſt; quod ipſa, ſola, non flagellis, ſed precibus armata, formidandum Saracenorum exercitum e clauſtro ſuo ejiciat, penitus deturbet, & in fugam convertat.

Maximum ſane illud miraculum, quare in B. Claræ manibus jam palma ponenda eſt. Immo, plures ei dandæ ſunt palmæ, quia plures ejus fuere triumphi;

Digitized by Google

phi; cum de mundo, de ſeipſa, & de natura glorioſe triumphaverit. Ad cælos nunc extollamus oculos, extollamus & mentem; ibique contemplemur ſanctiſſimam Virginem Claram, palmas, ſimul cum aliis Sanctis, manu geſtantem, nobiſque clamantem, quod non detur in cælo palma, niſi victoribus, qui de mundi vanitatibus, de carnis illecebris, & de dæmonis tentationibus glorioſe triumpharunt.

Poſt mortem aut palmæ, aut flammæ hominibus dabuntur. *Palmæ*, ſi victores, & ab omni peccato mortali liberi ex hoc mundo exierint: *Flammæ*, ſi a peccato victi, & in ſtatu mortalis peccati hinc migraverint. Quare generoſe pugnate; de mundo, de carne, de dæmone, & de lethali quovis peccato triumphare ut æternas inferni pœnas devitare, & glorioſas in cælo palmas aſſequi valeatis. *Amen*.

DE ASSUMPTIONE
B. VIRGINIS MARIÆ.
CONCIO PRIMA.

Erit Sepulchrum ejus glorioſum. Iſa. 11.

SI mortuorum cadavera rodentibus ſcaturientia vermibus, ac intolerabilem fœtorem exhalantia in ſepulchris contemplemur, pauciſſima quidem inveniemus ſepulchra, quæ ſpecioſa & glorioſa cenſeantur. Velim, quod opere Corynthiaco, vel Moſaico exterius ſumma cum induſtria elaborentur, velim, quod auro & gemmis rutilent; ac epitaphiis heroum hic jacentium facinora explicantibus exornentur, hæc omnia, quæ intus latentem infamiam tollere nequeunt, non ſolum in ſeipſis pereunt, ſed etiam in hominum opinione, e quorum memoria, ſuperba quæque hominum ſepulchra, ac famoſa in iis ſepultorum facinora facile excidunt.

Ubi nunc ſepulchrum Abraham? Ubi ſepulchrum Moyſis? Ubi nunc Mauſoli Alexandri, & aliorum multorum illuſtrium virorum olim affabre facta ſepulchra? Certe hæc omnia funditus everſa ſunt, & vix eorum quis recordatur. Quare Mariani ſepulchri gloria aliunde, quam ex materia & arte humana auſpicanda venit; aliique gloriæ tituli ſunt exquirendi, quibus Mariæ ſepulchrum vere glorioſum eſſe demonſtremus. Sed prius, &c. *Ave*.

TRia, reſpectu Mariani ſepulchri ineuntur certamina; unum, antequam Mariæ corpus in ſepulchrum mittatur: aliud cum in ſepulchro jacet: & aliud, cum e ſepulchro egreditur: *Primum certamen* eſt inter amorem, & dolorem: *Secundum* inter ſanctitatem & corruptionem: *Tertium*, inter cælum & terram: *Pugnant amor, & dolor*, ac inter ſe diſputant, quis Mariæ necem inferat, eamque ſepulchro adjudicet. *Decertant ſanctitas & corruptio*, ac acriter contendunt de modo, quo in ſepulchro aliquibus diebus jacebit ſacrum Mariæ corpus, an, ſcilicet, futurum ſit corruptioni obnoxium, vel ab ea liberum: *Diſputant tandem cælum & terra*; ac litigant de Mariæ corpore, a quo, ſcilicet, ſacrum illud pignus poſſideri debeat; an a terra, de qua formatum eſt: vel a cælo cujus puritatem nactum eſt?

En tria quæ hodie dantur prælia, in quibus triumphat amor de dolore, ſanctitas de corruptione, & cælum de terra: *Triumphat amor de dolore*, quia non ex dolore, ſed ex amore moritur Maria: *Triumphat ſanctitas de corruptione*, quia Mariæ ſanctitas corpus ejus a corruptione liberum ſervat: *Triumphat cælum de terra*, quia Mariæ corpus a terra tollitur, ut ad cæleſtia regna evehatur. Glorioſiſſimum ergo eſt Mariæ ſepulchrum, quia, ut jam videbimus, in eo triumphat: 1. *Amor* de doloribus; 2. *Sanctitas* de corruptione: 3. *Cælum de terra*. En tres triumphi, quibus Mariæ ſepulchrum glorioſum eſſe patebit: *Erit ſepulchrum ejus glorioſum*.

PRIMA PARS.

In Mariæ ſepulchro amor triumphat de doloribus.

IN ſepulchris noſtris non amor, ſed dolores triumphant, quia dolores, quibus obruimur, mortem nobis inferunt, & ad ſepulchrum nos perducunt. Sed in Mariæ ſepulchro triumphat amor de doloribus: quia non dolorum vi mortua & ad ſepulchrum ducta eſt Virgo, ſed: 1. Amoris morbo; 2. Amoris ſomno: 3. Amoris extaſi.

1. Febricitant & languent multi, quorum ſi vena tentetur, ac intus latens morbus ſedulo inquiratur, iis vere dici poterit: *Febris tua avaritia eſt, febris tua ſuperbia eſt, febris tua iracundia eſt, febris tua libido eſt. S. Ambroſ. l. 4. in Luc. c. 4.* His autem febribus & morbis numquam laboravit Maria, quæ nulla unquam peccati fuligine fuit aſperſa, quæque perfectiſſimum paſſionum ſuarum dominium habuit. Si tamen, ut ait Medicorum Princeps, febris a *fervendo* dicitur, ardentiſſima amoris divini febre æſtuavit Virgo. Hic eſt morbus quo laboravit, & quo mortua eſt: *Beata Virgo languit dolorum paſſione, & amore in morte ſua. Guerr. ſer. 2. Aſſumpt.*

Sponſa ſacra, amore divino æſtuans, filias Jeruſalem enixe rogabat, ut dilecto annunciarent, ipſam amore illius indeſinenter languere: *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei; quia amore langueo. Cant.* Sacra hæc Sponſa, inquit Rupertus Abbas, eſt ipſa Virgo Maria; quæ Chriſti ſponſi & filii ſui amore ardens, ſæpe dicebat, adjuro vos, filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum; ſeu, *ſi ante me exeuntes de corpore, veneritis ante dilecti mei conſpectum, ut annuntietis ei, quia amore ejus langueo. Rupert. in Cant.* Sciebat Chriſtus amorem languentis matris: ipſa etiam Virgo Maria, quæ ſæpe a filio ſuo viſitabatur, amoris languorem quo laborabat, ei crebro explicabat, ſed tantus hic ejus erat languor, ut Angelorum etiam & hominum ora ad illum dilecto annuntiandum aſſumeret. At tandem tantus hic fuit Mariæ languor, ut amorem dilecti filii languens expiraverit: *Beata Virgo præ amore, & ſine dolore mortua eſt*. Maria ergo amoris morbo mortua eſt: *Sed mortua eſt etiam amoris ſomno. Alb. Magn. in Mariali c. 171.*

2. Maria, toto vitæ ſuæ tempore, amore ſupernaturali erga filium exarſit; ſed ardentius illum ama-

vit

vit circa vitæ ſuæ finem: vehemenſque hic amor cor illius tunc ardentiſſime inflammavit. Quare, imminente morte, maxime languit Virgo; ac tandem per amorem conſumptis ſpiritibus vitalibus quibus corpus ejus ſubſiſtebat, ipſa non alio quam amoris morbo animam exhalavit, & quia hic amoris morbos abſque ullo dolore extitit: mors ejus, ſomnus potius, quam mors acerba fuit. Si enim de S. Joanne Evangeliſta Gregorius Turonenſis, *de glor. Mart. c.* 30. Simeon Metaphraſtes, & alii aſſerunt, quod imminente mortis hora, ſe tumulo incluſerit, & abſque ullo prævio morbo, quaſi dormiens, animam efflaverit: ſi Moyſes etiam & Aaron, ut docent multi, abſque præeunte morbo a vivis diſceſſerint, & in oſculo Domini quaſi dormientes mortui ſint; cur Mariam Virginem eodem privilegio potitam eſſe negabimus?

Cenſet Bernardus, omnia privilegia aliis Sanctis a Deo conceſſa, beatæ Virgini non fuiſſe denegata: *Quod aliis ſervis Dei, licet pauciſſimis, fuit conceſſum, non creditur Matri denegatum, S. Bern. Ep. ad can. Lugdun.* quare cum Joannis Evangeliſtæ, Moyſi, & aliorum quorumdam ſervorum Dei mors fuerit quaſi jucundus ſomnus, Mariam etiam ex amoris ſomno mortuam eſſe certiſſimum videtur. Et hoc tanquam indubitatum ſupponunt Andreas Cretenſis, S. Damaſcenus & alii nonnulli ſancti Patres, qui varias *de obdormitione Mariæ* conciones inſtituerunt; cenſentes, mortem illius, *obdormitionem*, & gratiſſimum quemdam amoris ſomnum extitiſſe. Unde de Maria convenientius, quam de filia Principis ſynagogæ dicere poſſumus: *Non eſt mortua, ſed dormit: Matth.* 9. 24. quia mors ejus dira non fuit & crudelis: ſed pergratus ardentis amoris ſomnus, quo moriens, *obdormivit in Domino.* O ſuaviſſimum & feliciſſimum Mariæ ſomnum! Sed mortua eſt etiam *ex amoris extaſi.*

3. Deus, qui cor Mariæ ſacro amoris igne ſemper accenderat, ignem tandem ſeparantem in cor ejus miſit, quo ab illius corpore ſoluta eſt anima: *Miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me: Thren.* 1. 13. ſeu, ut habet alia verſio, *& ſeparavit me:* hic quidem eſt ſacer ignis, quo facta eſt ſeparatio animæ beatæ Virginis a corpore ejus. Sed quomodo fieri potuit ut anima illius a corpore ſine ullo dolore ſit ſeparata? Perbelle reſpondet Dionyſius Carthuſianus, impeditum fuiſſe dolorem, qui ex diviſione animæ a corpore ſolet evenire, per profunditatem contemplationis, cui tempore mortis Virgo Deipara vacabat; cujus dulciore in extaſim rapta, nullo modo dolorem ſenſit, qui tali diviſione animæ a corpore ſolet evenire: *Divinarum rerum contemplationi erat profundiſſime tunc intenta. Ergo præ ſpiritualis ſuavitatis affluentiſſima experientia, ac ferventiſſima dilectione, anima ſeparabatur ſine pœna a corpore. Dionyſ. lib. 4. de laud. Virg. art. 3. Gen. 3.*

Docet nos ſacer textus, quod dormiente Adamo, Deus unam ex coſtis ejus tulerit. Hic Adami ſomnus, ex multorum Doctorum ſententia, extaſis fuit in qua ita extra ſeipſum raptus eſt, ut nullum dolorem paſſus ſit; cum ei coſta avulſa eſt. Eodem fere modo beatiſſimæ Virginis mors, non ſolum gratiſſimus fuit ſomnus, verum & admiranda amoris divini extaſis: in qua, ut B. Birgittæ revelavit Dei genitrix, nullum eſt paſſa dolorem, ſed exultans emiſit ſpiritum: *Cum quodam die*, inquit, *animus meus ſuſpenſus eſſet in admiratione divinæ charitatis, tunc anima mea in ipſa contemplatione, repleta fuit tanta exultatione, quod vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione, anima mea a corpore fuit ſoluta. B. Brigid. lib. 6. revc. c.* 26. O mirabilem extaſim! O genus mortis exoptatiſſimum! O triumphum glorioſiſſimum! in quo amor triumphat de doloribus; cum non ex dolore, ſed ex amoris morbo, ex amoris ſomno, & ex amoris extaſi Maria mortua ſit. Ecce primum triumphum qui fit in Mariæ ſepulchro, in quo de doloribus triumphat amor: *Sed in eo triumphat etiam ſanctitas de corruptione.*

SECUNDA PARS.

In Mariæ ſepulchro ſanctitas triumphat de corruptione.

SI Adam non peccaſſet, putredini & corruptioni noxia non fuiſſent corpora noſtra; ſed poſt protoparentis peccatum a ſupremo Dei conſilio manavit edictum, quo Adami poſteros morituros, eorumque corpora in terram & putredinem reſolvenda eſſe ſtatutum eſt: *Pulvis es & in pulverem reverteris. Gen.* 3. 19. Hinc jam de corporibus noſtris triumphant corruptio & fœtor: quia cum mortua & in ſepulchro poſita ſunt, brevi corrumpuntur & putreſcunt. Sed in Mariæ ſepulchro triumphavit ſanctitas de corruptione; nulli enim corruptioni ſubjacuit ejus corpus, quod ſanctiſſimum fuit: 1. Quia Verbum æternum in eo incarnatum eſt: 2. Quia ſanctiſſimæ animæ unitum eſt: 3. Quia in eo nulla rebellio adverſus Deum facta eſt.

1. Cum Verbum æternum incarnari, & humanæ naturæ hypoſtatice uniri voluit, altiſſimum illud Myſterium in corpore Mariæ, velut omnium ſanctiſſimum, compleri ſtatuit; hoc eſt corpus ſacratiſſimum, in quo Verbum incarnatum carnem aſſumere: & in quo Chriſtus novem menſibus habitare dignatus eſt; quare cum ita purum, ac ita ſanctum extiterit Mariæ corpus, ut in eo ineffabile Incarnationis Myſterium ſit conſummatum, non eſt credibile, inquit D. Auguſtinus, ſanctiſſimum illud corpus corruptioni fuiſſe obnoxium: *Illud ſacratiſſimum corpus, de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, & divinam naturam humanæ univit, in eſcam vermibus traditum, conſentire non valeo. S. Aug. ſer. 4. de Aſſumpt.*

Non permiſit Deus, quod ſanctus ſuus corrumperetur & putreſceret: *Nec dabis, ſanctum tuum videre corruptionem. Pſalm.* 15. Quis eſt ille ſanctus, niſi Chriſtus? Hic eſt ſanctus cujus corpus ab omni prorſus corruptione & putredine fuit alienum. Sicut autem Deus non paſſus eſt, quod ſanctus ſuus corruptus fuerit, ita nec paſſus eſt, quod ſancta ſua, ſepulchro depoſita, videret corruptionem: *Sicut non dedit Dominus ſanctum ſuum, id eſt, Chriſtum, videre corruptionem: ſic nec ſanctam ſuam, de qua natus eſt Sanctus, ſed corpore & anima in cælum aſſumpta eſt. Bernard. Sen. tom. 1. ſerm. 32. art. 1. cap. 1.* Chriſti corpus erat ſanctum eſſentialiter ob hypoſtaticam ejus unionem cum Verbo, cui erat unitum

perſonaliter, quare indecens fuiſſet, ſanctum hoc corpus, vermium eſcam & corruptionis pabulum fieri. Sicut autem hoc non decuiſſet *Sanctum Domini*: ita nec decuiſſet *Sanctum ejus*, ſeu Deiparam, quæ ita ſancta erat, ut ex ea carnem aſſumere, & in ejus ventre Deus incarnari voluerit. In Mariæ ergo ſepulchro triumphavit ſanctitas de corruptione: cum ita ſanctum fuerit Mariæ corpus, ut in eo Verbum æternum carnem ſumpſerit: *ac etiam cum ejus corpori anima ſanctiſſima unita fuerit.*

2. Ita ſancta fuit Mariæ anima, ut ab omni prorſus peccati, ſive originalis, ſive actualis labe libera & immunis extiterit: *Fuit Maria ſine triplici væ*, inquit Doctor Angelicus: *ſine væ peccati originalis, ſine væ peccati mortalis, & ſine væ peccati venialis. D. Th. in explic. ſalut. Ang.* Quare cum Mariæ anima tanta ſanctitate floruerit, ut ab omni protſus væ, & corruptione peccati aliena fuerit, corpus etiam ejus quod ſanctiſſimæ huic animæ unitum erat, a væ corruptionis & putredinis alienum eſſe debuit: *Cum Maria fuerit ſine væ peccati, fuit etiam ſine væ pœnæ inſeparationе animæ & corporis, quæ eſt incineratio, & corporis diſſolutio. S. Bern. tom. 1. ſer. 52. c. 1.*

Duplicem corruptionem, eamque graviſſimam, ſubire coguntur omnes mortales, ex primo parente per naturalem generationem propagati. *Prima* eſt in principio vitæ, cum a peccati originalis labe & corruptione inquinantur. *Secunda* eſt in fine vitæ, cum corpora, vitali aura deſtituta, corrumpuntur, & in pulverem rediguntur. Hic autem ſervatur ordo inter duplicem illam corruptionem, quod qui in conceptione ſua in peccati corruptionem non incidunt, in morte etiam ſua corporum corruptionem non contrahant: quare cum ita ſancta fuerit Maria, ut in principio vitæ ſuæ anima ejus peccati originalis macula contaminata non fuerit, in fine etiam vitæ, corpus ejus corruptioni nullo modo ſubjacuit, ſed brevi poſt mortem glorioſum reſurrexit: In ſepulchro ergo Mariæ triumphavit ſanctitas de corruptione; quia corpus ejus ſanctiſſimæ animæ unitum fuit. Sed in ſepulchro ejus triumphavit etiam ſanctitas de corruptione: *Quia corpus Mariæ ita ſanctum fuit, ut in eo nulla unquam rebellio facta ſit.*

3. Cum Cæſar Auguſtus Alexandrinam Urbem invaſiſſet, eamque ſolo æquare poſſet, ei tamen benigne pepercit; tum, quia in ſe erat pulcherrima: tum, quia ab Alexandro Magno fundata erat. *Plut. in Apoth.* Maria autem: *civitas Dei* appellatur, cui Chriſtus pro ſingulari ſua pietate pepercit, ne pulveris & corruptionis ruinam pateretur, tum propter ejus pulchritudinem, quam Sol & Luna mirantur: tum propter ſeipſum fundatorem ejus; juxta illud: *Fundavit eam Altiſſimus. Pſ. 85.* Sed huic civitati; ſeu Mariæ, ob aliam etiam rationem pepercit; quia ſcilicet ita ſancta fuit & fidelis, ut nulla in corpore ejus adverſus Deum rebellio fuerit.

Quantumvis ſancti ſimus, intra nos tamen ſemper inhabitare ſolet peccatum, ſeu fomes quidam, vel rebellio interna, alliciens ad peccatum; quam in ſemetipſo D. Paulus, licet ſanctiſſimus, experiebatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, eamque legem internam, *inhabitans peccatum* vocat Apoſtolus: *quod habitat in me peccatum.* Maria autem ita ſancta fuit, ut illud inhabitans peccatum numquam habuerit, nec ullam rebellionem internam paſſa ſit: *Soli Virgini*, inquit Richardus Victorinus, *ſingulariter datur, ut mortale corpus ejus, peccatum non inhabitet. Rich. l. 2. de Emman.* Quare cum ita ſancta extiterit Maria, ut in corpore ejus nulla rebellio, nulluſque peccati fomes fuerit; incorruptum & incontaminatum in ſepulchro debuit conſervari corpus ejus. Quemadmodum enim par eſt rebelles urbes vaſtari, ſolo æquari, ac in cinerem & favillam redigi; ita & oportet civitates fidelitate ſua inſignes, in perpetuum conſervari; cum ergo Maria fuerit civitas Dei ſanctiſſima, in qua nulla unquam rebellio, ſed ſumma pax & fidelitas extitit; cum, inquam, ita ſancta fuerit Dei genitrix, ut nullum in corpore ejus habitaverit peccatum, nulluſque peccati fomes, nullave rebellio in eo fuerit, certe corpus ejus ab omni putredine & corruptione illæſum ſervari debuit. In ſepulchro ergo Mariæ, ſanctitas triumphavit de corruptione: *Sed in eo etiam cælum de terra triumphavit.*

TERTIA PARS.

In Mariæ ſepulchro cælum triumphat de terra.

NOſtra licet corpora a Deo facta ſint, ut animabus ſuis unita æternum in cælo glorificentur; de iis tamen triumphat terra, dum ea ad ultimum uſque judicii diem in ſinu ſuo quaſi captiva detinet; nec illa ad cælum, ſimul cum animabus ſurgere ſinit. At in Mariæ ſepulchro triumphat cælum de terra; quia Mariæ corpus, ſimul cum ejus anima: 1. Ad cælumglorioſe tranſlatum eſt: 2. In cælo glorioſe receptum eſt: 3. In cælo glorioſe collocatum eſt.

1. Jacebat in ſepulchro ſanctiſſimum Mariæ corpus, ibi, ſenſu quidem & vita privatum, incorruptum tamen quieſcebat, cum tertia illuceſcente die, Angelis ſtipatus veniens Chriſtus, jacenti corpori non vitam ſolum, verum & immortalitatem, necnon ſplendorem admirabilem, agilitatem, ſubtilitatem, ac inauditam pulchritudinem contulit. Tunc Mariæ anima in ſanctiſſimum corpus ejus iterum ingreſſa eſt, tunc facies illius mira venuſtate enituit, tunc omnia redivivæ carnis ejus membra ineffabilem prætulerunt pulchritudinem, & mox ſurgens Maria de ſepulchro, terram reliquit, & verſus cælum properavit, virtutum ſuarum ſplendore emicans, innixa ſupra dilectum filium. Angelorum copiis comitata, ac tot deliciis & diviciis affluens, ut ipſi cæleſtes ſpiritus admirantes exclamarint: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens? Cant. 8.*

Non in terra uſque ad extremi judicii diem remanere, ſed brevi poſt mortem, ad cælum transferri debebat ſanctiſſimum Mariæ corpus. *Tum*, quia hoc decebat Chriſtum, cujus honor eſt omnimoda gloria matris. *Tum*, quia, cum Chriſti & Mariæ una ſit caro, indecens fuiſſet eam carnem eſſe diviſam, unamque ejus partem regnare in cælo, & aliam ſub

ſub terra latere: *Maria & Chriſtus ſunt una caro, quare indecens videri debet, ſi altera pars carnis virginea ſit in cælo, & pars altera reddatur ſolo. Pet. Bleſſ. ſer. 2. de Aſſumpt.* Propter has, aliaſque multas rationes non in terra remanere, ſed ad cælum in corpore ſimul & anima hodie ſublevari debebat Dei genitrix, quare hacdie, de terra triumphans, Angelis ſtipata, virtutum varietate circumdata, & dilecto innixa filio ad cælum aſcendit. In Mariæ ergo ſepulchro triumphat cælum de terra, quia corpus Virginis non in terra relictum, ſed ad cælumglorioſe translatum eſt, *ac etiam quia ejus corpus in cælo glorioſe receptum eſt*.

2. Chriſtus, qui ad Mariæ ſepulchrum eam ſuſcitaturus venerat; illi etiam majori cum apparatu obviam venit, ut eam in cælo recipiat. Si enim in occurſum venientis Bethſabee ſurrexit Rex Salomon; *3. Reg. 2.* quanto magis in occurſum matris, ad cælos properantis, veniſſe creditur Rex gloriæ Chriſtus? certe occurrit ei cum innumera pſallentium Angelorum multitudine, eamque ſereno vultu, benigna facie, ac ſummo affectu ſuſcepit: *Non ſolum tota cæleſtium legionum multitudo in Mariæ occurſum prodiit; ſed & filius placido vultu, ſerena facie, divinis amplexibus, eamdem ſuſcepit. D. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt.*

Narrat D. Auguſtinus, *lib. 2. de Civ. c. 4.* quod olim Romam ingreſſura *Berecinthia*, quæ a Gentilibus mater deorum vocabatur, ingenti plauſu & jubilo fuerit ſuſcepta; ac ex Romani Senatus decreto, omnium civium clariſſimus ei in occurſum egreſſus ſit. Cum ſimiliter Maria, non falſorum deorum, ſed veri Dei mater, in cælum aſcendit; non ſolum Angelorum & Sanctorum jubilantium multitudo ei obviam ivit; ſed ipſe Chriſtus Rex gloriæ, ac cæleſtium civium nobiliſſimus, ex Dei Patris decreto ei in occurſum venit. Unde Cardinalis Petrus Damiani, Aſcenſionem Chriſti cum Mariæ Aſſumptione conferens, quid glorioſius in Virginis Aſſumptione, quam in Chriſti Aſcenſione adnotat; comitatum ſcilicet: quia advenienti Chriſto, ſoli dumtaxat Angeli occurrerunt; Mariæ vero non ſoli Angeli, verum & multi alii Sancti, ac ipſe etiam Chriſtus obviam venit: *Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: matri vero, cælorum palatia penetranti, filius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quam juſtorum ſolemniter occurrens, evexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis. Petr. Dam. de Aſſumpt.* In ſepulchro ergo Mariæ cælum de terra triumphat; cum corpus ejus non in terra remanſerit, ſed in cælo glorioſe receptum ſit: *ac etiam in cælo glorioſe ſit collocatum*.

Non in aliquo ex infimis cæli thronis poſita eſt Maria; ſed *exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*. Poſtquam enim penetravit cælos, primam cæleſtium ſpirituum percurrit Hierarchiam, quæ ex Angelis, Archangelis, & Principatibus conſtituitur: ſecundam deinde pertranſiit, quæ Poteſtatibus, Dominationibus, & Virtutibus conſtat; tertiam quoque prætergreſſa eſt, quæ ex Thronis, Cherubinis ac Seraphinis componitur: ac tandem quæ ſe in hoc mundo infra Angelos & homines abjecerat, in cælo ſupra omnes Angelos in ſolio ſublimiſſimo, immediate poſt Chriſtum, collocata: *In regni ſolio ſublimis poſt Chriſtum glorioſa ſedis. S. Hieron. ſer de Aſſumpt.*

Chriſtum Maria recepit in Incarnatione, & in nobiliſſimo totius terræ loco, utero ſcilicet ſuo illum excepit; Quare ſicut Chriſtum Maria in nobiliſſimo terræ loco excepit: ita & Mariam Chriſtus in nobiliſſimo cæli loco, in ſolio, ſcilicet, ſuper omnes Angelorum Choros ſublimato, recepit & collocavit: *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit: nec in cælis regali ſolio, in quo Mariam Filius ſublimavit. S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt.* O quam ſublime eſt illud Mariæ ſolium! Sed o quam glorioſe, in ſepulchro ejus, cælum de terra triumphat!

Miramini hunc Mariæ triumphum, & timete, ne in ſepulchris veſtris, non cælum de terra, ſed Infernus de cælo triumphet. Paradiſus & infernus de animabus noſtris acriter contendunt: eas enim Paradiſus ad ſe vocare conatur: & contra ad eas deglutiendas os ſuum aperit infernus. Si autem in ſtatu gratiæ moriamur, tunc de inferno triumphat Paradiſus: quia animas noſtras ſui juris facit: ſed ſi in ſtatu peccati mortalis ex hoc mundo exeamus, tunc de Paradiſo triumphat infernus: quia animas noſtras ſuo imperio ſubdit. Sed, heu! quis in morte noſtra triumphabit? an Paradiſus? an infernus? quid tunc de animabus noſtris fiet? Tradenturne inferni tortoribus æternum cruciandæ; vel Dei miniſtris, ut ad cælum ſemper beandæ deducantur? Certe *neſcit homo finem ſuum: Eccleſ. 9. 12.* neſcimus, quid de nobis futurum ſit: ignoramus an portio noſtra futura ſit in terra viventium, vel in terra miſeriæ & tenebrarum. Attamen penes nos eſt, aut beatitudinem aſſequi, aut inferno addici: penes nos eſt, ut de inferno triumphet Paradiſus, quia penes nos eſt, caute ambulare, Dei mandata ſervare, & quæcumque ad vitam æternam obtinendam neceſſaria ſunt, adimplere: quare caute ambulemus vocatione, qua vocati ſumus, Dei juſſis obtemperemus, quæcumque vult faciamus, & in morte noſtra de inferno triumphabit Paradiſus, animæque noſtræ ad cælum migrabunt, ut in perpetuas æternitates Deo fruantur. *Amen.*

DE ASSUMPTIONE

B. VIRGINIS MARIÆ:

CONCIO SECUNDA.

Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4. 8.

SIcut olim veteris Teſtamenti Patres, ſummo affectu, Chriſti adventum exoptarunt, ita & Mariæ ſacrorum Prophetarum oraculis prænuntiatæ, manifeſtis typis & figuris præſignatæ, atque illuſtribus in matronis adumbratæ, nativitatem ſummopere concupiverunt, illum venire deſiderabant, ut ſalvaret populum ſuum, & iſtam ut Salvatorem ſæculorum, ipſum Regem Angelorum in lucem ederet. Certabant omnia pro adventu Chriſti, qui omnium eſt Deus & ut ait D. Damaſcenus, ſæcula, anni, menſes & dies de Mariæ adventu contendebant: *Certabant ſæcula, quandonam ortu Virginis gloriaretur. Damaſc. orat. de nat. Virg.*

Si au-

Si autem Mariam in hunc mundum venire, ardenter deſiderarunt homines, qui ante ejus ortum in terra habitabant; eam, fato functam, ad cælum aſcendere, non minori cum affectu exoptarunt cives cælici. Illam enim expectabant, Chriſtus ut matrem, Angeli ut Reginam, & Virgines ut earum decus, & primiceriam: omneſque cæli incolas mihi audire videor, exclamantes: o Maria, cæleſtis Regis Sponſa & Mater; *veni de Libano, veni; coronaberis*, Venit: Maria ad cælum aſcendit, & quæ in hoc mundo humillima extiterat, triumphali apparatu hodie ad cælum properat, in cælo recipitur; & in cælo coronatur. Admiremur hodiernum Mariæ triumphum, &c. *Ave.*

Dies Aſſumptionis, eſt triumphalis beatiſſimæ Virginis dies, in quo triumphali apparatu ad cælum aſcendit, in cælo recipitur, in cælo ſublimatur: *Ad cælum aſcendit* Virgo, mirabili virtutum varietate, quaſi curru aureo vecta: *In cælo recipitur* a Chriſto & Angelis ei obviam venientibus, eique honorem ineffabilem impendentibus: *In cælo ſublimatur*, ac ad magnificum & eminentiſſimum cæli thronum ſuper omnes Angelos, & ſuper omnes puras creaturas exaltatur. Quare, ut hodiernum Mariæ triumphum, non ſegniter & perfunctorie, ſed ſerio & ſedulo perſcrutemur; videamus: 1. Currum triumphalem quo Maria ad cælum vehitur; quo nullus eſt clarior: 2. Pompam qua in cælo recipitur; qua nulla magnificentior: 3. Thronum ad quem in cælo ſublimatur; quo poſt divinum, nullus eminentior: *Currus triumphalis*, quo Maria ad cælum evehitur: *Pompa magnifica*, qua in cælo recipitur, *Thronus ſublimis*, ad quem in cælo ſublimatur, En tres Mariani triumphi & concionis hujus partes.

PRIMA PARS.

Currus triumphalis, quo Maria ad Cælum vehitur.

Virtutes & merita, ſunt currus aureus, quo quiſque ad cælum vehitur; eoque altius in cælo quiſque collocatur, quo pluribus virtutibus & majoribus meritis ornatus ex hoc mundo exivit. Aureo hoc curru ad ſuperos evecta fuit Maria, quæ omni virtutum genere floruit, & quæ præclaris ſuis meritis omnes alias creaturas longe anteceſſit. Sed eam ad cælum potiſſimum evexerunt puritas, humilitas, & charitas: 1. Puritas intemerata, qua floruit: 2. Humilitas profunda, qua polluit: 3. Charitas ardentiſſima, qua ſuccenſa fuit.

1. Tanta Mariæ fuit puritas, ut omnibus puris creaturis potior extiterit: nec ejus puritate major aliqua ſub Deo intelligi potuerit: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major ſub Deo nequit intelligi. S. Anſel. lib. de Con. Virg.* Pereximia autem hæc puritas, eſt prima pars currus triumphalis, quo Maria ad cæleſtia regna hodie vehitur. Et ut ait S. Anſelmus, Maria, puritate ſua non ſolum ad infima, verum & ad ſubliniora cæli Tabernacula & ſolia, evecta & exaltata eſt: Cum enim puritate omnes creaturas anteceſſerit; ita & per puritatem ſupra omnes creaturas ad ſolium eminentiſſimum ſublimata eſt: *Sicut nulla poteſt ſub Deo major puritas Virginis puritate intelligi, ſic ſub Deo locus ipſi propinquior intelligi non poteſt illo, ad quem Virgo eſt aſſumpta. S. Anſelm. ſer. de B. Virg.*

Providentia divina, ut advertit Albertus Magnus, eo ordine creaturas diſpoſuit, ut quo puriores, eo eminentiores ſint, & ſitu ſuo elevatiores. Terra enim, quia craſſior & impurior, in mundi centro ponitur; aqua, quæ terra purior eſt, ſupra eam locatur: ſupra aquam aer: ſupra aerem ignis: ſupra ignis ſphæram ſtatuuntur cæli: & inter cælos hi ſemper excelſiores, qui ſunt puriores. Si autem idem ordo in omnibus ſervetur, Mariam non in terra remanſiſſe: ſed ſuper omnes cælos, ac ſuper omnem creaturam exaltatam eſſe nullus inficiabitur; quæ enim omnibus creaturis purior extitit, puritate ſua ſuper omnes creaturas ſine dubio exaltata eſt. *Locus*, ut ait Philoſophorum Princeps, *debet eſſe proportionatus locato*: quare cum Maria omnibus puris creaturis purior fuerit, puritas ejus exigit ut non in terra, quæ impura eſt, ſed in cælo, ac in loco cæli eminentiori & Dei Throno propinquiori exaltetur. Maria ergo ad cælum elevata eſt puritate ſua: ſed ad cælum etiam elevata eſt *humilitate ſua*.

2. Quanto major, tanto & humilior extitit Maria: & quæ dignitate alias omnes creaturas anteceſſit, eas omnes humilitate præivit: *Cum prima eſſes omnium, ſe noviſſimam faciebas. S. Bern. ſup. ſignum magnum.* Supereminens autem hæc ejus humilitas, eſt altera pars currus triumphalis, quo Maria a terra ſublevatur, & ad cælos vehitur: quia enim infra homines in hoc mundo ſe humiliavit, ſupra omnes Angelos in cælo exaltari meruit: *Nunquam ſupra Choros Angelorum fuiſſet exaltata, niſi infra homines fuiſſet humiliata. S. Bernard.*

Primum in Schola Chriſti principium hoc eſt, quod ut quis aſcendere valeat, deſcendat neceſſe eſt: vera enim ad exaltationem via, humiliatio eſt: quia *qui ſe humiliat exaltabitur. Matt. 23.* Quod veriſſimum eſſe aſſeruit Chriſtus; cum, rogantibus Apoſtolis, quis eorum major futurus eſſet in regno cælorum? adſtantem indicans parvulum, reſpondit: *Quicumque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum. Matt. 18. 4.* Non magnus futurus eſt in regno cælorum, qui in hoc mundo ſuperbierit; ſed qui humilitatem ſectatus erit: & quo quis in hoc mundo profundius per humilitatem deſcenderit, eo poſt mortem ad altiores cæli Thronos conſcendet. Quare cum Maria in hoc mundo per humilitatem profundiſſime deſcenderit, altiſſime per humilitatem in cælum aſcendit: ac ſuper omnes Angelos in cælo eſt exaltata, quia infra omnes homines in hoc mundo eſt humiliata. Maria ergo ad cælum elevata eſt humilitate ſua; ſed ad cælum eſt etiam exaltata *charitate ſua*.

3. Tanta Virginis in Deum extitit amor, inquit S. Anſelmus, ut, omnium mortalium, adde Seraphinorum & cæleſtium omnium ſpirituum, amorem in unius pectus, velut in fornacem ardentiſſimam collectum contempleris, frigus erit & glacies, reſpectu amoris qui in corde Mariæ deflagravit: *Superat omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris illius Virginis in filium ſuum; & dulcedinis immenſitas, qua exhalabat, & liqueſiebat anima ejus in eundem Dominum. S. Anſelm. de excell. Virg. c. 4.* Hæc autem Mariæ charitas,

eſt

eſt altera pars currus, quod ad regna cæleſtia ſublimatur: aſcenſus ejus fuit purpureus, media charitate conſtratus; & tanto altius in cælo eſt exaltata, quanto ardentius amore Dei in hoc mundo fuit accenſa. Charitas enim qua ardemus in via, eſt menſura gloriæ qua fruemur in patria; certumque eſt, quod tanto elevatiores erimus in regno Dei, quanto charitate ardentiores in hoc mundo fuerimus: quare cum charitas qua exarſit Maria in hoc mundo, omnium creaturarum charitatem ſuperaverit; ita & in cælo per charitatem ſupra omnes creaturas exaltata fuit.

Mariam Phœnicem vocat Beatus Amadeus: *Homil. de laud. virg. O Phænix aromatizans*. Dici poſſet, eam vocari *Phænicem*; quia ſicut imminente Phœnicis interitu, aliæ volucres undique convolant, & hanc avem, de ſingularitate famoſam, quaſi admirabundæ ſpectant: ita & ad Deiparæ, quaſi ad Phœnicis obitum, ex variis mundi partibus omnes Apoſtoli, veluti Aquilæ, convolarunt. Sed dicamus, Mariam vocari *Phænicem*: quia ſicut Phœnix in igne moriens, in fumum reſolvitur, qui verſus cælum aſcendit: ita & Maria in igne charitatis moriens ad cælum aſcendit, ſicut virgula fumi: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi? Cant.* 3. 6. Nec ſolum ad infimas, verum ad ſupremas, cæli ſedes aſcendit: quia cum ardentiſſimus fuerit ignis charitatis, quo in hoc mundo exarſit; ita & eminentiſſimus eſt cæli thronus ad quem aſcendit: ut enim ait D. Auguſtinus: *Maria Angelicam tranſiens dignitatem, uſque ad ſummi Regis thronum ſublimata eſt*. Ecce currum triumphalem, quo Maria ad cælum exaltata eſt: *admiremur nunc pompam, qua in cælo recepta eſt*.

SECUNDA PARS.

Pompa, qua Maria in cælo recipitur.

CŒtus, lætitia publica, & munera in Reginæ alicujus receptione conſiderantur: ac tunc Reginam aliquam magna pompa, magnoque apparatu in quadam regni ſui civitate receptam fuiſſe dicimus, cum cœtus, qui ei obviam ivit, nobilis extitit & numeroſus; cum magna & extraordinaria data ſunt lætitiæ ſigna; & cum ei pretioſa & opulenta oblata fuere munera. Maria autem in civitate & in regno cæleſti maxima pompa, maximoque apparatu recepta fuit: ſi conſideremus: Qualis fuerit cœtus, qui ei obviam ivit: 2. Quantum extiterit gaudium illorum qui ei venienti occurrerunt: 3. Quæ & qualia fuerint munera, quæ illi oblata ſunt.

1. Comitatus, qui Mariæ ad cælos properanti occurrit, non ex feris militibus, ex terrenis civibus, ex Magiſtratibus, & aliis mundi Magnatibus; ſed ex ſanctis Confeſſoribus, ex puris Virginibus, ex invictis Martyribus, & triumphantibus Apoſtolis; ex Patriarchis, Prophetis, Angelis, Archangelis, & omnibus prorſus cæli civibus fuit compoſitus. Nec ſoli Angeli, & Sancti qui tunc in cælo erant, in Dei genitricis occurſum prodierunt; ſed ipſe etiam Chriſtus ingenti majeſtate & gloria obviam venit matri ſuæ: *Non ſolum tota cæleſtium legionum multitudo in Mariæ occurſum prodiit, illamque ad thronum gloriæ magno devotionis affectu deduxit: ſed & filius placido vultu, ſerena facie; divinis amplexibus, eamdem ſuſcepit. S. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt.*

Comitatus, qui Mariæ ad cælos venienti occurrit; in aliquo ſimilis, & in aliquo diſſimilis fuit comitatui, qui Chriſto ad cælos aſcendenti obviam venit. *Similis* quidem in hoc, quod ſicut Chriſto ad cælos aſcendente, omnes cæleſtes cives extra cætum exierunt, ut ei venirent obviam: ita in Mariæ Aſſumptione, totum cælum civibus quaſi evacuatum eſt; quia omnes ei obviam properarunt: *Diſſimilis* etiam: quia, ut præclare adnotavit Petrus Damiani, comitatus qui Mariæ occurrit, dignior fuit & nobilior: ſoli enim Angeli Chriſto occurrerunt; Mariæ vero cum Angelis, & Sanctis pluribus, occurrit ipſe Chriſtus: *Attolle oculos ad Aſſumptionem Virginis, & ſalva filii majeſtate, invenies occurſum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt; matri vero, cælorum palatia penetranti, filius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quam juſtorum ſolemniter occurrens, evexit ad beatæ conſiſtorium ſeſſionis. Petrus Dam. ſerm. de Aſſumpt.* Ecce qualis in receptione Mariæ fuerit cœtus eorum, qui ei obviam venerunt. Sed *quanta gaudii & lætitiæ ſigna ediderunt*;

2. Cum Regina aliqua in præcipuam regni ſui civitatem ſolemni pompa ingreditur, divites & pauperes, ſenes cum junioribus ovantes jubilant, & undique tubarum clangor, ac variorum inſtrumentorum muſicorum gratiſſimus auditur concentus, in ſignum inſolitæ lætitiæ, qua cujuſque cor afficitur; ſed, o quam majora cives cælici edunt lætitiæ teſtimonia in adventu Reginæ cælorum, quæ hodie triumphali pompa in cælum ingreditur: *Quo gaudio, qua feſtivitate, quibus concentibus jubilabant omnes beatorum ſpirituum ordines, quando & unicam Domini ſui matrem advenire, & ipſum Dominum ſuum ei videbant, omni ſua gloria decoratum, velle occurrere. Sanctus Anſelmus lib. de excellent. Virg. cap.* 8.

Cum David, & omnes filii Iſrael Arcam teſtamenti Domini, quæ Mariæ proculdubio typus erat, traduxerunt; præ ſummo gaudio exultarunt, jubilarunt, magnoque inſtrumentorum muſicorum concentu, conceptum animo gaudium manifeſtarunt. 2. *Paral.* 5. Sed longe majora inſoliti gaudii ſigna ediderunt cælites, cum in cæleſti Jeruſalem recepta eſt Arca myſtica Dei genitrix Maria; ut enim aſſerit Sanctus Ildephonſus, eam omnes cum Hymnis & Canticis, ac cum ſonora inſtrumentorum muſicorum modulatione feſtine receperunt: *Cum illa in cæleſtem Jeruſalem evehitur, quantus exercitus Sanctorum præcurrit cum Hymnis & Canticis. Nec dubium, quin illa centum quadraginta quatuor millia, qui in conſpectu ſeniorum ſunt, tenentes cytharas ſuas, cecinerint cum omni fragore cæli Canticum novum, quod nemo poteſt dicere, niſi ipſi, qui hodie feſtive venirunt obviam cum cytharis ſuis. S. Ildephonſ. ſerm. 1. de Aſſumpt.* Qualis & quanta hæc cæleſtium civium fuerit harmonia; quantumve eorum gaudium extiterit, vix humana mens capere valet; & ideo hæc magna ſunt, quia quanta ſint concipere nequimus. Magnum

Digitized by Google

gnum ergo in receptione Mariæ cæleſtium ſpirituum fuit gaudium, *ſed & magna, ac magnifica extitere munera, quæ ei oblata ſunt.*

3. Mariam, in hoc mundo viventem, tantis Deus gratiæ donis replevit, ut nulli puræ creaturæ majora unquam collata ſint; & ut ait S. Bernardinus: *Tom. 1. ſerm. 61. art. 2. c. 10. tanta gratia Virgini a Deo data eſt, quantum uni puræ creaturæ dari poſſibile eſſet.* Sicut autem eam Deus in hoc mundo gratiarum donis ditavit: ita & ei in cælum intranti, cæleſtia dona abundantiſſime contulit. Beatificas enim, tum animæ, tum corporis dotes; Aureolas Virginitatis, Doctoratus, & Martyrii, ipſamque gloriam eſſentialem, nobiliori haud dubie, & perfectiori modo quam ulli puræ creaturæ, ei Deus impertitus eſt; & inſuper ſpecialiora ei munera tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ obtulerunt; eam ſiquidem Pater æternus ſuæ potentiæ, Filius ſuæ ſapientiæ, & Spiritus Sanctus ſuæ bonitatis participem fecit. Suam Pater æternus ei ita communicavit potentiam ut de Maria B. Gregorius, Nicomedienſis Archiepiſcopus auſus ſit dicere: *Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo juſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſerviunt. S. Greg. orat. de edit. B. V. in Templo.* Ei Filius tam eximia ſapientiæ ſuæ dona præbuit, ut dicat Dionyſius Carthuſianus, *in c. 5. Cant.* quod *ſplendiſſima & exuberantiſſima ſapientia ei fuit infuſa.* Eam Spiritus Sanctus bonitatis ſuæ charactere ita ſignavit & inſignivit, *ut quemadmodum Sol ſuper bonos, & malos indifferenter oritur, ſic Maria omnibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu. S. Bern. serm. de Verb. Apoſt.*

Egregiam quamdam Virginem deſcribit Heſiodus, quam deorum omnium matrem fuiſſe finxerunt Poetæ, quamque dii tanto amore proſecuti ſunt, ut ſinguli ſingula munera ei liberaliter dederint: Mars ſcilicet fortitudinem, Pallas ſapientiam, Apollo muſicen, Mercurius eloquentiam, Venus gratiam, & Juno ſingularem venuſtatem. Unde hæc Virgo *Pandora*, hoc eſt, *donum omnium deorum* vocata eſt; quia ab omnibus diis ſpecialia dona acceperat. Hæc autem, quæ profana & fictitia in ſe ſunt, in B. Virgine aliquomodo vera eſſe comprobantur; ipſa etenim unius Dei veriſſima mater eſt, eam tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ ſummopere dilexerunt, eamque in cælum hodie ingredientem innumeris donis cumularunt.

Ecce pompam, qua hodie in cælis recepta eſt Maria. Miramini prænobilem hunc comitatum, qui ei obviam venit; audite cæleſtem hanc harmoniam, quæ ab Angelis ipſi occurrentibus efformatur, contemplamini pretioſa quæ ei offeruntur munera; ſed viſo jam modo, quo Maria in cælis recepta eſt, *contemplemur thronum, ad quem exaltata eſt.*

TERTIA PARS.

Thronus ad quem Maria in cælo exaltata eſt.

THroni omnes ad quos Sancti ſublimati ſunt, vocari poſſunt throni gloriæ, juſtitiæ & miſericordiæ. Sunt *throni gloriæ & honoris*, quia in iis maxime honorantur & glorificantur. Sunt *throni juſtitiæ & meriti*; quia a Deo illis dati ſunt, quaſi eorum meritis ex juſtitia debiti. Sunt *throni gratiæ & miſericordiæ*; quia in iis ſedentes, gratiam & miſericordiam a Deo nobis impetrant. Sed thronus ad quem hodie exaltata eſt ſancta Dei genitrix, longe ſpecialiori, & nobiliori modo eſt: 1. Thronus gloriæ & honoris: 3. Thronus juſtitiæ & meriti: 3. Thronus gratiæ & miſericordiæ.

1. Mariani throni gloriam & celſitudinem omnes mirantur Doctores; ac Mariam non ſolum ſuper omnes puros homines, verum & ſuper Angelorum Choros ſublimatam eſſe dicunt. *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cæleſtia regna.* Eam infra Deum & ſupra omnes Angelos ſpecialem aliquam hierarchiam conſtituere cenſet Pariſienſis Cancellarius, dicens: *Virgo ſola conſtituit hierarchiam ſecundam ſub Deo trino, & uno, hierarcha primo. Gerſon. ſuper Magnificat Tract. 4.* Mariæ ſolium ſupra omnes Angelorum ordines ita eſſe poſitum ait Guerricus Abbas; ut nihil ſupra ſe contempletur mater, niſi Filium; nihil miretur ſuper ſe Regina, niſi Regem; nihil veneretur ſuper ſe mediatrix noſtra, niſi mediatorem ſolum: *Matrem dico exaltatam ſuper Choros Angelorum, ut nihil contempletur ſuper ſe mater niſi filium ſuum. Guerric. ſer. 4. de Aſſumpt.*

Glorioſiorem adhuc eſſe Mariæ thronum cenſent non pauci; qui non infra, ſed juxta filium eam in cælo ſedere arbitrantur. Sicut thronus Matris Regis Salomonis poſitus erat juxta thronum filii ſui: *Salomon ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſque thronus matris Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. 3. Reg. 2.* Ita thronus Matris Chriſti poſitus eſt in cælo juxta thronum filii ſui. Ut enim ratiocinatur Albertus Magnus: *Si Mater Regis: ergo juxta Regem.* Eamque juxta Chriſtum Regem, ac a dextris ejus poſitam eſſe aſſerit S. Athanaſius: *hodie*, inquit, *collocatur Maria a dextris Dei, ut canitur in Pſalmo: Aſtitit Regina a dextris tuis.* Thronus ergo ad quem hodie Maria ſublimatur, eſt thronus gloriæ: *Eſt etiam thronus juſtitiæ, quia ei juſte debetur hic thronus.*

2. Sicut ſibi ex juſtitia deberi & reddi coronam gloriæ ait D. Paulus: *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus Judex, 2. Tim. 4. 8.* ita & Mariæ ſublimiſſimus in cælis thronus ex juſtitia debebatur, quia virtutibus quibus adhæſerat, ad illum extolli meruit. Thronus cæleſtis, tum a gratia quidem, quia ſine Dei gratia & miſericordia, nulla ſunt merita noſtra, a juſtitia vero, quia ſuppoſita gratia, & Dei promiſſione, operibus bonis ex juſtitia thronus & corona cæleſtis redditur. Quare cum immenſa propemodum fuerit gratia, quam a Deo percepit Maria, cum etiam incomprehenſibilia ſint opera meritoria, quæ cum talis gratiæ auxilio elicuit, per hæc opera cum gratiæ auxilio elicita, ad thronum gloriæ ſublimiſſimum ex juſtitia exaltari meruit: *Sicut eſt ineffabile quod percepit; ſicut eſt incomparabile quod geſſit: ita & incomprehenſibile præmium gloriæ quod meruit. S. Ildeph. ſerm. 1. de Aſſumpt.*

Incomprehenſibilia ſunt gratiæ dona, quæ ab inſtan-

Digitized by Google

ſtanti Conceptionis Maria accepit, cum autem talis gratia in ea numquam fuerit otioſa, certum eſt, quod ab inſtanti Conceptionis, uſque ad inſtans quo animam exhalavit, indeſinenter operibus meritoriis vacaverit. Ad meriti amplitudinem *momenta condenſabat Virgo. Ennod. in Vita Epiph.* ſingulis enim momentis meritorios actus eliciebat; qui cum eſſent intenſiſſimi & perfectiſſimi, quolibet actu geminatum gratiæ augmentum merebatur. Unde ſi colligantur merita quæ in fine vitæ habuit, ea quodammodo immenſa fuiſſe, ac omnium Sanctorum merita ſuperaſſe creditur: quare cum meritis Angelos & homines anteceſſerit, ex juſtitia in throno nobiliſſimo, ſupra omnes Angelos & homines collocari meruit: *Sicut habuit meritum omnium & amplius; ita congruum fuit, ut ſupra omnes ponatur ordines cæleſtium. D. Th. l. de ſolemn. Sanct.* Thronus ergo ad quem hodie Maria ſublimatur, eſt thronus juſtitiæ: quia ejus meritis juſte debetur; ſed eſt etiam *thronus gratiæ & miſericordiæ: quia in eo ſedens Maria, erga nos ſe miſericordem exhibet.*

3. Maria, ad ſublimiſſimum cæli thronum exaltata, noſtri non obliviſcitur: eſt ſemper *Mater Miſericordiæ*, quæ miſeriarum noſtrarum meminit: *O beata Virgo*, inquit Petrus Damiani, *ſerm. 1. de nat. Virg. nunquid quia ita deificata, ideo noſtræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina: ſcis in quo diſcrimine nos reliqueris: ubi jaceant, quantum delinquant ſervi tui. Non enim convenit tantæ miſericordiæ, tantam miſeriam obliviſci.* In throno cæleſti ſedens Maria, noſtri quidem meminit, ac erga nos ſe miſericordem præbet: & ſicut Chriſtus advocati noſtri munus gerit apud Patrem; ita & Maria advocata noſtra eſſe dignatur apud Deum, ut ab eo nobis gratiam & miſericordiam obtineat, & noſtræ ſalutis negotia pertractet: *Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tamquam Judicis Mater, & Mater miſericors, ſupplicitet & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit. S. Bern. ſer. 1. de Aſſumpt.*

Magna ſemper extitit Mariæ erga miſeros miſericordia; ſed nunc major, cum in throno cæleſti ſedet: *Magna fuit erga miſeros miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; ſed multo major erga miſeros eſt miſericordia ejus jam regnantis in cælo. D. Bon. in ſpec. Virg. c. 8.* Tanta eſt miſericordiæ ejus amplitudo, ut ad omnes penitus homines ſe extendat: *Quis eſt*, ut ſubdit Doctor Seraphicus, *ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat?* Certe Mariæ in cæleſti throno ſedentis Miſericordia juſtos & peccatores, ac omnes penitus homines reſpicit; & ut ait S. Bernardus, *ſer. 4. de Aſſumpt. Miſericordia Mariæ plena eſt terra.* Thronus ergo Mariæ in cælo regnantis, eſt thronus gratiæ & miſericordiæ. Quare adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ: Mariæ humiliter imploremus auxilium; ac ſollicite rogemus eam, ut gratiam ſalutis a Deo nobis impetret, ſuoſque oculos miſericordes ad nos convertat.

Cum Mariam Chriſtus ad thronum cæleſtem exaltavit, eam cæli theſaurariam, ac cæleſtium bonorum diſpenſatricem conſtituit: ita ut quidquid bonorum ſpiritualium accipimus, per eam obtineamus: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt, o Maria. Rup. in c. 4. Cant.* Si enim Conſtantinus Imperator tanti fecit Helenam matrem ſuam, ut poteſtatem ei dederit Regis theſauris utendi pro ſuo arbitratu, *Ruffin. l. 10. Hiſt. Eccl.* quis, ſanæ mentis, judicabit, Chriſtum Dominum, utpote Conſtantino longe magnificentiorem, matri ſuæ Mariæ amplam non dediſſe facultatem, ut ad arbitrium ſuum de locupletiſſimo divinæ Miſericordiæ ærario diſponeret? Certe hæc ei a filio poteſtas collata eſt. Unde Maria vocatur *Eccleſiæ collum*, quia ſicut in corpore humano omnes ſpiritus ſenſitivi a capite ad inferiores corporis partes per collum deſcendunt; ita & Maria eſt quaſi collum, per quod ab Eccleſiæ capite Chriſto ad nos, omnes gratiæ cæleſtes deſcendunt & mittuntur. In hac ergo amantiſſima miſericordiæ matre ſpem noſtram collocemus: ejus auxilium invocemus: quo mediante gratiam in hoc mundo & æternam in cælo beatitudinem obtinebimus. *Amen.*

DE SANCTO ROCHO.

CONCIO UNICA.

Non eſt inventus ſimilis illi. Eccli. 44.

NOn plebeji cujuſdam, aut viri humilis loco nati; ſed hominis prædivitis, ex illuſtri proſapia orti, & avita nobilitate fulgentis elogium conficere, mihi nunc onus incumbit. Capit haud dubie unuſquiſque veſtrum, quod de S. Rocho loquar, de viro, inquam, illo admirabili, qui a perilluſtri Montis Peſſulanæ civitatis Comitum progenie oriundus, legitimus & verus eorum erat hæres, magniſque in ſæculo divitiis frui poterat. Sed inſpirante Patre luminum, abdicatis terrenis omnibus, a patria & parentibus, pietatis cauſa, diſceſſit; ac plurima loca ignotus peragravit; ubique in omnes effundens pereximiæ ſanctitatis odorem, & præcipue in eos qui contagioſo peſtis morbo affligebantur, quorum obſequio ſe mancipavit, & tum eis inſerviens, cum peſtis dolores æquanimiter perferens, mirifica omnium virtutum exempla edidit, omnibuſque imitanda reliquit.

Virum illum ſanctiſſimum non laudabo a parentibus, a divitiis, a nobilitate, & ab aliis multis, ex quibus hominum elogia contexere ſolent Oratores profani; ſed illum collaudabo a fervente charitate, qua infirmis peſte correptis inſervivit, a generoſa illa patientia, qua peſtilentiæ cruciamenta ſuſtinuit, & a miranda poteſtate, qua infirmos, peſte laborantes, ſanavit, & ſanare non deſinit. Hæc ſunt, in quibus alios Sanctos ille præiſſe videtur; hæc ſunt illi ſpecialia, & in his nullus alius Sanctus ei par fuiſſe creditur: *Non eſt inventus ſimilis illi.* De his ergo, &c. *Ave.*

PEſtis eſt morbus contagioſus, gravis & difficile ſanabilis: *Eſt morbus contagioſus:* & ideo pauciſſimos reperire eſt, qui peſte laborantibus ex charitate ſervire velint: *Eſt morbus gravis*, & ideo pauci illum æquo, patientique animo perferunt: *Eſt morbus difficile ſanabilis:* & ideo paucis datur virtus ad illum ſanandum. Sed S. Rochus fuit vir admi-

mirabilis: *& non eſt inventus ſimilis illi* in charitate, in patientia, in poteſtate: *In charitate*, qua infirmis peſte laborantibus inſervivit: *In patientia*, qua peſtis dolores pertulit: *In poteſtate*, qua homines peſte correptos in vita ſanavit, & poſt mortem ſanare non deſinit. Videamus S. Rochi charitatem, patientiam, & poteſtatem: 1. *Charitatem*, qua infirmis peſte laborantibus ſervit: 2. *Patientiam*, qua peſtis dolores ſuſtinet: 3. *Virtutem & poteſtatem*, qua infirmos peſte correptos ſanat.

PRIMA PARS.

Charitas, qua S. Rochus infirmis, peſte laborantibus, ſervit.

DEum, in ſe præciſe conſideratum, amare non eſt difficile animæ, quæ cæleſti ſuperfuſa lumine, illum perfecte cognoſcit. Suprema etenim ejus majeſtas, infinita bonitas, ſapientia ineffabilis, pulchritudo ſemper antiqua & ſemper nova, necnon innumeræ aliæ perfectiones in tanto objecto adunatæ, tot modis, tamque fortiter animam, divinitus irradiatam, ad Dei amorem alliciunt, ut eam divino amore non ardere, quaſi impoſſibile videatur, & ut ait S. Bernardus, non homo, ſed monſtrum eſſet, qui Deum ſic cognitum, non amaret.

Aliter loquendum de Deo in creaturis ſuis conſiderato. In iis etenim perfectiones pauciſſimæ reperiuntur: & hæ perfectiones ita exiles, totque circumdatæ & annexæ ſunt imperfectionibus, ut contemptum & odium potius, quam amorem inſpirent. Unde Deum in quibuſvis creaturis amare difficillimum eſt: ſed præcipue in pauperibus & infirmis: ubi oculi noſtri objecta dumtaxat vident miſeratione digna, ubi aures nonniſi clamores, planctus & gemitus audiunt; ubi nares nil niſi fœtores, & contagioſas exhalationes odorantur. Sed quid de his pauperibus & infirmis, qui peſtis lue feriuntur? Quid de his, qui cum peſtilentia laborent, tantum omnibus horrorem & timorem incutiunt, ut a cunctis plerumque fugiantur, & deſtituantur? Deum quidem in illis amare, ſeu illos amare, illiſque propter Deum ſervire, arduum, naturæ propenſionibus repugnans, & ſupra modum difficile eſt. S. autem Rochus, qui Deum, in ſe conſideratum, ſemper amavit ut bonum, ut ſanctum, ut miſericordem, & ut omni perfectionum genere præditum, tanta adhuc in Deum exarſit charitate, ut in infirmis peſte correptis illum amaverit. Relictis namque parentibus, amicis, & terrenis omnibus bonis ad loca diſſita perrexit, ubi in xenodochiis, maximo charitatis affectu, infirmis peſtilentia laborantibus propter Deum ſtudioſe inſervivit.

Sciebat vir ſanctiſſimus, Deum, qui non videtur, non poſſe perfecte amari, ſi non ametur in fratribus noſtris quos videmus: *Qui non diligit fratrem, quem videt: Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* 1. *Joann.* 4. Quarè ut quam perfectiſſime Deum amaret, amavit eum, etiam in fratribus illis, quos inopes, afflictos, infirmos, & peſtilentia confectos vidit. In quolibet infirmo, peſtilentia correpto, ſuum erga Deum manifeſtabat amorem, utpote quia quemlibet amabat, cuilibet compatiebatur, & cuilibet, quantum fas erat, propter Deum ſtudioſe inſerviebat; Unde ſicut, teſte Auguſtino, tantus Chriſti in omnes homines fuit amor, ut calamitates eorum videre non poſſet, quin protinus ad iis ſuccurrendum inclinaretur: *Non poteſt miſerias ſcire, & non ſubvenire*: ita S. Rochi in infirmos, peſte laborantes, tanta fuit charitas, ut miſerias eorum videre & ſcire non poſſet, quin ſtatim ad iis ſubveniendum adduceretur. Cum enim peſtilentiam in aliquo loco graſſari diſcebat, charitatis igne ſuccenſus huc properabat, infirmorum obſequio ſe offerebat, iiſque ſummo affectu ſerviebat.

Sancti illius viri charitas, fortis erat ut mors; *Fortis ut mors dilectio*. Immo ipſa morte fortior erat, quia charitatis igne incenſus non ſemel dumtaxat; ſed pluries, ſed toties quoties mortis diſcrimini ſe exponebat, ut peſte correptis auxiliares manus præberet. Cum infirmum aliquem contagioſo morbo confectum; & jam extrema agentem ſciebat, ad eum properabat, dicens in ſemetipſo: *Eamus & nos, & moriamur cum eo. Joann.* 11. Cum ad alium oculos convertebat, ad alium advolabat, intus dicens: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Alas ei dabat charitas, quibus ad illa loca ferebatur, in quibus erant infirmi peſte correpti: ibique eis ſolatia, auxilia, & omnia charitatis officia præſtabat. O magnam S. Rochi charitatem!

Præclare dixit S. Bernardus, quod ut quis Deum perfecte amet, non hoc ſolum, aut illud, ſed & omnia facere debet, quæ pro ejus amore facere poteſt: *Tunc vere Deum diligis, ſi pro amore illius, bona quæ potes, operaris. S. Bern. de modo bene viv. ſerm.* 51. O præclaram divini amoris regulam, quam tenet, cui adhæret, & quam perfectiſſime ſectatur S. Rochus! Non eſt ſimilis ſtultis illis mundi amatoribus, qui nil non faciunt, nil non moliuntur, ut divitiarum theſauros congregent, ut fœdis ſatientur voluptatibus, & ut ad altiores dignitatum gradus conſcendant; ſed ſancto charitatis igne ſuccenſus, hoc ſemper & ubique facit, quod pro Dei amore ſe facere poſſe cognoſcit. Superno affuſus lumine agnoſcit, ſe pro Dei amore domum, patriam, parentes & divitias relinquere poſſe; hoc protinus facit. Eodem ſuperfuſus lumine videt, ſe propter Deum plurima loca ſacra peragrare poſſe, mox & illud facit. Eodem illuſtratus lumine agnoſcit, ſe ad obſequia ſua hominibus peſte correptis præbenda vocari; huic ſtatim ſe accingit operi, variaque luſtrans xenodochia, ubique maximo charitatis affectu, infirmos quoslibet, quamvis horrenda lue affectos, benigne affatur, conſolatur, omnibuſque modis ſibi poſſibilibus iis auxiliatur.

Probe novit vir ſanctus, magnos in hoc pietatis exercitio ſibi exantlandos labores; videt, graviſſima ſibi imminere mortis pericula, ſed *omnia ſæva & immania, facilia & prope nulla facit amor. S. Aug. de Verbis Dom. ſer.* 9. quare charitate ardens omnia quæ poteſt, generoſe facit, ut peſte correptis ſubveniat, eiſque, etiam in imminenti propriæ vitæ diſcrimine, omnibus modis ſibi poſſibilibus inſervit. Et ideo S. Rochus charitatis Martyr vere fuit, ſi non de facto, ſaltem voluntate & deſiderio, qua in fraternæ charitatis exercitio mori quæſivit, nec per illum ſtetit, quin in ſanctiſſimo hoc exercitio vitam

finiret, & animam efflaret; ac proinde non martyrio voluntas, ſed voluntati martyrium defuit. O portentoſam hanc S. Rochi charitatem! Sed ſi magna fuit charitas, qua S. Rochus peſte laborantibus ſervivit: *Magna etiam fuit patientia, qua peſtis dolores ſuſtinuit.*

SECUNDA PARS.

Patientia, qua S. Rochus peſtis dolores ſuſtinuit.

C*Haritas patiens eſt*, inquit Apoſtolus, ſociamque ſemper ſibi habet patientiam; ſi etenim charitate in Deum ardeamus, pro ejus amore gravia quævis æquo animo patimur, nec dici poteſt, quod quis vere Deum diligat, ſi pro illo pati renuat. S. autem Rochus, qui charitate in Deum exarſit, patientia etiam floruit: ac ſicut ardentiſſima fuit ejus charitas, dum peſte correptis inſervivit, ita & maxima fuit ejus patientia, cum peſte percuſſus eſt: *Rochus ſæviſſimo ulcere percuſſus, & febre inſuper ardentiſſima aduſtus, eos dolores ingenti patientia ſuſtinuit. Spondo.*

Non habuit S. Rochus vanam, inutilem, & exitioſam illam patientiam, quam præferebant Gentiles; qui ut ait Tertullianus, *lib. de pat.* multa patiebantur, oſtentationis cauſa: ut ſcilicet fortes, patientes & magnanimi æſtimarentur; ac inde magnam ſibi apud homines gloriam conciliarent. Sed habuit vir ſanctus patientiam illam, quam Tertullianus vocat *patientiam Dei*, *patientiam Chriſti*: habuit chriſtianam illam patientiam, quæ docet, gravia quævis pro Dei amore, æquo & hilari animo pati; graviſſimos etenim peſtis dolores æquanimiter & jucunde pro Dei amore perpeſſus eſt.

Audiverat haud dubie S. Rochus Chriſtum, ſibi intus dicentem: (Fili ego deſcendi de cælo pro tua ſalute; ſuſcepi tuas miſerias, non neceſſitate, ſed charitate trahente, ut patientiam diſceres, & temporales miſerias non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei, uſque ad exitum in cruce non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium magnum habui: multas querimonias de me frequenter audivi, confuſiones & opprobria benigne ſuſtinui; pro beneficiis ingratitudinem recepi, pro miraculis blaſphemias, pro doctrina reprehenſiones. *A Kempis de imit. l. 3. c.* 18.) Chriſtum ſic ſibi intus loquentem audiverat vir ſanctus, quare ut Chriſti patientiam imitaretur, innumera a juventute pro Chriſti amore patientiſſime pertulit. Sed tunc maxime, cum peſtilentia correptus eſt; tunc enim tanta ejus fuit patientia ut non murmur reſonuerit, nec querimonia, ſed Deum ſemper laudaverit, omniaque tam acerbi morbi cruciamenta æquiſſimo animo ſuſtinuerit.

In multis elucet infinita Dei patientia; ſed in hoc maxime, quod innumeri æquanimiter patiatur ab his quibus benefecit, & quibus benefacere non deſinit: Nonne Deus dat omnibus affluenter? Nonne ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos? Nonne pluit ſuper juſtos & ſuper peccatores? Nonne utriſque gratias ſuas, & ſacramenta impertit? Et tamen Deus qui innumeris beneficiis omnes homines afficit, graviſſima patitur ab iis quibus benefecit. Quid non patitur ab idololatris, qui opera manuum hominum adorant? Quid non ab hæreticis, qui fidei myſteria negant, & inſtructa ad ſalutem ſacramenta profanant? quid non a perverſis multis Catholicis, qui gentiliter vivunt; & ad immania crimina declinant? Innumera ſane, & immania ab his quibus bene fecit, tacens & patienter ſuſtinet: ſicque ſe habet, quaſi non videat injurias a perverſis illis hominibus ſibi factas: *Diſſimulans peccata hominum. Sap.* 11. 24. O miram Dei patientiam! Quam quidem perfecte imitatur S. Rochus; qui æquo animo gravia patitur ab his etiam, quibus bene fecerat. Multas enim Italiæ urbes vir Dei peragrarat; & ubique charitatis ſuæ beneficia effuderat: ubique omnibus tranſeundo bene fecerat, & his præcipue qui peſte correpti erant. Cum tamen ipſe poſtea peſte correptus eſt, malum pro bono recepit, utpote quia ab urbe in qua graviſſime infirmabatur, expulſus eſt, ac coactus in ſylvam ſe recipere; ubi injuriam ab his quibus bene fecerat, ſibi factam, & gravem qua laborabat infirmitatem, æquo & hilari animo pro Dei amore perpeſſus eſt.

Poterat vir ſanctus ab hac civitate non expelli, & in infirmitate ſua ſubveniri: ſi namque nomen, patriam, & parentes manifeſtaſſet, mox debitus ei exhibitus fuiſſet honos, moxque auxilium; hoc caſu neceſſarium ei præſtitum eſſet; ſed tacuit vir Dei, nec loqui voluit, ut patiendi non ſibi præſcinderetur occaſio, utque imitaretur patientiam Dei, qui ab his etiam quibus bene fecit, graviſſima patitur. Unde de Sancto Rocho, ſicut de Deo dici poteſt, quod ſua ſibi patientia detraxerit, ſibique injuriam fecerit: *Sua ſibi patientia detrahit. Tertull. ibid.* Si etenim patientia non floruiſſet, & tam dira pro Chriſto pati noluiſſet, ſe ſolummodo manifeſtare, nomenque ſuum declarare debuiſſet; & ſtatim ab omnibus honoratus & adjutus fuiſſet; quare patientia ſua ſibi detrahit, & in caſu eſt cur deſpiciatur, abjiciatur, omnique humano auxilio careat.

O mirandam hujus ſancti patientiam! de quo ſicut de Chriſto, dici poteſt, quod *voluit ſaginari virtute patientiæ. Tertull. ib.* Poterat vir ſanctus in infirmitate ſua ab hominibus adjuvari, & ab iis adjutus fuiſſet, ſi ſe manifeſtaſſet: poterat etiam, ſi voluiſſet, ſeipſum ſanare, & a peſte liberare: pie enim credendum, quod ſicut virtute divina alios ſanarat, eadem virtute ſeipſum ſanare potuiſſet. Sed nec ab hominibus adjuvari, nec ſeipſum ſanare voluit, ut pro Chriſti amore dira pateretur, & ut patientiæ virtute ſaginaretur.

Sciebat vir ſanctus, patientiam eſſe ſacrificium Deo gratiſſimum, & holocauſtum ad placandam ejus iram aptiſſimum: *Patientia eſt holocauſtum ad altare ſuum. Lyrann. in* 1. *Reg.* 26. Quare graſſantem videns undique peſtem; ac prævidens, Deum diro hoc flagello homines uſque ad mundi finem crebro percuſſurum, patientiæ ſacrificium ei obtulit, ut iram illius mitigaret, utque eum ad hominibus indulgendum inclinaret.

Mihi videre videor Sanctum Rochum, quaſi alterum Jobum, gravi percuſſum ulcere, languidum, & quaſi exanimem qui ſeipſum in ſacrificium, & in hoſtiam placabilem Deo conſecrat. Eum hu-

mi

Digitized by Google

mi decumbentem, & contagioſo infectum morbo audire videor, Deo in patientiæ & charitatis ſpiritu dicentem: Domine, ab infirmitate, qua obruor, liberari non peto; non te rogo, ut a contagioſa hac lue ſanes me: opto potius ut malis mala adjicias, gravioribuſque corpus meum affligas infirmitatibus; modo alios ab immani hoc morbo ſerves incolumes: in mare projici cupio; ut alii a tempeſtate liberentur: percute me, quantum placuerit; ſed da ut patientiæ meæ ſacrificium apud te ſit efficax; & ut virtute ejus a peſte alii præſerventur. Miramini portentoſam hanc patientiam: miramini S. Rochum, qui maxima cum patientia peſtis dolores ſuſtinuit: *Et qui ad ſanandos peſte correptos magna virtute, & poteſtate pollet.*

TERTIA PARS.

Poteſtas, qua S. Rochus infirmos peſte correptos ſanat.

CHriſtus Dominus eſt magnus ille Medicus, qui de cælo venit, ut hominem infirmum ab omni infirmitate liberaret: *Magnus de cælo deſcendit Medicus quia magnus in terra jacebat ægrotus. S. Aug.* Quamdiu in hoc mundo moratus eſt Chriſtus, veri Medici munia perfectiſſime obivit; hominesque plurimos ab animæ ſimul & corporis infirmitatibus liberavit; omneſque omnis generis infirmos, per ſe ſolum, uſque ad mundi finem ſanare potuiſſet. Nihilominus tanta ejus in homines extitit bonitas, ut hujus poteſtatis participes facere voluerit Apoſtolos; quibus congregatis, dedit eis poteſtatem morbos ſanandi: *Convocatis Jeſus duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Luc. 9. 2.*

Hanc eamdem poteſtatem nonnullis aliis Sanctis contulit Chriſtus; dedicque aliquibus poteſtatem ad ſopiendos dentium dolores, aliis ad ſedandam podagræ tyrannidem, aliis ad tollendos acerbiores quoſque ventris cruciatus, aliis ad hemicraniam, & aliis ad paralyſim ſanandam. Sed inter omnes Sanctos B. Rochum ad liberandos a peſte homines Deus elegit: deditque ei poteſtatem curandi hunc morbum, quo nullus terribilior, periculoſior nullus, nulluſque exitioſior ab hominibus æſtimatur.

Sicut de Chriſto dicit D. Paulus; quod *in eo in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & iis qui tentantur, auxiliari. Hebr. 2.* ita & viris ſanctitate illuſtribus ſpecialiter Deus dare ſolet poteſtatem ſanandi alios in his infirmitatibus, & in his corporis partibus, in quibus ipſi paſſi ſunt. Sic ſanctis illis, quibus avulſi ſunt dentes, dedit Deus poteſtatem leniendi, & ſopiendi tetros dentium dolores: ſic illis quibus eruti ſunt oculi, tribuit Deus virturem ſanandi advenientes varias in oculis infirmitates: & ſic B. Rocho qui peſtis cruciamenta paſſus erat, contulit Deus poteſtatem homines a contagioſo peſtis morbo præſervandi; necnon a peſte liberandi eos, qui horrendo & formidando hoc morbo jam correpti ſunt.

Hanc ei a Deo datam eſſe poteſtatem conſtat ex Patribus in Concilio Conſtantienſi anno 1414. congregatis. Cum etenim in Conſtantienſi civitate, & in finitimis locis tunc peſtis graſſaretur, ex ordinatione Patrum ibi congregatorum, a cunctis invocatus eſt S. Rochus, & facta eſt proceſſio, in qua palam S. Rochi effigies deferebatur: qua completa, mox morbi hujus malignitas in iis partibus imminuta; ac intra breviſſimum tempus a Conſtantienſi ſolo peſtis penitus fugata eſt. *Spondo.*

Nec ſolum in hoc caſu: ſed & in aliis pluribus, Deum S. Rocho dediſſe poteſtatem ſanandi infirmos peſte correptos, mirabiliter eluxit. Dum in hoc mundo viveret vir ſanctus, Romam, Placentiam, aliaſque nonnullas Italiæ urbes a peſte liberavit: a tempore vero, quo fato functus, ad cælos migravit, totius Orbis Eccleſiaſtici Regna, Provinciæ & urbes illum invocant, illumque inſpiciunt, ut virum ſanctitate eximia fulgentem, & apud Deum ad ſanandos peſtilentiæ morbos potentiſſimum. Unde jam, in hoc genere morbi, S. Rochus eſt quaſi commune propitiatorium, ad quod advolant omnes, ab eo, tanquam a poteſtatem habente petituri, ut tetrum peſtilentiæ morbum evadere, vel ab eo liberari valeant.

Nec ſine cauſa ab hominibus invocatur S. Rochus: nam certo certius eſt, quod ei magnam adverſus formidandum peſtis morbum Deus poteſtatem contulerit. Et hoc non ſolum conſtat ex Concilii Conſtantienſis Patribus, ex Eccleſiæ Catholicæ teſtimonio, & ex auxilio quod illum invocantes recipiunt, ſed inſuper hoc conſtare voluit Deus ſchedula in manu S. Rochi, fato functi, inventa; in qua illum invocantibus promittebatur, quod illum ad abigendam ab ipſis peſtilentiam propitium & auxiliarem experirentur. *Spondo.* Quare cum tanta S. Rocho adverſus truculentum hunc morbum a Deo data ſit poteſtas, eum crebro invocate, & a Deo ſupplices petite, ut tam immane a vobis malum avertat. Non expectetis, donec corpora veſtra invadat, & intra viſcera veſtra irrepat hæc truculenta lues; ſed jam, ſed nunc cum bene haberis, Deum ſupplices rogate, ut tantum a vobis flagellum, mediante S. Rochi interceſſione, abigere dignetur.

Probe ſcio, quod ſi populum ſuum Deus peſtilentia jam affligeret, mox S. Rochum ſtudioſiſſime invocaretis: ſi jam in urbibus, & domibus veſtris graſſaretur peſtis, mox ad Sanctum Rochum preces & vota quiſque dirigeret, & ſacrificia ad ejus honorem celebrari curaret. Non autem expectandum donec ſuperveniat infirmitas: non dicendum: tunc advocabo medicum, cum infirmus ero; tunc Sanctum Rochum ad meum auxilium vocabo, cum peſtis undique graſſabitur; ſed antequam adveniat contagioſus peſtilentiæ morbus, Sanctum hunc invocate, illumque adverſus tantum malum in Patronum, & Protectorem aſſumite. Aſt in primis ab illo ſupplices petite, ut gratiam a Deo impetret, qua ab animæ peſte liberari valeatis. Peſtis iſta nil aliud eſt quam mortale peccatum; a quo, tanquam a teterrima peſte, inficiuntur, corrumpuntur, & ſpiritualiter occiduntur animæ: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Ezech. 18.* Hæc eſt peſtis teterrima, quæ ſpiritualem & æternam animæ necem infert; quare S. Rochum potiſſimum rogate, ut gratiam a Deo obtineat, qua mediante, iſtam animæ peſtem procul pellatis. Fugato enim a cordibus

bus veſtris lethali peccato, gratiam & gloriam dabit Dominus. *Amen.*

DE SANCTO BERNARDO.

CONCIO PRIMA.

Magna virtus ejus. Pſalm. 145.

VIri ſancti in hoc mundo ſunt cæli myſtici, qui virtutibus ſuis, tanquam tot ſtellis, emicant. Sed ſicut ſtella differt a ſtella in claritate: ſic & Sanctus unus ab alio in virtute differt; ita ut eorum aliqui minus, & alii magis virtutibus ſuis refulgeant. D. autem Bernardum inter Sanctos inferioris notæ nullus unquam annumeravit; ejusque virtutes infimi extitiſſe ordinis, nullus unquam cogitavit. Sicut enim inter Monachos, inter Doctores, & inter Eccleſiaſticos Scriptores fuit eximius: ita & inter homines ſanctos, & præclaris virtutibus ornatos, magnus & mirabilis extitit: *Magna virtus ejus.*

Magnas & multas demiror virtutes, quæ in ſancto illo Abbate rutilant: tanta enim ejus fuit patientia, ut alter Job videretur: tanta ejus manſuetudo, ut alter cenſeretur Moyſes; tantus ejus extitit zelus, ut alter Elias judicaretur. Alter Paulus charitate, & alter Franciſcus humilitate, ſolitudinis amore alter Bruno, & mundi contemptu alter Benedictus extitit. Puritate Angelus, Cherubinus contemplatione, & ſancto fervore Seraphinus viſus eſt: & ut paucis multa dicam, S. Bernardus plurimis & maximis coruſcavit virtutibus, quarum aliquas hac in concione manifeſtare conabor, &c. *Ave.*

DIvum Bernardum in ſæculo, in clauſtro, & in Eccleſia conſidero. *In ſæculo*, cum a nobilibus & virtute præditis parentibus originem duxiſſe, neminem latet. *In clauſtro*, eum fuiſſe Abbatem Claravallenſem, norunt omnes. *In Eccleſia*, illius columnam & ſolem eum fuiſſe, cuncti prædicant.

In ſæculo, D. Bernardus a peſſimis mundi viis ſe elongavit, & virtuti a primis vitæ ſuæ annis fortiter adhæſit: *In clauſtro*, non ſolum communi vivendi inſtituto ſe addixit, ſed & Confratribus, filiiſque ſuis ſpiritualibus, omnium virtutum exemplar, & Doctor extitit. *In Eccleſia*, eminentioribus coruſcavit virtutibus; quibus omnium fidelium amorem & admirationem ſibi conciliavit. Quare ut ordine debito, & apta partium diſtributione de S. Bernardi virtutibus diſſeram, dico, quod magnæ fuerunt virtutes ejus: 1. In ſæculo: 2. In clauſtro: 3. In Eccleſia. En tres hujus concionis partes, quibus conſtabit, S. Bernardum virtutibus maximis coruſcaſſe: *Magna virtus ejus.*

PRIMA PARS.

Magnæ fuere S. Bernardi virtutes in ſæculo.

MUndus eſt veluti magnum omnium vitiorum mare, in quo peccata ſunt communia, virtutes raræ: & præcipue in juvenibus, quorum mores ſunt minus compoſiti, judicium minus ſolidum, paſſiones fortiores, & natura ad malum longe proclivior. At S. Bernardus, in juvenili etiam ætate, & dum adhuc in ſæculo viveret, gratia cæleſti plenus, ad bonum propenſus, Deo devotus, multarumque virtutum cultor fuit, & cuſtos. Ex quibus ſolum recenſebo: 1. Magnam corporis puritatem, quam ſervavit illæſam. 2. Promptam obedientiam, quam Deo vocanti præſtitit: 3. Zelum ſalutis animarum, quo exarſit.

1. Corporis mundities vitrea eſt, & labilis: ubique periclitatur: & præcipue in ſæculo, ubi frequentiores ſunt peccandi occaſiones, & ubi major vivendi libertas. Ibi pretioſa hæc margarita a cunctis difficile cuſtoditur: & præſertim a juvenibus, conditione nobilibus, ſpecioſis forma & multa fortunæ bona poſſidentibus. Bernardus autem a claris originem ducebat parentibus, eleganti pollebat corpore, grata facie præeminebat, & acri præditus erat ingenio: ei etiam vitæ hujus proſperitates ridebant, procelloſæ eum obſidebant amicitiæ, eique veterator ſatanas laqueos parabat tentationum, ac crebras caſtitati ejus inſidias inſtruebat; quare non dubium, quin dum adhuc in ſæculo moraretur, in magno corporeæ & virgineæ puritatis perdendæ periculo fuerit. At per Dei gratiam, ita illibatam, & integram ſervavit corporis puritatem; ut a venenoſi ſerpentis afflatu, nunquam, vel minimum denigrata fuerit.

Mira ſunt, quæ adverſus hanc corporis ſui munditiem tentamenta ſuſtinuit; & mirabiliores ſunt triumphi, quos de iis retulit. Certum eſt enim, quod ad juvenem Bernardum, noctu decumbentem, pluries acceſſerint impudicæ mulieres, ut eum ad prava allicerent; ſed ipſe eas inſpiciens ut latrones, qui puritatem ejus furari intendebant, ut eas ad fugiendum cogeret, alta voce clamabat: *Latrones, latrones. In ejus vita l.* 1. *c.* 3. Qua arte exitioſos illos expellebat latrones, qui pretioſum caſtitatis ejus theſaurum auferre conabantur: nec ipſe ex hujuſmodi tentationibus magis commovebatur, quam ſi corpus ſuum ex marmore, vel ferro compactum fuiſſet.

O miram corporis puritatem, quam ſanctus ille juvenis in medio Babylonis conſervat! Heu! ſcimus, a caſtitate naufragaſſe plurimos pietate inſignes viros, qui in deſertis habitabant, ubi arbores ſolum, & bruta videbant; juvenis vero Bernardus, cum adhuc in medio Sodomæ, ſeu in ſæculo moraretur, varie a variis tentatus, illæſam cuſtodivit corporis ſui puritatem. O virum vere caſtum! Certe magna fuit virtus ejus in ſæculo: quia in eo corporis ſui puritatem ſervavit: *ac etiam quia in eo promptam obedientiam Deo vocanti præſtitit.*

2. Mox ut natus eſt S. Bernardus, eum pia mater Deo obtulit; eumque, deinde, quam citius potuit, magiſtris, in pietate, & litteris erudiendum tradidit: quorum cura, breviſſimo tempore, mirum in modum & in ſcientia, & in virtute profecit. Major autem factus, ad majora anhelavit, mundique pericula & vanitatem conſiderans, de religione capeſſenda cogitavit. Audivit Chriſtum vocantem, & interius dicentem: *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris. Matth.* 11.

ſta-

ſtatimque vocationi divinæ obtemperans, jugum ejus tollere, & vitam religioſam amplecti firmiſſime ſtatuit. Sicut enim cum Chriſtus Petrum & Andream vocavit: *illi continuo relictis retibus, ſecuti ſunt eum; Matth.* 4. ita cum D. Bernardus Chriſtum audivit interius vocantem, *relictis retibus*, ſeu bonis temporalibus, quæ ſunt quaſi retia, quæ homines implicant, vocationi ejus protinus obtemperavit, & Ordini Ciſtercienſi nomen dare promiſit.

Multi, ſe ad ſtatum religioſum vocari agnoſcentes, tardant converti ad Dominum, & religionem intrare differunt de die in diem, dicentes: non eſt agendum præpropere in hoc negotio, in quo totius vitæ ſtatus eligitur; ſed diu eſt conſiderandum, & ad examen vocandum. Amici, inquiunt, & proximi ſunt conſulendi, ne poſt factum pœnitere contingat: immo, & bonum videtur, ut experientia ſciamus quid ſit mundus, antequam ab illo diſcedamus. Cur tam cito, dicunt alii, vitam ſuſcipiemus, quæ dura, aſpera, & naturæ corruptæ propenſionibus totaliter contraria eſt? Suum quævis res tempus habet; gaudeamus nunc, & intra aliquod tempus vitam religioſam amplectemur, operibuſque pœnitentiæ ſedulo incumbemus. O maledictam mundi ſapientiam, quæ Dei vocationem deſtruit, & gratiam vocantem ſuffocat: *Hæc ſapientia*, inquit S. Bernardus, *Serm. in Ecce nos reliquimus omnia: eſt terrena, animalis, diabolica, inimica ſalutis, ſuffocatrix gratiæ.* Hæc autem non fuit Bernardi ſapientia: hic Deo vocanti non reſtitit; ſed mox ut ad ſtatum religioſum ſe a Deo vocari cognovit, relictis parentibus & terrenis facultatibus, generoſe, hilariter, & prompte Deo ad religionem vocanti obtemperavit. O magnam Bernardi virtutem! Sed magna etiam ejus fuit virtus in ſæculo: *Quia magno ſalutis animarum zelo exarſit*.

3. Poſtquam Ciſtercienſem Ordinem, in quo nimia tunc vigebat vitæ auſteritas, ingredi ſtatuit juvenis Bernardus, eum conſanguinei, & qui carnaliter illum diligebant, a propoſito deterrere, & avertere conati ſunt; ſed fruſtra. Quin contra ſanctus ipſe inſufflammatus ſalutis animarum zelo, fratres, ſocios, amicos omneſque quos Religionis jugo portando idoneos judicabat, ſecum Ciſtertium ducere pertentavit. Igneus ille zelus, quo juvenis Bernardi cor accendebatur, primo ad fratres tranſit, deinde ad cognatos, ſocios, amicos, & alios quoſque, quos ad religionem aptos cenſebat. Nec inanis & inefficax fuit ille ſancti juvenis zelus, cum, tam ex conſanguineis, quam ex aliis, plus quam triginta ſecum Ciſtertium adduxerit, ut huic Ordini nomen darent, & ſtatum religioſum amplecterentur.

Nonnulli in ſæculo ſunt ſatanæ Apoſtoli, qui alios a ſemitis juſtitiæ & a via perfectionis avertere conantur, quique tanto ardere videntur zelo ad perdendas animas, quanto ad eas ſalvandas ſuccendebantur Chriſti Apoſtoli. At longe alio ducebatur ſpiritu Bernardus: dum enim adhuc in ſæculo viveret, non perdere, ſed ſalvare animas conatus eſt. Et ut primum Ciſtercienſem religionem amplecti ſtatuit, ſancto ſuccenſus zelo, de medio Babylonis, ſeu de mundo fratres, conſanguineos, & alios educere, & ad religioſam vitam vocare pertentavit. Et tunc zelus domus Ciſtercienſis, & ſalutis animarum hunc comedere, & vorare cœpit juvenem: nec vani ejus fuere conatus; cum ſecum plus quam triginta adduxerit ſocios, ut habitu religioſo induerentur. Fateamur ergo, magnam fuiſſe Bernardi virtutem in ſæculo: ſed magna etiam fuit virtus ejus in clauſtro: *Magnæ virtus ejus*.

SECUNDA PARS.

Magnæ fuere virtutes ejus in clauſtro.

Sanctus Bernardus, qui magnis in ſæculo floruerat virtutibus, in clauſtro factus eſt exemplar perfectionis, ſanctitatis norma, & ſpeculum mirabile, in quo omnes enituere virtutes; & præcipue: 1. Cordis humilitas; 2. Corporis mortificatio: 3. Mentis ad Deum elevatio.

1. Cordis humilitas, unanimi Doctorum conſenſu, omnis eſt fundamentum perfectionis: ita ut quicumque ad perfectionis apicem aſcendere intendit, prius de humilitatis fundamento cogitare debeat: *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. S. Aug. ſer. de verb. Apoſt.* Bernardus autem, qui a converſionis ſuæ principio ad ſupremum perfectionis gradum pervenire ſtatuerat, cogitavit prius de fundamento humilitatis; nilque tam in votis habuit, quam in clauſtro deliteſcere, quam ibi abſcondi a conturbatione hominum, ibi ab eorum laudibus declinare, ibique neſciri, deſpici, & pro nihilo haberi. Cumque probe ſciret vir ſanctus, quod *verus humilis, vilis vult reputari*, ipſe quidquid in ſe bonum & laude dignum cenſebat, pro viribus occultabat, ut ab omnibus vilis & contemptibilis reputaretur.

Dicere ſolitus erat vir Dei, quod *qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. S. Bern. in ſent.* Quare, humilitatis ergo, opera extraordinaria palam facere nolebat, ne a ſpectantibus æſtimaretur. Cumque per eum Deus miracula multa operaretur, verus ille humilitatis cultor, ut famam ſanctitatis, quam ipſi tot prodigia conciliabant, penitus deſtrueret, palam dicebat, hæc ſanctitati ſuæ nullo modo eſſe attribuenda: *Miracula*, inquiebat, *fiunt aliquando per ſanctos homines, & aliquando per fictos: ſcio autem, ſanctorum non mihi ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrantur*.

O quam magna hæc fuit S. Bernardi in clauſtro humilitas! ſed inſuper in eo illa fuit humilitas, quam ipſe magnam & raram vocabat: *Magna prorſus, & rara eſt virtus humilitas honorata. S. Bern. hom. 4. ſuper Miſſus.* Quo enim magis honorabatur, eo ſe magis humiliabat: dum fama ſanctitatis ejus per omnem terrarum orbem volabat, ipſe ſe peccatorem, & omnium hominum minimum reputabat: dum aliorum oculis omni exceptione major videbatur, ipſe ſe omnium hominum ultimum eſſe arbitrabatur: dum a Principibus, Regibus, & ſummis Pontificibus in ſumma veneratione habebatur, ipſe ſe omni honore & veneratione indignum cenſebat. O virum vere humilem! Sed ſi in clauſtro magna fuit Bernardi humilitas; *magna etiam fuit ejus mortificatio*.

2. Cum caro ſit infenſiſſimus animæ & ſalutis noſtræ inimicus, vult Deus, ut illi bellum indicamus, atque motus & concupiſcentias illius prudenti mortificatione comprimamus: *Mortificate membra veſtra*. *D. Paul.* Immo & vult, ut hanc corporis mortificationem ſemper circumferamus: *Mortificationem Domini noſtri Jeſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes*. Bernardus autem, qui in omnibus Deo placere ſtudebat, hanc ſemper circumferebat mortificationem; eamque ad omnes corporis ſenſus, necnon ad omnia ejus membra ferebat, & protendebat. *Eam tulit* ad oculos, quorum cuſtodiæ ita invigilabat, ut anno integro in una habitaverit cella, ignorans an in ea aliquod eſſet tectum; ac juxta lacum Lauſannenſem totius diei itinere perrexerit, nec unquam ſe juxta lacum incedere adverterit. *Eam tulit* ad aures, quas ita mortificationis ſpinis ſepiebat, ut ab omnis pravi, & vani ſermonis auditu declinaret. *Portavit etiam mortificationem ad linguam*, cui raro loqui permittebat, ſciens, *quantum auferat devotionis, & quantum afferat diſſolutionis intrinſecus frequens linguæ reſolutio. S. Bern. l. de cognit. hum. cond. c. 11.* Sed major ejus mortificatio fuit circa guſtus & gulæ refrænationem; ad menſam enim ibat, tamquam ad crucem; & quoties ſumendus erat cibus, toties tormentum ſubire videbatur. Buccella panis, cum aliquibus ſorbitiunculis, cibus ejus eſſe ſolebat; & quoties vinum ſibi apponi patiebatur, extremis ſolum labiis illud deguſtabat; nec de eo niſi quaſdam guttulas ſorbebat. A primis religionis annis ſic gulæ & guſtus mortificationi inſtiterat, ut ipſam quoque ſaporum diſcretionem perdiderit; unde evenit, ut aliquando ſagimen crudum pro butyro manducaverit, & oleum pro aqua biberit. Ecce magnam Bernardi mortificationem, quæ ad externos omnes corporis ſenſus extenditur. Sed hæc non erant ſatis ſancto Abbati; in proprium enim corpus, tamquam in domeſticum hoſtem inſurgens, illud jejuniis debilitabat, vigiliis affligebat, cilicio torquebat; illudque tot macerationibus obruebat, ut vivens non viveret, *& vita ejus nonniſi quadam protelatio mortis videretur*. Immo & illum ſalutis ſuæ hoſtem occidiſſet, ſi illum occidere licuiſſet. Et ideo, quaſi ægre ferret, quod proprium corpus occidere non liceret, dicebat; *Hoſtem crudeliſſimum circumferre, & ſuſtentare e gimur, & perimere eum non licet. Bern. ſer. 3. de ſeptem pan.* O magnam Bernardi mortificationem! *Sed magna etiam in clauſtro fuit mentis ejus elevatio in Deum*.

3. Ipſe enim fuit in ſacra meditatione aſſiduus: omnis ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. Cor ſuum ſurſum elevatum habebat, non ſolum cum in Oratorio privato, vel in Eccleſia oraret; ſed etiam in quolibet cœtu, & hominum tumultu; niſi ejus attentionem alibi cauſa depoſceret. Magna ſemper facilitate animam colligebat, & interiori quadam, quam ubique circumferebat, ſolitudine fruebatur: dumque corpore in medio hominum erat, in cælo cum Deo & Angelis ſpiritu converſabatur: *noſtra converſatio in cælis eſt. Philipp. 3.* Ex hac autem contemplatione, & aſſidua cum Deo converſatione, orta eſt ejus cum Chriſto, & Matre ejus B. Virgine Maria familiaritas, quæ talis fuit, ut Chriſtus ei apparuerit, *jam ut* naſcens ex Virginis utero, *jam* ut cruci affixus, *jam* perfoſſum lancea latus ei oſtendens, & ad bibendum de pretioſo ſanguine, qui ex ſacro hoc vulnere fluebat, eum invitans, dicenſque ei; *Bibe Bernarde*. Virginem Mariam meruit etiam, ſingulari quodam privilegio, e ſtatua ipſam repræſentante videre effundentem in os ejus lac virgineum. Unde de Chriſti vulneribus, & de Mariæ uberibus loquens, dicebat: *Hic inebrior a vulnere, hic nutrior a lacte. Gerſon. ſer. de S. Bern.* O magnam ſancti illius Abbatis cum Deo converſationem, & mentis ad Deum elevationem!

Hinc contemplationis ſpiritum in Bernardo admirans magnus ille Pariſienſis Cancellarius, eum Seraphinum vocat: *Te vere beatiſſimum Bernardum cenſeo eſſe unum ex conſortio ignitorum illorum ſpirituum, quos Seraphim Scriptura nominat*. Sicut Seraphini in ſacra Scriptura alas habentes repræſentantur, quia uſque ad divinæ Majeſtatis thronum volant; & ut ait D. Hieronymus, *in altioribus commorantur, divinam contemplantes Majeſtatem: Hier. lib. 2. in Iſa.* Ita Bernardus, quaſi alter Seraphinus alis devotionis & contemplationis ſurſum ſemper ferebatur, & mente ad Deum continue elevabatur. Sicut etiam Seraphini raro in terram mittuntur; & cum ex ordinatione divina ad hæc inferiora deſcendunt, a Dei viſione & contemplatione nunquam ceſſant; ita Bernardus ad temporalia ſolum deſcendebat, quantum officii & naturæ ratio expoſtulabat; & ſicut alter Seraphinus, mente ſurſum ſemper agebatur in Deum, a cujus contemplatione raro ceſſabat. Magnæ ergo extitere Bernardi virtutes in clauſtro: *ſed magnæ etiam* fuere virtutes ejus in Eccleſia; *Magna virtus ejus*.

TERTIA PARS.

Magnæ fuere Bernardi virtutes in Eccleſia.

A Suæ converſionis initio, negotiis ſe totaliter ſubtrahere, & nuſquam e Monaſterio egredi optaverat D. Bernardus. Quod & ſatis accurate fecit, donec gravis Eccleſiæ neceſſitas, & urgens ſummi Pontificis juſſio eum foras exire coegerunt. Tunc autem omnium virtutum ſpectaculum factus eſt hominibus: & magnæ ejus virtutes, quæ antea intra Monaſterii ſepta latebant, tunc in facie totius Eccleſiæ apparuerunt; & præcipue: 1. Magna ejus in componendis diſſidiis prudentia: 2. Magna ejus in reprehendendis vitiis generoſitas: 3. Magna ejus charitas in benefaciendo cunctis.

1. Magna ubique & in omnibus fuit S. Bernardi prudentia, ſed maxima extitit in componendis diſſidiis, quæ orta erant in Eccleſia, ratione ſchiſmatis Petri Leonis, qui Pontificiam, ſub nomine Anacleti, invaſerat Sedem. Mortuo enim Honorio, rite a majori & ſaniori Electorum parte in ſummum Pontificem electus fuerat Innocentius. Sed altera Electorum pars, pecuniis corrupta, auſus ſuos vi & poteſtate corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem aſpirantem, fraudulentis machinationibus ad ſupremi Pontificatus honorem ſublimavit, &

Ana-

Digitized by Google

Anacletum nominavit. Petrus ille Leonis, ſic quomodocumque electus, tamquam verus Leo contra Innocentium rugire, & temeraria multitudine pretio corrupta ſtipatus incedere cœpit. Quare Innocentius malitiæ & viribus ad tempus cedens, procuratis clam navigiis, de ore Leonis, & de manu beſtiæ cum amicis ſuis, per Tiberim in Tyrrhenum mare elapſus; inde proſperis ventis ad portum Piſanum feliciter tranſlatus eſt, & a Piſanis ſummo cum honore receptus.

Ab Innocentio in Gallias præmiſſi fuerant nuntii, qui Gallicanæ Eccleſiæ nuntiarent negotii veritatem, & Epiſcopos hortarentur, ut in ultionem præſumptionis accingerentur, & damnata parte ſchiſmatica ſubſcriberent unitati. Quamobrem ut in commune decerneretur, quid Eccleſia Gallicana ſupra propoſitum negotium ſentiret, convocatus fuit Stampis generaliis conventus, ad quem Clarevallenſis Abbas ſanctus Bernardus ab ipſo Francorum Rege, & a præcipuis quibuſque Pontificibus fuit vocatus. Ubi vero omnes fuere congregati, celebrato prius jejunio, & fuſis ad Deum precibus, cum de præfato negotio tractaturi Rex & Epiſcopi cum Principibus conſediſſent, unum omnium conſilium fuit una ſententia, ut negotium Dei, Deo committeretur, & ex ore Bernardi tota cauſa penderet. Quod ille onus timens & tremens ſuſcepit; & ponderatis electorum meritis, agnita vita & fama Innocentii, omnibuſque diligenter & prudenter perſpectis quæ in electione facta erant, aperuit os ſuum, dicens, ſuſcipiendum ab omnibus Innocentium in ſummum Pontificem. Ejuſque judicium ita rectum & prudens viſum eſt, ut ſtatim omnes eum eſſe vere ſummum Pontificem acclamarint.

Magna quidem hæc fuit prudentia, qua Bernardus Gallos ad Innocentii partes traxit; ſed non minori uſus eſt dexteritate & prudentia erga Henricum Anglorum Regem, quem tandem magna arte & multo labore ad ſchiſma abrenuntiandum, & ad obediendum Innocentio adduxit. Pari prudentia uſus eſt, ut Rogerium utriuſque Siciliæ Regem a ſchiſmate revocaret, & ad Eccleſiæ unitatem vocaret. Sed mirabilior fuiſſe videtur prudentia, qua Guillelmum, Aquitaniæ Ducem, pro Schiſmaticis mordicus ſtantem, a propoſito avocavit, & ad obtemperandum Innocentio induxit. Taceo alios multos, quos ſanctus Abbas a ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem adduxit; ut uno verbo dicam, quod prudentiæ D. Bernardi debeatur ſchiſmatis deſtructio, Eccleſiæ pax, & felix hujus negotii eventus. Hic ſane fuit *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, ſeu, ſuper Eccleſiam, ut diſſidia illa, quæ totam in duas partes dividebant Rempublicam Chriſtianam, componeret. Sed ſi magna fuit Bernardi prudentia in componendis diſſidiis; *Magna etiam ejus fuit generoſitas in reprehendendis vitiis, & corripiendis peccatoribus.*

2. Qui auctoritate aliqua in Eccleſia pollent, ad corripienda vitia, & ad peccatores arguendos ſpecialius tenentur: cuilibet enim illorum, ſicut & Timotheo, dicit Paulus, ut peccatores arguat: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. 2. Tim. 1. 2.* Quare D. Bernardus, qui, tum ſcriptis, tum prædicationibus, tum miraculis, tum virtutibus, maximam in Eccleſia ſibi conciliaverat auctoritatem, ad arguendos quoſcumque peccatores ſe teneri credidit. Et ideo Duces, Epiſcopos, Reges, Imperatores, & omnis generis peccatores, quorum nota, & ſcandaloſa erant crimina, generoſe arguit, & utiliter increpavit. *Arguit* Guillelmum, Aquitaniæ Ducem; qui non ſolum ſchiſmaticus, ſed etiam Schiſmaticorum erat Protector, ac famoſus peccator, qui Pictavienſem Epiſcopum ab Eccleſia expulerat, aliaque multa infanda, & ſcandaloſa ſcelera perpetraverat: acriter corripuit eum, ſuaque correptione eum ita ad Deum convertit, ut vir ſanctiſſimus factus ſit. *Arguit* Gilbertum Porretanum, Pictavorum Epiſcopum, de divinitate male ſentientem, eumque ad errorem ſuum in Concilio Rhemenſi publice abjurandum coegit. Eodem modo Petrum Abaylardum, Henricum, & alios multos hæreticos arguit, increpavit, & convicit. Sed & multos arguit Epiſcopos, dignitatis & miniſterii ſui oblitos. Immo & multos Reges arguere auſus eſt: Reges enim Angliæ & Siciliæ de ſchiſmate culpavit, & Ludovicum Galliæ Regem, de violentia, qua in Pariſienſem & alios quoſdam Epiſcopos uſus eſt, libere redarguit. Eadem libertate Imperatorem, inveſtituras Epiſcoporum requirentem, increpavit, & mira auctoritate compeſcuit. O virum mirabilem, qui ſancta generoſitate, & generoſa libertate, nedum plebejos, ſed & quoſque Magnates, ad vitia declinantes, arguere, increpare, & arcere non timet!

Sæpe demiratus ſum, quo zelo Joannes Baptiſta Herodem arguerit, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Bernardus autem, eodem zelo, eademque generoſitate pollens, Duces, Principes, Reges, & alios peccatores reprehendit, eiſque dixit; quod eis in via peccatorum ſtare, & criminibus ſuis ſcandali occaſionem aliis præbere, non liceret: Dixit Guillelmo, Aquitaniæ Duci: *Non licet tibi* ſchiſma Petri Leonis fovere, gulæ & luxuriæ indulgere, ac in ſentina peccatorum ſuorum remanere. Dixit Gilberto Porretano: *Non licet tibi* hæreſim diſſeminare, & novam ſectam adverſus fidei catholicæ dogmata ſtabilire. Dixit Galliæ Regi: *Non licet tibi* Epiſcopos inſectari; eoſque a ſuis Eccleſiis violenter expellere. Dixit Imperatori: *Non licet tibi* ab Epiſcopis inveſtituras requirere. Bernardus tandem erat quaſi univerſalis quidam cenſor, a Deo miſſus, qui omnes peccatores publicos, cujuſvis eſſent conditionis, & dignitatis, generoſe arguebat. Sed ſi magna ejus extitit in reprehendendis vitiis generoſitas: *magna etiam ejus fuit charitas in benefaciendo cunctis.*

3. Si, ut ait Dionyſius Carthuſianus, *Charitas proximi, quo perfectior, eo liberius ſe communicat & effundit. Dion. in Act. Apoſt. c. 4. art. 4.* magna ſane fuit ſancti Bernardi charitas: quia ſanctus Abbas cunctis benefaciebat, & charitate cunctis ſe communicabat. Feſſos enim ſublevabat, eſurientes reficiebat, ægrotos ſanabat, a dæmone poſſeſſos liberabat. Oculus erat cæco, pes claudo, pater pauperum, infirmorum medicus, & miſerorum refugium. Unde cum D. Paulo dicere poterat: *Omnibus*

omnia

Digitized by Google

omnia factus ſum, ut omnes lucrifaciam. In mejus vit. l. 3. c. 2. quantum enim fas erat, omnium moribus, qualitatibus, & inclinationibus ſe coaprabat, omnibuſque benefaciebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret.

Tanta Chriſti in homines fuit charitas, ut ubique ſuæ charitatis beneficia impertitet, & benefaciendo pertranſiret: *Pertranſiit benefaciendo. Act.* 10. 38. Tanta ſimiliter Bernardi in proximum fuit charitas, ut tranſeundo hominibus ſemper benefaceret. Peragravit ille Galliam, Angliam, Germaniam, & Italiam; ſed ubique bona opera operatus eſt, pertranſiit benefaciendo. Nunc enim futura prophetabat, nunc cæcos illuminabat: hic a dæmone poſſeſſos liberabat; illic ipſius virtute, ſurdi audiebant, loquebantur muti, & paralytici ſanabantur: ubique ignaros erudiebat, & ubique ægrotos ſanabat: totque miracula in hominum favorem faciebat, ut dicat Bellarminus, quod *Bern. pluribus miraculis claruit, quam ullus Sanctus, quorum vitæ ſcripta extant. Tom. 2. cont. l. 4. c. 14.* Ecce hominem, magna in proximum charitate ſuccenſum; ſed ecce etiam hominem magnis fulgentem virtutibus: *Magna virtus ejus.*

O quot, & quantæ in uno Bernardo virtutes rutilant! O quales Sancti hujus viri extitere virtutes! Sed quales ſumus nos, in comparatione illius? Quæ corporum noſtrorum puritas? Quæ noſtra obedientia? Quæ mortificatio noſtra, noſtraque charitas? Hæ certæ, & aliæ noſtræ virtutis, tamquam nihil ſunt, in comparatione virtutum ſancti Bernardi.

Exploratores, e terra promiſſionis revertentes dicebant ſe ibi vidiſſe gigantes, quibus comparati, ipſi quaſi pigmæi & locuſtæ videbantur: *Vidimus monſtra quædam de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videmur. Num.* 13. En quales ſimus nos in comparatione ſancti Bernardi: ipſe enim in via virtutis fuit quaſi gigas, & nos quaſi locuſtæ, noſtræque virtutes cum illius virtutibus conſertæ, nullius momenti, & quaſi nihilum eſſe videntur. Quare in hac ſancti Bernardi feſtivitate eſt, quod gaudeamus, & quod confundamus: *In Sanctorum feſtivitatibus & gaudere, & confundi debemus. S. Bern. ſerm. in vigil. ſancti Pet. & Paul.* Eſt quidem quod gaudeamus in hac ſancti Bernardi ſolemnitate, advertentes, quod vir ille ſanctiſſimus Deum virtutibus ſuis glorificaverit, quodque jam pro nobis in cælis intercedat. Eſt etiam quod confundamur: quia noſtræ virtutes nullius ſunt momenti, reſpectu virtutum ejus. Fuit ille homo nobis ſimilis, paſſibilis ſicut nos, ex eodem luto formatus ex quo & nos: & tamen ejus non ſequimur veſtigia, opera non facimus quæ ipſe fecit, & virtutes, quas ipſe ſectatus eſt, non imitamur. Confundamur ergo fratres, talique confuſione, ad ſtudioſius imitandum S. Bernardum adducamur. E gloriæ ſuæ throno, ſicut alter Paulus, clamat ad nos: *Imitatores mei eſtote*: quare imitemur eum in hoc mundo, ut cum ipſo in cælo regnare valeamus. *Amen.*

DE
SANCTO BERNARDO.
CONCIO SECUNDA.

Magnus vocabitur. Matth. 5. 19.

EUm dico magnum, qui ſe omnium minimum reputabat: magnum vocare placet S. Bernardum, qui cum intra ſolitaria ſepta Monaſterii in noviſſimo loco recumbere quæreret, omnium judicio, aſcendere ſuperius, & primas totius Eccleſiæ ſedes occupare meruit. An non vere magnus extitit, qui fuit Monachorum norma, ſummorum Pontificum Pater, Schiſmaticorum Principum flagellum, & maximorum totius orbis Eccleſiaſtici negotiorum arbiter? Sed & quis magnum non proclamet eum, cujus opera fuere mirabilia, doctrina eminens, zelus incomparabilis, regimen ſuave & amabile; cujuſque verba ita fuere efficacia, ut duriora quæque emollirent corda; oratio ita potens, ut penetraret cælos; & humilitas ita profunda, ut deſcenderet uſque ad abyſſos?

Magnus quidem, multiſque modis magnus extitit Bernardus: magnus fuit juſtitia, temperantia, patientia, charitate, & omni virtutum genere; magnus fuit in ſæculo, in clauſtro, in Eccleſia, & in toto mundo; magnus extitit coram Deo & hominibus; fuitque ita magnus, ut magnitudinis ejus nullus finis eſſe videatur. Quam magnus ille fuerit, iſta docebit concio, &c. *Ave.*

TRes in Eccleſia maximæ ſunt dignitates, Apoſtolorum, ſcilicet, Martyrum & Doctorum. Magna eſt in Eccleſia Apoſtolorum dignitas; cum hi ſolidiſſima ſint fundamenta quibus ſuſtentatur, lumina fulgentiſſima quibus illuſtratur, & chariſſimi Dei amici a quibus nobilitatur. Martyrium etiam magna eſt in Eccleſia dignitas: cum hi ſint generoſi milites qui pro ea decertant, Athletæ fortiſſimi qui eam tuentur, & clariſſimi victores qui de inimicis ejus glorioſe triumphant. Magna tandem in Eccleſia eſt Doctorum dignitas; cum, omnium conſenſu, hi dogmatum ejus protectores, Canonum ejus tutores, & inſurgentium adverſus illam Hæreticorum ſint debellatores, & triumphatores.

Magnæ quidem ſunt hæ dignitates, & magnus eſt qui earum aliquam poſſidet. Sed major, & maximus extitit S. Bernardus, quia ſimul fuit Apoſtolus, Martyr, & Doctor. Sanctus ille Abbas ſuo modo *fuit Apoſtolus*, inter Apoſtolos magnus: *fuit Martyr*, & inter Martyres illuſtris: *fuit Doctor*, & inter Doctores celeberrimus. S. Bernardus fuit magnus Apoſtolus, magnus Martyr, & magnus Doctor, en tres hujus concionis partes, quibus eum magnum fuiſſe patebit: *Magnus vocabitur.*

Digitized by Google

PRIMA PARS.

Divus Bernardus fuit magnus Apoſtolus.

Licet inter duodecim Chriſti Apoſtolos non annumeretur S. Bernardus: *verus tamen fuit Apoſtolus miſſus a Deo, nihilque minus habuit a magnis Apoſtolis. Baron. ann.* 1153. Quod certiſſimum eſſe videtur: quia ipſe cum magnis Apoſtolis: 1. Reliquit omnia: 2. Secutus eſt Chriſtum: 3. Pro hominum ſalute plurimum laboravit.

1. Refert Theophraſtus, quod cum aliqua die coram Philippo Macedoniæ Rege, & Alexandri Magni Patre, a Philoſophis diſputaretur, *quæ res eſſet maxima inter mundi magna?* Ex eis reſpondit unus, montem Olympum eſſe omnium rerum terrenarum maximam: quia ſupra mediam aeris regionem extollitur. Dixit alius, ſolem eſſe quid majus omni alia re creata: quia omnes cælos, & omnia elementa illuminat. Aliter, & aliter ſenſerunt alii, quo uſque ultimus, cujus ab omnibus accepta & approbata fuit ſententia, dixit, nil in rebus humanis majus animo cuncta terrena deſpiciente: quodque inter homines hic major eſſet, non qui univerſum mundum lucratur, ſed qui eum contemnit: plus enim eſt, mundum contemnere, quam illum acquirere, & poſſidere.

Sic ſenſerat ille philoſophus, & ſic etiam ſenſit Chriſtus, cujus Philoſophia cæleſtis erat, & divina. Cum etenim ipſe eſſet Dominus omnium, credidit, paupertatem voluntariam, & rerum omnium temporalium contemptum, eſſe quid majus ipſo rerum omnium dominio, & poſſeſſione, & ideo ita pauper fieri voluit, ut nec haberet ubi caput ſuum reclinaret, ideo etiam voluit, ut Apoſtoli terrena cuncta abdicarent: cui ita obtemperaverunt, ut terrena penitus reliquerint: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et in hoc Bernardus fuit vir Apoſtolicus, & verus Apoſtolus: conſanguineos enim, mundi dignitates, terrenas divitias, ac omnia quæ habebat, & quæ habere poterat, penitus abdicavit. Immo, in hoc ipſis Apoſtolis major fuiſſe videtur: quia illi retia ſolum, naviculam, & alia parvi momenti bona reliquerunt: Bernardus vero amplas domos, magna prædia, & facultates plurimas reliquit. Magnus ergo fuiſſe videtur Apoſtolus: quia terrena omnia reliquit: *ac etiam quia Chriſtum ſecutus eſt.*

2. Chriſtum ſequi, eſt eum imitari in humilitate, manſuetudine, patientia, charitate, & aliis virtutibus. Unde Chriſtus adoleſcenti cuidam, ad perfectiorem vitæ ſtatum anhelanti, dixit. *Veni, ſequere me,* id eſt, ut explicat Titelmannus: *Mea imitare veſtigia, & ex me in omnibus tuæ vitæ formam ſumas in humilitate, manſuetudine, patientia, charitate, aliiſque hujuſmodi.* Hoc autem modo Chriſtum ſecuti ſunt Apoſtoli; dixerunt enim ei; *Ecce reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Id eſt; ut exponit idem Titelmannus, ſecuti ſumus te *vitæ imitatione.* Et in hoc etiam Bernardus fuit magnus Apoſtolus, fuit enim cum Chriſto humillimus, mitiſſimus, patientiſſimus, charitate ardentiſſimus, & aliarum omnium virtutum obſervantiſſimus.

Chriſtum ſecuti & imitati ſunt Apoſtoli; non ſolum in humilitate, patientia, manſuetudine, & aliis virtutibus, quas cuncti Chriſtiani ſectari tenentur; ſed inſuper paupertati voluntariæ, obedientiæ religioſæ, caſtitati perpetuæ, & aliis virtutibus quæ altiorem perfectionem conſtituunt, firmiter adhæſerunt: Et in hoc etiam Bernardus fuit verus & magnus Apoſtolus; quia non ſolum virtutibus, quas omnes Chriſtiani profitentur, ſed etiam altioribus illis virtutibus, quibus ſervandis ex voto ſe adſtringunt religioſi, perfectiſſime floruit. Fuit enim obedientiſſimus, pauperrimus, & aliarum apoſtolicarum virtutum ſectator obſervantiſſimus. Quare fateodum, quod Bernardus fuerit magnus Apoſtolus, quia cum Apoſtolis Chriſtum ſecutus, & imitatus eſt. Sed fuit etiam magnus Apoſtolus, *quia cum Apoſtolis pro hominum ſalute plurimum laboravit.*

3. Proprium Apoſtolorum officium fuit, pro hominum ſalute laborare: ad hoc enim munus obeundum eos Chriſtus vocavit & miſit. Ex quo facile quiſque judicabit, Bernardum fuiſſe magnum Apoſtolum; cum ita efficaciter pro hominum ſalute laboraverit, ut multos ſæculares ad ſtatum religioſum, plurimos peccatores ad gratiam, innumeros Schiſmaticos, Hæreticos, & infideles ad veram fidem adduxerit.

Ad ſtatum religioſum vocavit, & allexit patrem, avunculum, quatuor fratres, ſororem unicam, totque utriuſque ſexus perſonas: ut, dum adhuc in hoc mundo viveret, plus quam centum ſexaginta Monaſteriorum Pater extiterit, & ab hoc tempore eorum numerus ſupra modum creverit; deſerta enim Monaſteriis & Monachis replevit ita tanto numero, ut vix numerari poſſint. Sed quis dicat, quot Schiſmaticos, quot Hæreticos, quotque alios omnis generis peccatores ad Chriſtum, ad Eccleſiæ gyrum, & ad viam ſalutis vocaverit!

Norunt omnes famoſum illud Schiſma Petri Leonis, qui contra legitimum Pontificem Innocentium inſurrexerat, & ſub nomine Anacleti ſupremam Eccleſiæ ſedem uſurpaverat. Tunc in duas partes diviſa erat Chriſti tunica; ſed Bernardus in convocato Stampis Epiſcoporum & Principum Conventu, ita fortiter adverſus Petrum Leonem, Schiſmatis auctorem, locutus eſt, ut Galliæ Regem, regnique Epiſcopos, & Primates ad ſubſcribendum electioni Innocentii traxerit. Quo peracto, Guillelmum Aquitaniæ Ducem, Schiſmatis defenſorem, miraculoſe convertit, & cum innumeris aliis, ipſi adhærentibus Schiſmaticis, ad Eccleſiæ unitatem redegit. Henricum pariter Angliæ, & Rogerium utriuſque Siciliæ Regem, cum aliis multis, ad abjurandum Schiſma, & ad Innocentii partes declinandum induxit. Sed quid dicemus de Hæreticis? Quid de Gilberto Porretano, Pictavorum Epiſcopo, qui de Trinitatis unitate, & de Divinitatis ſimplicitate male ſentiebat? Nonne coram ſummo Pontifice Eugenio, & Patribus, in Concilio Rhemis congregato, a Sancto Bernardo fuit convictus, & errorem ſuum publice abjurare coactus? *Quid de magiſtro Petro Abaylardo, qui cum de Trinitate loquebatur, ſapiebat Arium; cum de gratia, ſapiebat*

Digitized by Google

tes in cubiculo, in lecto, in veſtitu, & in victu, *ut vita ejus nihil aliud, quam quædam protelatio mortis videretur. Lib. 3. vitæ ejus cap. 6.* At non ſolum paupertate voluntaria Martyr fuit Bernardus; *ſed etiam continua corporis mortificatione.*

3. Martyrium, aliud breve & compendioſum, aliud longum & diuturnum. Martyrium compendioſum, eſt illud quod patiuntur, qui pro Chriſti fide morte plectuntur: Unde martyrium illud, *Compendium mortis*, ſeu mortem compendioſam, vocat Tertullianus. Martyrium vero longum & diuturnum, eſt illud, quo cruciantur, qui toto vitæ ſuæ tempore vigiliis, jejuniis, aliiſque pœnitentiis, & mortificationibus corpora ſua affligant, & quaſi continue trucidant. Unde S. Hieronymus ad Euſtochium, de matris ejus Paulæ obitu ſcribens, ait, quod gaudere debeat: quia mater ejus Martyr occubuit: non quidem per ſanguinis effuſionem, ſed per continuam corporis mortificationem, quæ longum fuerat martyrium; *Gaudeas, quia mater tua longo martyrio coronata eſt. Hieron. 27. in Epitaph. Paulæ.* Longum autem & continuum hoc martyrium paſſus eſt D. Bernardus; quia continua maceratione corpus ſuum cruciavit. In illud tanquam adverſus domeſticum hoſtem, totis animæ viribus decertavit: continuis vigiliis & jejuniis illud tenuavit: illudque omni mortificationis genere ita obruit, ut penitus deficeret: vitaque ejus nil aliud eſſet, quam mors continua, & juge martyrium.

Mirabiliter deſcribit Guillelmus Abbas, *In vita S. Bernard.* quantæ fuerint Bernardi mortificationes, eo etiam tempore, quo infirmabatur. Corpus ſuum, inquit, variis infirmitatibus per ſe attenuatum, jejuniis inſuper & vigiliis ſine intermiſſione atterebat. Multo tempore cilicio ad carnem uſus eſt. Cibus ejus cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum; vel pultes, quales infantibus fieri ſolent. Vino raro, & nimis modico utebatur. A communi fratrum labore rariſſime ſe excuſabat. Unde arctum ejus vivendi modum mirabantur medici; tantamque vim cauſabantur eum inferre naturæ, quanta inferretur agno qui ad aratrum alligatus, arare cogeretur. Heu! ſi dum infirmaretur Bernardus, tam diris mortificationibus ſuum afflictavit corpus, quæ ejus fuere mortificationes, cum non infirmabatur? Tunc arctiora erant ejus jejunia: tunc vigiliæ prolixiores, & cibi groſſiores: tunc ſemper majora moliebatur ad non parcendum corpori: tunc adverſus proprium corpus iratus, dicebat: *Cadat armatus ille, inimicus Dei, amicus mundi, cultor ſui ſervus diaboli: reus eſt mortis, crucifigatur. Sanctus Bernardus in medit. cap. 17.* Quis ad hæc de Bernardi martyrio dubitabit? Quis non fatebitur, eum vere Martyrem extitiſſe, non ſolum ratione caſtitatis perpetuæ, & paupertatis voluntariæ: ſed etiam ratione continuæ mortificationis cui adhæſit? Vere Bernardus fuit magnus Martyr; *ac etiam magnus Doctor.*

TERTIA PARS.

Divus Bernardus fuit magnus Doctor.

DIvum Bernardum in omni doctrina floruiſſe, eximiumque Doctorem extitiſſe, fatentur omnes. Sed ut plenius & perfectius dignoſcatur, quantus Doctor fuerit ſanctus ille Abbas, conſiderandus eſt in ſilvis, in prædicationibus, & in libris: *In ſilvis*, in quibus habitavit: *In prædicationibus*, quas habuit: *In libris*, quos compoſuit. Conſiderandus, inquam, Bernardus: 1. *In ſilvis*, ubi infuſam & cæleſtem ſcientiam recepit: 2. *In prædicationibus*, ubi miram & altiſſimam effudit ſcientiam: 3. *In libris*, ubi doctrinam ſuavem & mellifluam manifeſtavit.

1. Gloriabatur olim Alexander Macedo, quod Ariſtotelem habuerit magiſtrum: ſed major eſt Bernardi gloria, quod non homines, ſed Deum magiſtrum habuerit. Ejus enim doctrina deſurſum erat, deſcendens a Patre luminum: eam non in Academiis, ſed in ſilvis, Deo docente, & intellectum ejus illuſtrante, obtinuerat; de illo enim Gerſon in tractatu *de libris legendis a Religioſis*, ait, quod *quercus & fagus docuerunt eum*. Non quod revera eum docuerint; ſed quia in ſilvis, inter quercus & fagos contemplationi rerum cæleſtium vacanti, mirabilem & cæloſicam Deus ſcientiam infuderat.

Apud Hebræos famoſa quædam erat quercus, cui inniti ſolebat Abraham Patriarcha, cum familiam ſuam de divinis myſteriis, & de fidei principiis erudiebat: & ideo hanc quercum vocabant *arborem Doctoris*, Abrahæ ſcilicet. Sed omnes ſilvarum, quas incolebat Bernardus, arbores, dici poſſunt *arbores Doctoris*, Dei ſcilicet, qui tanquam verus ſancti hujus Abbatis Doctor & Magiſter, has inter arbores, illum ſcientiam cæleſtem, & divinam docebat. Ibi eum docebat altiſſima Sanctiſſimæ Trinitatis myſteria, profunda prædeſtinationis æternæ arcana, & inveſtigabilem divinæ gratiæ virtutem. Ibi ei varios Scripturarum aperiebat ſenſus, abſcondita cordium manifeſtabat, & futurorum ſcientiam conferebat. Has inter arbores Deus docebat illum, quomodo confutandi Hæretici, comprimendi Schiſmatici, arguendi Magnates: peccatores convertendi; inſtituendi Monachi & perfecti ad altiorem vitæ ſtatum deducendi. In illis tandem ſilvarum receſſibus, has inter quercus & fagos, Chriſtus Dominus, tanquam ejus Magiſter & Doctor, ei ſugenda offerebat vulnera, dicens: *Bibe Bernarde*: hauri aquas ſapientiæ de his fontibus Salvatoris: inebriare ab ubertate ſcientiæ, quæ fluit e ſacris illis fontibus; fias doctus, & ſcientia cæleſti repleaaris. Ecce quomodo Bernardus Doctor magnus ſit in ſilvis, ubi infuſam a Deo recipit ſcientiam; ſed eum etiam Doctorem magnum fuiſſe patet *prædicationibus, quas habuit, in quibus mirabilem, & altiſſimam effudit ſcientiam.*

2. Aliquandiu dubitaverat Bernardus, an ita eum Deus contemplationi vacare vellet, ut nullo modo prædicationi, & animarum ſaluti operam daret. Cumque ſuper hoc vehementius conturbaretur, & contriſtaretur; poſt multos cogitationum fluctus, & cordis cruciatus, dedit ei Deus auxilium in tem-

tempore opportuno, ſuamque ſuper hoc ei voluntatem revelavit. Paucis ſiquidem elapſis diebus, vidit vir ſanctus, in viſu noctis, puerum, cum claritate quadam divina ſibi adſtantem, & magna auctoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei ſuggereretur in aperitione oris ſui: quoniam non ipſe eſſet qui loqueretur, ſed Spiritus Sanctus qui loqueretur in eo. Ex tunc autem, in eo, & per eum loquentem divino Spiritu, miram effundebat ſcientiam; tantaque ex ore Bernardi concionantis fluebat eloquentia, ut auditores in admirationem raperet, & ad converſionem compelleret.

Cum Christus Dominus ſuos ad prædicandum miſit Apoſtolos, dixit eis. *Nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Matthæi* 10. 19. Et revera, accepta hac miſſione, Spiritu ſancto inſpirante loquebantur Apoſtoli, tantaque eorum erat ſcientia, tanta eloquentia, tanta verborum vis & efficacia, ut duriora quæque emollirent corda, & obſtinatiores quoſvis peccatores ad pœnitentiam allicerent. Quid autem ſimile in Bernardo intueor: Deus enim miſit illum ad prædicandum populis. Quod onus ipſe ſuſcepit, & ſuggerente Spiritu ſancto, ita ſuavem, & efficacem in ſuis prædicationibus effudit ſcientiam, ut ubertimos concionum ſuarum fructus reportaverit. Mel & lac erant ſub lingua ejus, in labiis ejus diffuſa erat gratia: ignitum vehementer erat eloquium ejus; ejuſque doctrina ita ſuavis erat & efficax, ut ejus ſermonibus ad Dei amorem accenderentur tepidi, ſceleratiores quique ad Deum converterentur, ac mirarentur omnes in verbis gratiæ, & ſcientiæ, quæ de ore ejus procedebant. Bernardus ergo Doctor magnus fuiſſe videtur in ſuis concionibus, in quibus mirabilem & efficacem effudit ſcientiam: *ac etiam in ſuis libris, in quibus doctrinam ſublimem & ſuavem manifeſtavit.*

3. Sublimis, & melliflua Bernardi doctrina, quæ in privatis colloquiis, & publicis ejus concionibus olim audiebatur, nobis nunc ejus libris innoteſcit. In quibus, ſtylo mirabili, ſcelera arguit, hæreſes confutat, Magnates reprehendit, Epiſcoporum laxiorem vivendi modum damnat, necnon religioſos deſides, & ſæculares minus pios acriter pungit. In iis etiam plurimorum Sanctorum in cælo regnantium elogia conficit, perfectionis viam omnes docet, ad devotionem erga beatam Virginem, & ad Dei amorem omnes inflammat; omnibus vitæ perfectioris leges præſcribit, omnibuſque altiora fidei myſteria aperit.

Mirabilia ſunt omnia, quæ in Bernardi libris leguntur; immo & quid divinum in eis cernitur: *Tum*, quia a Deo fuere inſpirata: *Tum*, quia ex ipſis Dei verbis, ex ſacra Scriptura depromptis, ſunt conſerta. Scripta enim ejus undecumque veteris & novi Teſtamenti ſententiis, apte diſpoſitis, ita ornata ſunt, ut ubique Dei ſermones loquatur. Sic inſerta, & quaſi inviſcerata ſunt in ejus libris ſacræ Scripturæ verba, ut ejus libri legi nequeant, quin ſtatim ſacri legantur codices. Quocumque te vertas; ſi aliquod ex Bernardi operibus legas, legis & ſermones Dei: quia Dei ſermones, ex ſacra Scriptura ſumpti, ita in ejus libris diſponuntur, & inſeruntur, ut ex Dei & Bernardi verbis una fiat oratio præclare concinnata, & ex utriuſque verbis fiat unum opus, quod ſimul & Dei, & Bernardi opus dici poteſt. O eximiam & ſublimem ſancti hujus Abbatis doctrinam! quam omnes demirari debent: & fateri, Bernardum non ſolum magnum Apoſtolum, & magnum Martyrem, ſed etiam maximum eſſe Doctorem: *Magnus vocabitur.*

Tantum admiramini virum, quem omnis Eccleſiaſticus Orbis admiratur, ſed ita admiramini eum, ut ad meliorem vitæ frugem convertamini. Ne ſimiles ſitis Judæis, qui Christum audientes, *mirabantur, & non convertebantur; Auguſtin.* ſed ita magnum Bernardum admiramini, ut identidem convertamini, & ſaltem in aliquo, tantum Virum imitamini. Si Bernardus fuit magnus Apoſtolus, qui pro omnium ſalute laboravit; ſaltem in aliquo Apoſtolica obite munia; & ſi non omnium, ſaltem veſtræ, & eorum, qui vobis commiſſi ſunt, ſaluti invigilate. Si Bernardus Martyr magnus extitit; tollite ſaltem crucem veſtram, immiſſaſque vobis a Deo adverſitates, libenter pro ejus amore portate. Si Bernardus fuit Doctor maximus; eos ſaltem, quos Deus curæ veſtræ commiſit, in doctrina ſana ſollicite erudire. Si autem pro viribus veſtris Bernardum imitari conemini, cum ipſo in cælo æternum regnabitis. *Amen.*

DE SANCTO

BARTHOLOMÆO.

CONCIO UNICA.

Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. 1. Cor. 6.

BArtholomæum ab Ægyptiis Regibus originem duxiſſe crediderunt aliqui: ipſumque ejus nomen indicare videtur, quod a Ptolomæis, Ægyptiorum Monarchis, ſuam traxerit originem. Bartholomæus enim idem ſonat, ac filius Ptolomæi. Nec obſtat, quod piſcator fuerit; tantas enim rerum viciſſitudines experimur in hoc mundo, ut humilibus ſæpe vacent obſequiis, qui proavos habuere auguſtos; & aliquando, qui heri in majeſtate ſublimabantur, hodie ad artes humiles & ſordidas, immo & ad victui neceſſaria emendicanda cogantur. Sed quidquid ſit de temporali hac, & tranſitoria nobilitate; aliquid in Bartholomæo intueor, quo omnis Christianus eum ſublimiorem, majorique dignum honore cenſebit; nempe ſpiritum, quo Deo, ut ſummo bono, firmiter adhæſit. Si etenim, teſte Divo Paulo; qui Deo vere adhæret, unus fit ſpiritus cum eo: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, nil ſane majus, nil nobilius, nilque auguſtius eſſe poteſt, quam quod quis Deo totaliter ſpiritu & corde adhæreat. Videamus, quomodo Sanctus Bartholomæus DEO totaliter adhæſerit, &c. *Ave.*

POteſt quis adhærere DEO, corde, ſpiritu, & corpore. Adhæremus Deo *corde*, per amorem: cum ſcilicet eum ardenter diligimus; ut enim ait

Sanctus

Sanctus Auguſtinus: *Charitate Chriſto, non pœnæ timore, cohæremus: Auguſt. ep. 144. ad Anaſt.* Adhæremus etiam Deo *ſpiritu*, per fidem; cum noſtros captivamus intellectus in obſequium fidei: *Is Divinitati adhæret, qui ſe illi vera fide conjungit. Caſſiod. Pſal. 73. v. 28.* Deo tandem adhæremus *corpore*, per crucem; cum, ſcilicet, mortificationem & crucem in corpore noſtro propter Deum circumferimus: quia non poſſumus amare Chriſtum qui cruci adhæret, niſi & nos cruci adhæreamus: *Ille non amat Chriſtum, qui non amat crucem Chriſti. Petr. Dam. ſerm. de Inv. S. Crucis.*

Deus conſiderari poteſt, ut bonus, ut verus, & ut pro nobis cruci affixus: *per amorem* autem adhæremus bonitati naturæ ejus: *per fidem*, adhæremus veritati myſteriorum ejus: *per crucem*, ejus paſſionibus adhæremus. Et his omnibus modis S. Bartholomæus bonum eſſe judicavit adhærere Deo: adhæſit enim Deo per amorem, per fidem, & per crucem. Adhæſit Deo: 1. *per amorem*, quo exarſit: 2. *per fidem*, quam ſectatus eſt: 3. *per crucem*, quam generoſe portavit.

PRIMA PARS.

Sanctus Bartholomæus Deo adhæſit per amorem.

AMor eſt haud dubie fortius & glorioſius vinculum, quo Deo unimur, tantoque ſtrictius ei adhæremus, quanto ardentior eſt amor, quo erga eum accendimur: *Tanto quis conjunctior eſt Deo, quanto plenior charitate. S. Bern. ſerm. 26. in Cant.*

Bartholomæi cor ſcrutari non poſſumus, ut ſciamus, quanto amore arſerit. Sed ſi de ejus in Deum amore per externa indicia judicare liceat, certe ſanctus ille Apoſtolus Deo maxime per amorem adhæſit. Quia pro ejus amore: 1. Terrena cuncta contempſit: 2. Orationi aſſidue vacavit: 3. Propria pelle ſe ſpoliavit.

1. Non vult Deus, ut unam ſolummodo cordis noſtri partem ei offeramus, non vult, ut una dumtaxat cordis parte, ſed ut toto eum corde diligamus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Non autem toto eum corde amare poſſumus, quamdiu terrenum aliquid diligimus, quare Sanctus Bartholomæus, pro Dei amore, & ut Deum perfecte diligeret, terrena omnia deſpexit, & totaliter reliquit: *Sanctus Bartholomæus*, inquit Laurentius Juſtinianus, *cum temporalibus divitiis, corporis voluptatibus, ac dignitatis celſitudine poſſet affluere, propter Deum contempſit omnia.*

Bartholomæus, non ea ſolum quæ poſſidebat, ſed ea etiam quæ illi offerebantur, ac omnia penitus mundi bona pro Dei amore contempſit. Unde poſtquam Polymii Regis filiam a dæmonio liberaſſet, oblata ſibi pretioſiſſima munera generoſe recuſavit, dicens; *Iſta munera ſunt neceſſaria his, qui terrena requirunt: ſed ego nil terrenum nilque carnale deſidero.* Probe ſciebat ſanctus Apoſtolus, terrena cuncta nil eſſe, reſpectu Dei, perfecte callebat artem amandi Deum; eumque non latebat, quod eo minus Deum diligimus, quo ardentius terrena amamus, & quod eo Deum perfectius diligimus, quo magis terrena cuncta abjicimus. Quare ut perfectiſſime Deum amaret, utque ei totaliter amore adhæreret, ſua parvi pendit, ſibi oblata & terrena cuncta deſpexit, pro nihilo habuit, ac penitus reliquit. O verum Dei amatorem, qui Deo ita per amorem adhæſit, ut ejus amore accenſus, terrena cuncta deſpexerit! *Ac orationi etiam indeſinenter vacaverit.*

2. Qui Deum non amant, illius facile obliviſcuntur, de illo raro cogitant, rariuſque illum deprecantur, & in ejus laudes prorumpunt. Sed qui Deum ex toto corde diligunt, crebro illum laudant, orationi aſſidue inſiſtunt, nilque ei gratius, & jucundius, quam Deum factorem ſuum, & Redemptorem ſuum laudare & deprecari: *Ex amore Dei producitur in Dei laudibus, orationibus, & meditationibus delectari, ac immorari. Dionyſius Carthuſ. de fructuoſa temporis deductione art. 11.* Et in hoc S. Bartholomæus ſpecialem quo erga Deum ardebat, amorem oſtendit, non enim per intervalla, ſed continue eum orabat, & ut de eo narratur, centies flexis genibus per diem orabat, & centies per noctem. O virum vere orationi deditum, & vere amantem Deum, quem ſic indeſinenter orat & deprecatur!

Oportet, inquit Chriſtus Dominus, *ſemper orare, & non deficere. Luc. 18.* Eſtne hæc lex data omnibus: ita ut omnes ex præcepto teneantur ſingulis vitæ ſuæ momentis orationi incumbere? Nequaquam; eſt enim tempus dormiendi, tempus comedendi, tempus laborandi, & tempus orationi vacandi. Cur ergo dicit Chriſtus, quod *oportet ſemper orare*? Reſpondet Sanctus Vincentius Ferrerius, quod ibi Chriſtus alloquatur eos, qui Dei amicitiam ſibi conciliare cupiunt. Et ſic præfata Salvatoris verba exponit: *Oportet, ſi quis amicus Dei vult eſſe, ſemper orare, & non deficere. Vinc. Ferr. ſerm. de S. Barthol.* O quam pauci Deum ita amant, ut eum continue orent! Heu! multi nec ſemel in die ad Deum mentem elevant, ut auxilium ejus poſtulent. Sed S. Bartholomæus *habuit ſpecialem amicitiam cum Deo per orationem: ibid.* quia ita eum amavit, ut de eo continue cogitaret; ut centies qualibet die, & centies qualibet nocte flexis genibus eum oraret. Oratio tandem erat exercitium, cui continue vacabat; erat incenſum, quod aſſidue Deo adolebat; erat ſacrificium, quod indeſinenter Deo offerebat: ita ut reſpirare & orare, immo vivere & orare, unum & idem in Bartholomæo eſſe videretur. O mirandum Dei amatorem, qui ita ei per amorem adhæſit, ut continue eum oraverit: *Ac etiam propria pelle pro ejus amore ſpoliari voluerit.*

3. Bartholomæus, cæleſtibus radiis inflammatus, ac ardentiſſimo Chriſti ſui amore exæſtuans, non modo veſtes exteriores, ſeu mundi bona, verum & ipſam pellem deponere, ac vivus excoriari voluit. Non unam dumtaxat, ſed trinam pellem amore Chriſti dimiſit. Prima, quam dimiſit, veteris hominis pellis fuit: *Expoliantes nos veterem hominem. Coloſſ. 3. 9.* Secunda pellis, quam exuit, fuit temporalis ſubſtantia, ipſe etenim rem familiarem, omnem ſupellectilem, omniaque terrena pro Chriſti amore dimiſit. Tertia pellis, quam glorioſus hic Chriſti Apoſtolus poſuit, fuit ipſa pellis corporis, quæ inaudita feritate a carnificibus ei ablata eſt,

Invi-

Invictus ille Chriſti Martyr cum carne pellem quoque obtulit, & immani cruciatu vivus excarnificatus eſt, ſeque victimam Deo conſecravit.

Legite in hac Bartholomæi pelle ſanguinolentos ejus in Chriſtum amoris characteres, videte hic, quanto amore ei adhæſit ſanctus ille Apoſtolus? Quantum amavit qui pro Chriſti amore cuncta reliquit? Quantum amavit, qui propter Chriſtum non ſolum bonis temporalibus, ſed propria etiam pelle expoliari voluit? Quantum amavit, qui extracta ſibi pelle, cruorem e cunctis corporis partibus manantem, patentes nervos, diſruptas venas, & ſalientia viſcera æquo animo vidit & contemplatus eſt? Miror ardentiſſimum hunc Bartholomæi in Chriſtum amorem; ſed identidem cæcitatem & ſtultitiam defleo illorum, quorum omne ſtudium eſt pelliculam curare; molliter eam veſtire, laute ſarcire, illicitiſque eam voluptatibus addicere. Hi quidem ad tempus gaudent, ſed in æternum plorabunt, & gementes in inferno vociferabuntur, dicentes: *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt. Thren. 5. 10.* O quam iis ſapientior Bartholomæus, qui ita Chriſto per amorem adhæſit, ut propter eum non ſolum bonis temporalibus, ſed etiam propria pelle expoliari paſſus ſit! Sed ſi Bartholomæus Deo adhæſit per amorem: *Ei etiam adhæſit per fidem.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Bartholomæus Deo adhæſit per fidem.

SAncti qui in cælo Deum facie ad faciem intuentur, ei adhærent mediante lumine gloriæ, a quo intellectus eorum ad claram Dei viſionem ſupernaturaliter elevantur. Sed in hoc mundo Deum videre ſolum poſſumus in ænigmate, mediante fide, qua Deo, ejuſque myſteriis firmiter adhæremus. Unde quo major eſt fides noſtra, eo & firmius Deo inhæremus. Mirum autem in modum Deo per fidem adhæſit S. Bartholomæus, quia fuit fidei Diſcipulus, Prædicator & teſtis: fuit 1. *Diſcipulus*, qui fidem recepit humiliter: 2. *Prædicator*, qui illam docuit publice: 3. *Teſtis*; qui eam teſtificatus eſt generoſe.

1. De Nathanaele narrat Sanctus Joannes Evangeliſta, quod cum Sanctus Philippus quadam die eum inveniſſet, dixit ei, ſibi occurriſſe Jeſum e Nazaret, de quo multa prædixerant Prophetæ, & cujus fama undequaque pervolabat. Nathanael autem Chriſtum videre vehementer deſiderans, Philippo, ad eo inviſendum invitanti, acquievit, quare cum eo ſimul conveniunt. Cumque vidit Jeſus Nathanaelem venientem ad ſe, dixit de eo: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Joann. 1.* Nathanael attonitus, quod a Chriſto, quem numquam viderat, agnoſceretur; ab eo petiit, unde ipſum noverat? Cui Chriſtus reſpondit, quod illum a multo tempore cognoſceret, quodque ipſum non laterent ea, quæ ille fecerat, dum ſolus eſſet ſub ficu; ubi ſe a nemine videri credebat. *Cum eſſes ſub ficu, novi te.* Ex tunc in Chriſtum credidit Nathanael; ac confeſſus eſt, eum eſſe Meſſiam in Lege promiſſum, eumque eſſe verum & conſubſtantialem Dei filium: *Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.* O miram Nathanaelis fidem! O verum fidei Diſcipulum; qui ut verus Iſraelita, humiliter & ſimpliciter primo intuitu in Chriſtum credit, eumque verum eſſe Deum confitetur.

Ubique Sancti Petri fides, ut maxima proclamatur, eo quod poſt multa ſigna & miracula, quæ a Chriſto fieri vidit, eum eſſe Deum confeſſus ſit, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Longe tamen major videtur Nathanaelis fides: quia cum primum Chriſtum vidit, idipſum de eo confeſſus eſt quod Petrus, dicens: *Tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Ecce ergo verum fidei diſcipulum, qui primo Chriſti intuitu fidem humiliter, & ſimpliciter recepit. Sed quis eſt hic fidei diſcipulus? quis eſt ille Nathanael, in quo non eſt dolus, qui fidem tanta cum celeritate & ſimplicitate recepit? Hic non eſt alius, quam S. Bartholomæus, ut docent Rupertus, Janſenius & Toſtatus. Adhæſit ergo Deo Bartholomæus per fidem: quia fuit Diſcipulus, qui eam humiliter & ſimpliciter recepit. Sed adhæſit etiam Deo per fidem: *Quia fuit Prædicator fidei, qui illam publice docuit. Apud Cornel. a Lap.*

2. Poſtquam S. Bartholomæus fidei lumine fuit illuſtratus, alios eodem lumine illuſtrare voluit; ex Diſcipulo Magiſter & Doctor fidei factus eſt; variaſque peragravit Provincias, ut Chriſtum quem noverat, & confeſſus fuerat, populis prædicaret; ac tanto zelo, & tanta efficacia Chriſti fidem prædicavit; ut ſic volente, & cogente Deo, dæmon de eo dixerit, quod *vox ejus quaſi tuba vehemens erat.* Quia ſcilicet, Bartholomæus fidei Doctor & Prædicator factus, ita ſuam exaltavit vocem, ut in extremis terræ habitabilis partibus audita ſit. Verum eſt, quod omnes Apoſtoli, fidei Doctores & Concionatores fuerint, quia illam magno cum zelo prædicaverunt: ſed omnium vox non eſt æqualiter audita. *Aliqui* enim eorum prædicaverunt in Judæa, ut Jacobus minor: *Alii* in locis circumvicinis, ut S. Philippus, qui evangelizavit per Syriam: *Alii* in locis magis remotis, ut S. Petrus, qui prædicavit Antiochiæ; ſed *Bartholomæus extremos terrarum fines penetravit Indorum. S. Ambroſ.* Ibi audita eſt ejus vox, quaſi tuba perſonans; ibi ingenti cum zelo fidem chriſtianam prædicavit & docuit, non ſolum verbis, ſed etiam mirabilibus omnium virtutum exemplis, quæ exhibuit.

Bartholomæus non fuit ſimilis Scribis illis & Phariſæis, qui ſedentes ſuper Moyſi Cathedram, dicebant & non faciebant: *Dicunt & non faciunt.* Ipſe enim, Prædicator fidei factus, dicebat quod aliis faciendum proponebat. Prædicabat, adorandam eſſe Trinitatem in Divinis: & ipſe centies eam qualibet die flexis genibus adorabat. Docebat, contemnenda eſſe bona temporalia; & ipſe ita ea deſpiciebat, ut iis totaliter abrenuntiaverit. Dicebat, ab omni impudicitia eſſe abſtinendum; & ipſe virgineam profitebatur puritatem. Evangelizabat condonandas injurias; & ipſe infenſiſſimis ſuis hoſtibus quaſcumque injurias, licet acerbiſſimas, condonabat; iiſque benefaciebat, qui eum oderant. Unde, ſicut Joannes in deſerto pœnitentiam verbo & exemplo prædicavit; ita Bartholomæus verbis & operibus fidem chriſtianam ad ultimos uſque terræ terminos maximo

cum

Digitized by Google

cum zelo annunciavit. Sed ſi S. Bartholomæus adhæſit Deo per fidem; quia fuit Prædicator fidei, qui illam palam docuit; adhæſit etiam Deo per fidem: *Qui fuit teſtis fidei, qui illam generoſe teſtificatus eſt.*

3. Dixit Chriſtus Apoſtolis, eos teſtes futuros Aſcenſionis ſuæ, & omnium myſteriorum fidei in Jeruſalem, & in aliis mundi partibus, uſque ad terræ terminos: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ, Actor.* 1. Hæc verba ad omnes diriguntur Apoſtolos; ſed præcipue ad D. Bartholomæum; qui teſtis fuit fidei Chriſti uſque ad ultimum terræ terminum; & qui palam in Licaonia, in India citeriore, in Armenia, & in ultimis terræ finibus eam teſtificatus eſt.

Fidem teſtificati ſunt Apoſtoli verbis, ſanguine, & miraculis. Fidem teſtificati ſunt *Verbis*. Quia ſub ſilentio præterire non poterunt myſteria fidei, quæ a Chriſto didicerant: *Non enim poſſumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui. Act.* 4. Fidem etiam teſtificati ſunt *Sanguine*. Quia libenter ſanguinem fuderunt in teſtimonium veritatum fidei, quas prædicabant. Fidem tandem teſtificati ſunt *Miraculis*. Quia, quæ prædicabant, miraculis confirmabant: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Marc.* 3.

Bartholomæus autem his omnibus modis Chriſti fidem perfectiſſime teſtificatus eſt. *Verbis* enim & prædicationibus ſuis eam uſque ad terræ terminos teſtatus eſt. *Sanguine* etiam illam ita teſtificatus eſt; ut pro Chriſti fide excoriari paſſus ſit; ac proinde a planta pedis uſque ad verticem nullus fuit in ejus corpore locus, ex quo ſanguis in teſtimonium fidei non exiverit. Fidem tandem quam prædicavit, innumeris, iiſque magnis probavit miraculis: nam *omnem morbum & languorem in Jeſu nomine curavit, mortuoſque non paucos, ejuſdem nominis potentia, vita donavit. Nicet. ſer. de S. Barthol.* Dæmonibus etiam ſilentium impoſuit: eos ſæpe ab hominum corporibus expulit: aliiſque multis & maximis miraculis fidem, quam prædicabat, confirmavit: *Sicut enim Sanctus Petrus operatus eſt prodigia magna, ita & Bartholomæus fecit miracula valida. Theodor. Studita ſer. de S. Barthol.* Quare concludamus, quod S. Bartholomæus vere Deo adhæſerit per fidem: *Sed et etiam adhæſit per Crucem, quam generoſe portavit.*

TERTIA PARS.

S. Bartholomæus Deo adhæſit per Crucem.

MUlti volunt eſſe cum Chriſto in monte Thabor, & pauci in monte Calvariæ; multi cum illo gaudere optant in Cælo, & pauci cum eo pati volunt in terra: ſocii volunt eſſe conſolationum ejus, ſed non tribulationum; cum eo regnare deſiderant, ſed cum eo cruciari, & calicem paſſionis bibere fugiunt. At S. Bartholomæus cum Chriſto crucem portavit in hoc mundo: illuſtris enim ille Apoſtolus adhæſit Deo per crucem; quia propter Deum: 1. Paſſus eſt multa: 2. Paſſus eſt gravia: 3. Paſſus eſt diu.

1. De genere martyrii, quod paſſus eſt S. Bartholomæus, diſputant multi. Dicunt aliqui, quod dire flagellatus; alii, quod cruci affixus; alii, quod excoriatus, & alii, quod decollatus fuerit, ſed verius videtur, quod hæc omnia ſupplicia perpeſſus ſit. Poſt multos enim variis in locis exantlatos labores, ad majorem tandem Armeniam venit Bartholomæus, ibi dæmones, in idolis loquentes, obmutescere fecit; ibique perpetratis aliis multis miraculis, Polymii Regis filiam a dæmonio liberavit. Ex quo factum eſt, ut Rex, Regina & alii plures ex eorum domeſticis & aulicis fidem chriſtianam reciperint. Quare Aſtiages, Polymii Regis frater, a ſacerdotibus concitatus, S. Apoſtolum comprehendi curavit: & *primo* illum ita flagellare fecit, ut in toto ejus corpore nullus ſine vulnere locus remanſerit: *ſecundo*, eum, verſis in altum pedibus, cruci affigi fecit. Sed videns Aſtiages, S. Apoſtolum in tanto ſupplicio non deficere, eum inde deponi, & vivum excoriari ordinavit; tandem capite truncari. Ex quo patet, quod S. Bartholomæus non unum dumtaxat ſupplicium, ſed multa pro Chriſto paſſus ſit.

De omnibus Sanctis ſancta cantat Eccleſia, quod multa perpeſſi ſint ſupplicia: *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta*. Sed unus Bartholomæus omnia aliorum Sanctorum pertuliſſe videtur ſupplicia: crucifixus enim fuit cum S. Petro, cum Paulo decollatus, flagellatus cum aliis pluribus: & inſuper fuit excoriatus: quod ſupplicium omnia aliorum Sanctorum tormenta includere & comprehendere videtur: quia illud eſt velut ſupplicium univerſale, quod ad omnes corporis partes ſe extendit. Unde cum de illuſtri illo Apoſtolo dicitur, quod excoriatus fuerit: identidem dicitur: quod tormenta paſſus ſit in capite, in collo, in brachiis, in cruribus, & in omnibus corporis partibus, in quibus alii Sancti paſſi ſunt. Multa ergo vir ille ſanctiſſimus pro Chriſto ſubiit ſupplicia. Sed ſi Deo adhæſit per crucem, quia pro ejus amore paſſus eſt multa, ei etiam adhæſit per crucem: *quia pro ejus amore paſſus eſt gravia.*

2. Heu! quam gravia pertulit in longinquis itinerationibus, quas terra marique ſine pera & ſine baculo ſuſcepit? Quanta paſſus eſt ludibria, quantas deriſiones, quanta maledicta a Gentilibus & Barbaris, quibus Chriſtum crucifixum prædicavit? Quanta a dæmonibus, quorum regnum deſtruebat, a Sacerdotibus, quorum pravos mores arguebat, & a Philoſophis, quorum doctrinam ut falſam confutabat? Sed ut veniamus ad ultima quæ ſubiit ſupplicia, quid gravius, quam flagellis & fuſtibus cædi, ita fortiter: *ut miraculum fuerit, quod in hoc ſupplicio non moreretur? S. Vinc. Ferr. ib.* Quid acerbius, quam cruci affigi capite deorſum verſo, & in hoc ſitu fixuram & vim clavorum in pedibus tolerare? Sed quid gravius & dirius excogitari poteſt, quam ſpeciale S. Bartholomæi tormentum, excoriatio ſcilicet, & pellis a corpore violenta avulſio? Nec enim excoriari, & pelle exui potuit, quin ſimul cum pelle avelleretur caro, diſrumperentur nervi, aperirentur venæ, & ſanguis ex omnibus corporis partibus copioſiſſime flueret. O ma-

mane ſupplicium inaudita ferìtate inventum! O ferinum & barbarum torquendi modum! O tormentorum maximum, & ut ita dicam, tormentum tormentorum! Dic flagellationem, dic dentium eradicationem, dic oculorum avulſionem, dic capitis amputationem, dic quod volueris tormentum, nullum, meo quidem ſenſu ac judicio, ita grave & acerbum dices, ut excoriationem, & violentam pellis avulſionem, quia iſtud ſupplicium ad omnes corporis partes ſe extendit, eaſque omnes graviſſime & diu torquet.

Aſſerunt Theologi, quod nullus unquam Martyr tam gravia paſſus ſit tormenta, quam Chriſtus; quodque dolores quos pertulit Salvator, omnes aliorum hominum dolores ſuperaverint. Sed licet, abſolute loquendo, Martyrum tormenta Chriſti ſuppliciis ſint imparia, Bartholomæi tamen ſupplicia ad gravitatem eorum quæ paſſus eſt Chriſtus, non parum accedere videntur: fuit enim flagellatus & crucifixus cum Chriſto, & inſuper per pellis avulſionem ita fuit toto corpore ſauciatus, ut a planta pedis uſque ad verticem nulla in eo ſanitas remanſerit. Unde Bartholomæus a Niceta vocatur *Crucifixi diſcipulus*, quia, ſcilicet, Magiſtrum ſuum Chriſtum perfecte imitatus eſt in gravibus, quæ pertulit, tormentis. Sed ſi S. Bartholomæus Deo adhæſit per crucem, quia pro ejus amore gravia paſſus eſt, ei etiam adhæſit per crucem: *quia pro ejus amore paſſus eſt diu*.

3. Tormenta, quæ ex ſe ſunt levia, diuturnitate fiunt gravia, & ea quæ ex natura ſua ſunt gravia, duratione fiunt terribilia, & intolerabilia, in ſuppliciis enim nihil acerbius, terribilius nihil, quam duratio eorum juncta cum gravitate. Si tormenta ex ſe gravia eſſent, modo cito tranſirent, non acerba multum viderentur, ſed ſi ſint gravia ſimul & diuturna, nil hoc terribilius, quia illa diuturnitas tormentis ex ſe gravibus, intolerabilem quandam addit acerbitatem. Sicut enim tormentorum omnium, quæ patiuntur damnati in inferno, conſummatio ſumitur ab æternitate, ſeu, ex hoc quod ſint in æternum duratura, ita & in hujus mundi ſuppliciis nihil terribilius, quam duratio eorum juncta cum gravitate.

In tormentis autem quæ pertulit Bartholomæus non defuit diuturnitas; in iis ſimul cum gravitate adfuit duratio, ejus martyrium acerbum ſimul fuit & diuturnum, multis enim diebus in tormentis extitit. Immo nec mortuus eſt ipſa die, qua crucifixus, & excoriatus fuit, ſed in deplorando hoc ſtatu vixit, & prædicavit uſque ad proxime ſequentem diem, in qua decollatus fuit: *Cumque pelle nudatus, adhuc vivens permanſiſſet, & excoriatus Dominum prædicaret, ac multos tantum cernentes miraculum convertiſſet, juſſu Regis decollatus eſt die ſequenti. Petrus de Natal.*

O quam diurna fuere hujus Sancti tormenta! O ſupplicia, duratione ſua vere terribilia, & importabilia! Sed o quam perfecte Deo adhæſit Bartholomæus! *Et adhæſit per amorem*, quia pro ejus amore terrena cuncta contempſit, orationi aſſidue vacavit, & propria pelle expoliari voluit: *Et adhæſit per fidem*, quia fuit fidei diſcipulus, prædicator & teſtis: *Et adhæſit per crucem*, quia propter Deum paſſus eſt multa, paſſus eſt gravia, paſſus eſt diu.

O Apoſtolum vere adhærentem Deo! Sed o quam pauci eum imitantur! Quam pauci Deo adhærent, & ſincero corde dicunt: *Mihi adhærere Deo bonum eſt*! Multi adhærent meretricibus, aliiſque obſcœnis carnis & laſciviæ voluptatibus, multi divitiis & bonis temporalibus; multi honoribus & mundi dignitatibus, pauci vero totaliter Deo adhærent, eique ſe omnino conſecrant.

O fratres dilectiſſimi, adhæreamus Deo per amorem, ita ut ejus amore ſemper ardeamus, & pro ejus amore bona multa operemur. Adhæreamus ei per fidem, ita ut omnia fidei myſteria firmiter credamus, & fidem noſtram operibus manifeſtemus. Adhæreamus tandem ei per crucem, ita ut quidquid durum in lege Domini occurrit, generoſe patiamur. Tollamus crucem noſtram, & illa uſque ad cælum nos elevabit, ut ibi in æternum Chriſto adhæreamus, & cum ipſo regnemus. *Amen*.

DE SANCTO LUDOVICO GALLIÆ REGE.

CONCIO UNICA.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & tibi dabo coronam vitæ. Apoc. 2. 10.

TAnta multorum terræ Principum eſt iniquitas, ut cum filios, domeſticos, & omnes ſubditos, ſibi fideles eſſe velint; ipſi tamen Deo ſuo, cujus filii, domeſtici, & ſubditi ſunt, fideles eſſe nolint. Principes illi, qui aliquibus dominantur hominibus, ægre ferunt, & ſæpe iraſcuntur, ſi vel in minimo infidelis ſit aliquis ex famulis, ipſi vero ita iniqui ſunt, ut Deo ſuo, cui omnes famulantur creaturæ, in multis quotidie infideles eſſe ſoleant. Sanctiſſimus autem Galliæ Rex Ludovicus a ſuis utique fidele exigebat obſequium, ſed & identidem ipſe Deo ſuo fideliſſimus erat, ejuſque in Deum fidelitas uſque ad mortem conſtantiſſima fuit. Et ideo, qui in hoc mundo regia redimitus erat corona, a terrena, & nunquam peritura in cælo corona præmiari meruit: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & tibi dabo coronam vitæ*.

A ſola hac in Deum fidelitate Panegyricam S. Regis Ludovici orationem elicere ſtatui; nec magis illum laudare poſſum, quam cum illum Deo fideliſſimum extitiſſe dicam; quia qui Deo perfecte fidelis eſt, humillimus haud dubie, patientiſſimus, charitate ferventiſſimus, & in omni virtutum genere perfectiſſimus eſt. Quare S. Ludovicum laudent oratores alii a regia dignitate qua floruit, a multitudine avorum & proavorum qui Gallicum Sceptrum glorioſe geſtarunt, a præclaris corporis & animi dotibus, a prudenti regimine, a dexteritate in gerendis negotiis, a regia liberalitate & magnificentia, hunc ſolummodo laudabo maxima illa fidelitate, quam Deo præſtitit, &c. *Ave*.

Fot-

FOrtuna, quæ ſemper, ubique, & reſpectu omnium mobilis, & inconſtans eſſe ſolet, ſuam, reſpectu Magnatum, potiſſimum manifeſtare videtur inconſtantiam; eos enim exaltat & humiliat, extollit & deprimit; ac ab honorum culmine in dedecoris, & miſeriarum abyſſum illos ſæpe projicit, & præcipitat.

Hæc facile adnotari poſſent in multis Principibus, aliiſque Magnatibus, quos ſacri & profani recenſent Hiſtorici. Sed ut alio noſtra non evagetur oratio, ſanctum ſolummodo inſpiciamus Regem Ludovicum, qui & proſpera, & adverſa agitatus fuit fortuna, vel potius, qui ex ſapientiſſima Providentiæ divinæ ordinatione, nunc in proſperis, nunc in adverſis fuit. Quæ enim major proſperitas, quam Ludovici ſupra Regium Galliæ Thronum pacifice ſedentis, ibique a cunctis honorati, & omni bonorum genere affluentis? Quæ contra major adverſitas, quam Ludovici, longiſſime a ſuo regno diſtantis, inter infideles infirmi, captivi, & quaſi ab omnibus derelicti? Contemplemur ſanctiſſimum illum Principem in utroque hoc proſperitatis, & adverſitatis ſtatu poſitum, dicamuſque, eum ſemper Deo fuiſſe fidelem. S. Ludovicus: 1. Fuit fidelis Deo in ſtatu proſperitatis: 2. Fuit fidelis Deo in ſtatu adverſitatis.

PRIMA PARS.

S. Ludovicus, fuit fidelis Deo in ſtatu proſperitatis.

QUi magna in hoc mundo proſperitate gaudent, plerumque Deo ita infideles ſunt, ut peccatis ſe dedant, & a virtutum exercitio abſtineant. Sed S. Ludovicus Deo fideliſſimus fuit in ſtatu proſperitatis, quia in hoc ſtatu declinavit a malo, & fecit bonum. In hoc, inquam, ſtatu: 1. Ab omni declinavit malo, ad quod proſperitas inclinare poteſt; 2. Omne fecit bonum, a quo proſperitas avertere ſolet.

1. Ad mala plurima inclinat proſperitas: hæc multorum eſt origo malorum: eſtque maligna parens, ex qua fere omnia naſcuntur peccata. Ut enim ait S. Thomas a Villanova: *Proſperitas facit hominem oblivisci Dei & ſui; proſperitas facit eum ſuperbum, mundanum & vitioſum: proſperitas facit hominem oblivisci futuræ gloriæ, & mortis, & inferni: proſperitas replet hominem vitiis, & peccatis uſque ad ſummum. S. Th. a Villan. ſer. de Martyr.* Quæ omnia quam vera ſint, omnibus apertum & manifeſtum eſt; certum eſt enim, quod homines ad hujuſmodi vitia alliciat, & plerumque trahat proſperitas. Sed S. Ludovicus in proſperitate ſua ita Deo fidelis fuit, ut ab omnibus his vitiis alienus, & toto cælo elongatus fuerit. In proſperitate enim non eſt oblitus Dei, & ſui; cum Deo ſemper placere ſtuduerit, ſuæque ſaluti ſollicite invigilaverit; in proſperitate non fuit ſuperbus, & mundanus, ſed humilitatem ſtudioſe ſectatus eſt, mundique gloriam, & pompam generoſe deſpexit; in proſperitate non eſt oblitus Paradiſi, cujus felicitatem ambivit; nec inferni, cujus ſupplicia pertimuit, nec mortis, quam continue mente revolvit, & ad quam ſumma ſollicitudine ſe præparavit; proſperitas tandem non eum replevit vitiis uſque ad ſummum: quin contra ab omnibus peccatis ſumma cura abſtinuit, millieſque mori, quam vel unicum mortale perpetrare maluiſſet.

Diei altitudinem pertimeſcebat Regius Propheta, dicens: *Ab altitudine diei timebo. Pſ. 55.* Cur non potius noctis tenebras, & obſcuritatem, quam diei altitudinem timet? Sed quæ ei hujus formidinis cauſa? Cur diei altitudinem reformidat? Timere deberet urſos & leones, cum quibus decertat: gigantem Goliath, contra quem in ſingulare certamen deſcendit: Saulem ſibi infenſiſſimum, vel formidandos hoſtium ſuorum exercitus. Hæc quidem pertimeſcenda: ſed quæ cauſa timendi altitudinem diei, quæ homines recreat, plantas fovet, terramque fœcundam & fertilem efficit? Magna quidem eam timendi ineſt ratio: per altitudinem enim diei intelligitur mundi gloria, & proſperitas, quæ maxime eſt formidanda, quia homines, ſi Deo, & gratiæ fideliſſimi non ſint, in vitiorum omnium abyſſum trahere & perdere ſolet: *Proſperitas ſtultorum perdet illos. Prov. 1. 31.* At S. Ludovicus, in diei altitudine, & in ſumma proſperitate, qua gaviſus eſt, ita Deo fidelis fuit, ut ſuperbus, inflatus, libidinoſus, iracundus, & aliis quibuſque vitiis deditus non fuerit; nec quocumque, ſaltem mortali, peccato animam ſuam inquinaverit. Dixerat ei pia mater, quod illum mortuum, quam mortali peccato inquinatum, videre mallet, & ipſe, etiam in proſperis, & in media mundi proſperitate conſtitutus, mori, quam mortali peccato fœdari, libenter prælegiſſet.

Adverſus Deum non murmurabat populus Iſraeliticus, nec gravibus ſe inquinabat peccatis, cum ſub duro Pharaonis jugo ingemiſcebat, continue laborabat, crebro vapulabat, poris dumtaxat veſcebatur, & aliis, ac omnimoda adverſitate affligebatur; ſed poſtquam manna, & carnes comedit in abundantia; ſed poſtquam coturnicibus ſaturatus eſt; poſtquam Deus conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum, butyrum de armentis, & lac de ovibus cum adipe agnorum & arietum; poſtquam, inquam, a ſtatu adverſitatis ad ſtatum proſperitatis migravit: *incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum*, & ad innumera peccata declinavit; ac ut loquitur Propheta, *ex adipe*, ſeu, ex abundantia, & proſperitate, *prodiit iniquitas eorum*. Quod autem huic populo accidit, hoc & accidere ſolet omnibus qui abundantia, & proſperitate gaudent: ſi enim vim ſibi non faciant, & divinæ gratiæ auxiliis fideliter non cooperentur in gravia facile incidunt peccata, & ut ait Hugo Cardinalis, ex adipe, ſeu proſperitate eorum: *Superbia, oblivio Dei, contemptus Dei, tranſgreſſio mandatorum Dei, ingratitudo, luxuria, jurgia, oppreſſio pauperum, multaque alia crimina procedunt.*

Hæc eadem S. Ludovico accidiſſent, ſi in proſperis Deo fidelis non fuiſſet; ſed tanta ejus in Deum fuit fidelitas, ut in omni rerum abundantia, & proſperitate, omnia devitaverit peccata ad quæ allicere ſolet proſperitas. In proſperitate enim, qua fruebat-

baiur, Deum non contempſit, nec ejus oblitus eſt: cum laudibus ejus ſedulo incubuerit, ſummaque ſollicitudine eum glorificare, ejuſque gloriam promovere ſtuduerit. In mundana qua gaviſus eſt proſperitate, in Deum non fuit ingratus, nec mandata ejus contempſit: cum ſe, ſuaque millies ei obtulerit, ejuſque mandata perfectiſſime ſervaverit, & a ſuis ſervari curaverit. In proſperitate tandem fœdis ſe non inquinavit libidinibus, pauperes non oppreſſit, nec aliud quodquam grave perpetravit peccatum; cum omnia luxuriæ inquinamenta exhorruerit, pauperum calamitates omnibus modis ſublevare conatus ſit; ac ipſam peccati umbram timuerit; omniaque peccata tanto ſtudio declinaverit, ut nunquam mortaliter peccaſſe credatur; milieſque mori, quam mortaliter peccare, maluiſſet. S. ergo Ludovicus Deo in ſtatu proſperitatis fidelis fuit, cum in hoc ſtatu ab omnibus abſtinuerit peccatis, ad quæ homines inclinare ſolet proſperitas; ſed in ſtatu proſperitatis fuit etiam Deo fidelis: *Quia in hoc ſtatu omne fecit bonum, a quo proſperitas avertere ſolet.*

2. Sicut proſperitas ad omne malum inclinat; ita & ab omni bono, omniumque virtutum exercitio avertit; aut ſaltem ita infirmi, debiles, & inſenſati eſſe ſolent homines; ut ex proſperitate, bonorumque temporalium abundantia, minus religioſe vivendi, & bonis operibus non vacandi occaſionem ſumant. Sciunt utique, quod tunc majori conatu Deo ſervire, boniſque operibus faciendis inſiſtere debeant, cum temporalia bona ab eo abundantius percipiunt, & cum proſpera iis ridet fortuna: ſed neſcio quo fato, aut qua cordis perverſitate, ita Deo infideles ſunt, ut plerumque tunc minus ſtudioſe ei ſerviant, cum plura ab illo bona recipiunt, & cum majori proſperitate gaudent.

Non ſic autem Ludovicus: tanta ejus in Deum non fuit infidelitas; cor ejus non vitiavit mundana proſperitas: nec ſanctiſſimum hunc virum a bonorum operum, & chriſtianarum virtutum exercitio quomodocumque avertit. In omni enim tempore & quantumvis proſpera potiretur fortuna, totus virtuti, totus bonis operibus, totuſque Deo extitit; ac ſemper & ubique viſus eſt mente tranquillus, corde benignus, eloquio dulcis, doctrina fidelis, humilitate ſublimis, æquitate famoſus, caſtitate perfectus, zelo gloriæ Dei accenſus, pietate religioſus, cunctiſque ſanctitatis operibus exornatus: & iis præcipue, quibus carere ſoleat, qui magna in hoc mundo proſperitate fruuntur.

Noſtis, quod qui proſperitate gaudent, plerumque ab omni corporis mortificatione abhorreant, & ad illicitas voluptates facile declinent. At Ludovicus, in media mundi proſperitate, duro corpus ſuum ſæpe vexabat cilicio: acerbis jejuniis, aliiſque mortificationibus carnem ſuam affligebat, ac ſimul cum D. Paulo Apoſtolo, corpus ſuum caſtigabat, & in ſervitutem redigebat.

Qui mundi proſperitate fruuntur, ſuperbire, alioſque deſpicere ſoliti ſunt. At Ludovicus eo ſemper humilior, quo major & in hoc mundo felicior erat, tantaque ejus erat humilitas, ut ipſis pauperibus ſummo affectu miniſtraret, & eorum ſæpe pedibus humiliter procumberet. Quolibet enim ſabbato, in loco ſecretiſſimo, aliquorum pauperum ſuis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, terſos oſculabatur: ac crebro centum & viginti pauperibus, qui in ejus aula quotidie abundanter reficiebantur, ſuis manibus cibos apponebat, necnon quæ illis ſupererant, fragmenta quandoque manducabat.

O miram Ludovici humilitatem, ſed magna etiam ejus in pauperes, & infirmos fuit charitas, & liberalitas. Certum eſt, quod qui proſpera gaudent fortuna, pauperes & infirmos deſpicere, nullumque eis auxilium & ſubſidium præbere ſoleant. At Ludovicus in xenodochiis infirmos inviſebat, nulliuſque infirmi deformitatem aut ſordes refugiens, iis nonnunquam fercula flexis genibus miniſtrabat, ac nulli indigenti non ferebat opem, ſed præcipue Fratribus Dominicanis, & Franciſcanis, aliiſque qui divino cultui & animarum ſaluti vacabant, quibus largiſſimas eleemoſynas erogabat. Unde non ſecus ac Job, dicere poterat. *Oculus fui cæco & pes claudo, pater eram pauperum. Job 29. 15.*

Miramini S. Ludovicum qui in proſperis ita Deo fidelis eſt, ut ab omni peccatorum genere declinet, & omnium virtutum, bonorumque operum exercitio ſedulo incumbat. O utinam illum ut vitæ ſuæ exemplar inſpicerent, & imitarentur quicumque ſecunda gaudent fortuna! Sed, heu! hi plerumque non S. Ludovicum, ſed divitem Epulonem imitantur. Hi in proſperitate ſua a vitiis non abſtinent, & bonis operibus non incumbunt, ſicut Ludovicus, ſed inſtar divitis Epulonis, abdomini, luxui, ſuperbiæ, aliiſque vitiis indulgent, quare timendum, ne in die judicii Deus cuique illorum, ſicut avaro diviti, dicat: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Luc. 16.* Timendum, ne ſimul cum hoc helluone ineffabilibus Paradiſi gaudiis in æternum priventur; quia *difficile eſt; immo impoſſibile, ut præſentibus & futuris quis fruatur bonis; ut de deliciis tranſeat ad delicias. S. Hier. in c. 7. Ezech.* Hoc timete, & imitamini S. Ludovicum qui Deo fidelis fuit in ſtatu proſperitatis; *ac etiam in ſtatu adverſitatis.*

SECUNDA PARS.

S. Ludovicus Deo fidelis fuit in ſtatu adverſitatis.

NOn ſatis fuit Ludovico, in medio proſperitatum, omni virtutum generi incubuiſſe; ſciens enim, quod virtus in infirmitate, & adverſitate perficitur, adverſis multis probari voluit. Et ideo unam & alteram navigationem ad longinquas Saracenorum regiones ſuſcepit; ubi a regno ſuo quaſi exul, duram ſervitutem, graves morbos, & alia multa adverſa pertulit. In omni autem adverſitate Deo fideliſſimus fuit: 1. Quia in omni adverſitate Deum ſemper benedixit: 2. Quia in omni adverſitate ſe ſemper ad divinam voluntatem conformavit.

1. Honoris divini zelo ſuccenſus Moyſes in populum, qui vitulum aureum conflaverat & adorarat, vehementer exarſit; utque alios ad tantam Deo irrogatam injuriam ſecum ulciſcendam alliceret, clamavit: *Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Exod. 32.* Similem in modum Ludovicus, ſciens Deum in par-

Digitized by Google

partibus Orientalibus deſpici, loca ſancta ibi profanari, Chriſtumque non ibi adorari, ſancto accenſus zelo, ingentem collegit exercitum, cum quo mare trajecit, & primo prælio Saracenos fugavit: ſed cum magna militum multitudo poſtmodum periiſſet, victus ipſe captuſque eſt. Rebus tamen poſtea cum Saracenis compoſitus, liber Rex, ſimul, cum ſuo exercitu dimiſſus eſt.

Quis dicat, quam gravia, & quam multa in hac peregrinatione paſſus ſit Ludovicus? Quis exprimat, quam durum & acerbum ei fuerit, diu a Regno ſuo elongari, in ſervitutem redigi, & ab infidelibus deſpici? Graviſſimæ ſane extitere quas tunc perpeſſus eſt adverſitates; elapſo tamen aliquot annorum curriculo; cum fama undique diſperſa fuerit de vaſtatione & periculis Terræ ſanctæ, ipſe, inſtar Matathiæ, 1. *Mach.* 2. mala genris chriſtianæ & Sanctorum ægre ferens, Deo ipſum promovente, alteram ſuſcepit navigationem cum tribus filiis ſuis, cum regni proceribus, magnaque nobilium & populi multitudine. Qui omnes ad Carthaginis portum, qui a Tuneto haud procul abeſt, feliciter appulerunt. Sed non multo elapſo tempore, cum caſtra in Saracenorum conſpectu poſuiſſet Ludovicus, peſtilentia correptus, e vivis exceſſit.

Miramini ferventem Chriſtianæ Religionis zelum, qui in Ludovico ita ardebat, ut illum tot adverſis ſe exponere cogeret; ſed & miramini ſanctiſſimi Regis illius fidelitatem quæ tanta fuit, ut in omni adverſitate, tribulatione & anguſtia Deum benedixerit. Similis non fuit Ludovicus peſſimis illis Chriſtianis, qui in adverſitatibus Deo maledicunt, & inſurgunt adverſus Altiſſimum: ſi temporalium jacturam faciant, injuſtitiæ Deum accuſant; ſi lite cadant, contra Deum blaſphemant: ſi moriatur primogenitus, maledicta evomunt. Non ſic Ludovicus; ſed adveniente quacumque adverſitate, Deum oravit, laudavit & benedixit. Cum vidit, ingentem ſuum exercitum acerbis infirmitatibus, & morte vaſtari, benedixit Dominum: cum a Barbaris gentibus captus, & in ſervitutem redactus eſt, benedixit Dominum; cum lethali eſt morbo correptus, benedixit Dominum: ac inſtar Regii Prophetæ, in omni adverſitate, & in omni tempore Deum benedixit. *Benedicam Dominum in omni tempore. Pſ.* 33. 2.

Nonnulli ita Deo infideles ſunt, ut tunc illum benedicant, *quando abundant ſæcularia, quando multitudo frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, ſaluſque iſta mortalis incorrupta perſiſtit, quando ea quæ naſcuntur, creſcunt omnia, nihil immatura morte ſubtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia.* At, inquit Auguſtinus, non ſolum tunc benedicendus Deus, cum omnia nobis proſpere eveniunt; ſed etiam in omnibus adverſitatibus noſtris, *Tunc benedicendus eſt Deus, quando iſta dat, & quando iſta tollit; quia ille dat, ille tollit; ſed ſeipſum a benedicente ſe non tollit. Aug. in Pſ.* 33. Et ut ait D. Hieronymus *hæc virtus eſt maxima, ut in ipſis periculis atque miſeriis Deo gratia referatur, & ſemper dicamus; benedictus Deus. Hieron. in c.* 5. *ep. ad Epheſ.* En mirabilem virtutem, qua præditus fuit Ludovicus, ipſe enim Deum benedixit in omni tempore. Non ſolum illum benedixit, cum omnia proſpera; verum & cum omnia ipſi adverſa eſſent. Illum benedixit, cum feri maris fluctibus fuit expoſitus; illum benedixit, cum a Barbaris captus, & in ſervitutem eſt redactus; ſed illum præcipue oravit, laudavit & benedixit: cum ad mortem infirmatus eſt. Tunc enim orationi, Deique laudibus ſtudioſius incubuit, & ſæpe auditus eſt, nunc dicens; *Fac nos, Domine, proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare,* nunc vero Deo dicens; *Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* In adverſitate ergo fidelis Deo fuit S. Ludovicus; cum in ea illum ſemper benedixerit, *ac etiam eum tunc ad ejus voluntatem ſe ſemper conformaverit.*

2. Perfecti, ſummeque Deo fideles ſunt, qui in omni, & præcipue in adverſitatis tempore, ſuam divinæ conformant voluntatem & qui Deo inſtar Regii Prophetæ, ſemper dicunt. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Pſalm.* 56. 10. Seu, ut exponit S. Bernardus, *paratum cor meum quantum ad proſpera; paratum cor meum, quantum ad dura & adverſa. S. Bernard. ſerm.* 1. *in cap. jejun.* Sed, heu! Quam multi ſuam divinæ non ſolum non conformant voluntatem; verum & ita iniqui, ita ingrati, Deoque ita infideles ſunt, ut voluntati ejus crebro adverſentur! Quam multi, adveniente quavis tribulatione, in Deum murmurant, & in blaſphemias erumpunt! Quam multi, ſi morbus ingruat; ſi filii, ſi uxor, ſi bona temporalia auferantur, confeſtim in lamenta, in ſuſpiria, immo, & in murmura, nec non in graves adverſus divinam voluntatem Deique providentiam querelas diſſolvuntur! Totus ſane mundus protervis his repletus eſt filiis; qui ita infideles ſunt, ut in adverſitatibus divinæ rebelles ſint voluntati. At Ludovicus ita in omni tribulatione & adverſitate ſe Deo fidelem exhibuit, ut ſemper id voluerit, quod Deus; ſeque ſemper ad divinam voluntatem penitus fixerit & conformaverit.

Similis fuit vir ille ſanctiſſimus ſupernis illis Dei miniſtris, qui voluntatem ejus quam fideliſſime in omnibus adimplent, *Miniſtri ejus, qui facitis verbum ejus.* Similis fuit Sancto Paulo Apoſtolo: ſimulque cum illo in omni adverſitate dixit; Domine, hoc volo, quod & tu. *Domine, quid me vis facere?* Similis fuit Chriſto Salvatori: quia in omni tribulatione & anguſtia, ſuam divinæ conformans voluntatem, ſemper dixit: *Domine, fiat voluntas tua.* Cum inſpirat Ludovico Deus, ut a regni finibus exeat; ut ad exteras, longinquas & barbaras nationes pergat, voluntati divinæ ex animo obtemperat, dicens in corde ſuo: *Domine, fiat voluntas tua.* Cum, ſic volente Deo, graſſantibus contagioſis morbis totus infeſtatur, & vaſtatur ejus exercitus; mox divinam adorat voluntatem, intus dicens, *Domine, fiat voluntas tua.* Cum a Saracenis capitur, captivuſque detinetur, non murmurat, non conqueritur: ſed in corde ſuo ait: *Domine, fiat voluntas tua.* Cum peſtilentia plectitur & ab inſtantis mortis terroribus circumdatur, labiis ſuis non peccat, nec minimum quodque adverſus Dei providentiam verbum profert, ſed divinæ ſuam captivans, & contemperans voluntatem, percutientis Dei ma-

Digitized by Google

num exoſculatur, ſemperque in corde ſuo dicit: *Domine, fiat voluntas tua.*

Non poſſum S. Ludovicum variis probatum tribulationibus contemplari, quin protinus in mentem veniat ſanctiſſimus Propheta Job qui adveniente gravi quacumque adverſitate, Deum ſemper laudat, ejuſque ſe ſemper voluntati conformat, ſemperque ait: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Job* 1. Jam unus ad eum accedit nuntius, dicens: *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio.* Mox ad eum venit alius, dicens: *Chaldæi invaſerunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percuſſerunt gladio.* Adhuc illo loquente, ecce alius intravit & dixit: *Filiis tuis & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens, oppreſſit liberos ſuos, & mortui ſunt. Ib.* Suborientibus autem, & undequaque venientibus acerbis his tribulationibus, non turbatus eſt Job, nec labiis peccavit, ſed ſuam divinæ ſemper conformans voluntatem dixit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

Miramini hanc voluntatum conſonantiam, miramini hanc Jobi cum voluntate divina concordiam & conformitatem, ſed & miramini S. Ludovicum, qui in omni tribulatione & adverſitate, divinam ſimiliter adorat voluntatem, ſeque ei penitus conformat. Vult Deus, ut Ludovicus a matre diſcedat, a regno exeat, & ad gentes infideles properet: hoc vult & Ludovicus. Vult Deus, ut Ludovicus ab infenſiſſimis hoſtibus capiatur, & deſpiciatur, & ludibrio habeatur, hoc vult & Ludovicus. Vult Deus, ut ſanctus ille Rex peſtilentia feriatur, in terra aliena ad mortem infirmetur, ibique e vivis excedat, hoc vult & Ludovicus, ac, inſurgente gravioris cujuſque adverſitatis vento, nec minimum a Dei voluntate declinat, ſed ſemper, & in omnibus ei obtemperat, ſuamque voluntatem ad divinam penitus conformat.

Ecce quomodo S. Rex Ludovicus Deo uſque ad mortem fideliſſimus fuerit. Ei fidelis fuit in ſtatu proſperitatis, & in ſtatu adverſitatis, quare nunc merito cæleſti gloria coronatur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & tibi dabo coronam vitæ.*

O N.N. ſi cum S. Ludovico coronari & regnare non poſſimus in hoc mundo, cum eo coronari poſſumus in cælo, & ibi ſimul cum illo coronabimur, ſi ſimul cum illo, Deo uſque ad mortem, tam in ſtatu proſperitatis, quam in ſtatu adverſitatis fideles fuerimus. Inſpiciamus ergo Deum in cælo, qui coronam vitæ manu geſtans, eam cuique noſtrum offert, dicens: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & tibi dabo coronam vitæ.* Hanc coronam aſſequi optemus, & ambiamus, ſed ut eam aſſequi valeamus, ſanctum Regem Ludovicum imitemur, ac inſtar illius, in omni proſperitate, & in omni adverſitate Deo fideles ſimus.

Hoc eſt exemplar publicum, quod cunctis Regibus, cunctis hominibus, & præcipue omnibus Gallici Regni incolis imitandum proponitur, quare eum unuſquiſque noſtrum pro viribus imitari conetur. Sed ut illum tam in proſperis, quam in adverſis imitari valeamus, ejus ſupplices imploremus auxilium; rogemuſque eum, ut a Deo gratias impetret, quibus mediantibus illum perfecte imitari poſſimus. Suum nobis auxilium & patrocinium non denegabit Ludovicus, ſi illum humiliter invocemus; quare in omni proſperitate & rerum abundantia, in omni adverſitate & tribulatione ad illum confugiamus, illumque enixe oremus, ut pro nobis intercedat ad Dominum: utque gratias obtineat, quarum auxilio freti, in utraque fortuna Deo fideliter ſervire valeamus. Dicamus ei ex corde; o S. Ludovice, tu Rex noſtes es, tu exemplar es a Deo nobis propoſitum, eſto, quæſo, & benefactor noſter. Quamdiu in hoc mundo vixiſti, divitibus & pauperibus, magnis & parvis, ſanis & infirmis, Chriſtianis & infidelibus benefeciſti, eſto & nunc benefactor noſter, pro nobis apud Deum intercede, nobiſque gratias impetra, quibus mediantibus coronam gloriæ mereri, & aſſequi valeamus. *Amen.*

DE SANCTO JULIANO.

CONCIO UNICA.

Ibunt de virtute in virtutem. Pſalm. 83. 7.

HOminum, ſalutis & perfectionis ſuæ ſollicitorum, continuum ſtudium eſt, in virtutis via proficere, ab inferioribus ad altiores virtutum gradus aſcendere, & de virtute in virtutem ſemper ire. Mentibus hujuſmodi hominum, ſalutis ſuæ zelatorum, firmiter inſertum eſt indubitatum hoc principium: quod *in virtutis via non proficere, deficere eſt*: quare ſemper ſe ducunt in altum, ad ulteriora & perfectiora indeſinenter incedunt, & in præclara virtutis via progredi continue ſatagunt, donec ad perfectionis apicem perveniant, & bravium feliciter accipiant.

S. Julianus a nobilibus, & vere Chriſtianis parentibus Viennæ in Gallia ortus, firmo quidem hoc proficiendi propoſito præventus fuit, a teneris annis in virtutis via progredi ſemper in votis habuit, ab adoleſcentia omni virtutum generi ſedulo vacavit, ac de virtute in virtutem indeſinenter ivit, donec vir perfectiſſimus, Deoque acceptiſſimus evaſit.

Non omnes nunc recenſebo virtutes, quibus in toto vitæ decurſu floruit vir ille ſanctiſſimus, ſed illas dumtaxat memorabo, quas habuit reſpectu Martyrii, quæ haud dubie cæteris longe eminentiores, nobiſque notiores ſunt, &c. *Ave.*

SAncti Athanaſius, Franciſcus, & Laurentius diverſimode ſe habuerunt, reſpectu Martyrii; S. enim Athanaſius, ſpeciali Dei inſpiratione concitatus, tyrannorum malitiam, & martyrii perferendi occaſionem induſtrie declinavit. Seraphicus vero Franciſcus martyrium obire concupivit; nec tamen Martyr occubuit, quia martyrii occaſio ei defuit. Laurentius tandem & martyrii deſiderio exarſit, & martyrii lauream feliciter obtinuit.

S. Julianus, cujus hodie ſolemnia colimus, aliter & aliter ſe habuit reſpectu martyrii: illud enim nunc fugit cum Athanaſio, nunc quæſivit cum Franciſco, & nunc obiit cum Laurentio. Prudentia chriſtiana, qua floruit, ad perſecutionem & martyrii occa-

Digitized by Google

occaſionem fugiendam illum aliqnando adduxit; charitas ardentiſſima, qua deinde accenſus eſt, ad martyrium deſiderandum, & ad occaſionem pro Chriſto moriendi quærendam illum inclinavit: conſtantia tandem admirabilis, qua prædicus eſt ad preferenda diriſſima ſupplicia, & ad mortem pro Chriſti fide generoſe perferendam, illum compulit. Videamus S. Juliani prudentiam, charitarem, & conſtantiam: 1. *Prudentiam*, cum martyrium fugit: 2. *Charitatem*, cum martyrium quæſivit: 3. *Conſtantiam*, cum martyrium pertulit. Juliani, martyrium fugientis, prudentia. Juliani, martyrium quærentis, charitas. Juliani, martyrium patientis, conſtantia. En tres virtutes, quæ in S. Juliano mirabiliter eluxere reſpectu martyrii, & en etiam tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Juliani, martyrinm fngientis, prndentia.

IUlianus, qui pie a piis parentibus educatus fuerat, Deo placendi, & martyrii pro Chriſto obeundi deſiderio ab ineunte ætate flagrabat; tuncque hoc in corde ejus magis exarſit deſiderium, cum Criſpinus Præſes in Viennenſi ſolo, quaſque Chriſtiani nominis perſonas crudeliter inſectatus eſt, & immani fidelium ſtrage totam circa regionem eſt depopulatus. Tunc quidem ſponte Tyrannum adiiſſet, & ultro ſe martyrio obtuliſſet Julianus, ſed S. Ferreoli conſiliis, rationibus, & precibus victus, in Arverniam fugiens, ſævientis Criſpini furori ſe ſubripuit, & martyrii obeundi occaſionem declinavit.

Non dubito, tam iniquos, tamque perverſos reperiri homines, qui de hac Juliani fuga male judicent. Cum etenim natura humana, per peccatum corrupta, prona ſit ad temere judicandum, *ac magna pars generis humani indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta ſit, atque parata. S. Aug. ſerm. 102. de temp.* non deſunt haud dubie viri mordaces, qui hanc Juliani fugam, ignaviæ, imbecillitaris, feminei timoris, vel infidelitatis arguant. At revera crudelem hanc Criſpini perſecutionem fugit Julianus, non ex timore, vel ex fidei defectu; ſed ex magna prudentia, quæ illi in hoc caſu fugam capeſſendam eſſe ſuaſit. Si etenim Gregorio Turonenſi fidem adhibeamus; Juliani fuga, non ex timore, ſed ex prudentia manavit, quia fugit, ut ſapientibus S. Ferreoli conſiliis obtemperaret; ut vitam ſuam ad aliorum fidelium ſolatium, & auxilium, incolumem ſervaret: utque Tyranni & tortorum manibus in patria ſua non ſe committeret, ubi parentes a ſancto pro Chriſto moriendi propoſito eum avertere potuiſſent. Unde ſi de Uria Propheta Joachimi Regis perſecutionem fugiente, dixit S. Hieronymus, *Quod fugit, non infidelitatis, ſed prudentiæ indicium eſt. Hier. in c. 26. Jer. n.* 21. Similem in modum de Juliano dicendum, magnæ fuiſſe prudentiæ, quod tunc fugerit. Nam nonne prudentiæ eſt, quod tunc fugiat, cum fugam ſuadet ſapiens & ſanctus conſcientiæ ſuæ moderator? Nonne prudentiæ eſt, quod vitam ſuam tunc non profundat, cum ad multorum ſolatium & ſalutem adhuc neceſſaria eſt? Nonne prudentiæ eſt, quod ad tempus fugiat, ne cadendi periculum, & in propriæ ſalutis diſcrimen veniat? Certe Juliani fuga non niſi a vero prudentiæ ſpiritu proceſſit; & ſi in hoc caſu non fugiſſet, veræ prudentiæ leges violaſſet: ac a cunctis imprudens reputatus eſſet.

Allucinantur, & errant graviter quicumque fugam ſemper ignaviæ, & timoris indicium eſſe imaginantur. Verum quidem, inquit S. Petrus Chryſologus, quod cum fugit miles, cujus incerta & inexperta eſt fortitudo, hanc a frigido timore fugam manare quiſque judicet; ſed cum fugit ſtrenuus miles, qui plurima fortitudinis, & audaciæ ſigna edidit, hanc ab arte & prudentia fugam procedere, quiſque facile ſibi ſuadet. *Bellicoſus miles, quod in bello fugit, artis eſt, non timoris. Chryſ. ſerm.* 150. Nonne artis & prudentiæ fuit, quod a facie inimicorum fugerint Tegeatæ, Horatii, & Parthæ? Nonne prudentiæ fuit, quod inſequentium hoſtium turmas Joſue declinaverit? Nonne prudentiæ fuit, quod David *fugit de terra propter Abſalon? 2. Reg.* 19. In his ſane, & aliis multis caſibus fuga, non timoris, ſed veræ prudentiæ indicium fuit. Dicendum autem ſimiliter de Juliano, Criſpini Præſidis perſecutionem fugiente, dicendum, inquam, quod fuga ejus, non timoris, ſed artis & prudentiæ fuerit. Julianus etenim, non ignavus, ſed ſtrenuus erat miles, qui generoſitatis ſuæ plurima jam ſigna exhibuerat; & qui pro Chriſti amore ſanguinem fundere ambiebat; quare non ex timore fugit, ſed magna ex prudentia; ut ſcilicet, ſalubribus, & ſanctiſſimis Ferreoli, fugam ſuadentis, conſiliis obtemperaret.

Sicut ignavos, inertes & meticuloſos ſectatores faſtidit Religio chriſtiana, ita imprudentes & impudentes averſatur. Verum eſt, quod intrepidos eſſe velit ſectatores ſuos, cum coram ſævientibus tyrannis ſtant, eos tamen audaces nimis, & frontoſos eſſe non vult. A ſectatoribus quidem ſuis exigit, ut immanes illos non timeant perſecutores qui corpus ſolummodo cruciare, & occidere poſſunt: *nolite timere eos, qui occidunt corpus: Matth.* 10. ab iis tamen non poſtulat, ut inconſulte, & aliqua cum imprudentia tyrannos adeant, iiſque improperent. Immo nec vult ut ſævitiæ illorum ultro ſe exponant; niſi a ſpeciali Dei impulſu ad hoc moveantur; & niſi ſe a Deo ad martyrium vocari agnoſcant: quin contra, vult, ut fideles quique a perſecutoribus fugiant, donec a divina gratia intus illuminentur, & ad gravia quævis ſupplicia perferenda confortentur. Hunc eſſe verum chriſtianæ Religionis ſpiritum docuit Chriſtus, qui fuga nonnunquam ſibi conſuluit; & qui diſcipulis dixit: *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Matth.* 10. Quis ergo imprudentiæ arguat S. Juliani fugam? Quis dicat, eum imprudenter egiſſe, cum, fugiens, tyranni iram & ſupplicia declinavit; Sed fugam ejus, altioris prudentiæ ſpecimen omnibus Chriſtianis eſſe, quis non aſſerat? Maxime ſane prudentiæ extitit fuga ejus, cum non ex timore, imbecillitate, vel infidelitate fugeret; ſed ſolummodo ut manifeſtatam ſibi a S. Ferreolo Dei voluntatem adimpleret: & ut pio huic in ſalutis via magiſtro obſequeretur.

Fuge ergo, o Juliane, fuge dilecte Chriſti diſcipule, fuge quantum placuerit, Viennenſem fuge perſecutionem; nec ideo imbecillitatis, ignaviæ, vel infidelitatis te accuſabimus. Quin contra, te prudentiſſimum proclamabimus; ac fugam tuam a veræ pru-

dentiæ legibus dirigi quiſque cenſebit. Sed viſa Juliani, martyrium fugientis, prudentia; *de Juliani, martyrium quærentis, charitate diſſeramus.*

SECUNDA PARS.

Juliani martyrium quærentis, charitas.

GRatia divina, cujus artes captum noſtrum ſuperant, motibus oppoſitis corda noſtra nonnunquam agitat, & nunc ad unum, nunc ad aliud nos ſollicitat; facitque pluries, ut unum & idem jam amemus & jam odio habeamus, nunc fugiamus, nuncque ſummo affectu deſideremus, & inquiramus.

In Sancto Juliano hæc omnia quiſque videre & annotare facile poterit. Dei etenim gratia, quæ illum in urbe Vienna ad martyrium fugiendum compulerat; eum ad ambiendum & ſollicite quærendum in Arvernia martyrium poſtmodum concitavit. Verum eſt, inquit Gregorius Turonenſis, quod inſpirante Patre luminum, in Arvernia Julianus adhuc aliquantulo tempore latitaverit, ut ſævas Criſpini ſatellitum manus evaderet. Sed tandem gratia divina illuſtratus, Dei ſpiritu agitatus, & ſancto charitatis igne ſuccenſus, e latebris exiit, foras generoſe prodiit, ſævienteſque Criſpini ſatellites intrepide adiit. Immo, mente hilari, necnon ſereno, cæleſtique lumine ſuperfuſo vultu coram ipſis apparuit, dicens eis: En Julianum, quem tam ſtudioſe inquiritis; en illum, quem tanto odio proſequitur Criſpinus: ecce hominem, cujus ſanguinem ſitit ſævus ille Tyrannus; jam juſſis ejus obtemperate; hoc agite, quod præcepit, percutite, flagellate, omnibus quibus placuerit modis, corpus meum cruciate; occidite, ſi libet, nil enim mihi jam morte dulcius, pro Chriſti amore mori concupiſco, & *nolo diutius commorari in hoc ſæculo, quia ſitio tota animi aviditate jam Chriſtum. Greg. Turonenſ. in vita Jul.*

Eodem modo reſpectu martyrii ſe gerere videtur Julianus, quo, reſpectu Paſſionis ſuæ, Chriſtus. Noſtis, Chriſtum, ut Verbum, ineffabilibus ab æterno in Patris ſinu gaviſum eſſe gaudiis, & incomprehenſibilem poſſediſſe felicitatem: infirmitates tamen noſtras, & hujus mundi paſſiones immenſis Paradiſi deliciis quaſi præferens, naturæ noſtræ hypoſtatice uniri voluit, ut nobiſcum pati, & patientiæ virtute ſaginari valeret. Unde mox ut naturam noſtram aſſumpſit, ſancto patiendi deſiderio cor ejus ſemper exarſit, ad Calvariæ montem aſcendere concupivit, ad immania crucis tormenta continue anhelavit; ac pretioſi ſanguinis ſui Baptiſmo omne genus humanum lavare, & omnia hominum crimina crudeli morte expiare peroptavit. Sed licet ſummo affectu pro hominibus mori cuperet Chriſtus, ab impiis tamen, cum ad mortem quærentibus, nonnumquam fugit; quia pro hominibus moriendi nondum hora venerat. Sed adveniente præfinito a Patre mortis tempore, hoſtibus ſuis obviam ivit; illis ſe manifeſtavit, dicens: *Ego ſum.* Eorum manibus ultro ſe obtulit; & mortem quam alias prudenter fugerat, ex nimio ſuo in homines amore ſollicite quæſivit.

Quid autem ſimile in Juliano intueor; in paterna enim domo deliciis & divitiis affluens, nil magis deſiderat, quam omnia ſua, & propriam vitam pro Chriſti amore profundere. Verum eſt, quod veræ prudentiæ ſpiritus, quo præditus erat, illum ad mortem quandoque fugiendam induxit, quia nondum venerat hora ejus; ſed mox ut tempus pro Chriſto moriendi veniſſe agnovit, maxima in Deum ardens charitate, mortem ſollicite quæſivit. Tunc mortem Julianus non inſpexit ut hominibus terribilem: ſed illam intuitus eſt ut ſomnum jucundiſſimum, ut tranſitum ad æternam beatitudinem, & ut medium ad fruendum cæleſti ſponſo abſolute neceſſarium; quare Chriſti amore ardens, quærentibus ſicariis ſe obtulit: iiſque dixit: Ego ſum Julianus, quem ad necem inquiritis; en illum, cujus ſanguinem ſitit Criſpinus; mortem meam ille deſiderat, ut malitiæ ſuæ ſatisfaciat; & ego mori concupiſco pro amore Chriſti, qui pro mei amore mori dignatus eſt. O magnam Juliani, martyrium quærentis, charitatem!

Vir ille ſanctiſſimus tunc non fuit ſimilis anxiis, fluctuantibus, & tepidis quibuſdam Chriſtianis, de quibus ait S. Gregorius, quod perſecutionis tempore mori vellent & nollent. *Nolentes volebant. Greg. in Job 39.* Mox enim ut agnovit Julianus, ſe a Deo ad martyrium vocari, in duas non claudicavit partes, non fuit volens nolens: non dixit in ſemetipſo: pro Chriſto mori volo & nolo, ſed charitatis igne ſuccenſus, martyrio voluntarie ſe obtulit, moriendi occaſionem quæſivit; ac palam ſe pro Chriſto mori velle proteſtatus eſt. Unde mihi videre videor generoſum hunc Chriſti athletam, nunc cum Propheta dicentem: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* nunc hæc Apoſtoli verba proferentem, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: nunc cum Sancto Ignatio Martyre clamantem: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Chriſto fruar*: & nunc ipſos carnifices his verbis affantem: Sævite in me, o immanes Chriſtiani nominis hoſtes; percutite, mactate, in fruſta carnem meam diſcerpite: animam meam e corpore prompte avellite, ut cito frui valeam Chriſto meo, quem toto corde diligo, ad quem ſuſpiro, & ad quem totis viſceribus ite deſidero. O magnum Juliani in Chriſtum amorem! O ardentem ejus charitatem! Et ſi de Magdalena dixit Chriſtus, quod multum dilexerit, quia uberes in Phariſæi domo lacrymas fudit: cur non dicemus, Julianum multum dilexiſſe, ſanctoque charitatis igne exarſiſſe; cum totum ſanguinem pro Chriſti amore fundere quæſierit?

Magna ſane Juliani, martyrium quærentis, extitit charitas; ardentiſſimus tunc ejus fuit amor; nec Chriſtum magis amare potuiſſe videtur, quam cum quærentibus ad mortem ultro ſe occidendum tradidit. Magna enim ejus fuiſſet charitas, ſi cuncta temporalia pro Chriſti amore abdicaſſet, & pauperibus diſtribuiſſet; major ejus fuiſſet charitas, ſi ſimul cum temporalibus bonis, propinquos & amicos pro Chriſti amore reliquiſſet; ſed major adhuc ejus fuit charitas; Chriſtum enim magis amare non potuit, quam cum pro ejus amore mori quæſivit,

& ſa-

Digitized by Google

& ſatellitibus ſe occidendum tradidit. Hæc eſt charitas, qua nulla major eſſe poſſe videtur. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Jo. 15. 13.* Maxima ergo Juliani, martyrium quærentis, fuit charitas. *Sed maxima etiam Juliani, martyrium patientis, fuit conſtantia.*

TERTIA PARS.

Juliani martyrium patientis, conſtantia.

SIcut vita ab omnibus naturaliter amatur; ita mors ab omnibus naturaliter timetur, & odio habetur. Ipſa ejus memoria triſtitiam parit, ipſa ejus imago horrorem infert, ipſa ejus umbra terrorem incutit; nec eſt, qui cum Philoſophorum Principe non fateatur, quod *omnium terribilium terribiliſſimum mors.*

Terribilis ſane mors, & vix aliquem reperias, qui illam non timeat; ad Juliani tamen gloriam dicam, quod timor mortis illum non conturbaverit, quod illam ad ſe venientem æquo & forti animo receperit, quodque in martyrio quod paſſus eſt, mirandam omnibus ſæculis conſtantiam exhibuerit. Cum enim adverſus illum armati irruerunt carnifices, non expalluit facies ejus, cor illius non trepidavit, nec ullum timoris ſignum exterius edidit, ſed hilari vultu mortem, quam diu deſideraverat, exſpectavit, ac lethalem ictum, quo illi vita ablata eſt, generoſo & conſtanti animo recepit. Unde merito Julianus inter generoſos illos Martyres cenſendus eſt, de quibus Paulus aſſerit, quod *fortes facti ſunt in bello, Hebr. 11.* mortem enim ſummo affectu deſideravit, & pro Chriſti fide generoſe decertans, illam mirabili conſtantia & fortitudine pertulit.

Sanctus Baſilius in præclara homilia, quam conſcripſit ad laudem quadraginta illorum Martyrum, quorum feſtum die nona Martii celebrat ſancta Romana Eccleſia, miratur in primis generoſitatem, quam exhibuit Melithonis mater, quæ filium pro Chriſto dira patientem videns, ſibi ipſi congratulabatur, quod talem haberet filium, qui etiam ſtrenuus Chriſti miles eſſet, ac ægre ferebat, quod in hunc filium ſuum non ſatis ſævirent carnifices, quodque illum, ſimul cum aliis, ad paratum rogum non traherent, quare ſublato in humeros filio, vehicula, Martyrum corporibus onuſta, ſtrenue ſequebatur, ut in rogum ſimul cum aliis injiceretur. O mirandam piæ hujus matris conſtantiam! Quam adhuc tantam fuiſſe ait S. Baſilius, ut patiente & moriente filio, *non lacrymam indecoram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere viſa ſit. Baſilius homil. 20.*

Hanc hujus matris admiror conſtantiam, ſed miror magis illam, quam in Juliano gravia patiente, pro Chriſti fide decertante de hoſtibus ſuis triumphante, & moriente intueor. Vir enim ille ſanctiſſimus ad ſupplicia quaſi ad delicias properat, irruentesque videns carnifices, gaudet, & ſibi ipſi gratulatur, ac non ſolum indecoram non fundit lacrymam, verum inſolito ab omnibus adſtantibus videtur affuſus gaudio. Non ſolum humile quidquam loqui non auditur, ſed & ſublimia ad Dei gloriam, proximique ædificationem generoſe profert: non ſolum quid indignum non facit, verum paſſionis ſuæ tempore plurima Deo, cæloque digna efficit, quæ ejus conſtantiam demonſtrant, & in æternum prædicabunt.

De ſancto illo Martyre fertur, quod cum armati in illum irruerent carnifices, protinus in genua prociderit; non ut eos a propoſito averteret & ad miſericordiam flecteret, ſed ut a Deo veniam & gratiam ipſis impetraret: *Procidit in genua beatus Martyr, exoraturus numen, ut condonaret veniam perſecutoribus ſuis. Gregorius Turonenſ.* In hac Juliani actione ejus amorem ſimul & conſtantiam admiror; *Amorem*, qui tantus eſt, ut de Dei offenſa plus doleat, quam imminentem ſibi mortem timeat; *Conſtantiam*, quæ tanta eſt, ut in conſpectu carnificum, ad necem inferendam paratorum, nullo modo metuat, nec de morte vitanda ſatagat; ſed pacato & tranquillo animo pro iis Deum ferventer deprecetur.

Cum Julianum in medio ſatellitum flexo poplite orantem conſidero, mihi videre videor alterum Stephanum, fervore & conſtantia admirabili præditum, qui de propria vita ſervanda non ſatagit; ſed de æterna vita hoſtibus ſuis concilianda anxius & ſollicitus eſt. Eum circumdant miſſi a Criſpino ſatellites, qui in illum ſæviunt, qui & evaginato gladio ad illum properant: ille vero de vitanda morte non curat; magnaque cordis ejus ſollicitudo hæc eſt, quod gratiam & veniam pro perſecutoribus ſuis obtineat. Quamvis adverſus illum conſiſterent caſtra, non timeret, nec trepidaret cor ejus: hoc ſolum timet, quod in æternum pereant, qui illum perſequuntur; quare, ut alter Stephanus, genua flectit, & clamat ad Dominum: *Domine, ne ſtatuas illis peccatum.* Pro inimicis orat, ferventer orat, flexis genibus orat; & dum pro iis orat, ab iis plectitur; ac corde intrepido lethalem hunc recipit ictum, quo & caput ei amputatur, & vita ei crudeliter aufertur. O mirandam Juliani conſtantiam! o Virum vere conſtantiſſimum, qui nec minis terreri, nec evaginatis gladiis ad deſciſcendum a fide inclinari, nec quocumque modo a ſuſcepto pro Chriſto moriendi propoſito amoveri potuit: ſed in Catholicæ fidei confeſſione immobilis & conſtans uſque ad ultimum vitæ exitum generoſe permanſit.

Magna ſane extitit Juliani conſtantia. Sicut enim magna ejus fuit prudentia, cum fugit martyrium; magnaque ejus charitas, cum martyrium quæſivit; ita & magna ejus fuit conſtantia, cum martyrium pertulit. Unde dici poteſt, quod reſpectu martyrii, Julianus iverit de virtute in virtutem: quodque a virtute prudentiæ ad virtutem charitatis, & conſtantiæ virtutem migraverit: *Ibunt de virtute in virtutem.*

En mirabiles illas virtutes, quibus, reſpectu martyrii floruit Julianus. Prudentiam & charitatem ejus admiremur; ſed & ejus conſtantiam pro viribus imitari conemur. Jam, per Dei miſericordiam, non ſunt Tyranni, qui evaginato enſe dicant: aut moriendum, aut Chriſti fidei abrenuntiandum. Immanes nunc ceſſarunt Imperatorum perſecu-

Digitized by Google

ſecutiones: nec jam a nobis ſuſtinenda flagella, crurifragia, & dira illa ſupplicia, quibus in primis Eccleſiæ ſæculis plectebantur Martyres: conſtanti tamen & patienti animo perferendæ adverſitates, quibus, ſic volente Deo, in hoc mundo affligimur. Certum eſt, quod *non coronabitur, niſi qui legitime certaverit*; 2. *Timoth.* 2. 5. ut autem pro Dei gloria legitime pugnemus, oportet, ut quævis adverſa pro ejus amore ſapienter & conſtanter patiamur: ut enim ait Clemens Alexandrinus: *Certamen noſtrum duabus opus habet virtutibus, ſapientia & audacia. Clem. Alexandrin. lib.* 1. *ſtrom. cap.* 4. Pugnate ergo adverſus rebellem naturam, quæ crucis mortificationem portare recuſat: pugnate ſapienter: ita ut illam non opprimatis; ſed pugnate conſtanter, ita ut advenientes quaſque adverſitates, æquo, patienti, & conſtanti animo pro Dei amore perferatis. Si in hoc mundo pro Dei gloria pugnaveritis, æternam vobis gloriam dabit Deus in cælo. *Amen.*

DE SANCTO AUGUSTINO.

CONCIO PRIMA.

Hæc mutatio dextera Excelſi. Pſalm. 76.

AUguſtini converſionem tanti faciebat S. Ambroſius, eamque ita Eccleſiæ utilem fore auſpicabatur, ut omnes cæli & terræ creaturas ad gaudendum, & ad gratias de ea Chriſto Domino agendas invitaret: *Agamus*, inquit, *gratias Domino Jeſu Chriſto, qui Religioni noſtræ tantum ac talem Principem dedit. Gaudeamus in Domino, gaudeant Angeli tam celebri converſione. Gaudeant cælum terraque: ac benedicant omnes Dominum, qui ad ſubſidium hominum illuminavit Auguſtinum. Ambroſ. ſerm.* 92.

Famoſæ huic Auguſtini converſioni non parum contulit mater ejus Monica jugibus lacrymis & præcibus, quas ad Deum fudit; ſcimus etiam, Sanctum Ambroſium non parum ei faviſſe monitis, exhortationibus & concionibus ſuis; ſed hæc converſio potiſſimum tribuenda Deo, qui Auguſtinum expugnavit, & in virum alterum mutavit: *Quis expugnavit animum Auguſtini? Quis ſuperavit? Non argumenta, non vis aliqua verborum, ſed Dei dumtaxat virtus & clementia. Ambroſ. ibid.* De Sancti Auguſtini converſione, quam ſuo tempore ſancta Romana Eccleſia celebrat, erit iſta concio, &c. *Ave.*

DEI, Eccleſiæ, & ſui ipſius inimicus erat Auguſtinus, dum adhuc eſſet juvenis. Dei quidem, cui iniquitatibus ſuis inſenſus factus erat: *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum*; *Iſai.* 59. Eccleſiæ etiam, quam, ſicut alter Paulus, erroribus ſuis perſequebatur: *Perſequebar Eccleſiam Dei*: *Galat.* 1. Sui tandem ipſius, via iniqua & peſſima, qua incedebat: *Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.*

In Auguſtino, ante converſionem ejus, erant ſpiritus voluptatis, ſpiritus erroris, & ſpiritus obſtinationis. *In corde ejus* degebat ſpiritus voluptatis, qui contrarius eſt Deo; *In mente ejus* reſidebat ſpiritus erroris, qui ſacris Eccleſiæ inſtitutis opponitur; *In ejus anima* erat ſpiritus obſtinationis in peccato, qui ſaluti ejus adverſabatur. *Tob.* 12. Sed Excelſi dextera, cor, mentem, & animam Auguſtini mutavit: per gratiam enim Dei: 1. Hic voluptuoſus, mutatus eſt in pœnitentem famoſum: 2. Hic hæreticus, mutatus eſt in Eccleſiæ Doctorem celeberrimum: 3. Hic homo obſtinatus in peccato, mutatus eſt in virum perfectiſſimum.

PRIMA PARS.

Auguſtinus voluptuoſus, mutatus eſt in pœnitentem famoſum.

ILlicitis voluptatibus ita ante converſionem ſuam inhiabat Auguſtinus, ut præter eas nil aliud optare videretur: *Quid enim tunc deſiderabam, niſi amare & amari? Lib.* 1. *conf. cap.* 13. Infelix ille voluptatum amor ita eum captivum detinebat, ut ejus dominio, ejuſque tyrannidi penitus ſubderetur: *Accepit in me ſceptrum veſana libido, & ambas manus ei dedi. Lib.* 2. *conf. c.* 2. Animum ejus ita occupaverat illa laſciviendi cupido, fœdiſque libidinibus ita adhærebat, ut eis valedicere ſibi impoſſibile videretur. At per Dei gratiam, amoris venerei ignis in corde ejus fuit extinctus, laſciviæ vincula fuere diſſoluta, obſcœnæ hujus paſſionis jugum fuit excuſſum; & Auguſtinus, venena malignitatis expuens, fructus dignos pœnitentiæ fecit. Hic enim voluptuoſus mutatus eſt in famoſum pœnitentem. Qui: 1. Amare flevit: 2. Peccata ſua palam confeſſus eſt: 3. Durioribus pœnitentiæ operibus adhæſit.

1. Devotionis & pietatis lacrymæ ex oculis Auguſtini ſæpe manabant; & tunc præcipue, cum Hymnos & Pſalmos in Eccleſia decantari audiebat. Sed doloris etiam & compunctionis lacrymæ ei familiares fuere: exitus aquarum crebro deduxerunt oculi ejus; nec præteritorum recordari poterat peccatorum, quin amaras funderet lacrymas; quas *panem ſuum quotidianum* vocabat; *S. Auguſt. tra. medit. c.* 32. quia ſicut pane corpus; ita lacrymis anima ejus quotidie ſaginabatur. Verum eſt, quod durum diu fuerat cor Auguſtini: ſed tandem hanc petram percuſſit Deus, & fluxerunt aquæ, ac torrentes lacrymarum inundaverunt. Diu Auguſtinus titubaverat, vacillaverat, & ad Deum converti nolens voluerat: ſed tandem oculis ſuæ miſericordiæ reſpexit illum Chriſtus; & ipſe, ſicut alter Petrus, flevit amare: *Ego*, inquit, *Lib.* 8. *conf. c.* 12. *dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, & flebam amariſſima contritionis cordis mei.*

Non ſemel dumtaxat amaras compunctionis lacrymas fudit Auguſtinus: ſed & toto deinceps vitæ ſuæ tempore, *vir lacrymarum* fuit, qui ad delenda crimina copioſas doloris ſemper fudit lacrymas. Sed præcipue circa vitæ ſuæ finem, in quo Pſalmos pœnitentiales magnis characteribus in cubiculi ſui pariete ſcribi curavit: eoſque e cubili, in quo ipſe decumbebat infirmus, legens & recitans, ad dolorem excitabatur, & ex illius oculis uberrimi duo ſcaturiebant lacrymarum fontes, quouſque Deo ſpi-

ritum

ritum reddidit. Ecce virum vere pœnitentem, qui ob perpetrata peccata amare flevit: *& qui etiam peccata ſua palam confeſſus eſt.*

2. Nihil peccatoribus in hoc mundo durius, quam quod gravia, enormia, & pudenda, quæ perpetrarunt, peccata Confeſſario clam declarare teneantur. Sed o quam durius eſſet, ſi a nobis Deus exegiſſet ut peccara noſtra, quantumvis occulta & pudenda, publice confiteremur, & in medio foro, in compitis, in Eccleſiis, & quibuſque locis, in quibus eſſet populi concurſus, ea manifeſtaremus! Hoc quidem nobis, plus quam dici queat, durum eſſet: immo & hoc importabile nobis videretur. Sed quid, ſi Deus ad peccata noſtra ſcribenda, typis mandanda, & quaſi in æternum publici juris facienda coegiſſet? Quid ſi Deus ad peccatorum noſtrorum regiſtrum publicum componendum adſtrinxiſſet, quo omnibus nota, clare nota, & ſemper nota fieri potuiſſent? Hoc ſane onus graviſſimum eſſet; & vix repetiretur, qui jugo huic collum ſubderet, quique peccatorum ſuorum hiſtoriam componere, cunctiſque notam facere vellet.

Auguſtinus autem tanto ardore pœnitentiam amplexus eſt, ut peccata, quæ quoad culpam, & quoad pœnam per luſtrales Baptiſmi aquas ſibi remiſſa fuerant, ſcripta, & publica confeſſione manifeſtare voluerit. Non ore ſolum, & verbis mox tranſeuntibus; ſed ſcriptis permanentibus perditam & diſſolutam vitam ſuam notam fecit, ac turpitudines ſuas propalavit. Et ſicut alii ut poſterorum æſtimationem ſibi concilient, ſuorum eis præclare geſtorum enarrationem relinqui curant; ita Auguſtinus, ad majorem ſui confuſionem, peccatorum ſeriem & hiſtoriam compoſuit, ut poſteris quidquid in vita ſua turpe & indecorum erat, legendum, carpendum, & notandum relinqueret: *Ille ſuorum peccatorum hiſtoriam ſcripſit, cum alii ſoleant geſtorum ſuorum hiſtoriam poſteris, in ſui memoriam relinquere. S. Th. a Villan.* Auguſtinus ergo fuit famoſus pœnitens; qui graviora ſua peccata confeſſione ſcripta manifeſtavit; *& qui etiam durioris pœnitentiæ operibus adhæſit.*

3. Non ſatis eſt, quod peccator in doloris actus prorumpat, & quod malitiam ſuam oris confeſſione evomat, niſi & Deo ſatisfaciat: *Non ſufficit pœnitenti, mores in melius commutare, a malis recedere, niſi & de iis, quæ mala facta ſunt, ſatisfaciat Domino. Aug. l. 50. Hom. hom. 50.* Auguſtinus autem pœnalibus operibus Deo ſatisfacere, læſumque ejus honorem, ad ultimum uſque vitæ exitum, reſarcire non deſtitit. Poſtquam enim in civitate Mediolano a S. Ambroſio baptizatus fuit, Romam, una cum ſancta matre Monica, ſe contulit. Ubi cum hiemaſſet, matrique ægrotanti, morienti, & mortuæ ultima charitatis officia perſolviſſet, ſecunda navigatione Carthaginem, Africæ civitatem, feliciter appulit. Unde cito diſceſſit, & rura ſecedens, triennio ibi permanſit, jejuniis, orationibus, aliiſque pœnitentiæ operibus deditus; ac legis divinæ meditationi die ac nocte totaliter intentus. In quibus poſtmodum operibus, ut Monachus, ut Presbyter, & ut Epiſcopus, quouſque diem clauſit extremum, generoſe perſeveraverit.

O famoſum pœnitentem, qui amaras lacrymas fudit, qui confeſſione ſcripta peccata ſua cunctis manifeſtavit, & qui arctioris pœnitentiæ operibus adhæſit! Sed, o quam pauci Auguſtinum pœnitentem imitantur! Innumeri eum peccantem ſequuntur, & pauciſſimi cum ipſo pœnitentiam ſectantur. Immo, nullus fere eſt, qui de perpetratis peccatis pœnitentiam agat: *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo. Jer. 8. 6.*

O inſenſati peccatores, quis docuit vos, fugere a ventura ira? Ut quid arbitramini, quod Deum, adverſum vos iratum, abſque pœnitentia placare poteritis? aut quid peccatorum remiſſionem ab illo impetrare putatis abſque præviis ullis pœnitentiæ operibus? Fallimini utique: quia Deus, cujus decreta ſunt immutabilia, delictorum veniam ſolis vere pœnitentibus concedere decrevit: *Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit; hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Tertull. l. de pœnit. c. 6.* Quare ſi peccaſtis, pœnitentiam agite. Imitamini Auguſtinum, qui ex peccatore voluptuoſo mutatus eſt in famoſum pœnitentem: *& qui ex viro hæretico, mutatus eſt in celeberrimum Eccleſiæ Doctorem.*

SECUNDA PARS.

Auguſtinus hæreticus, mutatus eſt in celeberrimum Eccleſiæ Doctorem.

HÆretici, ſunt arbores malæ, quæ malos fructus faciunt; ſunt genimina viperarum, quæ venena ſua Eccleſiæ infundunt; ſunt magiſtri mendaces & maligni, qui contagioſa ſua doctrina animas perimunt. Sed ſi hi perditionis filii pœnitentiam agere, Deoque ſervire velint, in Abrahæ filios mutari, bonos fructus edere, & Eccleſiam illuſtrare poſſunt. Hoc quidem facere poſſunt; & hoc revera fecit Auguſtinus, qui cum ante converſionem variis hæreticorum ſectis nomen dediſſet, malignitatis ſuæ venena in converſione expuit; factuſque eſt Doctor celeberrimus, cujus ſcientia fuit Sol, flumen, & propugnaculum; fuit: 1. *Sol*, quo illuſtravit Eccleſiam: 2. *Flumen*, quo eam irrigavit: 3. *Propugnaculum*, quo illam defendit.

1. Auguſtinus, inquit Remigius Antiſiodorenſis, *in 2. ad Cor. Fuit inter Doctores, quod Sol inter planetas.* Fuit quidem Sol inter Doctores, ratione eminentiſſimæ & fulgentiſſimæ ſcientiæ ſuæ; quia ſicut omnes alii planetæ a Sole lumen ſuum accipiunt; ita & omnes Doctores, qui a tempore Auguſtini in Eccleſia floruerunt, ab ipſius ſcientia, tamquam a Sole ſuo, illuminati ſunt. Idem Remigius ait, quod *alii Doctores comparantur ſtellis; & Auguſtinus Soli:* quia ſicut Sol totum luſtrat, & illuſtrat Orbem; ita Auguſtinus, veluti Doctorum Sol, fulgentiſſimis doctrinæ ſuæ radiis, univerſam Eccleſiam mirabiliter illuſtravit.

Solem cælo affixit Deus, non ut iſti ſolum, vel illi, ſed ut omnibus hominibus luceret; ſic Auguſtinus per ſcientiam ſuam Sol eſt Orbis Eccleſiaſtici, quia per eum omnibus fidelibus lucet, eoſque omnes illuminat. *Lucet* Philoſophis, quos docet nodoſas rerum naturalium difficultates ſolvere; *Lucet* Theologis,

Digitized by Google

gis, quibus abditiſſima divinæ gratiæ, & SS. Trinitatis myſteria perfectiſſime explicat; *Lucet* ſacrarum Scripturarum expoſitoribus, quibus reconditos quoſque ſacrarum Scripturarum ſenſus manifeſtat: *Lucet* plutibus Eccleſiæ Conciliis, quæ ex Auguſtini libris illa fidei decreta ſumpſerunt, quæ fidelibus credenda propoſuerunt; *Lucet* multis Summis Pontificibus, qui ex ſcriptis ejus illa hauſerunt oracula, quæ protulerunt; *Lucet* Caſuiſtis, qui ex ejus doctrina præclaras caſuum conſcientiæ ſolutiones ſumpſerunt; *Lucet* Controverſiſtis, quibus arma ad debellandos Hæreticos præbuit; *Lucet* omnibus peccatoribus, quibus fortiſſima argumenta, & rationes urgentiſſimas, ad abrenuntiandum peccatis, reliquit. Auguſtinus ergo factus eſt Doctor celeberrimus, cujus ſcientia fuit quaſi Sol, quo illuſtravit Eccleſiam: *Et cujus ſcientiæ fuit etiam flumen, quo illam irrigavit.*

2. De Salomone nemo ambigit, quin vir doctiſſimus & ſapientiſſimus fuerit, cum de ipſo ſacra dicat Scriptura: *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum: & erat ſapientior cunctis hominibus.* 3. *Reg.* 4. Ut autem explicetur maxima hæc Salomonis ſcientia, eam flumini ſimilem fuiſſe dicit Scriptura: *Impletus eſt quaſi flumen, ſapientia. Eccli.* 47. Et talis fuit etiam Auguſtini ſcientia: hæc non fuit quaſi ſtillicidium, vel quaſi rivulus, ſed quaſi flumen. Immo, ejus doctrina fuit quaſi multa flumina, ſimul collecta, per univerſum Orbem Eccleſiaſticum fluentia; ut enim ait S. Proſper: *Iſtius ore flumina librorum cunctorum effluxere per Orbem. S. Proſper lib. de ingrat. c.* 3.

Qui ſedulo Sanctorum Patrum ſcientiam ſcrutabitur, facile adnotabit, ex cujuslibet eorum ore aliquod aquæ vivæ, ſeu ſapientiæ ſalutaris & divinæ flumen effluxiſſe. *Ex Chryſoſtomi ore* flumen fluxit aureum: propter aureum enim eloquentiæ flumen vocatus eſt Chryſoſtomus. *Ex ore* S. Gregorii Nazianzeni manavit flumen ſapientiæ profundum; ipſe enim in altiſſima myſteria magno cum verborum ac ſententiarum pondere ſeſe ultro infert. *Ex ore* Ambroſii fluxere aquæ ſcientiæ dulces & ſalubris; ipſe enim dicendi genus habet ſententiarum ubertate refertum, verbiſque fluens lectiſſimis. *Ex ore* Bernardi exiit fluvius mellitus: ille enim tanto cum lepore, tantaque ſuavitate loquitur, ut merito Doctor Melliſluus nuncupetur. *Ex ore* S. Gregorii profluxit flumen lavans & ſanctificans animas; ejus etenim ſapientia ubique moralis, quadam exemplorum, & ſimilitudinum copia lectorem a peccato revocat, & ad virtutis amorem allicit. *Ex ore* D. Hieronymi egreſſus eſt fluvius ſapientiæ pretioſus, & abundans: ipſe namque pretioſa & ampla edidit volumina, in quibus tum Scripturas in ſenſu litterali interpretatur, tum virtutis præcepta omni hominum ſtatui præſcribit, tum hæreticos inſectatur, tum alia multa ſtylo gravi & doctiſſimo proſequitur. At ex ore Auguſtini, qui uberrimus, copioſiſſimus, & ſubtiliſſimus fuit, non unum ſolum, ſed mille prodierunt ſapientiæ & ſcientiæ flumina; eaque aurea, profunda, ſuaviter fluentia, ſalubria, mellita, uberrima, & in omni perfectionis genere completa, quibus totum Eccleſiſticum Orbem irrigavit. Et ut loquitur Mantuanus: *Flumina diffundens per mille volumina miſit*. Auguſtinus ergo factus eſt Doctor celeberrimus, cujus ſcientia fuit quaſi flumen, quo univerſam irrigavit Eccleſiam: *ac etiam quaſi propugnaculum, quo illam defendit, & tutatus eſt.*

3. Auguſtinus Epiſcopus, inquit S. Proſper, *l.* 3. *de vita contempl. c.* 3. erat acer ingenio, ſuavis eloquio, ſæcularis litteraturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in quæſtionibus ſolvendis acutus, *& in revincendis Hæreticis circumſpectus.* Addit Caſſiodorus, *Prolog. ſup. Pſalterium*, Auguſtinum fuiſſe *cautiſſimum diſputatorem*. Quare Sanctus ille Antiſtes, hac circumſpectione & diſputandi arte munitus, contra Hæreticos bella movebat, adverſus infenſiſſimos illos Eccleſiæ hoſtes diſputationes inſtituebat, & lupos illos rapaces a Chriſti ovili arcebat, immo & eos ſæpe in Chriſti oves mutabat: & ideo vere erat Eccleſiæ *propugnaculum*: quia eam ab Hæreticorum rabie defendebat.

Omnibus notum eſt, quod Auguſtinus *Felicem*, hæreſeos Manichæorum obſtinatiſſimum ſectatorem; *Vincentium Victorem*, quem omnium hæreticorum audaciſſimum vocat Baronius *Leporium*, Circumcelliones multos, Pelagianos complures, Arianos innumeros, & infinitos alios hæreticos debellaverit, & ad Eccleſiæ unitatem perduxerit. Sed, quod mirum eſt, Sanctus ille Antiſtes, in libris ſuis non ſolum de ſui temporis Hæreticis triumphavit: verum & jam nunc de iis triumphat. Ac ſicut dum in hoc mundo viveret, mirabili ſua ſcientia pro Eccleſia adverſus hæreticos pugnavit: ita & jam ſcientia ſua adverſus hæreticos pro Eccleſia decertat. Et dici poteſt, quod Auguſtinus ſcientia ſua eſt perpetuum Eccleſiæ adverſus hæreticos propugnaculum: quia in libris ſuis modum & ordinem reliquit, quo Eccleſia de hæreticis omni tempore triumphare valeat: *Non ſolum ipſe de hoſte, victoriam referens, triumphavit; quin etiam poſteris certandi, & vincendi ordinem reliquit. S. Fulgent. l.* 2. *de veritate prædeſt. c.* 10. Ecce quomodo Auguſtinus hæreticus mutatus ſit in Doctorem Eccleſiæ celeberrimum: *Sed Auguſtinus etiam obſtinatus in peccato, mutatus eſt in virum perfectiſſimum.*

TERTIA PARS.

Auguſtinus obſtinatus, mutatus eſt in virum perfectiſſimum.

ALiqui in peccato ita obſtinati ſunt, ut nunquam emendentur, & in melius mutentur: alii ita ſunt obſtinati, ut non ſolum non emendentur, verum & deteriores ſemper fiant: ſed tertium obſtinatorum genus novit Hugo a ſancto Victore; eorum, ſcilicet, qui cum minus obſtinati ſint, aut totaliter obſtinati non ſint, *ex correctione proficiunt. Hugo lib.* 2. *de claſtro anim. cap.* 15. Et iſtius generis hominum, in peccato obſtinatorum, fuit Auguſtinus: corruptis enim, & peſſimis ſuis motibus non adhæſit invincibiliter; ſed per Dei gratiam victa, & relicta cordis obſtinatione, mutatus eſt in virum per-

perfectiſſimum: qui puritate, humilitate, & charitate floruit: 1. *Puritate*, quæ eſt diſpoſitio ad perfectionem: 2. *Humilitate*, quæ eſt fundamentum perfectionis: 3. *Charitate*, quæ faſtigium & culmen eſt perfectionis.

1. Puritas, inquit Doctor Angelicus, *ſumitur per elongationem a peccato*: eo enim quis purior eſt, quo a peccatorum ſordibus eſt elongatior. Et hæc puritas eſt diſpoſitio ad perfectionem neceſſaria; quia ſicut ad cælum quis aſcendere nequit, niſi terram prius reliquerit: ita nec ad perfectionis, & virtutum omnium apicem quis aſcendere poteſt, niſi a peccatis ſe elongaverit, & ab iis animam ſuam purificaverit. Hæc autem eſt diſpoſitio quam adhibuit Auguſtinus, qui per Dei gratiam, cui fideliter coo peratus eſt, ab omni peccatorum genere ſe penitus elongavit: *Gratiæ tuæ deputo, quod peccata mea tamquam glaciem ſolviſti. S. Auguſtin. lib. 2. conf. cap. 3.*

Per Dei gratiam Auguſtinus ita purus factus eſt, ut perpetrata peccata deleverit, & a peccatorum ſordibus animam ſuam laverit: ſed per eandem Dei gratiam ita deinde purus factus eſt, ut reliquo vitæ tempore, ab omni inquinamento peccati abſtinuerit. Non ſolum valedixit mundo qui eum deceperat, mulieribus quæ eum corruperant, & erroribus qui eum excæcaverant: non ſolum ſe elongavit ab hæreſibus, a fœdis libidinibus, & a gravibus aliis criminibus, quibus addictus fuerat, ſed ita animæ puritatem coluit, ut leviſſima quævis peccata; immo & leviſſimorum peccatorum umbram procul a ſe fugaverit. Ecce quomodo ad perfectionem tetenderit Auguſtinus. Primo, puritatem ſectatus eſt, quæ eſt diſpoſitio neceſſaria ad perfectionem: *Sed deinde humilitati adhæſit, quæ eſt perfectionis fundamentum.*

2. Neminem latet, humilitatem eſſe omnis perfectionis fundamentum; nec poſſe aliquem ad perfectionis apicem pervenire, ſi prius humilitatem ſectatus non fuerit, & humilitatis fundamentum non poſuerit. Hoc non latebat Auguſtinum, qui eos, qui de perfectione acquirenda cogitant, monet, ut prius humilitatis fundamentum jaciant: *Si cogitas magnam molem conſtruere celſitudinis, cogita prius de fundamento humilitatis.* Nec ſolum hoc dixit; ſed quod aliis faciendum dixit, hoc & ipſe fecit: ut enim ad perfectionis faſtigium perveniret, de humilitatis fundamento ſerio cogitavit, & profundiſſimæ humilitati ſic adhæſit, *ut neque ambitioſus quiſquam ita gloriam affectaverit, ſicut ille contemptum. D. Thom. a Villanova.*

Sunt qui humiles non eſſe volunt; ſed videri & ab hominibus æſtimari. At Auguſtinus non humilis videri, ſed humilis eſſe voluit: hominum enim æſtimationem, applauſus & laudes non ambiebat, nec emendicabat; ſed parvi pendebat, & fugiebat. Ab omnibus laudabatur: & ipſe in domo Dei latere, contemni, & deſpici deſiderabat: a cunctis honorabatur; & ipſe honores timebat, & pro viribus declinabat: a cunctis virtutes ejus prædicabantur; & ipſe in domo Dei latere, contemni, & deſpici deſiderabat: a cunctis honorabatur; & ipſe honores timebat, & pro viribus declinabat: a cunctis virtutes ejus prædicabantur; & ipſe, in ſui confuſionem, propria peccata ſcriptis mandabat, & propalabat: ubique tamquam Doctor præſtantiſſimus, & ſcriptor celeberrimus proclamabatur; ipſe vero a quolibet doceri optabat, & ſcripta ſua in multis arguebat, damnabat, ac retractabat: ipſum omnes veluti hominem aliis hominibus majorem, & cælo dignum inſpiciebant; ipſe vero ſe ſervum ſervorum dicebat, & inferiorem, abjectiorem, ultimumque locum in Dei domo ambiebat: ubique tandem, & in omnibus humilitatem profundiſſimam ſectabatur Auguſtinus. Sed humilitas ejus potiſſimum elux t, reſpectu Dei, cui attribuebat, & ad quem referebat quidquid boni in ſe erat, dicens: *Quidquid habeo, a Deo ſumpſi, non a me præſumpſi: non enim meo, vel ingenio, vel merito, ſed ejus dono ſum quidquid laudabiliter ſum. Auguſt. epiſt. 52.* Quotieſcumque Auguſtinus, in ſeipſo aliquid laudabile ſpectabat, ad Deum oculos tollebat, & in ſpiritu humilitatis dicebat: *Non mihi, ſed tibi.* Cum de Deo bene ſentiebat, cum Eccleſiæ hoſtes debellabat, cum populo prædicabat, vel aliud aliquod bonum opus faciebat, omnia Deo tribuebat, dicebatque: *Non mihi, ſed tibi.* O virum vere humilem! Sed o verum altioris perfectionis ſectatorem! Qui humilitati adhæſit, ut perfectionis fundamento; *& qui etiam charitate fulſit, quæ eſt perfectionis culmen, & faſtigium.*

3. Verum eſt, quod tarde Deum amavit Auguſtinus: *Quam ſero te amavi! Aug. in Pſ. 147.* Sed quo tardius, eo ardentius illum dilexit: nec amplius unquam Deum amare deſtitit. Jam a Deo petebat, ut totum cor ſuum ſacro charitatis igne accenderet: *Totum cor meum flamma tui amoris accendat.* Jam ſacro hoc amoris incendio ardens, Deum magis & magis amabat, ac in divinos ejus amplexus ſemper velocius currere exoptabat; *Amo te, Deus meus, amo te; & ſi parum eſt, amem validius; currat vita mea in amplexus tuos. Lib. 13. conf. c. 8.* Nunc, æſtuante cor ejus hac divini amoris flamma, mirabatur, quam ſuaviter in corde ſuo arderet: unde quaſi in extaſim raptus, exclamabat: *O ignis ſancte, quam ſuaviter ardes, quam ſecrete luces, quam deſideranter aduris! Væ illis, qui ex te non ardent, qui per te non lucent! Lib. med. c. 36.* Nunc charitatis divinæ flamma totaliter ignitus, ſic Deum alloquebatur; *Domine, valde exultat in te anima mea, dum cogitat, quod tu ſis Deus meus. Verum, o Rex gloriæ, tanta te dilectione proſequor; quod ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus, omnino vellem ego fieri Auguſtinus, ut tu fieres Deus.*

Innumeros hujuſmodi alios amoris ſui in Deum actus elicere ſolitus erat Auguſtinus, cujus cor amoris divini igne indeſinenter ardebat; ſed & ejus charitas ad proximum extendebatur. Probe noverat ſanctus Pontifex, quod non perfecte amaretur Deus, ſi ſimul cum Deo non amarentur homines quos Deus fecit: quare & ut Doctor, & ut Ordinis Religioſi Inſtitutor, & ut Prædicator, & ut Epiſcopus, homines amare, iiſque benefacere non deſtitit, *Utſantiæ Romanæ Eccleſiæ Doctor*, tot pios, ſanctos, & fidelibus utiles libros compoſuit, ut unius Univerſitatis potius, quam unius hominis opera eſſe videantur. *Ut Religioſi unius Ordinis Inſtitutor*, regulam ratio-

rationi, æquitati, & perfectioni ita conſonam delineavit, ut plus quam quadraginta Ordines diverſi eam amplexi ſunt. *Ut Concionator*, prædicationis officio aſſidue vacabat, tantaque ejus erat eloquentia, tanta in dicendo vis, & ſolertia, ut auditores ad Dei amorem excitaret, eorumque omnium admirationem ſibi facile conciliaret. *Ut Epiſcopus*, omnes boni Paſtoris partes perfecte adimplevit, omneſque, quas ipſe in aliis Epiſcopis virtutes deſiderabar, in gradu eminenti poſſedit; & præcipue zelum ſalutis animarum, quo continue ardebat. Unde pro fidelium ſalute indeſinenter laborans, eis dicebat: *Nolo ſalvus eſſe ſine vobis: nolo ſalvus eſſe ſine vobis.*

O virum mirabilem! O mirandam Auguſtini converſionem, qui ex viro voluptuoſo in pœnitentem famoſum; ex viro hæretico in Doctorem Eccleſiæ celeberrimum; & ex viro obſtinato in hominem perfectiſſimum mutatus eſt! Miramini ſancti hujus Antiſtitis converſionem, ſed & ejus exemplo convertimini ad Dominum Deum veſtrum. Auguſtinus, ut ſemetipſum ad morum converſionem excitaret, plurimorum utriuſque ſexus Sanctorum, qui ſanctiſſime in hoc mundo vixerant, ſibi proponebat exempla, dicebatque: *Non poteris tu, quod iſti & iſtæ?* Sic & vos, o peccatores, ut ad Deum convertamini, mirandum Auguſtini exemplum mente revolvite; illud ſæpe animis veſtris objicite; & intra ſemetipſum quiſque dicat: ſi Auguſtinus pravitatis ſuæ vincula diſrupit; cur ergo funes peccatorum meorum non frangam? Si Auguſtinus peccatis, quibus addictus erat, valedixit, cur ego iis quibus addictus ſum, non valedicam? Si Auguſtinus ad Deum totaliter converſus eſt; cur ego ad Deum totaliter non convertar? Hoc dicite, & ad Deum in toto corde veſtro convertimini; *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*; & ut æternam beatitudinem conſequi valeatis. *Amen.*

DE
SANCTO AUGUSTINO.
CONCIO SECUNDA.

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Pſal. 37. 3.

SI certo certius ſit, omnium hominum corda eſſe incomprehenſibilia, Deumque ſolum eſſe cordis humani ſcrutatorem, & comprehenſorem: quis capaciſſimum, nobiliſſimum, & ſubliſſimum Auguſtini cor penetrare valeat? Cor ſane illud magna eſt Provincia, quam luſtrare eſt difficillimum: eſt labyrinthus, cujus intima ſunt obſcura, & humano ſenſui impenetrabilia: vel potius; eſt quaſi Paradiſus Dei, in quo ſunt arcana, quæ non licet homini loqui.

Omnium patent oculis eminentiſſima perexímii Doctoris illius ſcientia, aurea famoſi illius Prædicatoris eloquentia, ardentiſſimus vigilantiſſimi Paſtoris hujus zelus, & fulgentiſſimæ illuſtriſſimi illius Religioſorum Patriarchæ virtutes. Norunt omnes, eum tot protuliſſe oracula, quot verba; ejuſque ſcripta tamquam prodigia a cunctis ſpectantur. Sed cor ſanctiſſimi illius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Patris & Protectoris ſcrutari, varios ejus receſſus, pios illius motus, & ſanctos affectus rimari eſt fere impoſſibile. Ad illud tamen cor altum, in ſpiritu humilitatis, accedere intendo; non tam ut ea, quæ in eo recondita ſunt, evolvam, quam ut quibus ſagittis confoſſum & vulneratum fuerit, explicare pertentem. Deo quidem dicere poterat Auguſtinus. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*: quia in cor ejus varias Deus ſagittas vibraverat. Videamus, quibus ſagittis transfixum fuerit cor Auguſtini, &c. *Ave.*

COr hominis, eſt ſcopus, in quem ſagittas collineat Chriſtus, non ut illud confodiat, & trucidet, ſed ut illud flectat, ſibique acquirat. Si autem Doctori Seraphico, *D. Bonav. ſerm. 3. Pentec.* fidem adhibeamus, tres ſunt ſpirituales ſagittæ, quas in hominum corda vibrat Chriſtus: ſagittæ, ſcilicet, doloris, timoris, & amoris. *Sagittis doloris*, corda conterit; *Sagittis timoris*, corda concutit; *Sagittis amoris*, corda emollit,

Sagittis doloris ſauciabatur Magdalena, cum ſtans retro pedes Domini, amare flevit, ſuiſque lacrymis pedes ejus irrigavit: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7.* Sagittis timoris feriri optabat Vates Regius, dicens, *Confige timore tuo carnes meas. Pſalm. 118.* Sagittis amoris graviter vulneratum erat Sponſi ſacri cor, cum Sponſam alloquens, dicebat. *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa. Cant. 4.* At non unico, ſed triplici ſagittarum genere vulneratum fuit cor divi Auguſtini: cordi enim ejus infixæ fuerunt: 1. Sagittæ doloris: 2. Sagittæ timoris: 3. Sagittæ amoris.

PRIMA PARS.

Cordi Auguſtini infixæ fuerunt ſagittæ doloris.

CUm juvenis eſſet Auguſtinus, totus erat mundo, totus voluptatibus, totus peccato. Sed ad ſe tandem per Dei miſericordiam reverſus, arctiſſimam ſuſcepit pœnitentiam, totoque vitæ ſuæ tempore cordi ejus infixa fuit doloris ſagitta. Doluit enim, & acerbiſſimo dolore ſauciatum eſt cor ejus: 1. Quia in Deum graviter peccaverat: 2. Quia ſcientia ſua male uſus fuerat: 3. Quia Deum tarde amaverat.

1. Peccaverat Auguſtinus, multiſque & graviſſimis carnem & animam ſuam peccatis inquinaverat. Et, quod pejus eſt, peccatis ſuis ita pertinaciter adhærebat, ut diu ſacris gratiæ vocantis impulſibus, importunis piæ matris precibus, Concionatorum quorumcumque verbis, interniſque propriæ conſcientiæ vocibus, & morſibus pertinaciter reſtiterit. Trahebat divina gratia, & ipſe divinis ejus motibus obſiſtebat: rogabat mater, & ipſe ei obtemperare renuebat: hortabantur Concionatores, & ipſe eorum verba parvipendebat: intus ſtimulabat eum conſcientia, & ipſe importunos ejus morſus ſopire conabatur, ut in peccatis libere perſeverare poſſet, tantamque in peccatis deguſtabat ſuavitatem, ut nihil magis timere videretur, quam a peccatis ſanari & reſurgere: *Delectatus morbis carnis, &*

morti-

mortifera ſuavitate, ſanari timebam. Aug. lib. 2. conf. c. 7. Sed tandem Auguſtinus, abundantiori divinæ gratiæ lumine ſuperfuſus, Majeſtatem Dei in quem peccaverat, perfectius agnovit, lugendum conſcientiæ ſuæ ſtatum adnotavit; ac tactus dolore cordis intrinſecus, ingemuit, amare flevit, eaque toto corde deteſtatus eſt peccata, quæ adverſus divinam Majeſtatem inique perpetraverat.

Nec ſemel dumtaxat, aut iterum de peccatis doluit Auguſtinus: ſed cordi ejus ita infixa fuit doloris ſagitta, ut reliquo vitæ ſuæ tempore de iis doluerit, & continuos doloris actus elicuerit. Sæpe, in exceſſu mentis & doloris, ſupplex a Deo veniam petebat, dicens: *Miſerere mihi miſerrimo peccatori, indigna agenti, & digna patienti. Lib. medit. c.* 38. Sæpe, in amaritudine animæ ſuæ, lacrymarum torrentes fundebat. *Dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum. Lib.* 8. *conf. c.* 12. Aliquando præ magnitudine doloris quo angebatur, exclamabat; *Væ, væ, quibus gradibus deductus ſum in profunda inferni. Lib.* 3. *conf. c.* 7. Aliquando ingraveſcebat ejus dolor, eo quod non ſe cito emendaverit; ſed per multos annos peccata peccatis addiderit: *Ubi peccata mea emendare debui, peccata peccatis addidi. Lib. medit. c.* 39. Aliquando tandem, præ nimio quo affligebatur dolore, ſuam deflebat miſeriam, ſeque infeliciſſimum cenſebat, eo quod in Deum ſuum toties peccaſſet, dicens: *Nihil eſt infelicius felicitate peccantium. Aug. ep.* 5. *tom.* 2. Unde D. Auguſtinus vere doloris & lacrymarum filius dici debet; non ſolum quia fletibus continuis eum ſancta mater Monica Chriſto genuerat: ſed etiam quia ob peccata, quæ in Deum perpetraverat, cor ejus ſagittis doloris confixum fuit. Sed doluit etiam, & amare flevit Auguſtinus: *Quia ſcientia ſua non bene uſus fuerat.*

2 Mirabilis & portentoſa fuit divi Auguſtini ſcientia; eamque uſque ad ſidera extollunt omnes, qui viri illius ſanctiſſimi, pariter & doctiſſimi, elogia contexunt. De eo dicit Martinus V. ſummus Pontifex, quod acumen Ariſtotelis, Platonis eloquentiam, prudentiam Varronis, Socratis gravitatem, auctoritatem Pythagoræ, Empedoclis ſolertiam, & præcellentes quaſque omnium antiquorum qualitates in ſe uno collegerit. De eo Poſſidius Epiſcopus, ait, quod fuerit *Pater Patrum, Doctor Doctorum, par Angelis in fervore, par Prophetis in abſconditorum Myſteriorum revelatione, par Apoſtolis in prædicatione, imago divinitatis, abyſſus ſapientiæ.* Alii de Auguſtino, ejuſque ſcientia diſſerentes, eum naturæ miraculum, ingeniorum apicem, gratiæ divinæ protectorem, prædeſtinationis æternæ interpretem, veritatis linguam, errorum clavam, & flumen quod ubertime per omnes Eccleſiæ campos excurrit, vocant; illumque glorioſis aliis inſigniunt titulis, quibus ſcientiam ejus fuſiſſimam, ſubtiliſſimam, & ſupereminentiſſimam fuiſſe conſtat. Sed heu! Auguſtinus, dum eſſet juvenis, pretioſiſſimo illo ſcientiæ ſuæ theſauro non bene utebatur; eam enim ad vanas hominum laudes aucupandas, ad placendum Magnatibus, ad emendicandos Principum favores, ad hæreſes propagandas, & ad Eccleſiam impugnandam inſumebat. Sed tandem poſtquam vir ille doctiſſimus ad ſe & ad Deum Patrem miſericordiarum reverſus eſt, doluit, & amariſſime flevit, quod ſcientia ſua ad Dei gloriam, & ad Eccleſiæ Catholicæ utilitatem uſus non fuerit.

Dolebat Auguſtinus, quod exitioſæ Manichæorum ſectæ nomen dederit, quodque novem annorum ſpatio ſcientia ſua ad eorum errores propugnandos uſus fuerit. *Dolebat*, & ingemiſcebat quod infauſta illa Fauſti, tunc Manichæorum antesignani, doctrina quaſi dementatus, a partibus illius adverſus Eccleſiam ſteterit. *Dolebat*, & quaſi alter Jeremias flebat, cum mente revolvebat, ſe tanto affectu litteris incubuiſſe, non ut Deo placeret, ſed ut Magnatibus adularetur, utque favorem, & amicitiam illorum ſibi conciliaret. *Dolebat* tandem, ejuſque cor doloris ſagittis acerbiſſime cruciabatur, cum recogitabat, quod Antonius, aliique viri ſancti ſpeculativarum & ſcholaſticarum ſcientiarum ignari, cælos raperent, dum ipſe cum ſcientia, qua non bene uſus erat, in damnationis æternæ periculo verſaretur: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt; & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine. Lib.* 8. *conf. cap.* 7. Sed doluit tandem D. Auguſtinus, ejuſque cor ſagittis doloris confixum eſt, *eo quod Deum tarde amaverit.*

3. Minus ſane, & forte nullo modo Deum amaverat divus Auguſtinus, dum eſſet juvenis: quia ſe totum creaturarum amori conſecraverat; & ut ipſe de ſeipſo loquitur: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio.* Sed vir ille doctiſſimus, a peccatorum ſuorum cæno ſurgens, perfectiuſque bonitatem, clementiam, & alias Dei perfectiones agnoſcens, graviſſimo angebatur dolore, ſeque infeliciſſimum cenſebat, eo quod Deum tarde amaſſet. Et dolorem internum, quo cruciabatur, explicabat, dicens: *Sero te amavi, o tam nova, & antiqua pulchritudo! væ tempori illi, quando te non amavi. S. Aug. lib. Solil. c.* 31.

Poſtquam ad Deum converſus eſt Auguſtinus, guſtavit quam bonus eſſet Dominus, tantamque ex Dei converſatione, & amore percepit ſuavitatem, ut omnia alia a Deo, ipſi vilia, inſipida, & amara eſſent: *Quidquid mihi præter Deum eſt, dulce non eſt. Aug. in Pſ.* 26. Tunc ſuave illi fuit, illicitis carere voluptatibus, ad quas antea anhelarat: tunc maxima illi fuit ſuavitas, valedixiſſe creaturis, quas antea nimis amaverat; tunc maximo afficiebatur dolore, eo quod creaturas nimium adoleſcentia ſua; Deum vero parum, & tarde amaſſet: *Sero te amavi, o tam nova & antiqua pulchritudo; ſero te amavi: & tu intus eras, & ego foris. In Solil. c.* 31. Doluerat Auguſtinus, eo quod in Deum peccaſſet; doluerat eo quod ſcientia ſua non bene uſus fuiſſet; ſed dolebat potiſſimum eo quod Deum tarde amaſſet. Ecce primam ſagittam, qua confixum fuit cor Auguſtini: *Sed ejus cordi infixa etiam fuit ſagitta timoris.*

SECUNDA PARS.

Cordi Auguſtini infixa ſunt ſagittæ timoris.

TImoris mali ſagittis ſauciatum erat cor Auguſtini ante converſionem ejus: quia illicitis voluptatibus privari, pœnitentiæ opera facere, & virtu-

tum

tum chriſtianarum exercitio ſe dedere pertimeſcebat. Sed poſt converſionem timore ſancto ſagittatum eſt cor ejus quia timuit dignitates, peccata, & Dei judicia; Timuit: 1. Ad dignitates Eccleſiaſticas evehi: 2. Peccatis etiam minutiſſimis inquinari: 3. Ad formidandum Dei judicantis tribunal ſiſti.

1. Certum eſt, quod *Epiſcopus tot ſit animarum reus, quot per ejus negligentiam, & prava exempla depereunt*. *Petr. Dam. l. 1. epiſt. 9.* Certum eſt, teſte Laurentio Juſtiniano, quod *onus grave, & valde formidabile eſſe comprobatur animarum regimen*. *Laur. Juſt. l. de diſciplina & converſat. monaſt. c. 8.* Quanto enim quis in Eccleſia ſublimior fuerit, pluresque animas regimini ſuo commiſſas habuerit, tanto majora ab eo exigentur. Et ut dicit Spiritus Sanctus: *Judicium duriſſimum his qui præſunt fiet*. Sap. 6.

Hæc omnia perfectiſſime conſiderabat, & agnoſcebat Auguſtinus: quare ad Valerium ſcribens, ſic eum affatur: *Ante omnia peto, ut cogites religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, hominibus acceptabilius Epiſcopi officio, ſi perfunctorie, & adulatorie res agatur: ſed revera nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius*. *S. Aug. ep. 148. ad Valer.* Et ideo Auguſtinus, hujuſmodi periculum animadvertens, ad Eccleſiaſticas dignitates ſublimari timebat; ac tantopere Epiſcopale onus ſubire reformidabat, ut antequam Epiſcopus fieret, illas caverit ingredi civitates, in quibus noſſet, cathedram vacare. *Et hoc faciebam*, inquit, *ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer*. *Aug. ſer. 29. de diverſ.* Unde cum invitus ad Epiſcopatum vocatus eſt, ſacro illo concuſſus timore, conſecrationis ſuæ tempore amariſſime flevit: *Periculoſiſſimum*, ait, *judicabam hoc miniſterium, & hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate, ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animadverterunt*. *Ibid.* Ambiant alii dignitates, quantum voluerint: iis inhient: ad eas toto corde anhelent; ad eas ſublimari timet Auguſtinus. Sed ſi cordi ejus infixæ ſunt timoris ſagittæ, quia ad Eccleſiaſticas dignitates ſublimari timuit: ei etiam infixæ ſunt timoris ſagittæ, *Quia minimis etiam peccatis inquinari formidavit*.

2. Auguſtinus poſt converſionem ad altioris perfectionis faſtigium aſcendere ſtatuit; & quia ad altioris perfectionis apicem nullus pervenire poteſt, ſi prius a malo, & ab omni peccato non declinaverit, leviſſima quæque peccata a ſe ablegavit, & ipſam peccati umbram timuit. Apud ipſum non bene excipiebatur, qui vel in minimo, proximi famam rodere volebant: in cibo & potu apud ipſum plus quam neceſſe eſt accipere, nefas fuiſſet, in ore ejus nulla verba ſuperflua, & nulla otioſa: procul ab ipſo erant minima quævis juramenta, procul omnes fabulæ otioſæ; nec erat aliqua venialium peccatorum ſpecies, quam non abhorreret, & qua conquinari non timeret.

Omnia peccata venialia inſpiciebat Auguſtinus *ſerm. 4. pro defunct. Tom.* 10. velut fœdam quamdam ſcabiem; vel, ſicut quaſdam puſtulas, quibus anima noſtra fit deformis, & ad familiares cæleſtis Sponſi amplexus inepta: & ideo omnia penitus venialia peccata timebat; ſed in eis potiſſimum timebat conſuetudinem, & multitudinem. Conſuetudinem quidem timebat: quia ex venialium peccatorum conſuetudine gratia cæleſtis negligitur, Dei familiaritas amittitur, & a minimis ad maxima gradatim diabolus homines ducit. Multitudinem etiam timebat: quia a multitudine venialium, in mortalia & in infernum homo facile ruit. Unde dicebat, quod ſi venialia timenda non ſint ob eorum gravitatem; timendam tamen eorum multitudinem, quia in ruinam & perditionem trahere ſolet. *Noli*, inquit, *illa contemnere, quia minora ſunt: ſed time, quia plura ſunt. Quotidiana ſunt iſta quæ dico; ſed tamen peccata ſunt; & non ſunt levia, quia plura; quia vero quotidiana & plurima, timenda eſt ruina multitudinis, etſi non magnitudinis*. *Aug. ſerm. 1. Tom.* 10. O quam multi ita excæcati & obdurati ſunt, ut nec graviſſimis quibuſque criminibus inquinari timeant! Sed o quam pius, o quam ſanctus, o quam ab omnis peccati labe elongatus fuit Auguſtinus! Cujus cor ſacri timoris ſagittis ita ſauciatum fuit, ut minimis etiam peccatis inquinari timuerit. Sed cor ejus ſancto etiam timore ſagittatum fuit, *quia formidanda Dei judicia plurimum timuit*.

3. Quid extremo judicio terribilius, in quo tanta erit in judicando æquitas, in Judice feritas, in Majeſtate ſublimitas, & novitas in facie ipſarum rerum, ut non poſſit cogitari? Quid formidabilius tenebroſa & amara illa die judicii, in qua ſupremus Judex, lugubri & horrenda voce corripiens, arguens, increpans, judicans, indignans, ſæviens, & condemnans audietur? Quid tandem magis metuendum futuro Chriſti judicio, in quo, ut loquitur S. Auguſtinus, (nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare? Extremo certe hoc judicio nil terribilius.) Quare Auguſtinus *ep. 203. ad Max. To. 2.* a formidandis illis Dei judiciis timens, & ſacri hujus timoris ſagittis vulneratus, in hæc verba prorupit. (Tot judicibus inops adſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla: tot vincar teſtibus, quot me monuerunt utilibus ſermonibus, ſeque imitandos juſtis dederunt actionibus. Domine mi, non ſuppetit quid dicam, non occurrit quid reſpondeam: & cum jam interſim ſævo illi diſcrimini, torquet me conſcientia, cruciant cordis arcana, totuſque contremiſco).

Heu! ſi Auguſtinus Dei judicia timuit, quanto magis ea nos miſeri timere debemus? Si Auguſtinus, qui arctioris pœnitentiæ operibus divinæ Juſtitiæ fecerat ſatis, ad Dei judicantis Tribunal venire formidat; quanto magis formidare debent peccatores hi, qui crimina ſua per pœnitentiam expiare neglexerunt? Si tandem Auguſtinus, qui a Deo & hominibus amabatur: ſi Auguſtinus, qui inſpiciebatur, & qui revera erat ingeniorum flos, Eccleſiæ Jubar, ſcutum fidei, Prædicatorum lux, fax Prælatorum, Monachorum ſpeculum, flagellum hæreticorum, & Doctorum Sol, ſi, inquam, ille Auguſtinus ad tremendum Chriſti judicantis Thronum ſiſti timet: quanto magis timere debemus nos rei,

nos

Digitized by Google

nos miſeri, nos omni gratia & gloria indigni? O Domine; confige timore tuo carnes noſtras, ſalubres timoris ſacri ſagittas cordibus noſtris infige; fac ut timeamus ſicut Auguſtinus, *cujus etiam cordi infixæ fuerunt amoris ſagittæ.*

TERTIA PARS.

Cordi Auguſtini infixæ fuerunt ſagittæ amoris.

Auguſtinus ſtatuæ illi, quam vidit Rex Nabuchodonoſor, omnino fuit diſſimilis: fuit quippe caput, ſeu adoleſcentia Auguſtini, non ex auro, ſed ex luto; quia tunc peccati luto fuit immerſus. *Novem fere annis*, inquit, *ego in illo limo profundi volutatus ſum. Lib. 4. conf. c.* 11. Fuerunt etiam pectus & venter, ſeu juventus Auguſtini, non ex argento; ſed ex ære & ferro: quia tunc erat quaſi induratus in peccato, ejuſque cor tunc durum erat velut æs & ferrum. Sed tandem pedes ejus, ſeu reliquum vitæ ejus, fuit ex auro optimo, & probatiſſimo charitatis: quia reliquo vitæ ſuæ tempore Deum amare non deſtitit, eumque ſemper amavit: 1. Amore ardenti: 2. Amore effectivo: 3. Amore reverentiæ.

1. S. Auguſtini cor accenſus amoris jaculis Deus ſagittaverat: *Sagittaveras cor meum charitate tua. Lib. 9. conf. c.* 2. Illud autem Auguſtini cor charitate ſagittatum, continuos ardentiſſimoſque amoris actus & affectus eliciebat; jam enim ſeipſum arguebat, quod non Deum, ſed terrena amaverit, jam creaturas omnes ad Deum ſolum amandum invitabat: jam ſeipſum ad Deum unice & ardenter amandum excitabat, dicens: *Cur per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum in quo ſunt omnia bona, & ſufficit; deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt. Quid amas caro? Quid deſideras anima? ibi eſt quidquid amas: ibi eſt quidquid deſideras, Aug. in Manual. c.* 34.

Auguſtini cor erat quaſi fornax, in qua ignis charitatis ſemper ardebat; ex corde enim ejus quaſi ex fornace accenſa, amoris ſacri flammæ indeſinenter emergebant. Sed quanto affectu Deum dilexerit, patet potiſſimum ex reſponſionibus, quas Chriſto interroganti fecit. Sicut enim olim a S. Petro petierat Chriſtus, an ipſum amaret, ita Auguſtinus ter cæleſtem & divinam audivit vocem, qua Deus ab illo quærebat, an ipſum amaret: *Auguſtinus amas me?* Trinæ huic interrogationi eamdem, quam olim Petrus, reſponſionem dedit Auguſtinus, dicens: *Domine, tu noſti, quia amo te.* Cui Chriſtus: *Auguſtine, ſi amas me, ediſſere & manifeſta, quantus ſit amor tuus pro me?* Reſpondit Auguſtinus, Domine, optarem, ut cuncta oſſa mea fierent lampades aureæ, & omnis ſanguis meus in pretioſum verteretur balſamum, quod in his lampadibus conſumeretur ut ſic victima totaliter amoris tui igne conſumpta, fieri poſſem. Cui iterum Chriſtus: o Auguſtine, *nonne & aliud qui in me amoris teſtimonium dare velles?* Reſpondit ſanctus Pontifex: o Domine, cuperem ut omnes venæ, omneſque corporis mei nervi in aurea converterentur vincula; quibus cor meum tibi in æternum alligare vallerem. Cui tertio Chriſtus: o Auguſtine, *nonne & adhuc ardentiore afficeris amore?* Reſpondit Doctor egregius: (Domine valde exultat in te anima mea; dum cogitat, quod tu ſis Deus meus. Verum, o Rex gloriæ, tanta te dilectione proſequor; quod ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus, omnino vellem ego fieri Auguſtinus, ut tu fieres Deus.) Ecce verum amantem, in cujus corde infixæ ſunt amoris divini ſagittæ, quia Deum amavit amore ardenti; *& quia etiam eum amavit amore effectivo, ſeu efficaci. Vega ſer. in Dom. 12. poſt Pentec.*

2. Amor, ut verus ſit, in corde ita latere non poteſt, ut foras non erumpat, & operetur, amor enim non eſt otioſus; nec bene Deum amat qui pro illius gloria non operatur: *Amor Dei non eſt otioſus: ſi vero eſt amor, magna operatur, aliter non eſt amor. S. Bern. ſer. 51. ad ſoror.* Amor, ſi verus ſit, ignis naturam ſortitur: *Sicut autem non poteſt eſſe ignis in paleis, & non ardere: ita nec ignis divini amoris eſſe poteſt in corde, & opere vacare. D. Bon. ſerm. 8. de Apoſtol.* Unde ſi quis probare velit, an Deum vere diligat, inſpicere debet, an amor, quo ſe ardere credit, ad opera multa & magna pro Dei amore facienda inducat; tuncque dicat, ſe vere Deum amare, cum pro illius amore, bona quæ poteſt, operatur: *Tunc vere Deum diligis, ſi pro illius amore, bona quæ potes, operaris. S. Bern.*

Efficaci hoc amore Deum amabat Auguſtinus: amabat eum, amoremque ſuum operibus probabat, amabat Deum toto corde, & ut amorem ſuum probaret, a bono opere nunquam ceſſabat. Nunc peregrinis recipiendis vacabat, tanta cum charitate, ut Chriſtus eam remunerare volens, ab ipſo, ſub peregrini ſpecie, aliquando recipi dignatus ſit. Nunc ſanctus ille Doctor elargiendis eleemoſynis verſabatur, ſuaſque facultates tanta liberalitate pauperibus erogabat, ut redditibus ſuis, qui copioſi erant, vix ſibi neceſſaria ſervaret, diceretque, quod *non eſt Epiſcopi, ſervare aurum, & revocare a ſe mendicantis manum. Aug. ſer. 40. de diverſ.* Sed quis dicat, quanta bona opera operatus ſit viſitando infirmos, mœſtos conſolando, molliendo peccatorum corda, oves errantes revocando, & viros pios ad perfectionis apicem vocando? Quis explicet, quantum Auguſtinus pro Dei amore operatus ſit in diſputationibus, quas adverſus hæreticos ſuſcepit, in mirandis & innumeris libris, quos compoſuit, in prædicationibus quas ad populum habuit, & in Epiſcopalibus muniis quæ digniſſime obiit? Numquam ſane ſanctiſſimus hic Antiſtes a bono opere vacavit. Et ſicut Angeli continue Deum amant, & continue ea faciunt quæ Deus ab iis exigit: ita Auguſtinus Deum ſemper toto corde amavit, ſemperque bonis operibus, ad Dei gloriam ſpectantibus, incubuit. Ecce verum Dei amatorem, in cujus corde infixæ fuerunt amoris ſagittæ: quia Deum amavit amore efficaci: *& quia illum etiam amavit amore reverentiæ.*

3. Deum ardentiſſime amabat Auguſtinus: & amore reverentiæ illum amabat. Unde potiſſimum ejus ſtudium erat in contemplatione magnitudinis divinæ, & propriæ infirmitatis, ut inde ad reverentialem Dei amorem accenderetur. Audiebatur

tur nonnunquam ad Deum clamans: *Noverim te, noverim me. Lib. 2. Solil. c. 1.* Quaſi diceret: fac o Domine, ut cognoſcam celſitudinem majeſtatis tuæ, & nihileitatem mei eſſe, mearumque actionum; ut inde ad te omni cum reverentia amandum movear.

Si quæras ab Auguſtino quanta ſit Dei magnitudo? Reſpondebit, quod *Deus hoc eſt, quod nulla attingit opinio: plus eſt enim, quam quidquid dici poterat, vel cogitari, Aug. in quæſt. veter. & nov. Teſtam. q. 1.* Sed ſi ab eodem Auguſtino petas, quis ipſe ſit? Reſpondebit, ſe eſſe famoſum peccatorem Eccleſiæ perſecutorem & hominem vilem, non ſolum dignitatibus Eccleſiaſticis, ſed etiam omni gratia indignum. Quare cum Auguſtinus Deum inſpiceret ut ſummum bonum, quo nil majus excogitari poteſt: cumque ſe, ut peccatorem, & tanquam nihilum intueretur; Deum ſumma cum reverentia colebat, & amabat, ſeque totum in actu amoris reverentialis coram Deo effundebat; ac tanta cum reverentia eum amabat, ut nec ſatis reverentialem ſuum erga Deum amorem exprimere poſſet.

O mirandum Auguſtini cor, quod ſpiritualibus doloris, timoris, & amoris ſagittis vere confoſſum fuit! Sed o utinam omnium corda hominum iiſdem ſagittis ſauciarentur!

O peccatores, qui ſceleribus multis divinam offendiſtis majeſtatem, acerbo dolore corda veſtra configite. Doluit & flevit Auguſtinus, dolore ſimiliter veſtra conterantur corda; quia melius eſt hic ad tempus dolere, quam æternum in ſtyge ardere: *doleamus hic animo, ne doleamus illic ſupplicio. Chryſoſt. hom. 23. in epiſt. ad Heb.* Sagitta doloris configantur corda veſtra: ſed & configantur ſagitta timoris: timete Dei judicia, necnon inferni ſupplicia: *Dolor & timor*, inquit Hugo Cardinalis, *in c. 20. Gen. quaſi duæ molæ ſunt, inter quas molitur juſtus*: quare ſi juſti, & ſalvi fieri velitis, timere, ac *cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Duabus ſane his ſagittis configi debent corda veſtra; ſed & potiſſimum configi debent amoris ſagitta. Hæc eſt ſagitta, quæ ſuaviter, fortiter & utiliter vulnerat; quia *amore Dei nihil poteſt eſſe delectabilius, nihil honorabilius, nihil utilius. D. Bon. l. 2. de profect. relig. c. 73.* Hæc eſt ſagitta, quæ ita ferit, ut ſpiritualem & æternam vitam conferat: quia, ut ait Bernardus: *Vita vera hominis, amor Dei eſt. Bern. de vit. ſolit. ad Fratr.* Quare Deum ardenter amate; & ſicut Angeli in cælo Deum amare nunquam deſinunt; ita & in terra cor veſtrum ab ejus amore nunquam vacet. Amate Deum amore ardenti, amate eum amore efficaci, amate eum amore reverentiali, amate eum uſque ad mortem: & amor veſter perſeverabit in cælis. *Amen.*

DE
S. JOANNIS BAPTISTÆ DECOLLATIONE.
CONCIO UNICA.

Dicebat Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris ſui. Marc. 6. 18.

QUale ſpectaculum noſtris hodie ſeſe exhibet oculis? Spectaculum equidem cunctis horrendum ſæculis, & ab omnibus penitus hominibus deteſtandum. Heu! quis unquam cauſſam & modum decollationis S. Joannis Baptiſtæ ſcire poterit, quin Herodiadis malitiam & Herodis injuſtitiam protinus exhorreſcat? Herodias, mulier adultera, & venereis addicta deliciis in Joannem, hominem caſtiſſimum, malitioſe inſurrexit, ejuſque mortem ab Herode inſtanter petiit. Herodes vero, Rex adulter, & inceſtuoſus, ut impudicæ huic placeret mulieri, inter choreas, & epulas contra Joannem, virum utique ſanctiſſimum & innocentiſſimum, iniquam mortis ſententiam ferre attentavit.

Ecce ſpectaculum, quod vobis hodie proponitur; quod S. Auguſtinus *crudele* vocat: *Crudele*, inquit, *ſpectaculum ante oculos noſtros conſtitutum eſt, caput Joannis in diſco propter odium veritatis.* Heu! quid crudelius & iniquius, quam quod S. Joannes, Chriſti Præcurſor, pœnitentium exemplar, innocentium ſpeculum, Orbis oraculum, omnium virtutum centrum, Propheta, & plus quam propheta, necnon inter natos mulierum major, ad mortem damnetur, mortiſque ſententiam ſubeat, eo quod in ſpiritu charitatis Herodem monuerit, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui?* Sola hujus rei cogitatio magnum haud dubie cordibus veſtris horrorem ingerit, majoremque ingeret, cum ſæviſſimam hanc tragœdiam tota hac concione delineavero, &c. *Ave.*

IN hodierna tragœdia tres potiſſimum occurrunt perſonæ, quæ noſtris anſam dant concionibus; Joannes, ſcilicet, Herodes & Herodias. *Joannes* fuit hominum ſanctiſſimus: *Herodias* fuit mulierum malitioſiſſima: *Herodes* fuit Regum iniquiſſimus: *Joannes*, adverſus ſcandalum ab Herode & Herodiade cauſatum concionatus eſt: *Herodias*, furore percita, Joannis mortem ſollicite petiit; & *Herodes*, iniqua commotus complacentia, injuſtam contra Joannem tulit mortis ſententiam. Unde, ut totam decollationis enarremus hiſtoriam, totamque hanc deſcribamus tragœdiam, humili ſtylo proponam *Joannem*, qui prædicat: *Herodiadem*, quæ illum perſequitur; & *Herodem*, qui illum ad mortem damnat. In Joannis prædicatione maximus elucet zelus; in Herodiadis perſecutione horrenda apparet malitia; & in Herodis ſententia inaudita ineſt injuſtitia. Videamus: 1. *Zelum Joannis*, qui prædicat: 2. *Malitiam Herodiadis*, quæ illum perſequitur: 3. *Injuſtitiam Herodis*, qui illum condemnat.

Digitized by Google

PRIMA PARS.

Zelus Joannis, qui contra Herodem prædicat.

SI a Magnatibus odio habeantur, & male excipiantur, qui veritatem iis annuntiant, & qui adverſus eorum vitia declamant; quis in Herodis aulam ingredi pertentabit, ut Regi illi adultero, & inceſtuoſo veritatem prædicet? Quis tanto ſuccendetur zelo, ut adverſus ſcandalum, cujus cauſſam præbet Herodes, libenter concionetur? *Quis eſt hic, & laudabimus eum?* Hic eſt S. Joannes Baptiſta, cujus verbum non fuit alligatum, & in quo veritas non fuit captiva: eam enim Herodi prædicavit cum zelo: 1. Ardenti: 2. Prudenti: 3. Generoſo.

1. Joannes ardentiſſimo ſuccenſus zelo, in Herodis intrat regiam, crudelem illum odit principem, eique ſcandaloſa, quæ patraverat, crimina exprobrat, dicens: O Herodes, notum eſt omnibus, quod fratris tui uxorem libidinoſe aſſumpſeris: iniquitas tua magnum undequaque ingerit ſcandalum: ſcelera tua vident aulici, & tacent, vel tibi adulantur: hæc norunt quo tuo ſubduntur dominio, & mutire non audent. Ego vero qui in hunc mundum veni, ut teſtimonium perhibeam veritati, veritatem tacere nequeo, quare libenter dicam, quod *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* O ardentem Joannis zelum! Quem miratur Andreas Cretenſis, dicens: *An non tibi videtur, Joannem fuiſſe zelo accenſiſſimum, & omnium qui zelo moventur incitatiſſimum?* Certe hic Joannis zelus ardentior fuiſſe videtur, quam aliquando extiterit zelus Moyſis, Phinees, Eliæ, & aliorum zelatorum.

Zachariæ dixit Archangelus Gabriel, quod filius ejus Joannes ante Chriſtum præcederet in ſpiritu Eliæ: *Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. Luc. 1.* Certum eſt, Joannem ſpiritu Eliæ multis modis fuiſſe exornatum; ſimul enim cum illo habuit ſpiritum pœnitentiæ, ſpiritum ſolitudinis, ſpiritum abſtinentiæ, & ſpiritum Prophetiæ. Sed inſuper, ut ait Theophylactus, ſpiritu Eliæ alia ratione præditus fuit S. Joannes: quia ſcilicet, ſimul cum illo, ardenti fuit ſuccenſus zelo ad arguendum Magnates: *In ſpiritu*, inquit, *Eliæ venit Joannes, eo quod fuit arguens ſicut ille. Theoph. l. in c. 1. Luc.* Nonnulli Concionatores, quodam exardeſcentes zelo, contra ruſticorum juramenta facile clamant, adverſus mercatorum fraudes libere prædicant, contra artificum & pauperum vitia concionari non deſinunt: at Elias, ardentiori ſuccenſus zelo, adverſus ſcandoloſa Regis Achab, & Reginæ Jezabel ſcelera libenter declamavit. Joannes autem venit in ſpiritu & virtute Eliæ: quia eodem ſuccenſus zelo, non ſolum contra militum, mercatorum & pauperum vitia; ſed etiam adverſus Regem Herodem, ejuſque pellicem libere prædicavit. O ardentem hujus præconis zelum! quo ardentior nullus fuiſſe videtur. *Sed & Joannes prædicavit Herodi cum zelo prudentiſſimo.*

2. A prudentia dirigi, & condiri debet omnis zelus: ardens enim zelus, ſi a prudentia non dirigatur, eſt potius ſpecies quædam iræ, vel furoris, quam verus zelus. Joannis autem zelus fuit prudentiſſimus: unde ſanctus ille Præcurſor a Ruperto vocatur *Præcentor veritatis. Rupert. in c. 1. Joann.* Supponit ſanctus Abbas, veritatis prædicationem eſſe veluti muſicam, qua audientium corda mulcentur & incantantur. Et ideo, ſicut in muſicam præcentor voces canentium prudenter concordat, ut harmonicum edant ſonum, ſic Joannes fuit *Præcentor veritatis*, quia Herodi veritatem annuntians, zelum ſuum ita prudenter ordinavit, ut eum non duris & acribus verbis increpaverit: ſed ſuavibus monitis ad converſionem illum adducere pertentarit: *Herodem Joannes monitis, non accuſatione pulſabat; corrigere voluit, non perire. Chryſ. ſer. 17.*

Prudentis Concionatoris eſt, aliquando acriter, & aliquando ſuaviter corripere: nunc duris, & nunc ſuavibus uti verbis juxta qualitatem, merita, & varias eorum quos corripit, diſpoſitiones. Quam veræ prudentiæ legem perfecte adimplevit S. Joannes; cum enim ſuperbos Phariſæos, vel rudem corripiebat populum, duris & aſperis eos increpabat verbis, eoſque *Genimina viperarum* vocabat. *Luc. 3. 7.* At cum ad Herodem venit ut eum corriperet, urbanis & ſuavibus illum allocutus eſt verbis, humiliter dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Noverat Joannes, Reges non eſſe inurbane & dure increpandos; ſed modeſte, reverenter, & ſuaviter monendos; quare Herodem non aſpere objurgavit; non ſuperbo illum affatus eſt ſupercilio; ſed prophetica utens licentia, eum ſuaviter & prudenter monuit, dicens: *Non licet tibi.* Tanta prudentia illum affatus eſt, ut dicat Chryſoſtomus, quod Joannes eum potius erudire videretur, quam corripere: *Erat verbum magis docentis, quam reprehendentis. Chryſ. hom. 29. in ep. 2. Cor.* Ecce prudentem Joannis zelum: *Qui Herodem etiam arguit cum zelo generoſiſſimo.*

3. Quis & qualis vir extiterit Herodes, mirabiliter deſcribit S. Petrus Chryſologus: dicens, (Herodes ſicarius in cives, & in nobiles latro, populator in ſocios, in domeſticos prædo, interemptor plebis, homicida in extraneos, in proprios patricida, inebrians cruore terram, in ſiti ſanguinis permanebat.) O virum crudelem! O Regem immaniſſimum! Ecquis illum palam arguere pertentabit? Cujus præconis zelus ita generoſus erit, ut illum de vitiis corripere audeat? Unus eſt Joannes Baptiſta, qui hoc munus libenter obit, & qui generoſo ſuccenſus zelo, etiam cum vitæ diſcrimine, Herodem, multis criminibus famoſum, libere redarguit. A Deo præceptum acceperat Joannes, monendi, & corripiendi Herodem: quare ut divino obtemperaret mandato, ſceleroſum hunc adiit Regem, & parvipendens inſidias quas ipſi parabat Herodias, nec timens Herodis crudelitatem, generoſo ſuccenſus zelo, huic Principi veritatem libere prædicavit; *Malens apud Regem periclitari, quam immemor eſſe præcepti Dei. Vide Beda.*

Generoſum hunc Joannis zelum perfecte delineat Chryſoſtomus, dicens: Herodes Rex erat dives, potens, crudelis, facibus libidinis exæſtuans, ſatellitibus circumdatus, quibus ad immania perpetranda utebatur; Joannes vero erat vir temporalia deſpiciens, ſolitudinem diligens, & pœnitentiam præ-

dicare non deſinens. Tanto autem ardebat zelo S. Joannes, ut crudelem & ferocem hunc Regem generoſe adierit, & contra ſcandaloſum ejus cum Herodiade commercium libere declamarit. Non timuit Joannes hujus Principis crudelitatem, non ejus timuit aulicos, non adulatores, non ſatellites, nec alium aliquem; ita enim generoſus fuit ejus zelus, inquit S. Auguſtinus, ut Herodiadis inſidias, adulatorum irriſiones, ſatellitum perſecutiones, & Herodis crudelitatem pati maluerit, quam impium hunc Regem non corripere: *Plena & perfecta libertate maluit injuſta ſuſtinere, quam juſta non dicere. Aug. ſer. 2. de nat.*

O mirandum, & omnibus ſæculis prædicandum Joannis zelum! O utinam eodem accenderentur zelo, quotquot Prædicatoris funguntur officio! Utinam ſcandaloſa quæque vitia ſimul cum Joanne ardenter, prudenter, & generoſe reprehenderent! Verum eſt, quod multi, vero ſuccenſi zelo, adverſus peccatores, & ſcandaloſa eorum ſcelera clamare non deſinant. Dicunt Magnatibus; non licet vobis pupillum, & viduam opprimere; iniquis dicunt judicibus: non licet vobis lites protelare, & juſtitiam vendere; adverſus mercatores clamant, dicentes; non licet vobis habere pondus & pondus, menſuram & menſuram. Contra viros impudicos vociferantur, dicentes: non licet vobis, corpora a Deo accepta ut Templum ſint Spiritus Sancti, obſcœnis voluptatibus coinquinare. Dicunt tandem ſceleroſis quibuſque viris, quod illis a Dei, & Eccleſiæ legibus deviare non liceat. Sed, o hominum malitiam! quæ in pluribus tanta eſt, ut Herodianam ſuperet: quia Herodes, Joanne *audito, multa faciebat*; & hi ex iis quæ dicunt Concionatores, nihil faciunt. Dicite, quæſo, quæ, auditis concionibus, vitia abſcidiſtis? Quos, ad peccatum allicientes, eradicaſtis habitus? Quas peccandi occaſiones abdicaſtis? Quem fructum, & quod emolumentum a tot concionibus percepiſtis? Forte nullum: & ideo pejores eſtis Herode, qui Joanne audito multa faciebat. Quare veſtrum agendi modum exhorreſcite, & in poſterum, iis obtemperate Concionatoribus, qui, ſimul cum Joanne, vero ſuccenduntur zelo. Sed, viſo Joannis zelo, *videamus malitiam Herodiadis, quæ illum perſequitur.*

SECUNDA PARS.

Malitia Herodiadis, qua Joannem perſequitur.

INnumeras fateor eſſe mulieres, quæ pietatem ſectantes, virtutes colunt, & ad omne bonum pronæ ſunt; ſed ſunt etiam non paucæ, quarum malitia omnem malitiam ſuperat: *Non eſt ira ſuper iram mulieris. Eccli. 25.* Hujus ſane generis extitit Herodias, cujus tanta fuit malitia, ut Joannis mortem cupierit, petierit, procuraverit. Ejus mortem: 1. Cupivit ardenter: 2. Petiit ſollicite: 3. Procuravit artificioſe.

1. Ex Sacra Scriptura conſtat, & patet, quod Joannis mortem optaret Herodias: ut enim refert Sanctus Marcus Evangeliſta: *Herodias volebat occidere eum, nec poterat. Marc. 6. 19.* In Vatabli verſione habetur, quod Herodias non ſolum volebat, ſed etiam *cupiebat occidere eum.* Herodes & Herodias, erant nomine, ſcelere, moribus, vitaque ſimiles; jungebantur vocabulo quos criminum junxerat turpido: quare cum Joannes Herodem arguebat, & corripiebat, talis correptio in Herodiadem, ejuſdem criminis ream, redundabat. Unde Herodias, ad hoc ut Joannes nec Herodem nec ipſam amplius argueret, ipſius optabat mortem: *Illa ne eſſet arguens, arguentis tendebat ad mortem. Chryſ. ſerm. 79.*

Videte quanta impudicæ hujus mulieris fuerit malitia: attendite, & ponderate, quouſque aſcenderit inceſtuoſæ hujus feminæ malignitas. Laudare debebat Joannem, quia laudabilis erat nimis: ei gratias rependere tenebatur, eo quod Herodem, & ipſam in ſpiritu lenitatis, & charitatis monuerit: ingrata tamen hæc mulier monitori & benefactori ſuo mortem exoptat. Quæ, quæſo, major malitia eſſe poteſt? Nulla equidem. Unde hoc in caſu dicendum cum Sancto Chryſoſtomo, quod non tanta brutorum, quanta mulieris ſit malitia, & crudelitas: *Ego quidem exiſtimo, nullam beſtiam in hoc mundo comparabilem eſſe mulieri malæ. Chryſoſtomus hom. de decollat. Joann.* Urſi, Leones, & ſylveſtria quæque animalia adblandiebantur; ac, ut ita dicam, eum in deſerto venerabantur; Herodias vero, feris ferocior, tanta in Joannem fertur malitia, ut illius mortem ardenter cupiat: *ac etiam ut mortem ſollicite petat.*

2. Videbat Herodias, quod Herodes Joannem, velut hominem juſtum, & ut Prophetam maximum veneraretur: videbat etiam, quod Joannis monita non omnino abhorreret Herodes; quin contra *eo audito, multa faciebat*: quare, timens Herodias, ne a S. Joanne totaliter converteretur Herodes, & ne ad illam ſimul cum filia abjiciendam induceretur: *omni die inſtabat apud Herodem, ut occideret Joannem. Vinc. Ferrer. ſerm. de decollat.* Credens autem Herodes, quod forte malignæ hujus mulieris iram placare poſſet, ſi Joannem carceri mancipareт, eum in carcerem mitti juſſit. At Herodiadi non fuit ſatis, quod incarceraretur prædicator veritatis: impudica enim hæc mulier, hominis omnium puriſſimi mortem continue poſtulat; ac indeſinenter per ſe, & per filiam, importunis precibus Herodem urget, ut illum morti adjudicet. O magnam Herodiadis malitiam!

Herodiadis adverſus Joannem malitia Judæorum in Chriſtum malitiæ mihi penitus ſimilis fuiſſe videtur. Noſtis, quod Chriſtum Innocentem eſſe fateretur Pilatus, quodque illum ad mortem damnare renueret; ſed clamabant Judæi: *Crucifigatur, crucifigatur.* Advertite, o Judæi, inquiebat Pilatus, Chriſtum eſſe hominem juſtum, nulliuſque criminis reum: *Nullam in eo invenio cauſam*: quid refert, reſpondent Judæi? Illum crucifigi petimus: *Crucifigatur, crucifigatur.* Attendite, inquiebat Pilatus, Chriſtum eſſe Prophetam maximum, qui innumeris, quæ operatus eſt, miraculis omnium ſibi venerationem & æſtimationem conciliavit: quare ſi adverſus illum mortis ſententiam dicam, iniquiſſimus ab omnibus cenſebor: quid refert, reſpondent Judæi? illum ad mortem condemnes neceſſe eſt: *Crucifigatur, crucifigatur.* O Judæi, inquit Pilatus,

Digitized by Google

tus, vobis ſatis eſſe debet, quod hic homo innocens, diriſſimis ſit exceptus flagellis; reſpondent hoc non ſufficere; ſed eum inſuper crucifigi debere: *Crucifigatur, crucifigatur*. O horrendam Judæorum malitiam; cui ſimillima videtur Herodiadis malitia: Herodes enim Joannem morti tradere nolebat; Herodias vero precibus importunis Herodem ad mortis ſententiam adverſus Joannem ferendam compellebat. Dicebat Herodes, Joannem eſſe hominem a Deo miſſum, juſtum, innocentem, nulliuſque criminis reum: & inſtabat Herodias, quod eſſet morti tradendus. Noverat Herodes, Joannem eſſe Prophetam maximum, multiſque clarere miraculis; ſed illius mortem animo pertinaci ſemper poſtulat Herodias, nec unquam quieſcit iniqua illa mulier, donec Sanctus Chriſti Præcurſor morti adjudicatur, & traditur. O magnam exitioſæ hujus malitiam mulieris! quæ Joannis mortem tam ſollicite petit: *& quæ ejus mortem artificioſe procurat*.

3. Nulla eſt ars, nulluſque dolus, quo non utatur maligna mulier, ut ad intentum finem perveniat; de muliere enim maligna, ſicut de dæmone dicendum, quod *mille habet nocendi artes*. *Hieron.* Herodias autem, quæ præ omnibus aliis mulieribus maligna erat, & artificioſa, innumeris uſa eſt artibus, ut Herodem ad Joannem condemnandum induceret. Jam enim inceſtuoſum hunc Principem importunis precibus ſollicitabat: jam blanditiis eum flectere conabatur: titillantis luxuriæ faces nunc in ejus corpore accendebat. Unde S. Petrus Chryſologus ait, dæmonem tunc intra Herodiadem extitiſſe, ut illi artes & dolos inſufflaret, quibus Herodem ad Joannem neci adjudicandum adducere valeret: *Serpens tunc latebat in femina. Chryſologus ſerm.* 147.

Adamum ſub ſerpentis figura aggreſſus eſt diabolus, ut illum ad comedendum de vetito fructu induceret; ſed cum fraudibus ſuis eum vincere nequiret; quaſi intravit in Hevam, & mulieris hujus miniſterio, primum hominem ad peccandum induxit, totumque genus humanum mortis imperio ſubjecit. Similem in modum ut Joannis necem Herodi ſuaderet dæmon, in Herodiadem intravit, & malignæ huic mulieri mille fraudes, doloſque mille inſpiravit; quibus illa uſa eſt, ut Herodem ad occidendum Baptiſtam pelliceret: quarum fraudum potiſſima & ultima fuit, quod a ſaltatrice, quæ ſua ſimul & Herodis erat filia, Joannis Baptiſtæ caput poſtulari curaverit. Unde Chryſologus hanc filiam, *ſerpentis germen* vocat: quia ſcilicet a matre fuerat genita, quæ aſtutia ſua ſerpens erat, & quæ mille artibus, a ſerpente dæmone ipſi inſuſurratis, Joannis mortem procuraverat.

O Herodias, quam magna eſt malitia tua! Maxima quidem fuit Jezabelis malitia, cum juſtum Naboth morti tradidit: maxima etiam fuiſſe videtur malitia Dalilæ, quæ viro ſuo Sampſoni mortem procuravit; ſed longe major extitit malitia Herodiadis, quæ Joannis, viri ſanctiſſimi, vel omni exceptione majoris, mortem ardenter deſideravit, inſtanter petiit, & artificioſe procuravit. Nonnullæ ſunt rixoſæ mulieres, quæ continue pro rebus etiam nullius momenti jurgia ſeminant, rixas excitant, & lites movent: *Nulla fere cauſa eſt, in qua non femina litem moverit*, inquit Juvenalis. At Herodias, aliis omnibus malignior, non aliarum ſolum muliercularum more, parvi momenti lites excitavit; verum & Joannis, hominis inter natos mulierum majoris & ſanctioris, mortem petiit & procuravit. Ecce Herodiadis malitiam: *Videamus nunc Herodis injuſtitiam*.

TERTIA PARS.

Injuſtitia Herodis, qui Joannem ad mortem damnat.

ALiquandiu Joannem ad mortis ſupplicium damnare renuerat Herodes; ſed tandem iniqua ſententia caput ei amputari juſſit: *Miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco. Marc.* 6. 27. Herodis injuſtitia in data hac mortis ſententia maxime elucet in hoc quod Joannem morti adjudicet, non propter aliquod crimen quod Sanctus Chriſti Præcurſor perpetraverit; ſed: 1. Quia ipſe Herodes vidit puellam ſaltantem: 2. Quia ipſe temere juravit: 3. Quia ipſe in peccato ſuo perſeverare intendit.

1. Magnificum Herodes in Natali filii ſui die convivium parari curaverat, in quo dum cum Galilææ Principibus, & aliis Primatibus epularetur, ex adulterio, & inceſtu procreata Herodiadis filia, *fractis greſſibus, corpore diſſoluto, disjuncta compage membrorum, fluentibus ex arte viſceribus, Chryſol. ſerm.* 174. coram Rege tanta dexteritate ſaltavit, ut illi plurimum placuerit. Quare Herodes, ut hanc præmiaret ſaltatricem, dixit ei: *Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Marc.* 6. Quid petet impudica hæc ſaltatrix? Non divitias, non temporales dignitates, non dimidiam Regni partem; ſed, de matris conſilio, petiit caput Joannis: *Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ*. Herodes autem, ſaltatricis hujus annuens petitioni, Joannem decollari præcepit: *Miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput Joannis in diſco*. O magnam injuſtitiam Herodis, qui Joannem ad mortem damnat, quia bene ſaltavit puella: *Impius fuit Herodes in decollatione Joannis: quia caput Prophetæ Dei donavit pro uno ſaltu. D. Thom. ſerm. de decollat.*

Licet choreæ ex ſui natura dicantur indifferentes: ex iis tamen fornicationes, adulteria, rixæ, invidiæ & alia plurima oriuntur mala. Ut enim ait Chryſoſtomus: *ubi eſt ſaltatio, ibi eſt diabolus*: Qui, ſcilicet, inviſibiliter in choreis reperiri ſolet, ut ad libidinem alliciat, ut contentiones excitet, ut ad ſuperbiam provocet, & ſive ſaltantes, ſive adſtantes, ad plurima ſcelera pertrahat. Dum autem ſaltavit Herodiadis filia, non unicus, ſed plurimi adſtitere dæmones, qui impudicam hanc ſaltatricem moverunt ad poſtulandam hominis ſanctiſſimi mortem; & tanta Herodis fuit injuſtitia, ut in præmium ſaltatricis dederit caput Joannis: *Herodes aliud unde ſaltatrici præmium ſolveret, non invenit, niſi ut pauperem juberet occidi. Ambroſius l. de Nabut. cap.* 4. Joannes erat Orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratiſſimus ſanctitate, hominum major, & puritate Angelus: Herodes tamen eum ad mortem damnat, quia bene ſaltavit puella, &, ut loqui-

tur S. Ambroſius: *Præmium ſaltatricis, mors eſt Prophetæ*. O magnam hujus Principis injuſtitiam! Sed magna etiam Herodis fuit injuſtitia in hoc, quod Joannem morti adjudicaverit: *quia ipſe temere juraverat*.

2. Cum Herodiadis filiæ promiſerat Herodes, ſe ei daturum quidquid poſtularet, ſuam jurejurando confirmaverat promiſſionem. Quare cum impia ſaltatrix Joannis caput petiit, recordatus eſt Herodes juramenti ſui, eumque juraſſe pœnituit: *Contriſtatus eſt Rex propter jusjurandum*. Nihilominus, ut quod juraverat adimpleret, iniquiſſima ſententia Joannem capite truncari imperavit; temere juraverat Herodes; & quod juraverat, injuſte adimplevit: *Temere juratur, & impie, quod juratur, impletur. Aug. ſer. de decollat.*

Imprudenti, & inconſiderato juramento promiſerat Herodes, ſe Herodiadis filiæ daturum quidquid ab ipſo peteret, ex quo occaſionem ſumit Auguſtinus, homines hortandi ad tollendam penitus jurandi conſuetudinem: *Confligere debetis adverſus conſuetudinem veſtram malam: & valde malam:] & tollere jurationem de oribus veſtris. Auguſtinus ib.* Sed præter ſcelus quod patravit Herodes, cum imprudenter, & inconſiderate juravit; aliud perpetravit crimen longe gravius, cum ſcilicet, ut quod juraverat adimpleret, Joannem ad mortem damnavit. Tunc enim, ut ait Theophylactus: *oportebat perjurium fieri, & non tam abominabile facinus perpetrare. Theophyl. in Marc. c. 6.* Hanc Herodis injuſtitiam deteſtantur omnes Sancti Patres; ſed magis adhuc Principis illius patet injuſtitia in hoc, quod Joannem capite plecti juſſerit: *ut ipſe in crimine ſuo liberius perſeverare poſſet*.

3. Aliquandiu Joannem libenter audiebat Herodes, eoque audito multa faciebat, ita ut ad meliorem vitæ frugem quodammodo venire videretur; ſed tandem effræna victus libidine, Joannem odio habere cœpit, eumque occidere cogitavit, ut eum arguentem non audiret, & ut liberius in peccato perſeveraret; *Ut luxurietur Herodes, necatur Joannes. Fulgent. ſer. de decollat.*

Noverat Herodes, quod quandiu viveret Joannes, adverſus ſcandalum ab ipſo & Herodiade cauſatum clamare non ceſſaret; noverat etiam, quod innocentiſſima, & puriſſima Joannis vita, eſſet quaſi cenſor mutus, a quo tacite corripiebatur: quare ut libere, & nullo arguente, in peccato ſuo vivere & permanere poſſet, injuſtam adverſus Joannem ſententiam tulit.

Magnates & Judices, qui luxuriæ ſunt dediti, ad injuſta facile declinant: quia *luxuria ſemper eſt inimica juſtitiæ. Aug. ſer. de decollat.* Judices, ſi avari ſint, juſtitiam vendunt; ſi autem ſint libidinoſi ut fœdæ ſuæ faveant paſſioni, iniqua & injuſta facile perpetrant. Quod in Herode veriſſimum comprobatur: ille enim, ut luxuriari non deſineret. S. Joannem ad mortis ſupplicium impie, & injuſte condemnavit: *Qui noluit cohibere luxuriam, ad homicidii reatum delapſus eſt. Aug. ſer. de decollat.*

Ecce portentoſam Herodis injuſtitiam; ſed ecce etiam finem tragœdiæ; in qua tres potiſſimum apparuere actores: Joannes, ſcilicet, Herodias & Herodes. *Joannes* ibi viſus eſt ut Prædicator, qui ardenti, prudenti, & generoſo ſuccenſus zelo prædicavit. *Herodias* ibi perſonam geſſit malignæ mulieris; cujus tanta extitit malitia, ut Joannis mortem deſideraverit, petierit, & procuraverit. *Herodes* tandem ſcenam clauſit in hoc, quod Joannem morti adjudicaverit, non quia reum, ſed quia ipſe viderat puellam ſaltantem: quia temere ipſe juraverat, & quia in peccato ſuo perſeverare volebat.

Completa eſt jam tragœdia: qua finita ad diverſa abierunt, qui in ea actores erant: Joannes enim ad cæleſtes conſcendit thronos, ut ibi in æternum regnet; Herodes vero & Herodias ad tartara præcipites ruerunt, ut ibi ſempiternis crucientur ſuppliciis: *Ecce tu Herodes jaces in morte: tu vero Joannes vivis in gloria*. Uterque condignam percepit mercedem: Joannes in cælo, Herodes in inferno: *Joannes nunc regno, nunc præmiis cæleſtibus honoratur: tu vero, Herodes, mercedem ſententiæ tuæ cum filia tua in tartaro recepiſti. Chryſol. ſer. 127.*

Ecce hujus tragœdiæ terminum; ſed ecce identidem, quis ſit terminus tragœdiæ hujus mundi. Nos in hoc mundo Deus, velut in grandi theatro poſuit, in quo quiſque perſonam ſuam agere debet. Alius perſonam gerit Regis, militis alius, alius Judicis, & alius Sacerdotis, vel Laici. Poſtquam autem finita erit tragœdia, ſeu, in die judicii, a Rege requiret Deus, an Regis perſonam debite & recte ſuſtinuerit? Requiret a milite, a Judice & a quovis homine, an pie, & juſte, juxta ſtatum & conditionem ſuam vixerit? Et hi, qui perſonæ ſuæ munera recte non obierint, in æternum cum Herode cruciandi ad tartara præcipitabuntur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum*. Qui vero perſonæ ſuæ munia perfecte adimpleverint, ad cælum, in æternum beandi, conſcendent: *Hi autem in vitam æternam*. Quare ea in hoc mundo agite, ad quæ vocavit vos Deus: munia & officia quæ a Deo vobis commiſſa ſunt, perfecte adimplete: perſonam veſtram pie & juſte gerite, ut præmia æterna in cælo conſequi valeatis. *Amen*.

DE NATIVITATE B. VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO UNICA.

Mementote diei hujus. Exodi 13.

MAgni, & admiratione digni fuere omnes Dei genitricis Mariæ dies; nec eſt aliquod vitæ ejus momentum, quod a ſingulis hominibus laudari & prædicari non debeat. Sed in primis recolenda, veneranda, laudanda & prædicanda felix illa dies, in qua Virgo ſacra, e materno egrediens ſinu, in hunc mundum venit, ut verbi incarnati Mater, cælorum Regina, totiuſque orbis decus & ornamentum fieret. Hunc nativitatis ejus diem prædixerant Prophetæ, expectaverant Patriarchæ, optaverant omnes: huncque diem viderunt piiſſimi Mariæ parentes Joachim & Anna; qui virtutibus & meritis ſuis talem, & tantam gignere meruerunt filiam; cujus Nativitas cælis gloriam, in univerſo mundo felicitatem, pacemque refudit.

Hæc

Hæc eſt ſacra illa dies, cujus quotannis nos meminiſſe vult Sancta Romana Eccleſia, & cujus nos cunctis vitæ noſtræ diebus recordari debemus: *Mementote diei hujus*. Quare ut mentibus veſtris hæc dies altius infigatur, tota hac concione de ea diſſeremus, &c. *Ave*.

TRes magnos Chriſti, inter homines verſantis, dies agnoſcimus, diem ſcilicet nativitatis, diem transfigurationis, & diem paſſionis ejus. Dies nativitatis Chriſti, eſt *dies honoris* & gloriæ: quia ipſe in præſepio inter vilia animalia jacens, magnam apud cælites ſibi gloriam conciliavit: *Gloria in altiſſimis Deo*. *Luc*. 2. Dies transfigurationis Chriſti, eſt *dies gaudii* & conſolationis: quia Apoſtoli Chriſtum transfiguratum contemplantes, maximo perfuſi gaudio, dixerunt: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*. *Matth*. 17. Dies tandem paſſionis, fuit *dies terroris* dæmonibus: quia virtute ſanguinis Chriſti, in cruce fuſi, ab hoc mundo ejecti ſunt. *Princeps hujus mundi ejicietur foras*. *Jo*. 12.

Omnes quidem illi dies ſuo tempore commemorandi ſunt; ſed hodie ſolemnem recolimus nativitatis Mariæ diem; qui eſt ſimul dies honoris, dies gaudii, & dies terroris. Eſt: 1. *Dies honoris & gloriæ*, reſpectu Mariæ: 2. *Dies gaudii & lætitiæ*, reſpectu hominum: 3. *Dies terroris & triſtitiæ*, reſpectu dæmonum.

PRIMA PARS.

Dies Nativitatis, eſt dies honoris & gloriæ reſpectu Mariæ.

ÆTernam Mariæ nativitatem, ſeu, ſpecialem ejus prælectionem, qua ante omnem aliam puram creaturam ad gratiam, ad gloriam, & ad Chriſti maternitatem electa & prædeſtinata eſt, perfecte deſcribit Sapiens, dum ſic Mariam loquentem inducit: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar*. *Prov*. 8. Parturiebatur enim Maria, ac in Dei mente ab æterno naſcebatur, antequam eſſent, & futuri prævidcrentur fontes, abyſſi, montes & colles: quia in eodem ſigno rationis quo prædeſtinatus eſt Chriſtus ejus filius, vel in ſigno rationis immediate ſequente Chriſti prædeſtinationem ipſa fuit prædeſtinata, ac a mente Dei prodivit, ut eſſet Chriſti mater, totius mundi Regina, omniumque creaturarum prima & primogenita: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*. *Eccli*. 24. quare æterna hæc Mariæ nativitas ei ſupra modum honorifica extitit & glorioſa. Sed & ſimiliter ei glorioſa fuit nativitas temporalis: quia ſicut in æterna, ita & in temporali nativitate Maria prodivit prima, & *primogenita*. E ſinu enim B. Annæ prodiens, & in ipſa die nativitatis ſuæ, Maria inter omnes creaturas fuit; *prima*, ratione nobilitatis qua fulſit; *prima*, ratione ſanctitatis qua coruſcavit; *prima*, ratione gratiarum quibus cumulata eſt; *prima*, ratione virtutum quibus floruit; fuit tandem in omni genere prima, reſpectu Angelorum, hominum & omnium creaturarum: *In omni populo & in omni gente primatum habuit*. *Ib*.

Hunc primatum, hancque Mariæ naſcentis ſupra omnes creaturas exaltationem indicat Propheta, cum eam Reginam ſimpliciter & per excellentiam vocat: *Aſtitit Regina a dextris tuis*. *Pſ*. 44. Maria e ſinu Annæ exiens, non eſt unius aut alterius terreſtris regni Regina, ſed dicitur ſimpliciter *Regina*: quia in die nativitatis, immo & conceptionis, eam Deus ita honoravit & ſublimavit, ut illam cæli & terræ, hominum & Angelorum Reginam fecerit: *Ipſa in primo inſtanti conceptionis monarchiam obtinuit totius univerſi*. *D. Bern. tom*. 1. *ſerm*. 63. *art*. 1. *c*. 7.

O præcelſam Mariæ gloriam! O quam Mariæ glorioſus fuit dies nativitatis ejus! Sed ut evidentius pateat, quam Mariæ glorioſa ſit illa dies, in qua nata eſt, ſerio perpendamus, & ſedulo inquiramus, a quo naſcatur, qualis naſcatur, & quare naſcatur hodie Maria: 1. A quo naſcatur; ſeu, qui fuerint parentes ejus: 2. Qualis naſcatur, ſeu, qualis ipſa fuerit in ortu ſuo: 3. Quare naſcatur, ſeu, cur Deus eam in hoc mundo naſci & venire voluerit.

1. Naſcitur, & originem ſuam ducit Maria a progenitoribus ſanctis & nobilibus, norunt enim omnes, quod Anna & Joachim, quorum ſanctitas & virtutes in toto terrarum Orbe coruſcant; Dei genitricis Mariæ parentes fuerint. Sed ſi ultra inquiramus quos majores habuerit Maria; in arbore ejus genealogica quamplurimos annumerari viros perexímia ſanctitate & nobilitate præcellentes quiſque facile adnotare poterit, inter quos multi Duces, multi Summi Pontifices, & multi Reges recenſentur. Legat qui voluerit ejus genealogiam apud S. Matthæum Evangeliſtam, a Spiritu Sancto delineatam, in qua obſervare quiſque poterit, eam a quatuordecim fortiſſimis Ducibus; a totidem potentiſſimis Regibus, ac a multis aliis tum pietate, tum nobilitate illuſtribus viris originem ducere. *Matth*. 1. Glorioſum eſt ergo Mariæ, quod a tantis viris naſcatur. Sed glorioſior eſt ejus nativitas, ſi ſpectemus qualis naſcatur; ſeu, *qualis ſit in ortu ſuo Maria*.

2. Naſcimur nos filii iræ, filii miſeriæ, & filii contumeliæ: cum enim e materno ventre egredimur, mentes noſtras involvunt tenebræ, fœtoſæ originalis peccati ſordes animam noſtram inquinant, calamitatibus multis undequaque circumdamur, gratia divina ſumus orbati, æterna gloria indigni ſumus, & ad omne bonum ſumus inepti: at Maria in nativitate ſua eſt ſanctitatis theſaurus gratiarum pelagus, ac Dei Paradiſus. Ex tunc lumine rationis illuſtratur intellectus ejus, Dei amore cor ejus inflammatur & anima ejus ſumma puritate, ac omnium virtutum ſplendore niteſcit. Ex tunc Maria tota pulchra eſt, Dei amica eſt, & ſine macula eſt: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Ex tunc Maria eſt gloria Jeruſalem, lætitia Iſrael, & honorificentia omnium fidelium: *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*. *Judith*. Ex tunc non a ſiniſtris, ſed a dextris Dei aſtat Maria in veſtitu deaurato, ſeu, aurea charitate fulgens, & *circumdata varietate*,

Digitized by Google

Pſ. 44. omnium virtutum, Maria enim nata eſt hæres Davidis in manſuetudine, Salomonis in ſapientia, Abrahæ in fide, Aſæ in robore & fortitudine, Joſaphat in obſervatione legis divinæ, Ezechiæ in cura & ſollicitudine quærendi Dominum, ſimulque in ſe ipſa coadunatas habuit omnes animi dotes, & cæleſtia chariſmata, quibus omnes majores illius conſpicui & inſignes extitere. Ecce qualis a tam illuſtribus parentibus nata ſit Virgo Maria: *Tanti talem genuere parentes.* Quare glorioſiſſima eſt ei dies nativitatis ejus, ſi perpendimus qualis ipſa nata ſit; ſed adhuc ei glorioſior fuit illa dies, ſi attendamus *quare, & ad quid nata ſit.*

3. Cum Dei infinita ſit ſapientia, omnia quæ in tempore futura ſunt, ab æterno diſponit & præordinat, quare ut ſciamus ad quid in tempore naſcatur Maria, inquirendum ad quid ab æterno Deo ordinata ſit. *Ab æterno*, inquit, *ordinata ſum: Prov.* 8. ad quid ordinata es, o Maria? Reſpondet S. Bernardus, *ordinata eſt, ut Virgo & Mater ſimul oriretur.* Quare ſicut Maria ab æterno ordinata eſt, ut eſſet mater Chriſti, ita & ipſa in tempore naſcitur ut ſit mater Chriſti: hic eſt finis propter quem hac die naſcitur Maria, ac proinde hæc dies eſt ei maxime honorifica, quia nil glorioſius Mariæ, quam quod Chriſti Domini ſit mater: *Hoc ipſum de Beata Virgine prædicare, quod Dei mater eſt, excedit omnem celſitudinem, quæ poſt Deum dici & excogitari poſſit. D. Anſelm.*

Aliæ creaturæ poſſunt Chriſtum vocare Redemptorem vel Creatorem, ſed hæc ſumma eſt Mariæ gloria, quod ipſa ſit mater Chriſti, quodque ipſa ſola, ſimul cum Patre æterno Chriſtum vocare poſſit Filium ſuum: *Nihil nobilius Dei Matre, & præſtantius nihil; quippe cum Filium ſuum illum vocare poſſit, a quo ſumma nobilitas pendet: illum, inquam, de cujus filiatione gloriatur æternus Pater, & ait, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Poteſt quidem Angelus eum vocare, & dicere, Creator meus es tu: poteſt homo dicere; Redemptor meus es tu: poſſunt alia cuncta dicere: Deus meus es tu: poteſt autem Beata Virgo dicere, Filius meus es tu, & de meis viſceribus genui te. Epiph. orat. de laud. Virg.* O quam glorioſum ſit Mariæ, quod ſit Chriſti Mater, & quod ſola ſimul cum Patre æterno, eum Filium ſuum appellare poſſit! Certe ſi credamus Doctori Angelico, hæc maternitas dignitatem & gloriam, quodammodo infinitam, Mariæ confert: *Beata Virgo*, inquit, *ex hoc quod eſt mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus. D. Th.* 3. *part. qu.* 26. *art.* 6. Cum ergo Maria hac die in hunc mundum veniat, ut ſit Chriſti mater; hæc quidem dies eſt ei glorioſiſſima, eſtque ei dies honoris & gloriæ; *Sed dies nativitatis Mariæ eſt etiam dies gaudii, reſpectu hominum.*

SECUNDA PARS.

Dies Nativitatis Beatæ Virginis, eſt dies gaudii & lætitiæ, reſpectu hominum.

Flendum quidem potius, quam gaudendum in nativitate puerorum, quia, ut ait Job, dies nativitatis eſt ingreſſus ad multas tam culpæ, quam pœnæ miſerias: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, Job* 13. Sed aliter ratiocinandum de Beata Virgine; quæ ſicut omnis peccati expers nata eſt, ita & nulli ſpirituali miſeriæ fuit obnoxia, quin e contra in hunc mundum venit, ut omnem benedictionem hominibus afferret, totumque genus humanum conſolaretur, nobilitaret, exaltaret, per filium quem genitura erat, ad cælos eveheret. Quare hac die, ſicut in ipſa die natali Chriſti, gaudendum & exultandum: *Exultemus, & ſicut gaudere ſolemus in nativitate Chriſti, ita etiam & gaudeamus in nativitate Matris Chriſti. Petrus Dam. ſerm.* 3. *in nativit. Virginis.*

Varia in Mariæ nativitate omnibus hominibus ſunt gaudendi motiva, quorum nonnulla, ut advertit Rupertus Abbas, his verbis comprehenduntur: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Cant.* 6. In natali enim Virginis omnes gaudere debent homines: quia ipſa oritur: 1. Quaſi aurora: 2. Quaſi Luna: 3. Quaſi Sol.

1. Maria in nativitate ſua vere aurora fuit, quia, inquit Rupertus Abbas; *Sicut aurora quotidiana, finis eſt præteritæ noctis, & initium diei ſequentis; ſic nativitas Mariæ, finis dolorum fuit, conſolationis fuit initium: finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium. Rup. l.* 6. *in Cant.* Ab Adami lapſu, tenebræ peccati erant ſuper faciem abyſſi, omneſque homines in continua degabant nocte; quare apparente hac auroræ, ſeu, naſcente Maria, cujus miniſterio tenebræ peccati fugantur, & lux gratiæ mundo lucet, univerſus ſane terrarum Orbis exultare & jubilare debet; dieſque illa qua nata eſt Dei Genitrix, eſt vere dies gaudii & lætitiæ, reſpectu hominum.

Populi ſeptentrionales, qui ſex menſium ſpatio in craſſa & obſcura nocte verſantur, Solis reditum ſummo affectu concupiſcunt, hinc in ſummis montium cacuminibus excubias agunt, ut albeſcente cælo, facto tubarum ſono, incolis auroram denuntient, qua apparente, ineffabili replentur gaudio. Humanum pariter genus, veſpertilionum aut noctuarum inſtar, non ſex dumtaxat menſium, ſed longo ſæculorum multorum intervallo, in tetra ſcelerum nocte degebat &, ut ait Iſaias Propheta: *tenebræ operiebant terram, & caligo populos. Iſai.* 60. Sed *nata Virgine, ſurrexit aurora*, quæ finem præteritæ noctis, & diem gratiæ hominibus prænunciavit: quare Mariæ nativitas omnibus plane hominibus dies gaudii & exultationis extitit.

Quod ut alia non abſimili ſuadeamus ratione, advertendum, quod ut quotidiana docet experientia, aurora poſt brevem noctem illuceſcente, flores ſeſe pandere, aviculæ cantu aerem mulcere, ægroti ſublevari, prata ipſa ſuo modo ridere, ac omnia hilareſcere videantur. Si autem hæc omnia quotidie fiant, adveniente aurora, quale gaudium eſſet, ſi Deo ſic providente, per plures annos noctem continuam haberemus? Certe tunc illuceſcente aurora, vix præ lætitia homines ſe capere poſſent: tunc inenarrabili omnes replerentur gaudio. Sed eſt, quod magis gaudeant in die nativitatis

Bea-

Digitized by Google

Beatæ Virginis; quia hæc eſt aurora, quæ poſt tetram, multorum ſæculorum noctem hominibus illuxit. Dies ergo nativitatis Beatæ Virginis Mariæ, eſt dies gaudii & lætitiæ, quia ipſa oritur *quaſi aurora*, ac etiam quia ipſa oritur *ut Luna*.

2. In myſtico Eccleſiæ cælo Chriſtus Dominus Sol appellatur; Sancti vero ſunt aſtra, quæ ab illo ſole lucem ſuam habent. Sicut autem a ſole plus luminis accipit Luna, quam alia ſidera, ita & in mirabili Eccleſiæ cælo Maria eſt *ut Luna*, quia a Chriſto, Sole juſtitiæ, plus luminis accipit, quam alii Sancti, qui quaſi fulgentes ſtellæ in Eccleſia rutilant. Quare cum plus luminis a Chriſto accipiat Maria, quam alii Sancti; ita etiam abundantius & clarius nobis lucet, quam alii omnes Sancti, hæc hodie mundo oritur *quaſi Luna*, quæ a Sole juſtitiæ Chriſto abundantiſſime irradiatur, quæ per ſeipſam, ac per Filium quem paritura eſt, opacas quibus mundus ſuperfunditur, peccati ignorantiæ, & erroris tenebras expellit, & quæ nobis plus lucis & gratiarum allatura eſt, quam omnes Sancti qui in cælo ſunt. Quare dies nativitatis Mariæ eſt vere dies gaudii, quia ipſa progreditur, ut Luna nos illuminans; ac etiam, quia progreditur *ut Sol*.

3. Maria dicitur *electa ut Sol*: tum, quia ſicut Sol oritur ex alto, ſingulari ſplendore rutilans; ſic Maria ex alta Regum & Prophetarum progenie oriens, ſpeciali ſplendore refulget: tum, quia ſicut Sol omnes alios planetas nobilitate, & fulgore præit; ita Beata Virgo, generis nobilitate & virtutum ſplendore, omnes alias creaturas antecedit: tum, quia ſicut Sol præſtantiſſimum eſt totius mundi ornamentum: ita etiam Maria præcellentiſſimum eſt totius mundi decus & ornamentum: tum tandem Maria principaliter dicitur *electa ut Sol*, quia ſicut Sol a Deo electus & poſitus eſt, ut medius ſtet inter planetas, quorum tres ſupra, & tres infra ſe habet; ita & Mariam Deus elegit, ut media ſit, & mediatrix inter ipſum & homines. Chriſtus, Sol juſtitiæ, electus eſt a Patre, ut inter ipſum & hominēs mediator exiſtat: *Unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus*; *1. Timoth.* 2. Maria autem eſt *electa ut Sol*, hoc eſt, ut Chriſtus; ſeu, ut ipſa mediatrix etiam ſit Deum inter & homines: *Maria effecta eſt Dei & hominum veriſſima mediatrix. Laurentius Juſtinianus ſerm. de Annunt.* Quare cum Maria naſcatur hodie non ſolum *ut Aurora* diei prænuntia, & *ut Luna* nos irradians: ſed etiam *ut Sol* inter Deum & nos medius ſtans; certiſſimum eſt, diem nativitatis ejus, eſſe diem gaudii & lætitiæ, reſpectu hominum. Pie ergo, & ſancte gaudeamus in die natali Beatæ Virginis; quæ eſt dies gaudii & lætitiæ, reſpectu hominum; & quæ eſt etiam *dies terroris & triſtitiæ, reſpectu dæmonum*.

TERTIA PARS.

Dies Nativitatis, eſt dies terroris & triſtitiæ, reſpectu dæmonis.

AUrora, ut latinæ linguæ periti docent, eſt quaſi *avium hora*: quia, illuceſcente aurora, aves gaudent, ac ſuaviſſimo concentu aëra mulcent. Maria autem, in nativitate ſua, auroræ ſpeciem vere prætulit; quia, ut ait Ricardus a Sancto Laurentio, ipſa naſcente, aves cæli, ſeu, Angeli Dei, ſuas modulati ſunt voces, ac in laudes ejus læti proruperunt: *Aurora, quaſi avium hora, quia, Maria oriente, aves cæli, Angeli ſcilicet, concorditer laudant eam. Richardus de laud. Virginis lib.* 7. Si autem Dei Genitricis nativitas fuit dies gaudii & lætitiæ, reſpectu Angelorum; fuit etiam dies terroris & triſtitiæ, reſpectu dæmonum: quia hæc adoleſcentula eis terribilis extitit: *Virgo principibus tenebrarum terribilis fuit. Richardus Victorinus in Cant. cap.* 26.

Poſtquam, dæmon perverſis ſuis ſuaſionibus Adamum, Evam, & univerſum genus humanum vitiavit, adſtitit vindex Deus, ac inſtauri flagitii pœnam culpatiſſimo ſatanæ dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem. Geneſ.* 3. Ecce ſupplicium cui Deus reum dæmonem adjudicavit; quod quidem leviſſimum cenſebunt qui rem ſerio non ponderabunt: ſed revera non leve, ſed graviſſimum fuit a Deo ſatanæ impoſitum ſupplicium: quia mulier de qua tunc loquitur Deus, eſt Maria, quam maxime timent dæmones; *Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum. D. Bonaventura in ſpec. 6. virg. lect.* 2. Quare cum Maria ſit dæmonibus inimica, infeſta & formidanda, dies, qua nata eſt, fuit eis dies triſtitiæ & terroris.

Sæculum quo Maria ſoror Moyſi nata eſt, infelix fuit & infauſtum: quia quo tempore in lucem venit hæc Maria, cœperunt Ægyptii Judæos affligere. Quamobrem, ut adnotat Genebrardus, *lib. 1. chronol.* hæc vocata eſt *Maria* ab amarore, ſeu, ab amaritudine quam temporibus ejus paſſi ſunt Judæi. Dies autem quo Maria Dei genitrix orta eſt, felix ſimul fuit & infelix; felix fuit & jucundus hominibus & Angelis Dei, qui in ejus nativitate lætati ſunt; ſed infelix extitit & amarus Angelis ſatanæ, ſeu, dæmonibus, quibus Maria eſt terribilis, ſicut, & plus quam caſtrorum acies ordinata. Terribilis fuit dæmonibus S. Franciſcus a Paula; terribilis & formidandus eis extitit S. Antonius Paduanus; terribiles eis fuere nonnulli alii Sancti, qui eos ſolo verbo ab energumenorum corporibus expulerunt; ſed una Maria, eaque jam a matris ventre egrediens, non ſolum iis terribilis fuit ſicut hic, vel ille Sanctus; ſed veluti, immo & plus quam bene ordinata virorum ſanctorum acies.

Mariam, Dei Genitricem, cælorum Reginam, Advocatam peccatorum, & Chriſtianorum auxiliam vocare ſolemus, nec non aliis multis gloriæ titulis eam inſignimus: ſed Clemens Alexandrinus novo & ſtupendo loquendi modo eam *ſerpentem feminam* nuncupat. Serpentis nomen dæmoni perfectiſſime congruit, qui ſerpentis inſtar immundus, tortuoſus, fallax & ſeductor eſt; ſed quo ſenſu *ſerpens* dici poteſt Maria, cujus puritas ſingularis, innocentia maxima, & ſanctitas admiranda? Reſponderi poſſet: Mariam dici *ſerpentem*: quia ſicut dæmon ſub ſerpentis ſpecie Evam ſeduxit, ita & Maria fuit quaſi alter ſerpens, a quo ſerpens diabolus ſeductus, & devictus eſt: *Sicut diabolus ſeduxit feminam: ita poſtmodum a femina ſeductus eſt. S. Bernardus homil. 2 ſuper Miſſus.* Sed dicamus, Mariam appellari *ſerpentem* *fem-*

Digitized by Google

feminam: quia ſicut dæmon eſt ſerpens quem maxime timent homines: ita & Mariam quaſi ſerpentem timent & reformidant dæmones: nec magis homo aliquis ſerpentem timet, quam dæmones Mariam pertimeſcant.

Hæc eſt differentia ſerpentem inter & leonem, lupum, urſum, leopardum, aliaque quantumvis ferocia animalia; quod cum iſtis ludimus dum parva ſunt, eaque ſolum timemus cum grandia ſunt, ſed ſerpentem quantumvis parvum horremus & pertimeſcimus. Maria autem eſt *ſerpens femina*; quia ipſa adhuc parvula, & recens nata, dæmonibus formidabilis & terribilis eſt, qui eam non ſolum in cælo regnantem, verum & ex matris utero egredientem pavide perhorreſcunt; dies ergo nativitatis ejus eſt dies terroris & triſtitiæ reſpectu dæmonum.

Quare cum ita dæmonibus terribilis ſit Maria; adhuc in cunis vagiens, auxilium ejus adverſus tartareas illas poteſtates ſuppliciter imploremus; ad eam ſæpe advolemus, dicamuſque ei cum Doctore Seraphico: *Rogamus te, o Virgo potentiſſima, ut arceas dæmones a nobis. D. Bonav. in ſpec. lect.* 12. Vel Summi Pontificis Innocentii III. utamur verbis dicentes: *O Maria, ex dignitate qua Dei mater es, imperare potes dæmonibus; compeſce dæmones, ne nobis noceant*. Sed ad Mariæ patrocinium præcipue confugiamus pro inſtante mortis noſtræ tempore, & hanc ab Eccleſia inſtitutam oratiunculam crebro repetamus: *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ*.

Veterator ſatanas toto vitæ noſtræ tempore malignis ſuaſionibus, & importunis tentationibus ad peccatum & infernum nos pertrahere conatur; ſed tunc maxime, cum inſtat mortis noſtræ hora; tunc *deſcendit diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet*: *Apocal.* 12. tunc ſuas omnes explicat artes, tunc omnes tendit laqueos, omneſque ſibi notas tunc patat inſidias, ut animas noſtras rapiat, ſui juris faciat, & ad tartara ducat. Mariam autem invocemus, quæ eſt dæmonibus terribilis; ejus pro toto vitæ noſtræ tempore, & præcipue pro imminente mortis noſtræ hora, auxilium imploremus, hæc verba iterantes: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ*. Si autem Maria ſtet pro nobis, ferociſſimos quoſque fugabit dæmones, ac a Deo gratias obtinebit, quibus mediantibus æternam beatitudinem faciei obtinebimus. *Amen*.

DE
SANCTO MATTHÆO APOSTOLO.
CONCIO UNICA.

Cum tranſiret Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi: ſequere me; Et ſurgens, ſecutus eſt eum. Matth. 9.

MUlti in cælo ſunt Sancti, qui, dum in hoc mundo viverent, ſuas nullo lethali crimine inquinaverunt animas; ſed alii multi in cælo nunc regnant, qui in hoc mundo homines peccatores fuerunt, & qui in gravia crimina infeliciter ceciderunt.

Non ſatis quidem laudari poſſunt; nec eſt, qui laude dignos non cenſeat illos, qui in hoc mundo ita caute ambulaverunt, & de ſalute ſua ita fuere ſolliciti, ut nulla unquam lethali noxa ſuas animas denigrarint. Sed & laudari debent Thomas Apoſtolus, Magdalena, Matthæus, & alii Sancti, qui in mortalia quandoque lapſi ſunt; quia ea per pœnitentiam abluerunt, & quia ſi turpe iis fuit ad mortalia peccata declinare, glorioſum iis fuit talia monſtra debellare, & ad Deum per arctam pœnitentiæ viam redire. Laudemus ergo Matthæum, quem ſancta laudat Eccleſia; illuſtrem hunc laudemus Apoſtolum; non quia peccavit, & per peccata inimicus Dei factus eſt; ſed quia per pœnitentiam a peccatis ſurrexit, Deoque reconciliari, & æterna præmia aſſequi meruit. Illum Chriſtus in telonio ſedentem vidit; illum ad ſe vocavit, & ille a telonio ſurgens, Chriſtum ſecutus eſt: *Et ſurgens ſecutus eſt eum*. Videamus Matthæum in telonio ſedentem, Chriſtum convivio excipientem, & a Chriſto ad altiora Eccleſiæ munia evectum, &c. *Ave*.

SAnctus Matthæus conſiderari poteſt, ante converſionem, in converſione, & poſt converſionem. Ante converſionem Matthæus erat homo, qui ſedebat in telonio: *Vidit hominem ſedentem in telonio*. In converſione, hic homo ſurrexit a telonio, ut Chriſtum ſequeretur: *Et ſurgens*. Poſt converſionem, hic homo Chriſtum ſecutus eſt: *Et ſurgens ſecutus eſt eum*.

Matthæus, *ante converſionem*, varia exercebat officia, a quibus ſurgere, & quæ relinquere debebat, ut Chriſto placeret: *In converſione*, ab iis ſurrexit, illa reliquit & grande convivium Chriſto fecit: *Poſt converſionem*, ſecutus eſt Chriſtum, & eminentes dignitates in Eccleſia obtinuit. Videamus Matthæi officia, convivium, & dignitates; 1. *Officia*, quæ ante converſionem exercuit: 2. *Convivium*, quod in converſione Chriſto fecit: 3. *Eminentes dignitates*, quas poſt converſionem in Eccleſia obtinuit.

PRIMA PARS.

Officia quibus Sanctus Matthæus ante converſionem incubuit.

PLerique Apoſtolorum ante converſionem piſcatores erant: & qui piſces capere ſoliti erant, a Chriſto ad capiendos & ad ſalvandos homines vocati ſunt. At S. Matthæus non erat piſcator, inquit Vincentius Ferrerius *ſerm. de S. Matth.* ſed tria officia habebat mala in hoc mundo, quorum unum erat periculoſum, aliud criminoſum, & aliud odioſum. Habebat enim. 1. *Officium campſoris*, quod eſt periculoſum. 2. *Officium uſurarii*, quod eſt criminoſum. 3. *Officium collectoris jurium Imperatoris*, quod eſt odioſum.

1. Omnes qui multis tractant pecunias, in magno verſantur peccandi periculo. *Tum*, quia ex frequen-

Digitized by Google

quente pecuniarum contrectatione nimius ad eas naſcitur affectus. *Tum*, quia iis, quibus multa ineſt pecunia, terrena etiam multa ineſſe ſolent negotia, quibus ita ſe immergunt, ut Dei, ſuæque ſalutis obliviſcantur. *Tum*, quia ſicut qui tractat oleum, carbones, vel piſcem, inquinatur ab eis; ita qui tractat pecunias, ab iis inquinari ſolet. Et ideo dicit ſacra Scriptura. *Qui tetigeris picem, inquinabitur ab ea. Eccli. 13.* Sed ſi omnibus periculoſa ſit pecuniarum contrectatio, maxime campſoribus: *Tum* ob intentionem uſurariam, cum qua ſua ſæpe exercent officia. *Tum* ob lucra ipſis ratione cambii accedentia, quæ ſæpe accipiunt, vel cum nimio exceſſu, vel ſine juſto titulo. Iſtud autem eſt officium periculoſum, cui ante converſionem vacabat Matthæus, qui *in civitate Capharnaum, quæ eſt maritima, tenebat tabulam, ſive menſam cambii. S. Vinc. Ferr. ib.* Matthæus ergo ante converſionem ſedebat in telonio, ſeu *in menſa cambii*, ut explicat S. Vincentius Ferrerius; *ib.* Ibique ſedebat, inquit S. Petrus Chryſologus: *Quia non ſtare poterat, pondere cupiditatis oppreſſus. Chryſ. ſer. 29.* Ibi ſedebat: nec ſurgere poterat, niſi adjuvaret Jeſus. Ibi ſedebat; & cum ibi ſederet Matthæus, tranſivit Jeſus, qui illum vidit, illumque vocavit: *Cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi, ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.*

Chriſti, omnes Apoſtolos ad ſe trahentis, virtutem admiratur S. Joannes Chryſoſtomus, ſed Chriſti virtutem in Matthæi, quam in aliorum Apoſtolorum converſione magis eluxiſſe fatetur, quia tunc eum convertit, cum adhuc in telonio ſederet, & cum in periculoſo campſoris officio perſiſteret. *Monſtrat vocantis virtutem, quoniam non deſiſtentem a periculoſo officio, ex mediis ipſum evulſit malis.* At Matthæus non ſolum habebat campſoris officium, quod eſt periculoſum, *Sed etiam officium uſurarii, quod eſt criminoſum, & ex ſe malum.*

2. Uſura grave eſt peccatum, cum jure naturæ, jure divino, jure humano, tam Eccleſiaſtico, quam civili prohibeatur, uſuramque ita deteſtatur Eccleſia, ut uſurarios publicos excommunicet, ad Eccleſiaſtica beneficia inhabiles declaret, in loco ſacro ſepeliri vetet, aliiſque gravibus pœnis plectat. Matthæus autem, quaſi ex officio, uſurarius erat, uſuris enim pecunias fraudabat: *Erat fraudator pecuniæ.* Ille etiam lucris uſurariis multa patrabat crimina. *Lucrorum cumulabat peccata. Chryſ. ſerm. 30.* Et ut ait S. Vincentius Ferrerius: *Matthæus habebat officium criminoſum, quia erat uſurarius.*

Magna erat differentia Matthæum inter & alios Apoſtolos, quos Chriſtus elegit. Alii enim Apoſtoli erant pauperes, & Matthæus erat dives, e ii erant humiles piſcatores, qui ea quæ ad victum neceſſaria erant, manu & arte ſibi comparabant: Matthæus vero vir erat ditiſſimus, *lucris ſæculi onuſtus*, ut ait S. Petrus Chryſologus *ſerm. 28.* Et ſi ab eodem Chryſologo petas, quibus viis dives factus ſit S. Matthæus; reſpondebit. *Matthæum, de telonio divitem, de uſuris locupletem.* De uſuris quidem locuples erat, quia criminoſum uſurarii officium exercebat, & tali officio ditatus erat.

Matthæum autem, ex officio uſurarium, vocavit Chriſtus, dicens ei: *Sequere me.* Non ei pollicitus eſt Chriſtus, quod illum faceret Apoſtolum, piſcatorem hominum, Evangelii ſui prædicatorem, & totius Orbis Paſtorem, ſed ei ſolum imperiali voce dixit: *Sequere me.* Quaſi dicat: *Depone tanta fraudis onera: pondera cupiditatis, uſurarum molem, & ſequere me. Chryſ. ſer. 54.* Quo audito, Matthæus depoſita pecuniarum ſarcina, & dimiſſo ſceleroſo uſurarii officio ſecutus eſt Chriſtum. Nec ſolum Matthæus habebat officium uſurarii, quod erat criminoſum, *ſed habebat etiam officium collectoris jurium imperatoris, quod erat odioſum.*

3. Jurium Regiorum collectores plerumque odio habentur a populis, quia hi, poteſtate ſibi tradita, & officio quo funguntur abutentes, populos vexare ſolent, pauperes inique gravant, eoſque plus quam debeant, ſolvere cogunt. Odioſo autem hoc fungebatur officio Matthæus, qui *erat telonearius, colligens jura Imperatoris. S. Vinc. Ferr. ibid.* Unde de Matthæo dicitur, quod eſſet publicanus, & quod in telonio ſederet. De eo dicitur, quod eſſet publicanus, qui erat vectigalium publicorum exactor, & collector, ut enim ait venerabilis Beda: *Publicani vocantur hi, qui vectigalia publica exigunt.* De eo etiam dicitur, quod ſederet in telonio; ex quo patet, eum fuiſſe vectigalium & jurium Imperatoris collectorem, telos enim Grece, Latine idem eſt ac vectigal; & Matthæus ſedens ad telonium, nil aliud eſt, quam Matthæus ſedens *ad collectionem, curam, diſpenſationemque vectigalium*, ut exponit Doctor Angelicus.

Matthæus ergo *odioſo colligendi, & exigendi vectigalia fungebatur officio*, & tamen mox ut eum Chriſtus vocavit, *ſurgens ſecutus eſt eum. Petr. Dam. ſer. 49.* Non petiit a Chriſto facultatem inviſendi parentes, ut illis valediceret, licentiam non poſtulavit, temporaneum aliquod negotium prius perficiendi, vel Imperatorem adeundi, ut illi officii & negotiationis ſuæ rationem redderet: *Sed officii ſui rationes incompoſitas & imperfectas relinquens*, ut ait Sanctus Remigius *In cat. aur. Div. Thom. Matth. 9.* ſtatim & abſque ulla mora ſecutus eſt eum.

Miramini efficaciam vocationis Chriſti, miramini promptam obedientiam Matthæi, miramini hujus campſoris, uſurarii, & publicani converſionem, ſed & ſi hic homo, qui tam periculoſa, tam ſceleroſa, & tam odioſa exercebat officia, convertatur ad Dominum & ſalvetur, de veſtra converſione & ſalute nolite deſperare. Advertite, quod Matthæus in Evangelio a ſe ſcripto *ſe publicanum nominat ut oſtendat legentibus, nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora converſus ſit, cum ipſe de publicano in Apoſtolum ſit repente mutatus. S. Hier. cit. in cat. aur.* Quare quocumque fungamini officio, nolite de ſalute deſperare, ſed ſi officia exerceatis, quibus indigni eſtis, vel quæ vos ad multas injuſtitias, multaque ſcelera trahunt, ea abjicite, melius enim vobis erit hujuſmodi officia relinquere, quam in æternum damnari. Sed poſtquam locuti ſumus de officiis, quæ Matthæus ante converſionem exercuit: *de convivio, quod in converſione ſua Chriſto fecit, aliquantulum diſſeramus.*

SECUNDA PARS.

Convivium quod Chriſto fecit Matthæus.

MAtthæus, qui erat ditiſſimus, & lucris ſæculi onuſtus, Chriſto magnum fecit convivium, ad quod alios multos invitavit publicanos, ex quo Phariſæi occaſionem murmurandi ſumpſere: *Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua, & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes, & murmurabant Phariſæi. Luc.* 5. 29. De hoc autem convivio tria, ſcitu digna, explicabo: 1. Cur Matthæus hoc convivium fecerit. 2. Cur Chriſtus ei adfuerit: Cur Phariſæi murmuraverint.

1. Sicut qui ſtatum Religioſum amplectuntur, ut oſtendant, quanto gaudio valedicant mundo, terrena omnia relinquunt, & religioni ſua dent nomina, convivii cujuſdam ſpeciem facere ſolent, & nonnunquam magnam convivia faciunt, ita, inquit S. Vincentius Ferrerius, Chriſto & aliis magnum & magnificum fecit convivium Matthæus, ut manifeſtaret, ſe non ægre, ſed libere, hilariter, ac ſummo cum gaudio terrenis abrenuntiare, & Chriſti Salvatoris obſequio ſe conſecrare.

Alia ratio, qua Matthæus ad convivium Chriſto faciendum adducitur, eſt, ut Chriſti affectum, & benevolentiam ſibi conciliet. Qui enim antea Magnatum ſæculi amorem ſibi conciliare curaverat, jam a Chriſto ſolum amari deſiderat, & ideo ut ejus benevolentiam acquirat, eum convivio excipit. Ac ut loquitur Chryſologus; *Suſcipit ſuſceptorem ſuum, Paſtorem ſuum paſcit, ut cibi & potus fœnore debitorem ſuum ſibi faciat & acquirat. Chryſol. ſerm.* 54.

Alia & potiſſima ratio, qua ad convivium Chriſto faciendum motus eſt Matthæus, fuit, ut Chriſtus in hoc convivio alios publicanos, qui invitati erant, converteret; hæc erat Matthæi intentio, hic finis quem ſibi propoſuerat: *Intentio beati Matthæi fuit, ut illi etiam converterentur. S. Vincent. ibid.* Sic ratiocinabatur Matthæus, ſi Chriſtus me convertit, licet Publicanus eſſem, multiſque ſæculi negotiis involutus, ita & convertet illos. Quare magnum convivium fecit, ad quod Chriſtum & Publicanos invitavit, ut in hoc convivio Chriſtus illos converteret.

2. Ecce cur Chriſto convivium fecit Matthæus; ſed cur Chriſtus, qui crebris jejuniis carnem ſuam affligere ſolitus erat, feſtivo Matthæi voluit adeſſe convivio? Cur Salvator, qui carnem noſtram crucifigere docuit, voluit magno adeſſe convivio, ubi non crucifigitur, ſed fovetur, & delicate nutritur caro?

Scio, ſuperbos Phariſæos temere judicaſſe, quod Chriſtus illi adſtiterit convivio, ut exquiſitis cibis ventrem impleret, & ut abdomini ſatisfaceret: *Phariſæus prandium Dominicum putat, non virtutis eſſe, ſed ventris: non ſpiritus, ſed carnis: non divinæ bonitatis, ſed voluptatis humanæ, terreni luxus, non gratiæ cæleſtis. Chryſol. ſerm.* 30. At abſit, talia cogitare de Chriſto, qui ſemper ob fines ſanctos & ſupernaturales operabatur. Et ſi credamus Chryſologo, Chriſtus huic non adfuit convivio, ut opipare epularetur, ſed ut teſtaretur, ſe gaudere de reditu, & converſione Matthæi, qui multis negotiis temporalibus, pluribuſque peccatis erat irretitus: *Chriſtus epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatoris. Chryſol. ſerm.* 29. Si fidem adhibeamus Chryſoſtomo, huic convivio non adſtitit Chriſtus: ut ventri conſuleret, ſed ut majorem fiduciam præſtaret Matthæo: *Vocatum autem Levi Dominus honoravit, dum cum eo confeſtim epulatur. Hoc enim ei majorem præſtabat fiduciam. S. Chryſoſt. in cat. aur. Luc.* 5.

Addamus, quod huic convivio adfuerit Chriſtus, ut ibi occaſionem ſumeret monendi, corripiendi, erudiendi & convertendi alios Publicanos, qui erant invitati; & revera illos convertit. Ut enim ait Theophylactus: *Alios Publicanos, cum quibus convivabatur, lucratus eſt Dominus: nam propterea illorum conviva fit, ut illos attrahat. Theophyl. in cap.* 5. *Luc.* Ecce cur Matthæi convivio adfuerit Chriſtus. Viſo autem fine, quo ad tale convivium ductus eſt Salvator, inquiramus, cur murmuraverint Phariſæi.

3. Circa finem convivii, ut advertit S. Vincentius Ferrerius, cum januæ domus Sancti Matthæi eſſent apertæ, & quidam ex Chriſti Diſcipulis circa portam comederent, acceſſerunt ad eos Phariſæi murmurantes. *Murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum dicentes ad Diſcipulos ejus: quare cum publicanis & peccatoribus manducatis, & bibitis? Luc.* 5. Cur ſic murmurabant Phariſæi? Videtur, quod murmuraverint, ob duos malos & peſſimos fines.

Primo enim murmurabant, ut Diſcipulos a Chriſto averterent. *Phariſæi, volentes Diſcipulos a Chriſto avellere, accuſabant publicanorum convivium. Theophyl. in cap.* 8. *Matth.* Et revera hunc fuiſſe finem a Phariſæis intentum, patet ex ipſis verbis Phariſæorum, qui coram Diſcipulis murmurantes, dicebant eis: *quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis:* Quaſi dicant: cur adhæretis Chriſto tanquam Meſſiæ, & quaſi homini a Deo miſſo ad ſalutem populorum; cum videatis, illum conviviis adſtare, ac cum publicanis & peccatoribus manducare? Certe illi valedicere, & ad propria redire debetis. Ecce quid ſuis murmuribus intendebant Phariſæi: ecce primum finem quem in mente habebant.

Secundo, murmurabant Phariſæi: quia tanta eorum erat invidia, ut ferre non poſſent, quod viri uſurarii, & publicani cælum raperent. *Invidia accendebantur: eo quod uſura, quæ vaſtabat terram, tollebatur ad cælum, Chryſol. ſerm.* 28. videbantur Phariſæi vero zelo ſuccenſi, cum murmurantes dicebant; cur Chriſtus & Diſcipuli ejus cum publicanis & peccatoribus manducarent? At non igne veri zeli, ſed igne invidiæ exardeſcebant. Invidebant Chriſto, & invidebant iis qui convertebantur: *Invidebant Chriſto*, qui ubique, etiam in ipſis conviviis peccatores ad ſe trahebat, & ad eum convertebat. *Invidebant*, publicanis, & peccatoribus, eo quod ad Deum converterentur, & cælum raperent. Ecce quæ de Matthæi convivio dicenda judicavimus. Sed poſtquam de Matthæi convivio locuti ſumus, finem huic orationi faciamus, *aliquantulum*

diffe-

diſſerendo de dignitatibus, quibus Matthæus poſt converſionem floruit.

TERTIA PARS.

Eminentes dignitates, quas poſt converſionem Matthæus in Eccleſia obtinuit.

MAgnus poſt converſionem ſuam fuit S. Matthæus, & magnæ fuerunt dignitates, quas in Eccleſia obtinuit. Fuit enim Apoſtolus, Evangeliſta & Martyr: 1. *Fuit Apoſtolus*, & inter Apoſtolos zelantiſſimus; 2. *Fuit Evangeliſta*, & inter Evangeliſtas primus; 3. *Fuit Martyr*, & inter Martyres generoſiſſimus.

1. Chriſtus, qui de lapidibus ſuſcitare poterat filios Abrahæ, Matthæum publicanum campſorem, & cambiis uſurariis deditum, unico intuitu, & duobus verbis in Apoſtolum immutavit. Vocanti enim Chriſto, neque obſtitit, neque vacillavit Matthæus; ſed protinus obtemperavit: cumque audivit Chriſtum dicentem: *Sequere me*, ſtatim, *relictis omnibus, ſurgens, ſecutus eſt eum*. Ac qui antea ut peccator inſpiciebatur, ad dignitatem Apoſtolicam evectus, & Apoſtolorum Collegio eſt aggregatus.

Ecce Matthæum ad Apoſtolicam dignitatem ſublimatum; ſed & inter Apoſtolos fuit zelantiſſimus, ſummoque zelo Apoſtolica munia obivit. Poſtquam enim in die Pentecoſtes Spiritus Sanctus in linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendit, ipſi diviſerunt ſibi totum terrarum Orbem, & cuique aliqua contigit mundi pars, in qua Chriſti fidem prædicaret. Matthæus autem zeli, & Spiritus Sancti igne ſuccenſus, primo Parthos adiit, ubi tot erant Barbari, quot homines; deinde Palæſtinæ cunctas peragravit regiones, in quibus gravia perpeſſus, & ardua pro animarum ſalute operatus eſt. In Æthiopiam poſtea ſe contulit, zeloque ſemper accenſus Apoſtolico, ibi prædicationibus, præclaris vitæ exemplis, & miraculis quæ operatus eſt, multas gentes convertit ad Chriſtum. Nec hic ſtetit Apoſtoli Matthæi zelus; in Ægypto enim & Meſopotamia prædicavit, totque nationes peragravit, ut univerſum mundum ſuis virtutibus, ſuiſque concionibus illuſtraſſe videatur: *Matthæus totum Orbem ſplendore Evangelicæ Prædicationis irradiat. Chryſol. ſer.* 30. Ecce Apoſtolum zelantiſſimum: ſed Matthæus fuit etiam Evangeliſta, *& inter Evangeliſtas primus*.

2. Matthæus haud dubie fuit primus Evangeliſtarum, ratione temporis, quo Evangelium ſcripſit: Ut enim ait Theophylactus: *Matthæus omnium primus ſcripſit Evangelium Hebraico idiomate, ad eos qui ex Hebræis crediderant, poſt octo annos aſſumpti in cælos Chriſti; Marcus poſt decem annos aſſumpti in cælos Chriſti, ex ore Petri edoctus, ſcripſit: Lucas autem poſt quindecim annos, denique Joannes poſt triginta duos annos. Theoph. præfat. in Matth.* Matthæus ergo fuit Evangeliſtarum primus, ratione temporis, quo ſcripſit Evangelium. Sed in eo etiam, reſpectu aliorum Evangeliſtarum, fuit quædam præcellentia, & quidam primatus dignitatis: *Quem cæteris novimus in ſcribendo Evangelio primum, non ambigimus, inter eos illi fuiſſe cujuſdam privilegii primatum. Petr. Dam.* Lucam quidem & Marcum dignitate præceſſit Matthæus: quia illi non fuere Apoſtoli, & ipſe fuit Apoſtolus. Joannem etiam Evangeliſtam dignitate prævivit: quia iſte Martyr non fuit: Matthæus vero Evangelium quod ſcripſit, ſanguine ſuo purpuravit, & martyrio confirmavit. Ac proinde Matthæus alios Evangeliſtas aliquo modo dignitate prævivit: *eſtque Evangeliſta Evangeliſtarum, qui Dux, & præceſſor, ac primus omnium reperitur. Petr. Dam. ſerm.* 50.

Hunc Matthæi ſupra alios Evangeliſtas primatum egregia ſimilitudine explicat eminentiſſimus Cardinalis Petrus Damianus: qui quatuor Evangeliſtas conferens cum quatuor illis fluminibus, quæ ex terreſtri Paradiſo ſuam ducunt originem; Matthæum per fluvium Phiſon, qui eſt omnium primus, & a quo aurum puriſſimum oritur, repræſentari aſſerit: *Sicut Phiſon primus eſt fluviorum de Paradiſi fonte procedentium, ita Matthæus inter reliquos Evangeliſtas primum obtinet locum*. Matthæus ergo fuit inter Evangeliſtas primus: *Sed fuit etiam Martyr, & inter Martyres generoſiſſimus*.

3. Iphigeniam, Egipii Regis Æthiopum filiam, ſacro Baptiſmatis lavacro initiavit, & ad emittendum virginitatis votum adduxit Matthæus. Quod ægre tulit Hirtacus Rex, Egipii ſucceſſor, qui eam in uxorem ſumere ambiebat; cumque ſacrilegum cum ea matrimonium inire pertentaſſet, deſiderium ejus improbavit Matthæus, & ſanctam Virginem Iphigeniam ad ſervandum virginitatis votum generoſe hortatus eſt, quare Hirtacus, furore exardeſcens, Matthæum, ſacra facientem, occidi curavit. Unde a Petro Damiano Matthæus vocatur *virginitatis victima*; quia ſcilicet occiſus eſt, eo quod Iphigeniam ad virginitatem ſervandam adduxerit.

Occiſus fuit S. Joannes Baptiſta: quia adverſus Herodis luxuriam declamavit, & Matthæus, dum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium Deo offerret, impii Regis mandato, occiſus eſt, eo quod Iphigeniam ad perſeverandum in ſtatu virginitatis hortatus ſit. Quare triplex Deo ſimul ſacrificium obtulit Matthæus; virginitatis, ſcilicet, corporis Chriſti, & proprii corporis. Virginitatis Deo obtulit ſacrificium, cum fuerit virginitatis victima: ei obtulit ſacrificium corporis Chriſti, cum ſacrilega confoſſus fuerit lancea eo tempore, quo ſacrum Miſſæ ſacrificium celebrabat; ei proprii corporis ſacrificium obtulit, quia dum tyranni ei mortem inferebant, ipſe proprium corpus, propriamque vitam Deo voluntarie, & generoſe immolabat, ac ſemetipſum Deo in ſacrificium offerebat. Unde Matthæus, non Apoſtoli ſolum & Evangeliſtæ, ſed etiam Martyris dignitatem & gloriam obtinuit.

Attendite nunc & ſerio Matthæum ante converſionem, in converſione, & poſt converſionem ejus conſiderate. Matthæus, licet ante converſionem ſuam periculoſis, ſceleroſis, & odioſis officiis incubuerit, ad Chriſtum tamen ſe convertit, & ſanctus factus eſt: quare confidite in Domino; de veſtra non deſperetis ſalute: ſed quantumvis & mundo, & peccatis addicti ſitis, certi eſtote, Deum vobis fore propitium, ſi delictis valedicere, & pœnitentiam agere velitis.

Matthæus in converſione convivium Chriſto fecit. Con-

Digitized by Google

Convertimini ad Chriſtum, inſtar Matthæi; convertimini ad eum in toto corde veſtro: & grande ei parate convivium, non ex materialibus cibis concinnatum, ſed puritatis liliis, & aliarum virtutum fructibus compactum. Quia, ut ait S. Bernardus: *Ipſe dicitur paſci inter lilia candida, & odore virtutum delectari. S. Bernard. in Cant.*

Sanctus Matthæus poſt converſionem, factus eſt inter Apoſtolos zelantiſſimus, inter Evangeliſtas primus, & inter Martyres generoſiſſimus. Miramini has dignitates, quas in gradu perfectiſſimo poſſedit Matthæus: & ſi ad tantas dignitates aſpirare non poſſitis: ſaltem ad Chriſtianiſmi perfectionem anhelate, & in perfectos Chriſtianos mutari contendite.

Heu! quid vobis proderit præclaro hominis Chriſtiani nomine inſigniri, ſi ſanctis operibus chriſtianæ religionis perfectionem non aſſequamini? Quid proderit, aliud profiteri, & aliud agere? Quid proderit, Chriſtianum eſſe nomine, & moribus Chriſtianum non eſſe? Certe nihil proderit. Quare hortor & obſecro vos, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ. 4. 1.* Cum vos Deus ad Chriſtianiſmum vocaverit, vivite ut Chriſtiani, & ad chriſtianam perfectionem pervenire contendite: dabitque Deus gratiam in hoc mundo, & æternam beatitudinem in cælo. *Amen.*

DE SANCTIS
COSMA ET DAMIANO.
CONCIO UNICA.

Honora Medicum. Eccli. 38. 1.

QUi omnium artium & ſcientiarum originem ſtudioſe inquiſierunt, medicinam non aliunde quam e cælo prodiiſſe confeſſi ſunt. Inventor illius eſt Deus, qui cum omnium malorum naturæ curator eſſe voluerit, voluit medici perſonam gerere; artemque, qua ſanari poſſent, homines docere. Per ſe ſolum, ſine ullo creaturarum concurſu, infirmitates noſtras ſæpe curat; ſed ſæpe etiam, quaſi ad tantum miniſterium ipſe minus ſufficiens eſſet, terrenos medicos, veluti coadjutores, ad curandas mortalium infirmitates advocat. Nec plebejos ſolum ad tantum munus vocatos eſſe credas, multi enim Pontifices, Reges plurimi, Angeli, & ipſe Chriſtus, medici nomen & munia gerere non dedignati ſunt. Nec vile quid arbitreris, hoc fungi munere: quid enim excellentius; quam diros infirmitatum ſopire dolores, inordinatos corporis humores componere, oppreſſam adjuvare naturam, priſtinas vires infirmo reſtituere, & animam exire paratam in corpore detinere? Quid mirabilius, quam ægrotis ſanitatem conferre, quam a mox morituris mortem propulſare, quam homines quaſi a ſepulchro eruere? ac arte ſua facere, ut qui jam inter homines vivere deſinebant, de novo homines fiant, & cum hominibus vivere & verſari perſeverent?

Hæ & aliæ his ſimiles artis medicæ operationes, Clementi Alexandrino ita portentoſæ viſæ ſunt; ut medicos, a quibus fiunt, deos vocaverit; *Et medici in ſæclis, qui hominum terreſtribus inſunt; hinc exiſtunt dii. Clemens Alex. 4. Strom.* Sanctos tamen Coſmam & Damianum non dicam deos, quia medicos; ſed ex arte medica, qua in toto orbe famoſi extitere, eorum elogia elicere, voſque ad illis debitum honorem impendendum allicere conabor. *Honora medicum.* Sed prius, &c. *Ave.*

UT hominum oculis veram perfecti medici effigiem objicerent antiqui, penicillo delineare ſoliti erant venerandum ſenem, albam gerentem barbam, præclara redimitum corona, a dextris habentem gallum gallinaceum, & a ſiniſtris canem, inter quos medius cernebatur ſerpens. *Corona*, qua redimitus erat ille ſenex, indicabat, medicis non ſecus ac Regibus obtemperandum. *Barba ejus alba*, ſignificabat, medicum ſine longo uſu, & diuturno experientia peritum eſſe non poſſe. *Gallus, Canis & ſerpens* denotabant, verum medicum, galli vigilantia, fidelitate canis, & ſerpentis prudentia pollere debere.

En quidem pulchram perfecti medici ideam; pulchriorem tamen, & meo quidem judicio, excellentiorem in duobus Sanctis quorum hodie feſtivitate gaudemus, boni medici expreſſam imaginem videmus. Hi etenim perfectiſſima artis medicæ ſunt exemplaria, quibus tres potiſſimæ Chriſtiani & abſoluti medici inſuere qualitates, ſcientia ſcilicet, charitas, & pietas. Sanctorum horum medicorum intellectus infuſa fuit ſcientia illuſtratus, manus eorum ardentiſſimæ charitatis operibus fuere fœcundæ, & eorum corda altiſſimæ in Deum pietati fuere conſecrata. Videamus, quæſo, quam eminens eorum fuerit ſcientia, quam ardens charitas, quam admirabilis pietas. Aut ut meam melius mentem explicem, dicamus, ſanctos Coſmam & Damianum fuiſſe medicos: 1. Doctrina fulgentes: 2. Charitate ardentes: 3. Pietate inſignes.

PRIMA PARS.

Sancti Coſmas & Damianus fuere medici doctrina fulgentes.

CUm medicina ſit ars nobiliſſima, a Deo hominibus ad illorum ſolatium data, nullus homo, ſi ſapiens ſit & prudens, eam deſpiciet & contemptui habebit. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Eccli. 38.* Dicam tamen, cum bona pace medicorum, quos ut Doctores, Reipublicæ neceſſarios, veneror; medicinam quæ in ſe perſpicax eſt, & hominum æſtimatione digna, cæcam ſæpe eſſe, & vilem; in iis qui illam profitentur; quia hi ſæpe ita cæci ſunt & ignari, ut ex infirmis curæ illorum demandatis, plures occidant: paucoſque ſanent, & priſtinæ ſanitati reſtituant. Ignaros hujuſmodi medicos hæreticos vocat Clemens Alexandrinus. *Sunt in medicina hæreſes. Clem. Alex. 7. Strom.* Hi autem ſunt hæretici, non in fide, ſed in arte medicinæ, in qua ſæpe ob ignorantiam ſuam graviter errant; & infirmis graviſſime nocent.

In hujuſmodi hæreſes non inciderunt Sancti Coſmas

mas & Damianus; in arte medica hi non erraverunt, cum cæleſti lumine illuſtrati illam exercuerint. Errare non poterant hi medici, cum ſcientia non tam laboribus multis comparata, quam cælitus infuſa infirmos curarent; *Hi non ſcientia acquiſita, quam Dei gratia ægrotos curabant. S. Thom. a Villan. ſerm. de Sanctis Coſma & Damian.* Sanctorum illorum medicorum ingenium erat quaſi cælum, in quo duplex lucebat luminare, majus ſcilicet, & minus: notiones quas ſtudio acquiſierant, erant *luminare minus*, & hæ quas per divinam infuſionem acceperant, erant *luminare majus*. Duplici autem hoc illuſtrati lumine, in arte medica doctiſſimi erant, & peritiſſimi, nullus in eorum mentibus error irrepſerat, nullaque hæreſis: ſed medicinæ principia, morborum naturam, & remedia ad morbos quoslibet curandos idonea ita perfecte norant, ut innumeros infirmos curarent.

Plus cavendum a medico, quam a morbo, inquit Chryſoſtomus. Quod ſane intelligendum de medicis ignaris, qui plus timendi ſunt, quam ipſi morbi; quia hujuſmodi medici occidere ſolent, & impune occidunt infirmos, ad quos curandos vocati erant. Hi ſunt, de quibus dici ſolet, *Soli medico & advocato occidere licet impune*. Hi ſunt, qui infirmitates augent, quas tollere debuerunt & qui mortem inferunt his, a quibus pecunias accipiunt, ut vitam prorogent. Hi uno *recipe*, ſeu, uno præſcripto, contra rectas artis regulas dato, ad manes mittunt hæredem ditiſſimum, famoſiſſimum Doctorem, publicæ rei adminiſtratorem, Ducem, Principem, Regem, aut aliam cujuſvis conditionis perſonam. Ab ignaris hiſce medicis plus ſane cavendum, quam a morbis: ſed non timendi qui docti ſunt, quales dicam, eos qui benevolum jam mihi præbent auditum, quos ſcimus doctoratus laurea eſſe inſignitos, & qui digni ſunt, qui ab hominibus æſtimentur, & ab infirmis in auxilium vocentur. Sed quid de ſanctiſſimis medicis Coſma & Damiano? Iſti non fuerunt medici ignari, a quibus cavendum; ſed ob infuſam quam a Deo acceperant, infirmos curandi artem, ab omnibus deſiderabantur, & vocabantur; tantaque eorum erat peritia, tanta in curandis infirmis dexteritas, ut ad ſe venientes undequaque infirmos facillime curarent, & priſtinæ ſanitati reſtituerent.

Non errabant iſti medici operationibus ſuis: quia ſcientia divinitus infuſa erant irradiati. Unde Sanctos illos conferre poſſumus cum Raphaele Archangelo, qui vocatur Dei medicina: *Raphael medicina Dei*. Sanctus ille Archangelus non vocatur medicus; ed *medicina*: quia medicina eſt ex ſe perſpicax & infallibilis: medici vero ſunt erroribus obnoxii. Non vocatur etiam Raphael medicina hominum, ſed *medicina Dei*: quia homines falluntur ſæpe in medicinæ uſu & exercitio: Deus vero nec in hoc, nec in re quacumque falli poteſt. Quod & dici poteſt de Sanctis Coſma & Damiano: hi etenim erant quaſi ipſa medicina, & erant Dei medicina: quia hæc eis a Deo ars ita fuerat infuſa, ut in curandis infirmis non fallerentur.

Licet hominum corda ſolus Deus ſcrutari valeat; & licet ipſe ſolus perfecte cognoſcat abſcondita cordium; Angeli tamen per illationes & per conjecturas in cognitione nonnunquam veniunt eorum quæ homo corde verſaverit; & hoc norunt, vel per ſpecies ſenſibiles, quas in hominum imaginatione concitari advertunt, vel ex variis morbis, quos in eorum appetitu fieri adnotant, ex quibus probabiliter, & conjecturaliter inferunt, quæ ſint cogitationes liberæ cordis eorum. Unde, reſpectu cordis humani, Angelorum ſcientia eſt ſolummodo conjecturalis. Et hujuſmodi eſt etiam ſcientia medicorum, reſpectu infirmorum; ſicut Angeli corda hominum; ita & medici infirmitates hominum per conjectiones agnoſcunt. Verum eſt, quod in medicina, ſicut in aliis ſcientiis & artibus, aliqua ſunt prima principia evidentia & infallibilia, ſed omnia alia in opinione verſantur, & in praxi omnes fere medicorum ratiocinationes in conjecturis fundantur. Unde enim cognoſcunt medici, aliquem hoc vel illo morbo laborare, niſi ex arteriæ pulſu, ex colore vultus, ex linguæ ſiccitate, & externis aliis ſymptomatibus, quæ ſæpe fallacia ſunt, & in errorem inducunt medicos, qui ex exterioribus his ſignis de morborum natura & remediis adhibendis conjectantur, ſæpiſſime falluntur? Sed illuſtres duo medici, quorum hodie memoriam facimus, hujuſmodi erroribus non erant obnoxii, altioribus enim regebantur principiis, cæleſtibus irradiabantur luminibus, ac ſcientia ita infallibili & evidente illuſtrabatur intellectus illorum, ut omnis generis morbos, quantumvis ex natura ſua inſanabiles, facile curarent. Infuſa hac ſcientia maximos quoſque febris ardores mitigare & ſiſtere noverant, hac ſcientia illuſtrati, acutiſſimos quoſque calculi, dentium & podagræ dolores ſopire ſciebant: hac ſcientia claudis incedendi facultatem, cæcis viſum, mutis loquelæ uſum, & infirmis quibuſque perfectam ſanitatem conferebant: hac irradiati ſcientia homines gravibus, periculoſis & deſperatis morbis affectos, ſanos faciebant. O quam docti fuere hi ſancti! ſed ſi hi fuere medici doctrina fulgentes, *hi fuere etiam medici charitate ardentes*.

SECUNDA PARS.

Sancti Coſmas & Damianus fuere Medici charitate ardentes.

MUlti ob ſolam curioſitatem, multi ob vanitatem, & multi ob avaritiam ſcire deſiderant, pauci vero, ut ſcientia ſua utantur ad charitatis opera in proximum exercenda: ſcientia tamen ſine charitate, aut nullius, aut modici valoris eſt. Velim, ut tanta polleas ſcientia, quanta Prophetæ & Angeli, velim, omnia te fidei myſteria noſſe, teque omnem penitus ſcientiam poſſidere, ſi ſimul cum ſcientia charitatem non habeas, omnis tua ſcientia aut nihil, aut parum tibi proderit. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero propheſiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 1. *Cor.* 13. 1.

Quid profuit Lucifero ſumma, qua illuſtratus fuit, ſcientia? Quid aliis dæmonibus profuit, altiſſimas de divinitate habuiſſe notiones? quid Plato-

ni,

ni, quid Ariſtoteli, quid innumetis aliis Gentilibus profuit, ſcientia ſua totum terrarum orbem illuſtraſſe? Sed quid Sanctis Coſmæ & Damiano artem medicam perfectiſſime ſcire profuiſſet, ſi ſimul cum ſcientia charitatem non habuiſſent? Ad nihilum quidem eis profuiſſet illa ſcientia. At plurimum eis profuit, artem medicam callere: quia ſimul cum ſcientia charitatem habuere, fuere etenim medici non ſolum ſcientia illuſtres, ſed etiam charitate ferventes. Proximum non diligebant ſolum verbo & lingua, ſed opere & veritate, quia continue circuibant ut infirmos ſanarent, eorumque infirmitatibus curandis idonea remedia adhiberent. Nec ſpes lucri eos ad curandos infirmos alliciebat; ſed charitas illa, *quæ non quærit quæ ſua ſunt. 1. Cor. 13. 3.* Non enim mercedem ſibi juſte debitam ab infirmis exigebant, quin contra facultates ſuas iis erogabant quos priſtinæ ſanitati reſtituerant: & quaſi mercedem dabant iis, a quibus mercedem juſte poſtulare & recipere potuiſſent.

Medici ſunt operarii mercede magna digniſſimi, nilque æquitati & juſtitiæ magis conſonum, quam quod mercedem iis tribuamus, qui ſanitatem nobis conferunt, & a mortis faucibus nos ſæpe eripiunt. Hi ſcientiam, quam in curandis infirmis adhibent, care emeunt: quot enim vigiliis eam compararunt? Quot noctes inſomnes duxerunt, ut eam acquirerent? Quot libros non voraverunt? Quot auctores non perlegerunt? Quot pecunias non inſumpſerunt, ut in arte ſua periti fierent? Sed o quam multos in ſuæ artis exercitio labores obeunt? Nonne ſæpiſſime, cum quieſcendi tempus advenit, ipſos rura petere neceſſe eſt? Nonne ſede excitantur, & ad infirmorum ſubſidium vocantur, cum vix ſomno indulgere cœperunt? Nonne multoties cum gravi vitæ ſuæ periculo xenodochia, & aliorum infirmorum domos luſtrant, ac ſi ſic loqui fas ſit, inter excrementa eorum volutantur, ut iis ſanitatem conferant? Hæc quidem mercede magna digna ſunt; ſed & ſatis amplam eis mercedem nunquam dare poſſemus; eo ipſo ſolum quod nobis conferant ſanitatem, qua nihil magis ab hominibus æſtimari ſolet. Si quis centum nobis dediſſet nummos, ejus liberalitas ſatis compenſari poſſet, tribuendo ei aliquid centum nummis æquivalens; ſed non ſatis compenſari poſſunt medici, cum nobis conferant ſanitatem, quæ terrenis omnibus divitiis antecellit. Accipite ergo, o Sancti Coſma & Damiane; accipite mercedem vobis jure merito debitam: ab infirmis quos curaſtis exigite, ut medicamenta curationi eorum adhibita ſolvant; perite a claudis, mutis, cæcis, febricitantibus, & aliis infirmis, quibus ſanitatem reddidiſtis, ut pro expenſis pro iis factis, & labori ad eos ſublevandos inito ſatisfaciant. Abſit a viris tanta ſanctitate præditis, ut ſpe mercedis temporaneæ operentur: nullus in eis avaritiæ turpis lucri affectus erat; ſolus in eis illuceſcebat charitatis ſpiritus; ea ardebant charitate, quæ *non quærit quæ ſua ſunt:* Immo altior & ardentior eorum erat charitas: quia non ſolum non inquirebant quæ eis juſte debita erant: verum & infirmis quos ſanaverant, propria largiebantur, eoſque ex charitatis motivo ſolvebant, a quibus ipſos ſolvi æquitas poſtulabat. O præcellentem illorum Sanctorum charitatem!

Scitis, Chriſtum in hunc mundum veniſſe, ut medici fungeretur officio, illumque doctiſſimum & peritiſſimum fuiſſe medicum, qui infirmos quoſque facillime ſanabat. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Luc. 6.* Ut autem adnotat S. Baſilius Seleucienſis, magnus ille medicus artis medicæ operam dedit, non ſpe lucri, ſed ex ſolo charitatis motivo: *Non ſpe mercedis, contra morbos armatus. Sanctus Baſilius orat. 35.* Divinus ille medicus in mirandis infirmorum curationibus quas faciebat, & in omnibus ſuis operibus Patris æterni gloriam, & proximi ſalutem ſolum quærebat; non turpis lucri cauſa; ſed ex ſolo charitatis motivo operabatur. Hic erat finis unicus ſuarum actionum, hic terminus ad quem ſpectabat Chriſtus; & hic erat etiam finis & terminus unicus, quem in ſuis operationibus ſibi proponebant Sancti Coſmas & Damianus. Non ſanabant infirmos, ut ab iis mercedem acciperent; quin contra, charitatis igne ardentes, ita propria pauperibus & infirmis largiebantur, ut nil ſibi retinerent, omnibuſque ſe facultatibus ſpoliarent. Noverant illuſtres illi Sancti, quod (habent medici unde valde proficiant, ſi pauperes curent cum charitate, & ſollicite eos viſitent, & conſolentur; ac gratiam dedit eis Dominus curandi, & ſapientiam in eos exerceant. Nec ſolum hoc, ſed etiam quod a divitibus accipiunt, conferant ſaltem ex parte egentibus.) *S. Thom. a Villanova ſerm. de SS. Coſma & Dam.* Hoc probe noverant Sancti Coſmas & Damianus; & ideo ex ſolo charitatis motivo ægrotos ſanantes, ab eis mercedem non exigebant; & ſua omnia illis diſtribuebant.

O mirabiles, & æterna laude digni medici! Sed ubi inveniemus, qui eos imitentur? Ubi, qui tanta ardeant charitate, quanta Sancti illi quorum hodie ſolemnitate lætamur? Ubi, qui ex ſolo charitatis motivo infirmorum curæ ſe dedant? Ubi, qui ſaltem pauperes ægrotos gratis inviſant, & curare ſatagant? Scio, medicos eſſe operarios mercede ſua dignos: ſcio etiam, eos juſte mercedem accipere a divitibus; ſed optarem, ut pauperibus ex unico fraternæ charitatis motivo inſervirent. O quam ſuave erit medicis, qui gratis pauperibus ſuas operas impenderunt, cum in tremendo judicii die eos Chriſtus laudabit, eo quod ipſum in pauperibus viſitaverint & curaverint! *Infirmus eram & viſitaſtis me. Matth. 25.* Non hoc dicet medicis, qui turpis lucri cauſa & mercedis ſpe pauperes inviſerunt; ſed iis dumtaxat qui eos ex charitatis motivo viſitarunt; illos laudabit, ad dexteram ſuam collocabit, & ad cæleſtem beatitudinem vocabit. Illis dicet; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi; ibid.* illoſque ſimul cum Sanctis Coſma & Damiano, ad cæli ſedes ſublimabit. O quam felices tunc medici, qui gratis & ex ſolo charitatis motivo infirmis pauperibus ſubvenerint! O quam felices, qui in hoc mundo fuerint charitate ardentes, ſicut Sancti Coſmas & Damianus! Qui *fuere etiam medici pietate inſignes.*

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

Sancti Coſmas & Damianus fuere Medici pietate inſignes.

PLurimi haud dubie inveniuntur medici, qui ſimul ſcientia florent & pietate, ſed hoc in primis repertum eſt in illuſtribus medicis Coſma & Damiano; qui quidem erant ſcientia ſua illuſtres; ſed & erant miranda pietate inſignes; non ſolum quia ex ſolo charitatis motivo ſanitati infirmi procurandæ ſedulo incumbebant, ſed etiam quia non minus animarum, quam corporum ſaluti invigilabant, *eranique animarum potius medici quam corporum, prædicatores potius quam curatores. S. Th. a Villanova ib.*

Non erant hi ſimiles hujuſmodi medicis, qui de animarum jactura parum ſunt ſolliciti, modo corporum ſaluti conſulant. Maligni hi medici de ſanitate bene valentibus ſervanda, & infirmis danda ſolummodo curant: hoc unum intendunt; hic unicus finis quem ſibi proponunt; ad quem obtinendum, multa nonnunquam animarum ſaluti noxia præſcribunt, aut fieri tolerant. Non curant de his quæ Deus & Eccleſia ad animarum ſalutem jubent: ſed de his quæ corporum ſanitati congruunt, & ideo, vel ut hominibus placeant, vel ut infirmos curent, nimia cum indulgentia carnes diebus prohibitis comedere permittunt: *a jejunio revocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt, D. Amb. in Pſal.* 118. Immo & a via ſalutis avertunt. Non ſic autem S. Coſmas & Damianus: de animarum enim magis, quam de corporum ſalute erant ſolliciti: *Et occaſione medicinæ, dum corpora medicamine curabant, animas potius ſalutari verbo vivificabant. S. Th. a Villan. ibid.* Cum infirmos inviſebant, iis ſe omnium virtutum exemplaria præbebant: iiſque ſuggerebant, terrena omnia nullius eſſe momenti, ſoli Deo ſerviendum, orationi ſedulo vacandum, ac propriæ ſaluti continue vigilandum. Inſtabant, arguebant, obſecrabant, ac omnibus modis infirmos ad ſalutis viam dirigere conabantur: tuncque ſe feliciſſimos cenſebant, cum peccatorem aliquem a viis ſuis peſſimis averterant, & ad Deum converterant.

Hoc ſancti duo illi medici in Arabia agebant, quod olim in Judæa Chriſtus fecerat. Scitis, Chriſtum Dominum in Judæa medici functum officio: ibi divinam hanc exercebat artem, quam de cælo tulerat; ſed ibi animarum ſimul & corporum erat medicus, cumque infirmorum curationi incumbebat, eos quoad corpus & quoad animam ſanare ſolitus erat. Cum infirmo ſanitatem conferebat, identidem eum ad Deum convertebat; cum infirmitatem ab alicujus infirmi corpore expellebat, identidem peccatum ab ejus anima fugabat; & ſic totum hominem, quoad corpus, ſcilicet, & quoad animam ſanum faciebat: *totum hominem ſanum feci. Joann.* 23. 7. Eodem prorſus modo Sancti Coſmas & Damianus erga infirmos ſe habebant eodem ſucceſſi zelo quo Chriſtus, eum in curationibus ſuis imitabantur; tanta eorum erat pietas, ut animarum magis quam corporum ſaluti invigilarent, & ideo cum infirmis medicamenta præbebant, dabant & eis documenta ſalutis, curabant eos quoad corpus & quoad animam, ſic totum hominem ſanum faciebant: *Dum corpora medicamine curabant, animas potius ſalutari verbo vivificabant, & ſic totum hominem ſanum reddebant. S. Thom. a Villan. ib.* Ita pii erant, ut ex arte medica, quam exercebant, infirmis de Dei bonitate, & æterna beatitudine, & de aliis chriſtianæ religionis myſteriis loquendi occaſionem ſumerent. Iis dicebant, inanes illos deos quos colebant, eſſe mera ſimulachra lignea, lapidea, aurea, vel argentea, quæ oculos habebant, & non videbant; aures & non audiebant: & ideo ſpernenda, abjicienda, ac odio habenda. Illis probabant unicum eſſe Deum, qui omnia videt, omnia poteſt; a quo & ipſi facti erant, & qui iis æternam daturus erat felicitatem, ſi ei fideliter inſervirent. Illis explicabant quanta eſſent Beatorum in cælo præmia, quanta damnatorum in inferno ſupplicia. Illis objiciebant, quam turpe ſit vitiorum cæno adhærere, quam præclarum & honorificum virtutibus acquirendis inſiſtere; quam falſa & fallax eorum eſſet religio, quam ſuave ſit mori in Domino, quam terribile in ſtatu mortalis peccati ab hoc mundo exire, quamque beati qui in hoc mundo ſalutis ſuæ negotia recte peregerint: & ſic eos quoad corpus & quoad animam ſanos faciebant. O magnam ſanctorum illorum medicorum pietatem!

Maxima quidem hæc illorum fuit pietas: ſed tunc magis adhuc ſe pios exhibuerunt, cum pro Dei gloria ſuppliciis & diræ morti propria corpora obtulerunt. Cum enim Præfectus Lyſias chriſtianam Religionem illos profiteri & prædicare didiciſſet, ita accenſus, eos ad ſe adduci imperavit; præcepitque eis, ut deos gentium venerarentur. Quod cum facere recuſaſſent Viri ſancti, in mare eos projici juſſit, in quod quidem projecti ſunt; ſed ex eo miraculoſe emerſerunt. Illos deinde Lyſias in ardentem rogum injici juſſit: ſed cum ab iis flamma fugeret, illos ſecuri percuti imperavit. Quæ omnia ſumma cum charitate & pietate perpeſſi ſunt.

O quam mirabiles in hoc mundo fuere S. Coſmas & Damianus! O vos omnes qui artem medicam profitemini, præclara hæc quæſo, inſpicite exemplaria, iiſque aſſimilari ſatagite. Si hi Sancti doctrina ſua floruerunt, ſtudio & vos ſedulo incumbite, ut in arte quam profitemini ſaltem non erretis: ſi hi charitate ita ferventes fuere ut propriæ infirmis diſtribuerint, charitate ardeant corda veſtra, ſaltem reſpectu pauperum: erga illos vos beneficos exhibete; iiſque gratis officia veſtra impendite. Si tandem ita pii fuerint, ut non minus ſalvandis animabus, quam corporibus curandis vacaverint; tanta veſtra ſit pietas, ut infirmos quos viſitatis, ad Sacramenta ſuſcipienda, & ad ſaluti ſuæ conſulendum inducatis.

En fructum, quem omnes medici ex hac concione elicere poſſunt & debent. Sed ut omnes, qui huic adſunt concioni, aliquam ex ea utilitatem percipere valeant; velim, ut quisque advertat, quod peccata ſint animæ noſtræ infirmitates, quodque tamdiu infirmi ſimus, quamdiu aliquo peccato in-

quinamur: & ideo, ut ſanemur, advocandi ſunt medici ſpirituales, ſeu Confeſſarii, qui iiſdem polleant qualitatibus, quibus S. Coſmas & Damianus floruerunt: ſi a ſpiritualibus veſtris infirmitatibus ſanari velitis, ad Confeſſarios accurrite, qui ſcientia, charitate, & pietate fulgeant. Confeſſarius qui non eſt doctus, eſt cæcus, qui cæcos ducit, & qui cum cæcis quos ducit, in foveam cadit: quare Confeſſarium vocate, qui doctus ſit. Confeſſarius, qui non eſt charitate prædicus, lucro ad agendum excitatur; vel ex negligentia remiſſe veſtræ ſaluti conſulit; quare charitate ardentem Confeſſarium eligite. Confeſſarius, qui non pius eſt, ad pietatis apicem alios non facile ducit: quare docti ſimul, charitate ſuccenſi, & pii Confeſſarii regimini conſcientiam veſtram dirigendam ſubdite; quidquid vobis ſalutiferum præſcripſerit, accurate facite & tandem aliquando in cælo cum S. Coſma & Damiano æterna beatitudine perfruemini. *Amen.*

DE
SANCTO MICHAELE ARCHANGELO.
CONCIO UNICA.

Conſurget Michael Princeps Magnus. Dan. 12. 1.

SIcut homines in hoc mundo ſuos habent Principes, quibus ſubſunt, & quos honorare, plurimumque venerari tenentur: ita Angeli, qui in cælis habitant, ſuos habent Principes, qui ſunt eminentiores Dei miniſtri, ante ſolium ejus ſtantes, & ſupra alios evecti: inter quos merito recenſetur Archangelus Michael, qui unus ex primis cæli Principibus agnoſcitur; *Michael unus de Principibus primis. Dan.* 10. 13.

Non diſceptabo nunc, an Michael in cælo ſit Gabriele, Raphaele, aliiſque primis aulæ cæleſtis Principibus eminentior; & an ita ſit *unus de Principibus primis*, ut inter primos illos Principes ille alios, qui ſecum primi ſunt, præat. Licet enim S. Pantaleon Martyr eum ſupra omnes alios evehat, illumque inter pares primum eſſe aſſerat; ac dicat, quod *Michael primum locum obtinet inter mille millia, & decies milla myriades Angelorum; Pantal. in encom. S. Michael. apud Baron.* non tamen hoc facile ſciri & probari poteſt. Quare ab hac controverſia abſtinens, dicam ſolum, quod S. Michael inter cæleſtes illos ſpiritus ſit Princeps magnus: *Conſurget Michael, Princeps magnus:* In quo autem & quomodo Michael ſit in cælo Princeps magnus, jam explicabimus, &c. *Ave.*

DEus, Angeli, & homines ſupra omnia alia haud dubie eminent, eſtque in eis aliqua magnitudo, ad quam omnia alia accedere nequeunt. Deus quidem magnus eſt, nullus magnitudinis ejus eſt finis, nilque eo majus excogitari poteſt: *Deus eſt quo nil majus excogitari poteſt. S. Dam.* Angeli etiam magni ſunt in ſe, & reſpectu ad alia creata: cum ipſi omnino ſpirituales ſint, aulici Dei ſint, & ſub Deo ſupra modum elevati ſint: *Angelos poſt Deum novimus. Tertull. l. de carn. Chriſti.* Homines tandem magni ſunt in ſe, & reſpectu ad bruta animantia: cum ipſi anima rationali prædici ſint, ad Dei imaginem conditi ſint, gratiæ divinæ capaces ſint, & ad finem ſupernaturalem facti ſint.

Si S. Michaelem inſpiciamus reſpectu Dei, cujus magnitudo eſt infinita, certum eſt, quod tanquam nihilum ſint ante ipſum: in ſe tamen, & ratione donorum quæ a Deo accepit, magnus eſt: quia eum Deus plurimum ſublimavit. Si Sanctum hunc Archangelum reſpectu aliorum Angelorum intueamur; verum eſt, quod illi ſimul cum ipſo toti ſpirituales ſint, ac miniſtri & aulici Dei ſint: inter illos tamen magnus & maximus eſt S. Michael, ratione præſidentiæ, quam ſuper illos habuit in prælio, quod adverſus Luciferum, & Angelos ejus datum eſt. Si tandem S. Michaelem reſpectu hominum conſideremus, illos utique natura & dotibus ſuis longe antecellit; ſed eam etiam ſpecialiter Deus ſupra illos ſublimavit, cum eos patrocinio, & protectioni illius ſubdidit. Quare dicamus, quod S. Michael eſt *Princeps magnus* per Deum, inter Angelos, & ſupra homines: 1. *Per Deum*, a quo ſublimatur: 2. *Inter Angelos*, quibus præeſt: 3. *Supra homines*, quos protegit.

TERTIA PARS.

S. Michael eſt Princeps magnus per Deum, a quo ſublimatur.

NOn quidem reſpectu Dei; ſed per Deum Princeps magnus eſt S. Michael: quia Deus illum ita ſublimavit, ut non ſolum hominibus, ſed etiam aliis Angelis eum ſublimiorem, & excelſiorem fecerit, ratione naturæ, gratiæ & gloriæ: 1. *Ratione naturæ*, in qua illum condidit: 2. *Ratione gratiæ*, qua illum exornavit: 3. *Ratione gloriæ*, qua illum ditavit.

1. Quemlibet Angelum ab alio eſſentia, & ſpecie differre opinatur Doctor Angelicus; ac proinde tot ait eſſe Angelorum ſpecies, & eſſentias diverſas, quot ſunt Angeli. Hæcque illius ſententia hoc fundamento nititur, quod ſcilicet, omnis diſtinctio numerica ſumatur a materia: quare cum Angeli non conſtent materia, inter ſe numero diſtingui nequeunt: ſi autem inter ſe numero non diſtinguantur, quemlibet ex illis ab alio ſpecie & eſſentia differre neceſſe eſt. Quo poſito fundamento, facile inferemus, S. Michaelem ita in natura ſua eſſe perfectum, ut vix concipi poſſit, quanta ſit perfectio ejus naturalis.

Quod ut quam verum ſit, pateat, ſupponendum; maximam eſſe Angelorum multitudinem; cum de iis dicatur, quod *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Dan.* 7. Hoc autem ſuppoſito, tanquam certiſſimo, ſic ratiocinemur: Ultimus Angelorum in ſua natura perfectior eſt omnibus individuis naturæ humanæ: penultimus, cum in eſſentia & perfectione ab ultimo differat, totam ultimi perfectionem continet, & inſuper

ſuper

ſuper alium aliquem perfectionis gradum poſſidet: antepenultimus totam penultimi, & ultimi perfectionem habet, & inſuper alio aliquo perfectionis gradu pollet: & ſic aſcendendo uſque ad primum Angelorum, ſemper major eſt perfectio naturalis eorum. Quanta ergo eſt perfectio illius Angeli, qui natura ſua omnium primus eſt, & qui tot Angelos, qui ſemper magis, & magis perfecti ſunt, antecedit? Certe tanta eſt ejus perfectio naturalis, ut vix concipi queat. Sed quis eſt ille Angelorum primus, cui tanta perfectio ineſt? Quis eſt primus ille Angelus, quem Deus in tanta naturæ perfectione condidit? ſi credamus Tertulliano, primus ille Angelus eſt S. Michael, qui, inquit, eſt *excultus omni gloria Angelica: & qui eſt eminentiſſimus Angelorum. Tertull. l. 2. adv. Marcion. c.* 10. Hoc & dicunt S. Baſilius, & Ambroſius; ac etiam Rupertus Abbas, & Sophronius. Michael ergo eſt Princeps magnus per Deum; cum Deus illum ita ſublimaverit in natura, in qua illum condidit. Sed eſt etiam Princeps magnus per Deum, *quia Deus illum ſublimavit in gratia, in qua illum creavit.*

2. Omnes penitus Angeli, in primis creationis ſuæ inſtantibus, gratia ſanctificante a Deo fuere exornati, gratiaſque actuales tunc acceperunt, quarum auxilio æternam beatitudinem mereri valebant: ut enim ait D. Auguſtinus, *Deus in Angelis erat condens naturam, & largiens gratiam. Aug. l.* 12. *de Civit. c.* 9. Sed divina gratia, quæ omnibus Angelis data fuit, in omnibus Angelis æqualis non fuit: omnibus quidem data eſt gratia; ſed omnibus non data eſt æqualis gratia, omneſque pari gratiæ honore non fuere ſublimati: Sanctus enim Michael, ut docet S. Baſilius, aliis omnibus in gratiæ dignitate fuit prælatus: *Michael dignitate, & honoribus prælatus eſt cæteris ſpiritibus ſupernis. S. Baſil. hom. de Angel.* Verum eſt, quod Deus Gabrielem, Raphaelem, alioſque ſuperiorum ordinum Angelos maximis gratiarum donis affecerit; ſed ſicut Michaelem aliis præfecerat in natura, ita & illum præfecit in gratia; illique majora impertitus eſt gratiæ beneficia, quam aliis Angelis, etiam eminentioribus.

Quod veriſſimum eſſe fatebitur, qui cum variis Sanctis Patribus cenſebit, Deum Angelis quibuslibet gratiam diſtribuiſſe, inita proportione ad naturam: ita ut Angelis in natura perfectioribus, perfectiorem gratiam dederit. Sic S. Baſilius dicens: *Juxta proportionem eminentiæ inter ſe, ſanctificat omnis menſuram Angeli acceperunt a Spiritu Sancto. S. Baſil. l. de Spir. Sanct. c.* 10. Ita etiam S. Joannes Damaſcenus, ajens: *Per Sancti Spiritus ſanctificationem omnes perfectionis numeros Angeli acceperunt; ita tamen, ut pro ſua quiſque dignitate & claſſe, luminis, gratiæque participes ſint. Damaſc. l.* 2. *de fid. c.* 3. Angeli ergo qui perfectiores fuere in natura, majorem percepere gratiam juxta naturalis ſuæ perfectionis menſuram. Non quod ob perfectiorem naturam perfectiori gratia digni fuerint: ſed quia Deus, ex libera ſua voluntate, Angelos quos perfectiores in natura condidit, perfectiori etiam gratia exornare decrevit. Quare cum Deus Michaelem ſupra alios in natura ſublimaverit, eum etiam ſupra alios in gratia ſublimavit; *ac etiam in gloria.*

3. Sicut in Imperatoris curia quidam ſunt Principes majores, qui ad ejus perſonam propius accedere, & familiarius cum eo verſari ſolent: ita in Dei Aula ſunt primi quidam, & *primogeniti Angelorum Principes*, qui Deo adſtant, & majori cum libertate ad ejus Majeſtatem accedunt: Sanctus autem Michael eſt haud dubie unus ex primis illis cæleſtis aulæ Principibus: *Michael unus de principibus primis. Clem. Alex.* 6. *Strom.* Immo, ſicut dum eſſet in vita, primus omnium fuiſſe creditur, ratione ornamentorum gratiæ: ita & in cælo primus eſſe creditur, ratione gloriæ, & beatitudinis cæleſtis, qua fruitur. Licet enim alii quidam Angeli, ſimul cum ipſo, ſint *de Principibus primis*: ille tamen per excellentiam, & per antonomaſiam vocatur *Princeps magnus*, quaſi ſupra omnes alios in gloria magnus ſit, & a Deo ſublimatus. Unde illum S. Pantaleon maximam & fulminantem & fulgentiſſimam inter Angelos ſtellam nuncupat: *Michael, qui eſt maxima, & clariſſima ſtella Angelici ordinis. Ubi ſup.*

In cælo, ut ait D. Paulus, eſt *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. 1. Cor.* 15. Per Solem, ut exponit Doctor Angelicus, poteſt intelligi Chriſtus, Sol juſtitiæ: *Orietur vobis Sol juſtitiæ. Malach.* 1. Per Lunam, beata Virgo, de qua *cant.* 6. dicitur quod ſit *pulchra ut Luna.* Per ſtellas, cæteri Sancti, qui ſunt *Stellæ manentes in ordine ſuo. Judic.* 5. Licet autem per ſtellas intelligi poſſint omnes Sancti: convenientius tamen per ſtellas intelligi videntur Angeli, qui in ſacra Scriptura vocantur aſtra Deum laudantia: *Quem laudant aſtra matutina.* Iſta autem aſtra inter ſe differunt in gloria. Et ſicut ſtellarum aliæ ſunt aliis fulgentiores: ita & Angelorum in gloria alii aliis ſunt ſublimiores, & eminentiores. Sed ſtella inter eos fulgentior, ſeu Angelus inter illos in gloria ſublimior, eſt S. Michael Archangelus: *Michael, qui eſt maxima, & clariſſima ſtella Angelici ordinis.* Sicut enim eum Deus in natura & gratia perfectiorem effecit: ita & eum ſupra omnes in gloria ſublimavit. Sanctus ergo Michael eſt *Princeps magnus* apud Deum, a quo ſublimatur: *Sed eſt etiam Princeps magnus inter Angelos, quibus præeſt.*

SECUNDA PARS.

S. Michael eſt Princeps magnus inter Angelos, quibus præeſt.

SIcut Saul *ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*; 1. *Reg.* 9. ita, ut ſentiunt varii ex Sanctis Patribus, Michaelem Deus aliis omnibus Angelis eminentiorem & ſublimiorem effecit, deditque ei aliquam præſidentiam ſupra alios Angelos; ſi non in omnibus, ſaltem in Luciferi rebellione. Tunc enim bonorum Angelorum Dux, & Princeps fuit: 1. In exercitu, qui contra Luciferum fuit ordinatus: 2. In prælio, quod adverſus illum, & Angelos ejus fuit initum: 3. In victoria, quæ de eis eſt reportata.

1. Cum æternam beatitudinem propriis meritis aſſe-

Digitized by Google

aſſequi debeeent Angeli, eos Deus aliquo, vel aliquibus momentis, viatores eſſe voluit; ut in his inſtantibus, gratiæ, ſibi a Deo datæ, cooperantes, æternam hanc beatitudinem mererentur. In breviſſimo autem hoc temporis intervallo, quo in ſtatu viæ fuerunt, eis, ut ſentiunt communiter Theologi, Deus futuram Verbi incarnationem manifeſtavit. Et ut obedientia, ſuaque humilitate regnum cælorum aſſequi mererentur, eis præcepit Deus, ut Verbum incarnandum, & in carne cui hypoſtatice uniri debebat, adorarent; *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus. Hebr. 1.*

Hoc quidem præceptum Angelis omnibus a Deo factum eſt; ſed ex iis non pauci ei obtemperare renuerunt, dicentes, quod naturæ, nobilitati, & dignitati ſuæ eſſet injurioſum. Lucifer, aliis protervior, in ordinato ſui amore accenſus, inflatus ſuperbia, & invidia corroſus, non ſolum legi datæ obſequi renuit: verum & aliorum omnium Angelorum rebellium ſe Ducem conſtituit; & ex iis quaſi exercitum compoſuit, cui ipſe præfuit, ut adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus decertaret. Michael vero a Dei partibus ſtans ex bonis Angelis alium ordinavit exercitum; cui ipſe ut Dux, & primas præfuit. Unde a Sophronio vocatur *ſacræ militiæ Princeps*; a S. Baſilio *Angelicarum copiarum Dux* dicitur; & ab Eccleſia *primus cæleſtis exercitus* appellatur. Bonorum ergo Angelorum Dux & Princeps magnus fuit S. Michael in exercitu, qui adverſus Luciferum fuit ordinatus; ſed *eorum etiam Dux & Princeps fuit in prælio, quod contra Luciferum initum eſt.*

2. Magnum in cælo datum eſt prælium, in quo Michael & boni Angeli, adverſus Luciferum & Angelos malos dimicarunt. Magnum fuit hoc prælium *quoad locum*; cum non in terra, ſed in cælo factum ſit. Magnum fuit *quoad perſonas*; cum non homines infirmi & debiles; ſed Angeli natura ſua incorruptibiles, & fortiſſimi, adinvicem decertaverint; Magnum etiam extitit *quoad motivum*, quod erat Chriſtus, ſeu Verbum incarnandum, quod omnibus Angelis adorandum a Deo propoſitum eſt. Magnum tandem & mirabile fuit hoc prælium *quoad modum*; cum non alio modo factum ſit, quam diverſitate actuum intellectus & voluntatis; illud enim prælium nil aliud fuit, quam diverſitas & oppoſitio illa actuum intellectus & voluntatis Angelorum; quorum aliqui Chriſtum, ab iis prævisum, adorandum eſſe ſuſtinuerunt; & alii illum adorare recuſarunt.

Ecce prælium magnum, quod factum eſt in cælo, in quo S. Michael omnibus Angelis bonis præfuit, eorumque Dux extitit. In hoc enim prælio duo erant Duces, Michael, ſcilicet, & Lucifer: Michael erat Dux bonorum, & Lucifer Dux erat malorum Angelorum, contra quos S. Michael cum ſuis dimicavit: *Factum eſt prælium magnum in cælo; Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone. Apoc. 10.* Malignus ille Draco, ſeu Lucifer, *cauda trahebat tertiam partem ſtellarum*, id eſt, Angelorum, qui ipſi adhæſerunt, illumque ut Ducem ſecuti ſunt: Michael vero, qui a Deo partibus ſtabat, aliorum omnium Angelorum Dux adverſus Luciferum fuit. Et dum conflictus ille opinionum, & voluntatum daretur, ipſe ut Dux pro Deo ſtans, ſuo modo clamavit: *Quis ut Deus?* Quaſi dicat: Deo nihil eſt comparandum; ipſe eſt omnium auctor, omnium Dominus, omnium Creator & Factor: ipſe eſt infinitus in ſapientia, in bonitate, in potentia, & in omni genere entis: ipſi nil ſimile, nil æquale, nil par eſſe poteſt. Quare cum tantæ majeſtatis Deus imperet nobis, ut Verbum incarnandum adoremus, ei humiliter erit obtemperandum. En prælium, quod datum eſt in cælo, cui ut Dux præfuit S. Michael. *Sed fuit etiam bonorum Angelorum Dux in victoria, quæ de Lucifero fuit relata.*

3. Omnes Angeli boni ſimul cum Michaele, de Lucifero, & omnibus ejus copiis glorioſe triumpharunt; S. Michael tamen a Tertulliano *l. de Parad. c. 12.* vocatur *operarius victoriæ*, quaſi ſolus victoriam retulerit: eique ideo totius victoriæ gloria tribuitur, quia omnium victorum Dux fuit. Quod & ipſi pictores nos docent, cum Michaelem delineant, lanceam, vel enſem evaginatum dextra geſtantem, & Draconem pedibus conculcantem: per enſem enim evaginatum, quem dextra gerit, indicare intendunt, eum fortiter adverſus Luciferum decertaſſe: per Draconem autem, quem pedibus conterit, manifeſtare volunt eum, ut exercitus bonorum Angelorum Ducem, fuiſſe operarium victoriæ, ac glorioſam de Lucifero victoriam retuliſſe.

Senſerunt Hebræi, Machabæos in bello fortes, & de hoſtibus victores fuiſſe: quia in vexillis ſuis ſcriptam gerebant hanc epigraphen. *Quis ſimilis tui in diis, Domine? Exod. 15.* An hoc verum ſit, afferere non auderem: ſed certiſſimum eſt, Michaelem de Lucifero & exercitu ejus triumphaſſe, quia pro Deo ſtetit, clamans: *Quis ut Deus?* Et quia exemplo ſuo, ſuiſque verbis, majorem Angelorum partem ad Lucifero reſiſtendum, & ad Deo obtemperandum induxit.

Ecce glorioſam Michaelis victoriam: ecce modum, quo de Lucifero victor evaſit: quo docemur, quomodo de illo, & de Angelis ejus triumphare valeamus. Cum enim ab iis tentamur, ut de eorum tentationibus triumphemus, clamandum cum Michaele. *Quis ut Deus?* O homo! ſi Satanas carnis voluptatibus, vel ſæculi honoribus & divitiis te inéſcare & perdere conetur, illa omnia parvipendens, clama: *Quis ut Deus?* O adoleſcens! ſi formæ venuſtas te ad libidinem incendit, dic intra te: quis pulcher, quis formoſus, quis ſpecioſus ut Deus? cujus pulchritudo infinita; *Quis ut Deus?* Quotieſcumque tandem Satanas ad ſuas partes, & ad ſibi conſentiendum vos adducere ſatagit, ei generoſe reſiſtite, dicentes: *Quis ut Deus?* Hoc ſi faciatis, de malignis ſpiritibus triumphabitis ſicut S. Michael. Sed poſtquam ſanctum hunc Archangelum contemplati ſumus, ut magnum Principem inter Angelos, videamus, quomodo ſit etiam *Princeps magnus, reſpectu hominum, quorum protector eſt.*

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

S. Michael eſt Princeps magnus, reſpectu hominum, quos protegit.

INferiorum ordinum Angeli ad cuſtodiendas particulares perſonas a Deo delegantur; ita ut nec unus ſit, vel fuerit homo, cujus cura, & cuſtodia uni cuidam ex illis Angelis commiſſa non fuerit. Sed Michael eſt Princeps magnus, cui non unius dumtaxat perſonæ, vel unius ſolum Provinciæ commiſſa eſt cuſtodia, & protectio; ſed dedit ei Deus protectionem: 1. Synagogæ Judæorum: 2. Eccleſiæ Chriſtianorum: 3. Regni Gallorum.

1. Synagoga Judæorum nil aliud erat, quam populus Judaicus, ſeu populus Dei, quem Deus amabat, fovebat, innumeriſque beneficiis afficiebat. Hujus autem populi Principem, & Protectorem inſtituit Deus S. Michaelem Archangelum. *Michael principatur populo Dei. Rup. Abb.* Hic eſt populus, pro quo ſtetit Michael, ut illum protegeret: *Michael Princeps magnus, qui ſtas pro filiis populi tui. Daniel. 12.*

Cum S. Michael bonorum Angelorum Dux, & quaſi Protector in cælo fuerit, congruum judicavit Deus, illum in terra facere defenſorem & protectorem populi ſui. Quare, ſicut Pharao Joſephum toti Ægypto præpoſuit, dicens: *Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti: Geneſ. 41.* ita Deus S. Michaelem toti Synagogæ præpoſuit, eumque populi ſui cuſtodem, & Protectorem conſtituit. Et revera, mirabilia multa, quæ Angelorum miniſterio ante Chriſti adventum facta ſunt, S. Michaeli, ut Synagogæ Protectori attribuit S. Pantaleon, (Michael, inquit, Dux fuit populi Dei, ut eum ab Ægyptiaca ſervitute liberaret. Hic, una nocte, centum octoginta quinque millia militum exercitus Sennacherib, Regis Aſſyriorum, enecuit: hic Ægyptiorum primogenitos interfecit, eorumque militares copias in mari rubro ſepelivit. Hic Moyſi, ſub forma rubi ardentis, apparuit: hic ei tabulas digito Dei conſcriptas detulit: hic Prophetam Habacuc a Judæa in Babylonem ad Danielis conſolationem tranſtulit. *Pantal. ubi ſup.*) Aliaque multa mirabilia fecit; quibus conſtat; quod Michaelis curæ Synagogam Deus demandaverit, quodque eum populi ſui Principem & Protectorem conſtituerit. Sed S. Michael *eſt etiam Romanæ Eccleſiæ Protector.*

2. Norunt omnes, Romanam Eccleſiam eſſe navem illa multis hæreſum & perſecutionum agitatam fluctibus, quæ nullum unquam eſt paſſura naufragium. Inſurgant, quantum voluerint, tartarei ſpiritus, eam turbare & evertere conentur, quantum libuerit, portæ inferi nunquam prævalebunt adverſus eam: quia potentiſſima, & inviſibilis quædam manus ita illam defendit, & protegit, ut uſque ad mundi finem ſit perſeveratura. Illa autem manus a qua S. Romana Eccleſia protegitur; ille protector a quo tutatur & defenditur, eſt haud dubie Chriſtus, qui illam fundavit ſanguine ſuo. Sed illius Protector eſt etiam S. Michael Archangelus, cujus protectioni eam Chriſtus Salvator demandavit. Unde eum ut Protectorem ſuum S. Romana Eccleſia agnoſcit, & veneratur: *Eccleſia Catholica Michaelem Patronum novit & Protectorem ob inſignia, ejus ope, accepta beneficia. Baron. ann. 60.*

Omnes quidem Angelos honorat Sancta Romana Eccleſia; *Sed præcipue primatem cæleſtis exercitus Michaelem.* Cæleſtes omnes illos veneratur ſpiritus; ſed ſpecialiori honore proſequitur Sanctum Archangelum Michaelem, in cujus honorem varia feſta inſtituit. Si autem a Sancto Laurentio Juſtiniano quæras, cur eum ſpeciali cultu honoret Eccleſia? Reſpondebit, hoc ideo fieri: quia ab Eccleſia, ut cuſtos, & protector agnoſcitur: *Non abs re illum ſacroſancta mater honorat Eccleſia, quem ſui ſpecialem novit eſſe cuſtodem & interceſſorem aſſiduum.* Sed Sanctus Michael eſt etiam *protector Regni Galliæ.*

3. Quicumque advertunt, Regnum Gallicum a primis fere Eccleſiæ ſæculis, non ſolum a Gentilibus, ab Infidelibus, & ab Hæreticis; ſed etiam ab Imperatoribus, a Chriſtianis Regibus, necnon a potentiſſimis omnis generis hoſtibus fuiſſe impugnatum: & tamen ſemper florere, triumphare, ac in Catholica Religione conſtanter perſeverare; fatentur, hoc Regnum ſpeciali protectione a Deo foveri; ſed & certum eſt, quod Deus illud S. Michaelis protectioni demandaverit. Sicut enim voluit Deus, ut S. Michael eſſet S. Romanæ Eccleſiæ Protector: ita voluit, illum eſſe tutelarem Angelum, & ſpecialem Protectorem Regni Gallici, quod eſt hæreditas Chriſtianiſſimi illius Regis, qui eſt Eccleſiæ primogenitus, defenſor, & ornamentum: *Michael protector eſt & Princeps Imperii Francorum. Baron. ann. 709.*

Hunc Regni Gallici Protectorem novit, & expertus eſt Carolus Magnus; qui cum prælium adverſus Saxones eſſet initurus, ante conflictum flexis genibus ſupplex S. Michaelis auxilium imploravit: quod ipſi præſto fuit: dum enim datum deinde eſt prælium, Sanctum hunc Archangelum vidit in fronte exercitus Gallici, albo inſidentem equo, cæruleum deferentem vexillum, liliis aureis intextum: tantumque fulgorem e facie ſua emittentem, ut Saxones perterriti, alii in fugam ſe converterint, & alii ſe invicem occiderint. Quare Carolus Magnus, in tanti beneficii memoriam, militaribus ſuis vexillis S. Michaelis imaginem depingi voluit, cum hoc lemmate: *Ecce Michael Princeps magnus, venit in adjutorium mihi.*

Sanctum hunc Archangelum eſſe vere Regni Gallici Protectorem expertus eſt etiam Carolus VII. Cum enim Angli eum jam majori Regni parte ſpoliaſſent, ad S. Michaelis patrocinium confugit, ad hoc ut infenſiſſimos illos hoſtes, civitatem Aureliam obſidentes, debellare, & expellere poſſet. Caroli autem preces exaudivit S. Michael: cum enim generali oppugnatione civitatem hanc invadere pertentaſſent Angli, ſupra urbis pontem ſub forma viſibili viſus eſt S. Michael, qui eos expulit, & alio migrare coegit. Quare Carolus, in accepti beneficii memoriam militaribus ſuis vexillis S. Archangeli Michaelis effigiem apponi curavit, cum hac epigraphe: *Nemo eſt adjutor meus, niſi Michael Princeps noſter.*

Hæc & alia quæ adduci poſſent exempla, clare manifeſtant, quod S. Michael non ſolum Synagogæ & Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam Gallici Regni protector ſit & defenſor. Quare fateamur nunc, quod S. Michael vere Princeps magnus ſit: hoc fateamur; eum ſpeciali cultu veneremur; ac tanti Principis & Protectoris auxilium ſupplices imploremus. Verum quidem, quod omnes Angeli potentes ſint ad impetrandas a Deo gratias in favorem clientum; ſed ut ait Cæſarius, *S. Michael cæteris Angelis diligentior eſt circa genus humanum*; & non ſolum eſt diligentior; ſed & ejus interceſſio apud Deum eſt potientior. Quare ad omnium Angelorum confugite patrocinium; ſed ſtudioſius auxilium implorate S. Michaelis, qui beneficus eſt, qui apud Deum potentiſſimus eſt, & qui hominum Protector a Deo conſtitutus eſt.

Aſſerit Doctor Seraphicus, quod S. Michael ſpeciali protectione in hora mortis eos foveat, qui tempore vitæ ſuæ eum religioſo quodam cultu venerati ſunt; *D. Bon. in ſpec. B. Virg.* Quare magna cum reverentia eum veneremur; eum quotidie ſpeciali quodam cultu honoremus, ut illum in hora mortis Protectorem habere mereamur: utque mediante auxilio & protectione, æternam beatitudinem aſſequi valeamus. *Amen.*

DE
SANCTO HIERONYMO.
CONCIO UNICA.

Magnus vocabitur. Matth. 5.

IN laudes hodie lubens erumpo illuſtriſſimi illius Viri, qui totius Romanæ Eccleſiæ lingua extitit: ex animo magnalia prædico incomparabilis hujus Doctoris, qui Dei magnalia hominibus propalavit; intimo cordis affectu elogium ſuſcipio pereximii illius Sancti, qui totius ſanctitatis ſpeculum, ac complurium aliorum Sanctorum jubar, & eloquentiſſimus præco fuit.

Verum quidem, quod ſicut magna lumina oculos intuentium perſtringere ſolent; ita tot virtutes, totque in S. Hieronymo emicant perfectiones, ut cum ad ejus encomium elaborandum me accingo, caligent oculi, meuſque ad tam arduum opus inſufficiens vacillet animus, & deficere incipiat. Quis enim digno proſequi poſſit eloquio ſanctum hunc Eccleſiæ Doctorem, qui in omni litteratura clarus, & præclarior vitæ ſanctitate extitit? Quis meritas effundere valeat laudes mirandi hujus Viri, qui fuit natus ſcientiis, Bibliis factus, educatus in omni ſapientia: & qui omnium calculo, Hæreticorum excidium, exemplar Anachoritarum, Doctorum decus, totiuſque orbis Eccleſiaſtici rutilantiſſimum ſidus nuncupari debet? Fateor, quod cum tanti Viri merita & magnalia inſpicio, ſuſpicio; meaque faucibus hæreret lingua, niſi adveniret auxilium deſuper: quare cœleſti lumine irradiari ſupplices poſtulemus, &c. *Ave.*

ILluſtriſſimum Doctorem S. Hieronymum conſidero in mundo, in deſerto, & in Eccleſia: *In mundo*, ubi a Deo poſitus fuit, ut multis præluceret: *In deſerto*; in quod ſe contulit, ut altiori perfectioni acquirendæ incumberet: *In Eccleſia*, in qua *tum* eminenti ſua ſcientia, *tum* vitæ ſanctitate cunctis fidelibus ſe mirabilem præbuit. *In mundo* S. Hieronymus fuit Doctor celeberrimus: *In deſerto* fuit Monachus perfectiſſimus: *In Eccleſia* fuit homo portentoſus, omnique virtutum & meritorum genere clarus.

Ex jam prælibatis facile dignoſci poteſt, quid in tota hac encomiaſtica oratione intendam: probare etenim ſolum volo, quod S. Hieronymus vere magnus fuerit: *Magnus vocabitur*. Et ut propoſitum finem aſſequi valeam, dico eum fuiſſe magnum in mundo, in deſerto, & in Eccleſia; *In mundo*, in quo ſicut Sol radians effulſit; *In deſerto*, ubi Angelicam vitam duxit; *In Eccleſia*, ubi tanquam prodigium habitus eſt. Sed ut clarius explicem, quanta fuerit S. Hieronymi magnitudo, dicam quod fuerit Sol, Angelus, & prodigium: Fuit 1. *Sol* in mundo: 2. *Angelus* in deſerto: 3. *Prodigium* in Eccleſia.

PRIMA PARS.

Sanctus Hieronymus fuit Sol in mundo.

SIcut in admirabili creationis mundi opificio Deus Solem, Lunam & ſtellas, tanquam tot ſidera, quibus mundum illuminaret, cælo affixit: ita & in mundi reparatione, Chriſtus in orbe Eccleſiaſtico Apoſtolos, Doctores, & innumeros Sanctos excitavit, qui veluti fulgentiſſima lumina, univerſum terrarum orbem doctrina & virtutibus ſuis illuſtrarunt. Inter tot autem ſidera S. Hieronymus fuiſſe videtur luminare majus, & quaſi Sol, qui affulſit hæreticis, mundanis, & viris perfectis. Affulſit: 1. *Hæreticis*, ut eos a via erroris averteret: 2. *Mundanis*, ut illos a via perditionis revocaret: 3. *Perfectis*, ut eis altioris ſanctitatis viam aperiret.

1. In hoc conveniunt hæretici cum damnatis, quod illi & iſti atris involvantur tenebris. Damnati enim intra terræ viſcera latent, in antris tenebroſis includuntur, & ibi in mediis tenebris conticeſcunt. *Impii in tenebris conticeſcent*. 2. *Reg.* 2. Hæretici vero, in hoc mundo viventes, in tenebris erroris & ignorantiæ verſantur, ac ita obſcuratur intellectus eorum, ut dicant *bonum malum, & malum bonum*. Sed Deus, qui neminem vult perire, interdum Doctores mittit, qui hæreticos erudiant, a via erroris avertant, & ad ſalutis viam dirigant. Et ſic Deus, mirabili ſua providentia, eo tempore quo Eccleſia ab innumeris impugnabatur hæreticis, S. Hieronymum, tanquam ſolem fulgentiſſimum miſit in mundum, ut erroris tenebras ab hæreticorum cordibus fugaret; eiſque in via ſalutis illuceſceret. Sicut enim ſol eſt totius mundi lumen: ita & Hieronymus totius orbis Eccleſiaſtici lumen & ſol extitit; qui non ſolum Catholicos, verum & hæreticos innumeros illuminavit. *S. Hieronymus fuit Prædicator regni, lumen mundi. Laur. Juſtin. in vita S. Hieron.*

Temporibus Sanctorum Auguſtini, & Hieronymi undique graſſabantur hæreſes & in dies augebantur: *Creſcunt errores, creſcunt tenebræ. Aug. ſerm.* 26. *in Joann.*

Joann. Sicut autem in mundi primordio Deus Solem & Lunam creavit, ut mundo illuceſcerent; ita Deus, mundum videns denſiſſimis hæreſeos involutum tenebris, Auguſtinum & Hieronymum tamquam duo fulgentiſſima lumina, quæ in orbe Eccleſiaſtico fulgerent, appoſite advocavit. Magnum lumen fuit Auguſtinus; magnum lumen fuit Hieronymus, & ſi ab Auguſtino quæratur, quod ex duobus his luminibus magis hæreticis illuxerit, ipſe totum hujuſce rei honorem Hieronymo impendit, dicens: quod Hieronymus fuerit luminare majus; quodque tanquam ſol admirabilis, hæreticis ab Oriente uſque ad Occidentem illuxerit; *Hieronymus ab Oriente in Occidentem, inſtar ſolis, reſplenduit. Aug. ſer. 2. in Joann.* Sed ſi S. Hieronymus fuit ſol, qui effulſit hæreticis, ut eos a via erroris averteret; *fuit etiam ſol, qui mundanis affulſit, ut eos a via perditionis revocaret.*

2. Sanctiſſimo Chriſti Præcurſori, Hieronymum comparat S. Auguſtinus, dicens: *Hieronymus erat alter Joannes Baptiſta.* Si quæras a S. Bernardo, quis & qualis fuerit S. Joannes Baptiſta? Reſpondebit, quod fuerit *lucerna ardens, & lucens.* Joannes quidem fuit lucerna ardens, & lucens, quæ Herodi, Herodiadi, multis peccatoribus eum in deſerto concionantem audientibus, omnibuſque in peccati tenebris, & in umbra mortis ſedentibus illuxit. S. autem Hieronymus fuit *alter Joannes Baptiſta*; quia fuit lucerna fulgentiſſima, & quaſi ſol, hominibus mundanis, mundoque deditis lucens. Jam enim illos de faciendis, & de vitandis erudiebat; nam illos acriter arguebat, & jam illos ſuaviter monebat. Aliquibus tremenda Dei judicia exaggerabat, ut illos terreret, aliis ineffabilem Dei miſericordiam proponebat, ut illos in ſpem ſalutis adduceret; ac tandem omnibus mundanis, tamquam verus ſol illuceſcebat, ut a via perditionis eos revocaret.

In cælo S. Hieronymus, non ſecus ac alii Sancti, nunc fulget ſicut ſol, ſed & in hoc mundo fulſit ſicut ſol, ſcientiæ & virtutum ſuarum radiis mundano illuminans, & a via iniquitatis avertens; ſcripta enim, verba & opera ejus micantia erant lumina, quibus peccatores irradiabat: & quibus ab erroris & iniquitatis via illos avocabat. Heu! quot peccatores, ſuadente, docente, & movente Hieronymo, vitiis valedixerunt, diſſolverunt colligationes ſuas peſſimas, a pravis ſe elongarunt peccandi occaſionibus, ac virtutis & veritatis viam amplexati ſunt? Sed quot nunc Sancti ſicut ſol fulgent in cælo; quia S. Hieronymus, ſicut ſol, iis illuxit in hoc mundo? Certe S. Hieronymus fuit ſol admirabilis, qui affulſit hominibus mundanis, ut eos a perditionis via revocaret. *Et qui affulſit etiam hominibus perfectis, ut eis altioris ſanctitatis viam manifeſtaret.*

3. Sicut Deus *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*; ita S. Hieronymus fuit ſol quidam myſticus a Deo in hoc mundo poſitus, qui non ſolum hæreticis, aliiſque malignis peccatoribus; ſed etiam hominibus ſanctioribus, & perfectioribus illuxit. Sol iſte rutilantiſſimus innumeris illuxit Religioſis, quos ad ſublimioris perfectionis viam edocuit: illuxit Paulæ, Melaniæ, Euſtochio, aliiſque quampluribus ſacris Virginibus, quibus virgineæ puritatis gloriam, & merita manifeſtavit; illuxit tandem Doctoribus, Epiſcopis, ſummis Pontificibus, aliiſque innumeris viris perfectioris vitæ ſectatoribus, & ſtudioſis; quibus omnis perfectionis leges dedit.

Sol ab Orpheo vocabatur *oculus mundi*, & a S. Gregorio Nazianzeno *oculus lucis* dicebatur. *Rodig. l. 3. c. 22.* Quod autem de ſole dixerunt Nazianzenus, & Orpheus, hoc & nos de S. Hieronymo dicamus. Qui quidem fuit ſol & *oculus mundi*; quia hominibus mundanis & peccatoribus illuxit; ſed fuit etiam ſol, & *oculus lucis*; quia ſanctioribus & perfectioribus viris, qui *filii lucis* ſunt, glorioſiſſime affulſit. Quare ſi in laudem Simonis, Oniæ filii Sacerdotis magni, dixit Spiritus Sanctus, quod ſicut ſol, in Templo Dei refulſerit; *Quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei. Eccli. 50. 7.* de S. Hieronymo ſimiliter dicendum, quod hoc mundo, qui eſt magnum Dei Templum, hæreticis, mundanis, & viris perfectis, tanquam ſol effulſerit. Sed poſtquam S. Hieronymum contemplati ſumus, ut ſolem in mundo; conſideremus eum ut Angelum in deſerto: & hic eſt ſecundus magnitudinis ejus radius: *Magnus vocabitur.*

SECUNDA PARS.

S. Hieronymus fuit Angelus in deſerto.

LIcet Sanctiſſimus Chriſti Præcurſor, qui deſerta ſanctificavit, homo fuerit ſicut & alii; in ſacris tamen Codicibus Angelus vocatur. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Et quoad hoc illi ſimilis eſt S. Hieronymus, de quo dicere poſſumus. *Alter hic Joannes Baptiſta.* Hieronymus enim, ſicut & S. Joannes Baptiſta, vere fuit Angelus in deſerto, ratione puritatis, abſtinentiæ, & orationis ſuæ: 1. *Ratione puritatis*, qua floruit: 2. *Ratione abſtinentiæ*, quam ſectatus eſt: 3. *Ratione orationis*, cui indeſinenter adhæſit.

1. Virgines S. Ignatius Martyr vocat Sacramenta: *Virgines ſunt Chriſti Sacramenta.* Sunt utique auguſta Sacramenta, quæ ſub fragilis, & corruptibilis carnis velo Angelicam puritatem occultant, ſicut enim in Sacramentis ſub vili, & viſibili quodam ſigno, inviſibilis, & mirabilis Dei gratia latitat: ita virgines ſunt quaſi Sacramenta, quia ſub viſibili, & vili carne Angelicam puritatem tegunt & conſervant. Vel dicamus, virgines eſſe *Sacramenta*; quia ad extra ſunt homines, & intus ſunt Angeli; ad extra ſunt homines, ratione naturæ humanæ qua conſtituuntur; ad intra ſunt Angeli, ratione puritatis Angelicæ, qua præditi ſunt. Unum autem ex hujuſmodi Sacramentis extitit S. Hieronymus: qui vere fuit homo, ſicut & alii: ſed & fuit Angelus puritate: quia leviora quæque impudicitiæ phantaſmata velut infernum timuit, & in carne humana puritatem Angelicam conſervavit.

Scio, quod dum in deſerto commoraretur S. Hieronymus, horrendis interdum vexabatur carnis tentationibus; ſed probe etiam ſcio, quod adverſus hunc luxuriæ ſpiritum generoſe decertaverit, & de eo glo-

rioſe triumphaverit. Cum iniquus hic incontinentiæ ſpiritus eum aggrediebatur, ipſe proprium corpus arctis affligebat jejuniis, diris flagellis excipiebat, omnibuſque modis vexabat, ut de puritatis ſuæ hoſte triumpharet. In quo ſanctum hunc ſolitarium puritate ſua, non ſolum Angelis parem, ſed etiam ſuperiorem arbitror; quia, ut ait S. Baſilius, *Virgines Angeli ſunt, non inferioris alicujus ordinis, ſed illuſtrioris, & nobilioris*. Et revera, longe illuſtrius, nobilius, & fortius eſt, quod homo pugnando, corpus mactando, & continuæ carnis mortificationi inſiſtendo, puritatem illæſam conſervet, quam quod Angelus, qui natura ſua purus eſt, & ſpiritualis in puritate ſua perſeveret. Quare fatendum, quod S. Hieronymus in deſerto Angelus fuerit puritate ſua: *ac etiam abſtinentia, & jejuniis fuit*.

2. Neminem latet S. Hieronymum abſtinentiæ, & jejuniis maxime fuiſſe deditum. Hic inter Monachos vivebat, qui urgentem ſitim ſolius aquæ hauſtu extinguebant, & qui ſolis leguminibus, raro coctis & ſemper male conditis, veſcebantur; quam vivendi rationem licet aſperrimam, ille ſollicite ſervabat. Immo, ſicut aliis ſcientia & ſanctitate eminebat; ita & illos abſtinentia, & vitæ auſteritate anteibat. Si etenim fidem adhibeamus Auguſtino, Hieronymus toto quinquaginta annorum ſpatio, aqua ſolummodo uſus eſt, & ſemel in die radices, vel olera comedere ſolitus eſt. *Auguſt. ubi ſup.* Ipſe etiam Hieronymus de ſemetipſo refert, quod ut rebellis carnis motus comprimeret, ſæpe pluribus diebus ab omnibus cibis abſtineret: ita ut pallerent ora jejuniis, corpuſque ejus aridum, exſiccatum, & quaſi mortuum ſpectantium oculis videretur. Unde de eo, ſicut de S. Joanne Baptiſta dici poterat, *quod erat non manducans, neque bibens*. Sed de eo etiam, ſicut de Sanctiſſimo Chriſti Præcurſore, dici debet, quod fuerit Angelus in deſerto, ratione abſtinentiæ, & jejuniorum, quibus corpus jam pene exanime, affligebat, & dire cruciabat. Sicut enim, *quia jejunio vacavit Joannes, non homo, ſed Angelus æſtimatus eſt: Ambr. l. de Helia, & jej. c.* 3. ita, quia S. Hieronymus in deſerto corpus ſuum acerbis cruciavit jejuniis, non homo, ſed Angelus vocandus eſt.

Non Angeli dicendi ſunt, qui interdum jejunant, ut legem de jejunio non violent: non Angeli appellandi ſunt, qui ita jejunant, ut cibis quadrageſimalibus opipare veſcantur; non Angeli vocandi, qui in prandio exquiſitis quadrageſimalibus cibis ita ventrem replent, ut non jejunare, ſed gulæ indulgere videantur. Sed jejuniis ſuis Angelus vere factus eſt S. Hieronymus, qui ita jejunabat, ut ſolis radicibus & oleribus veſceretur, & cujus jejunia ita crebra & arcta erant, ut pallerent ora jejuniis corpuſque ejus, velut radix ſicca, arida, & quaſi mortua videretur. Hieronymo certe dici poterat: *Non eſt homo, ſed Angelus, quia ferme Angelus eſt jejunans: Chryſ. ſerm. de Virg.* Et dici poterat, quod ordinis eſſet Angelici: quia *jejunium, Angelorum cibus eſt: & qui eo utitur, ordinis Angelici cenſendus eſt. S. Athan. de virginit.* O mirandum hominem! qui ſimul Angelus eſt puritate qua floruit, & jejuniis quibus inſtitit; *ac etiam oratione, cui continue adhæſit*.

3. Angeli in cælo divinis continue inſiſtunt laudibus; hi ſunt aſtra illa matutina, quæ Deum indeſinenter laudant; hi ſunt Miniſtri Domini, facientes voluntatem ejus qui in omni tempore & loco divinis laudibus vacare non deſinunt; hi ſunt ſpiritus illi cæleſtes, qui ſemper vident faciem Dei, & qui divinam Majeſtatem continuis laudibus proſequuntur: hi tandem ſunt hominum advocati & protectores, quorum operatio continua eſt, Deum laudare, benedicere, & pro hominum ſalute orare. *Angelorum opus eſt deprecatio. S. Chryſ. ib.* Sicut autem Angeli in cælo; ita & Hieronymus in deſerto orationi indeſinenter incubuit: hoc fuit ſpeciale, & quaſi continuum ejus opus. Mirabilis enim ille ſolitarius in omni loco & tempore Deum pro ſe, & pro omni populo orare non deſinebat; ita ut ſæpe tota die & nocte ad Deum precibus ſuis clamaret: *Memini*, inquit, *me, clamantem diem crebro junxiſſe cum nocte*. In vallibus & montibus, in rupibus & antris ad Deum preces fundebat; *Sic ubi concava vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus*. Hieronymus tandem, tanquam terreſtris quidam Angelus, in omnibus locis & temporibus orationi indeſinenter adhærebat.

Nonnulli homines, quaſi bruta, & muta animalia, nuſquam Deum deprecantur; ſed alii, ſicut Angeli, corda ſua ad Deum per orationem continue elevant. Et iſtos S. Chryſoſtomus, homines a brutorum natura alienos, Angelos, & Angelorum ſocios nuncupabat; *Deprecatio te ſeparat a mutis animalibus, hæc te ſociat Angelis. Chryſ. l. 1. de orant. Deum.* Pernoctabat Paulus in oratione Dei; ecce Angelum, & Angelorum ſocium: orabat S. Antonius a ſolis occaſu uſque ad ejus ortum; ecce Angelum: S. Benedictus, S. Bruno, S. Franciſcus, & alii multi ſancti Viri orationi ſedulo & jugiter incumbebant; ecce terreſtres Angelos: Sed ſpecialiter Angelus dicit debet S. Hieronymus, ratione orationis; quia tam frequens & aſſiduus erat orationi, ut orare & reſpirare, unum & idem in eo eſſe videretur. Dum Romæ moraretur, ibique perſonarum piarum inſtitutioni, compoſitioni librorum, totiuſque Eccleſiæ majoribus negotiis incumberet, ingemiſcebat eo quod ardens orandi ſtudium, quo fervebat, ad ſatietatem explere non valeret. Quare ſolitudines quæſivit, & loca deſerta ab omni tumultu ſemota adivit; ibique orationi ita aſſidue vacavit; ut non amplius homo, ſed Angelus eſſe videretur, & Angelis cæleſtibus ſociaretur. Magnus ergo extitit S. Hieronymus; quia fuit Angelus in deſerto, *ac etiam, quia fuit prodigium in Eccleſia*. Et iſte erit tertius magnitudinis ejus radius: *Magnus vocabitur*.

TERTIA PARS.

S. Hieronymus fuit prodigium in Eccleſia.

SI portenta & prodigia eſſe dicimus viros illos, qui aliquid inſolitum, extraordinarium & admirabile in ſe habent, vel operantur; multis ſane rationibus prodigium in Eccleſia fuit S. Hieronymus; prodigium enim fuit: 1. *Libris*, quos compoſuit: 2. *Oraculis*, quæ protulit: 3. *Virtutibus*, quibus enituit.

1. A

Digitized by Google

1. A Deo quidem inſpirata ac portentoſa eſt Auguſtini, Gregorii, Chryſoſtomi, & aliorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Patrum doctrina, nec mirabiles eorum Libros legere poſſumus, quin in eis aliquid portentoſum eſſe fateamur. Sed quid magis portentoſum elucet in Sancto Hieronymo, ratione mirabilium Librorum quos compoſuit, & ſcriptorum quæ Eccleſiæ reliquit, quia tales ſunt Libri, taliaque ſcripta S. Hieronymi, ut aliquo modo dici poſſit, quod libri & ſcripta ejus, ſint libri & ſcripta Dei. Mirabilis enim ille Doctor, a Deo & ab Eccleſia delegatus, quæ ex ſacræ Scripturæ libris erant diſperſa, collegit: quæ ab hæreticis fuerant corrupta, redintegravit; variaſque ſacrorum librorum verſiones fecit, & Eccleſiæ tradidit; in quibus ſimul leguntur ſcripta Dei, & ſcripta S. Hieronymi: libri Dei, & libri S. Hieronymi. Eaque inter ſe ita connexa ſunt, ut revera libri & ſcripta, quæ Deus Eccleſiæ ſuæ reliquit, ſint etiam libri & ſcripta S. Hieronymi: & e contra libri & ſcripta S. Hieronymi ſint etiam libri & ſcripta Dei.

In admirabili Verbi æterni Incarnatione divinæ cum humana Chriſti natura tanta facta eſt unio; ut per communicationem idiomatum, quæ de una ex his naturis dicuntur, de alia etiam dici poſſint. Et ſic de Chriſto Salvatore, ratione naturæ humanæ, cui divinitas eſt unita, dicimus, quod Deus eſt infans, parvus, paſſibilis, moriens & mortuus. Et contra, ratione naturæ divinæ, cui humanitas eſt conjuncta, dicimus, quod hic homo eſt æternus, immenſus, infinitus & impaſſibilis: Idem quodam modo dici poſſet de libris & ſcriptis Sancti Hieronymi, reſpectu ſcriptorum & librorum Spiritus Sancti. Nam ex eo tempore, quo, ad totius Eccleſiæ decorem & utilitatem, ſacrorum Librorum verſionem, quæ nunc vulgata dicitur, compoſuit Sanctus Hieronymus, tanta librorum ejus cum divinis facta eſt unio, ut revera Libri Dei ſint libri Sancti Hieronymi, & libri Sancti Hieronymi ſunt Libri Dei. Unde ſi de ſacræ Scripturæ Libris dicat quis, quod ſint opera Dei; quia Deo inſpirante hæc ſcripta ſunt: dicam & ego, quod hæc ſint Hieronymi opera: quia ab eo hæc collecta, correcta, & linguæ latinæ reddita ſunt. Miramini ſcripta & libros S. Hieronymi, & fatemini eum in Eccleſia eſſe prodigium, ratione Librorum quos ſcripſit; *Sed S. Hieronymus, fuit etiam prodigium in Eccleſia, ratione oraculorum quæ protulit.*

2. Sua olim oracula habebant Gentiles, quæ nil aliud erant, quam dæmones in idolis loquentes, qui nunc caſus futuros prædicebant, nunc dubia propoſita ſolvebant; & fere ſemper ſub verbis æquivocis, & amphibologicis homines fallebant.

Vana quidem, ſuperſtitioſa, & exitioſa erant hæc oracula; ſed verum totius Eccleſiæ oraculum extitit Sanctus Hieronymus, qui tot oracula, quot verba protuliſſe videtur: & ad quem tamquam ad oraculum, ex omnibus terræ partibus omnis generis perſonæ veniebant. E ſilvis & antris egrediebantur Monachi, ut ab eo perfectiorem vivendi normam acciperent. Ad eum undequaque accedebant Epiſcopi, ut eum loquentem audirent, utque ejus conſiliis ſe ſubjicerent. Ad eum advolabant viri doctiſſimi, ut doctiores fierent; ipſe etiam Auguſtinus, qui ut Doctorum aquila, & ut fulgentiſſimum mundi lumen a cunctis inſpiciebatur, difficiliorum ſacræ Scripturæ locorum explicationem ab eo ſæpe petebat. Nec mirum ſi Sanctum Hieronymum conſulant Doctores & Epiſcopi; cum ipſi Summi Pontifices, qui totius Orbis Eccleſiaſtici ſunt oracula, ad eum, tamquam ad ſuperius quoddam oraculum irent, ab eo conſilium petere non dedignarentur, ejuſque reſponſiones, velut decreta a Deo manantia reciperent, & venerarentur. Ad eum ex omnibus mundi partibus properabant docti & indocti, qui eum conſulebant, *quaſi ſi quis conſuleret Dominum; 2. Reg. 16.* ipſe autem omnibus reſpondebat, ejuſque reſponſa tamquam oracula & decreta canonica recipiebantur. Quare fatendum, quod S. Hieronymus in Eccleſia vere prodigium fuerit, ratione oraculorum, quæ protulit: *ac etiam ratione virtutum, quibus enituit.*

3. In Hieronymo, qui totus portentoſus erat, portentoſæ micabant virtutes. Portentoſa in eo humilitas, portentoſa paupertas voluntaria, portentoſus ſalutis animarum zelus, portentoſa pœnitentia, portentoſæ mortificationes; quibus corpus excruciabat, & portentoſus concentus omnium virtutum, quibus rutilabat. Probe ſciebat S. Doctor, illos in cælo non fore magnos, qui alios ſolum docuerint; niſi & ipſi fecerint quæ ab aliis agenda eſſe dixerint: *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.* Quare non ſolum ille alios verbo docet mundi fugam, divitiarum contemptum, ſolitudinis, mortificationis, humilitatis, orationis, & omnium virtutum amorem, ſed & ipſemet terrena cuncta abjiciens, & mundo valedicens, in locum ſolitarium, tamquam in voluntarium carcerem ſe recipit; ibique jam corpus flagellis dire excipit, jam lapide pectus crudeliter tundit, nunc uberes fundit lacrymas: ac ibi orationi, contemplationi, humilitati, charitati, jejuniis, aliiſque virtutibus tanto cum ſpiritus fervore adhæret, ut omnibus hominibus prodigium factus ſit. *Prodigium factus ſum multis.*

Sibi ipſi, ſicut & aliis dicebat Hieronymus. *Delicatus es, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Hieron. lib. 2. ep. 5.* Quare nil voluptati, nil mundi deliciis, nil corporis conſolationi dabat; ſed totus erat orationi, totus humilitati, totus charitati, totuſque omnium virtutum exercitio. Heu! quibus virtutibus non floruit in famoſa illa Syriæ ſolitudine, ubi toto quadriennio remanſit; & ubi Monachis humillimis humilior, pauperior pauperrimis, & ſanctiſſimis ſanctior extitit? Sed heu! quas virtutes non ſectatur in Monaſterio illo Bethlehemitico, quod a Paula Romana extructum eſt? Ibi omni cum humilitate adorat Chriſtum in præſepio naſcentem; ibi gemituum Chriſti pueri memor, propriis lacrymis ſanctum illud antrum irrigat: ibi Chriſtum ut perfectiſſimum altioris humilitatis, arctioris paupertatis, ardentioris charitatis, omniumque virtutum exemplar indeſinenter contemplans, ei quantum fas eſt, ſe conformem efficit, omneſque virtutes tanta cum perfectione ſectatur, ut ratione virtutum ſuarum omnibus prodigium fiat.

Miramini portentoſum hunc virum, ſed ut vir-

tutes

Digitized by Google

tutes ejus imitari contendite. Quid prodeſſet ejus propalare merita, & virtutes prædicare, ſi eum nullo modo imitari velimus? non ſalvabimus, quia ille ſanctus fuit, & quia ille omni virtutum genere floruit; ſed ſalvabimur, ſi has ſedulo ſectemur virtutes, quibus ille adhæſit. Non ſalvabunt nos bona ejus opera, ſed noſtra; quare faciamus bona opera, quæ fecit Hieronymus, & ſalvabimur ſicut Hieronymus.

Dei judicia ſæpe mente volvebat Vir ille ſanctiſſimus, & ab iis plurimum timebat: *Ego diebus ac noctibus cognito cum tremore, reddere noviſſimum quadrantem. Hieron. epiſt. 5. ad Florent. cap. 9.* Timebat etiam æterna inferni ſupplicia; quare ut illa vitaret, in ſolitudinem ſeceſſit, ubi omni virtutum generi operam dedit: *Ille ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipſo damnaveram. Epiſt. 22. ad Euſtoch.* Timebat ille; timete & vos; ſed ſicut timor judiciorum Dei, & pœnarum inferni, eum ad perfectius Deo ſerviendum induxit; timete ſimiliter vos & ita timete, ut abdicato omni ſcelere, virtutibus illis ſectandis ſedulo incumbatis, quibus mediantibus æternam beatitudinem aſſequi valeatis. *Amen.*

DE ANGELO CUSTODE.

CONCIO UNICA.

Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te. Pſalm. 90.

DEus, cujus in omnibus admirabilis eſt providentia, Angelos, qui ſcientia, decore & dignitate omnes alias creaturas ſuperant, ad hominum tam impiorum, quam juſtorum cuſtodiam delegare dignatus eſt. Cæleſtes autem illi ſpiritus, quaſi ſuæ dignitatis obliti, Dei obtemperant voluntati, & perſonarum ſibi commiſſarum ſaluti mira ſollicitudine invigilant. Hi namque ſemper ſuadent bona, introrſus loquuntur ſalubria, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem, pacificant mentem, cogitationes ordinant, ſpei infundunt dulcedinem, obtemperare Deo, legiſque mandata ſervare docent: & ut paucis multa complectar: *Angeli noſtram in omnibus zelant ſalutem. Laur. Juſtin. lib. de caſto connubio cap.* 8.

Omnia quæ ſanctiſſimi & vigilantiſſimi illi Cuſtodes nobis impendunt beneficia, ſingulatim recenſere, explicare, & prædicare nobis eſſet impoſſibile; quare ex iis aliqua solummodo ponderabimus, quæ maxima ſunt, & quæ ad magna Cuſtodibus Angelis obſequia præſtanda, quemque noſtrum excitare, & compellere debent, &c. *Ave.*

PRotoparentis noſtri peccato facti ſumus ignari, debiles & miſeri, omnique gratia indigni. Exitioſo hoc peccato facti ſumus ignari eorum quæ Dei ſunt: ita ut hominum plurique ſint veluti bruta animantia, quæ ſpiritualia & divina non percipiunt: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. 1. Cor. 2.* Hoc peccato facti ſumus etiam debiles, reſpectu dæmonis, qui adverſum nos continue pugnat, quique nos devorare & perdere ſemper intendit: *Adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret. 1. Pet. 5.* Hoc tandem peccato facti ſumus miſeri, & cæleſtibus indigni favoribus: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Job* 14.

Si jam ignari & cæci ſimus, aliquo egemus Doctore, qui nos erudiat, & illuminet: ſi ſimus infirmi & debiles, aliquo indigemus protectore, qui nos roboret & defendat: ſi tandem miſeri, & divina gratia indigni ſimus, vigilanti & potenti apud Deum egemus Patrono, qui pro nobis oret, ſalutiſque noſtræ negotia gerat. Angeli autem tria hæc nobis impendunt beneficia: ſunt enim Doctores, Protectores & Advocati noſtri. Sunt: 1. *Doctores*, qui nos erudiunt: 2. *Protectores*, qui nos defendunt: 3. *Advocati*, qui apud Deum nobis patrocinantur.

PRIMA PARS.

Angeli Cuſtodes ſunt Doctores, qui nos erudiunt.

CHriſtus Dominus in hunc mundum venit, non ut Salvatoris ſolum, ſed etiam ut Doctoris fungeretur officio: & ideo vocari voluit Magiſter & Doctor: *Vocatis me Magiſter, & bene dicitis. Joann.* 13. Divinus autem ille Doctor homines erudivit, eoſque docuit peccati fugam, virtutis amorem, & ea omnia, quæ ad ſalutem ſpectant: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo. Ad Tit.* 2.

Quod fecit Chriſtus, reſpectu totius humani generis, hoc & quotidie reſpectu ſuorum clientum, hominumque ſuæ curæ demandatorum, faciunt Cuſtodes Angeli. Eos enim erudiunt interius, eos docent obtemperare Deo, impietatem abnegare, reſurgere a peccato: ſobrietatem, humilitatem, omneſque virtutes ſectari: ac ea omnia quæ ſalutis ſunt, ſedulo peragere: *Angeli docent nos obtemperare Deo, ſubeſſe majoribus, pacem diligere, humilitatem ſectari, & cuncta odiſſe quæ norunt repugnare virtuti. Laur. Juſt. ib.*

Angelos D. Athanaſius *mortalium præceptores vocat*. Quilibet enim Cuſtos Angelus, reſpectu ſui clientis, Doctoris & præceptoris fungitur officio; ac, ut ait D. Auguſtinus: *Cuſtos Angelus ſemper nobis adſtat, noſque ſalutaribus inſpirationibus illuminat. Auguſt. ſolil.* 27. Unde quilibet Angelus ſuo dicere poſſet clienti quod Danieli dixit Archangelus Gabriel: *Nunc egreſſus ſum, ut docerem te. Dan.* 9. Cuſtodes enim Angeli e cælo egrediuntur, & ad hæc inferiora deſcendunt, ut nobis adſtent utque, tamquam Doctores ad noſtri curam deſtinari doceant nos terrena deſpicere, vitare peccata, virtutem ſectari, Deum & proximum toto corde diligere, omniaque facere, quæ ad ſalutem & perfectionem noſtram attinent.

Quilibet Cuſtos Angelus ſimilis videtur Angelo huic ad Reges Magos a Deo miſſos, qui eos docuit, ut, adorato Salvatore, per aliam viam redirent in regionem ſuam; quilibet enim Cuſtos Angelus

Digitized by Google

gelus clientem ſuum docet, ut Chriſtum adoret, peccati viam relinquat, & per aliam, ſeu per virtutis viam ad æternam Paradiſi Patriam pergat. Cuſtodes illi Angeli ſuperbis viam humilitatis, avaris viam charitatis, omnibuſque hominibus perfectionis & ſalutis viam inſpirant; & ad hæc quæ inſpirant facienda eos monent & ſollicitant: *Non ceſſant ſollicitare, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere. S. Bernard. ſerm. 30. in Cant.*

Cum Petrus, catenis vinctus, in carcere detineretur, miſit Deus Angelum ſuum, qui cæleſti lumine totum illuſtravit carcerem, in quo vinctus dormiebat Apoſtolus, dixitque ei, ut ſurgeret: *Ecce Angelus aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo; percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: ſurge velociter. Actor. 12.* Idem accidere ſolet cuilibet peccatori; quandiu enim homo in ſtatu mortalis peccati vivit, tetris criminum ſuorum catenis conſtringitur: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Pſalm.* Hic etiam in peccatis ſuis dormit: *Exurge, qui dormis.* Sed Angelus Cuſtos peccatorem interius inſpirationibus illuminat, eumque ad ſurgendum a peccato excitat; &, ut loquitur Doctor Seraphicus, *Angelus Cuſtos peccatori, vinculis peccati impedito, in tenebris obnubilato, infundit aliquem radium ſuæ illuminationis, & dicit ei: ſurge velociter. S. Bonav. ferm. de S. Michaele.* Idem Seraphicus Bonaventura ait, quod Angelus Cuſtos, ut clientis ſui Doctor, eum ſic alloquatur: (ſurge, miſer, & conſidera ubi jaces, quomodo corrupiſti tuam naturam, defœdaſti pulchritudinem tuam, qua eras ad imaginem pulchritudinis æternæ factus: nam repuliſti a te Spiritum Sanctum, factus es dæmonum proſtibulum, privaſti te æternis præmiis, obligaſti te æternis ſuppliciis: *Surge igitur, & redi ad pænitentiam. Ibidem.* O mirabilem Doctorem, qui peccatores de agendis & vitandis mirabiliter erudit! At non ſolum peccatores, ſed etiam juſtos Angeli mirabiliter erudiunt, docentque eos omnis virtutis, omniſque perfectionis viam: *Angeli nos in via perfectionis dirigunt. ibid.*

Quando Agar fugiebat a facie Saræ dominæ ſuæ, occurrit ei Angelus, qui eam hortatus eſt, ut ad dominam ſuam reverteretur: *Revertere ad dominam tuam. Gen. 16.* Eodem modo ſe habet Cuſtos Angelus erga clientem, qui a Deo per peccata receſſit; Angelus enim eum intus illuminat, & erudit: ei peccati ſui gravitatem manifeſtat, illumque ſollicitat ad reſurgendum a peccato, & ad revertendum ad Dominum, a quo diſceſſerat; ei intus dicit Angelus: *Revertere ad dominam tuam, converte te ad divinam ſapientiam. Ibid.* Cum homo per peccata ſua a Deo fugit, Angelus Cuſtos, ut Prædicator & Doctor, eum erudit, eique intus dicit: (exurge qui dormis; vide, miſer, quanta ſit iniquitas tua, quanta ſit malitia tua, quantave turpitudo tua; Conſidera, quis ſit ille quem offendiſti, quod ſit bonum quod perdidiſti, quodve ſit malum quod contraxiſti. Attende tibi miſero & infelici, reſpice mortem quæ accelerat, judicium quod appropinquat, & infernum qui te expectat, ſi pravam tuam non derelinquas viam, & ſi a peccato non reſurgas. Quare, *ne tardes converti ad Dominum*, ſed *celeriter revertere ad dominam tuam, converte te ad divinam ſapientiam. ibid.* O eximium Doctorem! O quam mirabiliter peccatores erudit! Sed & Angeli Cuſtodes erudiunt etiam homines juſtos: etenim patientiam, benignitatem, charitatem, & omnes virtutes docent: eorumque mentes ad divina Myſteria concipienda elevant: *Elevant mentem noſtram, & inflammant ad amorem æternorum. Ibid.*

Certum eſt, quod Angeli Cuſtodes maxime ſolliciti ſint de ſalute clientium ſuorum: *Nunquam quieſcunt Angeli in opere ſalutis noſtræ: nimirum quia optime norunt, quanta res ſit in æternum damnari. D. Bern. ſerm. 29. in Cant.* Hi pro noſtra laborant ſalute, tum precibus quas pro nobis Deo offerunt, tum peccandi occaſionibus quas a nobis avertunt. Sed pro noſtra potiſſimum laborant ſalute, erudiendo nos interius de vitandis, & de faciendis: ac docendo nos viam ſalutis. Unde quilibet Cuſtos Angelus reſpectu alumni ſui, facere videtur, quod fecit Angelus reſpectu Sancti Joannis Evangeliſtæ, quem Angelus in altum ſuſtulit, & cui idem Angelus Paradiſi gloriam oſtendit: *Suſtulit*, inquit, *me Angelus in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem. Apoc. 21.* Quilibet enim Angelus clientem ſuum tollit in altum, illumque erudit interius, ut ad montem Dei, & ad civitatem ſanctam Jeruſalem eum dirigat & perducat: quilibet, reſpectu ſui clientis, eſt Doctor ſollicitus, qui eum intus docet, quæ facienda, & quæ vitanda, ut ad excelſum cæli montem pervenire valeat.

Illos quidem non videmus Doctores: ſed illos intus loquentes audimus. O quoties audiſti Angelum tuum intus te monentem, ad bene faciendum te excitantem; teque de agendis & vitandis erudientem! Quoties audiſti eum tibi loquentem ad cor, tibique dicentem; declina ab hoc & illo peccato, cui addictus es: hanc & illam fuge occaſionem, quæ te ad prava trahit: huic & illi virtuti comparandæ ſedulo incumbe? Quoties illum audiſti, dicentem tibi; terrena deſpice, carnalia fuge, ſpiritualia dilige, & ad æterna indeſinenter aſpira? Certe Angelos intus nos docentes ſæpe audimus; ſed tanta eſt noſtra infirmitas, vel potius, tanta eſt noſtra malitia; ut tam beneficos Doctores, eorumque monita & conſilia parvipendamus, ac pro nihilo habeamus. O quam bonus Iſrael Deus, qui tanti meriti Doctores, ad nos erudiendos mittere dignatus eſt! Sed o quam maligni ſunt homines, qui horum Doctorum monita abjiciunt, inſpirationes deſpiciunt, & doctrinam parvipendunt! Erubeſce, N. eo quod nullum, aut pauciſſimum ex tantorum Doctorum monitis, conſiliis, & eruditionibus emolumentum perceperis: ſupplex a Deo veniam poſtula, eo quod tantis tibi ab eo datis ſalutis Doctoribus non obtemperaveris: ac in poſterum hos Doctores honora, & ea quæ te docebunt adimple: in poſterum redde quod debes Angelis Cuſtodibus, qui ſunt Doctores a quibus erudimur: *& qui ſunt etiam protectores, qui nos adverſus dæmones defendunt, & ab iis tuentur.*

SECUNDA PARS.

Angeli Cuſtodes ſunt protectores, qui nos tuentur.

Tanta dæmonum adverſus nos eſt malitia, ut tartarei illi ſpiritus in reproba ſua Republica decreverint, cuilibet homini in hoc mundo viventi, dandum dæmonem tentatorem, qui ejus ruinam mo-

moliatur, omnibuſque modis eum ad peccatum, & ad infernum trahere conetur: *Suggeſſimus*, inquit Tertullianus, *nullum hominem carere dæmonio. Tertull. lib. de an.* At Deus mirabili ſua providentia Angelo Angelum, ſeu Angelo tenebrarum, Angelum lucis oppoſuit. Et ſicut diabolica reſpublica dæmones tentatores contra nos deſtinavit; ita Deus Cuſtodes nobis dedit Angelos, qui tamquam athletæ fortiſſimi a tartareis illis ſpiritibus nos protegant, ac ab eorum adverſum nos machinationibus defendant & tueantur. Unde a Sophronio Cuſtodes Angeli vocantur *conſervatores, defenſores, & decertatores. Sophron. orat. 6. de excell. Angeli*: quia, ſcilicet, pro nobis decertant, noſque ab immani dæmonum rabie protegunt, & defendunt.

Scio, ſpecialem adverſus dæmones datam eſſe poteſtatem iis Angelis, qui *poteſtates* vocantur: *Poteſtates ſunt Angeli, quorum ditioni virtutes adverſæ ſubjectæ ſunt, S. Gregor. homil. 34. in Evangel.* Sed & ipſi Angeli Cuſtodes poteſtatem habent adverſus dæmones, eoſque coercere poſſunt, ne hominibus noceant. *Deus*, inquit Auguſtinus, *ſubdit Angelos malos Angelis bonis, ut malorum improbitas, non quantum nititur, ſed quantum ſinitur, poſſit. Auguſt. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 12.* Et Auctor operis imperfecti aſſerit, tantam eſſe Angeli Cuſtodis in dæmones poteſtatem, *ut in præſentia boni Angeli, ſi ſe a dæmonibus videri permittat, non audeant dæmones tentare homines. Hom. 5. in Matth.*

Hac quidem ſibi a Deo data in dæmones poteſtate, non ſemper, & in omnibus caſibus utuntur Cuſtodes Angeli; ſed quando & quomodo a Deo ordinatum fuerit. Cuſtodes enim Angeli ſunt ſapientiæ divinæ Miniſtri: ac proinde poteſtate ſibi in dæmones tradita utuntur juxta Dei placitum; eoſque arcent, quantum ſapientia divina arcendos judicat, & non amplius. Unde ſicut divina ſapientia, aliqua mala ab hominibus fieri permittit, propter bona, quæ inde elicit; ita & permittit, ut boni Angeli non ſemper dæmones cohibeant a nocendo; nec homines totaliter a dæmonum tentationibus & inſultibus liberent. Sed licet Cuſtodes Angeli poteſtate ſua in dæmones non ita utantur, ut eos ſemper impediant, ne ullo modo nobis noceant; ea tamen ita utuntur, & ita adverſus dæmones nos protegunt, ut tartarei illi ſpiritus in rebus ſalutis nuſquam nobis nocere poſſint, niſi ipſi velimus: *Hi ſunt noſtri cuſtodes, & protectores, qui ſemper & ubique nobis aſſiſtunt, nec nos patiuntur lædi, niſi velimus. D. Bonav. ibid.*

Sicut Angelus Tobiæ dæmonem, nomine Aſmodæum, qui Saræ viros interficiebat, alligavit in deſerto ſuperioris Ægypti: ita & Cuſtodes Angeli alligant dæmones, illoſque ita coercent, inquit Doctor Seraphicus: *ut nobis nocere non poſſint, niſi velimus.* Et in hoc ſenſu dixit Tertullianus, quod *poteſtas dæmonis ſubjecta ſit homini. Tertull. Apol. 3.* dæmonis enim poteſtas eſt homini ſubjecta; quia ab Angelis Cuſtodibus ita ligantur, & arcentur dæmones; ut nullo modo hominibus in rebus ſalutis nocere poſſint, niſi ipſi velint.

Quod præclare explicat D. Auguſtinus familiari ſimilitudine canis ad palum alligati. Sicut enim canis ad palum alligatus, quantumvis mordax ſit & rabidus, nullum mordere poteſt, niſi volentem; ſic dæmon ita alligatur, & arcetur ab Angelis Cuſtodibus, ut velut canis, latrare poſſit, mordere tamen & ad peccatum nos cogere non poſſit, niſi ipſi velimus: *Latrare poteſt, mordere non poteſt, niſi volentem.*

O quam mirabiliter Angeli Cuſtodes nos a dæmonibus protegunt & defendunt! cum ita illorum malitiam coerceant, ut nobis nocere nequeant, niſi ipſi velimus. Sed nos ita etiam a dæmonibus defendunt, ut mediante Angelorum auxilio, iis illudere poſſimus.

Dæmon eſt draco tartareus, cujus in homines malitia tanta eſt, ut eos ſemper vorare, & flatu ſuo, ſeu malignis inſpirationibus, ad prava trahere, & enecare contendat. Sed quantumvis magna ſit draconis illius malitia; quantumvis malignus & peſtilens ſit ejus flatus; quantumvis etiam nos poteſtate, & fortitudine ſuperet, ab illo ita nos protegunt, & defendunt Angeli noſtri Cuſtodes, ut ei illudere poſſimus. Hic eſt draco, quem formavit Deus, non ut nobis illuderet, & de nobis triumpharet, ſed ut nos ei illuderemus: *Draco, quem formaſti ad illudendum ei. Job 40.* Et de facto ei tamquam aviculæ, illudimus, ſi velimus, non ex ſolis viribus noſtris, ſed mediante Angelorum patrocinio. At, quod majori adhuc admiratione dignum eſt, non ſolum dæmoni illudere, ſed etiam eum dejicere, & quaſi conculcare poſſumus.

Dæmon in ſacra Scriptura non ſolum vocatur draco, ſed etiam Aſpis, Baſilicus, & Leo. Dicitur *Aſpis*, propter calliditatem, quia occulte lædit; vocatur *Baſiliſcus* propter venena, quæ infundit; appellatur *Leo*, propter fortitudinem qua pollet; & quia in homines rugit, eoſque vorare intendit: *Tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Terribilis quidem illa aſpis, formidandus ille Baſiliſcus, immanis ille Leo; ſed mediante Angelorum auxilio, ſuper hanc aſpidem ambulare, hunc Baſiliſcum conterere, & hunc Leonem conculcare: ſeu, in illum auctoritatem habere poſſumus, ita ut nec in minimo nobis nocere poſſit. Et, ut nullum hac de re dubium remaneat, Regium audite Vatem: *Angelis ſuis*, inquit, *Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Et mox ſubjungit: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Pſ. 90.* Quaſi dicat; mediante Angelorum cuſtodia, ſuper dæmonem (qui malitia ſua Aſpis, Baſiliſcus, Leo, & Draco dicitur) incedes, eumque conculcabis, ſeu in eum auctoritatem habebis: ita ut in rebus ſalutis tibi nullo modo nocere poſſit, niſi velis. Contra malignos illos dæmones, contra hoſtes tam feroces, tamque potentes, humana fragilitas ſtare non poſſet, niſi adjutores, propugnatores, & protectores Angelos ei Deus dediſſet: ſed mediante Angelorum auxilio, homo quantumvis fragilis, debilis & infirmus, de formidandis illis hoſtibus triumphare poteſt; immo & eis illudere, eoſque quaſi conculcare, quia Angeli Cuſtodes ita nos ab iis defendunt, ut nocere nequeant, niſi velimus.

Gratias ergo agamus Deo, qui tales nobis protectores, & defenſores dare dignatus eſt; gratias etiam agamus ipſis Angelis, qui millies a dæmonum

Digitized by Google

num inſidiis & machinationibus nos defenderunt, & de iis triumphare fecerunt, ſed & ſupplices rogemus eos, ut in tentationibus nos ſemper adverſus dæmones protegant, & defendant. Hæc ab iis gratia ſingulis diebus eſt petenda; ſed præcipuè cum gravis aliqua urget tentatio: *Quoties graviſſima cernitur urgere tentatio, tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic, Domine, ſalva nos, perimus. D. Bern. ſerm. 12. in Pſal. Qui habitat.* Sic invocate Cuſtodes Angelos, qui ſunt protectores, qui nos a dæmonibus defendunt: *Et qui ſunt etiam advocati, qui apud Deum pro nobis orant, & ſalutis noſtræ negotia agunt.*

TERTIA PARS.

Angeli Cuſtodes ſunt advocati, qui apud Deum pro nobis patrocinantur.

UNicuique datus eſt Angelus Cuſtos, qui alumnum, ſibi commiſſum, ab ipſo conceptionis inſtanti, uſque ad extremum vitæ terminum non dereliquit. Et licet homo graviter peccet, peccata multiplicet, ac multifariam adverſus ipſum cuſtodem Angelum ſit ingratus, ab eo tamen nunquam deſeritur: *non dimittet eum peccaveris. Exod. 13.* Sicut enim dæmon non relinquit hominem juſtum ob bona opera, quæ facit; ita & bonus Angelus clientem ſuum nunquam deſerit, quantumvis peccet, & in ipſum Cuſtodem ingratus ſit. Immo, quo major eſt noſtra erga Cuſtodes Angelos ingratitudo, eo major eorum in nos videtur eſſe ſollicitudo: *Quotidie*, inquit Petrus Damianus, *Angelos ad noſtram cuſtodiam deputatos multipliciter offendimus, & offenſam negligentia cumulamus. Ipſi autem licet a nobis frequenter injurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccantibus. Nec minor illorum circa nos cuſtodia, immo major ſollicitudo cum boni cuſtodiſſit, infirmis magis, quam ſanis operam exhibere. Petr. Damian. ſerm. 5. de Exaltat. S. Crucis.*

Medicus, qui ex charitatis motivo operatur, non iraſcitur adverſus infirmum phreneticum, qui ei conviciatur, qui ejus ſpernit conſilia, remedia deſpicit, & perſonam parvipendit: quin contra, ſpiritu compaſſionis ductus, majori cum ſollicitudine ſanitati ejus invigilat. Eodem prorſus modo erga nos ſe gerunt Cuſtodes Angeli; poſtquam enim multas a nobis paſſi ſunt repulſas, & ingratitudines, ſaluti noſtræ maxima cum ſolertia invigilant: *Injurias quas eis quotidie inferimus, dum cuſtodiæ eorum refragamur, patienter ſuſtinent, nec læſi nos lædunt, immo mitius compatiuntur nobis, & tamquam medici majorem ſollicitudinem infirmis impendunt. Petr. Bleſ. in ſerm.*

Magna hæc Angelorum Cuſtodum in clientes ſuos ſollicitudo apparet in hoc mundo, & in cælo. *In hoc mundo*, ubi clientes comitantur, a dæmonibus defendunt, a peccandi occaſionibus avertunt, & viam ſalutis docent: *In cælo*, ubi Deum pro clientibus orant, & ut advocati peritiſſimi iis apud Deum patrocinantur.

Sicut in ſcala Jacob viſi ſunt Angeli aſcendentes, & deſcendentes: ita & Cuſtodes Angeli a cælo deſcendunt, & ad cælum aſcendunt: *Deſcendunt*, ut nos cuſtodiant, protegant, defendant, ſuiſque inſpirationibus nos a malo avertant; & ad bene operandum inducant: *Aſcendunt*; ut apud Deum ſalutis noſtræ negotia peragant, nobiſque patrocinentur. Et revera nobis apud Deum patrocinantur: 1. Pro nobis Deum orando: 2. Bona noſtra opera, preceſque noſtras ei offerendo.

1. Quamdiu in hoc mundo moramur, exules ſumus, & a facie Dei excluſi: Ita ut facilem ad Deum non poſſimus habere acceſſum; quare potenti & vigilanti aliquo egemus patrono, qui apud Deum ſalutis noſtræ negotium agat, & pro nobis oret. Hoc autem beneficium nobis impendunt Cuſtodes Angeli, qui ardenter pro nobis Deum orant, ſuiſque orationibus ſalutem nobis procurare conantur: Tales Angeli, inquit Auguſtinus, magna cura adſunt nobis omnibus horis & locis, ſubvenientes neceſſitatibus noſtris; *& pro nobis Deum orantes. Auguſt. ſolil. 27.*

Orant pro nobis Deum Cuſtodes Angeli: rogant eum ut nobis largiatur humilitatem, patientiam, benignitatem, charitatem, & omnia quæ ad ſalutem nobis neceſſaria ſunt. Et ut a Deo impetrent, ea petunt in nomine Chriſti, qui pro nobis pati, & mori dignatus eſt: *Rogant pro genere humano in nomine Chriſti*, inquit Chryſoſtomus: *quaſi dicant: pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexiſti, ut pro eorum ſalute mortem obires, & animam in cruce efflares; pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Sic loquuntur illi advocati, pro nobis illum orantes. Sed Cuſtodes Angeli ſunt etiam advocati noſtri apud Deum; *quia preces noſtras, & omnia bona opera quæ facimus, illi offerunt, ut eum nobis propitium reddant.*

2. Hoc advocati munus Angelos nobis præſtare docet S. Vincentius Ferrerius: *Advocantur*, inquit *Ibid. pro nobis præſentando Deo bona quæ facimus; ut orationes, jejunia, & alias aſperitates pœnitentiales, quæ multum placent Deo.* Idem aliis verbis dicit Doctor Seraphicus: *Angeli*, ait, *in conſpectu Dei perferunt omnia bona noſtra opera, non quod Deus, quem nullum latet ſecretum, ea non noverit; ſed quia Deus vult, & ita ordinavit, ut ea, quæ ipſe novit & amat, narrent, laudent, & prædicent. Ideo fortaſſis ut opera noſtra ſint in conſpectu ejus accepta. Bonav. ibid.*

De Cornelio, viro religioſo, & Deum timente, habetur in Actibus Apoſtolorum, quod dixerit ei Angelus: *Corneli, orationes tuæ, & eleemoſynæ aſcenderunt in conſpectu Dei. Act. 10.* Quomodo aſcenderunt? Angelorum miniſterio, qui orationes, eleemoſynas, jejunia, omniaque alia bona noſtra opera Deo offerunt: *Angeli Cuſtodes*, ait Petrus Cellenſis, *omnia bona opera noſtra Deo præſentant. Petr. Cellenſ. lib. 1. de tabera.* Addit Auguſtinus, Angelos Deo preces, & omnia bona opera noſtra offerre, ut illum nobis propitium reddant: *Angeli gemitus noſtros, atque ſuſpiria referunt ad Deum, non quidem quia Deus illa ignoret: ſed ut impetrent nobis facilem ſuæ benignitatis propitiationem. Auguſt. ſolil. cap. 27.*

Angeli

Angeli, ut advocati de ſalute noſtra plurimum ſolliciti, orationes noſtras ſuis jungi volunt: & quaſi orationes eorum non ſint ſatis efficaces ad obtinendam nobis a Deo gratiam & miſericordiam, ad eum noſtras etiam preces deferre, & offerre volunt, ut mediantibus illis eum nobis propitium reddant: *Noſtras preces ad aures Dei adducunt*, ait Anaſtaſius Nyſſenus, *ut eum propitium reddant. Anaſt. apud Suar. de Angel. l. 6. c. 19.* Et non ſolum preces; ſed etiam omnia bona noſtra opera Deo offerunt, ut eum ad nobis propitiandum inclinent. Ipſumque ſuppliciter deprecantur, ut nobis qui has & alias preces fudimus, & qui hæc & alia bona opera fecimus, indulgere, & ſalutis gratiam dare dignetur.

O mirabiles advocati, qui apud Deum & verbis & factis nobis patrocinantur! o quam felices ſumus, quod tales in cælo patronos habeamus! Sed o quam ſedulo orare, & bonis operibus incumbere debemus: cum hi & preces, & omnia bona noſtra opera Deo offerant, ut illum nobis propitium reddant, utque apud eum ſalutis noſtræ cauſam gerant! *Multum ſane conari & ſatagere debemus ad bona opera facienda, cum tales advocatos habeamus, qui ſtatim ea referunt in conſpectu Dei, & ſcribunt in libro vitæ. D. Bonav. ibid.*

O homo, *quod poteſt manus tua inſtanter operare*: ne turpi otio indulgeas, operibus vanis, & ad ſalutem indifferentibus, ne te dedas; omnia opera quæ mala ſunt, & quæ mali ſpeciem habent, ſollicite devita; quidquid boni facere poterit manus tua, inſtanter operare, operibuſque bonis ſedulo incumbe. Et Cuſtos Angelus tamquam advocatus beneficus, omnia tua bona opera Deo præſentabit, ut te in libro vitæ ſcribi curet. Faxit Deus, ut in hoc libro ſcribi, & æterna beatitudine poſt mortem præmiari mereamur. *Amen.*

D E

B. V. MARIÆ ROSARIO.

C O N C I O U N I C A.

Dies victoriæ hujus feſtivitatis in numero ſanctorum dierum accipitur. Judith 16.

MAria, ſimul cum Chriſto Filio ſuo, pacis bellique Regina eſt: *Pacis* utique, quia ſimul cum illo ad pacem univerſo generi humano dandam non parum contulit: *Belli* vero: quia de hæreticis, infidelibus, dæmonibus, & omnibus chriſtiani nominis hoſtibus perſæpe triumphavit.

Mariam omni tempore, ut pacis Reginam colere debent fideles: ſed ſancta a nobis exigit Eccleſia, ut illam hodie, veluti bellorum triumphorumque Reginam veneremur. Hodie enim Virgo, ſicut altera Judith, fecit confuſionem magnam, non in domo Regis Nabuchodonoſor; ſed in toto Turcarum imperio: hæc eſt dies ſolemnis, in qua a dira ſervitute præſervavit, non Bethuliæ cives; ſed ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filios: hodie tandem Maria, precibus Sodalium Confraternitatis Roſarii ad miſericordiam inclinata, non de Holopherne; ſed de Turcis apud Lepantum glorioſe triumphavit. Et ideo Summus Pontifex Gregorius XIII. ordinavit, ut hac in die Roſarii & victoriarum Mariæ ſolemnitas ſimul celebraretur; *Dies victoriæ hujus feſtivitatis in numero ſanctorum dierum accipitur.* Glorioſam hanc victoriam Mariæ meritis de infidelibus reportatam, univerſa demirata eſt terra; hanc & nos admiremur; ſed & identidem panegyricam concionem inſtituamus de B. Mariæ Virginis Roſario; quo Maria ad decertandum adverſus infideles inclinata eſt, &c. *Ave.*

DE Roſario dicturus, adverto, quod Roſarii nomen diverſa ſignificet, & quid æquivocum ſonet: nam ſæpe Roſarium pro oratione quadam vocali, aliquando pro myſterio, & quandoque pro Confraternitate ſumitur. Roſarium revera *eſt oratio quædam vocalis*, oratione Dominica, ſalutatione Angelica, & oratiuncula ab Eccleſia inſtituta pluries repetitis, conſtans: *Eſt etiam myſterium*, præcipue vitæ & mortis Chriſti continens myſteria, quæ Fideles Roſarium vocaliter recitantes, meditantur: *Eſt tandem Confraternitas*, quæ a Fratrum Prædicatorum Patriarcha Sancto Dominico inſtituta creditur; & quæ longe commendabilior facta eſt, cum orantibus per totum terrarum orbem Confraternitatis Roſarii Sodalibus, beatiſſimæ Virginis meritis, apud Lepantum glorioſam de Turcis victoriam Fideles reportarunt.

Ex jam dictis videtur, quod beatiſſimæ Virginis Roſarium triplicem habeat reſpectum: ad Mariam, ſcilicet; ad Chriſtum; & ad Sanctum Dominicum: *ad Mariam*, quia eſt oratio, qua maxime honoratur; *ad Chriſtum*, quia eſt myſterium; quo præcipuæ & vitæ, & mortis ejus actiones recoluntur; *ad Sanctum Dominicum*, qui auctoritate Eccleſiæ, Roſarium in ſtatum, & in Confraternitatem inſtituit, in qua Chriſtum & Mariam Fideles ſpecialiter venerarentur. Roſarium ergo nunc ut orationem vocalem, ut myſterium, & ut Confraternitatem inſpicio; ac dico, quod Roſarium: 1. *Eſt oratio*, quæ ſæpe recitanda: 2. *Eſt myſterium*, quod ſerio meditandum: 3. *Eſt Confraternitas*, quæ ſedulo tractanda.

P R I M A P A R S.

Roſarium eſt oratio, quæ ſæpe recitanda.

OPortet ſemper orare, & non deficere; omniſque oratio vocalis, ſi debite fiat, nunquam nimis recitari poteſt. Verum inter omnes orationes, quas ad Deum, vel Sanctos fundere ſolent fideles, Roſario Virginis nulla videtur ſanctior, nulla ad recitandum facilior, ad obtinendum nulla potentior, Deo & Mariæ nulla glorioſior; ac proinde nulla, quæ in ore noſtro debeat eſſe frequentior.

Hoc norunt Fideles fere omnes, qui hanc orationem plurimi faciunt, qui Roſaria circumferunt, & qui Mariam frequenti eorum recitatione venerari conantur. Sed ut ad frequentiorem adhuc Roſarii recitationem alliciantur, operæ pretium erit, ut *partes* varias, ex quibus hæc oratio componitur,

Digitized by Google

mitur, *nomina* diverſa, quibus vocatur, & *virtutes* multas, quas operatur, tenui ſaltem minerva explicemus, & propalemus. Quæ omnia, ſi aliquantulum perpendantur, unicuique inſpirabunt, Beatiſſimæ Virginis Roſarium frequentiſſime eſſe recitandum.

1. Ut autem a variis ejus partibus exordiamur; ſciendum, quod Roſarium eſt oratio quædam ex variis orationibus compoſita: ex oratione ſcilicet Dominica, ex ſalutatione Angelica, & ex oratiuncula ab Eccleſia inſtituta; quæ orationes pluries aliquo cum ordine repetitæ: Roſarium integrant.

Orationis, quam Roſarium dicimus, prima pars eſt oratio Dominica, quam vocamus *Pater noſter*. Et hanc Roſarii beatiſſimæ Virginis partem frequentiſſime eſſe recitandam nullus inficiabitur: cum hæc ſit oratio, quam Chriſtus compoſuit, quam ipſe Apoſtolos docuit, & quam quaſi ſemper ab hominibus recitari voluit, dicens: *Sic ergo vos orabitis; Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, &c. Matth. 6.* Sic orandum eſſe dicit Salvator, volens, ut ſæpiſſime, & quaſi ſemper in ore noſtro hæc oratio verſanda ſit.

Secunda Roſarii pars eſt ſalutatio Angelica, qua Mariam ſalutamus, dicentes ei: 1. Quod ſit ſine omni labe peccati originalis & actualis: *Ave*; 2. Quod ſit donis cæleſtibus plena: *Gratia plena*; 3. Quod Dominus ſit cum illa: *Dominus tecum*; 4. Quod ſit inter mulieres benedicta: *Benedicta tu in mulieribus*; 5. Quod benedictus ſit ventris ſui fructus: *& benedictus fructus ventris tui*. Ecce quomodo ſalutamus Mariam, non verbis humano ingenio adinventis, ſed ab Archangelo Gabriele, vel ab Eliſabetha prolatis. Unde quilibet, qui *Ave Maria* recitat, eſt quaſi alter Angelus qui Mariam ſalutat. Si autem gratiſſimum fuit Mariæ, ſic a Gabriele ſemel ſalutari: quis credat non ei eſſe gratiſſimum, cum ſic non ſemel dumtaxat, ſed centies quinquagies a Roſarium recitante ſalutatur? gratiſſima certe & glorioſiſſima Virgini Mariæ eſt hæc ſalutatio. Quare crebro ſic ſalutanda, & Roſarium ſæpe recitandum.

Tertia Roſarii pars eſt oratiuncula hæc, quam poſt Mariæ ſalutationem recitamus, & qua illam ſupplices rogamus, ut pro nobis nunc & in hora mortis intercedat: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in ora mortis noſtræ.* Maria eſt advocata potentiſſima, quæ ſalutis noſtræ negotia pertractat in cælo: hæc advocata noſtra ita potens eſt, ut aſſerant Sancti Patres, omnia gratiarum dona nos per ipſam obtinere, & accipere: quare ſæpiſſime invocanda, & creberrime roganda eſt, ut nobis & nunc & in hora mortis ſubveniat; ac illi perſæpe dicendum cum Eccleſia: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ.* Roſarium ergo eſt oratio, quæ a nobis ſæpe recitari debet, ſi conſideremus partes varias quibus componitur; ſed eſt etiam ſæpe recitanda, ſi attendamus diverſa nomina quibus appellatur: vocatur enim Roſarium, Pſalterium & Corona Virginis, quæ omnia nos ad frequentiſſimam ejus recitationem invitant.

2. Vocatur *Roſarium Virginis*: quia conſtat multis *Ave Maria*, quæ ſunt quaſi tot roſæ myſticæ, quæ Mariæ in odorem ſuavitatis offeruntur. Dicitur *Pſalterium Virginis*: quia ſicut David ſuum Pſalterium compoſuit ad laudandum Deum, & ad gratias ab illo impetrandas: ita & Pſalterium, ſeu Roſarium iſtud, inſtitutum eſt ad laudandam Mariam, & ad favores a Deo per ejus intercesſionem obtinendos. Appellatur *Corona Virginis*: quia quotieſcumque recitatur, quaſi corona ex roſis contexta, capiti Mariæ imponitur. Quare ut Mariæ placeamus, & ut eam ad pro nobis intercedendum alliciamus, Roſarium illud ei ſæpe offeramus, hoc Pſalterio eam ſæpe laudemus, & ſæpiſſime myſticam hanc coronam capiti ejus imponamus.

3. Hæc omnia nos certe movere debent ad ſæpe recitandum beatiſſimæ Virginis Roſarium; ſed illius recitandi majus adhuc nobis extat motivum; nempe virtus ejus ad obtinenda quæ a Deo petimus, & innumeri favores quos recipiunt, qui ſæpe illud ad Mariæ laudem recitant. Quis enim narrare queat, quot infirmi, per recitationem Roſarii ad priſtinam ſint valetudinem revocati? quot homines a dira ſervitute ſint liberati? quot ab hoſtium inſidiis ſint præſervati? quot in evidentiſſimo naufragii periculo verſantes, ad portum feliciter ſint adducti? Sed dicant, qui poſſint, qui typis mandata Sanctiſſimi Roſarii miracula pervolutarunt, quot, illius virtute, dæmones e corporibus hominum ſint fugati? quot mulieres ad partum feliciter & miraculoſe pervenerint? quot quot impii, hæretici, & infideles ad Deum ſint converſi? Dicant tandem, ſi libeat, omnes illuſtrationes internas, varios gratiarum cæleſtium motus, nec non auxilia omnia, tam temporalia, quam ſpiritualia, quæ Roſarium recitantibus fuere conceſſa? Certe Roſarium eſt quaſi ſcala Jacob, per quam ad cælum mente conſcendunt, qui illud recitant, & per quam ad nos tot & tanti deſcendunt favores, ut nunquam concipi, nec ſatis explanari poſſent. Quare cum tanta ſit Roſarii virtus, tantique ſint favores, quos per illius recitationem obtinemus, non eſt qui illud quam frequentiſſime recitandum eſſe non fateatur.

Frequenter quidem; ſed & devote ſemper eſt recitandum: Quid enim proderit Chriſtiano, quod Roſarium circumferat, digitis percurrat, & ore dicat, ſi illud devote non recitet? Quid ei proderit, quod Roſarium in brachio, vel in perula geſtet; ſi luxuriæ, avaritiæ, vel vindictæ ſpiritum gerat in corde? Quid proderit, quod illud digitis volvat, ſi ſanguine manus ejus plenæ ſint? Quid proderit, quod ore illud recitet; ſi tunc mens alia recogitet, & cor ad illicita anhelet? Certe ad nihilum proderit. Quare in Roſarii recitatione concordent cor & lingua; ſimulque Mariam honorate per frequentem & per devotam ejus recitationem. Sed ſi Roſarium eſt oratio, quæ frequenter eſt recitanda; *eſt etiam myſterium, quod ſerio meditandum.*

SECUNDA PARS.

Roſarium eſt myſterium, quod ſerio meditandum.

IN Beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſario materiam, ex qua componitur; ſeu orationes vocales qui-

bus

Digitized by Google

bus recitatur, ſolummodo agnoſcunt plerique fidelium; ſed præter hæc, quæ materialia & quaſi accidentalia ſunt, aliud in Roſario eſt, quod varii Auctores *Eſſentiale* vocant: nempe quod ſit myſterium: vel potius, quod ſit meditatio myſteriorum Chriſti Dei & hominis: quia ſimul atque quis Roſarium ore recitat, vitæ & mortis Chriſti myſteria mente revolvere & ſerio meditari debet: ita ut dum quindecim Roſarii decadum preces ore profert, identidem præcipua illa quindecim vitæ & mortis Chriſti myſteria meditetur; quorum quinque prima *gaudii*, quinque alia *doloris*, & quinque ultima *gloriæ* myſteria vocantur. *Prima* horum myſteriorum ſunt Chriſti Incarnatio, Nativitas, Circumciſio, Regum adoratio, & Præſentatio in Templo. *Secunda*, ſunt myſteria Paſſionum & mortis ejus. *Tertia*, ſunt myſteria Reſurrectionis, variarum apparitionum, & Aſcenſionis ejus.

Hæc myſteria ita ſerio a recitantibus Roſarium ſunt meditanda, ut dum quis verba quæ Roſarium componunt, ore promit, præfata myſteria per ordinem mente revolvat. O N. cum Roſarium recitas, mens tua temporalibus negotiis, vanis & malis rebus non ſit intenta: ſed mente primo te conferas in Nazareth, ubi, Angelo nuntiante, magnum Incarnationis myſterium executioni mandatur. A Nazareth tranſeas uſque Bethlehem, ſimul cum Paſtoribus: ibique Chriſtum recens natum, jacentem in præſepio contemplare! Ejus Circumciſioni adeſto deinde cum nutritio Joſeph, ibique meditare, quam prompte pro tui ſalute puer Jeſus gravia pati dignetur. Cum Regibus Magis deinde adora puerum Regem; & poſtea illum cum piis parentibus porta & offer in Templo. Serio meditatis his *gaudii* myſteriis, ad myſteria *doloris* te converte: eorum quodlibet ſuo ordine meditare; & dum Chriſtum, nunc captum, nunc flagellatum, & nunc cruci affixum mens conſiderabit, ſimul cum Joanne & Matre ejus, ei compatere. A doloribus & morte ejus, ad myſteria *gloriæ* contemplanda, te mente transferas: & nunc contemplare Chriſtum a mortuis propria virtute reſurgentem, nunc quære illum ſollicite cum Magdalena, donec eum merearis invenire; jam pia quadam curioſitate palpando tracta ſingula vulnera Salvatoris propter te ſic mortui; & jam ita eum in cælos aſcendentem admirare, quaſi inter Diſcipulos in monte Oliveti exiſtas. Sic, ſic recitari debet Roſarium; ut recitatio ejus pia, Mariæ glorioſa, & recitanti utilis ſit.

Omnibus fere Chriſti myſteriis Angelum aliquem præſentem adfuiſſe ſacra teſtatur Scriptura. Cum enim Incarnationis myſterium eſt Mariæ annuntiandum, de cælo deſcendit Gabriel, qui Mariam ſalutat, & qui hoc ei myſterium annuntiat, dicens: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei*. *Luc.* 1. Cum de Nativitate Chriſti monendi ſunt Paſtores: *dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator. Luc.* 2. Cum Chriſtus a Judæa in Ægyptum ex Dei ordinatione transferendus eſt: *ecce Angelus apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, ſurge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Math.* 2. Cum Chriſtus in horto graviſſima premitur triſtitia: *apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum. Luc.* 22. Cum Chriſtus in Cruce acerbiſſimæ mortis doloris patitur, Angeli ſuo modo flentes, adſunt, juxta Vaticinium Iſaiæ dicentis: *Angeli pacis amare flebunt*. Cum de Chriſti Reſurrectione piæ monendæ ſunt mulieres, unus ex Angelis dixit eis: *Jeſum qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit. Math.* 28. Omnibus tandem fere Chriſti myſteriis præſentes adſtitere cæleſtes quidam Spiritus, & ut ait Tertullianus: *Nuſquam ſine Angelis Chriſtus*. Cæleſtibus autem illis intelligentiis ſimiles ſunt qui Roſarium perſolvunt: ſimul cum iis Chriſtum in omnibus ejus myſteriis mente comitentur; & nunc gaudeant cum Paſtoribus, nunc cum Regibus Chriſtum adorent; cum ipſo ſe deinde in Templo offerant; illum traditum, venditum, flagellatum, & crucifixum poſtmodum contemplentur; ac tandem omnia ejus myſteria, quæ glorioſa vocamus, meditantes, in eorum cordibus ſacri amoris ignis erga Chriſtum & Matrem exardeſcat.

Ad perfectum Dei amorem, omnes hominis potentiæ concurrere debent: non enim verbo ſolum & lingua diligi debet; verum & toto corde, ac tota mente; *Diliges Dominum Deum tuum ex omni corde tuo, ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis*. Sicut autem ad Deum amandum, ita & ad Mariam colendam totus homo occupari debet; manus, ſcilicet in percurrendo varios Roſarii numeros: lingua, in recitando ad ſingulos numeros unum *Pater*, vel unum *Ave Maria*: & mens, in meditando Chriſti Salvatoris myſteria. Quare, o N. quotieſcumque Roſario recitando te accingis, dic Chriſto: In myſteriis tuis meditandis exercebor: & deinde dum Roſarii varias orationes ore profers, Chriſti myſteria ſerio meditare, & mente revolve.

Nec dicas difficilem & laborioſum eſſe hunc recitandi Roſarii modum, nam nil dulcius, nilque amabilius, quam Chriſti myſteria meditari: quia in his meditationibus ubique invenitur Chriſtus, cujus converſatio, non amaritudinem, ſed ſummam parit lætitiam: *Non habet amaritudinem converſatio ejus, nec tædium convictus ipſius. Sap.* 8. Quare, cum Roſarii preces perſolvis, myſteriorum vitæ & mortis Chriſti meditationi cor tuum ſit intentum, iis meditandis mens tua totaliter adhæreat. Non ſis ſimilis perverſis illis hominibus, qui dum orant, de fraudibus & dolis cogitant: *Doloſa tota die meditabantur. Pſalm.* 37. Non imiteris hos pacis perturbatores, qui dum ore Deum alloquuntur, de diſcordiis diſſeminandis deliberant: *Qui meditantur diſcordias. Prov.* 17. Non te habeas ſicut avari illi homines, qui dum ore preces ad Deum fundunt, de alienis rapiendis penſant: *Rapinas meditatur mens eorum. Prov.* 24. Ne talia meditetur cor tuum; ſed dum Beatiſſimæ Virginis Roſarium ore recitas, Chriſti Domini myſteria ſerio meditare. At ſi Roſarium eſt myſterium, quod ſerio meditandum: *eſt etiam Confraternitas, quæ ſectanda, & amplectenda*.

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

Roſarium eſt Confraternitas, quæ ſedulo ſectanda.

MAria omnibus eam debite invocantibus præſto adeſt; nec quiſquam in ſpiritualibus neceſſitatibus ſuis eam devote invocat, qui ejus non experiatur auxilium: *Sileat miſericordiam tuam, Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in ſuis neceſſitatibus, ſibi meminerit defuiſſe. S. Bern. ferm. 4. de Aſſumpt.*

Hoc probe agnoſcens Sancta Romana Eccleſia, omnibus quibus poteſt modis ipſi placere, ejuſque benevolentiam captare ſtudet; & ideo alia ad ejus honorem Feſta inſtituit; ideo ſingulis anni diebus ejus laudes publice decantari jubet; ideo tot Indulgentias populis eam colentibus largitur; & ideo tot varios Ordines, totque Confraternitates ad ejus honorem inſtitutas approbat, & præcipue Archiconfraternitatem Roſarii, quam plurimi ſectantur fideles, & quam ſectari deberent omnes, utpote quia eſt: 1. Mariæ maxime glorioſa: 2. Eccleſiæ hoſtibus multum terribilis: 3. Ipſis Sodalibus ſummopere utilis.

1. Licet Mariam venerandi modos multos varii adinvenerint Chriſtiani; a nullis tamen magis honorari videtur, quam a ſanctiſſimi Roſarii Sodalibus. *Tum*, quia multi ſunt, maximuſque eorum eſt numerus. *Tum*, quia hi omnes ſtatum, & corpus unum conſtituunt, quod ad hoc ſolum eſt, vivit, operatur, & in æternum operabitur, ut Mariam laudet, glorificet, & honorari curet. Unde ſi de primis Eccleſiæ Romanæ Chriſtianis dicat Tertullianus, quod precibus, quas ſimul congregati fundebant, Deum plurimum honorarent, eique gratam vim facerent, qua ad petita eis concedenda quaſi cogebatur: *Hæc vis Deo grata eſt. Tert. in Apolog.* De Confraternitatis Roſarii Sodalibus ſimiliter dicendum, quod Mariam maxime glorificent, eique precibus ſuis gratam vim inferant, ut eam ad miſericordiam flectant. Sectanda ergo & amplectenda hæc Confraternitas: quia Mariæ eſt glorioſa; *ac etiam, quia Eccleſiæ & ſalutis noſtræ hoſtibus eſt maxime terribilis.*

2. Hujus Confraternitatis Sodales, ſunt fortiſſimi Eccleſiæ cuſtodes, qui eam precibus ſuis tuentur: *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes. Iſa. 22.* Hi ſimiles ſunt Moyſi: quia dum aliis armis ſimul cum Joſue pugnant, ipſi manus & corda ad Deum cum Moyſe extollunt. Hi etiam ſimiles ſunt Davidi; qui non enſe, ſed *gratia divinitatis armatus, Ambr. ſer.* 88. adverſus Goliath inceſſit; hi namque non armis materialibus, ſed ſpiritualibus armati adverſus dæmones, hæreticos, omneſque Eccleſiæ hoſtes pugnaturi incedunt, iiſque ſunt terribiles. Videte innumeros hujus Confraternitatis Sodales, Roſarii & precibus armatos, quomodo adverſus centum mille hæreticos Albigenſes, ſub Ducibus eorum Rege Arragoniæ & Comite Toloſano omnia devaſtantes, incedant. Nil enim adverſus tot, tamque formidandos hoſtes poterat Comes Montfortius, cujus exercitus ex quingentis ſolum ſupra mille militibus erat compoſitus; ſed dum ipſe, quaſi alter Jonathas, cum paucis militibus, tam formidandum aggreditur exercitum, orant Confraternitatis Roſarii Sodales; & hic per Mariæ auxilium Albigenſes debellat, eorumque exercitum penitus deſtruit. Sed quid de triumpho de Turcis apud Lepantum reportabo? Nonne debetur Roſarii Sodalibus, qui in toto terrarum Orbe ad cælorum Reginam preces ſuas mittentes, ejus interceſſione a Deo famoſam illam obtinuerunt victoriam, quæ in æternum hanc Confraternitatem commendabit? Certe hanc eorum precibus partam fatentur ſummi Pontifices, qui ob tantam victoriam maxima hujus Sodalitii Fratribus beneficia conceſſerunt. Quis ergo non amet? Quis non æſtimet? Quis huic hoſtibus Eccleſiæ terribili Confraternitati adſcribi non appetat? ſed ei adſcribi quiſque etiam debet: *Quia maxima ſunt emolumenta, quæ hujus Confraternitatis Sodales percipiunt.*

3. Quis Indulgentias iis a ſummis Pontificibus conceſſas enumeret? Taceo plenariam quam lucrantur omnes fideles ipſa die, qua huic Confraternitati ſua dant nomina; modo ſua debite peccata confiteantur, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiantur. Taceo Indulgentias alias quas lucrantur, quoties Roſarium recitant, & quoties altare quoddam ad Mariæ honorem conſecratum viſitant. Sed præter has & alias multas Indulgentias, videtur, quod duodecies quolibet anno Indulgentiarum theſauri in hac Confraternitate plenius aperiantur; ſingulis enim menſibus congregantur Sodales, proceſſiones inſtituunt, ad ſacram Synaxim accedunt, & Indulgentias magnas lucrantur. Unde hæc confraternitas merito conferri poteſt cum hac arbore, de qua in Apocalypſi fit mentio; quæ cum torrente, id eſt, favoribus Mariæ ſit irrigata, quolibet menſe fructum pretioſum, a Sodalibus carpendum, edit & producit; *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum. Apoc. 22.*

O quam magna ſunt ſpiritualia hæc emolumenta, quæ Chriſtiani, qui huic Sodalitio nomen dederunt, quotidie percipiunt! quæ quidem omnes fideles ad tam famoſam Sodalitatem ſectandam movere deberent. Sed inſuper aliud proponam emolumentum, quod percipiunt Confraternitatis Roſarii Sodales: nempe quod omnes mortificationes, preces omnes, omniaque bona opera, quæ in Sancto Fratrum Prædicatorum Ordine fiunt, ſpeciali quodam modo hi participant. Unde dum hujus Confraternitatis Sodales temporalibus negotiis vacant; immo dum dormiunt, orationum, ſacrificiorum, ac omnium penitus bonorum operum, quæ in hoc Ordine fiunt, fructum participant. O magnam gratiam! o conſolationem non ſatis optandam! Quæ adhuc longe major eſt inſtante morte; tunc enim dum alicui ex Sodalibus militandum eſt adverſus poteſtates tenebrarum, auxiliares adſunt omnes hujus Confraternitatis Sodales, auxiliares & ſunt omnes Fratres Prædicatores qui pro quolibet Confratre agonem patiente, Deum & Mariam enixe orant, ut illi peccatorum venia concedatur, eique cælum aperiatur.

O magnos favores! quos ſi ſerio ponderarent fideles, nullus ferre inveniretur, qui huic Sodalitio adſcri-

ſcribi non peroptaret. At non ſatis eſt, quod quis ſuum huic Confraternitati det nomen, ſi quæ ad eam ſpectant non adimpleat: non ſufficit, quod quis Sodalis ſit nomine, ſi Sodalis non ſit operibus huic Confraternitati propriis: quis enim credat Chriſtianum, qui in hoc Sodalitio receptus eſt, hujus Sodalitii beneficia percipere, ſi de faciendis quæ muneris ſui ſunt, non curet? ſed quis arbitretur Sodalem hunc, qui pertinaciter ſedi iniquitatis adhæret, nec a peccato ſurgere vult, tot & tantorum bonorum participem fieri? quis cenſeat hunc detractorem, qui proximi famam dilacerare non ceſſat: hunc uſurarium qui fraudulenter acquiſita nuſquam reſtituit; & hunc impudicum qui in volutabro voluptatum ſuarum quieſcere ſemper vult, indulgentias, aliaque ſpiritualia hujus Confraternitatis bona recipere? Hoc certe nunquam ſibi ſuadebit qui hac de re recte judicabit. Ut enim quis tot & tantorum beneficiorum dignus fiat, opera hujus Confraternitatis adimplere debet; quorum præcipuum eſt, peccata, quantum fas erit, vitare, aut ſaltem ea vitandi firmum propoſitum habere.

Quare, ne de ſolo Sodalium Confraternitatis Roſarii nomine gloriemini; ſed ſi Confraternitatis illius Sodales ſitis nomine, eſtote & opere. Ne dicatis: Sodalis ſum hujus Confraternitatis, in qua tot ſunt indulgentiæ, tot fiunt Preces, totque bona opera eduntur; ſed pios Sodales imitamini; ſimul cum illis peccata & peccatorum occaſiones fugite; ſimul cum illis preces crebro ad Deum fundite; ſimul cum illis bonis operibus incumbite, & omnia quæ hujus Confraternitatis ſunt, facite, ut bona ſpiritualia in hoc mundo, & cæleſtia in alio obtineatis. *Amen.*

DE SANCTO FRANCISCO ASSISIATE.

CONCIO PRIMA.

Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Iſa. 11.

IN Seraphico Franciſco non requievit ſpiritus mundi; cum quidquid amat & æſtimat mundus, ille exhorruerit, calcaverit, & pro nihilo habuerit: in eo etiam carnis non requievit ſpiritus; cum continuis corpus ſuum mortificationibus afflixerit, caſtigaverit, & in ſervitutem redegerit. Sed in eo Chriſti Salvatoris ſpiritus mirum in modum requievit, eodemque quo Chriſtus, ille fuit ſpiritus accenſus & exornatus: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.*

Neminem latet, quod omnibus pro Franciſco loquentibus ampliſſima, nobiliſſima, & nimia laudis ultro ſeſe offerat materia, quodque non ſatis laudari poſſit, cui tanta ineſt materia laudis. Unde in eo laudando deficiunt multi, & omnes aliqua ſolum ex iis quæ in illo laudanda ſunt, attringunt. Laudant eum aliqui a portentoſis quæ operatus eſt miraculis, ab ardentiſſimo ſpiritus fervore quo ſuccenſus fuit, & a ſancto ſalutis animarum zelo, quo exarſit: laudant illum alii a perexımiis illis virtutibus, quarum odorem totum terrarum Orbem replevit, a florentiſſimo Fratrum Minorum Ordine quem inſtituit, & a ſupernaturalibus donis, quibus a Deo inſignitus fuit: alii eum ſatis laudaſſe credunt, cum illum in humilitate, in voluntaria paupertate, in Diſcipulorum numero, in ſacris Stigmatibus, & in nonnullis aliis Chriſto ſimilem, & conformem fuiſſe manifeſtant. Ego vero ad S. Patris Franciſci laudem dicam ſolummodo, quod ſuper eum ſpiritus Domini requieverit; quodque ipſe eodem, quo Chriſtus, ſpiritu repletus fuerit, &c. *Ave.*

CHriſtus Dominus, vivens in hoc mundo, terrena deſpexit, homines dilexit, & ſeipſum odio habuit. Ipſe terrena deſpexit: licet enim eſſet Dominus omnium, & terrena omnia ſui juris eſſent; ea tamen ita abjecit, & contempſit, ut ne quidem habere voluerit, ubi caput ſuum reclinaret: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Luc. 9.* Ipſe etiam homines dilexit: propter eorum enim ſalutem deſcendit de cælis, in Virginis utero pro ipſis incarnari voluit, & a primo uſque ad ultimum vitæ ſuæ terminum eos amare non deſtitit: *In finem dilexit eos. Joann. 13.* Ipſe tandem ſeipſum odio habuit: corpori enim ſuo bellum indixit, continuis jejuniis illud afflixit; illudque, a juventute, laboribus, & mortificationibus multis attrivit: *In laboribus a juventute mea. Pſ. 87.*

Ex præfatis facile concipi poteſt, quis, & qualis fuerit Chriſti ſpiritus; ille enim habuit ſpiritum contemptus, amoris, & odii; habuit *ſpiritum contemptus*, reſpectu mundi, cujus bona deſpexit; *ſpiritum amoris*, reſpectu hominum, quos ardenter dilexit; *ſpiritum odii*, reſpectu corporis ſui, cui ſanctum & ſpirituale bellum indixit.

Ecce ſpiritum Chriſti Salvatoris; ſed ecce etiam ſpiritum S. Franciſci. Ipſe namque habuit ſpiritum contemptus, amoris, & odii. Habuit: 1. *Spiritum contemptus*, reſpectu bonorum hujus mundi: 2. *Spiritum amoris*, reſpectu hominum: 3. *Spiritum odii*, reſpectu ſui ipſius. En tres hujus concionis partes, quibus conſtabit, quod ſuper Franciſcum ſpiritus Chriſti requieverit: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.*

PRIMA PARS.

Sanctus Franciſcus habuit ſpiritum contemptus, reſpectu bonorum hujus mundi.

CHriſtus Dominus, qui ſpiritum contemptus habuit reſpectu omnium bonorum hujus mundi, Diſcipulos ſuos eodem vivificari ſpiritu maxime peroptavit: & ideo ad hunc terrenorum contemptum eos pluries hortatus eſt, iis omnem ad terrena affectum prohibuit, iiſque declaravit nullum poſſe in Diſcipulum ejus admitti, ſi prius terrenis omnibus non abrenuntiaverit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Luc. 14. 33.* Quod autem Chriſtus Apoſtolis dixit, hoc ſibi dictum cenſuit Franciſcus; quare

Digitized by Google

ſe coram Aſſiſiate Epiſcopo paternis ceſſit bonis, ipſiſque ſe ſpolians veſtibus, eas patri tradidit, ac poſtmodum ablegatis terrenis omnibus nil proprium in hoc mundo unquam habere voluit.

Chriſto in nomine omnium Apoſtolorum, dixit aliquando S. Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Matth. 19.* Non aliqua duntaxat r.liquit Apoſtolorum Princeps, ſed omnia quæ habebat, & quæ in hoc mundo habere poterat, immo & affectum omnem & terrena, ſeu, *deſideria habendi dereliquit. S. Gregor. hom. 5. in Evang.* Hanc Petri exproprationem admiratur Doctor Mellifluus; & ſanctum Apoſtolum maxime laudat ex hoc, quod terrena omnia reliquerit & deſpexerit. O Petre, inquit, ſapientiſſimus inter homines fuiſti, & maxima exiſtit tua hæc illa ſapientia, qua omnia mundi bona abdicaſti, quia longe ſapientiores ſunt qui labilia hujus mundi bona relinquunt, quam qui ab iis relinquuntur: *Bene, optime, & non ad inſipientiam tibi, nam & mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quam relinqui. S. Bern. hom. in hæc verba: Ecce nos reliquimus omnia.* O quam ſapiens Petrus qui, ut Chriſtum imitaretur, terrena omnia re & affectu abdicavit! Sed o quam ſapiens etiam Franciſcus, qui Sancto Chriſti Spiritu concitatus, cuncta, quæ habebat, & habere poterat, penitus ablegavit; ac terrena omnia pro Dei amore deſpexit, & pro nihilo habuit! Mox ut vir ſanctus guſtavit, quam ſuavis eſt Dominus, omnem faſtidivit creaturam: mox ut agnovit, quanta diviciarum cæleſtium eſſet magnitudo, aurum inſpexit tanquam lutum, ab omni pecunia tanquam a veneno abhorruit; nec unquam in hoc mundo vel minimum quodque tuguriolum habere voluit, quod ſui juris eſſet. Franciſcus non fuit homo de terra terrenus, ſed fuit homo de cælo cæleſtis, qui ſupra terrena omnia elevatus, mentem ſurſum ad Deum ſemper ferebatur. In corde ejus nec minimus ad temporalia affectus, ſed ad cæleſtia ſemper aſpirans, omnia mundi bona tanquam vile lutum æſtimabat, ac homine chriſtiano indignum cenſebat, quod terrena diligeret, & magni faceret.

S. Franciſcus, ſimilis fuit primævis quibuſdam Chriſtianis, de quibus ait Tertullianus, quod ita terrena deſpicerent, ut quaſi exhæredes ſe in hoc mundo inſpicerent: *Chriſtiani exhæredes.* Franciſcus enim tanquam exhæres, & tanquam nihil habens in hoc mundo vivebat, quia terrena omnia, tanquam non ſua, inſpiciebat, & tanquam quid vile deſpiciebat, ut ad cæli bona ad æternam hæreditatem comparandam totis conatibus laboraret.

Omnium hujus mundi bonorum naturam pauciſſimis verbis perfectiſſime delineat S. Gregorius, dicens: *Quid ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta?* Quomodo dici poteſt, omnia hæc bona, quæ Reges, Principes, & Imperatores in hoc mundo poſſident, nil aliud eſſe, quam vilia quædam corporis indumenta? Quis credat, prædia, caſtella, palatia, urbes, & regna, eſſe corporis indumenta? hæc ſane ſunt quaſi quædam corporis indumenta, quia illa non ſecus ac indumenta relinquimus. Cum quis mane, ſurgens e lecto ſuis ſe veſtibus induit, ita eas ſumit, ut ipſa eadem die, cum lecto decumbere volet, eas ſit depoſiturus; veſtimenta ſumit, non ut ſemper ea portet, ſed ut brevi ea relinquat. Et in hoc ſenſu, omnia mundi hujus bona ſunt quaſi indumenta: quia ſcilicet, ea ita poſſidemus, ut citiſſime ea relicturi ſimus. Habes palatium? Illud brevi relicturus es. Habes agrum, villam, amplam ſuppellectilem, & pecuniarum theſauros? Illa cito relicturus es. Velim, poſſideas quidquid terrenorum bonorum a mundi primordio habuerunt homines, illa citiſſime dilabentur, quia *tranſeunt omnia, & tu cum iis pariter. Thom. a Kemp. imit. l. 2. c. 1.* Quare cum labilia ſint mundi bona, non amanda, nec æſtimanda, ſed deſpicienda ſunt: *Tranſeunt omnia, & ſicut fumus tranſeunt; Væ qui amant talia. S. Aug. tract. 7. in Joann.* Et ſane nec amavit, nec æſtimavit Seraphicus Franciſcus, ſed ea ut vana, tranſitoria, & futilia contempſit, reliquit, penitus abdicavit. Guſtaverat vir ſanctus, quam bonus, & ſuavis eſt Dominus: in oratione noverat, magna, ineffabilia, incomprehenſibilia, & æterna eſſe cæli bona: probe etiam noverat, quam exilia, quam contemptibilia & tranſitoria ſint quæcumque bona mundus poſſidet: quare ad cæleſtia anhelans bona, terrena omnia velut vilia corporis indumenta inſpexit: eaque omnia, tanquam bona quæ facile evaneſcunt, deſpexit, ablegavit, & pro nihilo habuit.

Fictili hirundinum nido totum hunc mundum egregie comparat D. Chryſoſtomus, dicens: *Nidus eſt præſens vita, ex feſtucis & luto coagmentatus. Chryſoſt. hom. 50. ad pop.* Scio, inquit aureus ille Doctor, quod non deerunt qui dicant, ſuperba multa in mundo eſſe palatia, ſed ea omnia velut viles hirundinum nidos æſtimo, eamque illi penitus ſimilia cenſeo. *Licet mihi magnas ædes oſtendas, ſive Regias ipſas auro multo fulgentes & gemmis, nil ab hirundinum nido differre cenſebo.* Sciſcitatur quis, cur terrena omnia vilibus hirundinum nidulis ſimilia eſſe commendat Chryſoſtomus? ſed præclare reſpondet Os illud aureum, terrena omnia hirundinum nidis eſſe ſimilia: quia ſicut, adveniente hieme, hirundines relinquunt nidos ſuos, qui non multo poſt tempore corruunt, ita etiam, adveniente morte, homines quique omnia relinquunt, & omnia reſpectu eorum corruunt: *Hyeme ſiquidem inſtante, omnia corruunt.* Hirundines, adventante vere, magno affectu, magnaque cura, & ſollicitudine feſtucas, & lutum colligunt, ut ſuos conficiant nidos; a ſpectantibus videntur tunc paſſim euntes & redeuntes, ingentique cum labore nunc feſtucam, nunc lutum, nunc aquam deferentes, ut nidos ſuos ædificent; tantaque arte & cura eos conſtruunt, quanta ſi ſemper in iis remanere deberent, ſed nondum finita eſt æſtas, cum & diſcedunt hirundines, & nidi corruunt. Idem ſane cenſendum de Regum palatiis, & de omnibus mundi hujus bonis; quæ omnia hirundinum nidulis ſimilia videntur. Multi etenim ſuperbas domos ædificari curant, ac bona plurima coacervare ſatagunt, & adveniente hyemis, ſeu, mortis tempore, ea omnia, veluti fictiles avium nidos relinquunt. Sed iis omnibus ſapientior Franciſcus, quia terrena omnia, tanquam hirundinum nidulos, ac veluti fictilia, fragilia, fugacia, nulliuſque momenti bona inſpexit, deſpexit, & pro

nihilo habuit. Sed ſi S. Franciſcus habuit ſpiritum contemptus reſpectu bonorum hujus mundi: *habuit etiam ſpiritum amoris, reſpectu hominum.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Franciſcus habuit ſpiritum amoris, reſpectu hominum.

CHriſtus Dominus, qui omnes homines ſummo proſequebatur amore, eodem fraternæ charitatis ſpiritu ſuorum corda Diſcipulorum accendi concupivit. Amore hominum ardebat ille, & eodem amore Diſcipulos ſuos inflammari deſideravit: voluitque, ut ſpeciale ſignum, quo ſui dignoſcerentur Diſcipuli, eſſet mutua illa charitas, & ardens cujuſque in proximum amor: *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Joan.* 13. Ex quo infert Chryſoſtomus, quod proximi dilectio, ſit ratio potiſſima, & fortius argumentum, quod quis adducere poſſit, ut ſe Chriſti Diſcipulum eſſe probet; *Amor proximi, Diſcipulorum argumentum. S. Chryſ. hom.* 76. Hoc autem argumento facile probari poſſet, Franciſcum vere Chriſti fuiſſe Diſcipulum. Quia ſicut Chriſtus, ita & ille, hominum amore mirandum in modum exarſit, nec unquam ab illorum amore ceſſavit.

Dei & proximi amore indeſinenter ardebat Seraphicus Franciſcus. Dei quidem, quem tota mente, toto corde, tota anima totiſque viribus diligebat: nilque ei magis grave, magis durum, magiſque erat importabile, quam quod Deus a creaturis ſuis non diligeretur, & ideo ſuſpirans & gemens, ſæpe clamabat: *Amor non amatur*. Proximi etiam amore ſuccenſum erat Seraphici Patris cor, probe enim ſciebat vir ſanctus, ſe non poſſe Deum perfecte amare, quin & proximum diligeret: quare non Deum ſolum amavit, ſed etiam propter Deum dilexit pauperes, dilexit infirmos; dilexit & omnes penitus homines, quorum omnium amore flagravit.

Pauperes in quibus Chriſtum intuebatur, dilexit Franciſcus, ſciensque, quod non bene Chriſtum amat, qui pauperes non amat, a converſionis ſuæ principio ita largas obviis quibuſque pauperibus eleemoſynas erogavit, ut prodigus a patre judicatus ſit. Ac deinde pauperum ſtatum ambiens & aſſumens, cum aliis pauperibus convivere quæſivit, iis ſtudioſe inſervivit, quidquid habere potuit, illis largitus eſt, illos nonnunquam ex charitatis affectu oſculatus eſt, & amplexatus; ipſo etiam pallio non ſemel ſe exuit, ut illos operiret, nilque non fecit, ut ſuum erga illos amorem teſtaretur. Unde de Franciſco paupere dici poteſt, quod aliorum pauperum frater, ſervus, amicus ac etiam quaſi pater fuerit: *Pater eram pauperum. Job* 29.

Infirmos non minus, quam pauperes amavit Franciſcus; illos frequens inviſebat; illorum xenodochia ex charitatis motivo ſæpe luſtrabat; illos conſolabatur, dolores illorum ſuaviſſimis leniebat verbis, ad patienter portandas infirmitates illos hortabatur: ſeque in illos ita beneficum exhibebat, ut illorum ulcera lingua lambere, ac humiliora quævis altioris charitatis officia iis præſtare, crebro viſus ſit.

Nec in ſolis pauperibus & infirmis hærebat Franciſci charitas, ſed ad omnes penitus homines ſe extendebat. Et ſicut D. Paulus omnibus ſe debitorem arbitrabatur, dicens: *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: Rom.* 1. ita Franciſcus fidelibus & infidelibus, divitibus & egenis, juſtis & peccatoribus, ac omnibus penitus hominibus ſe charitatis debitorem cenſebat. Quare omnes, nullo excepto, diligebat, omnium amore ardebat, & pro omnibus anathema fieri cupiebat.

Similis non erat Franciſcus hujuſmodi hominibus, quorum corda ita anguſta & coarctata ſunt, ut parentes, filios, & alios nonnullos ſolummodo diligant: alios vero aut odio habeant; aut non amant. Cor etenim Franciſci ita latum & dilatatum erat, ut omnes omnino homines complecteretur: *Cor noſtrum dilatatum eſt.* 2. *Cor.* 6. Amabat divites & pauperes, ſanos & infirmos, Chriſtianos & Judæos, Fideles & Barbaros, peccatores & juſtos; nec erat, qui ſe abſconderet a calore amoris ejus. Quia tanta cordis ejus erat latitudo, ut omnes penitus homines caperet, omnes amaret, ſuumque erga omnes amorem operibus, & charitatis officiis exhiberet.

Amor, ſi verus ſit, otium neſcit, & in corde otioſus non remanet; ſed a corde ad manum progreditur. Sicut fides operibus pateſit: *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam: Jacob.* 2. ita & amor quo quis proximum proſequitur, operibus probatur. Nec amor verus eſſe poteſt, ſi ad opera non tranſeat, & ſi pro amato non operetur; quia *amor operatur magna, ſi eſt; quod ſi operari renuit, amor non eſt. S. Greg. hom.* 30. *in Evang.* Quare hortatur nos Sanctus Joannes Evangeliſta, ut proximum non lingua ſolum, ſed opere etiam diligamus. *Non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere, & veritate.* 1. *Joann.* 3. 18. Sanctus autem Franciſcus corde quidem & verbo proximum dilexit; ſed amor ejus innumeris potiſſimum ſe exhibuit operibus, & charitatis officiis, quæ toti terrarum orbi per ſe, aut per filios præſtitit. Omnes ſane homines dilexit corde; ut enim ait Doctor Seraphicus, Franciſci cor omnium hominum amore ardebat: *Franciſcus fervidum habebat zelum ad ſalutem omnium ſalvandorum*. Eos etiam dilexit verbo: cum ab ejus & diſcipulorum ore, ſonus prædicationis in totum ſere terrarum orbem exiverit. Sed & eos dilexit opere, cum vir ille Seraphicus amoris ſacri ignem in terram mittere venerit; ſacrumque hunc ignem per ſe, & per filios ineffabilibus charitatis officiis per totum terrarum orbem ſparſerit. Luſtrate Europam, Aſiam, Africam & Americam, mente revolvite varios qui in quatuor his terræ partibus habitant, populos: & invenietis, ad illos omnes ſe diffudiſſe amorem Franciſci; qui per ſe, vel per filios, omnibus terræ habitabilis gentibus ſe beneficum præbuit, charitatiſque innumera officia exhibuit. Tantus fuit ejus in homines amor, ut non ſolum ad varias & diſſitas nationes ipſe, pro populorum ſalute laboraturus, perrexerit: verum & Ordinem inſtituerit, cujus alumni hominum ſa-

luti

Digitized by Google

luti in omnibus terræ partibus uſque ad mundi finem vacaturi eſſent. Unde in Seraphico Franciſco fuiſſe videtur prodigium & miraculum amoris, reſpectu hominum; ſed ſi S. Franciſcus habuit ſpiritum amoris, reſpectu hominum: *habuit etiam ſpiritum odii, reſpectu ſui ipſius.*

TERTIA PARS.

Sanctus Franciſcus habuit ſpiritum odii, reſpectu ſui ipſius.

SUi ipſius odium non inſpirat natura, quæ quemque non ad ſui odium, ſed ad ſe amandum inclinat; & naturaliter loquendo, nullus abnegare ſemetipſum, crucem tollere, ſuamque carnem odio habere poteſt: *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit. Epheſ. 5.* Chriſtus tamen, ut perfectionis viam homines doceret, corpus ſuum ſancto proſecutus eſt odio: & voluit, ut Apoſtoli, Diſcipuli, omneſque Chriſtiani ſua odio haberent corpora, ac ſanctum iis bellum indicerent. Et ideo illos toties hortatur ad crucem ferendam; iiſque declarat quod ut vitam æternam obtineant, ſua non amare & fovere, ſed odio habere debeant corpora; *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Joann. 12.* In quæ verba D. Bernardus ait, duo eſſe hominum genera, qui animam, ſeu corpora ſua odio habent; Martyres, ſcilicet, qui pro Chriſto mortem corporis patiuntur; & pœnitentes, qui propter Chriſtum corpora ſua mortificationibus, & variis durioris pœnitentiæ operibus cruciant: *Homo odit animam ſuam, ſive eam perdendo ut Martyr, ſive eam affligendo ut pœnitens.*

Martyr quidem fieri optavit Franciſcus, martyrii deſiderio exarſit: & ad infidelium regiones properavit, ut martyrii obeundi occaſionem quæreret. Martyr tamen revera non fuit Pater Seraphicus; & corpus ſuum non ita odio habuit, ut martyrium de facto paſſus ſit; ſed illud ita odio habuit, ut ab ipſo converſionis momento uſque ad mortem, continuis illud mortificationibus afflixerit. Poſtquam enim altioris perfectionis ſtatum ſuſcepit, corpus ſuum velut infenſiſſimum ſalutis hoſtem inſpiciens mox illud jejuniis attrivit, flagellis cruentavit, variiſque pœnitentiarum generibus mactavit. Et quo ætate factus eſt provectior, eo corpori ſuo fuit infenſior; ita ut nonnunquam viſus ſit nudum corpus ſuper ſpinas & tribulos, immo & aliquando ſuper ardentes prunas volutare. Sic ſe habuit reſpectu proprii corporis, ſicut ſe habere ſolet homo vindictæ cupidus, reſpectu eorum quos maximo odio proſequitur; unde de eo vere dici debet, quod propter Deum carnem ſuam & ſemetipſum odio habuerit.

Chriſtianum concolorem eſſe debere Chriſto, præclare dixit Ambroſius: *Chriſtianus concolor Chriſti.* Qui quæſo, ſunt Chriſti colores? Eos manifeſtare videtur Sponſa, dicens, dilectum ſuum eſſe candidum & rubicundum: *Dilectus meus candidus & rubicundus. Cant. 5. 10.* Chriſtus quidem candidus fuit, ratione niveæ puritatis qua floruit: fuitque rubicundus, ratione ardentiſſimæ charitatis qua exarſit, & ratione pretioſiſſimi ſanguinis, quem pro hominum ſalute effudit. Ecce Chriſti colores; ſed ecce etiam colores Franciſci, qui candidiſſimus fuit ratione præcelſæ puritatis, qua præfulſit, & rubicundus, ratione purpurei ſanguinis, quem diris flagellationibus, aliiſque mortificationibus ex corpore ſuo pluries extraxit. Vel, dicamus, Franciſcum alio ſenſu, alioque titulo, Chriſto fuiſſe concolorem; quia ſcilicet ſimul cum Chriſto jejunia, vigilias, aliaſque corporis mortificationes amavit. Cum quis aliqua non amat, dicitur, communi proverbio, quod hi non ſint ejus colores; & ſic jejunare, & alia propter Chriſtum pati, non ſunt hominum ſæculi colores; quia talia non amant. At hi fuere Franciſci colores; quia cum Chriſto, & propter Chriſtum in oratione diu vigilavit, continue jejunavit, crucem generoſe portavit, corpuſque ſuum, tanquam hoſtem infenſiſſimum, variis modis vexavit, & cruentavit.

Non ſemel admiratus ſum, quod Sponſa ſacra amorem patientem cum morte, inferno, & igne conferat, dicens: *Fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum. Cant. 8. 6.* Quæ convenientia eſſe poteſt amoris patientis, cum morte, inferno & igne? Conveniunt ſane in hoc, quod ſicut mors, infernus, & ignis ſunt inſatiabiles, ita & inſatiabilis eſt amor patiens, cum etenim ſancti alicujus viri cor amore patiente ſauciatur, pœnitentiis & mortificationibus nunquam ſatiatur, ac quo plura pro Chriſto patitur, eo plura & graviora pro ejus amore pati deſiderat. Amore autem illo patiente ſupra modum exarſit Franciſcus, qui ita Deum amabat, & corpus ſuum ita odio habebat, ut pœnitentiis & mortificationibus nunquam ſatiari valeret; quamdiu enim vixit, ſemper magis & magis corpus ſuum cruciavit. Unde paulo ante mortem ab eo veniam petiit, eo quod tam acerbis mortificationibus illud vexaverit. Habuit ergo Franciſcus ſpiritum contemptus, amoris & odii: *Spiritum contemptus*, reſpectu bonorum terræ: *Spiritum amoris*, reſpectu hominum: *Spiritum odii*, reſpectu ſui ipſius.

Ecce quomodo ſuper S. Franciſcum requieverit Chriſti Spiritus: *Requieſcit ſuper eum Spiritus Domini.* O utinam idem ſuper omnes homines requieſceret Spiritus! Sed, proh dolor! Supra multos, non Chriſti, ſed dæmonis & mundi requieſcit ſpiritus: multi enim avaritiæ, vindictæ, amoris proprii: non autem contemptus terrenorum, amoris hominum, & odii in ſeipſos ſpiritu poſſidentur.

Multi quidem non habent ſpiritum contemptus, reſpectu terrenorum: quin potius ſpiritu avaritiæ & ambitionis ad ea feruntur: mens enim eorum de iis comparandis ſemper cogitat: cor eorum illis acquirendis continue inhiat, & plerique utraque manu ea comparare conantur. Multi etiam ſpiritum amoris, reſpectu hominum, non habent, quin potius ſpiritu vindictæ in eos accenduntur: malignus hic invidiæ, odii & vindictæ ſpiritus regnat in orbe terrarum nilque hoc ſpiritu in hoc ſæculo communius. Multi tandem ſancto ſua corpora non proſequuntur odio, quin contra plerique quæ nimio corporis ſui amore, gulæ indulgent, luxuriæ vacant, ac illicitis quibuſque voluptatibus ſe dedunt.

Digitized by Google

O quam exitioſis ſpiritibus ducuntur homines ſæculi! Certe, ſi recte ſaperent, pravos illos avaritiæ, vindictæ, & amoris proprii ſpiritus a ſe abiicerent, & ſollicite expellerent.

O N. N. procul pellite hunc avaritiæ ſpiritum, & terrena omnia, tanquam vilia veſtimenta, velut avium nidulos & tanquam bona brevi peritura contemnite. Abjicite omnem vindictæ ſpiritum, & proximum ut voſmetipſos diligite. Eradicate e cordibus veſtris ſpiritum amoris proprii, & ſancto ſuccenſi odio, in propria inſurgite corpora, eaque jejuniis & mortificationibus conterite. Facite, ut ſuper vos, ſicut & ſuper S. Franciſcum, requieſcat Spiritus contemptus reſpectu terrenorum, Spiritus amoris reſpectu proximi, & Spiritus odii reſpectu veſtri. Si autem eundem cum Franciſco Spiritum poſſideatis in terris, cum eo poſt mortem regnabitis in cælis. *Amen.*

D E

SANCTO FRANCISCO ASSISIATE.

CONCIO SECUNDA.

Dabo eis cor unum. Jerem. 31. t.

SI Doctori Seraphico fidem adhibeamus, Angelus ille Chriſto ſimilis, quem vidit S. Joannes Evangeliſta, non eſt alius, quam Seraphicus Franciſcus, qui puritate ſua vere Angelus fuit, & qui Chriſto ſimilis extitit in humilitate, in paupertate, in mundi contemptu, in zelo ſalutis animarum, & in præcipuis vitæ ejus actionibus. Si enim Chriſtus in humili præſepio naſci voluit, in præſepio natus eſt & Franciſcus, ſi Apoſtolicam vitam inſtituit Chriſtus, eam Franciſcus ſervavit & propagavit, ſi duodecim Apoſtolos Chriſtus ſibi elegit, totidem ſelectos diſcipulos aſſumpſit Franciſcus, ſi Apoſtolos ſuos in univerſum mundum miſit Chriſtus, ut ubique Evangelium prædicarent, primos etiam ſuos diſcipulos in omnes mundi partes delegavit Franciſcus, ut ubique diſſeminarent verbum Dei, & ſanctum Chriſti Evangelium populis annuntiarent. Si innumeros homines Chriſtus per ſe, & per Apoſtolos ad veram fidem convertit; Franciſcus virtute divina per ſe, & per diſcipulos, innumerabilem infidelium, hæreticorum, & omnis generis hominum multitudinem ad pie vivendum adduxit: ſi tandem Chriſtus pati, cruci affigi, latuſque, pedes & manus ſuas perforari voluit; Franciſcus etiam in manibus, pedibus & latere Stigmata Chriſti portare meruit.

Ecce Franciſcum in multis Chriſto Salvatori ſimilem; ſed quod majori admiratione dignum eſt, Franciſcus ei etiam ſimilis fuit in cordis affectibus, ita ut unum & idem Chriſti & Franciſci cor fuiſſe videatur. Et iſtam Franciſci cum Chriſto conformitatem nunc inveſtigare intendo. Nec enim Seraphicum Patrem magis exaltare poſſum, quam oſtendendo, quod cor ejus ſimillimum & quaſi unum & idem fuerit cum corde Chriſti quod eſt ſanctuarium divinitatis, in quo reſident omnes theſauri ſapientiæ Dei. Quare Chriſti & Franciſci unum & idem cor fuiſſe in tota hac concione probabo. *Dabo eis cor unum*, &c. *Ave.*

QUi de Chriſti, in hoc mundo viventis corde recte judicant, fatentur, quod Filii, Matris, & Judicis cor habuerit. Cor Filii habuit, reſpectu Patris æterni, cujus unicus & dilectus erat Filius; *hic eſt Filius meus dilectus. Matth. 3.* Habuit etiam cor matris, reſpectu hominum, cum ipſe amore materno, & maternum ſuperante nos dilexerit: *Ipſe dilexit nos. Apoc. 1.* Judicis tandem cor habuit reſpectu ſui ipſius, cum ſententia a ſeipſo prolata, ad omnia condemnatus ſit ſupplicia, quæ in toto Paſſionis ſuæ decurſu pertulit. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Iſa. 53.* Unde ſi Chriſtus diverſo modo conſideretur, aliud & aliud cor habuiſſe patet; reſpectu enim Patris æterni, habuit cor filii amantiſſimi, & obſequentiſſimi; reſpectu hominum, habuit cor matris, ſummo affectu illos amantis: reſpectu ſui ipſius, habuit cor judicis, ad acerbiſſima ſupplicia ſemetipſum condemnantis.

En quale fuerit admirabile Chriſti cor. Videamus nunc, quale extiterit cor Seraphici Franciſci: unum cum alio conferamus, utriuſque faciamus analogiam; dicamuſque, quaſi unum & idem fuiſſe Chriſti & Franciſci cor. Franciſcus enim ſimul cum Chriſto habuit cor filii, matris & judicis: habuit: 1. *Cor filii*, reſpectu Dei: 2. *Cor matris*, reſpectu hominum: 3. *Cor judicis*, reſpectu ſui ipſius. En tres hujus concionis partes, quibus Chriſti & Franciſci cor unum fuiſſe conſtabit: *Dabo eis cor unum.*

PRIMA PARS.

S. Franciſcus habuit cor filii, reſpectu Dei.

CHriſtus, qui verus æterni Patris eſt Filius, modo perfectiſſimo ei veri filii præſtitit officia; ac reſpectu ejus, cor filii vere habuit, cum ardentiſſimo eum proſecutus ſit amore, eique obedientiam & reverentiam filialem in omnibus exhibuerit. Quod autem de Chriſto, hoc & de Franciſco dicamus; habuit enim Pater Seraphicus cor veri filii, reſpectu Dei: quia habuit: 1. Cor, voluntati ejus penitus ſubditum & obediens; 2. Cor, gloriam ejus in omnibus exquirens: 3. Cor, amore ejus ſuccenſum.

1. Filii nomine indignus eſt, qui patris ſui voluntatem adimplere non ſatagit: verus enim filius, idem cum patre velle & nolle debet, ac mox ut novit filius, quid velit pater (ſi illud ſaltem malum non ſit) voluntati ejus ſe conformare, & cor ſuum inclinare debet. Norunt autem omnes, Chriſtum obedientis filii cor vere habuiſſe, reſpectu Patris æterni, cum ei obediens fuerit uſque ad mortem, & in omnibus ei obtemperaverit. Sed & Franciſcus tale cor habuit reſpectu Patris ſui cæleſtis, cui in omnibus ſe Filium obedientiſſimum præſtitit; ejuſque voluntatem perfectiſſime adimplevit.

Taceo Dei mandata, quæ haud dubie, ſimul cum Evangelicis conſiliis modo perfectiſſimo ſervavit vir ille

Digitized by Google

ille Seraphicus: hæc ſub ſilentio prætereo, ut veniam ad ſpeciale illud mandatum, quod ei fecit Deus, ſuam reparandi Eccleſiam: *Vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur.* S. enim Franciſci temporibus S. Romana Eccleſia variis erat ſchiſmatibus dilacerata, hæreſibus multis diſcerpta, ab infidelibus impetita, bellis inter Principes Chriſtianos exortis concuſſa, innumeris falſorum Chriſtianorum denigrata vitiis; totque modis ab hoſtibus ſuis impugnata, ut in proximo ruinæ ſuæ periculo verſari videretur. Deus autem, ut tanto occurreret malo, elegit virum ſecundum cor ſuum, Franciſcum ad tale munus obeundum delegavit, & voce e cælis miſſa, præſcripſit ei, ut labentem reſtauraret Eccleſiam: *Vade, repara domum meam, quæ labitur.* Franciſcus autem, ut ait Doctor Seraphicus: *ſe totum collegit ad perficiendum Dei mandatum: In legenda c. 2.* ac quidquid habuit virtutis, intelligentiæ, virium, & artis, collegit, & adhibuit, ut divinæ obediens voluntati, labentem Eccleſiam repararet: illiuſque ruinas omnibus modis ſibi poſſibilibus reſarciret. Superno enim irradiatus ſpiritu Franciſcus vidit, Eccleſiam viris doctis egere, *tum* ad erudiendos fideles, *tum* ad hæreticos debellandos, quare Eccleſiæ dedit Seraphicum Bonaventuram, ſubtilem Scotum, irrefragabilem Alexandrum Alenſem, & innumeros alios Doctores, qui eum ſua ſcientia illuſtrarunt, & ab hæreticis vindicarunt. Vidit Franciſcus, quod viris virtute, & ſanctitate illuſtribus ad ſui ornamentum & gloriam indigeret Eccleſia; quare dedit ei ſaltem mille martyres, qui ſuo eam ſanguine purpurarunt: mille ſexcentos Confeſſores ſanctiſſimos, qui ſuis illam virtutibus, miraculis, & exemplis exornarunt; & innumeros alios viros puriſſimos, qui omni tempore in ea velut aſtra fulgentiſſima rutilarunt. Vidit Seraphicus, quod ad reparandam Chriſti Eccleſiam, expellendi eſſent lupi rapaces, qui eam infeſtabant; & advocandi Paſtores boni, qui eam foverent & defenderent: quare dedit ei quatuor ſummos Pontifices, ſexaginta & octo Patriarchas, Archiepiſcopos ſaltem centum triginta; & plus quam ſexcentos Epiſcopos, qui ferventibus ſuis concionibus, monitis ſalutaribus, ſanctis legibus, & præclaris omnium virtutum exemplis eam ſuſtentarunt, & reſtaurarunt. Sed nonne Franciſcus Eccleſiæ dedit innumeros Concionatores zelantiſſimos? Nonne innumeros ei dedit viros Apoſtolicos, quorum ſonus in omnes terræ regiones exivit; & qui Eccleſiam ampliarunt, decorarunt, & repararunt? Certe Franciſcus fuit filius æterno Patri obſequentiſſimus, habuitque cor filii reſpectu Dei: quia magna cum animi ſubmiſſione ei obtemperavit: *ac etiam quia gloriam ejus ſummo affectu exquiſivit, & promovere conatus eſt. Joann. 8.*

2. Sicut Chriſtus in ſumma cordis humilitate inceſſit, ab hominibus honorari noluit: ac proteſtatus eſt, ſe non ſuam, ſed Patris ſui gloriam quærere: *Non quæro gloriam meam*: ita Franciſcus de propria gloria non fuit ſollicitus: quin contra ab hominibus deſpici amavit, & quæſivit. Gaudebat, cum illudebatur; tripudiabat, cum vituperiis afficiebatur: ſtultus æſtimari ambiebat, & ſi aliquando lutum injiciebant pueri, ipſe ſubridebat: quia non ſuam, ſed cæleſtis Patris gloriam quærebat.

Cum die quadam vir Seraphicus divinas in ſylvis decantaret laudes, ad eum acceſſerunt latrones, a quibus duriſſime vapulatus & in terram eſt projectus. Quibus ille, nullatenus perterritus, confidenter dixit: *Præco ſum magni Regis*: Quaſi dicat, illudite mihi, quantum placuerit; irriſionibus, conviciis & opprobriis me afficite, quantum volueritis, immo & ad arbitrium veſtrum me plectite. hæc omnia velut favores accipiam, quia non de mea, ſed de cæleſtis Patris gloria ſum ſollicitus: *Non quæro gloriam meam.*

Sicut S. Michael in famoſo illo prælio, quod datum eſt in cælo, zelo gloriæ Dei ſuccenſus, clamavit: *Quis ut Deus?* Ita Franciſcus eodem gloriæ Dei zelo ardens, pro ejus gloria per ſe & per filios in omnibus terræ partibus decertavit, ac vir ille ſanctiſſimus ſemper clamavit; *Quis ut Deus?* Catholicis & Hæreticis, Fidelibus & infidelibus, ac omnibus cum quibus converſatus eſt, Dei gloriam prædicavit, eoſque ad Deum glorificandum excitavit, dicens: omnia alia a Deo, nihil eſſe. *Quis ut Deus?* Jam Italiæ civitates luſtrabat vir ille ſanctiſſimus, ut ibi gloriam Dei manifeſtaret, & ampliaret: jam ad exteras, & barbaras ſe conferebat regiones, ut ibi Deum honorandum & glorificandum prædicaret; ac ſemper & ubique Dei nomen & gloriam hominibus manifeſtabat. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus. Joann. 17.* Quare fatendum, Franciſcum vere cor filii habuiſſe, reſpectu Dei, cum ejus gloriam in omnibus exquiſierit, *ac etiam cum cor ejus Dei amore ſuccenſum fuerit.*

3. Verum quidem, quod parentum amor ad filios deſcendat, quodque Pater, (ſi quid ſaltem in eo humanitatis ſit) ſemper filios, quos genuit, diligat. Sed & amor viciſſim a filiis ad parentes aſcendere ſolet, quicumque enim filius, ſi filiale cor habeat, non poteſt noſſe, ſe eſſe filium, quin patrem, cujus eſt filius, ardenter amet, & magno amore proſequatur. S. Franciſcus autem vere cor filiale habuit, reſpectu Dei, quia eum ardentiſſime dilexit. Et ut loquitur Doctor Seraphicus: *Cor Franciſci totum amore Dei concremabatur. Ubi ſup.*

Hujus amoris flammas ubique emittebat Franciſcus. Et ſicut ignis ſemper & ubique ardet, ita cor Franciſci, divini amoris igne ſuccenſum, ubique ardebat, & ubique amoris ſui in Deum flammas ſpirabat. Jam epiſtolis quas ſcribebat, jam ſanctis concionibus quas habebat ad populum, & jam ignitis verbis quæ in converſatione proferebat, ſuum hunc in Deum patefaciebat amorem. Ac quandoque totus ille Dei Filius, æterni Patris ſui amore accenſus; ſilvas adibat, ibique dolore confectus, eo quod Deus non amaretur, clamabat, ac pluries illa verba iterabat: *Amor non amatur, amor non amatur.*

Amor ille quo in Deum ferebatur S. Franciſcus, tantus erat, ut in corde ejus contineri non poſſet, quin foras erumperet; quare illius amoris ſcintillas foras mittebat actibus amoris, canticis ſpiritualibus, & verbis ignitis quæ proferebat. Sed tunc maxime foras erupit ille amor, cum vir ille Seraphicus ſacris Stigmatibus fuit inſignitus, tunc enim, ut ait S. Bernardinus, hic amor in corde ejus contineri non valens, magno impetu in latere, pedibus

& manibus ejus aperturas ſibi fecit ut foras erumperet. *Sicut*, inquit, *non poteſt ignis materialis intra vas obturatum diu contineri, quin illud diſrumpat: ſic cor Franciſci erat vas quoddam ſacrum, igne amoris Dei plenum, tantuſque erat ille ignis, ut intra vas tam arctum detineri non potuerit. Quare ſummo impetu aperturas, quas Stigmata ſacra vocamus, effecit, ut flammas ſuas emittere valeret. S. Bern. ſer. de Sac. Stig.*

Impie locutus eſt Lucianus, cum aliquid ad corporis humani perfectionem deeſſe dixit, nempe feneſtram in pectore, qua amici, quanto arderent amore, ſibi invicem manifeſtare poſſent. Si tamen hujuſmodi feneſtra aliquid perfectionis humano corpori adderet, hac ſane perfectione potitus eſt Franciſcus, cujus in Deum amor aperturas, & quaſi feneſtras in latere, pedibus & manibus fecit, per quas eum maximo exarſiſſe in Deum amore, quiſque videre poterat. Ecce quomodo Franciſcus ſimul cum Chriſto habuerit cor filii reſpectu Dei. *Sed habuit etiam ſimul cum Chriſto cor matris reſpectu proximi.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Franciſcus habuit cor matris, reſpectu proximi.

INtra matrum corda penetrare non valeamus, ut ibi videamus, quanto in filios amore ardeant. Sed cum de internis per externa cenſeamus, internum illarum in filios amorem ardentiſſimum eſſe judicamus beneficiis, ſollicitudine, & generoſitate; *Beneficiis*, quæ illis impendunt; *Sollicitudine*, qua illorum profectum quærunt; *Generoſitate*; qua illos defendunt. Et ex iiſdem principiis agnoſcimus, Franciſcum ardentiſſime dilexiſſe homines: ac vere cor maternum habuiſſe reſpectu illorum: habuit enim cor beneficum, ſollicitum & generoſum. Habuit: 1. *Cor beneficum*, reſpectu omnium: 2. *Cor ſollicitum* pro ſalute omnium: 3. *Cor generoſum* pro defenſione omnium.

1. Cum amor ex ſui natura ſit diffuſivus & beneficus, non poteſt quis amare, quin, quantum fas eſt, in perſonam amatam ſe beneficum præbeat; eoque magis illi benefacere conatur, quo ardentiori eam amore proſequitur. Et inde facile judicamus, ardentiſſimum eſſe matrum in filios amorem, quia omnibus notum eſt, quod facultatibus, ſomno, quiete, libertate, & omni ſe bonorum genere libenter ſpolient in gratiam filiorum. Sed ex hoc etiam clariſſime cognoſcimus, Franciſcum ardenter, & amore materno omnes homines vere dilexiſſe, quia certum eſt, quod in omnes ſe beneficum exhibuerit, non ſolum frequentibus orationibus, quas pro omnibus ad Deum faciebat, jugibus lacrymis quas pro omnibus fundebat, & corporis mortificationibus, quas pro omnibus ſuſcipiebat; ſed etiam variis charitatis officiis, quæ omnibus præſtare conabatur. Nunc enim infirmos ad patientiam hortabatur: nunc mœſtos conſolabatur, leproſorum nunc lavabat ulcera, & nunc quæ ad victum neceſſaria erant, ſibi ſubtrahebat, ut pauperibus ea diſtribueret. Proprio ſe pluries exuit pallio, ut nudos cooperiret, noſocomia ſeu valetudinaria publica ſæpiſſime luſtrabat, ut infirmis inſerviret, in omnes tandem ſe beneficum exhibebat, quia omnes ardenter amabat.

Nulla unquam mater tanto erga filios exarſit amore, quanto Chriſtus erga omnes omnino homines ſuccenſus fuit. Non hunc dumtaxat, vel illum hominem; ſed omnes, nullo excepto, affectu materno dilexit: illumque manifeſtavit amorem beneficiis, quibus omnes penitus homines affecit. Pro omnibus enim incarnari, eſurire, ſitire, ſudare, vigilare, orare, jejunare, pati & mori voluit; omneſque, abſque ullius exceptione, pretioſi Sanguinis ſui fructum percipere optavit. Similem in modum S. Franciſci cor ita fuit dilatatum, ut amaret omnes, omneſque caperet. *Cor noſtrum dilatatum eſt. 2. Cor. 6. 11.* Tantæ fuit capacitatis & amplitudinis cor ejus, ut ad omnes ſe extenderet, omneſque, nullo excepto, ardenter diligeret. Et ideo pro omnibus oravit, jejunavit, & laboravit: ac in omnes & per ſe, & per Fratres ſuos beneficus fuit. At non ſolum homines amore materno dilexit, quia cor ejus fuit beneficum, reſpectu omnium, *ſed etiam, quia habuit cor ſollicitum pro ſalute omnium.*

2. Sicut cor Divi Pauli ita de omnium hominum ſalute erat ſollicitum, ut omnes in Chriſti viſceribus cuperet, omnes lucri facere & ſalvare optaret, *omneſque in regnum Dei feſtinaret inducere, Chryſoſt. in c. 9. 1. Corinth.* ita cor Seraphici Franciſci de omnium penitus hominum ſalute erat ſollicitum, omneſque ad æternæ ſalutis portum adducere vehementer deſiderabat. Quod cordis ſui deſiderium tunc manifeſtavit Pater Seraphicus, cum aliquos ex fratribus & filiis ſuis ſpiritualibus ad quatuor mundi partes miſit, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, & ut omnium hominum ſaluti procurandæ incumberent. Tunc etiam, hoc ſuum patefecit deſiderium, cum nonnullos ex Fratribus ſuis mittens Marrochium ad Occidentem, ipſe verſus Orientem perrexit, Soldani aditurus præſentiam: ut ſic ipſe Orientis, illi Occidentis populis ſalubre Chriſti prædicantes Evangelium, quaſi totum mundum ad Chriſtum converterent. Sed tunc maxime ſuam hanc omnes homines ſalvandi ſollicitudinem monſtravit Franciſcus, cum tres diverſos inſtituit Ordines: Fratrum Minorum, ſcilicet, Clariſſarum, & Tertiariorum. Inſtituit enim Fratrum Minorum Ordinem, ut innumeros juvenes, relictis ſæculi pompis, ad altiorem vitæ perfectionem vocaret, & ſalutis hominum Miniſtros faceret. Inſtituit Clariſſarum Ordinem, & ut puellas multas a ſæculo nequam educeret, & ut earum miniſterio aliæ plures ſalvarentur. Inſtituit tandem Ordinem Pœnitentiæ, ſeu tertium Ordinem, pro omnibus tam viris, quam mulieribus in ſæculo remanentibus: ut omnibus in ſæculo viventibus ſpiritum inſpiraret pœnitentiæ, qua mediante, omnes ſalvari, & promiſſum pœnitentibus cælorum Regnum adipiſci valerent.

Dicere etiam poſſemus, quod ſollicitudinem ſalutis hominum qua angebatur vir ille Seraphicus, tunc perfecte manifeſtaverit, cum Indulgentiam Sanctæ

ctæ Mariæ Angelorum obtinuit. Tunc enim terrena a Chriſto non petiit; quia hæc contemnebat: tunc honores ſibi dari non rogavit; quia eos pro nihilo habebat: ſed hominum ſalutem poſtulavit, ad quam toto corde anhelabat. Tunc ſolum Chriſto dixit: *Da mihi animas*; oro ut des mihi Indulgentiam pro omnium hominum ſalute. O cor vere maternum! O cor vere ſollicitum pro omnium hominum ſalute! *Sed Franciſcus habuit etiam cor matris, reſpectu omnium; quia habuit cor generoſum pro eorum defenſione.*

3. Sicut Matres, licet ex natura ſua debiles ſint & meticuloſæ, generoſiſſimæ tamen fiunt, cum de tuenda & defendenda prole agitur; ita S. Franciſcus, inſtar piæ matris, corde generoſiſſimo omnes omnino homines a ſatanæ tyrannide defendere, & eripere conatus eſt. Videbat vir ille Seraphicus, quod dæmon, tanquam leo rugiens, totum circuiret terrarum orbem, ut Chriſti Salvatoris oves raperet & devoraret; videbat, quod Princeps tenebratum ubique Chriſti gregem infeſtaret & vaſtaret; quodque innumeri homines ſub ejus dominio ingemiſcerent. Quare plurimos ex fratribus ſuis undequaque mittens, ut dæmoni bellum indicerent, ipſe apud Turcas, ubi præcipue dæmon triumphare videbatur, generoſe ſe contulit; ubique mille obiens mortis pericula, Soldanum directe adivit, Chriſtum crucifixum ei prædicavit, Evangelicam legem annuntiavit, ſectam Mahumeticam damnavit; tantoque cum ſpiritus fervore Soldanum allocutus eſt, ut eum ad meliorem vitæ frugem adduxerit. O magnam Franciſci generoſitatem!

Franciſcus eſt vir generoſiſſimus, quem Deus, cujus providentia non fallitur, miſit ad ſtationem dæmonum, ut eos debellaret. Sicut enim Jonathas 1. *Reg.* 14. dixit adoleſcenti armigero ſuo, ut tranſiret ad ſtationem Philiſthinorum, cui prompte obtemperavit armiger ejus; ita, inquit Liranus, Chriſtus Franciſcum armigerum ſuum, qui ejus inſignia in manibus & pedibus geſtabat, miſit ad ſtationem dæmonum; cui ex animo obtemperavit Franciſcus. Tranſivit enim ad populos infideles, ubi erat ſtatio, & ſolium dæmonum; ibique tenebratum principes aggreſſus eſt, ac populos ab eorum tyrannide libertate pertentavit, tum prædicationibus multis, tum mirandis vitæ ſuæ exemplis. Ecce quomodo Franciſcus, ſimul cum Chriſto, habuit cor matris, reſpectu hominum: *Sed, & ſimul cum Chriſto, habuit cor ſeveri judicis reſpectu ſui ipſius.*

TERTIA PARS.

Sanctus Franciſcus habuit cor judicis, reſpectu ſui ipſius.

CHriſtus, qui a Patre conſtitutus eſt Judex vivorum & mortuorum, officio judicis adverſus ſeipſum functus eſt; ſententia enim quam adverſus ſeipſum tulit, & divino ſuo decreto, ad omnia, quæ in toto vitæ ſuæ decurſu paſſus eſt, voluntarie ſe condemnavit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Sicut autem Chriſtus, ita & Franciſcus adverſus ſemetipſum judicis munus obivit; fuitque judex in ſeipſum ſeverus, & crudelis; quia ſeipſum condemnavit: 1. Ad ignominias: 2. Ad dira ſupplicia: 3. Ad mortem.

1. Alias virtutes exaltat, ſublimat, & dignificat humilitas, magnumque iis dignitatis, & ſublimitatis characterem confert: *Humilitas, virtutum ſublimitas. Auguſtinus ſermone 2. in Pſalmo 58.* Quare Franciſcus, qui omnes virtutes in eminentiſſimo gradu aſſequi peroptabat, humilitati potiſſimum ſtuduit, humilitatis operibus continue incubuit: utque ad altiſſimum humilitatis gradum perveniret, ad ignominias multas perferendas ſeipſum condemnavit. Jam, ſententia in ſeipſum lata ſe condemnabat ad irriſiones, convicia, & opprobria a pueris, a viris impudentibus, & ab impiis perferenda; jam, ut omnis in ſe vanitatis ſpiritum extingueret, damnabat ſe ad vilia, infantilia, & ſtulta aliqua opera palam facienda; optans a ſpectantibus amens & ſtultus reputari. Immo & aliquando ſe ad mulctam honorariam condemnavit: fune enim ad collum ligato, publicum civitatis Aſſiſii forum adivit: ibique coram adſtante populo reum ſe, & omnium ſceleratorum maximum declaravit.

Non ſatis admirari poteſt Doctor Mellifluus Sponſæ ſacræ humilitatem, quæ tanta erat, ut nullis honoribus corrumpi, nullaque gloria inflari poſſet. *Quæ eſt illa tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Sanctus Bernardus homil. 4. ſuper Miſſus eſt.* Hac quidem humilitate floruit Pater Seraphicus, qui quo magis ab hominibus æſtimabatur & laudabatur, eo ſe viliorem, ac omni laude & honore indigniorem cenſebat. Sed inſuper tam ſublimis ejus erat humilitas, ut judicio dato, ad ignominioſa, & probroſa multa obeunda & perferenda ſe condemnaret. Pius erat, ſanctus & innocens erat; & tamen in ſemetipſum judex ita ſeverus erat, ut ad talia ſe damnaret. Sed S. Franciſcus fuit etiam judex ſeverus in ſemetipſum: *Quia ad dura ſupplicia ſe condemnavit.*

2. Chriſtiani ſunt *Hæredes Crucifixi*, *S. Cyprianus*, quia quicumque regenerationis Sacramentum accepit, carnem ſuam, luſtralibus aquis lotam, mortificare, carni Chriſti conformare, & crucifigere debet: *Corpus regenerati fiat caro Crucifixi. Sanctus Leo ſerm. 14. de Paſſione*. Hanc quidem, e cælis lapſam, doctrinam pauci capiunt; ſed Franciſcus eam ita perfecte calluit, ut omni mortificationum genere ſeipſum cruentaverit, & crucifixerit. Sanctiſſimus enim ille vir, judex in proprium corpus crudelis extitit: quia, pia crudelitate, illud ad flagella acerbiſſima, ad arctiſſima jejunia, ad duriſſimos labores, & ad alias multas hujuſmodi pœnas ſæpiſſime condemnavit. Immo (quod portentoſum eſt) Franciſcus nudum corpus interdum inter ſpinoſas vepres volutabat, interdum ſupra nivem volvebat, & interdum ſupra ardentes prunas verſabat. O ſanctam & duram Franciſci in proprium corpus crudelitatem! ei vere fuit in judicem crudelem; cum illud ad tam dira ſupplicia condemnaverit. *Mutatus es mihi in crudelem. Job. 30.*

De peccatoribus ait Scriptura, quod viſcera eorum ſint crudelia. *Viſcera impiorum crudelia. Proverb. 12.*

Sed

Sed in alio ſenſu dici poteſt, quod *viſcera piorum ſint crudelia*, quia, ſcilicet, plerique Sanctorum pia crudelitate corpora ſua variis vexaverunt mortificationibus & ſuppliciis. Et hoc in primis fecit Seraphicus Franciſcus, qui ſe judicem in proprium corpus conſtituit; fuitque in illud judex ita ſeverus, ut vix alius eo crudelior fuiſſe videatur. Quis enim Sanctorum crudeliores contra proprium corpus tulit ſententias? Quis in illud dirior fuit? Quis illud ad duriora damnavit ſupplicia? Certe vix ullus talis inveniri poteſt. Unde, paulo ante obitum, ab illo veniam ſupplex poſtulavit, quaſi in illud nimium ſeverus extiterit. Ecce judicem vere contra ſeipſum crudelem; cum ſe ad tam dira ſupplicia condemnaverit. Sed Franciſcus fuit etiam judex in ſeipſum ſeverus: *quia ſe ad mortem pro Dei gloria obeundam damnavit*.

3. Continuæ Sanctorum mortificationes & dura pœnitentia cui ſe addixerunt, ſunt quoddam martyrium: *Horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Bernardus ſerm. in octava Paſchatis*. At Patri Seraphico non fuit ſatis, jugi hoc martyrio corpus ſuum afflixiſſe: illud inſuper ad mortem pro Dei gloria ſubeundam condemnavit. Proprium corpus reum mortis cenſebat; ac cum Bernardo dicebat: *Reus eſt mortis, amicus ille diaboli, inimicus Chriſti*; quare, ſententia a ſeipſo lata, illud ut mortis reum, ad mortem & ad martyrium condemnavit, & ut hanc ſuam ſententiam executioni mandaret, tribus vicibus itineri ſe commiſit, ut ad remotas infidelium oras, martyrii occaſionem quæſiturus, ſe conferret. Et licet bis, divina diſpoſitione fuerit prohibitus; tertia tandem vice, poſtquam opprobria, vincula, verbera & plurimos labores perpeſſus eſt, ad Soldani Babyloniæ præſentiam ductus, tanto cum ſpiritus fervore et Chriſtum crucifixum prædicavit; ut mirum ſit, quomodo barbarus ille Princeps, morti quam deſiderabat, eum non adjudicaverit. Dulcia ſemper cenſuerat Sanctus Franciſcus omnia pœnarum genera, quæ patiebatur, dicens: *Heu! quam dulcia ſunt ſupplicia quæ patior; tum cœli delicias, quas expecto, intueor*! ſed tunc ipſi ſuavis, & amabilis fuiſſet ipſa mors, quam ſollicite quærebat, & ardenter deſiderabat.

Soldanus Franciſci doctrinam admiratus eſt: illum ut virum a Deo miſſum honoravit; eique aurum & argentum obtulit; ſed hæc omnia non quærebat Franciſcus. Si ignes, rotas, gladios, crucem, & ipſam mortem illi obtuliſſet, ſummo illum gaudio affeciſſet; quia nil tam deſiderabat, quam ſupplicia, & ipſam mortem per Chriſti amore perpeti; ipſe enim, ſicut alter Andreas, *ad tormenta tamquam ad ornamenta, ad pœnas ſicut ad delicias properabat. S. Bern. ſerm. de S. Andr.*

Non poterat vir ſanctus, Chriſti, pro ſui amore crucifixi, & mortui, recordari; quin & ipſe pro Chriſto pati & mori deſideraret: quare ad mortem pro illo obeundam ſe damnaverat, ac pro illius amore mori quærebat, & ideo martyr fuit deſiderio. Immo & quodammodo martyr fuit paſſionibus ſuis: quia Chriſtus per ſe, vel per aliquem ex Seraphinis, ſacra Paſſionis ſuæ Stigmata corpori ejus impreſſit; ac Martyrum dolores eum experiri fecit.

Ecce quomodo Chriſti & Franciſci unum fuerit cor. Unum quidem fuit, cum Franciſcus, ſimul cum Chriſto, habuerit *cor filii* reſpectu Dei, *cor matris* reſpectu hominum, *& cor judicis* reſpectu ſui ipſius.

O mirabilem cordis S. Franciſci cum corde Chriſti analogiam, & ſimilitudinem! O utinam ſic corda noſtra cordi Chriſti eſſent ſimilia! Sed heu! timeo, ne vel minimum ſit in nobis cordis Chriſti veſtigium. *Veſtigium cordis boni, difficile invenies. Eccli. 13.*

Dic, o Chriſtiane, eſtne in te, reſpectu Dei, cor veri filii, ita ut mandatis ejus humiliter obtemperes, gloriam ejus ferventer æmuleris, ac ejus amore continue ſuccendaris! Heu! quam rara ſunt hujus generis corda? Sed dicite, quæſo, qualia ſunt corda veſtra, reſpectu proximi? Eſtne aliquis, qui reſpectu ejus cor maternum gerat; ita ut amore proximi vere ardeat, ei benefacere curet, illumque a malis tueri, & defendere conetur? Certe rara ſunt etiam hujuſmodi corda, nam *totus mundus in maligno poſitus eſt*, & plerique meditantur ſolum modos & artes, quibus aliorum facultates eripere, gloriam eorum deprimere, de iis vindictam ſumere, eorum ruinam moliri, vel iis aliquo modo nocere poſſint. Sed, heu! quis habet cor ſeveri judicis, reſpectu ſui ipſius? Quis, ad placandam divini numinis iram, pro peccatis quæ perpetravit, ad jejunia, ad flagella, & ad alias hujuſmodi pœnitentias ſe condemnat? Heu! quam pauci ſunt, qui per arctam & difficilem hanc cœli viam incedant? Multi quidem ſpatioſam voluptatum ſequuntur viam, & pauciſſimi arctam & regiam crucis viam tenent; multi corpori ſuo adulantur, illudque fovent, ſed pauciſſimi illud ſanctis mortificationibus vexant, & ſalutaribus pœnitentiis affligunt. O fratres dilectiſſimi, ſi recte ſapitis, duras adverſum corpora veſtra ſententias dicite, ea Chriſti jugo ſubdite, juxta rationis & chriſtianæ legis præſcriptum ea mortificate, ex iis hoſtias Deo dignas facite, ac in illa judices ſeveri eſtote, & Chriſtus, juſtus vivorum, mortuorumque Judex, æterna vos beatitudine præmiabit. *Amen*.

DE
SANCTA THERESIA.
CONCIO UNICA.

Dilexit multum. Luc. 7.

DUm in hoc mundo viveret Thereſia, Chriſti Sponſi ſui amore ſuccenſa erat; in corde ejus ſacri amoris ignis continue ardebat; divinum ſemper ſpirabat amorem; tantoque fœdere amori Chriſti jungebatur anima ejus, ut vivere, & Chriſtum amare, unum & idem in ea eſſe videretur.

A Chriſto quidem amabatur Thereſia; ſed & illa viciſſim Chriſtum amabat. Erat Chriſtus illi, & illa Chriſto per amorem: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Cantic.* c. 12. Erat Thereſia Chriſto per humilitatem altiſſimam quam ſectabatur, per heroicam

eam patientiam quam profitebatur, per obedientiam, paupertatem, & alias virtutes quas in gradu perfectiſſimo poſſidebat; ſed Chriſto potiſſimum erat per charitatem, quæ omnium virtutum eſt regina, forma, & perfectio.

Non dicam jam, quomodo Chriſtus Thereſiæ per amorem fuerit: non explicabo, quantus extiterit ille amor, quo Chriſtus præclaram hanc Virginem eſt proſecutus: non recenſebo raptus, extaſes, favores eximios, præcellentes gratias, & omnia ſingularis amoris teſtimonia, quæ Chriſtus Thereſiæ dedit; ſed totam dicendi materiam in hac oratione panegyrica ſumam ab amore, quo Virgo Chriſtum, animæ ſuæ ſponſum, proſecuta eſt. De illa dicam, quod de Magdalena Chriſtus; quod ſcilicet multum amaverit. *Dilexit multum*. Videamus qualis, & quantus fuerit Thereſiæ in Chriſtum amor, &c. *Ave.*

QUi vere & perfecte Deum amat, inquit Doctor Angelicus, pro eo gravia patitur, ad ejus gloriam magna operatur, & interno erga eum languore afficitur: *Amor facit ſuſtinere infatigabiliter, amor facit operari indeſinenter, amor facit languere utiliter. D. Thom. opuſc. 61.*

Triplicem hunc amoris gradum reſpectu ſui Sponſi, ſacram Canticorum Sponſam perfectiſſime poſſediſſe, neminem latet. Ipſa enim pro amore gravia patiebatur: & ideo dicebat, divinum Sponſum ſibi eſſe, non forem viſui, & olfactui jucundum; ſed faſciculum myrrhæ amariſſimum: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Cant. 1.* Ipſa etiam pro ejus gloria continue operabatur, & ideo illum enixe rogabat, ut in hortum ſuum veniret, ſeu, in animam ipſius, quæ hortus erat, in quo indeſinenter pro dilecti amore laborabat: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum. Cantic. 5.* Ipſa tandem ob nimium, quo in ſponſum ferebatur, amorem, continuo languore conficiebatur: & ideo filias Jeruſalem ſupplex rogabat, ut dilecto dicerent, quod amore ejus ipſa langueret: *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem: ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Cant. 4.*

A divina hac Sponſa ad beatam Thereſiam, quæ puriſſima etiam Chriſti Sponſa fuit, jam veniamus; ac dicamus, quod Chriſtum tripliciter hoc amore dilexerit. Amavit enim eum: 1. Amore patiente: 2. Amore operante: 3. Amore languente.

PRIMA PARS.

S. Thereſia Chriſtum amavit amore patiente.

QUi Chriſti amore ſauciatur, eum in cruce pendentem, & pro hominum amore morientem, contemplari nequit; quin deſiderio pro ea gravia quæque patiendi accendatur. Unde de ipſa experientia conſtat, perſonas amore digno Chriſtum diligentes, ardenter cruces ambire, libenter eas amplecti, eaſque conſtanter, & patienter ſuſtinere: *Amor facit ſuſtinere infatigabiliter. D. Thom.*

Patiente hoc amore, a primis etiam vitæ ſuæ annis, ſufflammabatur Thereſia: cum enim Martyrum acta in tenerrima adhuc ætate perlegeret, in corde ejus igneſcebat, & accendebatur urgens pro Chriſto moriendi deſiderium, & tunc, cum quodam ex fratribus ſuis, ætate vix eam ſuperante, conferens de mediis, quibus poſſet ad martyrium pertingere, pueriles eorum animos ſubiit non puerile conſilium de eundo ad Maurorum regiones, eleemoſynam quæritando, ut ibi pro Chriſti fide & amore ſanguinem funderent. Quo ardore ſuccenſi, paterna aufugientes domo, verſus Africam tendunt, obvium trajiciunt flumen, levique incedunt pede, quouſque occurrens illis patruus, eos ad paternam domum reduxit. Ita Chriſti ardebat amore ſeptennis hæc adoleſcentula, ut vitam pro ejus gloria profundere parum ſibi videretur. Vitæ adhuc erat neſcia, & ejus erat prodiga; cumque minuſculum ejus corpus non haberet quo ferrum reciperet, illud ferro, flammis, & omni ſuppliciorum generi pro Chriſti Sponſi amore exponere peroptabat. Unde mihi eam audire videor cum illuſtri Martyre S. Ignatio dicentem: Utinam fruar beſtiis! Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, totius corporis contritio, & omnia tormenta diaboli in me veniant, ut Chriſto fruar. Ipſa tunc ad martyrium ſicut ad epulas properaſſet: & licet nondum eſſet idonea pœnæ, omnes pœnas, omniaque tormentorum genera pro Chriſti amore portare deſiderabat.

Verum eſt, quod ſancta hæc Virgo ad paternam domum reverſa, & increſcente ætate, mundanis aliquanto tempore ſe immiſcuerit conſortiis, exteriori ſtuduerit corporis ornatui, libriſque vanis & curioſis pervolutandis incubuerit. Et licet in his numquam mortaliter peccaſſe crediderit: primarius tamen ejus fervor tepeſcere, & ardens ille Chriſti & paſſionum ejus amor aliquantulum deficere cœpit. Quod advertens prudens ejus pater, eam in quoddam monaſterium inſtituendam miſit: ubi lux ei nova affulſit, ſæculi vanitatem ei demonſtrans, mundi laqueos & pericula ei aperiens, quamque ſuave ſit ſervire Deo, ei manifeſtans. Quare tædio, & dolore confecta, quod a prima charitate aliquantulum declinaſſet, ad Chriſtum totaliter converſa, pro ejus gloria graviora quæque perpeti firmiſſime ſtatuit. Et licet vita religioſa ei duriſſima, & aſperrima videretur, conſtanter propoſuit: quod quamvis purgatorii & inferni pœnas in clauſtro paſſura eſſet, in eo pro Chriſti amore, toto vitæ ſuæ tempore perſeveraret. Stadium ergo arduæ & laborioſæ virtutis de novo ingreſſa, nil magis habuit in votis quam pro Chriſto multa & graviora pati: ardenſque illud pro Chriſto patiendi deſiderium his exprimere ſolita erat verbis: *Domine, aut pati, aut mori.*

Joannes Stuard, Scotiæ Rex, pro inſigniis coronam, globo ſuperpoſitam, & duobus enſibus, crucis figuram efformantibus, transfixam gerebat, cum hac teſſera; *his ornari, aut mori*. Thereſia vero, non ambitionis vento concitata, ſed amoris Chriſti igne accenſa, pro eo gravia pati, aut mortem obire deſiderabat; & ideo in teſſeram ſuam hæc verba ſumpſit: *Aut pati, aut mori*. Anxio caſtigandi corporis deſiderio ita æſtuabat, ut quamvis ſecus ſuaderent morbi quibus affligebatur, corpus tamen ciliciis, catenis, urticarum manipulis, flagellis aſperrimis, aliiſque pœnitentiæ durioris inſtrumentis ſæpe cruciabat, & aliquando inter ſpinas volutabat,

Digitized by Google

bat, Deo dicens, *Domine, aut pati, aut mori.*

O Thereſia, ſi tanto patiendi deſiderio æſtuas, ſponſus ſanguinis tibi erit Chriſtus: & ut tuam probet fidelitatem, graviſſimis corpus tuum doloribus afficiet, tuos toto trium annorum curriculo ita contrahet nervos, ut nec unicum movere poſſis digitum, crebra cordis deliquia te pati ſinet, illo permittente, totius corporis violentus te ſæpe apprehendet tremor, frequentiſſimi tibi eveuient vomitus, febribus laborabis plurimis, corpuſque tuum innumeris, toto quadraginta annorum tempore, morbis affligetur. Vide, an ad hæc perferenda ſis parata? Hæc & alia quævis tormenta pro Dilecti ſui amore pati deſiderat, dicens: *Aut pati, aut mori.*

O Thereſia! Dilectus tuus oſtendet tibi adhuc, quanta oporteat te pro nomine ſuo pati, ponet enim te in ſignum, cui contradicetur ab Imperatoribus, Principibus, Prælatis, Doctoribus, immo, & ab ipſis Confeſſariis, ſeu ſpiritualis vitæ magiſtris. *Alii* monaſteriorum tuorum fundationibus adverſabuntur. *Alii* arctæ paupertati & duris mortificationum operibus, quæ inſtituere intendis, contradicent. *Alii*, non agnoſcentes quo ducaris ſpiritu, te a dæmone obſeſſam; vel ſaltem, te vanam, ſuperbam, & mendacem proclamabunt. Attende ſerio, an parata ſis ad hæc omnia pro Chriſti amore patienter toleranda? Certe paratum cor ejus ad hæc, & longe graviora perferenda, ſemperque firmiſſime ſtatuit: *Aut pati, aut mori.*

O Thereſia! laborum tuorum nondum eſt finis; cogeris enim ſtare ante Reges & Præſides: in jus vocaberis, *jam* apud Regem Catholicum, *jam* apud Nuntium Apoſtolicum, & *jam* apud fidei Inquiſitores. Ibi nigris opprimeris calumniis, nec aliquis a tuis ſtabit partibus; ne quidem Moniales, quibus præes, quæ maledica te percutient lingua, ac ex viſionibus, revelationibus, & extaſibus, quæ omnium venerationem tibi conciliare deberent, occaſionem ſument dicendi, hæc omnia nihil aliud eſſe, quam dæmonum præſtigia, vel inania vacuæ mentis ludibria, aut hypocriſis tuæ damnabiles effectus. Ecce quæ forte non æquo patieris animo. Certe, non ſolum æqua, ſed etiam hilari mente hæc & alia quæque pro Chriſti amore uſque ad mortem pati ambit, ſemperque optat pati, aut mori.

O Thereſia, duo adhuc duriſſima tibi ſuperſunt portanda tormenta: *Unum*, ex parte ignari & inſipientis Confeſſarii; qui ob inanes rationes, altiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumptionem toto tibi biennio prohibebit. *Aliud* ex parte Chriſti Salvatoris; qui, ut te tamquam aurum in fornace probet, toto viginti annorum ſpatio, internis conſolationibus, & ſui intima te privabit familiaritate: quo tempore tantas animi patieris ariditates, ut nec tantillum devotionis ſaporem pertentias, quin contra tunc tædia, anxietates, & moleſtias omni martyrio longe diriores patieris. Vide, an animo firmo, & conſtanti hæc duo ſis perpeſſura? Hæc utique, & alia quævis pro Chriſti amore uſque ad mortem perferre vult Virgo ſacra; ſemperque aut pati, aut mori deſiderat.

Thereſia ſpeciali quadam ratione, Chriſti Sponſa fuit; ad ipſam enim Chriſtus veniens, dixit: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te mihi in juſtitia & judicio, in miſericordia, & miſerationibus. Oſeæ 2.* Advertit autem ipſamet Thereſia, quod *Chriſti Sponſa, quæ ejus amore vere accenditur, clamat: da mihi, Domine, labores & perſecutiones, & vere hæc deſiderat. Thereſia cap. 7. conceptionum amoris Dei.* Quare ipſa, ut Chriſti Sponſam ſe inſpiciens, deſpici, injuriis affici, calumniis denigrari; immo & quoſcumque labores portare, ac gravia quæque pro Sponſi ſui amore perpeti concupivit. Famæ jactura, dolores corporis, malignantium perſecutiones, omniaque probra & ſupplicia illi erant gratiſſima, & ſemper pro Chriſto Sponſo graviora pati deſiderabat. Unde ei dicere ſolita erat: *Domine, da mihi perſecutiones, Domine, cum ad omne bonum inepta ſim, da ſaltem ut pro tui amore multa patiar.* O Sponſam amore patiente vere accenſam!

Perfecte noverat Thereſia, quod Virgo, quæ Chriſtum amore patiente diligit, *amat injurias, caſtigat corpus operibus pænitentiæ, inſudat, bona pro malis rependit. Dionyſ. Carthuſ. in ſollil. cap. 1.* Quare, Chriſti amore ſuccenſa, injuriis affici optabat, improperia ut favores recipiebat; corpus dire cruciabat, jejuniis, vigiliis, & omni mortificationum genere illud torquebat; & quod mirum eſt, numquam pro malo malum; ſed bona pro malis ſemper rependebat. Unde, vulgari apud Hiſpanos proverbio, dici ſolebat, quod ut quis aliquid a Thereſia obtineret, ei aliquam injuriam irrogare; vel damnum aliquod inferre deberet. Ecce Virginem, quæ Chriſtum dilexit multum *amore patiente*, ſed eum etiam dilexit multum *amore operante*.

SECUNDA PARS.

Sancta Thereſia Chriſtum amavit amore operante.

HOminis in Deum amor otium neſcit: vacare, quieſcere, & in turpi acedia putreſcere nequit: ac ſpecies quædam monſtri eſſet amor, ſi otioſus eſſet: quia Dei amor, ſi verus ſit, otium fugit, & amantem ad multa & magna pro dilecto facienda allicit: *Amor Dei numquam eſt otioſus: ſi vere eſt amor, magna operatur; ſi vero non operatur, non eſt amor. S. Bern. ſerm. 51. ad ſoror.* Thereſiæ autem in Deum amor, non monſtruoſus & falſus, ſed veriſſimus fuit; ipſa etenim panem otioſa non comedebat: ipſa inerti otio non indulgebat; ſed Sponſi ſui amore ardens, multa & magna pro ejus gloria continue operabatur. Cor ejus ab humilitatis, patientiæ, manſuetudinis, & aliarum virtutum internis actibus non ceſſabat: lingua ejus familiares de Deo ſermones ſæpiſſime effundebat, & in Altiſſimi laudes crebro prorumpebat: manus tandem ejus ab operibus Deo dignis numquam feriabatur. Unde ſicut de natura dicitur, quod ſemper ſit in motu; ita de Thereſiæ corde, lingua, & manibus dici poteſt, quod ſemper fuerit in motu: quia corde, lingua & manu, magna & multa pro Dei amore hæc Virgo ſemper operabatur.

Nil prolis partui tam oppoſitum, quam Virginitas, quæ cum fœcunditate naturaliter eſſe nequit: *Virginem parere natura non patitur. Tert. lib. adverſ. Jud. 9.* Sed Virgines, quarum intemerata virginitas ſimul cum filiorum generatione eſſe non po-

teſt,

Digitized by Google

reſt, in bonorum operum productione fœcundiſſimæ eſſe debent. Si etenim Chriſtum Sponſum ſuum vere diligant, multa ad ejus gloriam bona opera parient: quia ut ait Doctor Seraphicus: *nil ad partum boni operis ſic urget, ſicut amor Dei in corde conceptus. D. Bonaventura ſerm. 3. in die Pentec.* O quam mirabiles ſunt hi Virginum, Chriſtum amantium, partus! Sed o quam multos hujuſmodi partus edidit Thereſia! Non otioſa fuit hæc Virgo ſacra, non fuit in bonorum operum productione ſterilis, & infœcunda; ſed per Chriſti amorem, quo ſuccendebatur, facta eſt in bonorum operum productione fœcundiſſima. Sacro hoc amore fœcundata, heroicis nunc humilitatis, manſuetudinis, benignitatis, & patientiæ actibus incumbebat: nunc arctioris paupertatis, ſublimioris obedientiæ, & purioris caſtitatis opera exhibebat: arduis jam pœnitentiæ, mortificationis, & abnegationis operibus vacabat; & afflictorum conſolationi, eruditioni ignorantium, & infirmorum curationi incumbebat. Nil dicam de mirabilibus illis libris, quos hæc Virgo ſacra compoſuit: non hic enarrabo portentoſos ejus raptus & mentis exceſſus; ſub ſilentio præteribo innumera quæ fecit miracula: Velim ſolum, ut inſpiciatur & ſerio perpendatur ejus vivendi forma, quæ in bonorum productione operum tota conſtituta eſt. Unde de Thereſia dicam, quod de Eccleſia Ambroſius: nempe, quod *Virgo eſt caſtitate, & mater eſt prole: Ambroſius libro de Virginit.* Thereſia etenim caſtitate ſua fuit Virgo puriſſima: & amor Dei, quo ſuccendebatur, eam bonorum operum prole fœcundiſſimam reddidit.

De amore ſacro præclare dixit Doctor Angelicus, quod *operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve. D. Thom. opuſc. 61.* En vere qualis Thereſiæ extiterit amor: pro Chriſto enim magna, mirabilia, ac quaſi impoſſibilia operabatur hæc Virgo; & tamen ea tanquam nihilum reputabat: pro Sponſi amore tot etiam, & tanta operabatur, ut a bono opere nunquam ceſſaret; & tamen præ amoris magnitudine ea pauciſſima eſſe cenſebat. Hæc tandem pro Dei amore operata eſt diu: quia uſque ad mortem ſanctiſſimis ſemper incubuit operibus; & tamen breviſſimum hoc ei tempus videbatur: quare dicere ſolita erat: *In æternum, in æternum cum Chriſto gaudere, o quam deſiderabile! Nullus labor, nullus dolor, nulla ſanguinis profuſio pro hac æternitate eſt detrectanda.*

Videt jam unuſquiſque veſtrum, vere operantem extitiſſe Thereſiæ amorem. Sed nobiliores adhuc amoris operationes elucent in famoſo illo voto, quo ſe adſtrinxit ad ea ſemper facienda, quæ perfectiora, & ad majorem Dei gloriam eſſe cognoſceret. Parum ei videbatur, quod triplex Deo holocauſtum per triplex Religionis votum obtuliſſet: quartum holocauſtum, illudque perfectiſſimum, ei offerre voluit, altiſſimum illud emittens votum, quo ſpopondit, ſe in qualibet re facturam id quod perfectius eſſe judicaret. Sciebat Virgo præclara, Sponſum ſuum Chriſtum ea ſemper feciſſe, quæ ad majorem Patris gloriam ſpectabant: & ideo amore ejus ſuccenſa, eumque imitari deſiderans; omnia et vovit opera, vovitque, quod in quolibet caſu id faciendum eligeret, quod ad majorem ejus gloriam redundare cenſeret. O nobiliſſimum & altiſſimum hujus Virginis votum, quod ipſa nonniſi ex ſpeciali Dei revelatione elicere potuit! O votum perfectiſſimum, e divini amoris fornace ortum, cujus virtute Thereſia ſingulis vitæ ſuæ momentis id operabatur, quod ſibi perfectius videbatur! Ecce quo ſanctam hanc Virginem duxit amor, quo in Chriſtum ferebatur: ecce bona opera, quæ ſanctus hic amor operatus eſt in illa. Sed aliud adhuc ſupereſt Thereſiæ opus, omni admiratione dignum, quodque omnibus ævis mirabile cenſebitur: opus ſcilicet reformationis Carmelitarum; quod, licet multis impoſſibile videretur, heroico plane animo, pro Chriſti amore ſuſcepit, & glorioſe peregit.

Impoſſibile videbatur, quod Thereſia, humano omni deſtituta auxilio, inveteratam Carmelitarum vivendi conſuetudinem immutaret, hujuſque Ordinis filios & filias ad primævam, & ſeveriorem primorum Carmelitarum regulam, & diſciplinam aſſumendam adduceret. At amanti huic Virgini, non ſolum non impoſſibile, ſed nec difficile illud apparuit. Et revera, benedictione data deſuper, factum eſt, ut inops Thereſia, ſolo Dei quo fervebat amore animata, duo ſupra triginta virorum, & filiarum monaſteria ædificaverit. A tempore autem, quo ipſa e vivis exceſſit, hæc reformatio ad omnes terræ partes propagata eſt, & innumera fundata ſunt monaſteria, in quibus Virginis Thereſiæ filii vigiliis, jejuniis, orationibus, aliiſque omnium virtutum operibus indeſinenter vacant; & magno cum ſpiritus fervore continue incumbunt.

Ecce maximum Thereſiæ opus, ad quod adimplendum multa fecit, multa pertulit; graviſſimaſque a Religioſis & ſæcularibus, a doctis & ignaris, e Magnatibus & plebeis paſſa eſt contradictiones; ſed amore Chriſti, quo ardebat, de his omnibus triumphavit ſuumque propoſitum glorioſe complevit. Ecce potiſſimum ſanctæ hujus Virginis opus; a quo, velut a fœcunda origine, infinita alia manant ſanctitatis opera, quæ in famoſiſſima hac Reformatorum utriuſque ſexus familia ad mundi finem fient. Unde dici poteſt, quod per hanc reformationem amor Thereſiæ uſque ad extremi judicii diem in filiis operabitur.

Votum quod ipſa emiſerat de his omnibus ſemper faciendis quæ ad majorem Dei gloriam ſpectarent, grande quidem ejus opus extitit; ſed quid amplius adverto in Ordinis Carmelitarum reformatione. Iſtud haud dubie maximum fuit Thereſiæ opus: quia altiſſimæ hujus reformationis inſtitutione ſancta hæc Virgo non ſolum omnia quæ ipſa factura, ſed omnia etiam quæ ejus filii uſque ad mundi finem facturi ſunt opera, Deo obtulit. O magnum Thereſiæ in Chriſtum amorem! qui quidem non otioſus fuit, ſed maxima operans, & ardua quæque ſuſcipiens. At ſi hæc virgo ſacra Chriſtum amavit amore operante; *amavit etiam eum amore languente.*

TER-

TERTIA PARS.

Sancta Thereſia Chriſtum amavit amore languente.

SEraphinum de cælo miſſum, Seraphicæ Thereſiæ cor & viſcera quaſi ignito transfixiſſe jaculo, narrat ipſamet, dicens; (Placuit Deo, hanc ſemel mihi viſionem exhibere. Videbam Angelum ſiniſtro meo lateri propinquum, miro decore fulgentem in forma corporali, vultuque flammeo. Videbaturque mihi ex illis ſublimioribus eſſe qui toti ignei ſunt, & accenſi: ſorte de his qui Seraphini dicuntur. Gerebat autem manu jaculum aureum, & latum, cum cuſpide ignita: *Hoc jaculum aliquoties viſus eſt figere cordi meo, & viſcera omnia transverberare, & extrahere.*) Ex hac autem amoris ſagitta, & ex felici hoc vulnere manarunt magna amoris incendia, extaſes multæ, tantique cordis languores, ut ſponſi ſui amore Thereſia continue mori videretur. Quod ipſa teſtatur, dicens: a tempore quo vulnerata, & quaſi ſagitta cordi transfixa, videbar mihi mori deſiderio Deum videndi, & neſciebam ubi debebam repetire hanc vitam, niſi per mortem; nihilque, niſi Deus ipſe poterat deſiderio meo ardenti ſatisfacere: *Quod mihi tantam languoris violentiam inferebat, ut anima mea a corpore divelli videretur. In cap. 29. vitæ ſanctæ Thereſ.*

Chriſtus nec in corpore, nec in anima aliquem ſenſit dolorem, cum *unus militum lancea latus ejus aperuit Joann.* 19. quia jam mortuus erat Salvator, cum tale ei inflictum eſt vulnus. Sed dolor actualis, quem tunc ſenſiſſe videtur, tranſiit ad Mariam Virginem, & ad Thereſiam. Tranſiit ad Mariam, de qua prophetaverat Simeon, dicens: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius; Luc. 2. 35.* tranſit etiam ad Thereſiam, quæ tot dolores pertulit, cum a Seraphino confoſſum fuit cor ejus, ut omnes ejus venæ, arteriæ, aliæque corporis partes diſſolvi viderentur. Hi dolores tranſierunt ad Mariam, ut ipſa dolorum Chriſti eſſet particeps, & tranſierunt ad Thereſiam, ut ipſa Chriſti, & Mariæ paſſionibus aſſociaretur. Ex talibus doloribus quos paſſa eſt Maria, increverunt amoris languores, quibus cor ejus angebatur; & ex doloribus quos pertulit Thereſia, cum ab Angelo transfixa eſt, tantus amoris languor ad eam manavit, ut præ nimio quo afficiebatur languore, anima ejus ex corpore continue extrahi, & avelli videretur.

Cum anima amore Chriſti eſt vulnerata deſiderio eum videndi, eoque fruendi, languet. Tunc dolet ſimul & gaudet; magno tunc exterius afficitur dolore & identidem maximum interius percipit gaudium; tunc, divina ſic diſponente ſapientia, duo contraria in eodem ſuppoſito reperiuntur, magnaque ſuavitas tunc magno dolori ſociatur. Hanc Job vir ſanctiſſimus in ſeipſo expertus contrarietatem, clamabat ad Dominum: *Mirabiliter me crucias: Job.* 10. Quia a Deo cruciabatur, & conſolabatur, ſimulque dolorem & ſuavitatem in ſe experiebatur. Hæc quidem videntur inexpertis mirabilia, & quaſi impoſſibilia; experientia tamen, nec non omnium contemplativorum doctrina ſtat comprobatum, quod cum anima eſt amore vulnerata, hoc amoris vulnus, dolorem ſimul & ſuavitatem ſpiritualem ſecum afferat: *Dolorem*; quia vulnus eſt: *Suavitatem*: quia vulnus amoris eſt. Quod perfectiſſime experta eſt Seraphica Thereſia, quæ a tempore, quo cor ejus ignito jaculo fuerat perfoſſum, doloribus ſimul & gaudiis afficiebatur, dulcedinem ſimul & amaritudinem deguſtabat, acribus torquebatur dolorum ſtimulis, & mirabilibus ſpiritus deliciis potiebatur: *Tanto*, inquit, *junctim amore & dolore me inflammatam reliquit; ut in gemitus & lacrymas penitus ſolveret. Sed huic dolori & amori, admirabili conſortio, ita indicibilis ſuavitas jungebatur, ut non poſſem non amare hunc dolorem, pœnamque meam, & talem transfixionem non deſiderare. Thereſia ubi ſup.* O felicem plagam! O vulnus optabile! O languorem amabilem! quo ſimul cruciatur & delectatur Virgo Thereſia.

Filias Jeruſalem, id eſt animas ſanctas, enixe rogat, & adjurat Sponſa ſacra, ut annuntient dilecto, quod ipſa ejus amore langueat: *Adjuro vos, Filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Cant. 5. 8.* Quæ eſt cauſa languoris, quo afficitur Sponſa? Non alia equidem, quam Sponſi ſui abſentia. Si enim Sponſum poſſideret, amore illius non langueret, ſed languet, quia Sponſum abſentem videre, & poſſidere ardentiſſime cupit. Unde Rupertus Abbas præfata exponens verba, Sponſam ſic loquentem inducit: *Langueo amore Sponſi; quia præ magno videndæ faciei ejus deſiderio, maximum tædium patior, & animo gemitoſo ſuſpirioſas præſentis exilii moras ſuſtineo*: languebat ergo ſacra Sponſa a magno videndi Sponſum, eoque fruendi deſiderio: & hæc fuit etiam potiſſima cauſa languoris, quo conficiebatur ſancta Thereſia: languebat, quia Sponſum Chriſtum ardenter amabat, & videre deſiderabat: tantumque languorem ex hoc deſiderio patiebatur, ut ſingulis momentis morientium pœnas & languores pati videretur: *Videbar mihi mori*, inquit ipſa, *deſiderium Deum videndi. Ibid.*

O animam vere amantem! O Sponſam Sponſi amore vere flagrantem! *Dilexit multum* Thereſia: quia amore patiente, operante, & languente amavit. *Dilexit multum* amore patiente: heu! quam gravia pro Chriſto paſſa eſt. *Dilexit multum* amore operante: heu! quam multa, quam magna, quam mirabilia pro Chriſti gloria operata eſt. *Dilexit multum* amore languente: heu! quales languores, quantas ſpirituales infirmitates, quantaque cordis deliquia ſenſit, & pertulit!

Sed o NN. ſi Chriſtum dilexit Thereſia, debemus & nos eum diligere: quia *qui non diligit, manet in morte. Joann.* A nobis non exigit Deus, ut dæmonia ejiciamus, montes transferamus, & alia miracula faciamus; ſed poſtulat, ut ipſum diligamus: quo nihil facilius, dulcius nihil, nihil optabilius: quare tota mente, toto corde, tota anima eum diligamus.

Dilexit eum Thereſia amore patiente: eodem & nos eum amore proſequamur. Illicitis non indulgeamus voluptatibus, poſt carnis concupiſcentias non eamus; ſed, abnegantes noſmetipſos, crucem Chriſti generoſe portemus, & quidquid durum in

via

Digitized by Google

via ſalutis occurrit, libenter patiamur pro amore ejus, qui pro nobis pati, crucifigi & mori voluit. Amemus eum amore patiente: *Sed & amemus eum amore operante.*

Salutis noſtræ opus operatus eſt Chriſtus, & ad illud implendum bonis operibus continue incubuit; bona & nos opera pro ejus amore continue faciamus. Non vacemus operibus tenebrarum, ſed bonis operibus indeſinenter inſiſtamus. Poſt mortem ſequentur nos opera noſtra: & ſi fuerint mala, nos ſequentur & perſequentur: ſi autem bona fuerint, nos ſequentur, & pro nobis loquentur, ac a Deo coronam gloriæ pro nobis poſtulabunt. Quare bonis operibus indeſinenter incumbamus, & dum tempus habemus, pro Dei amore operemur bonum. Imitemur Thereſiam, quæ Chriſtum amavit amore operante; *ac etiam amore languente.*

Dei amore non languent peccatores: quia illum non amant: Dei amore languere non poſſunt; cum eum nullo modo diligant. Quare ſi in nobis talem languorum non ſentiamus; timeamus, ne in mortalis peccati ſtatu ſit anima noſtra: ſi talem languorem non patiamur, langueamus ex hoc quod non langueamus: ſi talem in nobis non experiamur languorem, ploremus, ingemiſcamus, & a Deo ſupplices petamus, ut amoris ſui igne corda noſtra ita urat, & amoris ſui ſagittis ita confodiat; ut terrena cuncta deſpicientes, amore ejus in hoc mundo langueamus, noſterque hic amor in æternum perſeveret in gloria. *Amen.*

DE SANCTO PETRO DE ALCANTARA.

CONCIO PRIMA.

Vir Dei ſanctus eſt ille. 4. Reg. 4.

Sicut in ordine naturæ inſolitos, & a communibus providentiæ ſuæ legibus aberrantes effectus noſtris nonnunquam oculis Deus objicit: ita in ordine gratiæ pereximia & ſupra modum ſublimi ſanctitate fulgentes quandoque nobis proponit Viros, qui omnipotentiæ ejus gloriam prædicant, & mirabiliter ſuperexaltant.

Sanctus Petrus de Alcantara, unus haud dubie fuit ex viris portentoſa illa ſanctitate micantibus, qui in Eccleſia fulſit, ſicut in Templo Dei; & cujus ſanctitas mundo, Angelis & hominibus admirandum ſpectaculum facta eſt: *Spectaculum factus ſum mundo, & Angelis, & hominibus.* 1. *Cor.* 4.

Heroicam & pereximiam illuſtriſſimi hujus Viri ſanctitatem delineare mei nunc eſt propoſiti. Et ſicut Seraphini in cælo, eſſentialem Dei contemplantes ſanctitatem, extra ſe rapti, indeſinenter clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; *Iſa.* 6. Ita & ego, Sancti Petri portentoſam admirans ſanctitatem, in tota hac concione continue dicam, & libenter clamabo, eum eſſe Virum ſanctiſſimum: *Vir Dei ſanctus eſt ille.* Videamus ergo, quam magna, quam excelſa, quam ſupereminens & portentoſa Petri fuerit ſanctitas, &c. *Ave.*

Hominis cujuſque juſti ſanctitatem inſpicio in corde ejus, in Dei manu, & in hominum æſtimatione. Illam inſpicio: *In corde hominis juſti*, qui illam poſſidet: *In manu Dei*, qui illam fovet, multiſque beneficiis afficit: *In æſtimatione hominum*, qui ſanctitatem in aliis plerumque honorant, & venerantur.

Famoſa quidem in mundo fuit ſanctitas beati Petri de Alcantara; ſed ut altiorem & ſublimiorem ejus ideam mentibus veſtris ingerere valeam; velim, ut mirandi illius Minoritæ ſanctitatem conſideremus in corde ejus, in Dei manu, & in hominum æſtimatione. Sanctitatem perfectiſſimam cor ejus poſſidet: ſanctitatem ejus Dei manus fovet, magniſque donis & beneficiis proſequitur; ſanctitatem tandem illius homines æſtimant, & plurimum venerantur. Quæ omnia ut clarius pateant, dicamus, quod *Vir Dei ſanctus eſt ille*: Sanctus quidem eſt Petrus de Alcantara; & ſanctitas ejus: 1. Magna eſt in ſe, & in corde ejus: 2. Magna eſt in manu Dei: 3. Magna eſt in hominum æſtimatione.

PRIMA PARS.

Beati Petri ſanctitas magna eſt in ſe & in corde ejus.

Magna in ſe fuit Petri ſanctitas, eamque altiſſimam & eminentiſſimam extitiſſe multa probant; ſed ſanctitatis ejus excellentiam & celſitudinem ſolummodo auſpicabor a contemptu terrenorum, a corporis mortificatione, & a conformitate voluntatis ſuæ cum divina, dicamque, altiſſimam & perfectiſſimam ejus fuiſſe ſanctitatem: quia terrena deſpexit, carnem mortificavit, & voluntatem ſuam divinæ conformavit: 1. Quia terrena deſpexit, ut cæleſtia amaret: 2. Quia carnem mortificavit, ut illam ſpiritui ſubjiceret: 3. Quia voluntatem ſuam divinæ conformavit, ut unus cum Deo ſpiritus fieret.

1. Quicumque ad ſanctitatis & perfectionis apicem aſcendere intendit, a terrenis omnibus cor ſuum ſolvat neceſſe eſt: omnis enim qui creaturæ cuidam corde & affectu adhæret, ad Deum & ad divina ſe erigere nequit. Quia ſicut ad aera & nubes volare non poteſt Aquila, quæ vel unico vincta ligamine in terra detinetur; ita qui cuidam creaturæ corde & affectu adhæret, ad Deum, & ad perfectionis culmen conſcendere non valet. Quod probe noverat Sanctus Petrus de Alcantara: & ideo ut ad altiorem ſanctitatis gradum aſcenderet, terrena omnia deſpexit, & pro nihilo habuit. Avita fulgebat nobilitate; multarum futurus erat hæres divitiarum; voluptatibus multis frui, & ad eminentiores ſæculi dignitates ſublimari poterat; ſed hæc omnia contempſit, abjecit, fugit, & veluti vilia excrementa aſpernatus eſt, ut Chriſtum lucrifaceret, & ad omnis ſanctitatis faſtigium conſcenderet: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Philip.* 3.

Salubre Sanctus Petrus de Alcantara ſecutus eſt conſi-

Digitized by Google

conſilium Tertulliani, dicentis, terrena omnia inſpicienda eſſe veluti mella veneno infecta; vel, ſicut mella, quæ in extremitate baculi venenati nobis libanda offeruntur: *Omnia prorſus habe, ac ſi ſtillicidia mellis cum baculo delibares venenato. Tertul. l. de ſpectac.* Vir enim ille ſanctiſſimus, terrenorum omnium ſuavitatem, ut veneno infectam, reſpexit; ac ſicut a cibis, quantumvis exquiſitis & ſuavibus quiſque abhorret; cum veneno infecta ſunt: ita Petrus terrena omnia, quantumvis mellita & ſuavia, deſpexit, & exhorruit; ut iis ablegatis, totum ſe Deo conſecraret, & altiori perfectioni acquirendæ accuratius incumberet. A pueritia guſtaverat, quam ſuavis ſit Dominus: ad ſextum enim ſolum ætatis ſuæ annum pervenerat, cum in Templo orans in extaſim raptus eſt. Ex tunc autem anguſta, exilis, vana & contemptibilis ei viſa eſt omnis creatura; ex tunc omnia creata deſpexit, dicens, quod *qui Deum in corde ſuo cernit, omnia viſibilia negligit.* Sicut terrena iſta ut viliſſima, & amore ſuo indigna reſpiciunt Angeli, qui Deum in cælo videntes, ab ubertate domus ejus inebriantur: ita Sanctus Petrus, qui guſtaverat, quam ſuave ſit adhærere Deo, & qui cæleſtibus voluptatibus jam ab infantia inebriatus fuerat, terrena omnia deſpexit, ablegavit, & quodam cum horrore aſpexit: totumque ſe amori cæleſtium conſecravit. Magna ergo in corde Petri fuit ſanctitas, quia terrena deſpexit, ut cæleſtia amaret: ac etiam, *Quia carnem mortificavit, ut eam ſpiritui ſubjiceret.*

2. Corporis mortificationi ſedulo incubuerunt quicumque altiori ſanctitati comparandæ ſtuduerunt: hi carnem ſuam ad prava declinare, & deliciis ſe dedere non paſſi ſunt, ſed illam ſimul cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Gal. 5. 24.* Quod in primis fecit S. Petrus de Alcantara, qui acerbis, inſolitis, & portentoſis mortificationibus corpus ſuum afflixit, vexavit, crucifixit, & pene trucidavit. Durum & dirum panem ei ad victum præbebat; cui diebus feſtis herbas & legumina ſine condimento addebat; & interdum cinere, & abſynthii amaritudine, quidquid boni ſaporis eſſe poterat, penitus tollebat. Non ſemel viſus eſt, tres atque octo dies ſine ullo cibo tranſigere; nuſquam vino uſus, vix aquam uſque ad ſatietatem ſorbebat. Unica ſolum hora ſingulis noctibus ſomno indulgebat: aſperrimis flagellis qualibet nocte uſque ad ſanguinis effuſionem corpus domabat: unde corpus ejus ita extenuatum & macidum factum eſt, ut aridæ radici Sancta Thereſia illud ſimile fuiſſe dixerit. Vir tandem ille ſanctiſſimus, inſtar ſancti Macharii, corpus ſuum tamquam publicanum inſpiciebat, ac ut publicanum & inimicum vexabat: *Sic publicanum meum tracto, quia vexantem me vexo. Sur. 2. Joann. & 10. Apr.*

Adverſus hunc inimicum aperto Marte decertans Petrus, illud ſomno, cibo, omnique ſenſibili ſolatio privabat: hyberno tempore in frigidiſſimum balneum illud quandoque immergebat; viginti anni bractea ferrea illud induit; a quo ita ſauciabatur, ut a planta pedis uſque ad verticem nulla in ejus corpore ſanitas appareret; toto tandem vitæ tempore infenſus fuit corpori ſuo; ac ita dire in illud ſævit, ut mutatus illi ſit in crudelem: *Mutatus eſt mihi in crudelem.* Crudelis fuit oculis, quos ad doloris & amoris lacrymas emittendas millies induxit: crudelis fuit ori, cui arctam cuſtodiam poſuit: crudelis fuit capiti, quod cum operire nunquam ſolitus eſſet, aut ſolis æſtu aduſtum, aut gelu, niveque aſperſum plerumque erat: crudelis fuit toti corpori, quod ab adoleſcentia diriſſime perſecutus eſt, & omni mortificationum genere vexavit, ut illud ſpiritui ſubjiceret, utque ad altiſſimam ſanctitatem pervenire valeret. At Petrus non ſolum ſanctiſſimus fuit; quia corpus ſuum mortificationibus multis domuit; *Sed etiam quia voluntatem ſuam divinæ penitus conformavit.*

3. Dei voluntas eſt omnis ſanctitatis regula: tantum enim ſancti & perfecti ſumus, quantum divinæ voluntati conformes efficimur. *Sanctus* eſt, qui ita divinæ eſt voluntatis conformi, ut omnia ejus mandata religioſe ſervet: *Sanctior*, quia ita ei conformis eſt, ut non ſolum mandata, verum & conſilia Evangelica ſtudioſe cuſtodiat; *Sanctiſſimus*, qui ita ei eſt conformis; ut in omnibus & ſemper id faciat, quod Deus eum velle, & facere intendit; ita ut cum Chriſto dicere poſſit, *quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Joann. 8. 29.* Sanctus autem Petrus eximiam & ſuperexcellentem hanc æmulatus eſt ſanctitatem: voluntatem enim ſuam ita divinæ conformavit, ut non ſolum Dei præcepta, & Evangelica conſilia perfectiſſime ſervaverit; verum in omnibus quæſierit, quæ eſſet Dei voluntas bona, beneplacens, & perfecta; ac in omnibus & ſemper hanc Dei voluntatem adimplere ſtuduerit. Pravis Petrus non regebatur hominum conſuetudinibus: carni non adhærebat, & ſanguini; corruptis mundi motibus, & fallacibus prudentum ſæculi rationibus non dirigebatur; ſed Dei voluntatem in omnibus ſcrutabatur. Quid ab ipſo Deus deſideraret, ſemper explorare conabatur: totuſque divinæ voluntati adimplendæ verſabatur, & continue incumbebat.

Sicut primum mobile alios cælorum orbes motu ſuo trahit: ita Dei voluntas erat quaſi primum mobile, a quo ſemper trahebatur Petri voluntas: unum enim & idem Dei, & ejus erat velle & nolle: idque in omnibus volebat, vel nolebat Petrus, quod Deum velle, vel nolle cognoſcebat. Unde ſicut dicunt Philoſophi, Dei concurſum eſſe unum & idem cum actione creaturæ: ita de Petro dici poteſt, voluntatem ejus ita divinæ fuiſſe conformem, ut in omnibus quæ faciebat, quaſi una & eadem Dei, & ejus eſſet voluntas; quia in omnibus Dei voluntatem explorabat, & quantum humana patitur fragilitas, accurate adimplebat. Quare dicamus, altiſſimam & perfectiſſimam extitiſſe Petri ſanctitatem: cum terrena deſpexerit, corpus mortificaverit, ſuamque voluntatem divinæ penitus conformaverit. Sed ſi magna in ſe fuerit Petri ſanctitas: *Magna etiam fuit in manu Dei, qui ſanctitatem ejus pluribus donis & beneficiis affecit.*

SE-

Digitized by Google

SECUNDA PARS.

B. Petri ſanctitas, magna eſt in manu Dei.

DEus qui dat omnibus affluenter, liberalem imprimis ſe exhibet reſpectu Sanctorum ſuorum, quos, etiam in hoc mundo, benedictionibus replet, ſpiritualibus donis afficit; ac præter gratias communes quas nulli denegat, ſpecialioribus & eminentioribus eos beneficiis honorat & ditat. Aliis enim orationis ſpiritum communicat, ſapientiæ donum aliis impertit, & aliis poteſtatem miracula faciendi confert. Sed Dei manus erga S. Petrum liberaliſſima extitit; ut enim ſanctitatem ejus magnificaret & exaltaret, modo eminentiſſimo ei ſoli ſimul dedit: 1. Orationis & contemplationis ſpiritum: 2. Sapientiæ & intelligentiæ donum: 2. Gratiam miracula, & prodigia operandi.

1. Orationis & contemplationis ſpiritus, eſt donum deſcendens a Patre luminum; quod Deus quibus vult, & quando vult, communicat; quod Deus, modo quodam eminentiſſimo, largitus eſt S. Petro de Alcantara, cujus oratio fuit continua, qui ſemper oravit & non defecit; qui in omni tempore & loco puras ad Deum manus per orationem levavit; ac cui orare & reſpirare, unum & idem fuiſſe videretur. Cum enim nec duobus horis integris qualibet nocte dormiret, reliquo noctis tempore orationi vacabat: per diem vero ſpiritum Deo ſemper habebat intentum; dumque externis negotiis incumbere cogebatur, mente, & oratione ita Deo adhærebat, ut ſimilis videretur Angelicis ſpiritibus; qui cum ad hæc terrena deſcendunt, ſemper ante Deum adſtant, nec unquam ab eſſentiæ divinæ contemplatione feriantur.

Non ſolum continue, ſed etiam ferventiſſime oravit Sanctus Petrus: ita enim ferventes fuere ejus orationes, ut ſæpe ignitus, totuſque transformatus viſus ſit in eum, cum quo crucifigi ardentiſſime cupiebat. Tanto etiam ſpiritus fervore in oratione accendebatur, ut pluries multis a terra palmis elevatum viſum ſit corpus ejus. In choro orans, & in Dei contemplatione extra ſe raptus, ſuperno movente Spiritu, aliquando uſque ad laquearia ſublimabatur. Nonnunquam cum in terra provolutus juxta arborem aliquam orare cœpiſſet, mox ad ſupremos arboris ramos, quaſi avis, volabat. Dum in itineribus contemplationi intentus eſſet, non ſemel eum viatores a terra elevatum viderunt. Eum crucem in horto conventus Pedroſi devotis oculis contemplantem, ſurſum ferri, & in aere coram ipſa ſuſpendi, fratres aliquando conſpexerunt. Cum de altiſſimis Euchariſtiæ, & Incarnationis loquebatur myſteriis, in extaſim ſæpe rapiebatur: ac ita frequentes ei erant extaſes, & corporis a terra elevationes, ut corpus ejus gravitate & pondere carere, penituſque ſpirituale eſſe videretur. Unde ſi de Elia dixerit Chryſologus, quod *continuatione jejunii defæcatus a carnali pondere volavit ad cælum*: *Chryſolog. ſerm.* 21. Cur de Sancto Petro de Alcantara non dicamus, quod abſtinentiis, & acerbis jejuniis ita corpus ſuum defæcaverit ut quaſi ſpirituale factum, in orationum ſuatum fervore ad ſublimia facile elevaretur? Eſt ſane quod de Petro hoc dicamus; ſed de eo etiam dicendum, quod ei Deus dederit orationis ſpiritum. *Addamus, quod ſapientiæ, & intelligentiæ donum ei Deus contulerit.*

2. Petrus ut alter Salomon, a Deo ſupplex petiit ſapientiæ ſpiritum; *Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ. Sap.* 7. Hunc ſane Petrus obtinuit ſpiritum; qui illi ſub ſignis ſenſibilibus datus eſt; cum candidiſſima viſa eſt columba, quæ caput ejus circumvolitans, humeroque deinde reſidens, auri illius roſtrum immiſit; quaſi cæleſtem ſapientiam ipſi a Deo infundi monſtraret. Et revera Petrus hoc ſapientiæ ſpiritu plenus, difficiliores, quæ in Theologia agitantur quæſtiones, facilitate & claritate admirabili explicabat; abſcondita cordium penetrabat, & conſcientiarum ſecreta cognoſcebat; ac futura multa prophetico ſpiritu prævidebat, & prædicabat.

In veteri Teſtamento, qui ſapientiæ & prophetiæ ſpiritu a Deo ditabantur, vocabantur *videntes*, & ad illos tamquam ad homines abdicata quævis clare cognoſcentes, quiſque properabat: *Eamus ad videntem.* 1. *Reg.* 9. Petrus autem fuit unus ex illis viris ſapientibus & videntibus, cum multis Regni cæleſtis arcana, altiora Chriſtianæ Religionis myſteria, recondita cordium receſſus, caſuſque futuros mirum in modum agnoverit. Hic vere fuit homo videns & prævidens, reſpectu ſanctæ Thereſiæ; cum cæleſtem illum ſpiritum a quo regebatur perfecte novit, & illi quæ ſuper eam ventura erant certo prædixit. Illum eſſe videntem & prævidentem experti ſunt alii, quibus quod in eorum latebat cordibus declaravit, & quos de futuris multis præmonuit. Hic tandem extitit homo ſapiens & videns, qui ſapientiæ ſpiritu divinitus illuſtratus, altiſſimarum ſcientiarum, ac etiam cordium & futurorum conſcius fuit. Sed ſi Deus ei orationis ſpiritum, & ſapientiæ donum contulit: *ei etiam poteſtatem miracula faciendi conceſſit.*

3. Innumeri triumphant in cælo Sancti, quorum ſanctitatem in hoc mundo Deus manifeſtavit, & pluribus magnificavit miraculis, quæ virtute divina operati ſunt. Multi, dum in ſæculo viverent, facti ſunt omnium peripſema, nec externum aliquod fecerunt ſignum, per quod hominum ſibi æſtimationem & reverentiam conciliarent; ſed alii nonnulli, inſtar Protomartyris S. Stephani, fecerunt prodigia, & ſigna magna in populo; ac hominibus ſe commendabiles exhibuerunt *ſignis, prodigiis, & virtutibus*; 2. *Cor.* 12. Quia dedit eis Deus poteſtatem faciendi miracula, quæ erant quaſi linguæ cæleſtes, a quibus ſanctitas eorum prædicabatur; & quaſi ſigilla divina, a quibus ſanctitatis eorum veritas & excellentia confirmabatur.

Unicum nunc inſpicio Sanctum Petrum de Alcantara; qui, ut alter Thaumaturgus, innumera & portentoſa operatus eſt miracula, a quibus ſanctitas ejus & confirmata, & omnibus mirabilis facta eſt. De illo enim fertur, quod cum die quadam divina myſteria in aperto campo perageret, cadenteque undequaque e cælo pluviæ, nec unica gutta ſuper ipſum & ſuper populum ſacrificio adſtantem ceciderit. Aliquando cadentes e cælo nives,

ves, mirabiliter in aere ſuſpenſæ, in modum teſtudinis tectum quoddam efformarunt, ſub quo vir ſanctus tuti pernoctavit, ac hyberni temporis acerbitatem & injurias declinavit. In magna ſiccitate copioſum precibus ſuis a Deo imbrem obtinuit, magnos, rapidoſque fluvios ſicco pede pluries pertranſivit: Conventus unius incendio virtute magna occurrit, ferventique ad Deum habita oratione, ignem ſine mora extinguere meruit; demerſum in puteo infantem, injecta qua cingebatur chorda, miraculoſe extraxit; cæcæ mulieris oculos data benedictione protinus illuminavit; plures gravi morbo laborantes a mortis diſcrimine revocavit; pluresque alios ab immundis quibus vexabantur ſpiritibus liberavit. Ut fratrum ſubveniret neceſſitati, nunc infixum in terra baculum in frugiferam arborem divina virtute convertit; & nunc alios cibos miraculoſe a Deo ipſis dari impetravit. Hæc & alia, tot & tanta fecit Petrus miracula, ut vir portentoſus extiterit, ſanctitatemque ejus poteſtate faciendi miracula Deus vere comprobarit. Sanctitas ergo ejus magna fuit in manu Dei, qui ſanctitatem ejus pluribus donis & beneficiis affecit. *Sed magna etiam fuit ſanctitas ejus in æſtimatione hominum.*

TERTIA PARS.

B. Petri ſanctitas magna eſt in æſtimatione hominum.

VIri ſancti nonnunquam ab hominibus ignorantur, deſpiciuntur, & contemptui habentur, ſed S. Petrus de Alcantara, qui magnus fuit coram Domino, magnus etiam fuit coram hominibus. Sanctitas enim ejus mirum in modum ab hominibus æſtimata & honorata eſt in Hiſpania, in urbe Roma, & in tota Eccleſia: 1. *In Hiſpania*, dum in hoc mundo viveret: 2. *In urbe Roma*, cum Sanctorum catalogo adſcriptus eſt: 3. *In tota Eccleſia*, poſtquam inter Sanctos annumeratus eſt.

1. Quo magis latere, ignorari, abjici, & in hoc mundo humiliari ambierunt viri ſancti, eo ſæpius a Deo magis exaltati, & glorificati ſunt. Quod quidem in pluribus Sanctis veriſſimum comprobatur, ſed ſpecialiter in humili Petro de Alcantara, cujus adhuc in hoc mundo viventis, ſanctitas ubique, & præcipue in Hiſpania, non ſolum a vili plebecula, ſed etiam a quibuſvis Magnatibus ſupra modum æſtimata, & honorata eſt; tum ob heroicas virtutes, quibus floruit, tum ob mirandam poteſtatem portentoſa operandi prodigia, quam a Deo habuit.

De S. Bernardo fertur, quod dum in hoc mundo viveret, omnes ſanctitate & ſcientia ſua in admirationem raperet, quodque ipſe ſolus eſſet, a quo non æſtimabatur, & honore dignus non cenſebatur; *Quem totus mirabatur orbis, ſolus ipſe non videbat ſuæ operationis, opinioniſque ſplendorem.* Idem ſane dicendum de S. Petro de Alcantara, qui in Hiſpania vivens, dum omni ſe honore indignum cenſebat, ab omnibus Hiſpanici Regni incolis ſupra modum honorabatur. Non ſolum Regulares, & urbium cives, verum Epiſcopi, Principes & Reges eum venerabantur. Viri ſcientia & ſanctitate celebres ad illum, tanquam ad cæleſtis doctrinæ magiſtrum properabant, primarii aulæ Proceres & Duces juxta Monaſterium, in quo ſanctus habitabat domos conducebant, ut ejus converſatione interdum frui valerent. Carolus V. Imperator, Reges quoque Luſitaniæ, eum ſæpe advocabant, ut in graviſſimis negotiis illum conſulerent. Idem Imperator, & Joanna Auſtriaca Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſoror, tanti eum faciebant, ut illum in Confeſſarium & conſcientiæ ſuæ moderatorem eligere voluerint, a quo munere obeundo ipſe ſe humiliter excuſavit. Tanta tandem in Petro elucebat ſanctitas, tanta virtus, tamque mirabilis prodigia operandi poteſtas, ut illum omnis Hiſpania admiraretur & veneraretur. At ſi Petri Sanctitas æſtimata & honorata eſt in Hiſpania, dum ipſe viveret; *æſtimata etiam & honorata eſt in urbe Roma, cum Sanctorum catalogo adſcriptus eſt.*

2. Cum Joſephum ſuper univerſam terram Ægypti conſtituit Pharao, illum quidem maximo honore affecit in palatio ſuo: ubi *tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumdedit. Gen. 41.* At non fuit ſatis Pharaoni, quod in palatio ſuo tantum Joſepho honorem impenderit, voluit inſuper, eum in univerſa civitate, & in tota Ægypto honorari: quare *fecit eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti.*

Quid ſimile fieri video in Apotheoſi S. Petri de Alcantara. Poſtquam enim e vivis exceſſit vir ſanctus, in cæleſti ſuo palatio eum Deus recepit, ſublimavit, mirabili ſtola induit, ac gloria & honore coronavit: *Gloria & honore coronaſti eum, Domine.* At non ſatis fuit Deo, quod in cæleſti ſuo palatio Petrum exaltaverit, & ineffabili honore affecerit: voluit inſuper, eum in urbe Roma ab omnibus honorari, invocari, ut ſanctum & Dei amicum agnoſci, Sanctorumque catalogo, tanta pompa, tantaque ſolemnitate adſcribi, ut nulla major fuiſſe videatur. Tunc illius virtutes, merita & ſanctitatem in alma hac civitate examinari, notificari, approbari, circumferri & proclamari Deus voluit, ut certo ſcirent omnes, eum eſſe vere Sanctum, & inter cælites receptum, *ut eum omnes præpoſitum eſſe ſcirent.* Petri ergo ſanctitas æſtimata & honorata eſt in urbe Roma, cum Sanctorum catalogo adſcriptus eſt: *ac etiam in tota Eccleſia, poſtquam inter Sanctos annumeratus eſt.*

3. Petrum quidem multi venerabantur, antequam Apotheoſi donaretur, Sanctorum faſtis adſcriberetur; ſed a tempore, quo eum Sanctum eſſe declaravit S. Romana Eccleſia, Reges, Pontifices, omneſque fideles votis, invocationibus, ſupplicationibus, oblationibus, & aliis multis modis ſanctitatem ejus venerati ſunt. Ab hoc tempore quiſque novit, virum hunc ſanctiſſimum terrena deſpexiſſe, ut cæleſtia aſſequeretur, carnem mortificaſſe ut illam ſpiritui ſubjiceret, ſuamque divinæ voluntatem conformaſſe, ut unus ſpiritus cum Deo fieret: ab hoc etiam tempore quiſque novit, ei a Deo collata eſſe ſapientiæ, contemplationis & miraculorum dona; ac ſanctitatem ejus in cælo & in urbe Roma æſtimatam, & mirum in modum fuiſſe honoratam: quare totus Orbis Eccleſiaſticus eum certatim ve-

ne-

neratus eſt. Quis dicat, quot ab hoc tempore ad ejus honorem erecta ſint altaria, quot ad ejus gloriam Deo oblata ſint ſacrificia, quot habitæ in ejus laudem prædicationes, quot facta Deo vota? Quis capiat, quanta reverentia, quantuſque in univerſa Eccleſia honos ab omnis generis perſonis ei exhibitus ſit? Certe ſi omnia bene penſentur, quiſque fatebitur, Petrum fuiſſe unum ex his Dei amicis, qui nimis honorati ſunt: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus.*

Nimis quidem honoratus fuiſſe videtur Petrus, in ſæculo, in urbe Roma, & in univerſa Eccleſia; ſed quid hæc, reſpectu honoris, quo eum Deus afficit in cælo? Quid tranſitorius quo ab hominibus afficitur honos, reſpectu immarceſcibilium coronarum, quas in Paradiſo recipit? Modici quidem, & quaſi nullius momenti ſunt iſtius mundi honores, reſpectu eorum, quos Deus Sanctis ſuis in cælo confert: *Pauca quippe bona ſunt omnia præſentis vitæ, quantumlibet multa eſſe videantur, comparatione retributionis æternæ. S. Greg. hom. 9. in Evang.*

O NN. cæleſtia iſta inſpiciamus bona; ad ſupernam hanc Sanctorum gloriam toto corde anhelemus; & ut illa cum B. Petro de Alcantara obtinere valeamus, cum illo ſanctificari ſtudeamus. Non terreat nos pœnitentia: quia nullius momenti ſunt hujus mundi labores & moleſtiæ, reſpectu cæleſtis beatitudinis, quam ſperamus. Heu! ſi in hoc mundo pro comparandis corruptibilibus bonis nil non faciant multi; cur pro ineffabilibus, immenſis, & æternis Paradiſi bonis aſſequendis ſtrenue non laborabimus? Cur imitari non conabimur S. Petrum de Alcantara, cui dulce & ſuave fuit pro Chriſto pati, ut cæleſtem hanc beatitudinem compararet? Homo erat ille; homines ſumus & nos: idem illi & nobis offertur præmium, eadem merces, eadem beatitudo, eadem gloria; cur ergo cum illo per difficiles virtutis vias non incedemus? Cur arctas ſalutis ſemitas non tenebimus? Cur ſaltem quidquid in Dei & Eccleſiæ præceptis durum invenitur, generoſe non perficiemus? Rogo vos, fratres, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecro, ut non deficiatis in via, utque accurate faciatis quæcumque ad ſanctificationem & ſalutem neceſſaria ſunt. Sancti eſtote, ſicut ille, cujus hodie ſolemnia celebramus, & cum illo æternam obtinebitis beatitudinem in cælo. *Amen.*

DE SANCTO PETRO DE ALCANTARA.

CONCIO SECUNDA.

Pœnitentiam agite. Match. 3. 1.

NOnne veſtris inſonat auribus ſalutaris illa vox, quæ e deſerto egrediens, pœnitentiam inſpirat? Nonne auditis Joannem Baptiſtam, e vaſtæ ſolitudinis receſſu clamantem, ut vos ad veros pœnitentiæ fructus faciendos alliciat? Nonne corda veſtra movent amabilia ſimul & terribilia hæc verba: *Pœnitentiam agite?*

Qui talia fatur, eſt ſanctus Chriſti Salvatoris Præcurſor, Prophetarum maximus, Anachoritarum Princeps, & pœnitentium anteſignanus; qui ardenti ſuccenſus zelo, pœnitentiam vobis indicit, illamque neceſſario faciendam annuntiat: *Pœnitentiam agite.*

Innumera quidem ſunt motiva, quæ vos ad tam ſalubri conſilio obtemperandum excitare debent; ex quibus unicum nunc vobis proponam; pœnitentiam ſcilicet S. Petri de Alcantara; quæ ita portentoſa omnibus ipſam ſpectantibus & ſcientibus viſa eſt, ut ipſe merito pœnitentiæ prodigium, ſpeculum, prototypus, magiſter, & exemplar appellatus ſit. Taceo ergo nunc extaſes, mentis exceſſus, miracula, amoris incendia, humilitatem profundam, aliaſque multas eminentes virtutes, quæ in ſanctiſſimo illo Viro, dum in hoc mundo viveret, mirabiliter eluxere, ut de ejus pœnitentia dicam, &c. *Ave.*

INnumeri a multis ſæculis, undequaque audiuntur Prædicatores, qui quo majori poſſunt zelo, ſalutares de pœnitentia ad populum habent conciones, & qui, quaſi alii Chriſti Præcurſores, undique clamare non deſinunt: *Pœnitentiam agite.* Sed, heu! paucis placent hæc pœnitentiæ monita; illo tonitru pauci intus commoventur, & ad pœnitentiam agendam pauci adducuntur: immo multi repetitis his vocibus magis & magis obdurantur, & a pœnitentia facienda elongantur. Quamplures enim, auditis non ſemel ejuſmodi concionibus pœnitentiam inſpirantibus, ab ea ita abhorrent, ut eam timeant, fugiant, & condemnent: *Pœnitentiam fugiunt*, quam ſollicite inquirere debebent: *Timent pœnitentiam*, quæ ab iis ſummo affectu amplectenda eſſet & ſectanda: *Pœnitentiam damnant*, quam laudare & aliis inſpirare tenerentur.

O quam magna hujuſmodi perſonarum perverſitas! Sed o quam alius ab iis extitit S. Petrus de Alcantara! Hic enim nec fugit, nec timuit, nec damnavit Pœnitentiam; quin contra hic vere fuit pœnitentiæ amator, ſponſus & prædicator. Fuit amator & bajulus pœnitentiæ, qui eam ſollicite quæſivit; fuit ſponſus pœnitentiæ, qui eam ardenter amplexus eſt; fuit prædicator pœnitentiæ, qui eam aliis efficaciter inſpiravit. S. Petrus de Alcantara pœnitentiam quæſivit, pœnitentiam amplexus eſt, & pœnitentiam eſſe faciendam aliis inſpiravit: 1. Pœnitentiam quæſivit magna cum ſollicitudine: 2. Pœnitentiam amplexus eſt ardenti cum fervore: 3. Pœnitentiam inſpiravit felici cum ſucceſſu.

PRIMA PARS.

Sanctus Petrus pœnitentiam quæſivit.

ITa acerbi, palato ita agreſtes, & inſuaves ſunt pœnitentiæ fructus; ut ex iis deguſtare, pœnitentiamque agere pauci quærant. At S. Petrus de Alcantara pœnitentiam ita amavit, totoque affectu dilexit, ut eam ſollicite quæſierit in ſæculo, in clau-

Digitized by Google

claustro, & in deſerto. Eam quæſivit *in ſæculo*, ubi eſt rara; *in clauſtro*, ubi eſt communis; & *in deſerto*, ubi eſt inevitabilis.

1. In mundo, & iis qui in ſæculo vivunt, communes & uſitatæ ſunt comeſſationes, ebrietates, vindictæ, uſuræ, omniſque generis voluptates: ibi frequentia ſunt illicita gaudia, homicidia, furta, & omnia vitia: ſed vera pœnitentia ibi ita rara eſt & inſolita, ut vix inveniatur, qui ei adhærere ambiat & quærat. Et ideo Tertullianus mundum vocat, non *pœnitentium*, ſed *mortuorum habitaculum*: *Tertull. lib. de Reſurr. carn. c. 19.* Quia ibi multi habitant peccatores per peccata ſua ſpiritualiter mortui; pauci vero ibi inveniuntur, qui pœnitentiam ament, & ſedulo ſectentur. In illo autem ſæculo nequam, ubi tam rara eſt pœnitentiæ virtus, eam ſollicite quæſivit S. Petrus de Alcantara: cum enim adhuc eſſet juvenis, & ſub parentum cura in ſæculo degeret, a mundo abhorrere cœpit, ejus gaudia fugit, honores illius contempſit; divitiaſque ejus pro nihilo habuit, ut pœnitentiam toto corde quæreret, eique ſummo affectu adhæreret.

A nobilibus pariter & divitibus ortum duxerat ille parentibus; in medio Magnatum ab incunabulis fuerat educatus; ridebat ei undique mundus, applaudebant ei mundi amatores; licentiores vitæ occaſiones non ei deerant: immo & omnia ab ipſo exigere videbantur ut gauderet cum gaudentibus; utque cum viris vitio deditis, vitiis & ipſe indulgeret: at ſpiritu Dei edoctus in ipſa juvenili ætate, & in mundo exiſtens, pœnitentiam amavit, pœnitentiam quæſivit, & durioris pœnitentiæ operibus vacavit. A Deo intus loquente audierat, quod *bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*: *Thren. c. 27.* Quare duro pœnitentiæ jugo ab adoleſcentia ſe ſubdidit, corporique ſuo crudele indicens bellum, illud debilitavit jejuniis, vigiliis vexavit, cruentavit flagellis, omnique mortificationis & pœnitentiæ genere illud affligere non deſtitit. At parum fuit Petro, quod pœnitentiam quæſiiſſet in ſæculo, ubi rara eſt: *Eam enim quæſivit etiam in clauſtro, ubi communis eſt.*

2. In clauſtro nil pœnitentia communius, frequentius & uſitatius nihil: ibi undique cruces, undique mortificationes: ibi continua paupertatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, & durioris pœnitentiæ exercitia. Unde varii ex ſanctis Patribus viros Religioſos in clauſtro viventes ob pœnitentiam quam ſectantur, jam homines cruci affixos, jam Martyres, & jam mortuos viventes appellant: *Eſtis vos quotidie morientes, & morte affecti. D. Bern. in Pſ. Qui habitat ſerm. 61.*

En locum, in quo commune eſt pœnitentiæ exercitium; ſed en etiam locum, in quo eam ſtudioſe quæſivit Sanctus Petrus. Mundo enim valedicens, Conventum Fratrum Minorum excalceatorum, qui dicitur *de Majorates*, adiit: ibique petito & ſumpto probationis habitu, inter Novitios & Religionis candidatos ſub Magiſtri diſciplina vivens, brevi magnus pœnitens, & perfectus factus eſt Minorita. In hoc Fratrum reformatorum clauſtro, in quo pœnitentia erat communis, pœnitentiæ non communi ſe addixit: ipſe ſiquidem inter voluntarios illos pauperes omnium erat pauperrimus, inter hos humilitatis ſectatores omnium erat humillimus, & inter illos patientiæ, obedientiæ, & pœnitentiæ cultores ille erat primus. In vigiliis, jejuniis, flagellationibus, omniſque generis mortificationibus cæteros ille vincebat, & ſi ſibi ipſi, ſuoque zelo plus, quam ſuperiorum voluntati credidiſſet, gravioribus adhuc corpus ſuum afflictionibus vexaſſet: ille etenim ſemper tendebat in altum, ibat de virtute in virtutem; gravioribuſque incumbere carnis mortificationibus ſemper magis ac magis optabat.

Hic ſimilis erat primævis illis Chriſtianis, de quibus ait Tertullianus, quod ſemper graviora pro Chriſto pati deſiderabant, quodque ad dura quæque pro ejus amore perferenda parati erant: *Paratus ad omne ſupplicium. Tert. l. de pud. 20.* Ille namque ad duriores quaſque mortificationes obeundas erat paratus: immo & ad eas anhelabat, totoque cordis affectu eas exquirebat. A Deo nunquam mel conſolationum, ſed ſemper fel tribulationum petebat: ab illo cruces, mortificationes, & exercendæ durioris pœnitentiæ occaſiones ſemper poſtulabat; nimis levia ei videbantur continua pœnitentiæ exercitia, quibus alii Religioſi in clauſtro vacabant; quare ad graviora ſemper aſpirabat. Et ideo poſtquam ſanctus hic pœnitentiæ amator pœnitentiam quæſivit in clauſtro, ubi eſt communis; *eam ſollicite quæſivit in deſerto, ubi eſt inevitabilis.*

3. Deſerto pœnitentia eſt affinis; ipſum deſerti nomen pœnitentiam ſonat; ipſe locus qui hoc nomine appellatur, pœnitentiam redolet; ac in hoc loco vivere, & pœnitere, unum & idem eſſe videntur. Ut enim ait Doctor Seraphicus, deſertum *locus eſt aſperitatis*; id eſt, pœnitentiæ & mortificationis; quia ſcilicet mortificatio & pœnitentia in deſerto ſunt quaſi inevitabiles. Hic autem eſt locus, in quo pœnitentiam quæſivit S. Petrus de Alcantara, zelo ejus parum videbatur, quod eam in ſæculo & in clauſtro quæſiiſſet; quare divini amoris igne æſtuans, in deſerto, ſeu in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, eam ſollicite exquiſivit. Præfatum enim Conventum, ac etiam provinciam in qua receptus fuerat, Summi Pontificis auctoritate fultus, reliquit, & in locum deſertum ſeceſſit; ad interiora ſcilicet alicujus montis: ubi pauperrimum & anguſtiſſimum Conventum *de petroſo* ædificavit; ut ibi, cum aliis quibuſdam Fratribus Minoribus arduis & portentoſis pœnitentiæ exercitiis pro Deo amore ſe dederet, & conſecraret.

Amor, ſi verus ſit, amantem ad ardua ſuſcipienda, & ad gravia pro Deo perferenda excitat, & urget: *Charitas enim Chriſti urget nos. 2. Corinth. 5.* Cum quis Dei amore ſauciatur & ardet, nulla ei amplius quies ineſt; ſed tali ſemper agitatus amore, ad plura & plura, eaque duriora propter Deum perferenda ſemper excitatur: *Dei amor non ſinit nos conquieſcere. Chryſ.* Eo ipſo, quo alicujus cor divino inflammatur amore, nil durum, nil amarum, nilque ei difficile apparet; quin contra ſupplicia pro deliciis computat, graviores pœnas velut favores recipit; ac cruces, pœnitentiaſque ſemper majores propter Deum portare ambit, ut enim ait Chryſologus: *nihil durum, nihil grave, nihil amarum*

com-

computat amor verus. Chryſ. ſer. 40. Petrus autem hoc Dei amore ſuccenſus, prava, levia, & quaſi nulla arbitrabatur pœnitentiæ exercitia, quibus in ſæculo, & in clauſtro incubuerat; quare in deſertam & ſolitariam Ordinis Seraphici domum ſe recepit, ut ibi pluribus & acerbioribus pœnitentiæ exercitiis reliquo vitæ ſuæ tempore vacaret. Videamus mirandam pœnitentiam, quam in hoc deſerto obivit. Petrus enim non ſolum pœnitentiam ſollicite quæſivit: *ſed eam etiam ſummo affectu amplexus eſt.*

SECUNDA PARS.

Sanctus Petrus pœnitentiam amplexus eſt.

CUm omnes homines ſint peccatores, pœnitentiæ operibus omnes vacare debent; quia non ad aliud Deus peccatores in hoc mundo vivere ſinit, quam ad hoc ut pœnitentiam agant: *Peccator nec ulli rei, niſi pœnitentiæ natus. Tertull. l. de pœnit.* 11. Ad hoc nati ſumus omnes; & militia eſt vita noſtra ſuper terram: quia adverſus peccata, paſſiones, & concupiſcentias noſtras per pœnitentiam & mortificationem generoſe militare debemus: imitantes Sanctum de Alcantara, qui ſuſcepit, & amplexus eſt: 1. Pœnitentiam generalem & univerſalem: 2. Pœnitentiam ſeveram & auſteram: 3. Pœnitentiam prolixam & diuturnam.

1. Non uni ſolum, aut alteri pœnitentiam & mortificationum generi adhæſit Sanctus Petrus de Alcantara; ſed pœnitentiam ita univerſalem ſuſcepit, ut unica ejus pœnitentia alias omnes hominum pœnitentium mortificationes & pœnitentias complectatur. Si enim alii pœnitentes prolixis ſe dedant vigiliis: ille unica dumtaxat hora cum dimidia ſingulis noctibus ſomno indulget: ſi alii aliquoties in hebdomada jejunent; ille ſingulis hebdomadæ diebus, diris carnem ſuam jejuniis vexat: ſi alii a quibuſdam abſtineant cibis, ille ab omnibus, excepto pane, & paucis leguminibus, abſtinet: ſi aſperis ciliciis alii carnem ſuam affligant, ille bracteam ferream viginti annis corpori ſuo inhærentem geſtavit: ſi aliqui rudi & obſoleta induantur veſte, unica ille, eaque viliſſima & aſperrima uſque ad mortem uſus eſt tunica: ſi alii, in ſpiritu mortificationis & pœnitentiæ, ſua frigoris acerbitati, aut caloris æſtui nonnumquam corpora exponant, ille, ſive æſtate, ſive hyeme, detecto capite incedere ſolitus erat, unde æſtivo tempore faciem, ſolis ardore aduſtam, gerebat: hyberno vero, ſæpe caput gelu & nive ita aſperſum habebat, ut crines & ſupercilia frigore congelata deciderent. Ille tandem in ſe uno omnia collegiſſe videtur mortificationum genera, ejuſque pœnitentia ita univerſalis eſt, ut unica ejus pœnitentia alias omnes complectatur, ſitque quaſi compendium & ſumma omnium pœnitentiarum & mortificationum, quæ ab aliis pœnitentibus aſſumuntur.

S. Joannis Baptiſtæ pœnitentiam plurimum commendat Chryſologus, utque explicet, quam univerſalis fuerit, ait, quod pœnitentiam egerit in victu, veſtitu & loco: *Joannes victu, veſtitu, loco, totus pœnitentiæ formatus incedit. Chryſologus ſerm.* 107. At univerſalior extitit Sancti Petri pœnitentia, quia non ſolum pœnitentiam egit in victu, veſtitu & loco, ſed etiam in omnibus, ita ut unica ejus pœnitentia, fuerit quaſi epitome omnium pœnitentiarum & mortificationum, quibus alii Sancti corpora ſua afflictarunt. O quam univerſalis fuit Petri pœnitentia! *ſed fuit etiam ſupra modum ſevera & auſtera.*

2. Fuit ille ex veris & magnis illis pœnitentibus, qui ſeipſos odio habent: *Verus pœnitens eſt oſor ſui: Auguſt.* Fuit ex illis pœnitentibus, qui adverſus ſemetipſos iraſcuntur; & qui corpora ſua velut infenſiſſimos hoſtes inſpiciunt: *Quid eſt aliud homo pœnitens, quam homo ſibimet iratus? Aug.* Fuit ex illis pœnitentibus, qui adverſus ſua corpora arma ſumunt, & bella movent: ſpiritu enim pœnitentiæ ſuccenſus, corpori ſuo, tamquam hoſti infenſiſſimo, crudele indixit bellum; diriſſimis flagellorum ictibus illud excoriavit, acerbis & continuis illud vexavit jejuniis, ſæviſſimo & immani illud cilicio indeſinenter cruciavit, illudque acerbiſſimo quoque mortificationum & pœnitentiarum genere ita exagitavit, ut nullam unquam ei requiem dederit: *Nullam dedit requiem corpori ſuo.*

Sciebat Petrus, quod ſervo Dei, & homini pœnitentiam ſectanti *nil glorioſius, aut magnificentius, quam carnem ſuam in ſervitutem redigere. Ambr. l. 1. offic.* 56. Quare corpus ſuum caſtigavit, flagellavit, & per auſteram pœnitentiam in tantam ſervitutem redegit, ut nullam ei dederit libertatem videndi terrena, audiendi inutilia, guſtandi ſuavia, & comedendi delicata, concupiſcendi delectabilia, amandi illicita: aliquidque indebitum adverſus Deum & rationem machinandi, quin contra, illud ut hoſtem continue impugnavit; illudque ut ſervum abjectiſſimum ad acerbiſſimos gravioris pœnitentiæ labores condemnavit & ſubdidit. Immo tanta & tam auſtera ejus extitit pœnitentia, ut corpus ſuum, veluti magni cujuſdam criminis reum graviſſimis pœnis & ſuppliciis adjudicaverit.

Damnantur aliquando rei ad flagella, & ille corpus ſuum duriſſimis flagellis bis ſingulis noctibus cruentavit. Carceri mancipari ſolent rei, & ille in cubiculo ita anguſto habitavit, ut feretrum, vel ſepulchrum magis, quam hominis viventis habitaculum eſſe videretur. Ad mortem nonnunquam damnantur qui alicujus ſunt criminis rei, & ille corpus ſuum ad mortem crucis damnavit, & pœnitentiæ gladio interemit: *Verus pœnitens veterem hominem gladio pœnitentiæ enecat. Guerric. ſerm. de Purif.* Ac non ſemel dumtaxat, ſed & millies corpus ſuum ad mortem damnavit, vel potius morte continua illud enecavit: quid enim aliud erat vita ejus, quam perennis & continua mors? Vivere & mori, eſſe vivum & mortuum, quaſi unum & idem in ipſo erant: dum enim viveret; corpus ejus aridæ radici erat ſimile; magiſque mortuum, quam vivens, videbatur. En pœnitentiam maxime ſeveram, ac ita auſteram, ut nulla ſeverior & auſterior appareat: *Sed & pœnitentia ejus prolixa fuit, & diuturna.*

3. Petrus non fuit ſimilis iis peccatoribus, qui poſtquam multa & graviſſima perpetrarunt crimina, juſtitiæ divinæ cum uſura ſatisfeciſſe arbitrantur, ſi ali-

aliquorum dierum ſpatio levioribus quibuſdam pœnitentiæ operibus vacaverint. Ille enim, licet non gravibus inquinatus fuerit criminibus, gravem & ita diuturnam ſuſcepit pœnitentiam, ut uſque ad ultimum vitæ exitum durioribus pœnitentiæ & mortificationum exercitiis carnem ſuam afflixerit. Non abjecit, nec longe a ſe ipſo projecit pœnitentiam; ſed illam ſemper circumtulit; & a tempore quo pœnitentiam ſuſcepit, uſque ad mortem, numquam illam dimiſit. Immo quo ætate fiebat provectior, eo in corpus ſuum erat ſævior; eo acerbiora ejus erant jejunia, eo prolixiores ejus erant vigiliæ, eoque frequentiores & diriores aliæ ejus erant mortificationes; ita ut toto fere vitæ tempore, & præcipue ab inſtanti quo in ſolitudinem ſeceſſit; pœnitentia ejus, non tam hominis pœnitentis exercitium, quam juge martyrium fuiſſe videatur; martyrium ſane fuit: *horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. S. Bern.*

Heu! quam durum & aſperum fuit Petro, quadraginta, vel quinquaginta annorum ſpatio, vigiliis, jejuniis, flagellationibus, omniſque generis mortificationibus corpus ſuum continue vexare! Quam juge & prolixum fuit hoc martyrium! Vel dicamus, quod multiplex obierit martyrium; quia quotidie quaſi moriebatur, ſuumque corpus per pœnitentiam enecabat. Unde cum D. Paulo dicere poterat: *Quotidie morior*; 1. *Cor.* 15. 31. quotidiana enim ejus pœnitentia, mors quotidiana, & quaſi continua erat. Miramini portentoſam hanc, quam Petrus amplexus eſt pœnitentiam; At vir ille ſanctiſſimus non ſolum pœnitentiam eſt amplexus; *verum & aliis hominibus pœnitentiam faciendum eſſe inſpiravit.*

TERTIA PARS.

Sanctus Petrus faciendam eſſe pœnitentiam, aliis inſpiravit.

Veritas, quæ odium parere ſolet, tunc magis odio habetur, cum dura & aſpera obeunda eſſe ſuadet & inſpirat, quia plerique jucunda & placentia, non autem aſpera & terribilia audire amant; dicuntque: *Loquimini nobis placentia. Iſ.* 30. Petrus tamen, qui dira & dura pro Dei amore obibat, acerbos etiam pœnitentiæ rigores aliis prædicabat; ac felici cum ſucceſſu pœnitentiam agendam eſſe inſpiravit: 1. Viris vitam religioſam ſectantibus: 2. Magnatibus in medio voluptatum viventibus: 3. Omnis generis peccatoribus.

1. Variis pœnitentiæ exercitiis vacabant, & addicti erant Fratres Minores Cuſtodiæ Extremaduræ, ſeu Sancti Evangelii. Sed S. Petrus de Alcantara, hos reformatos magis reformare, & ad altiorem vitæ perfectionem adducere volens, arctiorem penitus extraordinariam pœnitentiam iis inſpiravit. Non ſolum iis dicebat: *Pœnitentiam agite*, hoc etenim jam faciebant. Sed iis clamabat: *Pœnitentiam agite* modo inſolito, & extraordinario; ducite in altum, & *æmulamini chariſmata meliora.* Si uſque nunc nudis pedibus cum ſolis ſandaliis inceſſiſtis, in poſterum projicienda etiam ſandalia, & nudis pedibus inter ſpinas, lutum, & lapides incedendum: ſi uſque nunc in pauperibus & parvis habitaveritis cameris, in futuro in talibus habitandum, quæ corpora veſtra vix capere poſſint; ſi præterito tempore certis ſolum diebus vigilare, jejunare, flagellis vos excipere conſueviſtis, tempore futuro veſtræ ſunt protelandæ vigiliæ, veſtra multiplicanda jejunia, durioribuſque flagellationibus corpora veſtra caſtiganda, & domanda ſunt.

Multas adducebat rationes, ut ad ſuſcipiendam arctiorem hanc pœnitentiam eos alliceret; hiſque rationibus & crebris ſuis exhortationibus, necnon mirabilibus vitæ ſuæ exemplis, extraordinariam hanc pœnitentiam multis Religioſis ita inſpiravit, ut nil iis deinde magis placuerit, in votis nil magis fuerit, quam auſteram & inſolitam hanc pœnitentiam amplecti & perfecte ſectari. Unde cum Fratres plurimi, & variæ Fratrum familiæ, ſeu varii Conventus, ſuis his legibus ſe voluntarie ſubderent, & arctam hanc pœnitentiam ſectari ambirent & peterent, alias nonnullas reformationis domos ædificari curavit, & Provinciam S. Gabrielis inſtituit, Provinciæ etiam S. Joannis Baptiſtæ originem dedit; multoſque ex magnis illis pœnitentibus, & ſublimis hujus reformationis Fratribus ad varias Indiarum nationes miſit, ut illuc novam illam vivendi formam portarent, verbiſque & exemplis ſuis docerent. Quare merito S. Petrus Fratrum ſuorum Apoſtolus vocari poteſt; quia ſuis concionibus & exemplis pœnitentiam extraordinariam, & vitam Evangelicam iis inſpiravit. At non ſolum Fratribus ſuis pœnitentiam inſpiravit: *ſed etiam ſæculi Magnatibus.*

2. Filio ſuo Jacob benedicens Patriarcha Iſaac, dixit: *Eſto Dominus Fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Geneſ.* 27. Eadem autem benedictione Deus, qui omnium communis eſt Pater, S. Petrum de Alcantara afficere & replere dignatus eſt; cum ſiquidem ira Fratrum ſuorum Dominum effecit, ut ante illum lubenti incurvarentur animo, illiuſque voluntati ſuam quiſque facile ſubderet, & conformaret: quantumvis enim graves & inſolitos iis inſpiraret arctioris pœnitentiæ modos, ejus voluntati libenter obtemperabant. At majori adhuc benedictione repletus eſt: quia non ſolum Fratres & Conſodales ſuos, ſed etiam Reges, Principes, Duces, alioſque Magnates, magnique nominis homines, *tum* ſacris concionibus, *tum* privatis & ſalutaribus monitis, *tum* mirandis vitæ ſuæ exemplis, ad pœnitentiam amplectendam efficaciter, & feliciter adduxit.

S. Propheta Nathan, ut Regem Davidem, adulterii & homicidii reum, ad pœnitentiam adduceret, cum varie ex parte Dei affatus eſt. *Primo*, beneficia, quæ a Deo acceperat, ei propoſuit. *Secundo*, arguit eum ingratitudinis, qua uſus eſt adverſus Deum, qui tot eum beneficiis affecerat. *Tertio*, multa ei minatus eſt mala, ſi de perpetratis criminibus pœnitentiam non ageret. Quibus auditis, ingemuit David, & ſua confeſſus eſt crimina, dicens: *Peccavi*; ac tandem duræ & perenni pœnitentiæ ſe addixit. Eodem autem plane modo Curiæ Hiſpanicæ Magnates in concionibus & familiari converſatione alloquebatur S. Petrus de Alcantara; erat ille quaſi alter Nathan a Deo miſſus; qui nunc beneficia, quibus eos Deus affecerat, iis objiciebat; nunc eo-

Digitized by Google

eorum iis exprobrabat ingratitudinem; & nunc imminentia mortis, infernique pericula iis proponebat. A quibus ita terrebantur, & commovebantur totius Curiæ Primates, ut eorum plurimi vanitati & luxui valedicerent; multi illicitis voluptatibus abrenuntiarent, licentiori vitæ multi fræna darent, multique pœnitentiæ & omni virtutum exercitio ſe dederent: *At S. Petrus de Alcantara non ſolis Magnatibus, verum & omnis generis peccatoribus pœnitentiam efficaciter inſpiravit.*

3. Petrus, magnus erat pœnitentiæ Præco, potens opere & ſermone, qui obſtinatiora, & obduratiora quævis impiorum corda mirabilibus, quæ exhibebat virtutum omnium exemplis, & efficacibus quæ proferebat verbis, tundebat, emolliebat, & ad Dei obſequium inclinabat. Hic ſancto ſuccenſus ardore, peccatores deſperatiſſimos ad æternæ ſalutis viam facile reducebat: ac *non tantum verbi Dei efficacia: ſed & proprii vultus pallore obſtinata hominum corda ad Dei amorem convertebat.* O quam multos a licentiori vita revocavit! Quam multos ab inveterata peccandi conſuetudine eripuit! Quam multos ab imminenti æternæ damnationis periculo eduxit, & ad cæleſtia Regna vocavit! Petrus non erat ex his Concionatoribus, qui non ſtudent prodeſſe, ſed placere, qui lucent & non ardent; ac qui non utilia, ſed præclara, ſollicite exquiſita, & illud oſe continuata populo proponere conſueverunt: hic etenim eligere ſolitus erat concionum argumenta graviora, terribiliera, & vehementiora; quæ tanto ſpiritus fervore proferebat, ut quicumque illum audiebant, ad pœnitentiam, & ad meliorem vitæ frugem adducerentur.

Mihi audire videor pereximium hunc verbi Dei præconem, de formidandis Dei judiciis; vel de ſempiternis & importabilibus inferni ſuppliciis coram populo virtute multa dicentem; ac peccatores ſic cum B. Thoma a Villanova alloquentem: *Peccavimus Fratres*: peccavimus, Deumque peccatis noſtris offendimus; quare *aut pœnitendum, aut ardendum. Serm. in Domin. 1. adv.* Cum certi ſitis vos adverſus Dei majeſtatem graviter peccaſſe, unum ex duobus a vobis neceſſario eligendum: ſcilicet, aut in hoc mundo pœnitere, aut in inferno æternum ardere. Videte, quod ex his duobus eligatis. Haud dubie *melius eſt, modicum pœnitere, quam perpetuo ardere. Ib.* Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; ad modicum pœnitemini in hoc mundo, ut æternum non ardeatis in inferno. His & aliis ſimilibus verbis pœnitentiam peccatoribus inſpirabat, & ad illam generoſe amplexandam eos alliciebat.

O utinam mihi jam data eſſet deſuper virtus pectora hominum induratorum concutiendi, & peccatores ad pœnitentiam reducendi! O utinam ſanctum pœnitentiæ ſpiritum auditoribus meis inſpirare valerem! Fateor quod tali virtute ditari non merear: ſed operetur Deus in cordibus veſtris quod ei placitum fuerit; ſaltem clamabo, vobiſque annuntiabo, quod ſi peccaſtis, neceſſario pœnitendum eſt: *Pœnitentiam agite.* Certum eſt, quod ad pœnitentiam agendam ſola Petri exempla quemque adducere deberent. Si tamen hæc ad flectenda corda veſtra non ſufficiant; præfata hæc ſerio mente revolvite verba: *Aut pœnitendum eſt, aut ardendum.* Illa attente recogitate; deinde quod ſalubrius, vobiſque melius videbitur, eligite; aut pœnitentiam ſcilicet, aut infernum: *aut pœnitentiam*, quæ Paradiſi januas vobis aperit: *aut infernum*, in quem æternum cruciandi, projicientur omnes peccatores, qui Pœnitentiam in hoc mundo non egerint. Terrebit vos haud dubie infernus: pœnitentiam ergo agite, ut formidanda inferni ſupplicia vitare valeatis. Heu! quot nunc in tartareo clamant igne, petentes ſpatium pœnitentiæ, nec unquam illud obtinere poterunt: pœnitemini ergo vos, dum datur vobis pœnitentiæ tempus, ne in æternum cum illis miſeris clametis, petentes pœnitentiæ tempus, & illud obtinere non valeatis: *Pœniteamus, Fratres, nec differamus: ne forte in die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. D. Bern. ſer. ad fratr.* Pœnitentiam ergo agite, & cito agite ut inferni ſupplicia declinare, & ſempiterna Paradiſi gaudia obtinere valeatis. Amen.

DE
SANCTA URSULA:
CONCIO UNICA.

Adducentur Regi Virgines poſt eam. Pſalm. 44.

MOralium omnium virtutum caſtitate nulla utilior, amabilior nulla, nullaque pulchrior, & ſpecioſior eſſe videtur: *Eſt quidem utilis caſtitas:* quia corpus nobilitat, mentem lætificat, animam ſanctificat; Deoque dignam efficit: *Eſt etiam amabilis*: quia per eam animæ ditantur, dignificantur, & Angelis aſſimilantur: *Eſt tandem pulcherrima & ſpecioſiſſima*: quia mirandum quemdam ſplendorem in alias omnes virtutes effundit; & ſicut lucem a ſole ſumunt omnes ſtellæ, ita & omnes aliæ virtutes ſpecialem aliquem fulgorem a caſtitate percipiunt. Unde, ſicut alia ſidera omni luce carerent, ſi a ſole non illuſtrarentur; ita & humilitas, patientia, obedientia, omneſque aliæ virtutes nullum, ſine caſtitate, ſplendorem haberent, & quaſi eſſe deſinerent: *Bonum opus non eſt aliquod ſine caſtitate. S. Greg. hom. 13. in Evang.*

S. Urſula, cujus hodie feſtum colimus, fuit haud dubie una ex præclaris illis virginibus quæ Chriſto Regi adducuntur; certumque eſt, quod patientia, fortitudine, fide, ſpe, charitate, & aliis multis virtutum donis in hoc mundo effulſerit; ſed virginalis ejus caſtitas alias ejus virtutes ita ſublimavit, decoravit, & nobilitavit, ut ab ea, velut a mirabili quodam ſidere ſuum omnem ſplendorem ſumpſiſſe videantur: quare de generoſa, heroica, & miranda ejus puritate totum hunc ſermonem encomiaſticum inſtituere propoſui, &c. *Ave.*

NOn ſatis admirari poſſumus Angelorum puritatem: ſi tamen ſerio ſcrutemur quæ & qualis ſit eorum puritas, quiſque fatebitur, eam eſſe ſine prælio, ſine triumpho, & ſine præmio. Eorum puritas: *Et ſine prælio*, quia a nullis hoſtibus impugnatur: *Eſt ſine triumpho*, quia nullus ibi triumphus, ubi nullum præextitit prælium: *Eſt ſine præmio,*

Digitized by Google

mie, quia non datur præmium niſi victoribus. At aliter loquendum de Urſulæ puritate; quæ in hoc Angelica laudabilior, & commendabilior videtur, quod non fuerit ſine prælio, ſine triumpho, & ſine præmio: *Non quidem ſine prælio*: cum a pluribus hoſtibus fuerit impugnata: *Non ſine triumpho*: cum eos omnes debellaverit, & de iis glorioſe triumphaverit: *Non ſine præmio*: cum pro tranſitorio certamine quod obiit, æternam a Deo mercedem perceperit.

Contemplemur jam, & admiremur prælia, triumphos, & præmia virginitatis S. Urſulæ: prælia ejus fuere magna, triumphi fuere glorioſi, & præmia ſunt incomprehenſibilia. Videamus Urſulæ virginitatem impugnatam, triumphantem, & præmiatam. Urſulæ virginitas *impugnata*. Urſulæ virginitas *triumphans*. Urſulæ virginitas *præmiata*. En tres hujus orationis partes.

PRIMA PARS.

Urſula virginitas impugnata.

SIcut in pace languet, & ſæpe deficit: ita in certamine roboratur, & perficitur virtus: tuncque magis coruſcat, cum fortius impugnatur. Virginalis autem caſtitas non fuit ſine prælio in ſancta virgine Urſula: impugnata enim fuit: 1. A carnis illecebris: 2. A Regis blanditiis: 3. A Tyranni ſuppliciis.

1. Dæmones, ſcientes caſtitatem eſſe animæ decorem, & per eam hominem Angelicis meritis, e quibus illi lapſi ſunt, coæquari; livore percuſſi invidiæ, ei inſidias parant, omnibus conatibus eam impugnant, nullumque non movent lapidem, ut ad immunditiam nos provocent. Fortiora autem eorum tentamenta fiunt per carnis illecebras; in corpore enim noſtro pravos, & obſcœnos motus excitare conantur, ut ab libidinem nos alliciant: *Diabolus movet libidinem, deſideria carnis inſtigat. S. Bern. l. medit. c. 15.* Nec credendum, quod dæmones, motus hujuſmodi in carne ſolum infidelium, & hæreticorum excitent; Chriſtianos enim, viroſque pios, & caſtitatis amatores fortiter impugnant: *Diabolus inceſſanter pios perſequitur; more leonis in Sanctos deſævit, contra eos fortiſſime rugit. S. Bonav. ſer. 5. de uno Conf.* Immo & dæmones validiora ſæpe carnis bella movent adverſus illos caſtitatis amatores, & ſectatores, qui ſpeciali voto ad caſte vivendum ſe adſtrinxerunt; cum enim caſtitatem eorum fulgentiorem & perfectiorem eſſe videant, ei magis invident, & contra eos acriora carnis prælia excitant. Quare non eſt dubium, quin talia bella experta ſit ſancta virgo Urſula; quæ erat Chriſtiana & pia, & quæ a juventute, ut nonnulli aſſerunt Auctores, ſuam Deo voverat virginitatem. Certe Urſula, non ſecus ac D. Paulus, & aliæ perſonæ, etiam ſanctiores, ſenſit legem carnis ſuæ, eam ad carnalia provocantem, & legi mentis ſuæ repugnantem.

Heu! ſi caro omnes, cujuſvis ſint ætatis, conditionis & ſexus, ad certamen vocat; & cum omnibus congreditur: *Si nulla ætas, nullus quoque ſexus libertatem ſibi caſtitatis audeat polliceri: a Kempis ſerm. 7. ad fratr.* ſi, inquam, a carnis illecebris impugnentur omnes: quanto magis ab eis impugnata eſt virgo Urſula, quæ erat nobilis, juvenis, ſpecioſa, e regio ſanguine orta, ac a Regibus in ſponſam deſiderata, & expetita? Urſula quidem fuit quaſi Sunamites, in qua erant chori caſtrorum, ſeu, in qua erant quotidiana contra caſtitatem certamina, ipſi a propria carne, tanquam ab infenſiſſimo, & domeſtico hoſte illata: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum? Cant. 7.* Sed ſi Urſulæ caſtitas impugnata eſt a carnis illecebris, *impugnata etiam eſt a Regis blanditiis.*

2. Cum *Maximus*, Imperator, ex Anglia, ſeu, Britannia majori in Gallias, ingenti Anglorum exercitu ſtipatus migraſſet, & Britanniam minorem, ſeu Armoricam, uberem quidem, ſed habitatoribus vacuam regionem invaſiſſet; eam Anglis militibus inhabitandam conceſſit. Sed ut novi illi coloni juxta vota ſua matrimonio jungi poſſent, ad Dionethum, in Britannia majori Regem, & Urſulæ patrem, miſſa eſt adornata legatio, pro poſtulanda Urſula in ſponſam filii Imperatoris, *Maximi*, & pro petendis undecim mille virginibus, tot Anglis militibus, in Britannia minori commorantibus conjugio fœderandis. *Baron. ann. 383.*

Nil viſum eſt debere negari Imperatori: quare detectæ ſunt, & Londini collectæ undecies mille Virgines, quarum principem locum tenebat Urſula. Omnes invitæ ad navigia ductæ ſunt, omnes invitæ a nativo ſolo avelluntur; dumque nautæ ſolvunt Britanniam minorem verſus, a procella ad Germanicum littus impelluntur. Hunni autem, qui pro Gratiano adverſus *Maximum* mare illud incurſabant, videntes has adoleſcentulas, in illas ut in futuras hoſtium feminas irruerunt; & contra illas ſævitia ſimul, & libidine pugnarunt. Sed cum, hortante Urſula, mortem pati potius delegiſſent, quam virginei pudoris ferre diſpendium; hi barbarico incenſi furore, armis in eas ut in hoſtes inſiliunt, trucidantque omnes, excepta Cordula virgine, quæ in navi ſe occultavit; & Urſula, quæ ſpeciali Dei providentia ſuperſtes remanſit. Quam intuens Giula Hunnorum Rex, ejus amore captus & exarmatus, non de illa occidenda cogitat; ſed verbis amatoriis, & blanditiis multis virgineam ejus caſtitatem impugnat.

Conqueritur D. Paulus de interiori bello, quo affligebatur: *Intus pugnæ*. At beatæ Urſulæ virginitas impugnata fuit intus & foris. *Intus*, ab importunis carnis illecebris, quæ militabant adverſus ejus animam: *Foris*, a Rege Hunnorum, qui virgineo & mirando hujus adoleſcentulæ decore captus, manum ſuſtinuit, compeſcuit iram: ac a ferro & cædes abſtinens, ad amatoria, & ad blanditias declinavit, verbiſque ſuavibus & blandis virginalem ejus caſtitatem impugnavit, dicens: Gaudeo, o virgo ſpecioſa, quod tuis Conſodalibus ſuperſtes fueris: miror in te innatam pulchritudinem, qua cor meum jam es deprædata: viciſti me, non armis, ſed ſpecie tua; jamque cogito de nuptiis tecum ineundis. Glorioſum tibi erit, deſponſare Hunnorum Regem, Germaniæ dominatorem, & totius fere Europæ victorem. Fauſtiſſima tua erit ſors, quod jam a ſer-

Digitized by Google

ferro & cæde liberata, Regium conſcendas thronum, ſceptrum dextra geras, meique imperii conſors efficiaris. Quare oblatum tibi honorem reſpuere non debes: non felicitatem ſpernere, quæ ultro ſeſe tibi offert: oblatum ergone recuſas connubium, quo inito, gloria, divitiis, & deliciis affluens? ſis quæſo ſponſa mea, & ſponſum tuum me eſſe veiis.

O qualia tela adverſus virgineam Urſulæ caſtitatem inflicta! O durum & urgentiſſimum certamen ab hac virgine ſuſtinendum! Urſula in terra aliena, humano omni deſtituta auxilio, in faucibus mortis poſita, a Rege potentiſſimo in ſponſam deſideratur: & adhibitis quibuſque blanditiis, ab eo de matrimonio ineundo rogatur, & quaſi compellitur: o gravem pugnam! O quam fortiter impugnatur Urſulæ virginitas! Sed ſi ejus virginitas impugnata fuit a Regis blanditiis: *impugnata etiam fuit a Tyranni ſuppliciis.*

2. Urſula etenim oblatum ſibi ab Hunnorum Rege connubium recuſavit, ejuſque blanditias, & promiſſa parvipendit, dicens: ſe virginitatem voviſſe, ſe Chriſto cælorum Regi jam ſpirituali ter deſponſatam eſſe, nec alium ſponſum in terris habere velle. Meus Sponſus, inquit hæc Virgo puriſſima, eſt æterni Patris Filius, hujus mundi Conditor, totiuſque generis humani Redemptor; ipſi me devovi, ipſi ſervabo fidem, nec alium unquam ſponſum admittam. Hæc, vel alia his ſimilia ab Urſula prolata verba, ægro audiens animo Giula ſubito alius a ſeipſo factus eſt: & qui antea ut Rex, & ut Amaſius, blanditiis pluribus Urſulæ virginitatem impugnaverat, in tyrannum totaliter mutatur. Amor ejus in odium tranſit, ac blanditiæ in furorem & ſupplicia convertuntur: abſque ulla namque mora paravit arma, arcum inflexit, & ſagittam in ſacræ virginis corpus vibravit: e quo ſimul cum animo pio & nobili virgineus ſanguis glorioſe manavit.

Fatui duo illi ſenes, qui erant etiam iniqui & libidinoſi judices, Suſannæ pulchritudine capti, ejuſque quaſi amore ebrii, eam ad adulterium perpetrandum inducere ſtatuerunt. Quare orta occaſione, in qua Suſanna ſe in pomario ſolam eſſe credebat, duo illi ſenes qui in eo latebant, ad eam accurrunt. Utque illam ad ſuæ conſentiendum voluntati inclinent, dicunt: *Ecce oſtia pomarii clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus, quam-brem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quod fuerit tecum juvenis. Daniel.* 13. Hoc audiens inſons, & caſtiſſima Suſanna, ingemuit, dicens: *Anguſtiæ ſunt mihi undique: Si enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras.*

O quam grave eſt illud bellum adverſus Suſannæ caſtitatem! cum ad tales redacta ſit anguſtias, ut quaſi neceſſario debeat a conjugali caſtitate cadere, aut ad mortem damnari. At non minus gravi; immo & graviori certamine impugnata eſt Urſulæ caſtitas. Ipſa enim ad has redacta eſt anguſtias, ut aut virginitatem, aut vitam neceſſario perdere debeat. unumque ex duobus facere rogatur: *aut* Regi Hunnorum connubio jungi; & ſic virginitatem perdere: *aut* ejuſdem, in tyrannum mutati, experiri ſupplicia; & ſic vitam perdere. O quales anguſtias! O quam graviter in hoc certamine impugnata eſt Urſulæ virginitas! Impugnata fuerat carnis illecebris, & Regis blanditiis; ſed gravius impugnata eſt tyranni ſuppliciis. Ecce Urſulæ virginitatem impugnatam: *Videamus nunc Virginitatem ejus triumphantem.*

SECUNDA PARS.

Urſula virginitas triumphans.

OMnes virginitatis Sanctæ Urſulæ hoſtes ad hoc tendebant, quod ipſa in virginitate non perſeveraret, quod ipſa non eſſet Chriſti, ſed hominis terrena ſponſa, & quod non ipſa ſpirituales ſolum, ſed naturales filios generaret. Ecce quo dirigebantus omnia adverſariorum hujus virginis certamina. Sed in his omnibus Sanctæ Urſulæ virginitas triumphavit: quia licet a carnis illecebris, a Regis blanditiis, & a tyranni ſuppliciis impugnata fuerit; ipſa tamen: 1. In virginitate perſeveravit: 2. Ipſa non hominis terreni; ſed Chriſti Sponſa fuit: 3. Ipſa non naturales mundo, ſed ſpirituales Chriſto fœtus edidit.

1. Omnia quæ Urſula paſſa eſt, certamina, eo ſpectabant, ut quæ virgo erat, virgo eſſe deſineret; & ut virginitatem, quam illæſam ſervaverat, perderet. Inſurgunt adverſus eam caro, Reges, & tyranni, ut Angelicam ejus maculent virginitatem; ſed de his omnibus glorioſe triumphat Urſula: quia non obſtantibus quibuſque eorum inſultibus, virginitatem illibatam, & illæſam ſervat. Sciebat Virgo ſacra, quod caſtitas eſt *theſaurus niveus; D. Th. de regim. princ. l.* 5. *c.* 51. quare theſaurum hunc ſollicite cuſtodivit, nec unquam niveam ſuam puritatem ab hoſtibus ejus quomodocumque maculari permiſit.

De miro quodam animali referunt Hiſtorici, quod, ex naturali propenſione, ita puritatem diligat, & a ſordibus ita abhorreat, ut mori malit, quam ſordibus quibuſque deturpari: unde hæc ei appropriatur teſſera: *Malo mori, quam fœdari.* Urſula autem voluntate, & virtute hoc egit, quod brutum illud animal ex nativa propenſione efficit: ipſa ſiquidem maluit, gravia obire certamina, dira ſupplicia perpeti, & acerbos mortis perferre dolores, quam quomodocumque pollui, & virginitatem ſuam quantumlibet ſauciare. Impugnavit eam caro cum ſuis illecebris: aggreſſus eſt eam Giula, tum blanditiis, tum minis & ſuppliciis: ſed Urſula ſemper & ubique pro virginitate generoſe decertavit, ac de inimicis ejus ita glorioſe triumphavit, ut in virginitate ſemper perſeveraverit, nec ab ea, vel in minimo, deflexerit: Sed triumphans etiam fuit Urſulæ virginitas: *Quia præclara hæc virgo, non hominis terreni, ſed Chriſti ſemper ſponſa fuit.*

2. Virgo, quæ virginitatem vovet, Chriſto nubit, *& Chriſtum ſponſum ſuum facit: Tertull. lib.* 4. *adverſ. Marcion. c.* 11. Quare Urſula quæ Chriſto virginitatem ſuam vovebat, ſine nuptiis non erat, cum Chriſtum in animæ ſuæ ſponſum accepiſſet. Urſulæ ſponſus erat Chriſtus Deus & homo; ſponſus ſimul & virgo: hic eſt unicus ſponſus,

quem

quem ipſa ſibi elegerat: Giula tamen Hunnorum Rex, eam deſponſare optat; ac blanditiis, minis, ſuppliciis, omnibuſque viis eam ad nuptias ſecum ineundas allicere conatur; ſed Urſulæ virginitas glorioſe triumphat: quia fortiter Giulæ reſiſtit hæc virgo; nec alium admittit ſponſum, quam Chriſtum; qui ſemper virgo, & virginum ſponſus eſt.

Sicut Sponſa cor ſuum, & cuncta quæ poſſidet, ſponſo tradere ſolet: ita & Urſula ſe, ſuaque omnia Chriſto ſponſo ſuo conſecravit. Sicut ſponſa, cum matrimonium init, ſponſo ſe devincit, dicens: *Accipio te in meum*; ita & Urſula, vovens virginitatem, totaliter & indiſſolubiliter ſe Chriſto devovit, eumque in unicum animæ ſuæ ſponſum accepit; nec alium unquam admittere voluit. Veniant Legati, ut eam in ſponſam Principum poſtulent; ipſi Reges blanditiis & ſuppliciis eam, quantum voluerint, ad legitimum cum ipſis matrimonium ineundum allicere conentur; vanæ ſunt eorum preces, & inutiles eorum conatus; de his enim omnibus triumphat Urſula, quæ ſolum Chriſtum in ſponſum admittit; hic eſt unicus Sponſus, quem ipſa diligit, & cui ſe totam devovit; dicens cum S. Agnete virgine: *Non alium amatorem admittam.* O vere triumphantem Urſulæ virginitatem! O quam generoſe hæc Virgo triumphat de virginitatis hoſtibus; cum non hominis terreni, ſed Chriſti ſolum ſponſa eſſe voluerit. Sed Urſulæ virginitas fuit etiam triumphans: *Quia ſancta hæc virgo, non mater carnalis filiorum; ſed mater ſpiritualis multarum virginum extitit.*

3. Omnes virginitatis Sanctæ Urſulæ hoſtes eo ſpectabant, ut ipſa a virginitate cadens, cum homine terreno nuptias iniret, filioſque carnaliter procrearet. At quoad hæc omnia triumphans fuit ejus virginitas: quia non ſolum virginitatem illæſam ſervavit, & homini terreno non nupſit: verum & non filios carnaliter, ſed multas virgines ſpiritualiter generavit; fuitque virgo ſimul & mater: *Virgo* caſtitate, quam immaculatam cuſtodivit: *& mater* ſpiritualis undecim mille virginum, quas adhortationibus, mirabilibuſque ſuis exemplis Chriſto peperit. Unde, ſicut Chriſtus dicitur Martyrum Pater: quia verbis & exemplo ſuo ad conſtanter perferenda tyrannorum ſupplicia eos animavit; ita Urſula undecim mille virginum mater extitit; quia exhortationibus, mirandiſque ſuis exemplis ad virginitatem ſervandam, ac ad fortiter pro fide & pro caſtitate pugnandam eas excitavit.

Mihi videre videor generoſam hanc virginem, quæ conſtantia nobili, & fortitudine invincibili aliis ſuperior, eas ad generoſe dimicandum hortatur. Diſcurrit per varias harum virginum turmas: præſentia ſua, ſuis ſermonibus, ſuoque exemplo cunctis addit animos, cunctaſque ad fortiter pro fide & virginitate pugnandum concitat. Mihi audire videor generoſam hanc tot virginum Ducem, iis clamantem: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Math.* 10. Pereat corpus, modo ſervetur virginitas, & ſalvetur anima: tranſibunt dolores, felicitas vero, pro qua militamus, nunquam præteribit. Gratias agamus Deo, qui ad duplicem virginitatis, & martyrii lauream nos vocat. Cælum jam nobis apertum eſt, & nos expectant Sancti, gaudeamus quod brevi iis aſſociari debeamus. Terreni claudentur oculi noſtri, ut cæleſtia videant. Quam modica ſunt hujus vitæ ſupplicia, reſpectu æternæ, immenſæ, & ineffabilis illius beatitudinis, pro qua aſſequenda decertamus! Patiamur ergo non ſolum libenter, verum & gaudenter tranſitoria hujus mundi ſupplicia, ut æterna Paradiſi gaudia conſequamur. Hæc, aut his ſimilia Urſulæ verba, quaſi novum fuere Evangelium, quo undecim mille virgines Chriſto peperit: *Per Evangelium ego vos genui. 1. Corinth.* 4. O quam fœcunda mater eſt virgo Urſula! o quam pulchra & ſancta ejus generatio! o *quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Sap.* 4. Pulchra quidem & caſta eſt Urſulæ generatio; quia in virginitate perſeverans, fuit mater mirabilis, quæ non aliquos ſolum filios, ſed undecim mille virgines verbis & exemplis ſuis ſpiritualiter genuit. Ecce triumphos virginitatis Sanctæ Urſulæ. Sed poſtquam ejus virginitatem triumphantem vidimus: *eam præmiatam contemplemur.*

TERTIA PARS.

Urſulæ virginitas præmiata.

IN hoc mundo tribulationes multas, graves perſecutiones, mortemque acerbam, & cruentam perpeſſa eſt Urſula, ut virginitatem illibatam ſervaret; poſt mortem autem præmiata eſt ejus virginitas, in civitate Colonia, in univerſa Eccleſia, & in cælo: 1. *In civitate Colonia*, ubi hæc virgo honoratur: 2. *In univerſa Eccleſia*, ubi invocatur: 3. *In cælo*, ubi coronatur.

1. Poſtquam occiſæ fuerunt Urſula, & aliæ virgines ſub ipſa militantes, civitas Colonia ab Hunnis Barbaris obſeſſa, illarum interceſſione liberata fuit. Hæ etenim virgines a multis viſæ ſunt ſuper muros civitatis, dimicantes adverſus ferociſſimos illos hoſtes, eoſque in fugam convertentes. Quapropter Colonienſes cives, cæleſti lumine moniti, Urſulæ & ſociarum ejus reliquias, humi jacentes, ſollicite collegerunt, pie adſervarunt, templumque ædificarunt, in quo ſacra hæc pignora cunctis ſæculis veneranda honorifice collocarunt. Sed ibi potiſſimum honoratur Urſula, earum Dux & Regina; cui ſpecialiter attribuunt Colonienſes, quod a tempore, quo catholicam fidem receperunt, ab ea nunquam declinaverint. Unde in eorum Eccleſia decantari ſolet: *Ex quo fidem recepiſti, recidiva non fuiſti, civitas prænobilis.*

Ipſe Deus continuo alio miraculo Urſulam & ſocias ejus in civitate Colonia honorare & honorari voluit, in hoc, quod a tempore quo earum corpora in loco cælitus deſignato fuere ſepulta, ex ſpeciali Dei providentia, hic locus omnia alia corpora quæ in eo ſepeliuntur, abjiciat, & quaſi evomat. Portentoſum quidem hoc eſt: traditione tamen habetur, experientia conſtat, & ab Auctoribus fide dignis fertur, quod Deus Urſulam & ſocias ejus ita ibi honoret, ut terra in qua ſepultæ fuere, alia mortuorum corpora non admittat: ſed quaſi continuo miraculo, corpora quæ ibi ſepeliuntur, abjiciat, & evomat. Ecce quomodo Urſulæ

Digitized by Google

ſulæ & ſociarum ejus præmiata eſt virginitas in civitate Colonia, ubi ſic honoratur: *Sed præmiata eſt etiam Urſulæ virginitas in univerſa Eccleſia, ubi ſancta hæc virgo a fidelibus invocatur.*

2. Pro fide & virginitate generoſe decertaverat Urſula. Quare in præmium certaminum, & triumphorum ejus, dedit ei Deus poteſtatem protegendi civitates, oppida, omneſque qui ad ejus confugiunt patrocinium: & eos præcipue, qui inſtante morte eam invocant. Et ideo in Eccleſia invocari ſolet Urſula, ejuſque implorant patrocinium fideles in variis neceſſitatibus, & præcipue in hora mortis. Utque Deus fideles ad honorandam in Eccleſia ſanctam hanc Virginem alliciat, innumera per interceſſionem illius eis beneficia impendit, quorum multa recenſentur ab Auctoribus; & quæ hic non referam, ut brevitati conſulam.

Ut Rex Aſſuerus Mardochæum, a quo grande perceperat beneficium, condigno afficeret præmio; voluit, ut amictu regio indutus, Regiſque inſidens equo, per plateas & vicos civitatis duceretur ab Aman, primo de Regiis Principibus, clamante, & dicente: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare, Eſter 6.* Ecce præmia, quæ ſuis mundus largitur: dat eis volaticum honorem, momentaneam aliquam gloriam, & tranſitoriam voluptatem. At præmia quæ Deus Urſulæ in Eccleſia dat, magna ſunt, ſolida ſunt; quia facit ut ad eam accurrant non ſolum plebei; ſed & ipſi Principes, Reges & Imperatores, qui flexo poplite, ejus implorant auxilium: eam enim Deus, quaſi univerſale fidelium propitiatorium, in Eccleſia evexit. Sed ſi Urſula præmiatur in Eccleſia, ubi a fidelibus invocatur: *præmiatur etiam in cælo, ubi glorioſe coronatur.*

3. Ad cælum enim Urſula, millienis ſtipata virginibus, & Angelicis comitata legionibus aſcendit, ut coronam gloriæ perciperet. Mox ut fato functa eſt Urſula, audivit anima ejus ſuavem illam cæleſtis Sponſi vocem: *Veni de Libano, Sponſa mea; Veni de Libano, veni, coronaberis. Cant. 5.* Hanc vocem & audierunt ſociæ ejus virgines. Quare, ſi olim viſæ ſunt triginta novem coronæ, ſupra triginta novem Martyrum capita cadentes: dicendum, quod tempore quo martyrium paſſa eſt Beata Virgo Urſula, undecim mille coronæ de cælo ſupra ipſam & ſocias ejus deſcenderint, vel quod ipſæ ad cælum, undecim mille coronas accepturæ, conſcenderint. Immo & plures: quia quælibet ex his virginibus duplici corona, virginitatis ſcilicet, & martyrii laureata eſt. Nec duplex ſolum, verum & triplex Urſulæ data eſt: quia non ſolum, virginitatis & martyrii, ſed etiam doctoratus laureolam obtinuit.

Laureola doctoratus in cælo coronata fuit Urſula, quia fuerat magiſtra innumerarum virginum; quas omnes, verbis & exemplis, altioris perfectionis viam docuerat. Laureola etiam virginitatis coronata fuit: cum enim pro Chriſti Sponſi ſui amore virginitatem illæſam ſervaſſet, Sponſum ſuum audire meruit, dicentem: *Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.* Laureola tandem martyrii coronata fuit: quia glorioſe pro fide & virginitate ſanguinem ſuum fudit. Quare, ratione triplicis illius coronæ ter dixit ei Chriſtus, ut coronanda ad cælum veniret: *Veni de Libano, Sponſa mea: Veni de Libano, veni, coronaberis.* Quaſi dicat: *Veni* Sponſa mea, ut coroneris Laureola doctoratus: *veni*, ut coroneris Laureola virginitatis: *veni*, ut coroneris aureola martyrii.

O felicem nimium Urſulam, quæ paucis laboribus tot coronas obtinuit, tantamque gloriam adepta eſt! O virgines ſacræ, quæ in hoc mundo viviris, magnum vobis inſtat certamen ineundum adverſus infenſos caſtitatis veſtræ hoſtes; ſed ſi de iis triumphetis, maxima vobis Deus præmia largietur: quare ſanctam imitantes Urſulam, eſtote fortes in bello, ac ita generoſe pugnate, ut glorioſe triumphetis.

Quælibet virgo, quæ in ſtatu virginitatis perſeverare vult, ſumere debet arma juſtitiæ, & ſtrenue decertare adverſus carnis illecebras, hominum blanditias, & dæmonum tentationes. Non turpi otio indulgere, & in deliciis quieſcere; ſed indeſinenter jejuniis, orationibus, & mortificationibus pugnare debent virgines, ut triumphare valeant. Non ſolum decertare debent adverſus carnem & aereas poteſtates, ſed etiam contra externos corporis ſui ſenſus, ne divagentur; contra proprias paſſiones, ne inordinatos motus excitent; contra ſæculi voluptates, ne ad peccatum alliciant; & contra offerentes munera, ne ab iis corrumpantur. Generoſe ergo & fortiter pugnate, ut de puritatis & ſalutis veſtræ hoſtibus triumphantes, æterna in cælo præmia conſequi valeatis. *Amen.*

DE
OMNIBUS SANCTIS.
CONCIO UNICA.

Beati qui habitant in domo tua, Domine. Pſalm. 83. 5.

NUllus in hoc mundo vere beatus eſt beatitudine illa perfecta, quæ omne malum, omnemque moleſtiam & miſeriam excludit. Teneat quis Orbis totius imperium, cunctas terræ poſſideat divitias, omnes hujus vitæ præſto ſint ei voluptates, non ideo perfecte beatus erit; quin forte tot inter terrena bona multis laborabit ægritudinibus, anxietatibus plurimis lancinabitur, curarum obruetur agmine, nullaque vera quiete, vel ſolida pace perfruetur.

Quis unquam Regum æſtimatus eſt felicior Salomone: qui & pace, & gloria, & hujus vitæ deliciis præ omnibus abundavit? & tamen in his omnibus non felicitatem, ſed vanitatem invenit; & ubi ſumma videbatur eſſe felicitas, nil niſi vanitatem & afflictionem reperit: *Ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. Eccleſ. 1.*

O quam cæci ſunt, qui in hoc mundo perfecta beatitudine potiori ambiunt! Non in hoc mundo; ſed in cælo eſt perfecta, & omnibus numeris abſoluta felicitas: non beati ſunt qui in hoc mundo, ſed qui in cælo habitant: *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Ibi beati ſunt, qui in hoc ſæculo mites,

Digitized by Google

guſtarunt, quam ſuavis ſit Dominus: tantaque ex hac Dei viſione in corda eorum manavit dulcedo ut omnia hujus mundi bona deſpicerent, amara & inſipida cenſerent, ac pro nihilo haberent. Poſtquam hi increatum illum divinitatis ſolem in mortali corpore per rimam, in ſpeculo, & per modum tranſeuntis intuiti ſunt, tanta cæleſtium deliciarum dulcedine ſunt delibuti, ut eam ſui pectoris anguſtiis continere non valentes, extra ſe raperentur. Sed quanto majori dulcedine profunduntur Sancti in cælo: cum jam non in ænigmate, & tranſeunter; ſed clare, & facie ad faciem, Dei eſſentiam permanenter contemplentur: *Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in via? S. Bern. in declam.* Certe Sancti in patria ſumme beati ſunt, quia Deum vident.

Qui Chriſtum in terris cum hominibus verſantem, vel momento unico intuebantur, amore ejus incendebantur, ac faciem ejus ſemper magis videre peroptabant. Ejus auguſtiſſima præſentia rapiebat mortalium corda, dulcique violentia omnes ſpectantes ad ſe alliciebat. Teſtantur idipſum turbæ, quæ pluribus diebus nihil manducantes, & quaſi ſui oblitæ, illum ſecutæ ſunt. Teſtatur illud Petrus, quem in monte Thabor, vel unicus glorificatæ faciei radius in extaſim rapuit; adeo ut cæterorum omnium oblitus, diceret: *Bonum eſt nos hic eſſe. Matth.* 17. Teſtantur id Publicani, & vectigalium exactores, quos divina ſua præſentia, radiantis vultus ſui fulgore ad ſe attrahebat. Teſtantur hoc Reges Magi, qui cum eum in tugurio Bethlehemitico conſpexerunt, mox illum veluti Dominum adoraverunt. Teſtantur hoc meretrices publicæ, ac omnes penitus, qui Chriſtum cum hominibus verſantem videre meruerunt, quos *fulgor ipſe & majeſtas divinitatis occultæ ex primo, ad ſe trahebat aſpectu. S. Greg. ſer. 1. Matth.* Heu! ſi Chriſtus Homo, parvus, humilis, & contemptibilis ad ſe trahere potuit univerſum mundum, quam vim attractivam non habebit in cælo, cum in majeſtatis ſuæ gloria apparebit? Si Chriſtus felicem effecit illum, qui in carnis noſtræ infirmitate eum intuetur; quam non conferet felicitatem illi, qui eum radiis divinitatis fulgentem, & ut Deum, in æternum contemplabitur? Certe Sancti, qui eum nunc in cælo facie ad faciem vident, & quicumque eum videbunt, per claram hanc ejus viſionem fient omni ex parte beati: *In viſione tota merces. S. Aug. l. 1. de Trin. c. 9.*

O quam felices, & beati ſunt Sancti, qui Deum in cælo vident! o quam felices fiunt clara hac Dei viſione! ſed o quam felices erimus, ſi cum ipſis Deum aliquando videre mereamur! Hunc haud dubie cum Sanctis videbimus, ſi ei in hoc mundo fideliter ſervierimus. Faciamus in hoc mundo quod ipſi fecerunt, & in cælo videbimus Deum, quem ipſi vident; hacque clara Dei viſione, ſimul cum ipſis beati erimus. At Sancti non ſolum in cælo ſunt beati, quia Deum vident: *ſed etiam quia Deum amant.*

SECUNDA PARS.

Sancti in cælo ſunt beati, quia Deum videntes, amant.

Licet nonnulli Auctores docuerint, totam beatitudinis eſſentiam conſiſtere in ſola Dei viſione: multi tamen eam in ſolo Dei amore conſtituunt: & omnes fateri debent, beatitudinem ſine Dei amore perfectam, & completam non eſſe: non enim perfecte beatus eſſet qui videret Deum, ſi per abſolutam Dei potentiam ab ejus amore impediretur. Quod claris & præclaris verbis aſſerit Doctor Angelicus, dicens *Ultimum bonum hominis eſſe, inhærere Deo per charitatem. D. Thom. 2. 2. q. 27. ar. 5. ad 3.*

Sancti quidem in cælo beati fiunt Dei viſione; ſed non ſola: beati ſunt, non ſolum quia Deum vident, ſed & quia Deum quem intuitive vident, amore beatifico proſequuntur; nec per ſolam Dei viſionem perfecte beati eſſent, ſi eum non amarent. Quia, ut fatentur omnes Theologi, beatitudo formalis conſiſtit in perfecta unione vitali cum Deo: ad hoc autem ut quis perfecte cum Deo uniatur, non ſolum requiritur, ut per intellectum, ſed etiam ut per affectum ei uniatur; quia non minus voluntas, quam intellectus, immediate Deum attingit. Intellectus enim & voluntas ſunt quaſi duo brachia, quibus anima Deum complectitur, intellectus, ſcilicet, per viſionem, & voluntas per amorem: ergo Sancti in cælo Deo uniuntur, & ſunt beati, non ſolum per viſionem, & quia Deum vident; ſed etiam per amorem, & quia Deum amant.

Aliam huic ſimilem ad id probandam adduco rationem, ſumptam ex poſſeſſione Dei, qui eſt ſummum bonum. Nullus enim eſt, qui non fateatur, beatitudinem formalem conſiſtere in perfectiſſima, & integra Dei poſſeſſione; quia nullus ſine Dei poſſeſſione beatus eſſe poteſt: *Nec quiſquam beatus eſt: qui non fruitur eo, quod hominis eſt optimum. D. Aug. l. de mor. Eccleſ. c. 3.* Dicat jam quis, quo poſſideatur Deus? Poſſidetur quidem & viſione & amore: *Videbis*, inquit Auguſtinus, *& amabis, & totum habebis. Aug. in Pſ. 36.* Non dicit ſolum: *Videbis, & totum habebis*; ſed dicit: *Videbis, & amabis*; quia habetur, & poſſidetur Deus, non ſolum per viſionem, ſed etiam per amorem: intellectus per viſionem, & voluntas eum poſſidet per amorem.

In Deo duo ſunt principaliter diſtinguendi, ſumma videlicet ejus veritas, & ſuprema ejus bonitas; omnes enim ſuperadorandæ Dei præcellentiæ duplici hoc radio perfunduntur, ut veræ ſint ſimul & bonæ. Sancti autem in cælo contemplantur, & amant; contemplantur ſummam hanc Dei veritatem, & amant ſupremam ejus bonitatem: intellectus Deum poſſidet per contemplationem ſummæ ejus veritatis, & voluntas eum poſſidet per amorem ſupremæ ejus bonitatis: ac proinde Sancti in cælo ſunt beati, non ſolum per Dei viſionem, ſed etiam per ejus amorem; non ſolum quia Deum vident, ſed etiam quia Deum amant.

Clariſſima & efficaciſſima hæc videtur ratio; alteram tamen adducam, quam ſic efformo. In hoc conveniunt omnes, quod Deus ſit objectiva hominis beatitu-

Digitized by Google

titudo, ſeu, quod ſit objectum illud, cujus poſſeſſione homo fit beatus. Sicut autem objectiva beatitudo reponitur in re omnium optima; ita & formalis beatitudo in operatione omnium perfectiſſima eſt collocanda; ſed viſio & amor Dei ſunt operationes omnium perfectiſſimæ, ut patet: quare fatendum, beatitudinem non ſolum in viſione, verum & in amore conſiſtere.

Immo beatitudo magis in amore, quam in viſione Dei conſiſtere videtur: quia formalis beatitudo, cum ſita ſit in aliqua animæ operatione, magis principaliter conſtituenda eſt in operatione nobiliſſima, ſeu in actu amoris Dei, qui eſt operatio animæ nobiliſſima, ut docet, & probat S. Bernardinus hac ratione. (Sicut inter habitus vitæ, charitas eſt principale donum; ita & inter habitus patriæ, charitatis donum obtinet principatum: ſed in patria nobilior habitus habet nobiliorem actum, ergo perfecte Deum diligere, qui eſt actus charitatis patriæ, nobiliſſimus animæ actus eſt. Cum ergo in nobiliſſimo actu principaliſſima beatitudo conſiſtat, & diligere ſit actus voluntatis, principalius conſiſtit in illo voluntatis actu, quam in actu intellectus).

Sic ratiocinatur S. Bernardinus, ut probet, formalem beatitudinem principalius in actu voluntatis, ſeu in Dei amore conſiſtere. Cujus ratiocinationi ſi aliam adjungere liceret, dicerem, quod formalis beatitudo conſiſtit principaliter in hac operatione, per quam perfectiori & nobiliori modo unimur Deo, per amorem autem præſtantiori modo unimur Deo, quam per viſionem: quia voluntas ſummo amoris æſtu in Deum erumpens, in illum velut transfunditur, ita ut in illo totaliter ſit, ac cum illo unum quid fiat, juxta illud ex Auguſtino ſumptum axioma: *Anima magis eſt ubi amat, quam ubi animat*. Et per conſequens, licet Sancti in cælo beati ſunt, quia Deum vident, beati etiam ſunt, immo principaliter beati, quia Deum quem vident, ſummopere diligunt. Et ideo præclare dixit D. Auguſtinus; quod licet Sancti ſint beati per viſionem, ſumma tamen eorum felicitas in Dei amore ſita eſt: *Tota virtus ibi videre quod amas, & ſumma felicitas amare quod videas. S. Aug. 12. de Civ.*

Ecce quo Sancti in cælo fiant beati; ibi ſunt beati, non ſolum quia Deum facie ad faciem vident; ſed etiam quia Deum clare viſum ſummopere diligunt. Viſio inchoat, amor auget Sanctorum beatitudinem, tantaque eſt beatitudo, qua per Dei viſionem & amorem in cælo fruuntur, ut eam concipere, & explicare nequeamus: *Effugit omnem ſermonem, atque ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria. D. Aug. ſer. 37. de Sanct.*

In monte Thabor tacent Angeli, & loquuntur Moyſes & Elias, qui ibi viſi ſunt loquentes cum Jeſu. Angeli nec de gloria Chriſti transfigurati, nec de ſuppliciis quæ paſſurus eſt, loquuntur: Moyſes vero & Elias loquuntur, non quidem de Chriſti gloria, ſed de ſuppliciis quæ paſſurus eſt: *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem. Luc. 31.* Cur nec Angeli, nec homines de Chriſti gloria loquuntur? De ea non loquuntur: quia hæc gloria tanta eſt, ut ſermone explicari non poſſit.

Ipſi etiam ſancti qui in cælo ſunt, beatitudinem qua perfruuntur, explicare neſcient. Unde dicit Propheta, quod *Exaltationes Dei in gutture eorum. Pſ. 149. 6.* Illam quidem beatitudinem deguſtant, & in gutture habent: ſed a gutture ad eorum labia non tranſit, ut eam explicent, quia ſermone explicari nequit.

Ambiamus cæleſtem illam beatitudinem qua fruuntur Santi, quæ maxima eſt: quia Deum vident & amant: ſed quæ eſt etiam maxima, quia Deum videntes & amantes; *Gaudent, gaudioque ineffabili afficiuntur.*

TERTIA PARS.

Sancti in cælo ſunt beati, quia Deum videntes & amantes, gaudent.

TAnta ſunt gaudia, quibus in cælo fruuntur Sancti, ut qui ea explicare ſuſciperet, ſomniare potius & delirare videretur, quam appoſite loqui, & recte ratiocinari: *Jam civitatis magnæ gaudia ſomniamus. Petr. Dam.* Explica, ſi velis, Beatorum gaudia, ea conferendo cum gaudiis, quibus in hoc mundo perfruuntur avari in divitiarum poſſeſſione, guloſi in lautis conviviis, ambitioſi in ſublimitate dignitatum, omnes ſæculi hujus homines in rerum quas amant fruitione, te ſomniare dicam; quia gaudium Beatorum eſt ineffabile; & illud per hæc terrena explicare, ſomniare eſt.

Frater Ægidius, Seraphici Patris Franciſci ſocius, cum in extaſi aliquantulum gloriæ cæleſtis deguſtaſſet, omnia creata ita parvipendebat, ut homines quouſque in hoc mundo viventes non alloqui, immo nec aſpicere vellet. De ſancto Ephrem legitur quod aliquando extra ſe raptus, tanta fuerit lætitia ſuperfuſus, tantoque gaudio affectus, ut ad Deum clamaverit: *Recede a me paululum Domine, remitte aliquantulum undas tuæ gratiæ, quia corpus meum ubertatem illam ſuſtinere non poſſet. Surius ad 13. April.* Scimus, Seraphicum Franciſcum, deliquium fuiſſe paſſum ob momentaneum Cæli gaudium, quo gaviſus eſt. Dum cæleſtibus conſolationibus afficeretur ſanctus Xaverius, earum pondus & ineffabilem ſuavitatem ſuſtinere non valens, dicere ſolitus erat: *Satis eſt Domine; ſatis eſt Domine.* Alia his ſimilia de nonnullis viris ſanctis referuntur: ex quo inferendum, ineffabilia & incomprehenſibilia eſſe cæli gaudia. Si enim Sancti qui in hoc mundo cæleſtibus gaudiis ad momentum gaviſi ſunt, extra ſe ſint rapti, & deliquium paſſi ſint, quanta ſunt illa gaudia quibus nunc perfruuntur Sancti in cælo? Aut, ut loquitur S. Auguſtinus: *o Domine, ſi tanta facis nobis in carcere, quid facies in palatio? Si tanta des nobis ſolatia in die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?* Tanta certe ſunt gaudia & ſolatia, quæ Deus Sanctis in cælo confert, ut a nobis explicari, & concipi nequeant.

Omnia hujus mundi, etiam ſpiritualia gaudia; quantumvis magna ſint, guttulæ ſolummodo ſunt gaudiorum, quæ unico puncto non ſunt majores: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Job 10.* Sed in cælo

cælo

Digitized by Google

cælo eſt fons uberrimus gaudiorum ſpiritualium : *Quoniam apud te eſt fons vitæ*: *Pſ.* 35. in cælo ſunt deliciarum torrentes: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, *Pſ.* 45. in cælo ſunt gaudiorum flumina : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. *Pſal.* 28. in cælo eſt voluptatum exuberans diluvium quod cæleſtem inundat Jeruſalem : *Dominus diluvium inhabitare facit*: in cælo tandem eſt deliciarum Oceanus, in quo immerſi ſunt Sancti: ac undequaque ineffabili gaudio replentur.

Gaudent ibi Sancti, cum conſiderant, ſe ab hujus mundi miſeriis eſſe liberatos; *Gaudent*, ſe a concupiſcentiæ affectibus eſſe liberos: *Gaudent*, ſe ab exilio ad cæleſtem patriam transvolaſſe: *Gaudent* ſe Angelorum, & aliorum Sanctorum frui conſortio: *Gaudent* de poſſeſſione Dei, cujus majeſtatem contemplantur, & cujus bonitatem ſumme diligunt. *Gaudent* tandem, gaudioque ineffabili afficiuntur & circumdantur: *Gaudium erit eis intus & extra, gaudium ſurſum atque deorſum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum*. *S. Anſelm. Luc.* 22.

Cuique Sanctorum ex hoc mundo exeuntium dicet Deus: *Intra gaudium* Domini *tui*. Quaſi dicat, ut exponit S. Auguſtinus. (Intra in gaudium ſempiternum, in domum Domini tui, ubi ſunt magna & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Intra in gaudium ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum, ubi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles: ubi erit vita vitalis, dulcis, & amabilis, ſemperque memorialis; ubi non erit hoſtis impugnans, nec ulla illecebra: ſed ſumma & certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & Deitatis beata viſio, quæ eſt gaudium Domini tui). Ecce gaudium in quod intrant Sancti; ſed quantum eſt illud Sanctorum gaudium? Eſt ſane gaudium incomprehenſibile, & ut ibidem ait D. Auguſtinus, eſt *gaudium ſuper gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium*.

Pereximio, & ineffabili hoc gaudio ſatiantur Sancti: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, *Pſ.* 16. Hoc gaudio quaſi inebriantur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. *Pſ.* 35. Hoc tandem gaudio eos complete beatos fieri, cum multis aliis, docet D. Bonaventura. Et ratio eſt, quia beatitudo cæleſtis tollit omnem animi inquietudinem, & totaliter appetitum ſatiat, juxta illud *Pſ.* 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: ſed ſine gaudio non tolleretur omnis inquietudo ab animis Sanctorum, nec appetitus eorum complete ſatiaretur, quinimmo ſine eo afflictus & inquietus remaneret eorum animus. Quis enim videns, & facie ad faciem Deum optimum, maximum contemplans, animo non crucietur, ſi ab ejus amore arceatur, ſi nihil ex ejus viſione delectamenti percipiat, & ſi ob tanta bona quæ in Deo demiratur, non poſſit ei congaudere? Certe inquieti, anxii, & non perfecte beati eſſent Sancti, ſi hoc gaudio privarentur.

Quod ut clarius pateat, audi Boetium dicentem, quod beatitudo *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; *Boet. lib.* 8. *de conſol. Phil. proſ.* 2. ſi autem beatis deeſſet gaudium, eorum beatitudo non eſſet omnium bonorum aggregatione perfecta, quia illi deeſſet unum bonum, gaudium ſcilicet; quare fatendum, gaudio, quod ex Dei viſione, & amore manat, Sanctos perfecte & complete beari. Quod probe novit D. Auguſtinus, qui licet pluries Sanctorum beatitudinem in Dei viſione conſiſtere dicat, non intendit tamen excludere a ratione beatitudinis, gaudium, quod ex Dei viſione & amore neceſſario reſultat, ſed potius illud includit; immo & Sanctorum beatitudinem in hoc gaudio complete conſiſtere aſſerit, his verbis: *Ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, & propter te: ipſa eſt, & non altera*. *Aug. l.* 10. *conf. c.* 22. Quare concludamus, finemque toti huic concioni faciamus, dicentes, quod Sancti in cælo ſint ſumme beati; quia Deum vident; quia Deum quem vident, ſumme diligunt; & quia Deum videntes & amantes, ineffabili gaudio perfunduntur.

O quam infelices & miſeri ſumus nos! qui per hujus maris magni fluctus, procelloſaſque voragines navem trahimus, ignorantes, an ad portum ſalutis pervenire valeamus! Infelices, inquam, nos, quorum vita eſt in exilio, via in periculo, finis in dubio: neſcientes finem noſtrum; quia omnia in futurum reſervantur incerta. Infelices tandem nos, qui in mediis pelagi fluctibus verſamur, & felices ſupra modum Sancti, qui de naufraga vita præſenti ad optatum ſalutis portum pervenerunt; ubi beatitudine inenarrabili perfruuntur: quia intuitive vident Deum, qui eſt objectum beatificum; quia ardenter amant Deum, qui eſt bonum infinitum; & quia ex tali viſione & amore ineffabile in corda eorum fluit gaudium.

O N. N. ambiamus in cælo beari cum Sanctis: *Concupiſcamus in atria Domini, crebro ſuſpiremus illuc*. *S. Bernard. ſer. de obed.* Optemus intrare in civitatem ſanctam Jeruſalem, & illic cum Sanctis beari. Hoc deſideremus, non otioſo, ſed efficaci deſiderio; quo ad facienda quæ ſalutis ſunt, allicimur.

Nullus eſt qui æternæ beatitudinis quodam deſiderio non cieatur; omnes cum Sanctis in cælo beari cuperent; ſed in paucis efficax eſt illud deſiderium, & pauci exempla Sanctorum imitari, idque facere volunt, quo acquiritur cælum: *Beati omnes eſſe volunt: ſed hoc pauci volunt, ſine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt*. *S. Aug. in Pſ.* 118. Sed ut acquiratur æterna beatitudo, hoc faciendum, ſine quo ad illam non pervenitur.

Ut quis cæleſtem beatitudinem obtineat, pie vivere debet in hoc mundo; hæc eſt via qua ad cælum itur; & ideo tenenda: *Quærenda eſt gloria Dei per vias ejus: non quomodo alioquin eo pervenitur, ſi via quæ eo ducit, non tenetur*. D. *Greg. l.* 16. *Mor.* 4. Pie ergo vivite, & æternam beatitudinem obtinebitis. *Amen*.

Digitized by Google

DE SANCTO MARTINO EPISCOPO.

CONCIO UNICA.

Obſecro ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ. 4. 1.

SAnctiſſimi Pontificis Martini actus & vitam Severus Sulpitius, inſignis Orator ita ſuo nobilitavit eloquio, ut hiſtoriam ejus non ſolum ſincere delineaverit: verum & Rhetoricis legibus multipliciter exornaverit. Nec propterea credendum, quod meritorum eximii hujus Antiſtitis attigerit terminos, cum fateri non dedignetur, omnia in Martino eſſe majora, ac ita ſublimia, ut mente concipi nequeant: *Omnia majora in Martino ſunt, quam ut verbis concipi queant. Tertul. lib. de jejun. c. 3.* Unde de ſancto Pontifice Martino, ſicut & de Joſue, dici poteſt, quod fuerit *par ſolis.* Quia ſicut in ſole omnia magna, & mirabilia ſunt; ita & in Martino morum innocentia, puritas virginalis, mundi contemptus, erga pauperes miſericordia, fuga dignitatum, crucis amor, fiducia in Deum, in proximum charitas, cæleſtium contemplatio, omnia denique magna & portentoſa extitere. Quod patebit, cum eum in omni ſtatu ad quem vocatus eſt, digne ambulaſſe oſtenderimus: *Digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis,* &c. *Ave.*

MArtinus, dum eſſet juvenis, militiæ ſæculari nomen dedit: major factus, ſæculo valedixit, & ſumpto Monachi habitu, ſolitariam vitam duxit, a qua tandem urbis Turonenſis cives illum ſancta fraude, & pia arte eduxerunt, eumque invitum ad Turonenſem Epiſcopatum ſublimarunt. Unde qui totam ſanctiſſimi hujus Antiſtitis vitam ſedulo luſtrabit, eum primo militem, deinde Monachum, ac tandem Epiſcopum extitiſſe adnotabit.

Ecce tres diverſi ſtatus, ad quos vocatus eſt, & in quibus digniſſime ambulavit Martinus. Ut enim ait Doctor Seraphicus: *Martinus bonus fuit in ſtatu militari, melior in habitu monachali, & optimus in Cathedra Pontificali. S. Bonav. ſer. de S. Mart.* Sanctiſſimum hunc virum in triplici hoc contemplemur ſtatu; militis, ſcilicet, Monachi, & Pontificis, ac videamus; 1. Virtutes illius militis: 2. Sanctitatem hujus Monachi: 3. Perfectionem hujus Epiſcopi: En tres hujus concionis partes, quibus conſtabit, ſanctum Martinum digne ambulaſſe in omni ſtatu ad quem vocatus eſt: *Digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.*

PRIMA PARS.

Virtutes Sancti Martini in ſtatu militis.

MIlitia ſæcularis non eſt virtutis Schola; militum enim caſtrenſium vita vitiis multis fœdari ſolet, & rariſſime Chriſtianis virtutibus decoratur: *Nam nulla fides, pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.* At Martinus qui cum aliis militibus miles fuit; ab aliis vita & moribus longe fuit alienus: non enim torrentem vitiorum ſecutus eſt, ſed virtutibus multis claruit. Et præcipue; 1. Miſericordia erga pauperes: 2. Caſtitate in corpore ſuo: 3. Fiducia in Deum.

1. Nil in bello uſitatius, quam cuncta obvia rapere. Ibi quiſque jus habere putat in proximi bona: ibi a multis ut virtutes prædicantur rapina & furtum: Iſque majorem gloriam ſibi conciliaſſe credit, qui plures ruſticos, plebejos & pauperes bonis temporalibus, & ipſius veſtibus ſpoliavit. At tantum abeſt, quod Martinus aliorum auferret bona, quin contra propria effundebat, & in pauperes ita ſe beneficum, & miſericordem exhibebat, ut de ipſo, ſicut de Stephano, dici debeat, quod *charitatem pro armis habebat. Fulgentius ſerm. de Sancto Stephano.*

Innata eſſe videbatur Martino adhuc militi in pauperes miſericordia; eos videre non poterat, quin eis, omnibus modis ſibi poſſibilibus ſubvenire conaretur. Manum ſuam libenter extendebat ad pauperem: & ut alia taceam charitatis & miſericordiæ beneficia, quæ a Martino adhuc milite pauperes receperunt, unicum nunc recenſebo, famoſum ſcilicet illum charitatis actum, quo chlamyde ſua in duas diſpertita partes, una ſibi reſervata, alteram pauperi miſericorditer dedit.

Martinus nondum ad monaſticam diſciplinam fuerat eruditus, ſed militiam ſecutus erat armatam; non in clauſtris adoleverat, ſed in caſtris, nondum ſub ſancto Hilario profecerat; ſed ſub Conſtantino Rege, & Juliano Cæſare utroque nequiſſimo, & perditiſſimo, militarat. Et tamen ſub talibus agens Principibus, tanta ejus charitas, tanta ejus miſericordia fuit, ut pauperi nudo dimidiam chlamydis partem dederit, ſeque nudato, nudum Chriſti pauperem operuerit. Qui charitatis actus ita Deo placuit, ut Martinus Chriſtum videre meruerit, dimidia illa chlamyde, quam pauperi dederat, indutum, ipſumque coram Angelis laudantem, & dicentem: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit.* Ecce militem, cujus magna in pauperes fuit miſericordia: *Sed magna etiam fuit hujus militis caſtitas.*

2. Duriſſima adverſus caſtitatem certamina patiuntur Chriſtiani, a quibus raro victores exeunt: *Inter cætera Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana pugna, rara victoria. S. Aug. ſerm. 251. de temp.* Sed in caſtris creberrima ſunt hujuſmodi certamina, & rariſſima victoria quia ibi milites plerumque non vincere, ſed vinci volunt, quærentes quo venereis voluptatibus indulgeant, & pravo carnis appetitui ſatisfaciant. Quod potiſſimum verum eſſe comprobatur de caſtris, in quibus militabat Martinus; ibi enim milites ſub impuris Ducibus de caſtitate non curabant, & tam horrenda adverſus mirandam hanc virtutem patrabant crimina, ut ea enarrare puderet. At ſanctus Martinus in mediis caſtris de carnis triumphavit illecebris, & inter impudicos milites caſtitatem illæſam cuſtodivit.

Sicut margaritæ in medio maris exiſtentes, ſalſedinem ejus nullo modo participant; ita Martinus in medio impudicorum militum vivens, nulla unquam impu-

impudicitiæ macula fœdatus fuit: ſed toto vitæ ſuæ tempore virginalem puritatem illibatam ſervavit; ut enim ait Doctor Seraphicus: *hanc puritatem* (virginalem ſcilicet) *habuit Martinus, ut Regis per innocentiam poſſet placere conſpectui, cujus contubernium diligebat. S. Bon. ſer. de S. Mart.* D. Bonaventuræ accinit Severus Sulpitius, qui virginalem S. Martini caſtitatem extollens & prædicans, ait, quod fuerit *vitro purior, & lacte candidior*: quodque virginalem hanc puritatem uſque ad mortem perfecte ſervaverit; & ideo cæleſtes Spiritus, quibus cognata eſt virginitas, ei poſt mortem obviam venerint: *Quia Angelis cognata eſt virginitas, ideo cæli cives in ejus tranſitu ei obviam venerunt.* Miramini Martini, adhuc militis, puritatem: *ſed & miramini magnam ejus fiduciam in Deum.*

3. Milites fere omnes confidunt in virtute ſua, in robore ſuo, in dexteritate & experientia ſua: non autem in Domino, a quo habent, quidquid habent, & ſine cujus auxilio, non ſolum bellare, ſed nec digitum movere valent. At Martinus non in Principibus, in quibus non eſt ſalus, non in armis & equis, non in virtute & robore ſuo; ſed in Domino confidens, gravia quæque impavidus obibat pericula; & ubi pavebant ſtrenui quique milites, ille abjecta quavis formidine, conſtans & ſecurus ſtabat. Immo & cum Propheta dicebat: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.*

Hoc præcipue dixit vir ſanctus, cum militiæ ſeculari valedicere voluit, ut in ſolitudinem ſecederet. Cum enim ſanctum ſuum propoſitum manifeſtaſſet; Dux exercitus ſub quo militabat, arbitratus eſt, talia meditari Martinum, non tam ex pura Deo inſerviendi intentione, quam ex timore cadendi in prælio: quare Martinus, ut probaret, ſe non ex formidine, ſed ex puro Deo inſerviendi deſiderio talia cogitare, exercitus Ducem adivit: ac ſancta in Deum fiducia roboratus, ab eo facultatem petiit, hoſtium exercitui ſe opponendi, promittens, quod ſolus ſine armis, & ſine clypeo, impavidus cuneos eorum penetraret. *Ego ſigno crucis; non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.* O magnam hujus militis in Deum fiduciam!

Non ſatis laudari & prædicari poteſt miranda S. Dominici in Deum fiducia: quæ tanta extitit, ut Chriſti crucifixi imaginem dextera gerens, formidando Albigenſium, qui minas & cædes ſpirabant, exercitui impavidus ſeſe oppoſuerit. Enſibus & ſagittis adverſus Chriſtianos armati incedebant hi hæretici, nilque magis in votis habebant, quam Dominicum, & omnes Catholicæ Religionis ſectatores interficere. Dominicus autem feritatem, crudelitatem, & arma eorum non timens, ſola Chriſti crucifixi imagine armatus, a fronte exercitus eorum ſtabat, eiſque generoſe doctrinam Evangelicam prædicabat. O quam magna hæc fuit ſancti illius viri in Deum fiducia! ſed quid, meo quidem judicio, majus in Martino video; quia cum adhuc eſſet juvenis, & miles, ſolo crucis ſigno munitus, non ſolum a fronte formidandi exercitus ſtare; ſed etiam hoſtium cuneos penetrare promittit. Ecce mirandas Martini, ut militis, virtutes. *Videamus nunc Martini, ut Monachi, ſanctitatem.*

SECUNDA PARS.

Sanctitas beati Martini in ſtatu Monachi.

MUndo ſimul & armis valedixit Martinus: ac in ſolitudinem ſecedens, vitam ſuſcepit monaſticam, tantaque ejus in hoc ſtatu fuit ſanctitas, ut ab omnibus, tanquam omnis virtutis ſpeculum & exemplar haberetur. Sanctitas autem ejus in ſtatu Monachi fuit: 1. In humilitate fundata: 2. Mortificationibus illuſtrata: 3. Miraculis comprobata.

1. Omnibus notum eſt, humilitatem eſſe ſanctitatis fundamentum; omnemque penitus ruere ſanctitatem, ſi in humilitate non fuerit fundata; ſed omnibus etiam notum eſt, quod hoc ſanctitatis fundamentum poſuerit Martinus, antequam Monachus fieret. Quia licet a parentibus nobilibus, apud Imperatorem potentibus, & in re militari florentibus originem duceret: licet etiam Tribuni, ſeu, Ducis mille militum munus, quo Pater ejus fungebatur, obtinere potuiſſet: contempta tamen mundana hac dignitate, humili functus eſt officio militis. Cumque variis ſtipari potuiſſet domeſticis, unico uſus eſt ſervo; cui ipſe alternatim, inſervivit, ſervique ſervus fieri voluit. Sciebat Martinus quod Filius Hominis non venerat *miniſtrari, ſed miniſtrare. Matt. 20.* quare ut Chriſtum imitaretur, *ſubjectæ ſibi famulo ſe humilitate ſubjecit*, inquit S. Bonaventura. Et ut ait S. Vincentius Ferrerius, Martinus ita ſervo inſervivit, *ut ei plerumque calceamenta detraheret, & ipſa detergeret.*

O mirandam Martini adhuc militis humilitatem! Sed cum ad Monachi ſtatum advolavit, altius ſibi fodit humilitatis fundamentum, ſuamque ſanctitatem in majori humilitate fundavit. Tunc enim ab hominum conſortio ſeceſſit, quaſi indignus eſſet cum iis verſari; & cum quandoque inter eos verſari cogebatur, altioris humilitatis radios emittebat: erat enim *veſte ſordidus, crine incultus, facie deſpicabilis. S. Bern.* Talem hunc Monachum venerabantur, quotquot eum agnoſcebant: ſed eo ſe viliorem reputabat, quo ab aliis majori honore dignus cenſebatur: *Cum Martinus in oculis omnium honorabilis eſſet, ipſe ſibimet habebatur vilis. Laur. Juſt.*

Eum tanto honore dignum cenſuerunt cives Turonenſes, ut mortuo ſuo Epiſcopo, eum ad Epiſcopalem cathedram evehere voluerint: ſed humilis Martinus hac dignitate ſe penitus indignum reputabat: vocabant eum ad excelſa, & ipſe ad ima deſcendebat: eum Epiſcopatu digniſſimum eſſe clamabant omnes, & ipſe eo ſe indignum exiſtimabat: ad ſublimem hanc dignitatem eum vocabant omnes, & ipſe ad illam evehi renuebat. Sicut Moyſes, *Exod. 3.* cum eum Deus Principem populi Iſrael conſtituere voluit, ab hoc munere obeundo ſe excuſavit; ita Martinus præ humilitate ad Pontificales infulas evehi omnibus quibus potuit modis refugit. Nec a ſuo Monaſterio erui unquam potuit, ut ad Epiſcopalem cathedram exaltaretur; donec civis quidam Turonenſis, ſimulata gravi uxoris ſuæ infirmitate, ad ejus genua provolutus, ab eo obtinuit, ut e ſuo egrederetur Monaſterio. Qua arte extra cellam adductus, ad civitatem Turonenſem deinde ductus eſt;

ubi ad ſedem Epiſcopalem fuit ſublimatus, licet invitus. Ecce Monachum humillimum, cujus ſanctitas in humilitate eſt vere fundata: *ac etiam mortificationibus illuſtrata.*

2. Sanctitatem coram hominibus nil ita commendabilem, illuſtrem, & portentoſam efficit, ut mortificationes extraordinariæ, & pœnitentiæ inſolitæ, quibus adhærent viri ſancti, nec enim aliquem ex illuſtribus iis pœnitentibus videre poteſt populus, quin ſtatim eum ut ſanctiſſimum judicet, & proclamet. Hanc quidem populi auram non ambiebat Martinus, ſed ſuperno afflatus ſpiritu, mox ut ſolitudinem eſt ingreſſus, arctis jejuniis, vigiliis multis, & omni mortificationum genere corpus ſuum cruciavit, hiſque pœnitentiis & mortificationibus ſanctitas ejus ita famoſa facta eſt, ut ſanctitatis ejus fama undique volaverit.

Martini quidem ſanctitas omnibus erat ſtipata virtutibus, omnibuſque numeris completa, ſed illam illuſtrem, & apud homines commendabilem fecerunt inſolitæ mortificationes, & durus ejus vivendi modus, quem ſic deſcribit S. Vincentius Ferrerius. *Martinus, licet aliis eſſet pius, ſibi erat crudelis, in tantum, quod mirum erat, quomodo poterat vivere. Reſignata militia, poſuit ſe cum Eremitis, inter quos faciebat aſperitates magnas. Primo in lecto ſtricto, cujus plumæ erant cineres, linteamina cilicium, cervicale lapis, nihilque præter tunicam & cilicium induebat. Ejus victus quotidianus erat panis & aqua, &c. Serm. de Sanct. Mart.* Elegantioribus verbis de ſancti illius Viri mortificationibus ait Severus Sulpitius, quod *pernox in orationibus & vigiliis fatiſcentes artus ſpiritui ſervire cogebat; in cinere & cilicio deinde recubabat. Et cum a Diſcipulis rogaretur, ut ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi: Non decet, inquit, fili, Chriſtianum, niſi in cruce mori.* Ita tandem graves, crebræ, & perennes extitere mortificationes, quibus adhæſit, ut vita ejus in monaſterio continuum martyrium fuiſſe videatur. Ecce Monachum, cujus ſanctitas mortificationibus vere fuit illuſtrata, *ac etiam miraculis comprobata.*

3. De S. Paula præclare dixit S. Hieronymus, quod cum Romæ commoraretur, a ſolis Romanis civibus agnoſceretur, ſed tunc toti notam fuiſſe Orbi, cum in Bethlehem ſe recepit, ut ibi lateret; *Romæ habitantem nullus extra Romam noverat, latentem in Bethlehem Barbara, & Romana terra miratur. S. Hieron. l. 3. epiſt. 8.* Similem in modum, quamdiu in caſtris remanſit S. Martinus, ſolis militibus nota fuit ejus ſanctitas: ſed cum a caſtris recedens, in ſolitudine ſe recoperit, ut ibi lateret, Deus ſanctitatem ejus toti terrarum orbi manifeſtavit, & miraculis multis probavit. Tacebat ille, latere quærebat, ſed ut de S. Hilarione loquitur S. Hieronymus. *Tacente lingua, miracula loquebantur, Ibid. ep. 2.* dum enim ille ſileret, miracula quæ operabatur, in illius favorem loquebantur, & eximiam ejus ſanctitatem prædicabant.

Martinum hominem in miraculis divitem vocat S. Bernardus, *Dives eſt ille Martinus, dives in meritis, dives in miraculis. Serm. de S. Mart.* multaque deinde ab eo facta recens miracula, ait; Suſcitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat ſuſcitaſſe. Reddidit viſum cæcis, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, aridis ſoſpitatem: Evaſit divina virtute pericula, proprii corporis obice flammas repulit, immanem ſacrilegæ machinæ molem, columna e cælo deſcendente proſtravit, leproſum mundavit oſculo, curavit oleo paralyticum, dæmones vicit, Angelos vidit, futura prævidit.

Verum eſt, quod hæc omnia miracula non operatus ſit Martinus, cum adhuc eſſet Monachus: tunc tamen duos mortuos ſuſcitavit & multa alia miracula fecit, quæ tanquam tot linguæ fuerunt, quæ omnibus populis annuntiarunt, Martinum eſſe virum ſanctiſſimum; cum enim ſupra corpus mortui viri, adhuc cathecumeni, ſicut alter Eliſæus, ſe extendens, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, Gen. 2.* illumque a mortuis excitavit: quid aliud illud miraculum, quam lingua quæ Martinum Monachum magna ſanctitate prædilum eſſe manifeſtat? Cum nobilis cujuſdam viri famulum, qui ſuſpendio perierat, ad vitam revocavit, quid aliud illud miraculum, quam lingua, quæ pro Martino loquitur, & quæ hujus Monachi ſanctitatem propalat? Pro Martino tandem loquebantur omnia miracula quæ faciebat, quia omnia ſanctitatem illius probabant, & populis manifeſtabant. Ecce ſanctitatem Martini, adhuc Monachi, in humilitate perfecte fundatam, mortificationibus illuſtratam, & miraculis comprobatam. *Videamus nunc perfectionem Sancti Martini in ſtatu Pontificis.*

TERTIA PARS.

Perfectio Sancti Martini in ſtatu Pontificis.

HOminis in hoc mundo perfectio in charitate conſiſtit, qui enim bene Deum amat, & amat proximum pro Dei amore, ſe humiliat, multa pro ejus gloria libenter patitur, & omnes alias virtutes ex animo ſectatur: quare ut Martini in ſtatu Epiſcopi perfectionem manifeſtem, de charitate ejus ſolummodo loquar, dicamque ſanctum hunc Epiſcopum habuiſſe: 1. Charitatem beneficam: 2. Charitatem patientem: 3. Charitatem fervidam.

1. Amor eſt ſui diffuſivus, & qui bene Deum amat, non quærit quæ ſua ſunt: ſed in omnes, & præcipue erga pauperes, quos ut Chriſti membra reſpicit, ſe liberalem, & beneficum exhibet. A liberali, & benefica hac charitate plurimum in ſacris paginis commendatur Tobias, qui pauperes vocabat ad prandium, afflictos conſolabatur eloquio, & mortuos ſepeliri curabat. *Tob. 7.* Sed & eadem charitate præditus fuit S. Martinus, *qui ſtudebat aſſiſtere laborantibus, opem ferre miſeris, alere egenos, veſtire nudos, nihilque ſibi præter quotidianum victum reſervabat. S. Bon. ib.* Proventus ſuos in emendis ſuperfluis, & ſuperbis veſtibus, in lautis, & magnificis conviviis, in ludis, venationibus, vanitatibus, & mundi oblectamentis non diſſipabat, ſed omnia ſua pauperibus, viduis, orphanis, captivis, xenodochiis, & Eccleſiæ diſtribuebat. Ac, ut cenſet S. Vincentius Ferrerius. *Martinus pro ſua perſona de redditibus Epiſcopatus non expendebat decem florenos in anno, cetera autem dabat Eccleſiis, & pauperibus, Ubi ſup.*

Aſſe-

Digitized by Google

Aſſerit Chriſtus, quod tanquam ſibi præſtita acceptet beneficia quæ pauperibus impertimur; *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25.* Hoc & in ſemetipſo expertus erat Martinus, dum adhuc eſſet miles, cum enim dimidiam clamydis partem pauperi dediſſet, proxime ſequenti nocte vidit cælos apertos, & ibi Chriſtum hac veſtitum clamydis parte, Angelis dicentem; *Martinus, adhuc catechumenus, hac me veſte contexit.* Quare Martinus Pontifex factus, erga pauperes magis beneficus, & munificus fuit: Chriſtum enim in pauperibus inſpiciens, omnia ſua iis libenter erogabat: & ideo a Laurentio Juſtiniano vocatur *egenorum pater.* Eratque vere eorum pater, quia eos penuriam patientes alebat, eos nudos operiebat, omniaque veri patris officia eis impendebat. Miramini ſancti hujus Pontificis charitatem, quæ vere fuit benefica & liberalis. *Sed S. Martinus habuit etiam charitatem patientem.*

2. *Charitas patiens eſt*, *D. Paul.* nec bene Deum amat, qui pro ejus amore pati dedignatur. Immo, inquit, Doctor Angelicus, qui bene amat, pro perſona amat, *patitur magna, patitur multa, patitur diu.* Hac autem charitate patiente Deum amavit Martinus qui pro ejus amore innumera, eaque graviſſima, uſque ad ultimum vitæ terminum conſtanter pertulit. Taceo gravia multa, quæ a ſeipſo pro Dei amore paſſus eſt: *tum* diris jejuniis, quibus corpus ſuum afflictavit: *tum*, arctiſſima paupertate, cui ſe ſubdidit: *tum*, laboribus plurimis, quos pro populi ſui ſalute exantlavit: alia enim & majora habemus patientiæ ſuæ argumenta, ſumpta ab his quæ ab invidis hæreticis, idololatris, & perverſis Chriſtianis perpeſſus eſt, quæ tot & tanta fuerunt, ut ratione illorum, Martinum, verum fuiſſe Martyrem, dicat S. Bernardus. Ceterum, inquit, perſecutiones, quas ſuſtinuit Martinus propter juſtitiam, longum eſt numerare. Quomodo apud Julianum Auguſtum in civitate VVangiorum intrepidus, immo & illato terrore conſtantior, cuſtodiæ mancipatus eſt, ut inermis poſtero die opponeretur, quomodo circa Alpes ſub ſecuti, quam in verticem ejus latro vibrabat, ſecuriſſimus fuit; quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter inſectatus, multiſque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit; quomodo & alibi adverſus Sacerdotum perfidias acerrime pugnans, ſuppliciis fuit affectus, publice virgis cæſus, inde quoque exire compulſus eſt; quomodo item in cujuſdam fani everſione, cum eum Gentilis quidam ſtricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percuſſuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit reſupinus; quomodo alter eum cultro ferire voluit, ſed ferrum de manibus ejus elapſum repente diſparuit. *Pro quibus omnibus*, ait Bernardus, *dubium non eſt, multipliciter coronari Martinum, qui quidem, etſi non ſemel effectu conſummatæ paſſionis, toties tamen Martyr fuit affectu devotiſſimæ voluntatis. S. Bern. ſerm. de S. Mart.*

Licet D. Paulus ferro Martyr occubuerit, eum etiam *Martyrem ſine ferro, ex ſola charitate morientem. Ubi ſup.* vocat Laurentius Juſtinianus. Antequam ferro Martyr fieret, charitate Martyr fuit D. Paulus, quia ex nimia qua ardebat charitate, gravia pro Chriſti amore pertulit, pluribus ſe expoſuit mortis periculis, & pro ſalute fratrum mori optavit. *Cupio impendi, & ſuperimpendi pro ſalute veſtra. 1. Cor. 12. 15.* Si autem Paulum hoc modo charitate Martyrem dicamus: *Quomodo*, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *Martyrii gloriam Martinum non habere cenſendum eſt, qui flagrans amore martyrii, pro catholicæ fidei teſtificatione terrenorum Principum nec expavit potentiam, neque hæreticorum ſævitiæ ceſſit, quin conſtanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores? Magnum prorſus eſt hoc martyrii genus, ultro ſe pro Chriſti honore dare periculis. Toties igitur martyrii promeruit palmam, quoties ſe inimicis fidei oppoſuit.* Habuit ergo Martinus charitatem patientem, cum tot & tanta pro Chriſto pertulerit, & perpeti ambierit. *Sed habuit etiam charitatem fervidam.*

3. Martinus jugi cogitatione ferebatur in Deum, intendebat ſemper in eum, cui ſe devoverat, *ac oculis & manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat.* Ita ad Deum mens ejus erat attenta, ut nec cura Paſtorali, nec negotiorum multitudine, nec vitæ præſentis neceſſitatibus a Dei contemplatione averteretur. Ex aſſidua autem hac Dei cogitatione, & contemplatione exardeſcebat in corde ejus ignis charitatis, quo ita accendebatur, ut toto Chriſtum diligeret affectu, *nec a Dei poſſet amore divelli. Laur. Juſt. Ib.*

Fervida hac charitate exarſit Martinus, cum ſicut alter Paulus, ſe exhibuit Dei miniſtrum *in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, 2. Cor. 6.* & in aliis multis, quæ pro Dei amore fecit, & paſſus eſt. Sed ferventem cordis ſui charitatem potiſſimum manifeſtavit S. Pontifex, cum morti proximus, & in extremis poſitus, Deum alloquens, dixit; *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Hæc enim verba perpendens Bernardus, non ſatis admirari poteſt fervidam Martini, ſic loquentis, charitatem, dicens; *o vere ſanctiſſimam animam! o inæſtimabilem charitatem!* Et revera, ignita, & charitatis igne ſuccenſa ſunt hæc Martini verba, maximaque in his verbis apparet ejus in homines charitas, cum pro illorum ſalute & conſolatione velit ipſe a cæleſti beatitudine retardari, a diu deſiderata beatorum ſpirituum ſocietate differri, & ab ipſo introitu gloriæ æternæ ad tempus revocari.

Licet maxima & ardentiſſima ſit beatorum Angelorum in Deum charitas: dubitare tamen videtur S. Bernardus, an tanta ardeant in Deum charitate, ut parati eſſent ad ipſi obtemperandum, ſi viſione beatifica eos ad tempus privare vellet. Sic enim Angelos affatur: *Neſcio, an inveniatur in vobis quiſquam paratus in tale aliquando miniſterium mitti, in quo neceſſe habeat, non videre faciem Patris. Ubi ſup.* At tanta eſt Martini charitas ut cum ei ſeſe offerat cæleſtis beatitudo mox poſſidenda, paratus ſit ab illa retardari, & ad labores multos, pro animarum ſalute perferendos, mitti: Deo dicens ſummo cum ſpiritus fervore; *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* O ardentiſſimam Martini charitatem!

Miramini Martinum, qui in omni ſtatu piiſſime

vixit, & ſemper ambulavit vocatione, qua vocatus fuit. Sed & cum imitamini digne ambulantes vocatione, qua vocati eſtis. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis. Epheſ.* 4. 1.

Deus, cujus providentia in rerum diſpoſitione non fallitur, varios in hoc mundo voluit eſſe hominum ſtatus, in quibus omnibus quiſque ſalvari poteſt, modo media ſibi oblata ad ſancte vivendum in ſtatu ad quem vocatus eſt, non reſpuat, & digne ambulet vocatione, qua vocatus eſt. Non vult ſolum Deus, ut illius, vel iſtius ſtatus homines ſalvi fiant, ſed ad quemcumque ſtatum vocati ſint, *vult Deus omnes ſalvos fieri*, & in omni ſtatu ſalvi fieri poſſunt. Quare non dicat miles, ſi eſſem Sacerdos, piiſſime viverem, non dicat mercator, ſi eſſem Carthuſianus, ſemper orationi inſiſterem, non dicat judex, ſi eſſem Eremita, nulli injuriam facerem, non dicat Princeps, ſi eſſem Ordinis Minimorum Religioſus, humilitati penitus incumberem. Sed miles, mercator, judex, & Princeps digne ambulent vocatione qua vocati ſunt, & quiſque in ſtatu ad quem vocatus eſt, animam ſuam ſalvare conetur.

Hoc certum habete, quod ſtatus non damnat homines, ſed ideo damnantur homines, quia in ſtatu ad quem vocati ſunt, recte vivere, & vocatione qua vocati ſunt, ambulare nolunt, in quolibet enim ſtatu quiſque ſalvari poteſt, ſi velit. Heu! nonne aliqui milites ſalvi fiunt? Nonne mercatores aliqui æternam conſequuntur beatitudinem? Nonne ex judicibus aliqui inter Sanctos annumerantur? Nonne ex Principibus aliqui Catalogo Sanctorum adſcripti ſunt? Multi quidem milites, mercatores, judices, Principes, ac cujuſvis ſtatus & dignitatis homines jam felicitate fruuntur æterna. Quare ne reſpiciatis, quis ſit ſtatus, ad quem vocati eſtis, ſed in eo pie vivite, in eo digne ambulate, imitamini illos veſtri ſtatus, veſtræque conditionis homines, qui chriſtiane vivunt, & fideliter Deo inſerviunt. Digne tandem ambulate vocatione, qua vocati eſtis, ſicut S. Martinus, & cum ipſo ad Regnum æternum pervenietis, in quo interminam, ineffabilem, & in omni genere completam beatitudinem poſſidebitis. *Amen.*

DE

PRÆSENTATIONE B. V. M.

CONCIO PRIMA.

Surge, propera amica mea, & veni. Canticorum 2.

CUm Templi Dominum paritura, & Dei Templum futura eſſet Maria, nullibi aptius, & congruentius quam in Templo commorari potuit: & ideo ad cor ejus loquens Spiritus Sanctus, nunc illi inſpirabat, ut parentes & paternam domum relinqueret; *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui: Pſ.* 44. & nunc illi ſuggerebat, ut ſurgeret, properaret, ac cito ad Dei Templum veniret: *Surge, & propera amica mea, & veni.*

Dominum ſibi intus loquentem audivit Virgo: & divinæ vocationi obtemperare cupiens; parentes enixe rogavit, ut ipſam jam triennem, ad templum adducerent, eamque ibi religioſe & liberaliter Deo offerrent. Cujus piis precibus annuentes Joachim & Anna, mox illam ad Templum duxerunt, ut quam a Domino acceperant, Domino redderent & conſecrarent.

Multi hodie contemplantur Virginem ſacram ſumma cum modeſtia a propria domo egredientem; greſſus illius dinumerant, & admirantur non pauci, dicentes: *Quam pulchri ſunt greſſus tui, Filia principis?* Sed velim ſolum, ut eam in Templo Jeroſolymitano conſideremus, ubi & a ſeipſa, & a parentibus Deo offertur. Hæc eſt tota ſolemnitatis hodiernæ cauſa, & hæc erit tota orationis iſtius materia, &c. *Ave.*

LIcet Deus ſit ditiſſimus, noſtrique nequaquam egeat bonis; noſtra tamen ei non diſplicent munera; immo & ei multum placent; & in teſtimonium ſupremi ejus in nos dominii, noſmetipſos, necnon alia munera illi offeramus.

Hoc Dei ingenium non ignorabant Joachim & Anna; hoc ſciebat & Maria: quare ad templum Jeroſolymitanum hodie accedunt, & non ſolum ut ibi adorent in ſpiritu & veritate; ſed etiam ut Deo munus pretioſiſſimum, ſanctiſſimum & digniſſimum offerant. Hoc munus eſt Maria, quæ Deo offertur a parentibus, & a ſe ipſa: *Offertur* a parentibus, ſingulari cum pietate & devotione: *Offertur* a ſemetipſa, ardentiſſimo cum zelo & amore. *Offertur* Maria a parentibus: Hinc diſcant parentes, filios ſuos Deo offerre: *Offertur* a ſeipſa; hinc diſcant filii ſemetipſos offerre Deo. Videamus: 1. Pietatem & devotionem parentum Mariæ, qui eam Deo offerunt: 2. Zelum & amorem Mariæ, quæ ſe metipſam Deo offert. *Oblatio* Joachim & Annæ, qui Mariam Deo offerunt; *Oblatio* Mariæ, quæ ſeipſam Deo offert; en duas hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Oblatio Joachim & Annæ, qui Mariam Deo offerunt.

MUlti ex conjugatis, cum prole carent, anguntur interius, gemunt, votiſque multis a Deo filios poſtulant, dicentes; *Da mihi liberos, alioquin moriar. Gen.* 30. Sed o infandam multorum hominum ingratitudinem, qui cum pueros obtinuerint, eos non Deo, ſed mundo, & vanitati & voluptati conſecrant.

Ingratis hiſce parentibus nequaquam ſimiles fuerunt Joachim & Anna, qui ſummo pietatis affectu Deo obtulerunt Mariam: 1. Licet unica eorum filia eſſet: 2. Licet perfectiſſima eſſet: 3. Licet ab iis ſupra modum dilecta eſſet.

1. Unica Joachimi, & Annæ filia fuit Maria, quam precibus, votis, jejuniis, & lacrymis multis a Deo obtinuerunt. Hæc fuit unica, hæc immaculata columba, quam ſterilis Annæ venter in lu-

Digitized by Google

lucem edidit: *Una eſt columba mea. Cant. 6.* Maria, ut ait Euthymius, quæ unigeniti Filii Dei Mater futura erat, fuit etiam unigenita: *Unigenita erat Dei Mater. Euthim. in c. 19. Joann.* Licet autem unica Joachimi & Annæ proles Maria fuerit; eam tamen tertio ab ejus nativitatis anno ad Templum pii parentes adduxerunt, eamque ibi Deo in obſequium perpetuum conſecrarunt.

Non diu in paterna domo manſit Virgo; ſed veluti nobiliſſima arbor, in ſolum pinguius, id eſt in templum eſt tranſlata: *Ad templum adducitur Virgo, & in Domo Dei plantata inſtar olivæ frugiferæ, virtutum omnium domicilium efficitur. S. Damaſ. l. 4. fid. c. 15.* Non dixerunt pii Beatiſſimæ Virginis parentes; unica nobis eſt filia, & ideo ut a nobis diſcedat, non convenit. Non dixerunt: cum unica nobis ſit filia, non in templo, ſed in domo noſtra educetur neceſſe eſt. Non dixerunt; cum ſit unica filia noſtra, eam juxta mundi, & vanitatis leges educabimus. Tanta enim eorum extitit pietas, tantuſque zelus, ut nequaquam cunctati ſint: immo eam vix triennem, magna cum lætitia & celeritate Deo obtulerint: *Anna haud cunctata eſt eam ad Templum adducere, ac Deo reddere, & promiſſum præſtare. D. Greg. Naz. orat. de Nat. Chr.* Cunctantur perſæpe parentes, cum de conſecrandis Deo filiis agitur. Immo, ſi unica eis ſit proles, eam Deo in Religione probata, vel pia aliqua Congregatione offerre renuunt; ſed Joachim & Anna non cunctantur, cum de offerenda Deo unica filia agitur; eam enim generoſe, hilariter, & abſque ulla cunctatione in templo conſecrane, ut ibi ſimul cum aliis ſanctis Virginibus toto vitæ ſuæ tempore Deo inſerviat. Miramini Joachim & Annam, qui jucundo animo Mariam Deo offerunt; licet unica eorum eſſet filia: *ac etiam licet perfectiſſima eſſet.*

2. Quam perfecta fuerit Maria, docet nos Spiritus Sanctus, de ea dicens. *Una eſt perfecta mea. Cant. 6.* Maria enim *una eſt perfecta*; quia ipſa una & ſola omnes aliarum creaturarum perfectiones poſſidet. Vel etiam Maria, *una eſt perfecta*; quia tantæ, tamque eminentes ſunt ejus perfectiones; ut ſicut ſtellæ in conſpectu ſolis non apparent, & quaſi non ſunt: ita & aliorum Sanctorum perfectiones, ſi cum Mariæ perfectionibus conferantur, quaſi nihilum ſunt, & ipſa ſola perfecta eſſe videtur. Vel tandem Mariam Deus perfectam ſuam vocat: *Una eſt perfecta mea*; quia eam omni perfectionum genere replevit: cum enim eam Deus ab æterno in filii ſui matrem elegerit, eam in tempore, omnibus perfectionibus infinitæ huic dignitati convenientibus adornavit. Unde dicunt nonnulli, menſuram perfectionum Mariæ ex Dei potentia eſſe ſumendam; ex hoc namque quod Deus Mariam in matrem filii ſui elegit, optime infertur, quod, quantum juxta ordinem ſapientiæ ſuæ potuit, eam privilegiis & perfectionibus ditavit.

Perfectiſſimam ergo fuiſſe Mariam nullus inficiabitur: ſed eam, licet perfectiſſimam, Deo pii parentes obtulerunt. Joachim & Anna non imitati ſunt ingratos illos parentes; qui quo perfectiores a Deo accepere filios, eo magis illos in Religione, vel in Eccleſia ei offerre renuunt; nec ei libenter offerunt, niſi corpore deformiores & ingenio hebetiores. Iſti ſimiles ſunt Caino, qui quæ in grege ejus deteriora erant, Deo ſacrificabat: at Joachim & Anna, Abelem imitantes, non ſolum quod in domo eorum, verum & quod in toto Orbe pretioſius, & perfectius erat, Deo obtulerunt; nempe Mariam eorum filiam, qua nihil præſtantius mundus habebat, nec Deo offerre poterat. Unde ſic piis Mariæ parentibus congratulatur Sanctus Joannes Damaſcenus: *o par beatum, Joachim & Anna, vobis omnis creatura obſtricta eſt: per vos enim donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit: nempe caſtam matrem, quæ ſola Creatore digna erat. Damaſcen. orat. 1. de nativ. Virg.* Joachim ergo & Anna Deo ſuam offerunt filiam, licet ſumme perfectam; *ac etiam licet ſumme dilectam.*

3. Vix concipi poſſet, quanto amoris affectu Mariam proſequerentur Joachim & Anna. Eam a Deo precibus & fletibus multis impetrarunt; eam, cum jam ætate provecti eſſent, pepererant; illam, ſoluto ſterilitatis vinculo, miraculoſe genuerant; unica hæc eorum erat filia, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirabantur, & cujus præcelſæ perfectiones Angelos in admirationem rapiebant: his & aliis multis rationibus commoti pii parentes, filiam ſuam ſummo affectu diligebant. Nunquam filium ſuum Abſalon ita dilexit David; nunquam Iſaac ſuum Eſau, nec Iſrael ſuum Joſephum tantum amavit, quantum Mariam filiam ſuam amabant Joachim & Anna.

Summe amabilis erat Virgo, & ſumme a parentibus amabatur, eam tamen, licet ſumme dilectam, jucunde, & hilariter Deo obtulerunt. Non imitati ſunt Joachim & Anna improbos illos parentes, qui quos oderunt filios & filias, minis & flagellis, vi & metu, aliiſque illicitis modis ad ſtatum Religionis capeſſendum cogunt, & qui contra, quos ex naturali propenſione amant filios, a Religionis propoſito deterrent, ac ne mundo valedicant prohibent. Miſeris hiſce parentibus totaliter diſſimiles fuere Joachim & Anna; licet enim Mariam ſummo affectu diligerent, eam tamen voluntarie, libenter, & hilariter Deo obtulerunt.

Magna inter Annam Mariæ, & Annam Samuelis matris fuit ſimilitudo; utraque enim erat nupta, utraque ſterilis, utraque ob ſterilitatem afflicta; Templo utraque quam frequentiſſime inerat, utraque precibus multis prolem a Deo petiit; deſiderii ſui finem utraque obtinuit & utraque fœtum quem peperit, Deo in Templo religioſe obtulit, atque ſacravit. Sed in prolis amore ſpecialiter ſimiles fuere hæ duæ ſanctæ mulieres. Anna enim Samuelis mater filium ſuum dilexit veluti propria viſcera; & ideo dixit Chryſoſtomus, eam ſua immolaſſe viſcera, cum filium ſuum Deo obtulit: *Suorum viſcera facta eſt immolatrix. Chryſ. hom. de Anna tom. 1.* Eodem prorſus modo Joachim & Anna ſuam diligebant filiam, eam veluti propria viſcera amabant, nihilominus eam ita ſolenniter, & hilariter Deo obtulerunt in Templo; ut ad hanc oblationem Sacerdotes, Virgines, cognatos & amicos multos convocaverint; non ſolum ut ſacræ huic adſtarent cæremoniæ, verum & ut ipſis congratularentur, eo quod filiam ſuam, non terreno, ſed cæleſti Regi conſecrarent: ſic enim Annam Deiparæ matrem lo-

Digitized by Google

loquentem inducit S. Germanus, Conſtantinopolitanus Antiſtes: *Virginum catervas coegi cum lampadibus, & convocavi Sacerdotes, congregavi cognatos meos, omnibus dicens: Congratulamini mihi, quod hodie mater, & productrix effecta ſum, non Regi terreno meam offerens filiam, ſed Deo cæleſti. S. Germ. ſerm. de Præſent. Virg.*

Ecce piam & religioſam a Joachimo & Anna factam oblationem, ex qua diſcere debent parentes, filios ſuos, etſi unicos, etſi perfectiſſimos, & ſumme dilectos, non mundo, & vanitati, ſed Deo optimo, maximo, ab ipſa infantia offerre.

Meminerint parentes, ſatanam eſſe draconem illum tartareum, quem vidit Joannes, apertis faucibus expectantem partum mulieris, ut continuo illum devoraret: antequam enim pariantur pueri, expectat dæmon partum illorum; ut quam citius poterit, eos ad peccatum alliciat & devoret: quare ſumma ſollicitudine invigilare debent parentes, ut filios ſuos adhuc tenellos, dæmoni, mundo, & vanitati ſubtrahant, ac Dei obſequio totaliter mancipent. Nec dicant parentes; unicus nobis eſt puer, iſque ita perfectus, a nobis ita dilectus, ut ejus propenſionibus, licet pravis & malignis, nullatenus contrarie audeamus. O parentes, ſi unicus vobis eſt filius, iſque perfectiſſimus, eum diligere debetis; ſi autem illum vere diligatis, Dei obſequio eum dedicabitis inſtar Joachimi & Annæ qui Mariam filiam ſuam unicam, & ſumme dilectam, Deo ab ipſa infantia generoſe, & hilariter obtulerunt. Ecce oblationem Joachimi & Annæ. *Oblationem Mariæ nunc perpendamus.*

SECUNDA PARS.

Oblatio Mariæ, quæ ſeipſam Deo offert.

TRiplex ſanctiſſimæ Virginis Mariæ fuit præſentatio. *Prima* ab æterno; cum menti Patris æterni præſens facta eſt, & ab eo in unigeniti Filii ſui Matrem electa. *Secunda*, fuit ab inſtanti conceptionis ejus; ex tunc enim ſemetipſam obtulit & exhibuit hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. *Tertia*, eſt præſentatio hodierna in templo; ubi Deo oblationem facit promptam, integram, & irrevocabilem: 1. *Promptam*, quia dat ſe cito: 2. *Integram*, quia dat ſe totaliter: 3. *Irrevocabilem*, quia dat ſe pro ſemper.

1. Non Arietem, non Vitulum, non Margaritas, non Aromata, vel auri talenta, ſed ſemetipſam Deo hodie offert Virgo Maria, quæ licet tribus solummodo annis ſit nata, perfectam Deo ſui oblationem facit. Sciebat Virgo, quod *qui cito dat, bis dat*, *Senec. l. 1. de Benef. c. 5.* ſciebat etiam, quod non bene vult, qui tarde vult, & quod *tarde velle, nolentis eſt:* quare ab ipſa infantia ſeipſam Deo ſolemniter obtulit, & dedit. Centum & viginti annos compleverat Abraham, cum filium ſuum Iſaac Deo obtulit; at triennis tantum erat Maria, cum ſeipſam Deo ſolemni pompa conſecravit. Ab inſtanti quo corpori Beatiſſimæ Virginis infuſa fuit anima, mens illius cæleſti lumine fuit illuſtrata; & ex tunc ad cor ejus loqui cœpit Spiritus Sanctus, ex tunc eam ad ſolemnem ſui ipſius oblationem in Templo Jeroſolymitano faciendam invitavit dicens in corde illius: *Veni columba mea*, veni ad Templum Domini: ut ibi in perpetuum obſequium te Deo offeras, quamprimum autem & abſque ulla dilatione ad Templum properavit Virgo, ibique Deo publicam ſui ipſius oblationem fecit.

Vidit Joannes Beatiſſimam Virginem, Lunam ſub pedibus habentem, *Luna ſub pedibus ejus. Apoc. 12. 1.* Lunam ſub pedibus habuit Maria, non ſolum quia omnia ſublunaria contempſit, & quaſi pedibus calcavit, verum & quia citiſſime ſe Deo obtulit. Nullus planeta, ut adnotant Aſtrologi, ita prompte, & celeriter ſuum curſum peragit, ut Luna: ad idem unde moveri cœpit punctum, redit Saturnus poſt annos triginta. Jupiter poſt duodecim, Mars poſt duos, Sol poſt trecentos ſexaginta quinque dies & aliquas horas, Mercurius & Venus idem fere tempus inſumunt; at Luna viginti ſeptem diebus & aliquot horis curſum ſuum perficit. In hoc autem mundo omnes Sancti ad Deum cucurrerunt, alii citius, & alii tardius, ſed Beatiſſima Virgo, tanquam Luna myſtica, alios omnes celeritate ſua vicit: ab inſtanti enim conceptionis ad Deum toto corde properavit, Deoque ſe obtulit, & cum tertium a nativitate ſua annum complevit, externam & publicam ſui oblationem in Templo fecit.

Hæc fuit differentia inter corvum & columbam, quos ab arca dimiſit Noemus, quod ad arcam non redierit corvus, & ad eam reverſa ſit columba. Ad Arcam non rediit corvus, quia fœtidis cadaveribus vorandis incubuit: columba vero, quæ ſupra cadavera aquis ſupernatantia requieſcere noluit, reverſa eſt ad eum, qui eam miſerat. *Reverſa eſt ad eum in Arcam. Gen. 8. 9.* Omnes penitus homines tunc in hunc mundum a Deo mittuntur, cum in mundo naſcuntur; ex his autem in hunc mundum a Deo miſſis hominibus multi ſallacibus divitiis, vel turpibus deliciis inhærentes, ad Deum, a quo miſſi ſunt, non revertuntur; ſed Maria, veluti columba, ad Deum a quo miſſa eſt, quam citiſſime redit per promptam ſui oblationem: a primis enim vitæ ſuæ annis, cum vix incedere poſſet, ad Templum læta properavit, ibi ſolemnem ſui oblationem fecit, palamque ſe Deo obtulit, dicens: *Ego dilecto meo.*

Hominum multi a juventute illicitis ſe totos dedunt voluptatibus, dicuntque in corde ſuo; *Ego voluptati*, aliis divitiis comparandis inhiant, dicuntque: *Ego divitiis*; alii ad honores, & dignitates temporales aſſequendas anhelant, dicuntque: *Ego honoribus*. Sed Maria a primis vitæ ſuæ annis ad Templum ſe contulit, ibique coram Sacerdotibus, amicis, & parentibus ſe Deo generoſe obtulit, dicens: *Ego dilecto meo*; ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis, *Ego dilecto meo me offero*. Non deſunt qui Deo in futurum ſe oblaturos pollicentur, dicentes: Cum inſenuero, cum inſtabit mors, vel cum ab obruentibus negotiis liber & expeditus ero, tunc Deo dilecto meo me offeram. Mariæ vero ſuam non differt oblationem; ſed ad Templum triennis accelerat, ibique ſeſe prompte Deo offert, dicens: *Ego dilecto meo me offero*. Sed ſi Beatiſſimæ Virginis oblatio fuit prompta, quia dedit ſe cito: *oblatio ejus fuit etiam integra, quia dedit ſe totaliter.*

2. Philomela ſuaviſſimum ex arbore frondoſa viato-

Digitized by Google

toribus offerre ſolet cantum; ſed ſi ad eam capiendam, manum extendant, mox aufugit; & quæ cantum libere obtulit, ſeipſam offerre renuit. Similem in modum multi pecuniam, pecora, aliaque his ſimilia, ſed non ſeipſos Deo tradunt. Virgo autem ſe totam Deo obtulit, excepit nihil: nullo enim terreno affectu tranſitoriis mundi bonis unquam adhæſit, nec aliquid ſui ipſius ſibi reſervavit, ſed totam & totaliter ſe in holocauſtum hodie Creatori ſuo conſecravit. Unde in Templo eam audire videor, dicentem; *Dominus poſſedit me. Prov. 8. 22.* Verum eſt, quod Deus ab inſtanti conceptionis ejus illam poſſederit ut Dominus, & miſericors: *Ut Dominus*: quia ab hoc inſtanti, Maria fuit ejus creatura; ac proinde ejus dominio ſubdita: *Ut miſericors*; quia ab hoc inſtanti, per ſuam piiſſimam miſericordiam, eam ab originali labe præſervavit, ſed novo titulo eam Deus hodie poſſidet, nempe titulo donationis; quia ipſa ſe totam Deo obtulit & dedit.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ oblationem, ita integram & perfectam fuiſſe, ait S. Cyprianus, ut totam ſe Deo obtulerit, nilque ſui ſibi reſervavit: *Nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi devovit. S. Cyprian. de ablut. ped.* Magnam quidem hanc peccatricis Mariæ oblationem fuiſſe omnes norunt; ſed major haud dubie extitit oblatio innocentis, & Dei Genitricis Mariæ, quæ hodie mentem, cor, manus, oculos, ora, ſeque totam Deo offert. *Mentem* quidem, quam myſteriorum divinorum contemplationi totaliter addicit: *Cor*, in quo perpetuum amoris ſacri ignem accendit: *Manus*, quas ſacris templi miniſteriis conſecrat; *Oculos*, quos omnibus terrenis claudit: *Os*, quod ad ſpiritualia & divina proferenda ſolummodo aperit: ſe tandem totam Deo offert & conſecrat; *Totam ſe tibi devovit.* Unde ſpecialiori quodam jure hodie dicere potuit Virgo: *Dilectus meus mihi, & ego illi; Cantic. 2.* ſeu, dilectus meus eſt totus mihi ex decreto Incarnationis, quo ſtatuit intra me, quoad corpus, animam & divinitatem, aliquot menſibus commorari; & ego viciſſim tota ſum illi, per integram & totalem mei oblationem.

O quam pauci ſe totos Deo offerunt! ſua quidem multi, ſuos aliqui; ſed ſe ipſos pauciſſimi Deo totaliter conſecrant. Heu! quis vere aſſerere poſſet, ſe ſuas omnes cogitationes, ſuos omnes affectus, ſeque totum Deo obtuliſſe? Quis vere dicere poſſet; ego totus ſum Chriſto? Aliqui toti ſunt bonis quæ poſſident; alii honoribus quos ambiunt; & alii alicui creaturæ, quam plus quam par eſt diligunt; ſed pauciſſimi toti ſunt Chriſto. O Domine, converte nos ad te, & fac, ut qui toti ſumus a te, totos nos tibi offeramus, inſtar Mariæ; cujus oblatio fuit integra, quia ſe tibi dedit totaliter; *Sed oblatio ejus fuit etiam irrevocabilis: quia dedit ſe pro ſemper.*

3. Magnum quidem in ſe, & ex ſe extitit donum, quod hodie obtulit Maria, cum ſeipſam Deo totaliter conſecravit: ſed majus fuit ex affectu Virginis: *tum* quia ſeipſam obtulit ex puriſſimi amoris affectu: *tum* quia obtulit ſe generoſo cum affectu, non ad tempus ſolum, ſed in perpetuum ſe Deo conſecrandi. Unde hæc verba: *Dilectus meus mihi, & ego illi, Cant. 2.* ſic explicat Hugo Cardinalis: *& ego illi tota vivam, & tota moriar.* Seu, ego me Deo offero, ita ut & nunc, & ſemper, ſive in vita, ſive in morte, tota illi eſſe velim.

Se Deo multi offerunt, ſed ad tempus; hodie totos ſe Deo conſecrant, & intra paucos dies vili cuidam creaturæ turpiter ſe mancipant. Cum ad pœnitentiæ tribunal ſe ſiſtunt, nil iis humilius, nil Deo ſacratius; ſed cum ab hoc tribunali ad loca ſe conferunt in quibus peccare conſueverunt, mox inſurgunt adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Cum tempus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſuſcipiendi inſtat, totos ſe Deo pluties offerunt; & cum a ſacra hac menſa receſſerunt, Deo ſe ſubtrahunt, ut omnes affectus ſuos, ac ſeipſos mundo, & vanitati dedant. Hi quidem ſtulti ſunt, qui cum lunam in capite habeant, ſicuti luna mutantur: *Stultus ut luna mutatur.* Maria autem lunam ſub pedibus habuit: *Luna ſub pedibus ejus*: quia lunæ dominata eſt, nec ejus mutabilitatis & inconſtantiæ fuit particeps; quin contra, conſtanti propoſito totam, ſive in vita, ſive in morte, ſe Deo in perpetuum obtulit.

Talis eſſe videtur differentia inter Mariæ & aliorum quamplurium oblationem, qualis inter glaciem & cryſtallum reperitur; ſicut enim glacies, calore illam invadente, in labilem aquam facile reſolvitur; cryſtallus vero, licet plurimum incaleſcat, ſoliditatem ſuam retinet, nec in labilem aquam per ſui reſolutionem exit; ita & oblationes quas Deo plerique hominum faciunt, frigidæ, fluxæ, labiles, & tranſitoriæ ſunt; ac veluti glacies facile reſolvuntur: oblatio vero Mariæ pura, firma, & ſtabilis fuit ſicut cryſtallus: non enim ad tempus, ſed in perpetuum Deo ſe obtulit.

Miramini hanc Mariæ oblationem, ſed & Deo, inſtar immaculatæ hujus Virginis, voſmetipſos offerte; vos & omnia veſtra offerte Deo, a quo vos & omnia habetis: *Da omnia ei, qui omnia donavit. S. Greg. Nazianz. orat. 16.* Ad hanc Deo oblationem faciendam innumeræ vos movere debent rationes; ſed præcipue merces magna, quæ dabitur in cælo his qui ſe Deo obtulerunt in hoc mundo; ſemper enim Deus dona largitur multo majora, & pretioſiora iis, quæ ipſi offeruntur. Sicut *Rex Salomon dedit Reginæ Sabæ cuncta, quæ voluit, & quæ poſtulavit, & multo plura quam attulerat ad eum. 2. Paral. 9. 12.* ita & Chriſtus, verus Salomon, magna donat in cælo iis qui parva ei offerunt in hoc mundo: quare vos, & veſtra, quæ parva ſunt, offerte Deo cum Maria, & inſtar illius, non ſolum prompte, & totaliter, ſed etiam conſtanter, & irrevocabiliter Deo vos dedicate. In corde ſuo dicat quiſque Deo: o Domine, *tuus ſum ego*, meque totum tuum eſſe cupio; o Domine, cum totus a te ſim, me totum tibi reddo, meque totum tibi offero oblatione perpetua, nec a firmo hoc propoſito quidquam me movebit. Veniant adverſum me terrificæ dæmoniorum legiones, inſurgat adverſum me infeſta caro, accedat mundus, ſi vellt; nec dæmonum ſævitia, nec mundi malitia, nec carnis illecebræ a meo me propoſito movebunt: *Non movebor* *in*

in æternum. Pſ. 14. Si hujuſmodi veſtra ſit oblatio, acceptabilis Deo erit, ejuſque merces copioſa erit in cælis. *Amen.*

DE SANCTA CATHARINA.

CONCIO UNICA.

Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Pſalm. 44.

FIdelium cordibus internam aliquam dulcedinem & delectationem infundere videtur hodierna feſtivitas; plerique enim interno quodam afficiuntur gaudio, memoriam celebrantes illuſtris illius filiæ, quæ de ſeipſa, de mundo, de idololatria, de Philoſophis, & de tyrannis glorioſe triumphavit, ut Chriſto virginum ſponſo totaliter adhæreret. De incomparabili virgine Catharina loquor; cujus natale ſolum fuit urbs Alexandrina, in qua a parentibus nobilitate ſua fulgentibus orta, & juxta exitioſas mundi leges educata, altiſſima & inſcrutabili Dei providentia, quaſi e medio Babylonis educta eſt, & ad Chriſti fidem vocata: cujus fidei principia ita perfecte calluit, & cui ita firmiter adhæſit, ut de ea coram Imperatoribus adverſus Philoſophos Gentiles doctiſſime diſputaverit: ac pro ea generoſiſſime, etiam cum propriæ vitæ diſcrimine, decertaverit.

Si omnia quæ in præclara hac virgine laudabilia ſunt, luſtrare, & hic adducere vellem, orationis meæ nullus unquam eſſet finis, quare ut brevitati conſulam, eam laudare, ejuſque encomium contexere intendo ex his ſolummodo quæ ipſi ſunt propria: ſeu, ex his quæ a ſe habet, & non ab aliis, quæve illam intus, & coram Deo laudabilem & commendabilem efficiunt: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*; &c. *Ave.*

EXterna bona quæ poſſedit ſancta virgo Catharina, laudum ejus amplam & uberem materiam nobis ſubminiſtrare poſſent, cum fuerit nobiliſſima, ditiſſima, & pulcherrima. *Nobiliſſima* quidem fuit, quia in Patrem habuit Regni Cypri Monarcham. *Ditiſſima* fuit, quia moriens Pater ejus illam Regni & bonorum ſuorum hæredem inſtituit: *Pulcherrima* tandem fuit, & ideo ab Imperatoris filio in ſponſam fuit deſiderata & expetita. *Vinc. Ferr. ſerm. de S. Cathar.*

Hæc & alia exteriora bona, quibus præfulſit S. Catharina, amplam laudum ſegetem Oratori profano præberent; ſed quid majus, & laude dignius in ſacra hac Virgine videt Orator Chriſtianus, bona ſcilicet interna, ſeu bona illa quæ a ſe, & a ſuis meritis habet; a quibus bonis illa potiſſimum laude digna efficitur: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Illa autem bona ſunt ſubtilis & ſolida ejus ſcientia, eximia & nivea ejus puritas, generoſa & invincibilis ejus conſtantia: Catharina enim fuit filia, virgo, & martyr. Fuit: 1. *Filia* doctiſſima: 2. *Virgo* puriſſima: 3. *Martyr* conſtantiſſima. En tres internos gloriæ titulos, quibus S. Catharina illuſtratur: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Ecce identidem tres hujus concionis partes.

PRIMA PARS.

Sancta Catharina fuit filia doctiſſima.

SIcut de Archimedis ſphæra acute dixit Caſſiodorus, quod *eſſet parva machina, ſed gravida totius mundi*, ita & de Catharina dici debet, quod eſſet parva, & juvenis filia; ſed ſubtilioribus & eminentioribus gravida ſcientiis, *tum* ſtudio multo comparatis, *tum* ipſi a Deo miraculoſe infuſis. Hoc noverunt qui eam de altiſſimis fidei myſteriis diſſerentem audierunt, qui omnes eam doctiſſimam eſſe confeſſi ſunt: tantaque extitit ejus ſcientia, ut ab ea: 1. Imperator fuerit attonitus: 2. Philoſophi fuerint convicti: 3. Infideles ad Catholicam fidem fuerint converſi.

1. Non latebat Maximinum Imperatorem, Catharinam eſſe doctiſſimam. Quin contra de mirabili ejus ſcientia certior factus, non unicum, aut alterum, ſed quinquaginta peritiſſimos & famoſiſſimos advocavit Philoſophos, ut cum ea de Religione diſputarent.

Superbia autem inflati, Catharinam contemnebant illi Philoſophi, dicentes, quod tot ſapientes pro re tam parvi momenti non erant cogendi, quodque hoc eſſet negotium, non tot Doctorum, ſed unius ex eorum diſcipulis. At Catharina, divinitus edocta, & Spiritu Sancto afflata, ita de Idolorum vanitate, & de Religionis Catholicæ veritate, coram Imperatore & tota civitate locuta eſt, ut audiens eam Imperator, obſtupuerit, & mirum in modum attonitus fuerit.

Præclare dixit S. Leo, quod *ubi Deus magiſter eſt, cito diſcitur quod docetur. S. Leo hom. de Pent.* Catharina enim, quæ ſtudiis magnam ſibi ſcientiam comparaverat, in hoc caſu Deum Magiſtrum habuit, tantaque a Deo ipſi ſubito infuſa eſt ſcientia, ut mox ſapientioribus ſapientior facta ſit: a Deo enim edocta, ſtultitiam eorum qui idolis multis, & inſenſibilibus incenſa adolent, clariſſime demonſtravit; idololatriam eſſe quid vanum, ſuperſtitioſum, impium, & cultui veri Dei contrarium evidentiſſimis & fortiſſimis rationibus probavit; ac Religionis Chriſtianæ veritatem, majeſtatem & ſanctitatem ita propalavit, ut miraretur, obſtupeſceret, vel potius turbaretur Imperator, videns, quod tam eminens, & profunda ſapientia ex adoleſcentulæ illius ore procederet. Sed ſi tanta extiterit Catharinæ ſcientia, ut attonitus fuerit Imperator; *tanta etiam ejus extitit ſcientia, ut ea victi, & totaliter convicti fuerint Philoſophi.*

2. Imperator, omnis inops conſilii, & jam de felici hujus negotii eventu dubitans, Philoſophos ad certandum concitavit. Qui omnes ad conflictum ſe accingunt; & nunc ſurgit unus, ut adverſus Catharinam argumentetur; nunc in medium prodit alius, qui ſe ſapientiorem arbitratur; jam iſte, jam ille ſua depromit argumenta, ſed Catharina tanta facilitate, & dexteritate nodos eorum ſolvit; tantaque majeſtate, & rationum fortitudine loquitur, ut tandem famoſi quinquaginta illi Philoſophi coram toto cœtu arma poſuerint, ſeque victos eſſe unanimiter confeſſi ſint. Unde in Virgine Catharina

Digitized by Google

na impleta eſt illa Chriſti Salvatoris promiſſio: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri. Luc. 21. 15.* Tantam enim ſapientiam Deus intellectui S. Catharinæ infudit, ut quinquaginta fortiſſimi ejus adverſarii ei nullatenus reſiſtere potuerint, ſed ſe convictos eſſe palam confeſſi ſint.

De Virga Aaronis in ſacris codicibus fertur, quod virgas Sapientum, & Magorum Ægypti adverſus Moyſen coram Pharaone diſceptantium devoraverit. Sic ſcientia Chriſti per os Catharinæ effuſa falſam, & inanem Philoſophorum Gentilium doctrinam coram Imperatore ita devoravit, ut tota eorum ſcientia evanuerit; & quaſi in inſtanti totaliter perdita fuerit. Unde in hoc caſu adimpletum eſt illud Dei oraculum: *Perdam ſapientiam ſapientium: 1. Cor. 1. 19.* ita enim tunc perdita, & quaſi annihilata fuit horum Philoſophorum ſapientia, ut totaliter convicti, quaſi obmutuerint: *Tacebant ut muti. Vinc. Ferr.* Urgebat eos Imperator, & ita concitatus, ad eos clamabat: ubi nunc ſcientia veſtra? non a multo tempore vos audivi dicentes, vel minimum ex veſtris diſcipulis de hac adoleſcentula poſſe triumphare; triumphate nunc voſmetipſi de illa; Loquimini jam vos Magiſtri & Doctores; vincite Catharinam, ſi valeatis, eamque ad deſciſcendum a ſua Religione, & ad noſtram amplectendam ſolidis rationibus cogite. Hoc ſane feciſſent, ſi potuiſſent; ſed per Catharinam ita erant victi & convicti, ut non haberent quod loquerentur, ac quaſi muti hærerent: & ideo Catharinam victricem agnoſcentes, ad ejus pedes provoluti, & ad Catholicam Religionem converſi ſunt. O inſignem Catharinæ de tot doctiſſimis Philoſophis victoriam! O miram ejus ſcientiam, qua tot ſapientes victi ſunt! *Sed tanta etiam ejus extitit ſcientia, ut ea multi infideles ad fidem converſi ſint.*

3. Philoſophorum, Theologorum, & Rethorum ſcientiam habuit Catharina. Habuit quidem ſcientiam Philoſophorum: quia fortiſſimis, & ſolidiſſimis rationibus naturalibus probavit unicum eſſe Deum, qui fecit cælum & terram; & clare demonſtravit, idola, quæ venerabantur infideles, non eſſe veros Deos, ſed inania ſimulacra. Habuit etiam ſcientiam Theologorum: quia quidquid magis abſtruſum de ſanctiſſima Trinitate, de Verbi Incarnatione, & de aliis myſteriis divinis elucidant Theologi, ipſa profundiſſime penetravit, & coram auguſtiſsimo cœtu clare explicavit. Habuit tandem ſcientiam, vel prorſus artem Rethorum: quia cum finis Rethoricæ ſit, perſuadere dicendo, ipſa, quod dicebat, auditoribus ſuis perfectiſsime ſuaſit. Perſuaſit enim quinquaginta Philoſophis, ut relicta vana, & futili ſua ſecta, chriſtianæ Religioni nomen darent: quod & ipſi fecerunt; & ideo ad mortem damnati ſunt. Idem ſuaſit Sancta Catharina Imperatrici, Maximini Imperatoris uxori: idem & perſuaſit Porphyrio, belli Duci: idem ſuaſit ducentis militibus, & aliis innumeris Gentilibus, qui audientes divina verba, quæ ex virginis hujus ore fluebant, ad Deum converſi, & martyrio coronati ſunt. O mirandam, & efficacem Catharinæ rethoricam! O cæleſtem ejus ſcientiam, qua infideles ad veram Chriſti fidem convertit!

Cæleſtis quidem, & divina fuit ejus ſcientia. Si enim, ut ait S. Dionyſius; *Diviniſſimum eſt, operari ſalutem animarum*, diviniſſima fuit Catharinæ doctrina: quia animarum multarum converſionem & ſalutem operata eſt: divina enim ejus ſcientia non ſolum Philoſophi, Imperatrix, & ducenti milites; ſed etiam alii quamplurimi infideles ad Catholicam fidem vocati, & ad Deum converſi ſunt. Quare ſi de Samaritanæ converſione dicat S. Cyrillus, quod arte ſua Chriſtus eam dæmoni furatus ſit: *Meretricem deprædatus eſt*. Dicendum ſimiliter de Catharina, quod ita eminens, & divina extiterit ejus doctrina, ut per eam dæmoni deprædata ſit quinquaginta ex ſapientioribus totius orbis viris, Imperatricem, belli Ducem, multos milites, & innumeros alios infideles, quos omnes ad Chriſtianam fidem convertit. Ecce filiam vere doctiſsimam; *ſed Catharina fuit etiam Virgo puriſſima.*

SECUNDA PARS.

Sancta Catharina fuit Virgo puriſſima.

Ipſa virginitas puritatem dicit; nec poteſt eſſe virgo, quin pura ſit: minima enim impuritas, & corruptio voluntaria virginitatem tollit, facitque ut virgo eſſe deſinat, quæ virgo erat. Sed, licet omnes virgines magna debeant puritate fulgere; aliæ tamen aliis ſunt puriores, & ab omni corporis & animi immunditia remotiores, inter quas non ultimum locum tenet virgo Catharina, quam puriſsimam fuiſſe auſpicor: 1. *Annulo*, quo ſubharravit eam Chriſtus: 2. *Lacte*, quod ex amputato ejus capite fluxit: 3. *Angelis*, qui eam ſepelierunt.

1. Deus tanti facit virginitatem, ut optimos in quovis hominum genere hac virtute florere voluerit. Ut enim ait Sanctus Hieronymus, *inter homines optimus Chriſtus, hic virgo fuit; inter mulieres optima Maria, hæc virgo fuit; inter Apoſtolos Paulus per excellentiam Apoſtolus dicitur, & virgo hic fuit; inter Martyres Stephanus & Laurentius virgines extitere; inter Prophetas Joannes Baptiſta virgo fuit; inter Evangeliſtas Joannes virgo fuit; inter Confeſſo es Martinus, Antonius, Baſilius virgines fuerunt.*

Sicut autem Deus optimus in quovis hominum genere virginitatem florere voluit; ita & inter ipſas virgines Chriſtus aliquas adnotavit eminentiori fulgentiores puritate, cum quibus ſpeciale quoddam fœdus iniit. Sic cum Maria Virginum puriſsima & Regina tantum iniit fœdus, ut illam in Matrem ſumpſerit, ejuſque Filius eſſe voluerit. Sic cum nonnullis aliis puriſsimis virginibus tanto fœdere jungi voluit, ut quaſi puritate earum captus, illas ſigno externo deſponſaverit; & in ſignum externum ſuæ deſponſationis, eis annulum ſponſalitium dederit. Quod ſpecialiter accidiſſe fertur Catharinæ virgini Alexandrinæ, quam Chriſtus deſponſavit, dans ei annulum, quem ipſa ut ſacri pignus amoris, omnibus vitæ ſuæ diebus religioſe ſervavit. Hoc ſane fuit ſignum amoris Chriſti erga virginem Catharinam; ſed hoc fuit etiam ſignum maximæ puritatis, qua Catharina fulgebat: non

enim

enim externum hoc fœderis ſignum ei Chriſtus dediſſet, niſi ipſa virgo puriſſima fuiſſet.

Verum eſt, quod omnes ſanctæ Virgines ſponſæ ſint Chriſti Salvatoris, qui immaculatus ille eſt Virginum ſponſus, qui *paſcitur inter lilia* virginitatis. Certum eſt etiam, quod ſicut terrenus ſponſus huic, quam in ſponſam ſumit, dicit: *Accipio te in meam*; ita Chriſtus cuilibet ex ſacris Virginibus intus dicat: *Accipio te in meam*. Unde quælibet virgo ſacra dicere poteſt: *Sponſus meus mihi, & ego illi*: quia ſponſæ illæ ſpirituali fœdere ita Chriſto junguntur, ut Chriſtus illis, & illæ Chriſto ſint. At licet omnes virgines Chriſtus in ſponſas ſumat, licet cum omnibus fœdus ineat; ſpecialiori tamen modo Catharinam deſponſare, & cum ea ſolemniori fœdere jungi voluit: fulgentiſſima enim puritate eam renitentem videns, eam majori quadam cum ſolemnitate ſpiritualiter deſponſavit, & in deſponſationis ſignum, ei annulum tradidit, quem ipſa in ſignum initi fœderis, toto vitæ ſuo tempore ſtudioſe ſervavit. Catharina ergo fuit virgo puriſſima: cum eam Chriſto annulo ſubharraverit: *ſed fuit etiam virgo puriſſima; cum ex amputato ejus capite puriſſimum lac manaverit. Vinc. Ferrer. ſer. de S. Cathar.*

2. Sicut Chriſtus tanta puritate enituit, ut nulla in eo vel minima macula extiterit; ita tanta Catharinæ fuit puritas, ut nullam in virginitate ſua maculam paſſa ſit. Unde, teſte Sancto Vincentio Ferrerio, Sanctæ virgini Catharinæ dicere potuiſſet Chriſtus: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Ut autem Chriſtus maximam hanc Catharinæ puritatem manifeſtaret, voluit, ut ex amputato ejus capite candidum, & innocens lac loco ſanguinis efflueret: *Cum decollata fuit Catharina, fluxit lac pro ſanguine, in ſignum virginitatis.* Unde de Catharina dici poteſt, quod fuerint *mel & lac ſub lingua ejus*: ſub lingua enim ejus fuit mel ſacræ doctrinæ, & divinæ cujuſdam eloquentiæ, qua innumeris hominibus ſuaſit, ut idolis abrenuntiantes, unum Deum cæli & terræ conditorem colerent. Sub lingua ejus fuit etiam lac, quod gladius detexit, cum caput ejus reſecuit: ex capite enim ejus lac manare voluit Chriſtus, ut notum fieret, tantam ejus fuiſſe puritatem, ut nullam unquam in virginitate ſua maculam paſſa fuerit.

Præclare adnotavit S. Gregorius Nyſſenus, hanc inter lac & alios liquores eſſe differentiam; quod alii objecta ſibi oppoſita repræſentent, non autem lac: *Vere in lacte obſervatum eſt, ſolum inter liquida hanc proprietatem habere, quod in eo nullius rei ſimulachrum aut ſimilitudo conſpiciatur. S. Greg. Orat. 13.* Aqua v.g. alicujus fluminis, vel alicujus ſtagni, repræſentat arbores, rupes & alia, quæ in ejus littore ſtant: repræſentat & homines, equos ſuos, nec non alia quævis animalia, quæ in ejus littore incedunt, vel aliud faciunt. Sed lac non repræſentat objecta, quæ ipſi opponuntur: in eo non videntur ſpecies equi, ſuis, vel alterius cujuſque objecti impuri. Quare voluit Chriſtus ex amputato Catharinæ capite fluere lactis abundantiam, ut manifeſtaret, tantam fuiſſe hujus virginis puritatem, quod in ea nulla immunditiæ & impuritatis ſpecies unquam viſa ſit. O quam pura fuit virgo Catharina! cujus puritatem auſpicamur ex lacte, quod ex capite ejus manavit: *ac etiam ex Angelis, qui corpus ejus ſepelierunt.*

3. Puritatem tanti faciebat hæc Virgo ſacra, ut Deum enixe rogaverit, quod poſt mortem corpus ſuum, ne quidem videretur ab impuris illis hominibus, qui in eam amore impuro exarſerant. Exaudita eſt Virginis oratio: nam mox ut ſpiritum Deo reddidit, corpus ejus in montem Sinai ab Angelis fuit delatum, ibique ab illis honorifice ſepultum: *Angeli viſibiliter corpus ejus per aera detulerunt in montem Sinai, & ibi fabricato ſepulchro Angelicis manibus honorifice ſepelierunt.* Angelicum erat Sanctæ Catharinæ corpus, ratione puritatis Angelicæ, qua pollebat: quare non ab immundis hominibus, ſed ab Angelis, Deo ſic diſponente, in ſummitate montis Sinai ſepultum eſt. Cum mortuus fuit dives ille Epulo, qui voluptatibus & peccatis multis deditus erat, a malis angelis, ſeu a dæmonibus & immundis ſpiritibus ſepultus eſt in inferno: Sed Sancta Catharina, quæ corporis voluptates neſciebat, & quæ erat virgo puriſſima, a bonis Angelis in ſummitate montis Sinai, ſic volente Deo, ſepulta eſt.

Sicut Angeli Sancto Clementi, viro puritatis amantiſſimo, ædiculam marmoream in templi forma, & arcam lapideam fabricarunt; ſicut etiam Angeli ſanctiſſimæ & puriſſimæ virgini Agathæ ſepulturam dederunt, & ejus ſepulchrum epitaphio ei appenſo condecorarunt: ita Angeli Sanctæ Catharinæ pulchritudinem admirantes, eamque inter virgines puriſſimam eſſe videntes, ſepulchrum ei parare voluerunt, corpus ejus ad illud detulerunt, Angelicis hymnodiis ejus exequias celebrarunt, eamque ſolemni pompa ſepelierunt. Miramini Sanctæ Catharinæ puritatem, quam eſſe maximam auſpicamur, non ſolum ab annulo quo eam Chriſtus ſubharravit, & a lacte quod ab amputato ejus capite fluxit; ſed etiam ab Angelis, qui corpus ejus ſepulturæ mandarunt. At ſi Sancta Catharina fuit virgo puriſſima; *fuit etiam Martyr conſtantiſſima.*

TERTIA PARS.

Sancta Catharina fuit Martyr conſtantiſſima.

NUllus eſt Martyr, cujus conſtantia noſtris digna non ſit laudibus; omnes enim fortes fuere in bello; nec martyrii palmam obtinuiſſent, ſi conſtantes non fuiſſent: Sed ſpecialiter demiror Sanctæ Catharinæ conſtantiam; conſtantiſſima enim extitit: ejuſque conſtantia enituit contra Imperatorem, contra tormenta, & contra mortem: 1. *Contra Imperatorem*, cui fortiter reſtitit: 2. *Contra tormenta*, quibus nunquam ceſſit: 3. *Contra mortem*, quam nullo modo expavit.

1. Si vir conſtans *nulli cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis: S. Bernard. Epiſt. 230. ad Piſan.* conſtantiſſima ſane fuit Catharina, reſpectu Imperatoris: quia illi nunquam ceſſit, nec minis ejus concuti potuit, nec donis corrumpi, nec dolis circumveniri: Primo,

mo, Catharinam minis aggreſſus eſt Imperator; ſpirans enim minarum, dixit ei: quod ſi Religionem Chriſtianam non abnegaret, & idola non adoraret, omnibus quæ excogitare poſſet ſuppliciis eam torqueri curaret: ſed his minis non concuſſa eſt Virgo: quin contra has minas parvipendens, Imperatori dixit: *Quæcumque tormenta potes excogitare, ne differas; quia carnem, & ſanguinem meum Chriſto offerre deſidero.* A minis ad promiſſa deinde declinavit Imperator: & qui antea minas intendebat, jam promittit Virgini, quod ſi propoſitum mutare, voluntatique ſuæ acquieſcere velit, eam ad gloriæ & honoris culmen ſublimabit; ſed his promiſſis flecti & corrumpi non potuit: quin contra, omnia promiſſa, & oblata reſpuens, Imperatori reſpondit: *Deſine talia offerre; quia ea accipere ſcelus eſſet.* A minis & promiſſis ad dolos tranſiit Imperator, omnibuſque, quos excogitare potuit, dolis & artibus eam decipere, & ſupplantare conatus eſt; ſed his omnibus dolis & fraudibus circumveniri non potuit Virgo; quin contra Imperatori dixit: *Depone Imperator fictionem tuam, nec imiteris delum vulpis. Surius.* Conſtantiſſima fuit Catharina adverſus Imperatorem, cum ei nunquam ceſſerit: ac minis, promiſſis, & dolis ejus conſtanter reſtiterit.

Aſpidis, Baſiliſci, Leonis & Draconis naturam induiſſe, & ſpeciem ſumpſiſſe videtur Maximinus Imperator, reſpectu Sanctæ Catharinæ. *Aſpis* fuit, ſeu ſerpens veneno plenus, qui aures & cor ſuum obturavit, ne ſanctiſſimæ hujus Virginis ſapientiam audiret, & ne cæleſti ejus eloquentia ad veri Dei cultum adduceretur. *Baſiliſcus* fuit, quia inſtar ſerpentis, qui Baſiliſcus dicitur, caput corona redimitum gerebat, & venenum exitioſiſſimum undequaque ſpirabat. *Leo* fuit, Leoniſque formam & ſpeciem ſumpſit; furore enim rugiit, tormentis tormenta adjiciens, & crudeli adinventione novas ſemper tormentorum ſpecies adverſus Catharinam excogitans. *Draco* fuit, qui *miſit ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tamquam flumen: Apoc.* 12. evomuit enim contra virginem Catharinam flumen aquæ, ſeu malitiæ, qua eam abſorbere arbitrabatur. Sed quamcumque formam induerit Maximinus, ei conſtanter reſtitit Catharina, & de eo triumphavit, ac ſuper hunc Aſpidem & Baſiliſcum ambulavit, huncque Leonem & Draconem conculcavit. Quare depingi ſolet Catharina, Imperatoris caput pedibus conculcans, ut indicetur, quod Imperatori conſtanter reſtiterit, quodque de illo triumphaverit. Sed ſi Catharina conſtantiſſima fuit contra Imperatorem, cui reſtitit; *conſtantiſſima etiam fuit contra tormenta, quibus non ceſſit.*

2. Sicut de Sancto Stephano ait Auguſtinus, quod *ſuppliciis non ceſſit, ſed pro perſecutoribus interceſſit*; ita de Sancta Catharina dicendum, quod tanta generoſitate & conſtantia pro Chriſti fide decertaverit, ut ſuppliciis nullis ceſſerit, & ad declinandum a fide Catholica adduci non potuerit. Fuit primo bovum nervis, toto corpore cæſa & dilaniata, ita ut ſanguinis rivuli profluerent; ſed huic tormento non ceſſit Virgo. Fuit deinde intra tetrum carcerem duodecim diebus clauſa, totoque hoc tempore nullus datus eſt ei cibus, ut fame periret; ſed nec huic ceſſit ſupplicio. Ingenioſa poſtea crudelitate aptatæ ſunt quatuor rotæ crebris, & acutis circumſeptæ gladiis, ac ita diſpoſitæ, ut ſacrum Virginis corpus ab iis in varias partes crudeliter fractum, & diſſectum fuiſſet, ſi Deus tunc illud miraculoſe non præſervaſſet; ſed huic, & aliis quibuſque ſuppliciis non ceſſit Virgo. O mirandam Virginis & Martyris hujus conſtantiam!

Sicut Chriſtus, qui in hoc mundo licitis gaudiis, & voluptatibus frui poterat, pati, & dira pro ſalute noſtra perferre libere elegit, ac *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem; Heb.* 12. ita Catharina, quæ terreni Regis erat filia, mundi gaudiis, & deliciis frui poterat, ſi voluiſſet: ſed pro Chriſti Salvatoris amore dira quæque pati prælegit. Jam ei ab Imperatore offeruntur honores, divitiæ, omniſque generis voluptates, & jam ab eodem diriſſima, & crudeliſſima ei inducuntur tormenta. Elige, o Virgo ſacra, ad quodcumque volueris extende manum tuam. En ex una parte honores, divitiæ, & omnia mundi oblectamenta: en ex altera parte flagella, rotæ, & alia crudelitatis inſtrumenta ad te torquendum parata, elige quod volueris. Elegit quidem Virgo invictiſſima, elegit ſapienter, ac prælegit crucem & ſupplicia: quæ tanta conſtantia pertulit, ut iis nunquam ceſſerit, nec ad declinandum a fide cogi potuerit. Sed ſi Catharina fuit Martyr conſtantiſſima contra tormenta, quibus nunquam ceſſit; *fuit etiam Martyr conſtantiſſima contra mortem, quam nullo modo timuit.*

3. Mors ſuam habet Rethoricam, qua iis, qui pro Chriſto mori parati erant, ſæpe ſua det, ut a Chriſti fide deſciſcant, & ad infidelium partes declinent. Hac Rethorica, ut advertit Chryſoſtomus, uſa eſt mors, ut Paulo Apoſtolo Chriſtum negare ſuaderet: *Mors*, inquit aureus ille Orator, *Paulo dicebat intus, quod Chriſtum negare deberet, quia eum negans, nullam injuriam, nullumque illi malum inferebat, & tamen hoc faciendo, ipſe vitam in tuto ponebat. Quod ſi contra Chriſtum non negaret, ſed illum conſtanter confiteretur, per hoc Chriſtus majorem non acquireret gloriam, & ipſe in manifeſto poneretur diſcrimine perdendi vitam.* O quam potens hujuſmodi mortis Rethorica ad concutienda conſtantiſſimorum quorumque hominum corda? hæc tamen mortis Rethorica Paulum decipere, & ad Chriſtum negandum inducere non potuit: *Mors ei non perſuaſit, quod Chriſtum negaret; S. Chryſoſt.* quin contra, conſtantiſſime ſemper dixit Paulus, ſe etiam cum vitæ diſcrimine, & per mortem glorificaturum Chriſtum: *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. Phil.* 1. 20.

Eadem haud dubie Rethorica uſa eſt mors, ut Catharinæ a Chriſto deficere, & ad Imperatoris voluntatem declinare ſuaderet: eadem quidem, aut ſimilia mors adverſus Catharinam adduxit argumenta. Et, ut ait Sanctus Vincentius Ferrerius, Maximinus argumentatus eſt adverſus illam per locum *a timore mortis*; quia cum mors ſit omnium terribilium terribiliſſimum, credebat Imperator, quod Catharinæ proponendo mortem ſubeundam, in caſu quo Chriſtum non negaret, ipſa perterrita, ſtatim Chriſtum negaret: ſed Catharina mortem non timuit: quin potius pro Chriſto mori ambivit.

Digitized by Google

bivit. Unde, ut ſubdit Sanctus Vincentius Ferretius, *Ibid.* ipſa argumento ſumpto *a timore mortis*, reſpondit per perſeverantiam, & gratias agens Deo. Non timet mortem Catharina, ſed conſtanter, illam ambit; non timet mortem: ſed gratias agit Deo, eo quod pro ejus gloria cito mori debeat: non timet mortem: ſed illam ſummo affectu deſiderat, ut ſponſo ſuo Chriſto frui valeat. O magnam hujus virginis conſtantiam! Ecce Martyrem vere conſtantem.

Miramini nunc ſcientiam hujus filiæ, puritatem hujus virginis, & conſtantiam hujus Martyris. Miramini, inquam, Catharinæ ſcientiam: & ſi quæ in vobis ſit ſcientia, non ad vanitatem, ſed ad Dei gloriam utimini. Qui enim Deum ſciunt, & Deum non honorant, inſipientes & ſtulti ſunt, magnamque ſibi damnationem acquirunt. Quare ſi quæ in vobis eſt ſcientia, eam ad Dei gloriam inſumite. ſicut Sancta Catharina, cujus tota ſcientia inſumpta eſt ad Deum glorificandum. Sed & ſanctiſſimæ hujus virginis puritatem, ſaltem in aliquo imitamini.

Alia eſt puritas conjugatorum, alia viduarum, & alia virginum. *Primam* Sanctus Auguſtinus comparat puritati ſtellarum: *Secundam* puritati Lunæ. *Tertiam* puritati Solis. Si in ſtatu conjugii ſitis, habete puritatem huic ſtatui convenientem: caſtitatem conjugalem religioſe ſervate. Si in ſtatu viduitatis vivatis; continentiam, quæ eſt puritas huic ſtatui competens, accurate ſervate. Si in ſtatu virginitatis ſitis, virginitatem æſtimate, virginitatem colite; & ſi vocet vos Deus ad eam toto vitæ veſtræ tempore ſervandam, ambite puritatem illam, quæ Solis puritatem æmulatur, & omni ſolicitudine pretioſum hunc theſaurum cuſtodite. Sed imitanda tandem Sanctæ Catharinæ conſtantia.

Si Catharina aliquandiu ſolum in fide & bonis operibus perſeveraſſet, æternam beatitudinem non ſuiſſet conſecuta; ſed quia conſtans fuit uſque ad mortem, accepit coronam vitæ. Similem in modum, parum vobis proderit a peccato per pœnitentiam ſurgere, & aliquanto tempore bonis operibus inſudare, ſi non perſeveretis uſque ad mortem, quia hi ſolum ſalvantur, qui in Dei gratia, & in bonis operibus perſeverant uſque ad ultimum vitæ terminum: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Quare ſanctiſſimæ Martyris Catharinæ conſtantiam imitamini. Eſtote ſimul cum illa conſtantes uſque ad mortem in Dei obſequio, & in virtutum exercitio; & cum illa coronam gloriæ percipietis in Cælo. *Amen.*

DE
FIDELIBUS DEFUNCTIS.
CONCIO PRIMA.

Miſeremini mei, miſeremini mei. Job 19. 21.

QUæ ſunt hæ gementium hominum voces, quibus noſtræ hodie reverberantur aures? Qui ſunt iterati illi plorantium clamores, qui e terræ viſceribus egrediuntur, ut noſtrum implorent auxilium? Qui ſunt triſtes illi accentus, qui ad uſque corda noſtra perveniunt: quique ea haud dubie in commiſerationis lacrymas reſolverent, ſi penitus inſenſibilia & obdurata non eſſent? Nolite errare, *Fratres*: certum enim, quod non aliæ ſunt hæ voces, quam parentum veſtrorum, qui in ſubterraneo juſtitiæ divinæ carcere detinentur: non alii ſunt hi clamores, quam propinquorum & amicorum veſtrorum, qui in Purgatorio ingemiſcentes clamant & ululant, ut vos ad miſericordiam flectant; non alii tandem ſunt lugubres hi accentus, quam voces Sanctorum quorumdam & piorum virorum; qui cum in hoc mundo plene & integre Deo non ſatisfecerint, gravibus addicti ſunt ſuppliciis, voſque enixe deprecantur, ut eorum miſereamini, utque precibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus eos a gravibus quas patiuntur pœnis eruere conemini. Audite patrem, audite matrem, audite amicos & benefactores, qui ad vos clamant de terræ centro, dicentes: *Miſeremini mei, miſeremini mei*.

Ut autem ad miſerandum animarum in Purgatorio degentium vos allicere valeam, octo de Purgatorio conciones inſtituam, in quibus Purgatorium proponam: 1. Ut locum tormentorum: 2. Ut præcipitium horrendum: 3. Ut tetrum carcerem: 4. Ut fornacem accenſam: 5. Ut terram infortunatam: 6. Ut miſeriarum lacum: 7. Ut puteum amaritudinis: 8. Ut Baptiſmum acerbiſſimum. En octo concionum de Purgatorio habendarum materiam & diſtributionem. Sed quia *qui in Purgatorio ſunt, gaudent audito nomine Mariæ, Dionyſ. Carth. de laud. Mar.* antequam ultra progrediamur, venerandum hoc audiatur nomen; ac Virginis Mariæ auxilium imploremus, &c. *Ave.*

TRia mortuorum genera diſtinguit D. Auguſtinus; quorum alii boni ſunt, alii valde mali, & alii medium inter utroſque tenent: *Quidam ſunt valde boni, alii valde mali, & alii in ſtatu medio. Auguſt. in Enchirid. c.* 108. Qui ita boni ſunt, ut iis nihil in hora mortis purgandum ſuperſit, ad Paradiſum recta migrant, ubi Deo fruentur, ſuiſque meritis debitam mercedem percipient; qui vero ex hoc mundo exeuntes, ita mali ſunt, ut lethalis cujuſdam ſceleris ſint rei, præcipites ad tartara ruunt, ubi æternum cruciabuntur: qui tandem nec valde boni, nec valde mali ſunt, ſeu qui nullo quidem mortali peccato ſunt inquinati, venialium tamen purgandorum, aut temporalium quarumdam pœnarum exſolvendarum, juſtitiæ divinæ ſunt debi-

debitores, ad tertium quemdam locum pergunt, ad Purgatorium ſcilicet, a quo non egredientur, niſi prius totaliter juſtitiæ Dei fecerint ſatis. *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. Matth. 5.*

Non de primo, nec de ſecundo, ſed de tertio dumtaxat mortuorum ordine; ſeu de mortuis qui in Purgatorio cruciantur, jam loquimur; hi ſoli noſtram opem implorant; hi ſupplices ad nos clamant, ut eorum miſereamur: *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Ut autem vos ad iis miſerandum & ſubveniendum alliciam: Purgatorium hodie ut *locum tormentorum* proponam, dicamque: Purgatorii tormenta eſſe; 1. Gravia: 2. Diuturna: 3. Juſta. *Sunt gravia*, plus quam concipi queat; *ſunt diuturna*, plus quam explicari poſſit; *ſunt juſta*, & juſte impoſita, plus quam dici valeat. Gravitas, diuturnitas, & juſtitia tormentorum Purgatorii, totam hujus concionis materiam ſuppeditabunt.

PRIMA PARS.

Tormenta Purgatorii gravia ſunt.

IN alio mundo, plus quam explicari queat, terribilis erit Dei juſtitia: non de Inferno loquor, in quo æternum cruciabuntur impii: ſed ſolummodo de Purgatorio, in quo Fidelium, & piorum defunctorum tormenta ſunt graviſſima; utpote quia: 1. Suppliciis Martyrum ſunt majora: 2. Suppliciis Chriſti ſunt acerbiora: 3. Suppliciis damnatorum ſunt aliquo modo ſimilia.

1. Nullum tam acerbum, tamque horribile excogitari poteſt ſupplicium, quod Martyres non perpeſſi ſunt a Tyrannis: qui infando crudelitatis ingenio omnes adinvenere cruciandi artes, omnimoda ad torquendos fideles ſævitiæ aſſumpſere inſtrumenta, omniaque eorum variis & horrendis modis membra cruciarunt. Unde ſic apud Tertullianum de Tyrannis conquæruntur Martyres: *Cervices penimur, ad beſtias impellimur, igni urimur, in metalla damnamur, in inſulas relegamus, Tertull. Apol. 12.* aliaque innumera ſupplicia patimur.

Martyrum multarum varia ſupplicia, innumeri delinearunt auctores, eorum tormenta enarrant, & exaggerant multi; quæ quidem cum ſerio recogitamus, mens hæret, trepidat cor; nec facile concipere valemus, quomodo delicata caro, artus debiles, ac corpus corruptibile, ferri, flammarum, flagellorum, equuleorum, aliorumque a Tyrannis adinventorum ſuppliciorum vim tolerare potuerint. Sed o Chriſtiane! ne terrearis in tantorum ſuppliciorum contemplatione; alia namque his longe acerbiora, ac terribiliora nobis hodie ſancta proponit Eccleſia, ea ſcilicet, quæ in Purgatorio igne animæ Fidelium patiuntur; quibus Martyrum tormenta nec conferri poſſunt: *Nulla ſupplicia latronum, vel Martyrum, cum illis Purgatorii pœnis ſunt conferenda. Ven. Beda.* Velim dicas, graviſſima extitiſſe ſupplicia *Laurentii*, cum ſupra craticulam poſitus eſt; *Agnetis*, cum in medios flammarum vortices projecta eſt; *Bartholomæi*, cum crudeliter eſt excoriatus; *Luciæ*, cum ei eruti oculi; *Apoloniæ*, cum ei evulſi dentes: & *Clementis*, cum liquato plumbo perfuſus eſt. Si tamen hæc & alia Martyrum tormenta, cum particularibus Purgatorii ſuppliciis conferas, leviſſima & quaſi nulla eſſe cenſebis: *Nulla ſupplicia latronum, vel Martyrum, cum illis Purgatorii pœnis ſunt conferenda.*

2. Addit Sanctus Bernardinus Senenſis, animarum Purgatorii tormenta, non ſolum Martyrum ſuppliciis, verum & pœnis quas Chriſtus in toto paſſionis ſuæ decurſu pertulit, eſſe graviora: *Dico pœnas Purgatorii in acerbitate excedere pœnas omnium Martyrum, & etiam Chriſti. S. Bernardin. ſerm. de Purgat.* Perpendite ſerio, quanta paſſus ſit Chriſtus, cum a Judæis captus eſt, cum flagellatus, ſpinis coronatus, & cruci affixus. Attendite, quanta a Juda, ab Herode, a Pilato, Judæis & Gentilibus ſit perpeſſus. Exaggerate, quantum placuerit, pœnas, quas pro veſtri ſalute in horto Gethſemani, in prætorio Pilati, & in monte Calvariæ ſuſtinuit. Hæc quidem in ſe, & reſpectu perſonæ quæ patitur, graviſſima & acerbiſſima ſunt; ſed ſi cum animarum Purgatorii ſuppliciis conferantur: aſſerit S. Bernardinus, *pœnas Purgatorii in acerbitate excedere pœnas omnium Martyrum, & etiam Chriſti.*

Hoc idem docent alii Doctores, inter quos recenſetur D. Thomas, qui loquens de dolore animæ patientis in Purgatorio, & comparationem inſtituens inter pœnas quas Chriſtus in cruce ſuſtinuit, & pœnas Purgatorii, aſſerit pœnas Purgatorii eſſe acriores & duriores, dicens (quod dolor animæ ſeparatæ patientis pertinet ad ſtatum futuræ damnationis quæ excedit omne malum hujus vitæ, ſicut Sanctorum gloria excedit omne bonum præſentis vitæ: unde cum dicimus Chriſti dolorem eſſe maximum, non comparamus illum dolori animæ ſeparatæ). *D. Th. 3. p. q. 46. art. 6. ad 3.*

3. Nec mirum, ſi præfati Auctores Purgatorii pœnas, Martyrum, & Chriſti ſuppliciis graviores eſſe cenſeant; cum Purgatorii pœnæ ſint alterius rationis, alteriuſque ordinis a pœnis hujus mundi, ſintque inferni ſuppliciis aliquo modo ſimiles. Quod & ipſa docere videtur Eccleſia, cum, pro Fidelium defunctorum animabus orans, Deum deprecatur, ut ab inferni pœnis eas liberet: *Libera eas de pœnis inferni*. Sic enim loquitur, non quod ab inferno eas erui poſtulet, *in inferno enim nulla eſt redemptio*; ſed ſancta petit Eccleſia, ut Fidelium animæ *ab inferno* liberentur: quia ſupplicia, quibus in Purgatorio cruciantur, inferni ſuppliciis ſunt quodammodo ſimilia.

Scio, pœnas in inferno eſſe perpetuas, & non in Purgatorio: ſed ſi non in hoc, certe in aliis multis, Purgatorii ſupplicia tartareis ſimilia eſſe facile convincitur: ſi enim inferni pœnæ ſint graviſſimæ, ratione loci, in quo damnati detinentur: nonne purgatorius carcer, ſicut & infernalis, circa terræ centrum poſitus eſt? Si in damnatis acerbiſſima ſit pœna ſenſus: nonne, ut docent Theologi, *dolor Purgatorii eſt ejuſdem ordinis cum pœna ſenſus inferni? Suarez in 3. p. diſp. 33.* Si tandem pœna damni, ſeu privatio viſionis Dei ſit omnium pœnarum inferni acerbiſſima; nonne eam pœnam participant animæ Purgatorii? Nonne hæ ad tempus Dei viſione privantur? Et nonne graviſſimum hoc illis eſt ſupplicium, quod pro leviſſimis culpis a viſione Dei, quem intenſiſſime diligunt, & quem ſummopere vide-

Digitized by Google

videre deſiderant, ad tempus retardentur? Certe quoad hæc omnia, animarum Purgatorii pœnæ, infernis pœnis ſunt ſimiles. Unde, ſicut dicimus, minimam inferni pœnam maximis quibuſque hujus mundi pœnis eſſe majorem: ita & de Purgatorii ſuppliciis aſſerit D. Anſelmus: *eorum minimum majus eſſe, quam maximum, quod in hac vita excogitari poteſt. Anſelm. in Elucid.*

O quam gravia, & acerba ſunt quæ in Purgatorio patiuntur fidelium animæ! O quam terribilis eſt Dei juſtitia in plectendo has animas, quæ in ſtato gratiæ de hoc mundo exierunt! Sed, o quam duri & inſenſibiles ſunt Fideles, reſpectu illarum animarum, quæ eorum auxilia implorare non deſinunt, clamantes: *Miſeremini mei, miſeremini mei!*

Plerique fidelium ſimiles ſunt idolis, quæ oculos habent, & non vident; quæ aures habent, & non audiunt. Cum enim pœnarum Purgatorii gravitatem depingimus, & delineamus, ab iis oculos & mentem avertunt: *Oculos habent, & non videbunt.* Cum animas in Purgatorio gementes, & clamantes proponimus, nullo modo attendunt: & ut ita dicam, aures obſtruunt, ne audiant: *Aures habent, & non audiunt.* Clamat Pater, clamat mater, clamant amici: & non eſt qui exaudiat. O magnam inhumanitatem, heu, inquit S. Auguſtinus, ſi clamet porcus, omnes ad eum accelerant; ſi in foveam cadat aſinus, omnes adſtantes eum ſublevare conantur; tanta vero eſt hominum duritia, ut de ſublevandis parentibus & amicis, qui in horrendam Purgatorii foveam ceciderunt, nullo modo curent: *Clamat porcus, & cum eo clamare non ceſſant alii: cadit aſinus, & eum omnes ſublevare feſtinant: clamat Chriſti fidelis, & non eſt qui reſpondeat.* O N. N. audite voces fidelium, e Purgatorii faucibus ad vos clamantium: eorum miſeremini: ad eos liberate conamini a ſuppliciis, quæ patiuntur; quæ gravia ſunt: *ac etiam diuturna.*

SECUNDA PARS.

Termenta Purgatoaii diuturna ſunt.

QUamdiu in hoc mundo moramur, componendis bonorum vel malorum operum faſciculis incumbimus; cumque ex hoc mundo eximus, quilibet faſciculum ſuum defere: *Unuſquiſque enus ſuum pertabit. Galat. 5. 6.* Hi quorum faſciculi ex ſolis operibus bonis conſtant, hilariter incedunt, pretioſiſque illi faſciculis, quaſi alis aureis, ad ſydera, æternum regnaturi extolluntur: hi vero, quorum faſciculi ex uſuris, impudicitiis, aliiſque lethalibus peccatis conſtituuntur, Babylonicis illis oneribus opprimuntur, ac ad tartara æternum cruciandi detruduntur. Sed hi, quorum faſciculi ex ſolis culpis venialibus, aut aliquibus pœnarum temporalium reliquiis ſolvendis componuntur, in Purgatorium præcipitantur, ubi diu cruciabuntur: *Longo tempore cruciandi ſunt. S. Auguſt. ſerm. de igne Purgator.*

Sanctus Vincentius Valentinus ſcribit, damnatum fuiſſe quemdam Purgatorio igni per integrum annum, propter unicum peccatum veniale. Heu! ſi pro unico veniali, anno integro hic acerbiſſima Purgatorii ſupplicia pertulerit; quanto quæſo, tempore his ſuppliciis cruciabuntur, qui graves multorum mendaciorum, verborum inanium, ac aliorum peccatorum venialium faſciculos coacervare non deſinunt? Nonne hi diutius in hoc juſtitiæ divinæ carcere cruciabuntur? Nonne hi pro gravitate, & numero venialium quæ perpetrarunt; & gravius, & diuturnius torquebuntur? Certe *quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranſeundi mora. Aug. homil. 19. ex 50.*

Totus contremiſco, cum probatas multas mente revolvo revelationes, quibus conſtat ex animabus quæ nunc in Purgatorio cruciantur, pluſimas in eo uſque ad extremum judicii diem eſſe permanſuras. Legatur Dionyſius Carthuſianus, qui aliquem ex fidelibus ad Purgatorium damnatis, Deo permittente, poſt mortem apparuiſſe ait, ac dixiſſe: *Scio, quia ante diem Judicii veniam non obtinebo. Dionyſ. Carth. de quatuor noviſſim. art. 47.* Legatur venerabilis Beda, qui de aliquo (quem Trithelmum vocat) narrat, quod poſt mortem, ad Purgatorium delatus, in eo innumeras fidelium animas patientes viderit, dixitque ei quidam Angelus: *Scito quod ex his animabus plurimæ uſque ad extremi Judicii diem ibi torquebuntur, ſi fidelium precibus & ſuffragiis non liberentur. Beda L. 5. Hiſtor. Anglic. c. 13.* Legatur Bellarminus in libro *De gemitu Columbæ.* Legantur & alii quamplures, qui nonnulla his ſimilia referuntur. Quæ ſi credere quis renuat, attendat ad piam conſuetudinem Eccleſiæ, quæ anniverſaria pro defunctis perpetua, ſeu uſque ad Judicii diem perſolvenda, paſſim inſtituit; per hoc indicans, eos pro quibus hæc anniverſaria conſtituuntur, in Purgatorio uſque ad extremum Judicii diem poſſe remanere; cum pro iis ad hunc uſque diem preces fieri velit.

O quam diuturnæ erunt Purgatorii pœnæ iis, qui in eo uſque ad Judicii diem torquebuntur! Sed velim, quod non uſque ad tremendum hunc diem; immo, nec uſque ad centum, vel viginti annos quis ſuppliciis illis adjudicetur: velim, quod ad purgatorias has pœnas tribus ſolummodo diebus, vel tribus horis perferendas quis damnetur, verum ſemper erit, eas diuturnas eſſe; quia dies & horæ plus in Purgatorio durant, quam in hoc mundo: illis etenim qui in horrendis & formidandis iis regionibus patiuntur, unica hora tamquam mille anni videtur. Nolo hic adducere quod refert S. Antoninus de aliquo qui cum nondum una hora in Purgatorio paſſus eſſet, plurimis annis in eo remanſiſſe credebat: *S. Antonin. 4. p. ſumm. tit. 14. c. 10.* Taceo hoc & alia exempla, quæ a multis circumferuntur; quia ipſa ratio dictat, momenta & horas animabus fidelium in Purgatorio degentium diutiſſime durare. Quod ut ſole clarius pateat: dicito, quæſo, o Chriſtiane; & ſi ab humana & ſæculari juſtitia, ad manum intra ardentes prunas, quadrantis unius ſpatio, tenendam damnareris; nonne hic quadrans, plus quam mille alii quadrantes, immo & plus quam mille dies tibi duraret? Certe non ſolum plus quam mille dies, verum & plus quam mille anni tibi duraſſe videretur. Sed, o quam diuturniora momenta, & quam longiores ſunt quadrantes animabus purgatoria ſupplicia patientibus! Cum enim illarum pœnæ ſint noſtris longe graviores; ita & iis qui il-

las

las patiuntur, diuturniores & longe prolixiores videntur: *Gravius eſt*, inquit D. Auguſtinus, *eſſe in Purgatorio ad iĉtum oculi, quam quidquid pœnæ in hac vita poſſit excogitari*; *S. Aug. de pœn. 1. diſt. 7. c. ult.* O quam diuturna ergo ſunt Purgatorii tormenta iis qui illa patiuntur! Iis quidem quodlibet momentum longiſſimum apparet; iis horæ & dies videntur anni & ſæcula; tantoque iis diuturniora eſſe videntur ſupplicia quæ perferunt, quanto graviora & acerbiora ſunt.

O Chriſtiane, quam longa & diuturna tibi erunt Purgatorii tormenta, ſi ad annos, vel etiam ad dies ſolum aliquot iis adjudiceris! Una dies tamquam mille anni tibi erit, tuncque amare flebis & ingemiſces, eo quod ex hoc mundo purgatus non diſceſſeris; quare ſic in hoc mundo animam tuam lava; ſic eam ab omni inquinamento purifica, ut nil in alio tibi purgandum ſuperſit.

Artem docet D. Auguſtinus prolixas & diuturnas has Purgatorii pœnas abbreviandi, & in compendium redigendi. Hæc ars in hoc conſiſtit, quod qui juſtitiæ divinæ debitores ſunt, ei in hoc mundo precibus, lacrymis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus ſatisfaciant: *Quæ omnia reparari per eleemoſynas, & lacrymas compendioſa tractatione poſſent. S. Auguſt. hom. 16. ex 50.*

O. N. N. hac arte utimini, dum in hoc mundo vivitis, & diuturna hæc Purgatorii ſupplicia, reſpectu veſtri, breviſſima, immo & nulla erunt. Sed & compendioſam illam artem ad abbreviandas piorum defunctorum pœnas inſumite. Audite eos clamantes: *Miſeremini mei, miſeremini mei.* Heu! quam multi a decem, viginti, & longe pluribus annis ibi clamant! O Chriſtiane, tuus forte pater, mater tua, uxor, filii, multique ex amicis tuis, a pluribus annis cruciantur, tuumque auxilium implorant; iis quælibet dies, ob graviſſima quæ patiuntur ſupplicia, annis integris longior videtur. Quare pro iis preces cito funde, eleemoſynas pauperibus prompte eroga, ſacrificia pro iis offerri cura; omniaque alia facito, quibus diuturna eorum ſupplicia abbreviari, & cito terminari queant.

Eos qui pauperibus in gravi neceſſitate conſtitutis, ſubſidia denegant, homicidas, & interemptores vocat S. Ambroſius: *Si non paviſti, occidiſti*: ſed longe potiori jure de animabus in Purgatorio gementibus hoc dici poteſt. O N. dic, amabo, quæ major eſſe poteſt neceſſitas, quam propinquorum, amicorum & benefactorum tuorum, qui in Purgatorio torquentur? Nonne duriora & acerbiora hi patiuntur, quam miſerrimi quippe pauperes? Et ſi his non ſubvenias, nonne interemptor eorum dicendus es? O puer ingrate! O filia crudelis! O mulier inhumana! O vos omnes qui fidelium defunctorum obliviſcimini! Eorum certe tortores & interemptores eſtis: mihique eos audire videor, clamantes: *Quare perſequimini nos, ſicut Deus, & carnibus noſtris ſaturamini?* Quare duritiam veſtram divinæ juſtitiæ adjungitis, ut nos torqueatis? Deus nos juſte, vos vero crudeliter & inique nos perſequimini: Deus, quia juſtus, ad ſupplicia hæc nos condemnavit; vos vero, quia iniqui & crudeles eſtis, ab iis nos eruere nequaquam ſatagitis. O magnam crudelitatem! o infandam inhumanitatem! Deſinite ergo perſequi fideles defunctos, qui tormenta patiuntur gravia & diuturna, *ac etiam juſta.*

TERTIA PARS.

Tormenta Purgatorii juſta ſunt.

SIcut Deus infinite miſericors, ita & infinite juſtus eſt; quare cum ſupplicia quæ in Purgatorio patiuntur fidelium animæ, ex Dei ordinatione ſint impoſita, ea juſta eſſe nullus dubitabit. Sed ut clarius & plenius conſtet, quam juſte Deus tam diris, tamque diuturnis ſuppliciis fideles defunctos plectat: *Primo*, peccata venialia: *Secundo*, peccata mortalia, quæ in hoc mundo perpetrarunt, aliquantulum examinemus; & ex duobus his capitibus illorum ſuppliciorum juſtitia & æquitas clariſſime patebit.

1. Fide conſtat, peccata quæ ab hominibus perpetrantur, non omnia eſſe mortalia: nec omnia gratiam ſanctificantem, & juſtitiam ab anima tollere; dantur enim levia quædam peccata, quæ venialia dicimus, quibus homines, etiam juſti, ſæpiſſime inquinantur; nec propterea juſtitiam & ſanctitatem amittunt.

Levium & venialium horum peccatorum tria eſſe genera, ait Doctor Seraphicus, *in 2. diſt. 29. art. 3. q. 2. quædam* ſcilicet, quæ accidunt homini ex ſubreptione ſenſualitatis, quæ prævenit perfectum rationis uſum; *alia*, quæ ex ſubito quodam & indeliberato rationis motu veniunt; & *alia*, quæ talia ſunt ex levitate materiæ, cujuſmodi ſunt verba otioſa, mendacia jocoſa, & alia hujuſmodi, quæ parvipenduntur ab hominibus.

Propter venialia hæc peccata viri juſti, ſeu fideles defuncti graviter & diu in Purgatorio cruciantur; ſed juſte quidem. Quia hæc peccata, quantumvis levia cenſeantur, ſunt tamen offenſa quædam Dei infinite boni, infinite juſti, & infinite perfecti in omni genere perfectionis: quare ſi viri juſti, qui talia peccata perpetrarunt, pro iis in hoc mundo Deo non fecerint ſatis, æquiſſimum eſt, ut in alio, id eſt in Purgatorio, pœnas peccatis hujuſmodi debitas ſubeant: *Culpa hæc*, inquit S. Bernardinus: *eſt offenſiva majeſtatis divinæ, & requirit punitionem in Purgatorio.*

Potuiſſent in hoc mundo fideles defuncti pro his peccatis Deo offenſo facile ſatisfacere; ad hoc enim requirebatur ſolummodo levis quædam pœnitentia, immo & ipſa aquæ benedictæ aſperſio aliquo cum cordis dolore facta, vel etiam pectoris tunſio, ſignatio ab Epiſcopo, & alia hujuſmodi, hæc delicta delere potuiſſent: ſed ſi in hoc mundo peccata illa tollere, & Deo ſatisfacere neglexerint fideles, juſtum eſt, ut poſt mortem Purgatorii ſuppliciis plectantur. Juſta ergo ſunt fidelium defunctorum ſupplicia, ob peccata venialia quæ perpetrarunt: *ſed ſunt etiam juſta, ob peccata mortalia, quorum quidem veniam obtinuerunt, ſed pro eis totaliter in hoc mundo Deo non ſatisfecerunt.*

2. Ex fidelibus, qui nunc in Purgatorio patiuntur, plurimi haud dubie peccaverant mortaliter, dum in hoc mundo viverent, ob peccata autem illa mortalia æternis ſuppliciis in inferno plecti juſte

merue-

Digitized by Google

meruerant; ſed cum virtute pœnitentiæ, horum peccatorum culpa illis remiſſa eſt, pœna hæc æterna, qua plecti meruerant, in temporalem fuit commutata. Unde eodem momento, quo Sacramentalem abſolutionem receperunt, eorum, quoad culpam, deleta ſunt peccata, Deuſque hoc ſibi ſolum reſervavit, quod debitores hi remanerent temporalis cujuſdam pœnæ in hoc mundo, vel in Pugatorio ſolvendæ. Si autem in hoc mundo pro temporali hac pœna, per indulgentias, vel per aliqua pia opera Deo integre non ſatisfecerint: juſtum eſt ut in Purgatorio torqueantur: ac in eo tanta, tamque diurna eorum ſint ſupplicia, quantum pœnæ illius temporalis ſolvendæ eis ſupererit.

Cum David ſuum confeſſus eſt peccatum dicens, *Peccavi*, reſpondit ei Propheta: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*; 2. *Reg.* 12. 13. verumtamen aliqua pœna tibi ſolvenda remanet, nempe quod filius tuus morietur: *Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Ibid. v.* 14. Quid ſimile fieri videtur, cum quis homo peccator, tactus dolore cordis intrinſecus, peccata ſua mortalia debite confitetur, dicens, *Peccavi*; tunc enim per Sacerdotis abſolutionem, ei Deus peccata, quoad culpam dimittit & transfert; ſed plerumque cum hac reſtrictione, quod temporali cuidam pœnæ, vel in hoc mundo, vel in Purgatorio ſolvendæ adſtrictus remanebit: Quare ſi in hoc mundo pro temporali hac pœna Deo totaliter non ſatisfacit, juſtum eſt, ut in Purgatorio plectatur. Hic eſt ordo providentiæ divinæ, hoc eſt Dei judicium, quod juſtum eſt: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Pſ.* 118. 137.

Juſtum ſane eſt, ut in Purgatorio plectantur fideles defuncti; ſed juſtum etiam eſt, ut iis propinqui & amici opitulentur: juſtum eſt, ut precibus, & eleemoſynis eos a Purgatorii pœnis eruere conentur. O filii! o uxores! o amici! qui tam dire nunc in Purgatorio torquentur, parentes veſtri ſunt, mariti veſtri ſunt, amici veſtri ſunt, qui vos veluti viſcera ſua dilexerunt, quique bona ſua vobis teſtamento reliquerunt; quare æquiſſimum eſt, ut precibus, jejuniis, eleemoſynis, ſacrificiis, omnibuſque modis poſſibilibus eis ſubveniatis.

Hoc quidem juſtum eſt; ſed o quam pauci iis ſubveniunt! plerique animas quæ in Purgatorio cruciantur, ita inſpiciunt, ſicut inſpiciebatur pauper ille, qui cum iret in Jericho, a latronibus graviter vulneratus eſt. Sicut enim hic ad tranſeuntes clamabat, ut eorum imploraret auxilium, ita & animæ, quæ in purgatoriis flammis torquentur, ad omnes qui in hoc mundo peregrinantur, clamant, dicentes: *Miſeremini mei, miſeremini mei. Job.* 19. 21. Sed ſicut prætergredientium alii cum indifferentia, & alii magna cum cordis duritia miſerum hunc reſpexerunt; unicuíque inventus eſt Samaritanus, qui, eum videns, *miſericordia motus eſt*; ita & inter fideles aliquis ſolum invenitur Samaritanus, aliquis homo pius, qui animarum Purgatorii miſereatur. Sed quamplurimi ſimiles ſunt huic Levitæ, qui vulneratum illum videns, & clamantem audiens, cito pertranſit: *Levita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.* Eodem prorſus modo ſe habent plerique reſpectu parentum, propinquorum, & amicorum, qui in Purgatorio igni adjudicati ſunt; non morantur, ut pro iis preces fundant; non morantur, ut eleemoſynis ſuis pauperes ad pro iis orandum alliciant; non morantur, ut ſacrificia pro iis Deo offerri curent, ſed tranſeunt.

Dicite filio, cujus pater mortuus eſt: o fili, memento patris tui, qui forte nunc in Purgatorio cruciatur: Tu bonorum illius frueris, dum ille malis multis afficitur: Tu molli ejus lecto decumbis, dum ille mediis in flammis ſepultus clamat: Tu cum ſociis gaudes, dum ille ingemiſcit & plorat: converte aliquantulum cor tuum ad eum, ut illi ſubvenias: *Pertranſit*. Dicite uxori viduæ, quæ mortuo marito tam amare flevit, dicite ei, ut ad ejus ſolatium & ſubſidium aliquid impendat: *Pertranſit*. Dicite huic homini, qui ſe defuncti amicum fidelem profitebatur, ut jejunet, oret, vel aliud opus bonum ad illi ſuccurrendum faciat: *Pertranſit*. Pauci, & pauciſſimi ſunt, qui ſubveniant fidelibus defunctis. O N. N. ſubvenite iis, quantum fas erit: curate ut ab his ſuppliciis cito eruantur & ad Paradiſum brevi tranſeant; ubi pro vobis apud Deum intercedent, ut æternam beatitudinem aliquando aſſequi valeatis. *Amen.*

DE

FIDELIBUS DEFUNCTIS:

CONCIO SECUNDA.

Miſeremini mei, miſeremini mei.
Job 19. 21.

TAnta eſt Chriſtianæ Religionis perfectio, ut non aliquibus dumtaxat, ſed omnibus, nullo excepto, benefacere doceat: *Operemur bonum ad omnes. Gal.* 6. 10. Quod, & ipſis Gentilibus ita rectæ rationi conſonum viſum eſt, ut inter ipſos reperti ſint, qui non ſolum vivis omnibus, verum & defunctis benefaciendum cenſuerint: *Oportet hominem omnibus benefacere, etiam ipſis mortuis. Simonides.* Sed, heu! ita rara nunc in amicitiis fides, ita prompta oblivio mortuorum, ut nec filii parentum, nec uxores maritorum fato functorum, brevi poſt eorum mortem recordentur.

Si obliviſcerentur ſolummodo homines defunctorum Idololatrarum, qui animas ſimul cum corporibus mori credunt; aut Hæreticorum, qui mortuos precibus fidelium adjuvari poſſe negant, non certe damnabilis, & vituperanda hæc eſſet oblivio; ſed Chriſtiani Chriſtianorum, & inter eos filii parentum, ac amici amicorum in Purgatorio gementium non reminiſcuntur: o magnam cordis duritiam, o infandam inſenſibilitatem! Ab imis terræ receſſibus clamant defuncti, dicentes: *Miſeremini mei: miſeremini mei:* & non eſt qui eos audiat, non eſt qui adjuvet. Ut vos ad illis ſubveniendum alliciam, Purgatorium veluti *præcipitium horrendum* hac in concione proponam, &c. *A. e.*

HOmo, in extremis conſtitutus, tanta ſanctitate pollere poteſt, ut ſicut alter Stephanus, cælos ſibi patentes videat: *Video cælos apertos. Act.* 7. 55. Sed ita miſera eſt hominum in hoc mun-

mundo viventium ſors, ut plerique horrendis duobus præcipitiis, Inferno ſcilicet & purgatorio, quaſi ſuperpoſiti moriantur, ac in alterutrum cadant. Qui enim in hora mortis ita mali ſunt, ut mortali quodam ſcelere graventur, in Infernum, non ſecus ac Pharao, præcipites ruunt: *Præcipitatus eſt Pharao, quoniam gravia eum peccata demerſerunt; eo modo præcipitabuntur ſacrilegi in ſtagnum ignis ardentis. S. Ambr. in Pſ. 36.* Qui vere in morte, non mortalium, ſed venialium ſolum peccatorum conſcii ſunt, in purgatorium præcipitantur, a quo non egrediuntur, donec totaliter divinæ juſtitiæ ſatis fecerint: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. Matth. 6.*

Non ad Inferni, ſed ad purgatorii præcipitium conſiderandum nos nunc materiæ ratio vocat: in iſtud mente & ſpiritu deſcendere jam convenit, ac luſtratis omnibus quæ in eo peraguntur, tria potiſſimum de hoc præcipitio conſiderare erit utiliſſimum: 1. Quam facile in illud cadant homines: 2. Quam dire in eo crucientur: 3. Quam difficile ab eo egrediantur. Purgatorium eſt præcipitium in quod facile cadunt homines; *ecce primam conſiderationem*. Purgatorium eſt præcipitium, in quo dire cruciantur: *ecce ſecundam*. Purgatorium eſt præcipitium, a quo difficile egrediuntur: *ecce tertiam*.

PRIMA PARS.

Purgatorium eſt præcipitium, in quod facile cadunt homines.

INfernus, ſeu locus, in quo ex juſtitiæ divinæ ordinatione cruciantur damnati, eſt omnium præcipitiorum maximum. Hoc eſt præcipitium, in quo Lucifer, Beelzebub, aliique rebelles Angeli miſſi ſunt: *Job* 21. 13. hoc eſt præcipitium, in quod Cain, Antiochus, Judas, aliique famoſi peccatores ceciderunt; & in quod quotidie præcipitantur avari, voluptuoſi, ac quotquot in ſtatu peccati mortalis moriuntur; qui omnes in mortis ſuæ momento, ad Inferna præcipites ruunt: *Et in puncto ad Inferna deſcendunt!*

In æternum, & horrendum illud præcipitium cadere facillimum eſt: *Facilis deſcenſus Averni*. Sed eſt faciliimum in aliud præcipitium Inferno proximum ruere, in purgatorium, ſcilicet; in quod quidem non incidunt Martyres, qui pro Chriſto ſanguinem fundunt: nec pueri baptizati, qui antequam rationis uſu polleant, moriuntur. At ſi hi demandentur, aliis omnibus, quantumvis ſanctis, in illud cadere ita facile eſt, ut vere omnes in illud incidant; ac vix reperiatur aliquis ita perfectus, cui in purgatorii igne aliquid purgandum non ſuperſit: *Quis eſt ille tam perfectus, tam ſanctus, qui cum hinc exierit, nihil debeat illi igni? Guerric.*

Terribile eſt quod de S. Severino narrat Petrus Damianus *epiſt.* 15. nempe quod poſt mortem Clerico fluminis vadum tranſeunti apparuerit, ejuſque apprehenſa manu, in flumen, in quo ipſe erat, eum immerſerit, ut tactu intelligeret quanta pateretur: quod ſane intellexit Clericus ex ardore intolerabili, quo ſubito manus ejus ſuccenſa eſt. Obſtupuit Clericus, ac virum ſanctum rogavit aperire, cur tanto incendio cruciaretur? Cui Severinus: (Nihil in me remanſit ultione plectendum, præter hoc tantum, quod cum in Aula Regia Imperialibus conſiliis vehementer eſſem implicatus, Canonicum Officium per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi: mane quippe omnes ſimul horas recitabam, ut tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacarem. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero ſupplicium.) Alia multa adduci ſolent exempla ſanctiſſimorum hominum, qui ob leviſſima peccata, graves purgatorii pœnas tulere: atque in vitis Patrum narratur, quod viri multi Religioſi pro minutiſſimis defectibus purgatorio igni damnati fuerint, quidam pro curioſa librorum Ethnicorum lectione; alii pro delectatione, quam ex melodia cantus ſumpſerant; alii pro nimia ſollicitudine in ædificiis; & alii pro nimia benignitate in corripiendis Fratribus, quibus præerant. Heu! ſi Severinus, ſi viri alii, etiam ſanctiſſimi, in purgatorii præcipitium ob tam leviſſima peccata ceciderint: quis non credat facillimum eſſe in illud cadere? Certe non ſolum in illud cadere eſt facile: ſed & in illud cadere quodammodo neceſſarium eſt: *Omnes nos venire neceſſe eſt ad illum ignem. Origenes.*

Quærunt Theologi, an homo juſtus cum ſolo gratiæ communis auxilio, omnia penitus venialia peccata vitare queat? Reſpondent: poſſe quidem cum gratia actuali communi vitare quodlibet peccatum veniale ſeorſim, & diſtributive ſumptum; ſed non poſſe per longum tempus vitare omnia peccata venialia collective ſumpta. Sicut enim, inquiunt, cum navis omni ex parte eſt perforata, & aquam undequaque haurit, poſſunt quidem nautæ quodcumque foramen occludere, non tamen omne: ita & homo juſtus, cum gratiæ communis auxilio poteſt hoc & illud & quodlibet peccatum veniale ſeorſim ſumptum vitare; non tamen omne ſimul vitare poteſt ſine ſpeciali auxilio, & privilegio. Quod expreſſe determinatum eſt in Concilio Tridentino, his verbis: *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum, poſſe in tota vita omnia peccata vitare, etiam venialia, ſine ſpeciali privilegio, anathema ſit. Trid. ſeſſ. 6. can. 24.* Et ratio eſt, quia in corde hominis tot repentinæ cogitationes inſurgere, tot diſtractiones animi obrepere, ac tot tumultus excitari ſolent antequam ratio perfecte attendat; totque variæ peccandi venialiter occurrunt occaſiones; ut ſi uni veniali peccato reſiſtat, alteri ſuccumbat neceſſe ſit: & ideo, ſi homo ſpeciali privilegio non gaudeat; ſpecialique auxilio ſi non adjuvetur, non ſolum illi facile eſt peccare venialiter; verum ad peccatum aliquod veniale, indeterminate ſumptum, perpetrandum neceſſitate quadam morali trahitur. Simili autem quadam neceſſitate ait Origenes, hominem ad purgatorii barathrum trahi: non ſolum, inquit, homini facile eſt in purgatorii præcipitium cadere; ſed niſi ſpeciali auxilio adjuvetur, eum in illud incidere neceſſarium eſt: *Omnes nos venire neceſſe eſt ad illum ignem.*

O quam facile eſt omnibus hominibus in purgatorii præcipitium cadere! ſed o quam facilius eſt his, qui de peccatis venialibus vitandis, aut de

his, jam commiſſis, purgandis non curant! Certe hoc illis facillimum eſt: quare o N. pro viribus contende omnia venialia vitare, & jam commiſſa purgare; ut aut in Purgatorii præcipitium non cadas, aut in eo diu non remaneas. Vitanda ſunt hæc peccata: quia, ut ait Gerſon: *potius toleranda eſſet omnis mors pœnalis, & annihilatio quam committenda eſſet quantumlibet parva offenſa in Deum. Gerſon de vita ſol.* Vitanda etiam ſunt, qua ſi venialia vitare non cures, in mortalia facile incides: *Qui ad vitandum peccata venialia non extat ſollicitus, nequaquam ſine mortalibus diu eſſe poteſt. Dion. Carth. de reformat. Clauſt. art. 6.* Sed ſpecialiter vitanda ſunt; quia qui in morte alicujus venialis peccati reus invenictur, in Purgatorii præcipitium, piaculari igne purgandus cadet: *Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. Cor. 3.* Abſtine ergo a venialibus, ut non incidas in purgatorium, quod eſt præcipitium horrendum, in quod homines facile cadunt: *& in quo dire cruciantur.*

SECUNDA PARS.

Purgatorium eſt præcipitium, in quo dire cruciantur homines.

Miſerandis morbis, & graviſſimis aliis ſuppliciis nonnumquam in hoc mundo plectantur viri ſancti, ob venialia quædam peccata in quæ lapſi ſunt. Sed qui ab hoc mundo non penitus purgati abſcedunt, in Purgatorii præcipitium detruduntur, in quo longe gravioribus addicti ſunt tormentis, ac tantis, ut reſpectu illorum, leviſſimum cenſeat Chryſoſtomus quidquid in hoc mundo homines patiuntur: *Intende*, inquit, *anima mea, omnes pœnas ſæculi*; intende, ac mente revolve temporalium bonorum jacturam, qua divites ad egeſtatem rediguntur; calumniam, qua innocentium fama denigratur; incendia, quibus ſuperba quæque Palatia in cineres reſolvuntur; aquarum inundationes, quibus agri devaſtantur; & bellorum ſtrages, quibus facultates tolluntur, virgines inhonorantur, ac omnia depopulantur. Conſidera etiam, ſi velis, quantos ægrotis dolores cauſent nodoſa podagra, dentium rabies, calculus, aliique morbi acutiſſimi, qui corpora diſcruciare ſolent. Adde, ſi libeat, Bartholomæi, Laurentii, Clementis, aliorumque illuſtrium Martyrum tormenta: ac etiam quæcumque gravia & acerba adverſus Martyres, & adverſus reos ingenioſa Tyrannorum crudelitas potuit invenire: hæc & omnia alia quæ in hoc mundo homines patiuntur, coacerva, ſi potes, & certus eſto, inquit Chryſoſtomus, ea omnia levia eſſe in comparatione pœnarum, quibus juſti in Purgatorio cruciantur: *Totum leve erit reſpectu pœnæ purgatorii.*

S. Cæſarius, Arelatenſis Antiſtes, ſuppliciorum purgatorii gravitatem magis adhuc exaggerat, dicens, ea non ſolum tormentis, quæ in hoc mundo homines patiuntur: verum & iis omnibus quæ mens humana penſare & imaginari poteſt, eſſe graviora: *Ille ipſe purgatorius ignis durior erit, quam quidquid poſſit pœnarum in hoc ſæculo, aut accidere, aut ſentiri, aut cogitari. Cæſar. hom. 7. & 8.* Recogita, ac animo tuo finge acerba omnia tormenta, quæ aliquis homo in hoc mundo pati poteſt; imaginare, quod hic homo ſubterraneo carceri ad annos centum mancipetur, quod ibi pluries qualibet die cruci affigatur, quod continue in equuleo membra ejus diſtrahantur, quod ignitis ferri laminis totum ejus corpus operiatur, quod ſupra acutos lapides, vel ſuper diſtrictos gladios indeſinenter nudus volvatur, quodque alternatim a glacie in ignem, & ab igne in glaciem mittatur. Quamvis hæc, & alia multa tormenta (ſic volente Domino) quis in hoc mundo pateretur, ea omnia levia eſſent reſpectu pœnarum purgatorii: quia omnia ſupplicia, quæ in hoc mundo aliquis pati, aut etiam mens humana concipere poteſt, purgatorii ſuppliciis ſunt longe inferiora.

Quid plura? Anne adduci poſſunt Doctorum ſententiæ, ſuppliciorum purgatorii acerbitatem magis adhuc exaggerantes? Anne Chryſoſtomi, & Cæſarii dictis aliquid ſuperaddi poteſt? Certe nihil penitus iis addi poſſe crederem, niſi Angelicum Doctorem perlegiſſem, qui non hyperbolice, ſed ſincere, ſed ſolide, ſed rationi rectæ innixus aſſerit, minimam purgatorii maxima hujus mundi pœna eſſe graviorem: *Minima pœna Purgatorii major eſt, quam ſit maxima pœna hujus vitæ. D. Thom. in 4. Diſt. 21. quæſt. 1.* Sola privatio viſionis Dei, quam in Purgatorio patiuntur fideles; vel ſola beatitudinis æternæ ad tempus privatio; vel ſola ignis, quo cruciantur, pœna *major eſt, quam ſit maxima pœna hujus vitæ.*

Nec mirum, ſi ita gravia eſſe Purgatorii ſupplicia cenſeant Doctores. Cum enim minima quævis Dei offenſa altioris ſit rationis in genere mali, quam omne malum creaturæ; meretur etiam pœnam graviorem, & quaſi alterius rationis ab hujus vitæ pœnis: quam pœnam Deus in vita futura cum rigore exigit ab his, qui in hac vita juſtitiæ divinæ ſatisfacere neglexerunt. Deo in hoc mundo facillimis modis ſatisfacere potuiſſent, ſed quia hoc agere noluerunt, in purgatorio graviſſimis plectentur ſuppliciis; ac talibus, ut eorum gravitatem nec concipere valeamus.

O quam formidandum purgatorii præcipitium! o quam dire in eo cruciantur fideles! Sed o quam graviſſime falluntur, qui ad tam immania ſupplicia anhelant! O utinam, dicunt multi, purgatorii pœnis ad annum unum, ad unum ſæculum, immo, & uſque ad extremi Judicii diem adjudicatus eſſem! o ſtulti, & duri corde ad concipienda purgatorii ſupplicia! Qui enim quam acerba ſint concipit, talia vota non emittit.

Verum eſt, quod ſi ex duobus unum eligendum eſſet; ſcilicet, aut in purgatorii, aut in inferni præcipitium cadere; certe purgatorium præeligendum eſſet. Sed non vult Deus, ut ex duobus his unum eligamus; vult enim, ut utrumque illud præcipitium vitemus. Quare æmulemur chariſmata meliora; ac non de inferni ſolum, verum & de purgatorii præcipitio vitando ſolliciti ſimus: ſic vivamus, ut a purgatorii præcipitio declinantes, in Paradiſum recta properemus. In purgatorii præcipitium poſt mortem cadere non optemus; ſed in illud deſcendamus viventes, illud crebro mente revolvamus; dira ſupplicia, quibus ibi cruciantur fideles, ſerio me-

Digitized by Google

meditemur, ut ea vitare valeamus. Sed ea etiam ſedulo perpendamus, ut ad proximis & notis, in purgatorio patientibus, miſerendum excitemur!

O NN. audite fideles in purgatorii præcipitio clamantes, & ingeminatis vocibus dicentes: *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Audite eos, & illorum precibus flectimini. Hodie ſi voces eorum audiatis; nolite obdurare corda veſtra, ſed iis ſedulo ſubvenite. Qui ibi patiuntur, proximi, & amici veſtri ſunt, qui ſupplices veſtrum implorant auxilium: clamant ibi patres, qui tot vigiliis, totque laboribus, bona quibus fruimini, vobis compararunt: clamant matres, quæ tanta cura, tantaque ſollicitudine vos lactarunt, & educarunt: clamant filii, quos ut pupillam oculi diligebatis; quare feſtinate, ut iis ſuccurratis: *Feſtina, ſuſcita amicum tuum. Prov. 6.* O Chriſtiane, ſi proles tua unica, ſi parens tuus dilectiſſimus, vel cariſſima conjux gravi morbo conflictetur, & ſubito corripiatur; ſtatim, cito ad Medicum concurritur; cito Pharmacopola & Chirurgus conquiruntur; & hæc omnia maxima cum feſtinatione fiunt. Sed o quam magis feſtinandum, ut parentibus, & amicis in purgatorio, non morbum levem, ſed graviſſima ſupplicia portantibus ſubveniatis!

Quæ a vobis poſtulant, parvi momenti ſunt; o filii: non a te petit pater, ut omnia quæ teſtamento tibi reliquit, in eleemoſynas eroges: o mulier, non a te expectat maritus, ut omnia tua in pia opera diſtribuas; o vos omnes, qui per hujus mundi viam tranſitis, non a vobis exigunt fideles defuncti, ut ad eos liberandos corpora veſtra tortoribus crucianda tradatis: petunt ſolummodo, ut ad eorum ſolatium aliquas preces fundatis, quandam erogetis eleemoſynam, Miſſæ ſacrificium aliquoties offerri curetis, vel alio aliquo modo eos eruatis a purgatorii præcipitio, in quo dire cruciantur. Et in quo etiam diu cruciabuntur; *quia Purgatorium eſt præcipitium, a quo homines difficile egrediuntur.*

TERTIA PARS.

Purgatorium eſt præcipitium, a quo difficile egrediuntur homines.

DIfficillimum, immo impoſſibile eſt, quod quis ab inferni præcipitio egrediatur; a purgatorii autem præcipitio egredi, non quidem impoſſibile, ſed difficile eſt, tum ex parte fidelium, qui in illud præcipitantur; tum ex parte Dei, a quo condemnantur; tum ex parte viventium, a quibus non adjuvantur.

1. Quamdiu fideles in hoc mundo morantur, apud Deum mereri poſſunt, Deo ſatisfacere poſſunt, ac per voluntariam pœnitentiam (licet modicam) purgatorii flammas facile extinguere poſſunt; ſed poſtquam ex hoc mundo exierunt, & purgatoriis ignibus adjudicati ſunt, nec mereri apud Deum, nec Deo ſatisfacere, nec opus aliquod bonum elicere valent, cujus virtute pœnarum ſuarum remiſſionem, vel liberationem a purgatorio impetrent. Immediate poſt mortem, atra quædam iis ſupervenit nox, in qua nil facere poſſunt, quo a purgatorii præcipitio erui ob ineant: *Venit nox, quando nemo poteſt operari. Joan. 9. 4.* Unde merito dicit Damaſcenus, mortem illorum ſimilem eſſe caſui Angelorum: *Quod eſt Angelis caſus, idem hominibus mors. Damaſc. l. 2. de fide ort. c. 4.* Quod ſane veriſſimum eſt: quia ſicut Angeli, poſt peccatum, nil facere potuerunt, quo gloriam æternam mererentur, vel Deo ſatisfacerent: ita & fideles defuncti, poſt mortem nil facere poſſunt, quo apud Deum mereri, vel juſtitiæ divinæ ſatisfacere valeant; quare ex parte illorum difficillimum eſt, ut a purgatorii præcipitio egrediantur, cum hoc facere non poſſint bene operando; ſed ſolum ſatis patiendo, ſeu ſuſtinendo pœnas, juxta qualitatem & quantitatem reatus, in rigore debitas. Sed ſi difficile ſit a purgatorio egredi ex parte fidelium, qui in illud præcipitantur: *difficile eſt etiam ex parte Dei, a quo condemnantur.*

2. Quamdiu in hoc mundo peregrinantur fideles, peccata, pœnamque peccatis illorum debitam facile Deus remittit, necnon aliqua parte debiti ſoluta, reliquam ſummam liberaliter expungit. Sed in alio mundo, poſtquam ad purgatorium condemnati ſunt, Deus, ut durus exactor, noviſſimum extorquet quadrantem, nec magis commovetur ſuppliciis, quæ patiuntur fideles, quam ſi viſcera eſſent ei ferrea. Et merito: quia cum oblatam miſericordiam, & facilem redimendæ pœnæ rationem hic neglexerint, digni ſunt, ut divinæ juſtitiæ rationem experiantur: quare difficillimum eſt, etiam ex parte Dei, ut fideles e purgatorii præcipitio eruantur. Sed hoc tandem difficillimum eſt *ex parte hominum in hoc mundo viventium.*

3. Fide divina conſtat, animas in purgatorii præcipitio ex divinæ juſtitiæ ordinatione detentas, viventium ſuffragiis, id eſt, ſacrificiis, orationibus, aliiſque piis operibus adjuvari. Sed heu! quam pauci ſuffragiis ſuis fideles defunctos adjuvant! Quam pauci ſacrificia pro iis offerri curant! Quam pauci eleemoſynas pauperibus diſtribuunt, ut eos ad orandum pro defunctis moveant! Quam pauci de eorum hac ratione ſunt ſolliciti!

Plerique fidelium ſimiles ſunt Joſephi Ægyptiaci fratribus, qui innocenti puero in ciſterna degenti non compatiebantur; & dum ille ibi patiebatur, ipſi exquiſitum vinum bibebant, gaudebant, ac pretioſis unguentis corpora ſua ungebant: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. Amos 6. 6.* Ecce quid in mundo quotidie fieri ſoleat: quot enim patres, quot matres, quot fratres, quotve filii in ciſterna veteri, ſeu in purgatorii præcipitio latent? & tamen non eſt qui dexteram porrigat, ut eos inde eripiat; non eſt qui precibus & ſuffragiis illos inde extrahere conetur. Clamant patres, clamant matres, dicentes: *Miſeremini mei, miſeremini mei*; ſed ingrati filii ſunt ſurdi auditores, qui aures habent, & non audiunt, quique illorum non miſerentur, nec de iis inde eruendis cogitant. Domus in qua habitant, vina quibus inebriantur, cibi queis impinguantur, dignitates quibus gaudent, ac omnia quæ poſſident, a parentibus habent; & tamen non ſolum iis in Purgatorio patientibus ſubvenire renuunt; verum & dum gravia ibi patentes ſuſti-

nent, gaudent filii, bibunt in phialis, opipare epulantur, ac totaliter vanitati, & mundi deliciis ſe dedunt.

Defuncti parentis exequias magno cum apparatu celebrarunt filii Jacob, ac plurima doloris ſigna ediderunt: *Celebrantes exequias planctu magno. Gen. 50. 10.* Eodem prorſus modo pii ſe habuêre fideles reſpectu S. Stephani, de quo ſacra teſtatur Scriptura, quod *curaverunt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Actor. 8. 10.* Similia quidem pietatis officia quandoque exercent filii & hæredes reſpectu parentum & benefactorum ſuorum: eorum exequias ſingulari pompa celebrant, plorant, clamant, ululant; ſed præterea nihil.

Poſtquam quis fato functus eſt, inquirere ſolent curioſi rerum indagatores, quis ſit defuncti hæres? quales ſint ejus filii? an mortuo debita charitatis & pietatis officia præſtiterint? an ſtatui & conditioni ejus conſonas exequias celebrarint? an de ejus morte doleant? Reſpondetur communiter, quod mortuum curaverint, quod eum planxerint, quodque exequias illius celebri pompa fecerint: *Celebrantes exequias planctu magno.* Sed quid ultra in defuncti gratiam fecerunt? amplaſne largiti ſunt eleemoſynas pauperibus, ut eos ad orandum pro mortuo allicerent? inſtitueruntne anniverſaria, ut multiplicatis ſacrificiis, Deum ad ei indulgendum provocarent? mandaruntne executioni, quæ ipſe teſtamento ordinavit? Certe de iis plerumque non curant: *Fletus multus, fructus nullus,* inquit S. Bernardus. Ex quo clariſſime patet, difficillimum eſſe fidelibus defunctis e Purgatorio egredi, non ſolum ex parte illorum, & ex parte Dei; ſed etiam ex parte viventium, qui de iis e Purgatorio liberandis non curant. Quare cum purgatorium ſit horrendum præcipitium, in quod facile cadunt, & a quo difficile egrediuntur homines, duo pro hujus concionis concluſione ſalutaria dare conſilia non erit inutile.

Primum, in hoc conſiſtit, quod quiſque ita vivat, ut poſt mortem in purgatorii præcipitium non cadat: quia ſi in illud cadat, ab eo difficillime egredietur: *Secundum* conſilium hoc eſt, quod ſcilicet teſtamentum, reſque ſuas quiſque ita diſponat, ut ſi in purgatorii præcipitium poſt mortem cadat, eleemoſynis, ſacrificiis, & fidelium precibus ab illo cito eruatur. Sic ergo animam & conſcientiam ab omni peccati labe purificate, ut nil in purgatorio igne luendum remaneat, quo ab æternæ gloriæ aſſecutione retardemini; aut ſaltem teſtamentum, reſque veſtras ita ordinate, ut ſtatim poſt mortem, ſacrificia offerantur, preces fundantur, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera fiant; quibus mediantibus, a purgatorii flammis liberati, æterna præmia cito conſequamini. *Amen.*

DE FIDELIBUS DEFUNCTIS.

CONCIO TERTIA.

Miſeremini mei, miſeremini mei. Job 19. 21.

ROgamus vos, fratres, & per Dei miſericordiam obſecramus vos, ut recordemini vinctorum: *Mementote vinctorum. Heb. 13.* Non loquor de vinctis illis, qui ob perpetrata enormia quædam crimina ad triremes, ad furcas, vel ad gravia alia ſupplicia condemnati ſunt, ſed de fidelibus defunctis, qui in purgatorii carcere, ex juſtitiæ divinæ ordinatione, vincti & captivi detinentur. Ecce eos quorum recordari, & quibus auxiliares manus præbere deberis, ut ab horrendo hoc carcere liberari, & ad Paradiſi regna migrare valeant. Audite eos in ſubterraneis illis locis plangentes, & ad vos clamantes, *Miſeremini mei, miſeremini mei.* Veſtra, quæſo, non indurentur corda: ſed ſi quid in vobis humanitatis, clementiæ & religionis ſit, ſubvenite afflictis illis, qui homines ſunt ſicut vos, qui Chriſtiani ſunt ſicut vos, & qui hæredes fore Regni cæleſtis ſperant plus quam vos. Ut ad illis ſuccurrendum vos adducere valeam, Purgatorium hodie proponam veluti teterrimum carcerem, in quo vincti detinentur fideles defuncti, &c. *Ave.*

INfernum & Purgatorium, duos Juſtitiæ divinæ carceres eſſe, firmiter & humiliter confitentur fideles. Infernus eſt carcer tenebroſus & perpetuus, in quem mittuntur quotquot in ſtatu peccati mortalis ab hoc mundo exeunt: *Ejicientur in tenebras exteriores. Matth. 8. 12.* O impii! *Vos*, qui Deum & Sacramenta ejus irridetis: *Vos*, qui peccatum ſicut aquam bibitis: *Vos*, qui a lethifero peccati ſomno ſurgere renuitis: *Vos*, inquam, moriemini; & ſi lethali cuique peccato ante mortem non valedixeritis, adverſarius veſter diabolus, jubente Deo, vos in tetrum Inferni carcerem projiciet, in quo æternis ligati vinculis, diriſſima patiemini.

Purgatorium eſt alter juſtitiæ divinæ carcer, in quem mittuntur fideles; qui licet in ſtatu gratiæ moriantur, non tamen ita puri ſunt, ut aliquid expiatorio igne purgandum non ſuperſit: & hi non inde exeunt, donec totaliter divinæ juſtitiæ ſatisfecerint: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. Matth. 5.* Licet autem non ſit perpetuus, formidandus tamen eſt purgatorii carcer, omnium qui in eo detinentur, miſereri debemus: cum clauſi ſint in centro terræ, & in ignis abyſſo: 1. Purgatorius carcer eſt in terræ centro: 2. Purgatorius carcer eſt in ignis abyſſo. Eſt in terræ centro: quid horribilius? Eſt in ignis abyſſo, quid terribilius?

PRIMA PARS.

Fideles defuncti clauduntur in terræ centro: quid horribilius?

1. PUrgatorium ſub terra, verſus ejus centrum, a Deo conſtitutum eſſe, duo ſacræ Theo-

lo-

Digitized by Google

logiæ lumina, ſancti ſcilicet Thomas & Bonaventura, ſimul cum aliis innumeris aſſerunt. Idque ſancta docere videtur Eccleſia, cum fidelium defunctorum animas ab inferno liberari petit: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni*. *in 4. diſt.* 21. Non enim poſtulat eas ab inferno damnatorum liberari, quia ab eo *nulla eſt redemptio*, ſed ut ait Doctor Angelicus, eas erui petit a Purgatorio, quod eſt quaſi tranſitorius quidam infernus in terræ concavo juxta damnatorum infernum conſtitutus: *Locus Purgatorii eſt locus inferior inferno conjunctus*.

Verum quidem eſt, aliquas fidelium animas, ex ſpeciali Dei diſpenſatione, interdum extra terræ centrum purgari. Sic apud ſanctum Gregorium legimus, Paſchaſium, virum ſanctitate eximia fulgentem, poſt mortem in thermis quibuſdam Germano Capuano Epiſcopo apparuiſſe, eique revelaſſe, quod in hunc pœnalem locum a Deo deputatus eſſet: quia contra Symmachum ſummum Pontificem cuidam Laurentio faverat, licet in hoc, non malitiæ, ſed ignorantiæ errore peccaſſet. *S. Greg. l.* 4. *Dial.* Sic etiam refert Petrus Damiani, S. Severinum fato functum in quodam flumine apparuiſſe, in quo a levi quadam culpa purgabatur. Sed de lege Dei ordinaria, & juxta communem divinæ providentiæ diſpoſitionem, animæ purgandæ mittuntur ad certum & determinatum quemdam locum ſubterraneum, non longe a terræ centro, & ab inferno diſtantem, quem *Purgatorium* dicimus. Unde cum ad Deum pro aliquo defuncto preces fundimus, rogamus, ut illum a porta inferi eruat, id eſt, a porta Purgatorii, quod eſt temporalis & tranſitorius quidam infernus, prope infernum damnatorum collocatus.

Purgatorium carcerem, ſimul cum Auguſtino *ep.* 29. *ad Evod.* in inferioribus terræ partibus eſſe docent Theologi, qui intra terræ concavum quadruplicem carcerem, ſeu quadruplicem ſinum admittunt: *Primus* eſt pro damnatis: *ſecundus*, pro pueris ſine Baptiſmo morientibus: *tertius*, pro ſanctis Patribus, ſeu pro juſtis ante Chriſti paſſionem mortuis: *quartus*, pro animabus purgandis, quem Purgatorium dicimus. Horum autem quatuor carcerum ſufficientiam probant a variis pœnarum generibus: omnis enim pœna eſt damni ſolum, vel damni ſimul & ſenſus; & rurſus omnis pœna eſt temporalis, vel æterna: *pro ſola pœna damni æterna* eſt carcer, ſeu limbus puerorum: *pro pœna ſolius damni temporalis* erat carcer ſanctorum Patrum: *pro damni & ſenſus æterna* eſt infernus, ſeu carcer tartareus: *pro pœna damni & ſenſus temporali* eſt purgatorius carcer, non longe ab infernali poſitus.

Hæc omnia paulo aliter explicat Doctor Angelicus, dicens: animas hominum, poſt earum a corporibus ſeparationem, aut in locum præmii, aut in locum pœnarum ire: *Si in locum præmii*, ecce Paradiſum: *Si in locum pœnarum*, pœnæ ad quas deputantur, ſunt aut æternæ, aut temporales: *Si æternæ*, ad has pœnas damnantur, vel ob peccata actualia, & ecce infernum, qui eſt in terræ centro, vel ob peccatum originale, & ecce limbum puerorum, qui eſt etiam in terræ concavo: *Si autem pœnæ, quibus adjudicantur, ſint temporaneæ*, ecce Purgatorium, quod etiam in terræ concavo prope infernum poſitum eſt.

Ecce quo vadant fideles defuncti: ecce carcerem in quo clauduntur amici Dei, quibus poſt mortem aliquid purgandum ſupereſt! O quam durum illis eſt, intra terræ viſcera pluribus diebus, immo & ſæpe pluribus annis incarcerari! O quam acerbum Regibus, Principibus, Dei filiis, hominibus prædeſtinatis, cæloque dignis, ob levia quædam delicta, ab æternæ beatitudinis aſſecutione retardari, & ſubterraneis carceribus mancipari! Sed quis dicat, quam grave ſit iis, qui in mundo palatia magnifica, ſuperbas domos, ac cameras auro & argento incruſtatas, necnon picturis exquiſitis, & tapetibus pretioſis ornatas inhabitare ſoliti erant, nunc intra tenebroſum terræ ſinum captivos detineri? Quam horrendus ille carcer iis, & omnibus fidelibus defunctis? *Et certe nihil horribilius*.

2. Heu! ſi trepidamus & horremus, cum audimus aliquem reum in ſubterraneo carcere a terræ ſuperficie paucis ſolum paſſibus diſtante ab aliquibus annis detineri; quam horribilior eſt purgatorius carcer, qui in viſceribus & in ipſo terræ centro eſt? Quam horribilius eſt, in hoc carcere ad multos annos; immo & ad multa ſæcula detineri?

Mente quæſo revolvite hunc carcerem, circa terræ centrum, non arte humana, ſed divina ordinatione ſtructum, in quem mittuntur juſti, quibus, ex hoc mundo exeuntibus aliquid purgandum ſupereſt. Vinctos illos inſpicite, qui ibi diu ob levia detinentur peccata; ſed carceris illius qualitates ponderate: tenebroſus enim eſt, cum nec unico foramine ſolis lux ibi videatur; profundus eſt, cum ſupra bis mille leucas intra terræ viſcera ſitus ſit, juxta infernum damnatorum poſitus eſt, & qui in eo clauduntur, graviſſimas ſenſus & damni pœnas patiuntur. Quid quæſo horribilius, quam in hoc carcere detineri? Quid hoc carcere magis horrendum?

Sed quis explicet, quanta ſint lamenta fidelium, qui in hoc juſtitiæ divinæ carcere miris & graviſſimis modis cruciantur? Ibi gemunt, ibi clamant, ibi ululant; ſed o duritiam, & immanitatem hominum in ſæculo viventium, qui parentum & amicorum in tetro hoc juſtitiæ divinæ carcere degentium obliviſcuntur! Clamant patres, matres invocant, ſupplicant amici; ſed eorum nequaquam reminiſcuntur ingrati hæredes, & crudeles filii. Ipſa die qua mortui ſunt parentes, externa quædam doloris ſigna ediderunt filii & hæredes; ſed mox ut funebris pompa facta eſt, mox ut campanæ ſonare deſierunt, eorum amplius non recordantur. *Periit memoria eorum cum ſonitu*. *Pſ.* 9.

Mihi audire videor quamlibet ex fidelium defunctorum animabus in Purgatorio clamantem, ac eaſdem fundentem preces, quibus Joſeph in carcere detentus, Pharaonis Regis Ægypti pincernarum Præpoſitum exorare conabatur; eum etenim orabat Joſeph dicens: *Memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere*. *Geneſ.* 40. Similem in modum purgatorio carceri mancipati fideles, filios, & amicos in hoc mundo viventes alloquuntur, toto eos corde invocant, dicentes, o filii,

Digitized by Google

o amici, mementote noſtri, & Deum Pharaonis rogate, ut a tetro iſto Purgatorii carcere nos eruat. Sed o magnam hominum in ſæculo peregrinantium crudelitatem, quæ tanta eſt, ut nec defunctorum recordentur! Similes ſunt pincernarum Præpoſito, qui ſuccedentibus proſperis, Joſephi benefactoris ſui in carcere detenti oblitus eſt: *Succedentibus proſperis, Præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui*. Eodem prorſus modo ſe habent filii & hæredes reſpectu parentum & benefactorum, qui in Purgatorio carcere captivi detinentur. Antequam e vivis excederent, plurima iis charitatis & benevolentiæ officia impendebant, erga illos ſe obſequentiſſimos exhibebant, ut eos ad teſtamenta in favorem ipſorum condenda moverent; firmiſſime pollicebantur, ſe legata, & debita eorum cito ſoluturos, ac voluntatem illorum ſe fideliter adimpleturos; ſed poſtquam mortui ſunt, nec de Legatis, nec de debitis ſolvendis curant; pro iis orare non meminerunt, benefactorumque ſuorum penitus obliviſcuntur. Unde ex piis illis defunctis fere quilibet ex Purgatorio illo carcere clamare poteſt: *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus a corde: Pſ.* 30. oblivioni enim plerique illorum dantur, tamquam ſi mortui eſſent, non ſolum in mundo, verum & in corde filiorum, amicorum, & hæredum.

Quod Deus ita fieri perſæpe permittit, in pœnam nimii amoris quo defuncti ſuos hæredes erant proſecuti. O ſtulte pater, nimium amaveras filium, cui facultates tuas reliquiſti, & in pœnam inordinati tui amoris permittit Deus, ut nec tui, fato functi, ingratus filius recordetur. O homo inſenſate, plus quam par erat, uxorem dilexeras; & in effrænati amoris tui pœnam ſinit Deus, ut hæc tui, jam mortui, mox obliviſcatur. Quod adnotaſſe videtur Propheta, cum dixit: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis. Pſ.* 96. 7. quæ etenim ſunt hæc Idola & ſimulachra; de quibus loquitur David? O patres & matres, idola veſtra ſunt pueri, quos plus quam Deum diligitis; o mariti, ſimulachra veſtra ſunt uxores, quam veluti idola colitis, quaſque inordinate amatis. Sed, heu! cum in purgatorio carcere latitabitis & dira patiemini, nil niſi confuſionem ex his idolis percipietis; quia in veſtri confuſionem & punitionem permittet Deus, ut nequaquam veſtri reminiſcantur. Gaudebunt, opipare epulabuntur, cum amicis & vicinis choreas agent, voluptatibus forte illicitis indulgebunt, nec veſtri recordabuntur.

Quare, o NN. domui, & conſcientiæ veſtræ cito diſponite, nec filiis & hæredibus facienda committatis, quæ per voſmetipſos facere valetis. Timete, ne reſpectu veſtri ſe gerant filii & hæredes, ſicut innumeri alii erga parentes & benefactores ſuos mortuos ſe geſſerunt; timete, ne & veſtri, & omnium quæ iis facienda demandabitis, obliviſcantur, & ideo eorum probitati, & fidelitati ne totaliter confidatis. Velim, eos eſſe pios, probros, ſapientes, liberales, ac omnibus numeris abſolutos; qualeſcumque illi ſint, plus vobis, quam illis fidere debetis, & curæ eorum non committere debetis; quæcumque per vos facere poteſtis. Dum ergo tempus habetis, pœnitentiam agite, pauperibus ſuperflua diſtribuite, ſacrificia pro vobis offerri ſatagite, ad ſalutares indulgentiarum theſauros accurrite, ac omnia agite quæ juvare poſſunt, ut in tetro Purgatorii carcere non claudamini; cavete ab hoc carcere, qui eſt in terræ centro: quid horribilius? *& qui etiam eſt in ignis abyſſo, quid terribilius?*

SECUNDA PARS.

Fideles defuncti clauduntur in ignis abyſſo: quid terribilius?

1. Circa terræ centrum carceri mancipati ſunt fideles defuncti, ibique intra ignis ardentiſſimi abyſſum, veluti intra carcerem, clauduntur. Sicut enim de Angelis apoſtatis, ait Doctor Subtilis, quod igni ſint alligati, ac intra eum, veluti intra carcerem, invite detineantur; ita & animæ fidelium, intra purgatorium ignem, tamquam intra carcerem ſunt detentæ; ibi fideles defuncti: *vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti* remanent; *Sap.* 17. 2. ibique gravia patiuntur, eo quod a cæleſti regno adipiſcendo retardentur, & intra ignis portentoſam abyſſum clauſi remaneant.

Purgatorium mihi eſſe videtur abyſſus hæc magna, magnumque chaos, quod inter divitem epulonem in inferno clamantem; & Patrem Abraham in cælo regnantem firmatum eſt: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt*: *Luc.* 16. 26. inter Paradiſum enim & infernum, magnum circa terræ centrum eſt chaos, ſeu carcer Purgatorius, in quo, ut ait Doctor Angelicus *l.* 4. *contra Gent.* *c.* 90. intra ignem clauſi detinentur fideles defuncti: Animæ fidelium defunctorum, inquit, in Purgatorio, veluti in fornace accenſa, & ſicut in ignis abyſſo cruciantur: non quia ignis Purgatorius, qui materialis; & corporeus eſt, in animas, quæ ſpirituales ſunt, phyſice, & realiter agat: non enim ab igne, ut in eas phyſice agente, aliquid patiuntur: ſed ideo ab hoc igne cruciantur, quia intra illum, veluti intra carcerem, remanere coguntur. O quam durum his animabus, quam iis terribile, quod intra corporei ignis flammas, veluti intra carcerem, vinctæ detineantur! *Hoc certe nihil terribilius*.

2. Non ſine pavore & horrore recogitamus, inſontes pueros a Rege Nabuchodonoſor in ſuccenſam fornacem fuiſſe miſſos: *Miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis: Dan.* 3. 21. Sed terribiliores duæ intra terræ viſcera ſuccenſæ ſunt fornaces in quas Deus multos ex filiis ſuis mitti jubet. Hæ fornaces ſunt Infernus & Purgatorium; *Infernus* eſt fornax in æternum duratura, in quam projiciuntur rebelles filii, qui gravium criminum quæ perpetrarunt, pœnitentiam non egerunt; reos illos filios condemnat Deus, eoſque Angeli ſatanæ, ut juſtitiæ divinæ miniſtri, in tartari fornacem mittunt: *Mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth.* 13. 42. Quam multi in eam projiciuntur fornacem! In eam avari, in eam ſacrilegi, in eam luxurioſi, & uſurarii, aliique innumeri mittuntur: *Purgatorium*, eſt alia a Deo ſuccenſa fornax, qua tranſeunt, & in qua purgantur filii Dei,

qui-

quibus levis quædam culpa, vel aliquæ gravium criminum reliquiæ purgandæ ſuperſunt. Hæc eſt fornax, in qua purgantur viri juſti ut digni fiant intrare in civitatem ſanctam Jeruſalem; non enim in eam ingredi poſſunt, qui in levibus quibuſdam peccatorum maculis inquinati ab hoc mundo exeunt, niſi prius in hanc fornacem, & in hanc ignis abyſſum mittantur: *Non poteſt Divinitatis particeps fieri niſi maculas animo immixtas purgatorius ignis abſtulerit. S. Cypr.*

Heu! quid homini cæleſtibus thronis digno durius, quam intra ſulphurei ignis fornacem includi? Quid animabus ad Deo fruendum factis pœnalius, quam non ad unum dumtaxat, verum ad plurimos annos in ignis abyſſo concludi? Certe, ut ait Guerricus Abbas, ex omnibus ſenſibilibus ſuppliciis, illo nullum majus eſt: *Illo igne Purgatorio nihil eſt pœnalius. Guerric. ſerm. de Purif.* Et, ut aſſerit Tertullianus, omnium pœnarum illa eſt maxima: *Summam ignium pœnam*. O NN. hæc eſt graviſſima pœna, quam propinqui, & amici veſtri in Purgatorio patiuntur; ibi intra ignis fornacem clauduntur, ibi intra horrendam flammarum abyſſum incluſi diu remanent. O quantam pœnam! quæ gravior adhuc & acerbior iis eſt, eo quod filij, & amici in ſæculo viventes, eorum non reminiſcantur, iiſque ſubvenire recuſent.

Hi quidem infeliciores ſunt, quam tres pueri in Babylonicam miſſi fornacem, ad quos beneficum quendam miſit Deus Angelum, qui flammarum ardorem ita temperavit, ut in medio flammæ, veluti in Paradiſo deliciarum, ambularent, *Ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino. Dan. 3.* Sanctus ille Angelus intra fornacem ſub viri ſpecie, & quaſi unus ex pueris videbatur. Unde ipſe Nabuchodonoſor ſtupefactus, ajebat, ſe quatuor pueros intra fornacem videre: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, ambulantes in medio ignis.* O quam felices hi fuere pueri, qui Angelum conſolatorem, & adjutorem habuere! Sed o quam infelices plerique fidelium in igne purgatorio patientium! expectant enim, ut quis ex viventibus Angeli hujus fungatur officio, expectant, ut ex propinqui, vel amici alicujus precibus, eleemoſynis, vel aliis piis operibus, pœnas quas patiuntur, mitiget, ſed hujuſmodi non vident Angelos, non eſt qui conſoletur eos, & qui iis ſubveniat. Unde quilibet fere ex fidelibus in Purgatorio patientibus dicere poteſt cum paralytico: *Hominem non habeo: Joann. 5. 7.* quia nullus fere eſt homo, qui animabus Purgatorii debite ſubveniat.

Ecce miſerum hominum in Purgatorio degentium ſtatum. Cum in hoc mundo vivebant, amicorum & propinquorum turba circumdabantur; ſed poſtquam mortui ſunt, oblivioni traduntur: igneo carceri mancipentur, in medio flammarum clament, quantum voluerint, ibi amare fleant, ibique, quantum placuerit, humana implorent auxilia; non habent hominem qui illis ſuccurrat: *Hominem non habeo*. Ipſi etiam filii ſuorum obliviſcuntur parentum; ipſæ mulieres maritis non ſubveniunt; vident cameras, in quibus defuncti habitarunt, fruuntur bonis quæ reliquerunt, tranſeunt ſupra ſepulchra, in quibus poſiti ſunt, nec aliquas ad eorum libertatem a Deo obtinendam preces fundunt: *Et non dixerunt qui præteribant: benedictio Domini ſuper vos. Pſ. 128. 3.* O infandam hominum in hoc mundo viventium ingratitudinem! O magnam eorum crudelitatem!

Quod Lazarum dilexerint Martha & Magdalena, norunt omnes, eximiumque amoris ſui erga ægrotantem fratrem, teſtimonium exhibuere piæ illæ ſorores, cum ad Chriſtum miſerunt, rogantes, ut eum ſanaturus veniret: *Miſerunt ergo ſorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joann. 11.* Quis non miretur ardentem harum ſororum amorem erga infirmum fratrem? Quis non dicat, eas debita charitatis illi præſtitiſſe obſequia? Paucis tamen ab hinc diebus, mortuo Lazaro, cum Chriſtus, ut eum reſuſcitaret, Bethaniam perrexit, dixit ei Martha: *Domine, jam fœtet.* Ecce quid ſæpe in mundo accidat; cum enim paterfamilias vel alius homo dives ægrotat, uxor, filii aliique omnes qui de infirmi bonis aliquam portionem aſſequi ſperant, debitis eum charitatis officiis proſequuntur; ſed poſtquam mortuus eſt: *Jam fœtet*, poſtquam ſepultus eſt: *Jam fœtet*; orare pro mortuo, legata ab eo facta ſolvere, eleemoſynas erogare, & alia quæ ad illum e Purgatorio carcere eruendum inſervire poſſent, facere renuunt: hæc omnia ipſis fœtent: *Jam fœtent*.

O filii! o filiæ! tanta a vobis abſit ingratitudo, parentum mementote veſtrorum; illorum ne obliviſcamini, iiſque prompte ſubvenite. Scitis, eos in profundo Purgatorii carcere, & in horrenda ignis abyſſo clauſos eſſe; quare ne diu eos illic detineri patiamini, quamque citius fas erit, iis ſubvenite. Heu! videmus nonnunquam, quod cum plebeii cujuſdam hominis domus fœdo vaſtatur incendio, civitas tota percellitur, undique accurritur, & auxiliares aquæ undequique quam celerrime deferunt. Quod ſi in harum flammarum medio unicum tibi, maximeque charum videas filium, quæ non auxilia, quæ non quam citiſſime ſubminiſtrabis adminicula? O NN. mediis in Purgatorii flammis agunt filii & filiæ, hocce piaculari rogo involvuntur patres & matres; illos ibi, medios inter flammarum vortices, fidei oculo videtis: quare quam celerrime accurrite, ut precibus, eleemoſynis, indulgentiis, omnibuſque modis poſſibilibus, iis ſubveniatis. Erga illos eſtote miſericordes, & Deus erga vos miſericors erit, perque infinitam ſuam miſericordiam ab his vos præſervabit flammis, ac æternam vobis beatitudinem conferet. *Amen.*

DE
FIDELIBUS DEFUNCTIS.
CONCIO QUARTA.

Miſeremini mei, miſeremini mei. Job 19. 21.

QUocunque tempore, & quovis modo moriatur homo, aliquid ſemper conſolationis propinquis, & amicis relinquit: ſi enim in juventute mortuus ſit, credunt, quod *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet*

ret animam illius: *Sap.* 4. ſi ſenex, & longa ægritudine gravatus, ab hoc mundo diſceſſerit; hæc in lacrymis conſolatio eſt, quod mors non ingreſſa ſit illius domum per feneſtras, ſed per januam, dumque mortem expectabat ditantem potius, quam expoliantem. Si autem qui mortuus eſt, juſtus & ſanctus apud homines videbatur, hæc Salomonis verba in promptu habent propinqui: *Juſtus, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; *Ib.* ſi tandem non juſtus & bonus, ſed peccator, & impius ab hominibus credebatur; Dei miſericordiam peccata ejus ſuperaſſe confidunt: quia erga omnes *Deus miſerator & miſericors*, *Pſ.* 85. 15. Sed ſibi quiſque ſuper homine mortuo quas voluerit conſolationis rationes fingat; eſt ſemper quod ſuſpicemur, illum ab hoc mundo ad ignem ſaltem purgatorium perrexiſſe; quia, teſte D. Paulo, Paradiſum vix obtinet quis, qui per ignem purgatorium prius non tranſierit: *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. 1. *Cor.* 5.

O NN. qualis vobis eſſe poteſt conſolatio, dum propinqui & amici in horrenda Purgatorii fornace cruciantur? Quale vobis gaudium, dum illi flent, gemunt, & clamant: *Miſeremini mei, miſeremini mei*? Certe potius cum illis flendum; & ſi non totaliter obdurata ſint corda veſtra, eorum miſerendum eſt, auxiliareſque eis præbendæ manus. Ad quod ſedulo & prompte faciendum ut alliciamini, ignis illius, quo purgatorii fornax ſuccenditur, naturam & characterem delineabimus, &c, *Ave*.

PUrgatorius ignis potentiæ, juſtitiæ & ſapientiæ divinæ miniſter eſt: *Dei potentia* ignem hunc, licet materialem & corporeum, ad animas, quæ mere ſpirituales ſunt, torquendas elevat: *Dei juſtitia* hoc utitur igne, ut viros juſtos purificet: *Et Dei ſapientia* quodam quaſi intelligentiæ ſpiritu hunc ignem afficit; ut diſcernat, quam gravia ſint cujuſque delicta: utque juxta merita quemque cruciet.

O ignem mirabilem, quem Dei elevat potentia, armat juſtitia, & erudit ſapientia: hunc elevat potentia, ut agere valeat in ſpiritus: hunc armat juſtitia, ut viros etiam ſanctos torqueat: & hunc erudit ſapientia, ut cujuſque merita diſcernat. Unde, meo quidem judicio, ignis purgatorii characterem ſatis explanaſſe, & delineaſſe videbor: cum dixero, eum eſſe corporeum & materialem, voracem & vehementem, diſcretum & ſapientem. In purgatorio eſt 1. *Ignis corporeus*, qui torquet ſpiritus: 2. *Ignis violentus*, qui torquet Sanctos: 3. *Ignis ſapiens*, qui quemlibet torquet juxta merita. Ecce qualis ſit ignis, quo torquentur fideles in Purgatorii fornace.

PRIMA PARS.

In Purgatorio eſt ignis corporeus, qui torquet ſpiritus.

IGnem Purgatorii corporeum eſſe, diſerte aſſerit Sanctus Gregorius, *lib.* 4. *Dial. c.* 29. & hoc paſſim tenent Scholaſtici Doctores; inter quos Seraphicus Bonaventura ait, quod ignem hunc corporeum eſſe Dei juſtitia exigat; quia ſicut ſecundum ordinem naturæ, anima corpori a Deo unita eſt, ut illi vitam influat: ita ordo divinæ juſtitiæ exigit, ut anima quæ peccaverit, alteri corpori, igni ſcilicet, uniatur, ut per eum puniatur: *Ordo divinæ juſtitiæ exigit, ut ſpiritus ab igne materiali habeat puniri: ut ſicut ſecundum ordinem naturæ, anima unitur corpori, ut influat vitam ipſi corpori: ſic uniatur igni materiali ſecundum ordinem juſtitiæ, ut punibile punienti, a quo ſuſcipiat pœnam*. *S. Bonav. in breviloq.* q. 7. c. 2.

Non facile concipitur quomodo corporeus hic ignis in animam incorpoream, & totaliter ſpiritualem agere valeat: fidelium enim animæ, quæ in purgatorio igne torquentur, a ſuis corporibus ſunt ſeparatæ: quomodo ergo fieri poteſt, ut elementum hoc materiale, extenſum, & ex variis partibus compoſitum, in animas ſpirituales, inextenſas, & partibus carentes agat? Fatentur omnes, quod agens quodcumque actionem ſuam ultra activitatis ſuæ ſphæram ferre non poſſit; qui ergo fieri poteſt, ut agens materiale & corporeum agat in animas ſpirituales, quæ extra activitatis ejus ſphæram ſunt? Hanc certe ignis corporei in animas ſpirituales actionem mens humana explicare non valet; & ideo Hugo a S. Victore *Lib.* 2. *de Sacram.* 3. *part. cap.* 3. hanc actionem vocat *perpetuum miraculum*, quod homo concipere non poteſt. Ideo etiam Lactantius Firmianus ait, hunc ignem *inenarrabiliter torquere*. Ideo S. Chryſoſtomus aſſerit, hunc ignem *tormenta indicibilia* inferre. Et D. Auguſtinus; *de Civit.* 6. *c.* 10. corporeum hunc ignem *miris, & ineffabilibus modis* animas cruciare prædicat. Licet autem miraculoſa, inenarrabilis, indicibilis, & ineffabilis ſit actio ignis corporei in animas ſpirituales; certum tamen eſt, quod in eas vere agat, quodque eas diriſſime torqueat.

Diverſimode explicare conantur Theologi hanc ignis corporei in animas actionem: dicunt aliqui, eam eſſe realem & phyſicam, ignemque phyſice agere in ſpiritus; non quidem per ſolam ſibi nativam virtutem; ſed per Dei potentiam, quæ illum ſupernaturaliter elevat, ut in ſpirituales ſubſtantias agat. Aſſerunt alii, hanc ignis corporei actionem eſſe ſolummodo moralem, & metaphoricam, varieque hanc ejus actionem explicare contendunt; ſed ſive phyſica, ſive moralis ſit hæc actio, ineffabilis ſemper eſt: vereque dici debet, quod modo ineffabili ſpiritus crucietur ab igne corporeo: *Ineffabilibus modis recipientes ex ignibus pœnam*. *S. Aug. ubi ſup.* Quare in hoc myſterio unum nobis eſt incertum, & aliud certum; incertum eſt, quomodo ignis corporeus agat in ſpiritus, idque concipere nequimus. Sed certiſſimum, & indubitatum eſt, quod ignis corporeus vere agat in ſpiritus, ac eos cruciet, id certum eſt: ut enim ait D. Auguſtinus, *ubi ſup. adhærebunt ergo ſpiritus, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi miris & ineffabilibus modis, recipientes ex ignibus pœnam*. Si ab Auguſtino quæras, quomodo Purgatorii corporeus ignis in ſpirituales animas agat; ſe hoc non concipere fatetur: quia hoc eſt myſterium ineffabile: *Ineffabilibus modis*. Sed ſi ab eo petas, an revera corporeus

Pur-

Purgatorii ignis in ſpirituales animas agat, & an eas cruciet? hoc vere concipit, de hoc non dubitat; eaſque ab igne corporeo cruciari aſſerit: *Adhærebunt ſpiritus, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi*. Cum Auguſtino idem ſentit S. Gregorius, dicens: quod *per ignem corporeum mens incorporea cruciatur. S. Greg. 4. Dial. c. 29.*

O NN. ſæpe ſæpius ſubterraneum hunc ignem recogitate; in purgatorium crebro viventes deſcendite; corporeum hunc ignem ſæpiſſime mente revolvite: in illum projici timete; ac talem ſuſcipite pœnitentiam, ut ea mediante, graviſſimas illius ignis pœnas vitare valeatis. Hunc certe ignem antiquitus ſerio meditabantur viri ſancti, in illum projici quam maxime timebant & ideo indefeſſa ſollicitudine gravibus pœnitentiis incumbebant. Sed nunc primævus hic evanuit fervor; temporum ſucceſſu obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii, hominum facies eſt denigrata; nullumque fere reperire eſt, qui gravi pœnitentiæ adhæreat; quia nullus fere eſt, qui in purgatorium ignem injici timeat,

Plerique ſimiles ſunt pueris: qui, ut ait Chryſoſtomus: *larva timent, ignem non timent*. Pavent & trepidant pueri, cum illis perſonatus quidam ſeſe offert homo, a quo nil mali ſunt paſſuri: *Larvas timent*; ſed ſi candelam accenſam videant, nequaquam timent; quin contra ei adblandiuntur, eique libenter digitum admovent. *Ignem non timent*. Sic certe ſe habere ſolent plerique hominum; dum enim eis jejunare, vigilare, & aliis pœnitentiæ operibus (quæ lævia, & nullius quaſi momenti ſunt) incumbere proponitur; tunc timent, nec iis vacare quomodocumque volunt: *Larvas timent*. Sed cum iis dicitur, quod ſi pœnitentiam non egerint, Deoque totaliter in hoc mundo non ſatisfecerint, in Purgatorium mittentur, ubi ab igne corporeo diriſſime cruciabuntur: *Ignem non timent*. Immo plerumque dicunt, quod piacularibus Purgatorii flammis ad multos dies, ad plurimos etiam annos, adjudicari optarent: *Ignem non timent*. O quam metuendus eſt hic ignis! O quam formidandus! Quod ut clarius pateat, hunc ignem, non ſolum corporeum, verum & *maxime violentum eſſe, jam probabimus*.

SECUNDA PARS.

In Purgatorio eſt ignis violentus, qui torquet juſtos.

1. IGnis purgatorii gravitatem, & violentiam mirabiliter exaggerant Sancti Patres; & præcipue S. Anſelmus, Cæſarius & Auguſtinus, quorum primus, hunc ignem ita violentum & vehementem eſſe aſſerit, ut nil eo gravius homo quiſquam in hoc mundo ſuſtinere poſſit: *Gravior eſt ille ignis, quam quidquid homo pati poteſt in hac vita*. Addit Sanctus Cæſarius Arelatenſis Antiſtes, hominem mortalem nec cogitare poſſe, quanta ſit ignis illius gravitas: *Purgatorius ignis durior erit, quam quod poſſit pœnarum in hoc ſæculo ſentiri, aut cogitari. Cæſar. Hom. 7. & 8.* Sed ignis hujus violentiam melius explanare, magiſque amplificare videtur S. Auguſtinus: dum ignem igni confert, aitque ignem noſtrum, reſpectu ignis Purgatorii, non verum, ſed fictum ſolummodo & pictum ignem eſſe: *Ignis noſter in hoc mundo, eſt tamquam ignis depictus in afflictione, reſpectu pœnæ ignis Purgatorii. S. Aug. cit. de pœn. Diſtinct. 7. c. ult.* Norunt omnes, tantam ignis noſtri eſſe vim, ut duriora metalla liquet, ſylvas & montes abſumat, in eum projecta quævis corpora devoret, ac intolerabiles dolores cauſet: nihilominus, ſi credamus Auguſtino, tanta eſt Purgatorii ignis violentia, ut noſter hic ignis, reſpectu illius, ſit ſolummodo ignis quaſi imaginarius & pictus: *Eſt tamquam ignis depictus*. O magnam Purgatorii ignis violentiam!

Nec mirum, ſi ignis illius vehementiam tantum exaggerent Sancti Patres, cum hic ignis ejuſdem ſit naturæ cum tartareo: *Sub eodem igne*, inquit Sanctus Gregorius: 4. *Dial. purgatur electus, & crematur damnatus*. Et, ut ait Doctor Angelicus: *idem eſt ignis qui damnatos cruciat in inferno, & qui juſtos in Purgatorio purgat. D. Thom. in 4. Diſt. 20. quæſt. 2. art. 1.* Ad horrendam, quæſo, tartari fornacem mentis oculos nunc convertite, ignis illius impetum, & acerbitatem ſerio contemplamini, attendite quanta ſit violentia ignis illius, quem accendit Deus in furore ſuo, perpendite, quam grave ſit ab illo igne uri, qui eſt quaſi omnium tormentorum congeries, & in quo adunata eſſe videntur omnia ſupplicia: *In uno igne omnia ſupplicia ſentiunt in inferno peccatores. S. Hieron. Epiſt. ad Pammach.* O vere magnam tartarei illius ignis violentiam! Sed o quam acerbus etiam, & violentus eſt ignis purgatorius, qui eamdem cum tartareo ſortitur naturam: *Idem eſt ignis*. Inter utrumque tamen hæc eſt differentia, quod tartareus reprobos: *Purgatorius vero viros juſtos & electos cruciet*.

2. Non Turcas; non Barbaros, non Infideles, non Schiſmaticos, nec alios quoſque qui in ſtatu peccati mortalis ab hoc mundo exeunt, ſed ſolos juſtos recipit purgatorium; in eo ſoli purgantur electi, ab ejus igne ſoli prædeſtinati cruciantur: *Igne purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. S. Ambr. in Pſ. 36.* Viri quique ſanctiſſimi, inquit S. Ambroſius, licet filiorum Levi æmulentur ſanctitatem, quamvis prophetico Ezechielis ſpiritu potiantur, ac Danielis pietate floreant, hoc tamen igne purgabuntur, & torquebuntur, ſi quid poſt mortem in iis purgandum remaneat.

O Domine, quam formidabilia judicia tua, reſpectu juſtorum, quos purgatorii ignibus adjudicas! *Non mirum*, quod olim aperta ſit terra, ut deglutiret Dathen & Abiron, quodque itidem ducenti quinquaginta viri ab igne Cæli ſint conſumpti: quia hi rebelles fuerant Moyſi, ac adverſus Deum blaſphemaverant: *Num. 16. Non mirum*, quod a Babylonicæ fornacis igne devorati ſint barbari cujuſdam Regis Miniſtri; quia hi erant idololatræ, majorique ſupplicio digni: *Dan. 3. Non mirum*, quod ſuper Sodomam & Gomorrham pluerit Dominus ſulphur & ignem, quodque civitates illas ſubverterit: quia omnes fere earum cives peſſimis & infandis erant criminibus inquinati. *Geneſ. 19.* Sed mirum prorſus & ſtupendum eſt, quod ſervos ſuos,

San-

Digitized by Google

Sanctos ſuos, ſuoſque prædeſtinatos, ob levia quædam delicta, ad vehementiſſimas Purgatorii flammas Deus condemnet.

Juſtitia ſæcularis, non eos, qui in levia ſolummodo inciderunt peccata, ſed ſacrilegos, Sodomitas, & alios majorum criminum reos, ad ignis ſupplicium damnat. Aſt ita gravis & ſevera eſt Dei juſtitia, ut viros quoſque ſanctiſſimos, ob leviſſima quævis delicta quæ in hoc mundo non abluerunt, ad Purgatorium, intolerabilia ignis Purgatorii tormenta perpeſſuros, damnet. O quam terribile eſt incidere in manus Dei viventis! Quam formidanda ſunt ejus judicia! O quam durum & moleſtum eſt, ob unicum verbum otioſum, ob mendacium officioſum, vel ob aliam leviſſimam culpam, Purgatorii ignis pœnas pati!

O N. N. quis ex vobis intra voraces illius ignis flammas poterit remanere? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Iſa. 33.* Quis ex vobis, molliculi, & delicatuli adoleſcentes, qui in medio voluptatum cœno viviris? Quis ex vobis, clariſſimi, ampliſſimi, nobiliſſimique Domini, qui nullos ſalutaris pœnitentiæ fructus facitis? Quæ ex vobis, o compiæ, & tenelullæ puellæ, quæ nec puncturam acus, nec ſcintillam ignis ferre valetis? Quis, inquam, ex vobis habitare poterit cum devorante Purgatorii igne? Heu! inquit Caſſianus *ſi digito ignem medicum tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus injici?* Hoc timete, hoc pertimeſcite: ne dicatis juſtus ſum, ſanctus ſum; ſed *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus, ſanctificetur adhuc; Apocal.* 12. ac ita perfecte quiſque vivat, ut in purgatorio igne nil expiandum remaneat.

Ne ſimiles ſitis hujuſcemodi Chriſtianis, quibus ſatis eſſe videtur, mortalia non perpetrare; & ideo de venialibus vitandis nullo modo curant. Mentiuntur ſæpe, vana paſſim loquuntur, otio molli indeſinenter indulgent, negligenter orant; & alia, quæ venialia cenſentur; non ſecus ac ſi bona eſſent, libenter faciunt. Heu! ſi ſcirent, ac intelligerent, quam violentus & vehemens ſit purgatorius ignis, quo plectuntur, qui veniales maculas contraxerunt; certe ab illis perpetrandis totis conatibus abſtinerent, & jam perpetrata ſummo ſtudio in hoc mundo purgarent.

Perpendite, inquit Auguſtinus, quod ignis quo Deus in alio mundo homines punit, elementari noſtro igne ſit longe vehementior; & tamen non eſt qui non mallet ignis noſtri ſupplicia vitare, quam aliquod crimen perpetrare: *Non erit iſte ignis, ſicut focus tuus: quo tamen ſi manum tuam mittere cogatis, facis quidquid voluerit, qui hoc mina nr. Aug. in Pſalm.* 49. Hoc penſate, hoc recogitate; & ſalutaris hæc cogitatio ad levia quævis peccata vitanda vos alliciat. Cum mentiendi, vel in aliud veniale incidendi occaſio ineſt, accenſæ candelæ, ſi vultis, digitum admovete, aut ſaltem intra vos dicite; ſi veniale hoc peccatum admittam, nec illius in hoc mundo pœnitentiam agam, purgatorius me expectat ignis, in quo non ſolum ad momentum, vel ad horam, ſed forte ad plurimos dies, menſeſque cruciabor. Hoc ſæpe intra vos dicite, hoc penſate, hoc mente revolvite; talique cogitatione commoti, minima quævis venialia vitare ſatagite, ut non incidatis in Purgatorium, in quo eſt ignis violentus, qui cruciat Sanctos; & in quo etiam *ignis ſapiens, qui quemlibet torquet juxta merita.*

TERTIA PARS.

In Purgatorio eſt ignis ſapiens, qui quemlibet torquet juxta merita.

QUantumvis gravia, & dira ſint ab igne purgatorio cauſata ſupplicia; ea tamen juſta, & æquiſſima eſſe certum eſt: quia Deus *quod juſtum eſt, cum tranquillitate diſcernit, & recta voluntate diſpenit. Aug. Lib. de vera innoc. cap.* 12. Sicut enim in inferno Deus gravitatem ſupplicii gravitati criminum commenſurat, juxta illud *Apocal.* 18. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormenta & luctum*; ita & in Purgatorio ad multitudinem, & gravitatem delictorum attendit; ſpectat quanta ſint cujuſque delicta, & quemlibet juxta merita plectit; debitaque proportione ſervata, quemlibet juxta delictorum qualitatem, & quantitatem ſevere punit.

Verum quidem, quod idem ſit purgatorius ignis reſpectu omnium: ſed Deus aliquem huic ſapientiæ & diſcretioni infudit ſpiritum, quo cujuſque diſcernit merita, & quemque juxta delictorum & debitorum exigentiam cruciat: *Quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit: tantum ſapiens flamma deſæviet. Auguſt. homil.* 16. *ex* 50. Fideles, qui Purgatoriis flammis ſunt adjudicati, non ſunt æqualiter debitores juſtitiæ divinæ, tum quia æqualia non ſunt eorum peccata; tum quia non æqualiter Deo pro peccatis in hoc mundo ſatisfecerunt. Deus autem, ut nulli injuriam faciat, mirabili quodam intelligentiæ ſpiritu purgatorium ignem afficit, quo cujuſque merita, & debita dignoſcit, ac quemque, ſervata æquitate, juxta merita punit.

Tartareus ignis a Tertulliano vocatur *ſapiens ignis: Tertull. ſcorp.* 4. & ab Euſebio Emiſſeno nuncupatur *ignis arbiter. Euſeb. hom.* 4. *de Epiph.* Hic ignis *ſapiens* eſt; quia quæ, & quanta damnati cujuſque ſint demerita, ſapientiſſime diſcernit, & quemque congruis cruciat tormentis: hic etiam *ignis arbiter*: quia æquiſſimum in damnatos exercet judicium, & pœnam juxta uniuſcujuſque culpam decernit, & infligit. Quod autem de tartareo hoc & de purgatorio igne dicamus; iſte etenim ejuſdem eſt naturæ, eodemque ſapientiæ ſpiritu eſt inſtructus. Vere *ſapiens*, & *arbiter* æquiſſimus eſt purgatorius ignis, quia quemlibet fidelium defunctorum nec plus, nec minus, quam par eſt, ſed præciſe juxta delicta, & debita cruciat: *Quantum exegerit culpa, tantam ſibi ex homine vindicabit quædam flamma rationabilis diſciplina. S. Auguſt. ibidem.*

Purgatorii hujus ignis ſapientiam, & æquitatem mirabiliter explicat Caſſianus, cum eum meritorum cujuſque inquiſitorem vocat. *Ille ignis eſt inquiſitor meritorum.* Qui Catholicæ fidei Inquiſitioni præficiuntur, ſapientiſſimi ſimul & æquiſſimi eſſe ſolent: *Ut ſapientiſſimi*, eorum, qui ad ipſorum tribunalia vocantur, ſcelera examinant, eorumque gravitatem

dijudi-

Google

dijudicant: *O: æquiſſimi*, delictis pœnam commenſurant, & quemlibet, juxta culpæ exigentiam puniunt, *Caſſian. collat.* 3. Hæc ſane ſunt Inquiſitorum fidei munia, quibus, aut ſaltem ſimilibus fungitur Purgatorius ignis; qui quaſi judex a Deo electus pro fidelium defunctorum inquiſitione ſedet. Eſtque ille ignis *inquiſitor ſapientiſſimus*: quia cujuslibet ex fidelibus defunctis delicta & debita examinat, diſcernit & ponderat; & eſt *inquiſitor æquiſſimus*: quia quemlibet pro ratione culparum & debitorum cruciat.

Si quiſque ſemetipſum in hoc mundo judicaret, Deoque plene ſatisfaceret, in alio mundo non judicaretur, nec ad Purgatorii pœnas damnaretur: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*; 1. *Cor.* 11. 3. ſed quia viri, etiam ſanctiſſimi, levia peccata in quæ incidunt, non ſatis examinant, nec ſatis in hoc mundo judicant & puniunt, ignem Purgatorium, ut ſapientiſſimum, & æquiſſimum judicem, ſtatuit Deus, ad examinanda, & probanda cujuſque opera; *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*. 1. *Cor.* 3. Hic ignis, ut judex & inquiſitor a Deo conſtitutus, abſcondita tenebrarum, & ſecreta cordium penetrat, cogitationes, verba, & cujuſque opera inquirit; quantis quiſque ſuppliciis dignus ſit, adjudicat; ac juxta cujuſque merita, ſuos temperat ardores, & quemque juxta culparum exigentiam punit, & cruciat.

In Eccleſiaſtico Inquiſitionis tribunali, gravia ſolummodo examinari & puniri ſolent ſcelera; in eo blaſphemiæ, hæreſes, & alia id genus peccata ad examen vocantur, & juxta cujuſque gravitatem plectuntur; ſed ignis purgatorius eſt inquiſitor ſeverus, qui levia quævis delicta ſcrutatur, cenſura debita inurit, & condigno ſupplicio plectit. O vos omnes, qui levia, quæ intra conſcientiam latent, peccata indiligenter, & perfunctorie examinatis! Vos qui divinæ juſtitiæ in hoc mundo plene & perfecte ſatisfacere negligitis!! Scitote quoniam immediate poſt mortem ad inquiſitionis Purgatorii tribunal vocabimini. Ibi *Inquiſitor ignis*, mendacia hæc quæ nullius momenti eſſe creditis, verba illa otioſa, quæ nulli injuriam facere dicitis, frequentes illas nugas, quas animi oblectandi cauſa profertis, tempus quod in vanis & inanibus teritis occupationibus, minimas negligentias ad quas inter orandum declinatis, ac tandem quidquid in verbis & operibus veſtris imperfectum & vitioſum reperiri poteſt, ſedulo examinabit, ac quemque juxta merita puniet: nec ab illo exiet quiſquam, donec juſtitiæ divinæ fecerit ſatis: *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*. *Matth.* 5. 6.

O quam terribilis eſt ille ignis! Terribilis quidem & timendus: pauci tamen illum timent: immo nonnullos reperire eſt, qui in illum mitti peroptant. Et ſicut olim illuſtriſſimus Martyr Sanctus Ignatius dicebat; *utinam fruar beſtiis*! ita & dicunt hi: Utinam Purgatorio fruar igne! Utinam ad ardores illius per multum temporis tolerandos aliquando damner! Neſciunt certe quid petant hujuſmodi homines: ſi enim ſcirent, ac probe noſſent, quam gravis & vehemens ſit ille ignis, non ſic loquerentur, nec talia emitterent vota: ſed jejuniis, aliiſque ſeverioris pœnitentiæ operibus pertinaciter inſiſterent, ut mediantibus illis, impertranſito Purgatorio, poſt mortem ad Paradiſum recte pergerent.

Audivit aliquando ſancta Lyduvina pium quemdam Sacerdotem, dicentem: vellem, ſi liceret mihi multis annis, multiſque ſæculis degere in Purgatorio; modo certo conſtaret, me poſtea ſalvum fore. Cui virgo ſuſpirans reſpondit: *Quid eſt, Domine, quod loqueris? Si ſcires qualis ſit Purgatorii locus, & quas ibi dent pœnas animæ, nequaquam ita loquereris*. *Sur.* 14. *Aprilis*. Quod Sacerdoti huic dixit admiranda virgo Lyduvina, hoc & omnibus dico, qui in Purgatorium ignem mitti non timent: ſi enim ſcirent, quomodo hic ignis agat in ſpiritus, quanta ſit ejus violentia, & quam ſapienter ponderet & ſevere puniat minima quævis delicta: pro certo in illum ignem mitti timerent, ac omnibus modis illum vitare conarentur.

In hunc ignem mitti timebat Sanctus Auguſtinus, qui enixe ſic Deum deprecabatur: *O Domine, in hoc vita purges me, & talem me reddas, cui igne Purgatorio non opus ſit*. *S. Auguſt. in Pſalm.* 37. In hunc ignem projici & vos ſimiliter timete, ac eandem pluries ad Deum orationem fundite: eum ſupplices rogate, ut in hoc mundo per gratiam ſuam, ac per morbos & afflictiones ita vos purget, ut poſt mortem in purgatorio igne luendum & purgandum nil remaneat.

At non ſolum pro vobiſmetipſis orandum, verum & pro amicis, benefactoribus, & parentibus, qui in mediis flammis cruciantur. Supplices, & gementes ab ima Purgatorii fornace ad vos clamant, dicentes: *Miſeremini mei, miſeremini mei*; eorum, quæſo, audite voces; veſtra ne obduretis corda, eorum miſeremini; erga illos eſtote miſericordes; & Deus erga vos ſe miſericordem exhibebit. Non ſatis eſt flere, ſed iis ita miſerendum, ut auxiliares ei manus præbeatis, eoſque e medio flammarum eruatis.

Cum olim Romæ Templum, Deæ Veſtæ dicatum, incendio vaſtaretur, virgines illæ, quarum curæ demandatum fuerat, in terram ſe proſtrantes, plurimum flebant, nilque aliud faciebant. Quibus Metellus, Templi hujus Sacerdos magnus ait: *Non eſt auxilium flere*, & per medias tranſiens flammas, Deæ Veſtæ ſtatuam ab incendio liberavit. O N. N. ſcitis, fidelium animas in mediis purgatorii flammis ardere, & ploratis multum: ſed *Non eſt auxilium flere*. Has non a vobis petunt lacrymas, ſed ut ipſarum miſereamini: utque precibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque piis operibus illas a Purgatorii fornace eruere conemini. Miſeremini ergo illarum, & Deus erga vos erit miſericors; ac per infinitam ſuam miſericordiam gratiam in hoc mundo, & gloriam in futuro vobis largietur. *Amen*.

DE
FIDELIBUS DEFUNCTIS:
CONCIO QUINTA.

Miſeremini mei, miſeremini mei. Job 19. 21.

ROgo & obſecro vos, N. N. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, *Matth.* 23. ut animarum, quæ in Purgatoriis torquentur flammis, miſereamini; hoc a vobis ſupplex peto *In nomine Patris*, qui vos creavit; *& Filii*, qui vos redemit; *& Spiritus Sancti*, qui vos per gratiam ſuam regeneravit. Has in cœlo animas expectant adorandæ tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ; expectant ut & nos, multiplicatis ſacrificiis, aliiſque bonis operibus, eas a Purgatorii ergaſtulo liberemus. Supremæ, quæſo, divinarum Perſonarum voluntati pareamus; & urgentibus piorum defunctorum precibus annuentes, eos a piacularibus flammis eruere conemur.

Ibi a multo tempore flent, clamant, & conqueruntur: *Flent* ſuam deplorantes infelicitatem, *Clamant* ad mortales, quorum ſuffragiis liberari deſiderant, & *Conqueruntur* de propinquis, hæredibus, & aliis, qui teſtamenta executioni mandare, preces fundere, aliaque pia opera ad ipſorum liberationem facere negligunt. Amaras quæſo, eorum abſtergite lacrymas, clamores illorum audire, ac juſtis illorum querelis commoti, ipſis ſubvenite: ad quod ut vos alliciam, Purgatorium, in quo torquentur, hodie proponam, ut *Terram infelicem & infortunatam*, &c. *Ave.*

PUrgatorium, ſicut & Paradiſus, terra ſancta eſt; quia ſicut in Paradiſo, ita & in Purgatorio nonniſi Sancti habitant. Unde cuilibet ſive in Paradiſo, ſive in Purgatorio exiſtenti dici poteſt: *Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.* *Exod.* 3. Magna tamen eſt differentia inter utramque illam terram: quia Paradiſus terra & ſancta & ſimul feliciſſima eſt: Purgatorium vero terra quidem ſancta eſt; ſed eſt etiam ſimul terra infortunata & infelix; quia eſt terra dolorum, tenebrarum & oblivionis.

Paradiſus non eſt terra dolorum; quia ibi *neque clamor, neque dolor erit ultra*: *Apocal.* 21. non eſt etiam terra tenebrarum; quia ab ipſo Deo, Sole juſtitiæ, mirabiliter illuminatur, *habentem charitatem Dei*; *Ibid. verſ.* 11. non eſt tandem terra oblivionis; quia Sanctorum geſta Deus æternæ memoriæ mandabit: *In memoria æterna erit juſtus.* *Pſalm.* 111. O felicem Paradiſi terram! O quam felices & fortunati ſunt, qui in ea habitant! Sed Purgatorium terra eſt infelix & infortunata; quia eſt terra dolorum, tenebrarum & oblivionis: *Eſt terra dolorum*: in qua acerbiſſimos dolores patiuntur fideles defuncti; *Eſt terra tenebrarum*, in qua gementes deliteſcunt: *Eſt terra oblivionis*, in qua dum gravia patiuntur, ab hominum memoria exciderunt. Purgatorium eſt: 1. Terra dolorum: 2. Terra tenebrarum: 3. Terra oblivionis. En tres rivuli quibus purgatorium infortunatam terram eſſe patebit.

PRIMA PARS.

Purgatorium eſt terra dolorum.

DAvid, mortuo ingrato filio ſuo Abſalone, amare flevit, clamans: *Fili mi Abſalon; Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 2. *Reg.* 18. Cur tam amaras lacrymas fundit Propheta, mortuo Abſalone, qui ipſi infenſus fuerat? Non fleverat David, mortuo puero quem habebat ex Bethſabee: cur ergo, mortuo Abſalone, amare flet? flet, inquit Auguſtinus: *Quia noverat in quas pœnas tam adultera, tam impia, & parricidialis anima raperetur.* *Auguſt. Lib. Doctr. Chriſt.* 21. A Propheta Regio diſcite, quando & pro quibus mortuis flendum: non enim flendum pro infantibus, qui poſt acceptum Baptiſmum moriuntur; ſed flendum pro patribus, matribus, & omnibus adultis, qui poſt commiſſa, & non totaliter deleta peccata, ex hoc mundo exeunt; quia ſive ad Infernum, ſive ad Purgatorium damnati ſint, ſunt ubique miſeri; ſed non æqualiter: quia in Inferno ſunt in æternum miſeri; in Purgatorio vero, licet non in æternum, ſunt tamen graviter miſeri; eſtque illis Purgatorium terra ſuppliciorum, & dolorum, in qua tot tantiſque doloribus ſubjiciuntur fideles defuncti, ut continuum ſit miraculum, quod in iis ſubſiſtere poſſint: *in miſeriis non ſubſiſtent.* *Pſalm.* 139.

Ut exprimat Sanctus Cyrillus quanti ſint dolores, quos in Purgatorio perferunt fideles defuncti, dolores cum doloribus confert; animarumque Purgatorii dolores cum noſtris comparans, ait utrinque quidem eſſe dolores, ſed tantos eſſe arbitratur, quos in Purgatorio perferunt fideles defuncti, ut in comparatione illorum graviſſimi quique hujus mundi dolores, non dolores, ſed potius conſolationes & refrigeria cenſeantur. *Si omnes quæ in mundo ſunt pœnæ, tormenta, & afflictiones, comparentur minori pœnæ quæ illic habetur, veluti ſolatia apparebunt.* *Sanctus Cyrillus in vita S. Hieronymi.* Videte, quantos dolores patiantur in ſuppliciis rei, ægri in infirmitatibus, in Xenodochiis pauperes, Martyres in tormentis; eorum & aliorum omnium, qui in hoc mundo dire cruciantur, dolores ponderate, eoſque reſpectu dolorum quibus gravantur animæ fidelium defunctorum, leviſſimos eſſe credite: quia ſi omnes quæ in mundo ſunt pœnæ, tormenta & aflictiones, comparentur minori pœnæ quæ illic habetur, *veluti ſolatia apparebunt.* Cum acri dentium dolore ſtimulamur, amare flemus, gementes undique clamamus, nullumque dolorem noſtro acerbiorem inveniri poſſe imaginamur. Cum dyſenteria, calculo, podagra, vel gravi alio laboramus morbo, mori magis, quam diu ſic vivere optamus, doloreſque noſtros ipſa morte amariores putamus; & graves quidem ſunt in ſe; ſed intuitu eorum quos patiuntur fideles defuncti, non dolores, ſed ſolatia ſunt: *veluti ſolatia apparebunt.*

Dolores hujus mundi, aut leves ſunt, aut breves; quia ſi graves ſunt, cito tranſeunt, nec diu durare poſſunt. Nam juxta commune effatum *Nullum violentum perpetuum*, & ut præclare loquitur

Mora-

Moralis Philoſophus: (Hoc ſolatium vaſti doloris eſt, quod neceſſe eſt, deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris: nemo poteſt valde dolere, & diu: ſic nos amantiſſima noſtri natura diſpoſuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret: brevis morbus ac præceps alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet. *Beda Lib. 5. cap. 13.* In purgatorio autem, dolores diu durant, & ſimul acerbiſſimi ſunt: durant aliquando ad decem, ad viginti; immo ad centum annos & ultra; & tamen ita graves & acerbi ſunt; ut omnes quos patimur in hoc mundo dolores, leviſſimi ſint, parvi ſint; & quaſi nihil ſint, reſpectu eorum quos in purgatorio fideles patiuntur.

Animarum purgatorii dolores, pluſquam graviſſimos eſſe fateremur, ſi unico ictu oculi, purgatoria hæc loca, & quæ in iis patiuntur fideles defuncti, luſtrare valeremus. Heu! ſi videre poſſemus ſubterranei hujus carceris acerbitatem, portentoſam ignium illic exardeſcentium vim, ſummamque animarum ibi patientium triſtitiam: ſi videremus, aut ſaltem perfecte noſſemus, quam graviter ibi ſuos Deus plectat amicos, ut eos æternæ gloriæ dignos efficiat; attonitus quiſque haud dubie clamaret: o quam graves, quam acerbi ſunt dolores; quos patiuntur fideles defuncti! Nec eſt, qui non aſſereret, dolores noſtros reſpectu illorum, eſſe quaſi lenimenta & ſolatia.

Hoc olim firmiter crediderunt & aſſeruerunt ex Anglis multi, cum unum ex Britanniæ Majoris, incolis Drithelmum nomine, a mortuis ſuſcitatum viderunt. Hic cum fato functus, ex Dei licentia purgatorii pœnas intuitus & contemplatus eſſet, a mortui excitatus, palam dixit, vitam denuo ſibi conceſſam, ſed longe alia ratione ducendam. Et revera (teſte Ven. Beda, *l. 5. c. 13.*) novus hic homo novam & portentoſam vitam duxit: mox enim facultates omnes pauperibus & liberis diſtribuit; ſeque in cœnobium recepit, ubi portentoſæ pœnitentiæ operibus vacavit. Vigilabat, jejunabat, aliiſque ſolitis mortificationibus carnem ſuam affligebat; ſed inſuper ardentibus prunis decumbens aliquando cernebatur; tuncque adſtantibus, ſe calidiora vidiſſe dicebat: *Calidiora vidi.* Nonnunquam frigidiſſimo hyemis tempore in mediis ſtagnorum aquis ſe immergebat; nuneque rogantibus ut ab hoc loco diſcederet, ſe frigidiora vidiſſe reſpondebat: *Frigidiora vidi.* Inter vepres & lapides nudum corpus interdum volutabat; tuncque interrogantibus, cur hæc faceret; Se diriora vidiſſe aſſerebat: *Acerbiora vidi.* Penſate NN. ſæviora ſupplicia, quæ unquam humana juſtitia decrevit in reos; perpendite crudeliora tormenta, quæ ingenioſa tyrannorum crudelitas exercuit in Martyres; mente, ſi vultis, revolvite cunctas plagas, quibus divina vindicta percuſſit impios, his ſane diriora & acerbiora viderat Drithelmus; nempe purgatorii ſupplicia, quæ ita acerba ſunt, ut quæcumque in hoc mundo patimur, reſpectu illorum, non ſupplicia, ſed ſolatia videantur.

O quanta ſunt purgatorii ſupplicia! O quanti dolores fidelium qui ea patiuntur! Eos certe graviſſimos cenſuit Philippus tertius Hiſpaniarum Rex; qui ut defunctam conjugem *Margaritam Auſtriacam* ab iis liberaret, viginti millia piacularia ſacrificia fieri curavit. Eos etiam acerbiſſimos credidit Sereniſſima Hiſpaniarum Infans, Iſabella Clara Eugenia, quæ pro defuncto conjuge *Alberto Pio*, Sacrorum quadraginta millia celebrari imperavit. *Engel. ſerm. pro Defunctis.* Eos quoque diriſſimos eſſe firmiter credunt multi, qui teſtamento ſuo, ſtatim ubi extremum ſpiritum exhalarint, Sacra multa pro ſe continuo fieri ordinant. Quod quidem recte factum: ſed rectius faciunt alii, qui ante mortem ſibi proſpiciunt, Miſſaſque plurimas pro ſe celebrari ſatagunt. Hos & illos, quæſo, imitamini; ſed & imitamini alios his omnibus ſapientiores, hos ſcilicet, qui, ut in purgatorio nil expiandum ſuperſit, ante mortem non ſolum de graviſſimis, verum & de leviſſimis quibuſque culpis pœnitentiam agunt. Sic faciendum eſſe clamat S. Chryſoſtomus, dicens: *Præoccupet pænitentia pœnam, regnum peccatorum extinguamus paucis lacrymis. Hom. 5. de pænit.* O NN. vivite, ut non expectet, ſed præveniat, & præoccupet pœnitentia veſtra pœnam purgatorii; flete, orate, ſuperflua in eleemoſynas erogate; ac ſalutaribus cunctis pœnitentiæ operibus ſedulo incumbite; ut vitare valeatis dolores purgatorii, qui acerbiſſimi ſunt. Sed ſi purgatorium eſt terra dolorum: *Eſt etiam terra tenebrarum.*

SECUNDA PARS.

Purgatorium eſt terra tenebrarum.

IN ipſo mundi primordio, poſtquam creavit Deus cœlum & terram, *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Gen. 1.* Sed præ nimia, qua pollet Deus bonitate, mox corpus quoddam lucidum creavit, a quo dies noctesque menſi ſunt, quouſque quarto creationis mundi die Solem & Lunam creavit: *Solem*, ut præeſſet diei; & *Lunam*, ut præeſſet nocti; *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti. Ib. verſ. 16.*

Hæc ſunt duo mirabilia luminaria, quæ nobis in hoc mundo viventibus illuceſcunt, hæc a nobis tenebras fugant. Sed hæc luminaria in purgatorio non apparent: purgatorium enim eſt terra tenebrarum, cui nec Sol, nec Luna, nec quodcumque ſidus lucet.

De hoc nullus eſt dubitandi locus; cum purgatorium ſit in imis terræ viſceribus, non longe ab ejus centro, & prope infernum, ubi nulla ſiderum quorumcumque lux videtur, & ubi ipſe ignis afflictis fidelibus non lucet, caloremque habet ut eos torqueat, ſed lucem non habet ut eos oblectet. Et in hoc ſenſu dixit Regius Vates, Deum, ſive tartarei, ſive purgatorii ignis flammam intercidiſſe: *Vox Domini intercidentis flammam ignis. Pſ. 28. 7.* Flammam quidem ignis purgatorii intercidit: quia in eo lucem a calore ſeparavit; & relicto ei calore, ab eo abſcidit lucem. Reliquit ei calorem, ut torqueret fideles: ſed ab eo abſtulit lucem; ut in purgatorio, quaſi in terra tenebrarum remanerent, ubi nulla Solis, Lunæ, ſiderum, ignis, vel cujuſlibet alterius luminaris luce foverentur.

Ccc

Certum eſt, in multis infernum à Purgatorio differre, & in hoc præcipue; quod inferni æterna, Purgatorii vero tranſitoria, ſint ſupplicia; ſed in hoc conveniunt, quod ſicut infernus, ita & Purgatorium eſt terra tenebrarum. Quod parabolis duabus nobis manifeſtare voluit Chriſtus, quarum una infernum, & altera Purgatorium terram tenebrarum eſſe declarat.

Prima, eſt Regis cujuſdam, qui cum invitatos ad nuptias quas paraverat, ſollicite luſtraſſet, unum ex eis adnotavit, veſtem non habere nuptialem, quem acriter arguit, eumque in tenebras exteriores mitti juſſit: *Tunc dixit Rex miniſtris; Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Matth.* 22. 13.

Hac parabola nobis delineantur impii, & omnes peccatores, qui in ſtatu peccati mortalis, ex hoc mundo exeunt, qui ad tenebras exteriores, ſeu ad infernum in æternum cremandi mittuntur: cum enim eos Chriſtus nuptialem gratiæ veſtem non habentes videt, adverſus illos iraſcitur, illos acriter objurgat, eoſque ad tenebras exteriores mitti imperat: *Mittite eum in tenebras exteriores*. O luxurioſe, qui tot libidinibus corpus tuum fœdaſti! o avare, qui aliena inique rapuiſti! o peccator, qualiſcumque ſis, qui ex hoc mundo in lethalis peccati ſtatu migras, optares ad cælum, & ad Agni nuptias venire; ſed quia divinæ gratiæ nuptiali veſte Indutus non eris, in infernum, ubi tenebræ erunt perpetuæ, præcipitaberis; *Mittite eum in tenebras exteriores*.

Secunda parabola, quæ de Purgatorio intelligitur, eſt de homine quodam prædivite; qui cum peregre proficiſci vellet, vocavit ſervos ſuos: quibus ſua bona tradidit, ut mediante eorum miniſterio facultates ſuas augeret, & aliquem ex bonis ſuis fructum perciperet. Uni autem ex ſervis dedit quinque talenta, alteri duo, & alteri unum. Qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis, & alia quinque lucratus eſt. Similiter & qui duo talenta acceperat, lucratus eſt alia duo. Sed qui unum acceperat, non operatus eſt in eo; & licet illud ſollicite ſervaverit, illudque Domino ſuo fideliter reddiderit; nihil tamen lucratus eſt, nec aliquod emolumentum Domino attulit: quare iratus Dominus adverſus hunc ſervum, eum in tenebras exteriores mitti jubet: *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores*. Ecce quo mittuntur deſides Catholici, qui non magna quidem perpetrarunt ſcelera; ſed qui magnis etiam virtutum operibus incumbere renuunt: ecce quo præcipitantur ſervi illi deſidioſi, qui quidem animam ſuam gravibus non coinquinant criminibus; ſed qui ex talentis a Deo acceptis non multum percipiunt fructum: *Ejicite in tenebras exteriores*. Hi qui in venialia ſolummodo inciderunt; non ad inferni, ſed ad Purgatorii tenebras projiciuntur. O quam durum fidelibus defunctis ad tenebras illas damnari! quam acerbum iis eſt, uno, vel etiam pluribus annis in illa terra tenebrarum remanere! o quam diuturna illis & terribilis hæc nox, quæ pluribus ſæpe annis durat, & ſine ullo lucis uſu continue perſeverat!

De Jacobo quodam Oſorio narrant Hiſtorici, quod cum ex Hiſpaniarum Regis ordinatione, carceri mancipatus fuiſſet; tanto mœrore confectus eſt, ut intra unam noctem canuerit, ejuſque crines albi facti ſint. Unde occaſionem ſumpſit Martialis Poeta dicendi, longam fuiſſe hanc noctem, cum in ea homo ille ſenex evaſerit: *O nox, quam longa es, quæ facis una ſenem? Martial. Lib. 4. epigr. 7.* Sed o quam longior Purgatorii nox! Quam durius eſt animabus in Purgatorio exiſtentibus, ibi pluribus annis, ac nonnunquam plurimis ſæculis in mediis tenebris remanere! Quam longa, & quam crudelis eſt illis ea nox, *o nox quam longa es!*

Triſtis erat ſenex Tobias, nec aliquo gaudio vel ſolatio in hoc Mundo frui poſſe credebat: quia cum cæcus eſſet, cæli lumen videre nequibat, ac vita ejus nox erat perpetua: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video. Tob.* 5. Sed quale gaudium eſſe poteſt animabus in Purgatorio patientibus? quali frui poſſunt ſolatio? vel potius, quo mœrore, quove dolore non comprimuntur, non ſolum ob pœnam ſenſus qua cruciantur, ſed etiam ob diuturnas tenebras quibus addicuntur? quam durum iis eſt pluribus diebus & annis in mediis tenebris vivere!

Mihi audire videor animas illas in tenebricoſo Purgatorii barathro clamantes: *Domine, fac ut videam*. O pueri, audite patrem, audite matrem, audite avos & atavos, quorum quilibet, ut cæcus ille, de quo S. Lucas, ad vos clamat; *Domine, fac ut videam. Luc.* 18. O patres, & matres, audite filios, & filias, qui in mediis Purgatorii tenebris deliteſcentes, vos ſupplices deprecantur, ut jejuniis, eleemoſynis & aliis piis operibus eos ab illa tenebrarum terra eruatis. Hanc iis ne denegetis gratiam: *Mortuo non prohibeas gratiam. Eccli.* 7. Orate, jejunate, eleemoſynas facite, & ſacrificia Deo offerri curate, ut iis mediantibus fideles defunctos ab illa tenebrarum terra eruere valeatis. *Sed Purgatorium eſt etiam terra oblivionis.*

SECUNDA PARS.

Purgatorium eſt terra oblivionis.

UT ſuadeam, Purgatorium eſſe terram oblivionis, velim ſolummodo, quod quiſque advertat, quomodo ſe habere ſoleant filii, hæredes, & amici, reſpectu parentum, benefactorum, amicorum, & aliorum defunctorum: certum enim eſt, quod eorum cito obliviſcantur: *Hodie homo eſt, & cras non compares: cum autem ſublatus fueris ab oculis, cito tranſit a mente; A Kempis L.* 1. *de Imit. cap.* 2.

Quot Magnates, qui in ſæculo innumeris circumdabantur aulicis, & qui devictas nationes pedibus ſuis proſtratas viderant, ubi primum intra parata ſibi ſepulchra clauſi ſunt, ab uxorum, filiorum, & aliorum memoria ita exciderunt, ut de præterita illorum magnitudine non amplius cogitarint? Quot divites, quot ſapientes, quot potentes in ſæculo, qui ut ſoles mundo affulſerant, mox poſt mortem oblivioni traditi ſunt; nec eorum magis mentio apud homines facta eſt, quam miſerorum militum, qui in conflictu ob recepta vulnera mortui ſunt, quorum nullus amplius recordatur? *Sicut vulnerati*

dor-

Digitized by Google

mientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius. Pſ. 87. Quot homines, quot mulieres, quot omnis ſexus, omniſque conditionis perſonæ, poſt mortem ſtatim derelictæ & oblivioni datæ ſunt, non ſolum ab extraneis, verum a filiis, ab hæredibus, & ab amicis? Certe mortuorum obliviſcuntur plerique, & fere nullus reminiſcitur eorum, ut illis ſubveniat: *Quis memorabitur tui poſt mortem, & quis orabit pro te? A Kempis Ibid.* Certe nullus fere memoratur defunctorum.

Poſtquam Princeps Apoſtolorum in monte Thabor guſtare cœpit, quam ſuave eſſet Chriſti cæleſti gloria radiantis conſortio frui, oblitus eſt ſociorum, quos ad montis radices reliquerat, de abſentibus Apoſtolis nullo modo ſollicitus fuit; ſed magiſtrum transfiguratum contemplans, dixit: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Matth. 17. 4.* O Petre, tuorum memento fratrum, qui ad montis radices expectant; Chriſtum roga, ut eos accedere ſinat: fac ut ad montis verticem aſcendant, ibique tecum Chriſto, glorioſo, & glorificante fruantur. De his certe non curat Petrus, qui ſolius ſollicitus eſt, tantaque in monte Thabor felicitate gaudet, ut aliorum Apoſtolorum non recordetur. En veram ideam eorum quæ fieri ſolent mortuis hominibus: filii enim & hæredes eorum, mediantibus bonis, quorum domini & poſſeſſores fiunt, aſcendunt ad montem: aſcendunt ad dignitates, fiuntque potentes in ſæculo, & poſtquam in amplæ hæreditatis poſſeſſionem venerunt, ea tanto cum gaudio fruuntur, ut nec parentum, nec benefactorum fato functorum reminiſcantur; poſtquam poſſeſſores pacifici ſunt domus, dignitatis, villæ, aliorumque ipſis teſtamento relictorum, tanta inebriantur lætitia & voluptate, ut mortuorum in radice montis, ſeu in Purgatorium gementium, non recordentur.

Verum eſt, quod mortuis parentibus, uxores, & filii aliquibus diebus plorant, & multa eis externa pietatis officia impendi curant: tunc audiuntur undique campanæ, tunc magni fiunt Sacerdotum & parentum conventus, tunc aliæ multæ fiunt cæremoniæ, quas D. Auguſtinus *L. de cura pro mortuis habenda*, vocat *humanitatis officia, non vitæ æternæ præſidia*; eaſque fieri ſatagunt filii, inquit Auguſtinus, non tam ut parentibus ſubveniant, quam ut ſibi ſatisfaciant: *Iſta ſunt ſolatia qualiacumque vivorum, non ſubſidia mortuorum*; ſed tranſactis primis illius luctus diebus, parentum, & benefactorum in Purgatorio patientium non amplius recordantur filii & hæredes, ac legata ſolvere, pauperibus eleemoſynam dare, aliaque defunctorum teſtamentis ordinata executioni mandare non ſatagunt. An parentes fato functi ſint in radice, vel in cacumine montis; an ſint in Purgatorio vel in Paradiſo, non curant; horum omnium facile obliviſcuntur, nec de illis ſublevandis reminiſcuntur.

Plerique, reſpectu propinquorum, ſe habent ſicut matres ſanctorum Innocentium, reſpectu filiorum ſuorum. Antequam occiſi eſſent hi pueri, eos pro viribus tuebantur piæ matres, pro illorum conſervatione adverſus Herodis ſatellites generoſe decertabant; corpora ſua horum carnificum gladiis facile committebant, ut filios ſuos incolumes ſervarent; ac mori maluiſſent, quam videre eos ab impiis interimi. Sed mortuis infantibus, quid matres? *Ploratus & ululatus multus, Matth. 2.* plorarunt, & ulularunt plurimum, & præterea nihil. Sic ſe habere ſolent plerique reſpectu mortuorum: antequam morerentur pater, avi, & proavi, eis multa charitatis, & pietatis officia impendebant filii, & nepotes; iiſque mortuis, plorant filii, ululant filiæ, undique reſonant clamores & gemitus: *Vox in viis audita eſt, ploratus & ululatus filiorum Iſrael, Jerem. 3.* Sed tranſactis aliquibus diebus, quid ultra filii pro parentibus faciunt? Curantne pias eorum voluntates executioni mandari? dantne pauperibus, jejunantne, ut eos a Purgatorii barathro eruant? Certe nil ultra pro iis ſublevandis agunt, ſed eorum totaliter obliviſcuntur, quaſi nunquam fuerint. Unde fideles illi defuncti in Purgatorio latitantes juſte de propinquis in hoc mundo viventibus conqueri poſſunt, dicentes: *Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant, obliti ſunt mei. Job 19.*

A viventibus vere derelinquuntur mortui; oblivioni traduntur, etiam a propinquis & amicis. Verum eſt, quod non totaliter ab eorum mentibus oblitterentur; eorum enim interdum meminerunt, ut eos laudent, vel vituperent; ſed eorum non recordantur ut iis benefaciant, utque eos a pœnis quas patiuntur liberent. Non imitantur generoſum illum Machabæum, qui mille argenti drachmas dedit, ut pro mortuis ſacrificia offerrentur: non imitantur Vatem Regium, qui ſuper Saulem, & Jonatham jejunavit: non imitantur Pammachium, de quo refert S. Hieronymus, quod lilia & roſas ſupra defunctæ mulieris ſepulchrum non projecerit, ſicut alii facere ſoliti erant; ſed quod eleemoſynis multis ei ſubvenire conatus ſit, *Oſſaque veneranda eleemoſynæ balſamo irrigantur. Hie. ex Epiſt. ad Pammach.* Iſti quidem efficaciter recordabantur mortuorum; eorum reminiſcebantur, ut eorum miſerias ſublevarent: ſed plerique mortalium, non recordantur mortuorum parentum & amicorum, ut iis ſubveniant, de confringendis eorum vinculis non curant, de iis a tetro Purgatorii carcere, & a voraci flamma liberandis parum ſunt ſolliciti; eorum nullo modo, aut inutiliter meminerunt: *Obliti ſunt mei.*

O magnam hominum in hoc mundo viventium erga defunctos crudelitatem, o portentoſa filiorum & hæredum in parentes & benefactores ingratitudinem! ſed o ineffabilem fidelium defunctorum infelicitatem, quæ tanta eſt, ut cum ſua ſuis reliquerint, nullum ab iis auxilium percipiant; quin potius ab iis totaliter oblivioni tradantur.

O vos omnes, qui in hoc mundo vivitis, cavete, ne quid ſimile vobis accidat: ita ante mortem res veſtras componite, ut in alio mundo filiorum & hæredum auxilio non egeatis, viri utique piiſſimi conſilium ſequimini, dicentis: *Noli confidere ſuper amicos, & proximos; quia citius obliviſcentur tui homines, quam æſtimas. Melius eſt nunc tempeſtive providere, & aliquid boni præmittere, quam ſuper aliorum auxilio ſperare. A Kempis ibid.*

Multi ſunt, quibus cum dicimus, ut aliena reſtituant, ut eleemoſynis peccata redimant, ut ſacrificia pro peccatorum ſuorum expiatione offerri curent: reſpondent, ſe omnia teſtamento debite ordinaſſe: ac hæredibus onus reliquiſſe faciendi quæ-

cun-

cunque agenda ſunt; ſed melius eſt per ſe ipſum bona facere, quam filiorum & hæredum voluntati ea committere. Nonne millie experimentis conſtat, filios & hæredes ea non adimplere, quæ a teſtatoribus ordinantur? Hoc ſane conſtat. Quare, quantum fas erit, non per alios, ſed per te fac, quæ neceſſaria ſunt, ut ab infortunata Purgatorii terra declines, & ad cæleſtem patriam recta pergas. *Amen.*

DE
FIDELIBUS DEFUNCTIS.
CONCIO SEXTA.

Miſeremini mei, miſeremini mei. Job 19. 21.

QUamvis charitate Chriſtiana, Dei gloria, & æternæ retributionis ſpe ad ſubveniendum animabus in Purgatorio patientibus non moveremur; ſi quid nobis humanitatis ſuperſit, ad iis, omnibuſque miſeris ſuccurrendum ex nativa propenſione ferri deberemus. Quia, ut ait Chalcedonenſe Concilium, Deus in cujuſque corde quemdam erga miſeros compaſſionis ſpiritum infixit: ita ut homo ille, quaſi eſſe deſit, qui nullo miſericordiæ & commiſerationis motu cietur: cum non faciat id ad quod a Deo factus eſt: *Ad miſericordiæ opera a Deo facti ſumus. Concil. Chalced. act.* 4. Sed heu! quot in orbe inhumani reperiuntur homines, qui nullo modo miſericordia commoventur? Quot duri, quot ferrei, quot immiſericordes, in quibus nulla humanitatis & miſerationis ſcintilla, præcipue erga fideles, in Purgatorio patientes, elucet? Quot qui non curant, an ibi crucientur propinqui, benefactores & amici? Quin contra ſæpe gaudent, deliciis ſe dedunt, & facultatibus quas reliquerunt defuncti, impinguantur, dum illi in mediis ignibus torquentur.

O duri & tardi corde ad compatiendum; tandem aliquando animarum illarum miſeremini: ad miſericordiam flectimini: ferrea earum confringite vincula: iiſque omnibus, quibus fas erit, modis ſubvenite. Audite eas ex imis terræ viſceribus ad vos clamantes: *Miſeremini mei, miſeremini mei.* Lugubres illarum audite voces, & ut ad miſericordiam magis moveatur cor veſtrum, conſideremus hodie Purgatorium, *ut lacum miſeriarum*, in quo graviſſima hæ patiuntur animæ, &c. *Ave.*

IMpii, qui in ſtatu moralis peccati in hoc mundo vivunt, ſunt ſervi, debitores, & exules. Sunt quidem ſervi: quia *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Joann.* 8. Sunt debitores; quia cum Dei majeſtatem offenderint, ei ſatisfacere debent: aut ſi ei in hoc mundo non fecerint ſatis, *pœnas dabunt in interitu æternas.* 2. *Th ſſ.* 1. Sunt tandem exules; quia per peccata quæ perpetrarunt, a Deo ſe elongarunt, & in regionem ita longinquam exierunt, ut in cæleſtem patriam nunquam ſint migraturi, ſi in hoc ſæculo pœnitentiam non egerint.

O quam miſeri hujuſmodi peccatores! o quam gravia eorum mala! quæ tamen non ſunt ſine remedio: quia quamdiu hi in iſto mundo verſantur, a ſervitute ſua liberari, debita ſua ſolvere, & ab exilio ſuo revocari poſſunt. Unde meo quidem judicio fideles, qui in Purgatorio cruciantur, quodammodo infeliciores ſunt, quam peccatores, qui in mundo vivunt: quia quantumvis peccatores in hoc mundo ſint miſeri, a miſeriis ſuis ſe liberare poſſunt, ſi velint: fideles vero defuncti ſunt in Purgatorio, ut in horrendo miſeriarum lacu: ſuntque ita infelices, ut a miſeriis quas ibi patiuntur, ſe liberare non poſſint: fideles enim defuncti in hoc lacu ſunt ut ſervi, ut debitores, ut exules. In eo ſunt: 1. *Ut ſervi*, qui vincula frangere nequeunt: 2. *Ut debitores*, qui debita ſua ſolvere non valent: 3. *Ut exules*, qui ad patriam ſuam ire non poſſunt. En tres miſerias, quas in profundo Purgatorii lacu fideles defuncti perferunt.

PRIMA PARS.

Fideles defuncti ſunt in Purgatorio ut ſervi, qui catenas ſuas rumpere nequeunt.

HOrtatur nos gentium Apoſtolus, ut vinctorum recordemur; *Mementote vinctorum. Heb.* 11. Captivi illi, diris conſtricti vinculis, quorum nos reminiſci optat D. Paulus, ſunt ipſi fideles defuncti, ut ait Doctor Seraphicus. *ſer. de animab.* Hi quidem ſunt ſervi infeliciſſimi, qui a vinculis, quibus ligantur, ſe liberare non poſſunt: ſicut enim qui vinculo excommunicationis ligatus eſt, non poteſt per ſeipſum, ſed per alium ab hoc vinculo ſolvi; ita & fideles defuncti in Purgatorio detenti, ſeipſis vincula, quibus conſtringuntur, ſolvere nequeunt; licet piis hominum in hoc mundo viventium operibus, ab iis ſolvi, & in libertatem venire queant.

Sciunt omnes, peccata mortalia eſſe teterrima vincula, quibus reprobi in Inferno conſtricti retinentur, & in æternum detinebuntur: indiſſolubilia enim ſunt eorum vincula; quia *in inferno nulla eſt redemptio.* O impii, qui mortalia, veluti liquorem guſtui jucundum, facile bibitis, a Dei judiciis timete: ſi etenim in ſtatu mortalis peccati ab hoc mundo excatis, in Infernum præcipitabimini, ubi acerbam & perpetuam patiemini ſervitutem, quia peccata mortalia quibus inquinati eritis, indiſſolubilia erunt vincula, quibus in mediis tartareis ignibus æternum conſtricti remanebitis. Sed & ſuis etiam vinculis fideles defuncti in Purgatorio conſtringuntur: venialia enim ab his in hoc mundo perpetrata, & ante mortem non deleta, ſunt funes quibus ibi vinciuntur: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Pſ.* 118.

Credis parum, aut nihil eſſe, quod jocoſa vel officioſa paſſim mendacia proferas? Non malum, ſed bonum & urbanum eſſe arbitraris, quod nugas, facetias, dicteria, & alia verbula chriſtianam charitatem lædentia in omni cœtu effundas? turpi otio facile indulges, ac venialia omnia quæ committis, pro nihilo reputas? Sed certus eſto, minima quæque peccata venialia, in quæ laberis, eſſe gravia vincula, quibus in mediis Purgatorii flammis vinctus detinebaris, ſi ante mortem ea per pœnitentiam

non

Digitized by Google

non deleveris. Et inde magis formidanda ſunt hæc vincula, quod ab iis per teipſum expedire te nequibis: in mediis ignibus vinctus moraberis, nec vincula tua frangere valebis; ſed ibi, ut juſtitiæ divinæ ſervus, vinctus remanebis, donec omnia ſupplicia tibi a Deo impoſita, plene & integre perpeſſus fueris: *Omnes adſtricte tenentur ex decreto juſtitiæ divinæ, donec reddiderint noviſſimum quadrantem. S. Bonav. ib.*

Nec vana purgatorium vitandi ſpe tibi blandiaris: ſi enim in venialia libenter incidas, in purgatorium facile cades. Et cum ſemel vindicibus purgatorii flammis obvolutus eris, ab iis te liberare non valebis; cum ſemel ibi peccatorum tuorum funibus vinctus detineberis, per ſeipſum, & propriis meritis vincula hæc frangere nequibis: quia ſolus Deus hæc vincula rumpere poteſt: *Solus Deus educit vinctos in fortitudine, & poteſt liberare; Ib.* ſolus Deus hæc tua vincula ſolvere poterit, nec ab illo impetrare valebis, ut ea ſolvat.

Qui in hoc mundo vivunt, precibus, eleemoſynis, ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, & aliis viis a Deo obtinere poſſunt, ut libertate donentur animæ, quæ in purgatorii fornace vinctæ detinentur; ſed hæ nil apud Deum mereri, & a Deo impetrare valent. Hæ, cum ſint extra viam, nullum actum meritorium vel impetratorium elicere poſſunt. Ac ſicut homo catenis conſtrictus, pati quidem poteſt, ſed agere non poteſt, ita animæ illæ vinculis peccatorum conſtrictæ, nil agere poſſunt, quo ſuam libertatem obtinere valeant; ſed ſolummodo taxatas a juſtitia divina pœnas pati poſſunt. Unde non ſatis admirari poteſt Doctor Seraphicus cæcitatem hominum, qui cum in hoc mundo tot ſeipſos conſtringant vinculis, quot venialia patrant, hæc in purgatorio vincula ſolvere ſolummodo cogitant, cum ea ſolvere illis impoſſibile eſt: *O mirabilis cæcitas! permittimus, immo procuramus nos ligari funibus peccatorum, & per conſequens jugo pœnæ, & nolumus ſolvere vincula colli noſtri, donec facti ſumus impoſſibiles ad ſolvendum. Ib.*

O magnam cæcitatem! o infandam ſtultitiam! Sed o ſtulti! aliquando ſapite; cavete, ne peccatorum vincula vos conſtringant; aut ſi iis conſtricti ſitis, tetra hæc in hoc mundo ſolvite vincula, dum ea ſolvere penes vos eſt; jejuniis, eleemoſynis, & aliis pœnitentiæ operibus ab his in hoc mundo vos extricate vinculis; hæc nunc ſolvite vincula: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Iſa. 52. 2.* Ea jam frangite: quia in purgatorio nulla vis, nulla vobis erit poteſtas ea ſolvendi; nec aliter a Purgatorii flammis vos liberare poteritis, quam ea omnia patiendo ſupplicia, quæ veſtris peccatis debentur.

Unuſquiſque in hoc mundo & ſeipſum, & animas, quæ in purgatorio cruciantur, inſpicere debet: *Seipſum*, ut purgatorium devitet; *& animas, quæ in Purgatorio cruciantur*, ut eas liberet. O N. reſpice teipſum, vigila ſuper te, ac ita perfecte vive, ut a venialibus perpetrandis caveas, aut jam perpetrata in hoc mundo per pœnitentiam deleas, ſolve hæc vincula, dum ea ſolvere potes; *Solve vincula colli tui.* At non ſolum teipſum; verum & animas inſpice, quæ nunc in Purgatorio peccatis ſuis vinctæ detinentur; earum miſerere, eaſque a dura ſervitute quam patiuntur libera. Non poſſunt illæ a Deo ſuam impetrare libertatem, & potes tu ab eo illam precibus, eleemoſynis & jejuniis obtinere; *Solus Deus educit vinctos in fortitudine, & poteſt liberare: nos autem poſſumus procurare, & eleemoſynis, & orationibus impetrare.* Quare ora, jejuna, da pauperibus, & ſacrificia Deo offerri cura, ut animarum in purgatorio captivarum libertatem a Deo obtineas.

Heu! ſi patrem, matrem, aut aliquem ex amicis, ſervum apud Turcas detineri ſcires, nonne eum miſerrimum judicares? Sed ſi ei libertatem dare poſſes uno vel altero die jejunando, aliquid pauperibus erogando, præſertimque aliquas fundendo preces vel pium aliud quoddam opus faciendo: nonne ea faceres, ut illos a gravi hac ſervitute liberares? Nullum certe ita barbarum & inhumanum reperiri credo, qui hæc facere recuſaret, ut ſuppetias patri, matri vel amico ferret. Sed o NN. quam gravior eſt ſervitus, cui ſubjacent parentes & amici veſtri. Servi ſunt, non apud Turcas, ſed in mediis Purgatorii flammis: ibi ita vincti ſunt, ut vincula ſua rumpere nequeant, eorum deplorate infelicitatem, ſuper eos lugete; eorum miſeremini, ac precibus & eleemoſynis libertatem iis a Deo dari curate. Subvenite fidelibus illis defunctis, qui in purgatorio ſunt ut ſervi qui catenas ſuas rumpere nequeunt; & qui ſunt etiam in purgatorio *ut debitores, qui debita ſua ſolvere non valent.*

SECUNDA PARS.

Fideles defuncti ſunt in Purgatorio ut debitores qui ſua debita ſolvere non valent.

PEccatores omnes, ſive in mortalia, ſive in venialia inciderint, juſtitiæ divinæ ſunt debitores; quia ei læſæ in hoc, vel in alio mundo ſatisfacere tenentur, ita quod ſi in hoc mundo ei non ſatisfaciunt, in alio onus ſatisfaciendi, ſeu graves pœnas patiendi eis remaneat.

Animæ autem quæ nunc in purgatorio graviter cruciantur, debitrices ſunt juſtitiæ divinæ, vel ob peccata venialia, quæ in hoc mundo perpetrarunt, & non expiarunt, vel ob aliquas pœnarum reliquias, quæ deleta ſuorum criminum culpa, eis perferendæ ſupererant. O quam infelices & miſeræ ſunt hæ animæ, quæ *ſunt debitrices, & in carcere propter propria debita. D. Th. 2. 2. quæſt. 3. art. 4. ad 3.*

Ducem, Principem, aut alium Magnatem infeliciſſimum cenſemus, cum non ob homicidia, non ob ſacrilegia, vel alia enormia crimina, ſed propter debita, quibus ſatisfacere non poteſt, in atro carcere clauſus & vinctus ingemiſcit. Sed o quam infeliciores fideles defuncti; qui licet ſint juſti, amici Dei, gratia divina exornati, Deo & cælo digni, in formidando tamen purgatorii carcere, ultricibus circumvoluti flammis, clauſi, & vincti pluribus detinentur annis, non propter aliud, quam *propter propria debita:* quia ſcilicet non plene juſtitiæ divinæ in hoc mundo ſatisfecerunt, & quia nullum opus in purgatorio facere valent, quo ei ſatisfaciant. Pati poſſunt, quantum ab eis exigit divina juſtitia: ſed non poſſunt opus ali-

quod meritorium, vel ſatisfactorium agere, quo Deum flectant ad miſericordiam, & eum ad has pœnas condonandas, vel mitigandas alliciant. Hæc opera, inquit S. Bonaventura, ſunt moneta, qua carent fideles defuncti, & ideo debita ſolvere nequeunt; nec aliud facere poſſunt, quam pati tot ſupplicia, quot ab eis exigit juſtitia divina: *Manente reatu peccati, & deficiente moneta meriti, non poſſunt ſolvere quod ab iis exigitur, niſi per violentiam ſupplicii. Bonaven. ibid.* O quantam infelicitatem! O magnam harum animarum miſeriam!

Quamdiu in hoc mundo vivimus, omnis peccati culpam per pœnitentiam in nobis delere poſſumus; & ſi, deleta culpa, quædam ad divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum, perſolvenda nobis pœna ſuperſit, habemus monetam, qua Deo pro his pœnas ſatisfaciamus: eleemoſynæ, preces, indulgentiæ, jejunia, & ſacrificia ſunt moneta aptiſſima ad eum placandum, eique ſatisfaciendum: brevis oratio debita cum attentione facta, leve jejunium pro Dei amore ſuſceptum, vel aliud quodque opus ſatisfactorium, quamdiu ſumus in hoc mundo, debita multa Deo ſolvere poteſt. Sed in Purgatorio nulla eſt talis moneta: ibi fideles defuncti indulgentias lucrari non valent, ibi nullas fundere poſſunt preces quibus ſua ſupplicia minui impetrent; quia *non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis ut oretur pro eis. D. Thom. 2. 2. quæſt. 93. art. 11. ad 3.* Ibi jejunia Deo ſatisfactoria facere nequeunt; ibi nulla habent quæ in eleemoſynas erogent. Et licet ibi graviſſima patiantur, pœnæ tamen eorum non ſunt ſatisfactoriæ; quia nulla ibi eſt applicatio meritorum Chriſti, ſine quibus nulla vera eſt ſatisfactio; quare non Deo ſolvere poſſunt quæ debent, cum aptam ad hoc monetam non habeant; ſed ſolummodo ibi poſſunt quantum, & quamdiu Deo placuerit. O quantam horum fidelium miſeriam!

Paucis verbis explicant Theologi, quomodo fideles defuncti poſſint, & non poſſunt ſua ſolvere debita, *non ſatisfaciendo*, inquiunt: *ſed ſatis patiendo*. Seu, quod idem eſt, ſolvere poſſunt quæ debent, non per opera ſatisfactoria, aut meritoria, quia non ſunt in ſtatu merendi & Deo ſatisfaciendi: *Non ſatisfaciendo*. Sed quæ Deo debent, ſolvere poſſunt ſatis patiendo; ſeu tantum pœnarum patiendo, quantum divina juſtitia exegerit.

Præfata omnia manifeſtant, Deum, qui ſemper infinite juſtus eſt & miſericors, ſpecialiter ſe erga nos miſericordem exhibere, quamdiu in hoc mundo moramur; quia dat nobis poteſtatem noſtra delendi peccata, opera meritoria eliciendi; & opera ſatisfactoria faciendi. Sed in Purgatorio elucet Dei juſtitia: quia nihil meritorium nihilque ſatisfactorium ibi facere poſſunt defuncti, quo debita Deo ſolvant: & ideo ibi tamdiu pati coguntur; quamdiu in iis aliquid purgandum remanet; nec inde egrediuntur, quouſque taxatas a Deo pœnas totaliter paſſi fuerint. O quam durum eſt his fidelibus, in Purgatorio ob debita incarcerari, & pro debitis Deo ſatisfacere non poſſe! o quam deplorandus eorum ſtatus! Sed o quam miſeri erimus nos, ſi ad ſimilem ſtatum veniamus: & ſi in Purgatorium debitis gravati præcipitemur! Quod iis evenit, nobis accidere poteſt; quare ante mortem rebus noſtris conſulamus: ac ita ſalutis & conſcientiæ noſtræ negotiis provideamus, ut poſt mortem juſtitiæ nullo modo debitores remaneamus.

Hujus vitæ tempus, eſt tempus gratiæ & miſericordiæ, in quo debita noſtra Deo ſolvere ac ei offenſo per orationes, jejunia, eleemoſynas, & indulgentias ſatisfacere facile poſſumus; tempus vero alterius vitæ, erit tempus juſtitiæ, in quo jejuniis, precibus, & aliis piis operibus, Deum placare, ac ei ſatisfacere non valebimus: ſed in rigore juſtitiæ tot pœnas luemus, totque obibimus ſupplicia, quot obire meruerimus: quare faciamus nunc quod tunc facere non poterimus: faciamus nunc bona opera, ac eleemoſynis, jejuniis, aliiſque piis operibus Deo ſatisfaciamus, & quod ei debemus, penitus ſolvamus: ita ut ex hoc mundo, nihil juſtitiæ divinæ debentes, egrediamur.

At non ſolum de nobis curandum; verum de animabus, quæ nunc in Purgatorio ingemiſcunt; quæ cum debita ſua ſolvere non poſſint, ad mortales clamare non deſinunt; *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Audi patrem, audi matrem, audi fratres & amicos, qui te ſupplices rogant, ut eorum miſerearis, ac pro iis Deo debita ſolvas, quæ ipſi ſolvere non poſſunt. Hanc eis non deneges gratiam paucis precibus, aliquo jejunio, adorando Miſſæ ſacrificio, vel alio quodam bono opere, debita eorum ſolvere, eoſque a Purgatorii flammis facile liberare potes; ſolve ergo quod debent, & a Purgatorii ignibus erue fideles; qui ibi miſerrimi ſunt, quia debitores ſunt, & ſua debita ſolvere nequeunt. *Sed ſunt etiam miſerrimi, quia ſunt in Purgatorio ut exules, qui ad patriam ſuam pergere non poſſunt.*

TERTIA PARS.

Fideles defuncti ſunt in Purgatorio ut exules, qui ad patriam ſuam ire non poſſunt.

QUamvis cenſuerint Antiqui, durum non eſſe ſapientibus exilium: quia omnis locus eis patria eſt, *Sapiens ubique civis eſt: Sen.* ſcimus tamen, primum hominem ob violatum Dei mandatum a Paradiſo terreſtri exulaſſe, ac exilium primum fuiſſe ſupplicium, quo famoſum hunc reum Deus punire voluit. Cum autem fideles defuncti non in omnibus Deo perfecte obtemperaverint, ac proinde pudendo protoparentis non obedientis charactere ſignati ſint, ejus etiam ſupplicium participant; & ſicut ille e terreſtri, ita iſti a cæleſti Paradiſo aliquandiu exulant, & in Purgatorium ablegantur, ubi dura patiuntur, ut exules: nil enim iis tam durum, tam acerbum nihil, quam quod Dei viſione priventur, & a Paradiſo exulent, quem ut patriam ſuam reſpiciunt, in qua Deo frui, & in æternum beari debent.

Summo deſiderio Patrem videndi, & Regiam in qua habitabat, ingrediendi ardebat Abſalon. Quare cum didicit, in perpetrati criminis pœnam, toto biennio non viſurum ſe Patrem, mœrore confectus eſt, ac tanta ejus fuit afflictio, ut aſſeruerit, malle ſe mori, quam duobus annis Patris ſui viſione privari, & a Regia exulare. *Obſecro, ut videam*

fa-

Digitized by Google

faciem Regis: quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficias me. 2. *Reg.* 14. 32. Magna quidem hæc fuit Abſalonis triſtitia; ſed longe major illa quam patiuntur fideles defuncti, cum ſe in terræ centro, & in mediis flammis, Patris cæleſtis viſione privari, & a patria cæleſti exulari vident. Hæc eſt maxima illorum pœna, nihilque eis durius, quam ob culpas ſuas, Dei qui ſummum bonum eſt, viſione privari, & ab ejus aula exulare: *Deum amittere, & eo carere, eſt ſummum malum, & pœnalius.* S. *Auguſt.*

Hanc eorum pœnam acerbiſſimam, & omnium maximam eſſe docet Doctor Angelicus; *in* 4. *diſt.* 30. cum enim eorum animæ, poſtquam a corporibus ſolutæ ſunt, ob ſuas culpas retardentur, & prohibeantur & a Dei viſione & a conſecutione ſummi boni, cui uniri ſummopere appetunt, vehementiſſime anguntur, & ſumma inde iis triſtitia cauſatur.

Si quis adoptatus a Rege, in aliquot annorum exilium ejiceretur ipſo tempore, quo Regni poſſeſſionem ſe accepturum ſperabat, nonne maxime angeretur? Sed quanto major triſtitia fidelium defunctorum, qui ipſo momento, quo ſe Deum viſuros, & cæleſte Regnum adepturos ſperabant, Dei viſione & cæleſti Regno ob ſuam culpam privantur & exules in purgatorio mittuntur? Hæc certe maxima eorum pœna; ut, ſumptis ex Moyſe & Eſau ſimilitudinibus, quiſque facile auſpicari poterit.

Scimus Moyſen, poſtquam diu in deſerto erravit, a longe vidiſſe terram promiſſionis, ad quam pervenire ardentiſſime exoptarat; non tamen in hanc terram intrare potuit, ex quo in maximam triſtitiam incidit. Sed o quam durius eſt fidelibus ex hoc mundo migrantibus, quod ad promiſſum cæleſte regnum, Deo potituri, ire non poſſint? quanto graviori conficiuntur mœrore, cum eo tempore, quo Deo frui, & in Paradiſum ingredi ſperabant, ob culpas ſuas, ad terræ centrum graviſſimas pœnas perpeſſuri mittuntur?

Si Eſau, hominis aliunde feri, tanta fuit triſtitia eo quod Patris benedictionem non accepiſſet, ut præ nimio mœrore, veluti Leo rugiret: *Audiſis Eſau ſermonibus Patris irrugiit clamore magno;* *Gen.* 27. 34. quas lacrymas non funduo, quos non emittunt clamores, qua non comprimuntur triſtitia fideles ex hoc mundo exeuntes; cum eo momento quo ad cælum, Deum viſuri, eo fruituri, & ejus benedictiones adepturi ire ſperabant, in durum purgatorii exilium ejiciuntur? Nil certe his durius, quam Dei viſione tunc privari, a cæleſti tunc beatitudine retardari, & a Paradiſo ad tempus exulare.

Quamdiu in hoc mundo vivimus, non nobis grave multum, quod Dei viſione privemur, & a cæleſti regno exulemus: tum quia non perfecte concipimus, quam ſuave, & quam jucundum ſit, Deo frui, & in Paradiſo habitare; tum quia non tanto deſiderio ad Deum, & æternæ beatitudinis poſſeſſionem ferimur, quanto animæ a corporis ergaſtulo ſolutæ; tum quia deliniti corporalibus oblectationibus, in his occupamur nec de ſpiritualibus adeo ſolliciti ſumus. Sed mox ut animæ fidelium a corpore ſolutæ ſunt, perfectiſſime intelligunt, infinitam eſſe felicitatem eorum qui Deum vident, & in Paradiſo inhabitant; hoc perfecte intelligentes, ſummo ardentes deſiderio Deum videndi, & in Paradiſum intrandi; nec in eis ſunt oblectationes corporeæ, quibus hoc mitigetur deſiderium; quare cum vehementiſſimum illud, quo ardent, deſiderium complere non poſſint, ſumma inde cordi eorum oritur triſtitia, quæ maxima eſt pœna quam patiuntur fideles defuncti, eamque D. Bernardinus omni pœna ſenſus graviorem exiſtimat; *Non horribilius, & pœnalius eſt ad tempus tolerare gehennam, quam eum qui ſemel guſtavit, quam ſuave ſit Dominus, ab eo recedere.* S. *Bern. in Cant. ſerm.* 31.

Non ratiocinandum de animabus, quæ nunc in purgatorio cruciantur, ſicut de ſanctis Patribus qui ante Chriſti Reſurrectionem in Limbo morabantur: quia licet iſti in Limbo Deum non viderent, & a cæleſtis beatitudinis poſſeſſione retardarentur: non tamen propterea cruciabantur, nec pœnam damni patiebantur: quia ſciebant, ſe non culpa ſua a Dei viſione & cæleſti beatitudine privari; ſed quia tanti boni tempus ex Dei ordinatione non advenerat. Hi autem qui poſtquam cælum a Chriſto reſeratum eſt, ad purgatorium damnantur, probe noverunt, ſibi jam patere cælum, & ab ejus ingreſſu ſe ſolum impediri ob proprium reatum, atque inde ſibi vehementer iraſcuntur, & diriſſime torquentur, quod ipſi ſibi cauſſa ſint dilationis tanti boni. Dum in Limbo eſſent Patres, nondum erat exhibitum pretium redemptionis, & ideo gloria cæleſtis nondum illis erat debita; ſed exhibito jam redemptionis pretio, cum fideles defuncti ad purgatorium mittuntur, vident ſe ſua ſolum culpa Dei viſione, & cæleſti gloria privari, ex quo ita anguntur, ac tanto mœrore conficiuntur, ut hæc triſtitia ſit maxima eorum pœna; *Hic eſt cruciatus omnium maximus.* S. *Bern. hom. Dom. in Oct. Epiph.*

Ecce tres graviſſimas miſerias, quas in purgatorio patiuntur fideles defuncti. Audite eos ad vos clamantes, ut eorum miſereamini, eoſque ab hoc miſeriarum lacu eruere conemini. Eorum favete votis, & ut a tantis eos miſeriis liberare valeatis, rogate Deum, ut illos a profundo hoc lacu eruat. Dicite ei: o Domine, erue animas horum defunctorum de horrendo purgatorii lacu: *Erue eas de ore leonis, & de profundo lacu.* Dicite Deo omni quo poteritis fervore: o Domine, parentes, fratres, & amici ſunt in profundo purgatorii lacu, *ut ſervi*, qui vincula ſua frangere nequeunt; *ut debitores*, qui debita ſua ſolvere non valent; & *ut exules*, qui ad patriam ſuam ire non poſſunt, ſupplices te rogamus, ut eorum animas ab illo miſeriarum lacu liberes: *Erue eas de profundo lacu.*

Rogo, & ſupplex deprecor, ut piorum defunctorum ſic miſereamini, utque eos a profundo purgatorii lacu ſic eruere conemini: ſed & cavete, ne in hunc miſeriarum lacum cadatis. Cum peccandi venialiter datur occaſio, dicite; In hoc peccatum non cadam; quia melius eſt abſtinere a minimis venialibus, quam in graviſſimas purgatorii pœnas incurrere. Cum ſeſe vobis offert pauper aliquis, ejus miſeremini, eique ſubvenite, dicentes; o quam ſatius eſt huic miſero charitatis officia impendere, quam graviſſima purgatorii ſupplicia ſuſtinere! Cum

Digitized by Google

jejunandi vobis onus imponitur, jejunare quam perfectius poteritis, dicentes, o quam convenientius in hoc mundo jejunare, quam in alio ab ultricibus purgatorii flammis uri! Cum gravi quodam laboratis morbo, hunc æquo ſuſtinete animo, dicentes; o quam melius hic aliquandiu infirmitatis hujus dolores perpeti, quam ad multos annos in formidando Purgatorii lacu graviſſima tolerare! His & aliis piis cogitationibus, ita vos ad perfecte vivendum excitate, ut hinc exeuntes, mox ad æterna Tabernacula properetis. *Amen*.

D E

FIDELIBUS DEFUNCTIS.

CONCIO SEPTIMA.

Miſeremini mei, miſeremini mei.
Job 19. 21.

EX Jobi, viri utique piiſſimi, ore olim prodiere verba hæc, quæ toties in hoc pulpito iteravi; & ſancta Mater Eccleſia Fideles defunctos eadem verba proferentes inducit, vultque, ut eorum quilibet in Purgatorio gemens ad mortales, ſicut alter Job, ſuo modo clamet; *Miſeremini mei, miſeremini mei*.

Veſtrum cuique notiſſimum eſt, hujuſmodi verba ab Inferni faucibus non procedere; quia ibi damnati de ſalute deſperantes, nullam ab hominibus miſericordiam, nullumque auxilium expectant. Non etiam a ſummo Cælo, & a Paradiſo deſcendunt verba hæc; quia cum Sancti perfecta in Cælo potiantur beatitudine, nulli miſeriæ poſſunt ſubjici, ac proinde noſtro non egent auxilio, nec eſt quod eorum quomodocumque miſereamur. Quare non ex alio loco hæc verba procedunt, quam ex Purgatorii barathro; ubi fidelium defunctorum multæ ex Divinæ juſtitiæ ordinatione detinentur animæ, ut a levibus quibuſdam purgentur immunditiis, quibus in exitu ſuo ab hoc mundo coinquinatæ erant. Hæ ſunt, quæ gementes ad vos de terræ centro clamant: *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Audite patrem, audite matrem, audite amicos ad vos clamantes, ut eorum miſereamini: & ut ad eorum miſerendum moveamini: conſideremus hodie Purgatorium, ut, *Puteum amaritudinis*; videamuſque, quanta animarum ibi gementium ſit amaritudo, quanta triſtitia, &c. *Ave*.

TRibus potiſſimum incumbere debet homo ſalatis ſuæ ſollicitus, quæ paucis his verbis explicat Vates Regius: *Diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*. *Pſ.* 33. Primum, cui adhærere debet, eſt omnis mali, omniſque peccati, quantumvis levis, fuga. *Diverte a malo*. Sed quia ſatis ei non eſt, declinare a malo, ſi bonum non faciat, debet ſecundo bonum facere, & virtutibus acquirendis inſiſtere: *Declina a malo, & fac bonum*. Ac tandem declinando a malo, & faciendo bonum, indeſinenter anhelare debet ad Paradiſi gaudia; ubi perfecta & ſecura pax invenitur: *Inquire pacem, & perſequere eam*.

Viri perfectiſſimi, qui immediate poſt mortem, impertranſito Purgatorio, ad cæleſtia Tabernacula evolarunt, ab omni peccato in hoc mundo diverterant, virtutibus comparandis ſedulo laboraverant, & ſempiterna Paradiſi pace perfrui, ſummopere exoptarant. Sed fideles defuncti, qui nunc in Purgatorio cruciantur, non ſatis accurate, dum in hoc mundo viverent, ab omni peccato declinarant: non ſatis ſedulo virtutibus acquirendis incubuerant; non ſatis ardenter Paradiſi bona concupiverant. Et ex tribus his defectibus, ad quos hi fideles in hoc mundo declinarunt, ſummus mœror, & amaritudo amariſſima in cordibus eorum naſcitur: ac ideo purgatorium eſt eis quaſi puteus amaritudinis. Quod ex jam dicendis patebit, cum probaverimus, quod fideles illi in purgatorio conſiderabunt peccata, virtutes, & Paradiſum. Conſiderabunt: 1. *Peccata*, quæ perpetrarunt: 2. *virtutes*, quas acquirere neglexerunt: 3. *Paradiſum*, quem non ſatis ardenter deſiderarunt; & ex triplici hac conſideratione mœrore conficientur, tantuſque in cordibus eorum generabitur mœror, ut purgatorium futurum ſit eis puteus amaritudinis.

PRIMA PARS.

Mœrore conficiuntur fideles defuncti, cum in Purgatorio conſiderant peccata, quæ in hoc mundo perpetrarunt.

CErtiſſimum eſt fideles defunctos in purgatorio non parum ſolatii percipere, tum ab Angelis, a quibus viſitantur; tum ex hoc, quod de futura beatitudine ſint certi. Sed hoc ſolatium minuitur, & quaſi penitus tollitur conſideratione peccatorum, quæ in hoc mundo commiſerunt, nec enim eorum recordare poſſunt, quin mœrore conficiantur.

Terrenis, & temporaneis multis bonis fruebatur Antiochus; triſtitia tamen maxima comprimebatur, cum malorum, quæ in Jeruſalem fecerat, reminiſcebatur. *Reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem ... & ecce pereo triſtitia magna*. 1. *Match*. 6. Similiter licet fideles defuncti aliquid ſolatii in purgatorio percipiant; mœrore tamen & triſtitia conficiuntur, cum mente revolvunt peccata, quæ verſus Creatorem & Redemptorem ſuum in hoc mundo perpetrarunt, illamque eorum pœnam omnium maximam cenſet D. Gregorius: *In multiplices humanæ animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt major afflictio, quam conſcientia delictorum*. *S. Greg. in Pſ.* 143.

Fideles defuncti in mediis purgatorii flammis ingemiſcentes, recogitant non ſolum mortalia, ſi quæ in hoc mundo perpetrarunt: ſed etiam omnia, & ſingula venialia, in quæ, ſive ex ignorantia, ſive ex infirmitate, ſive ex malitia lapſi ſunt: mentibus eorum ſeſe offerunt omnia quæ dixerunt mendacia, cuncta verba otioſa quæ protulerunt, tempus omne quod inaniter inſumpſerunt, verba ridicula, jocoſa, & inſulſa quæ jactarunt: eorum animis objiciuntur vana omnia quæ fecerunt, mentis evagationes quas inter orandum habuerunt, bona multa

quæ

quæ facere prætermiſerunt, quodlibet tandem peccatum veniale a fidelibus defunctis in hoc mundo commiſſum & non deletum, eſt objectum triſte & lugubre, cujus conſideratione in cordibus eorum maxima cauſatur triſtitia. Heu! ait eorum quilibet, quam miſer ego, qui crucior in hac flamma; qui ludicra, jocoſa, & vana ex nimia levitate protuli? Heu! quam infelix ego, qui a Dei viſione, & cæleſtis Regni poſſeſſione retardor: quia non ſatis ardenter Deum dilexi, & non ſatis ſedulo ea quæ profeſſionis meæ erant, executioni mandavi? Heu! quam durum mihi, incarcerari, Dei poſſeſſione privari, & diriſſima nunc ſupplicia pati, quia in ſæculo aliqua levia protuli mendacia, quia nimio otio indulſi, vel alia quædam venialia perpetravi! Hæ & aliæ his ſimiles cogitationes, ſunt tyranni, & carnifices interni, quibus diriſſime cruciantur fideles in purgatorio, nilque eis acerbius quam quod Deum toties offenderint, quodque ob hæc leviſſima peccata quæ facillime vitare, aut delere in mundo poterant, tantis pœnis ſint addicti.

Quilibet ex fidelibus in Purgatorio patientibus magnus eſt contemplatur, quilibet in medio flammarum decumbens, prolixis vacat meditationibus; infinitas Dei perfectiones quilibet ſerio conſiderat; quilibet perfecte concipit, quam bonus, quam ſapiens, quam potens, & quam magnus ſit Deus in omni genere perfectionis; altiſſimam de Dei perfectionibus quilibet in animo ſuo ideam concipit: ac deinde conſiderans, quot & quanta adverſus Deum infinite perfectum peccata in hoc mundo commiſerit, tactus dolore cordis intrinſecus, & ingemiſcens, ait; quomodo eo ſtultitiæ deveni, ut Deum tam bonum, tamque perfectum offenderim? Quomodo ita inſanus fui, ut peccarem in Deum ſumme perfectum, quem omnibus & ſingulis vitæ meæ momentis venerari debebam? Quomodo ita ſanæ mentis inops extiti, ut tot peccatis venialibus majeſtati ejus injuriam irrogarim? O quantus inde mœror, quanta triſtitia fidelibus defunctis accidit! Tanta quidem, ut nullam majorem patiantur.

Horum miſerorum quilibet, in obſcuro purgatorii carcere clauſus, non ſolum infinitas Dei perfectiones ſerio perpendit, ſed & ſedulo conſiderat, quam bonus, quam miſericors, & quam erga ipſum liberalis Deus extiterit. Accepta a Deo creationis, conſervationis, & redemptionis beneficia accurate quiſque ponderat, ac recordatur, a Deo ſibi conceſſum Angelum Cuſtodem, a quo ab hoſtium inſidiis defenderetur; ſibi data Sacramenta, quibus ſanctificaretur, ſibi largitas gratias & auxilia, cum quibus benefacere, & cæleſte regnum adipiſci poterat. Quiſque tandem ſeipſum, & peccata quæ in ſæculo perpetravit, conſiderans, dicit; o me miſerum, o me infelicem, o me ingratum qui toties in Deum meum & benefactorem meum peccavi! Tot & tanta ab eo perceperam beneficia, ut eorum nunquam me ſatis memorem & gratum præbere potuiſſem; talis tamen mea fuit ingratitudo, ut innumera in benefactorem meum peccata perpetraverim. Horum peccatorum adverſus Deum commiſſorum idea, fidelium defunctorum laniat corda, tantoque eos mœrore conficit, ut, teſte Divo Auguſtino, hanc eorum triſtitiam ſolus Deus concipere poſſit: *Deus ſcit tantam pœnam animæ. Sanctus Auguſt. in Pſ. 16.*

O N. N. miſeremini fidelium defunctorum, qui quidem nova peccata perpetrare non poſſunt; ſed qui in hoc mundo perpetrata continue mente revolvunt. Hæc eorum peccata jam tranſierunt a manibus eorum, quia non amplius peccant; ſed non tranſierunt a mente, quia ea ſemper recogitant: *Hæc omnia tranſierunt a manu, ſed non a mente. S. Bern. l. 5. de conſid. c. 12.* Continua hæc peccatorum in ſæculo commiſſorum cogitatio, eſt crudelis carnifex, a quo diriſſime interius cruciantur: quare eleemoſynis & precibus veſtris iis ſuccurrite, ut a triſtitia quam ex peccatorum conſideratione patiuntur, quam citius liberentur. O Angeli Dei, o viri ſancti, qui cum Chriſto in cælo regnatis; o vos omnes, qui in hoc mundo vivitis, miſeremini defunctorum in purgatorio afflictorum, iiſque, quantum fas erit, ſubvenire conamini: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli*, &c.

Pium eſt, ſanctum eſt, juſtum eſt, ut iis quiſque ſubvenire ſatagat; ſed & quiſque pro viribus venialia in hoc mundo vitare debet, ut a terribili venialium a ſe commiſſorum idea in purgatorio non torqueatur: Venialia in hoc mundo levia dicimus, & pro nihilo reputamus; ſed levis non erit in purgatorio triſtitia veſtra, cum in mentem venient hæc peccata; non parva erit triſtitia veſtra, cum videbitis, minimis hiſce peccatis vos Deum ſumme magnum, ſumme bonum, & ſumme perfectum offendiſſe; maximo corda veſtra mœrore conficientur, cum cogitabitis, quod ob illa peccata, quæ nihil pendebatis, a Dei viſione, & cæleſtis regni poſſeſſione, eſtis retardati, ineffabilis veſtra erit afflictio, cum perpenderitis, ob vana, otioſa, jocoſa, & alia quantumlibet levia venialia, vos in teterrimo purgatorii carcere a voracibus flammis comburi, ac diriſſimis ſuppliciis cruciari: quare ſumma cura & ſollicitudine omnia venialia vitare ſatagite. Non ex ore veſtro prodeat vel minimum mendacium, non verbum otioſum, non aliquod charitatem fraternam tantiſper lædens; a cordibus veſtris non exeat cogitatio, quantumlibet peccaminoſa; ab ore, a corde, vel a manu nullum, quantumvis leve, fiat peccatum veniale; vel ſi in venialia incidatis, ea in hoc mundo per pœnitentiæ opera delete, ut in purgatorio cordi veſtro triſtitiam & amaritudinem non cauſent. At fideles defuncti in purgatorio non ſolum mœrore conficiuntur, cum conſiderant peccata quæ in hoc mundo perpetrarunt; *ſed etiam cum conſiderant virtutes, quas acquirere neglexerunt.*

SECUNDA PARS.

Mœrore conficiuntur fideles defuncti, cum in Purgatorio conſiderant virtutes, quas acquirere neglexerunt.

CUm moritur homo, ſtatim caro ejus humida, & putrida vermes producit, qui carnem defuncti rodunt & depaſcuntur uſque ad oſſa; cumque nihil amplius reſtat quo paſcantur, emoriuntur ſenſim, & in terram vertuntur. Sicut autem mortuorum corpora in hoc mundo a vermibus devo-

Google

rantur; ita & poſt reſurrectionem generalem corpora damnatorum, (ut ſentiunt multi) in Inferno rodentur a vermibus horribilibus, fœdiſſimis, mordaciſſimis, & æternis, qui a Deo miraculoſe reformati, in æternum in mediis ignibus vivent, ut in æternum impios crucient. Sed ut ait Innocentius III. Summus Pontifex, non ſolum a vermibus materialibus rodentur damnatorum corpora, verum & a verme conſcientiæ rodentur corda eorum: *Erit in gehenna vermis duplex, exterior qui rodit corpus, & interior qui rodit cor. Innocentius lib. 3. de contemp. mund. cap. 1. & ſeq.* Vermis iſte, erit remorſus conſcientiæ, qui ut vermis eam jugiter mordebit & rodet ac damnatos ſemper torquebit cum reminiſcentur peccatorum & virtutum: *Peccatorum* quæ in mundo commiſerunt, *& virtutum*, quas comparare neglexerunt. Recordabuntur hi peccatorum a ſe commiſſorum; & hujus rei recordatio erit vermis quo interius rodentur, & affligentur; *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. Sapient. 4.* Reminiſcentur etiam virtutum, de quibus acquirendis non curarunt; & hujus rei memoria erit vermis a quo lancinabuntur & affligentur, dicentes: *Virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Sap. 5.*

O quam durum erit damnatis ab interiori hoc verme ſemper corrodi! At eodem etiam, aut ſimili verme, non quidem in æternum, ſed ad tempus rodentur fideles defuncti in Purgatorio; ibi torquebuntur interius & mœrore conficientur, cum recogitabunt non ſolum venialia quibus in ſæculo ſe inquinaverunt: ſed etiam virtutes, quas cum acquirere facile poſſent, acquirere tamen neglexerunt: iſta cogitatio intus eos cruciabit, eorumque interiora veluti tinea corrodet: *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocebit cordi. Prov. 25.*

Quilibet ex fidelibus defunctis, in centro terræ delitescens, totum vitæ ſuæ curriculum mente ſua luſtrabit, & animo revolvet; cuilibet eorum objicietur vera & fidelis vitæ ſuæ tabella, in qua delineatas videbit virtutes, quas acquirere potuit & noluit: quilibet videbit quam languida charitas, quam parva patientia, quam exilis humilitas, quam imperfecta ſua ſuerit obedientia: cuilibet importuna exprobrabit conſcientia defectus & negligentias omnes, quibus bona ſua opera inquinavit: cuilibet dicet interius, cur toties preces incuria tua prætermiſiſti? Cur eas toties ſine cauſa interrupiſti? O infelix, modico cum labore acerba quibus cruciaris ſupplicia vitare, & altiſſimos æternæ gloriæ gradus obtinere poteras, ſi virtutum exercitationibus ferventius inſiſtere voluiſſes: cur ergo virtutibus acquirendis non te accuratius accinxiſti: *tum* ut Purgatorii ſupplicia declinares: *tum* ut majora in Paradiſo gaudia tibi conciliares? Heu! quantus tunc mœror, quanta fidelibus defunctis triſtitia, cum interiori hoc verme rodentur, cumque virtutes omnes quas acquirere, & bona opera quæ facere potuerant, mentibus eorum objicientur!

Poſtquam Mercator, qui dives fuerat, naufragio, aut alio quodam inopinato caſu merces perdidit, & ad inopiam redactus eſt; ſuam ſæpe deplorat infelicitatem: & cum mente revolvit varias lucrandi occaſiones, quas ex negligentia ſua prætermiſit, intra ſe gemens, dicit: ſi hac & illa occaſione bene uſus fuiſſem, non eo miſeriæ deveniſſem: ſi negotia mea hoc & illo modo peregiſſem, jam egenus & miſer non eſſem: ſi ex negotiatione ea percepiſſem emolumenta quæ percipere poteram, jam divitiis affluerem. O me miſerum, quia res meas non bene adminiſtravi! o me infelicem, quia ex mercibus & pecuniis meis non eam percepi utilitatem, quam percipere poteram. Eodem prorſus modo ingemiſcit in Purgatorio quilibet fidelis defunctus, dicens, o me miſerum, qui crucior in hac flamma! o me infelicem, qui Deo nunc non fruor, quia virtutibus comparandis, non ſedulo incubui! In hac & illa occaſione, humilitatis, patientiæ, & charitatis gradus multos comparare poteram: hoc & illo modo ad virtutum omnium apicem conſcendere penes me erat: & quia virtutes non ſatis ſtudioſe ſectatus ſum, nunc crucior in hac flamma. Flens & gemens ait eorum quilibet: cur eo cæcitatis deveni, ut altiorum virtutum praxi contempta, deliciis plus quam par erat indulſerim? Cur huic & illi virtuti comparandæ ſummo ſtudio non adhæſi, ut a Purgatorii pœnis declinarem, & ut poſt mortem recta ad Paradiſum pergerem? Cur patiens non fui ut Job? Cur non mitis fui ut David? Cur non pauper extiti ut Seraphicus Franciſcus? Cur pœnitentiæ, mortificationi, obedientiæ, & aliis virtutibus acquirendis, totis conatibus non inſtiti? O quantam horum fidelium triſtitiam; o quantum mœrorem, eo quod virtutibus acquirendis non ſatis perfecte adhæſerim!

Fidelium defunctorum animæ a corporibus ſolutæ, perfectiſſime cognoſcunt, quam bonum & utile ſit, virtutum exercitio in hoc mundo totaliter adhærere; clariſſime etiam norunt, quomodo humilitate, patientia, charitate & aliis virtutibus ad altiores cæli Thronos quiſque poteſt aſcendere: vident tandem, & continue perpendunt, quod formidanda Purgatorii ſupplicia vitaſſent, ſi majori affectu virtutibus comparandis adhæſiſſent: quare pœnitet eas, ac ineffabili mœrore conficiuntur, eo quod virtutibus acquirendis totaliter non inſtiterint, mihique earum quamlibet audire videor, cum Antiocho dicentem; *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum. Et ecce pereo triſtitia magna in terra aliena. 1. Machab. 6.* In magnos quidem devenerunt triſtitiæ fluctus, ac mœrore in Purgatorio conficiuntur animæ fidelium defunctorum, eo quod in hoc mundo virtutibus acquirendis non ſatis perfecte adhæſerint.

O N. N. afflictas, quæſo, has conſolamini animas; precibus, jejuniis, aliiſque piis operibus earum mitigate mœrorem. Sed & ex earum infelicitate aliquod elicite emolumentum, & ad virtutes perfectius ſectandas vos excitate. Serio contemplamini quanta earum ſit afflictio, & identidem virtuti, omni qua poteritis perfectione, incumbere ſtatuite, ut ſimili mœrore in Purgatorio poſt mortem non conficiamini. O quam ſtulti, inquit Doctor Seraphicus, o quam perverſi, qui in hoc mundo virtutes ſectari nolunt, ut horrenda Purgatorii tormenta

decli-

Digitized by Google

declinent! virtutibus acquirendis incumbere timent, & Purgatorii ſupplicia non timent; *Trepidant timore ubi non eſt timor, & illa horrenda ſupplicia parvi pendunt. S. Bonaventura ubi ſup.* O magnam hujuſmodi cæcitatem & ſtultitiam! Non eo ſtultitiæ deveniamus, ſed virtutibus comparandis totos nos accingamus, ut mœrore poſt mortem in Purgatorio non conficiamur, ſicut & alii fideles defuncti, qui jam mœrore conficiuntur, cum conſiderant virtutes quas in hoc mundo acquirere neglexerunt: *ac etiam cum conſiderant Paradiſum, quem non ſatis ardenter deſiderarunt.*

TERTIA PARS.

Mœrore conficiuntur fideles defuncti, cum in Purgatorio conſiderant Paradiſum, quem ſatis non ardenter in hoc mundo deſiderarunt.

Licet ad natale ſolum, & ad patriam in qua nati ſunt, ex nativa propenſione homines quique anheleut; plerique tamen Paradiſi, qui eſt patria noſtra, obliviſcuntur, nec ad eum eundi deſiderio cientur. Cum de mundi negotiis, & de temporalibus bonis comparandis agitur, de iis ſerio cogitant, iis ſummo affectu adhærent, nilque non moliuntur, ut omnia ſibi proſpere eveniant. In temporalibus iis rebus gerendis homines prudentes, vigilantes, induſtrii, ſolertes, & circumſpecti eſſe ſolent; iis omnes cogitationes, affectus omnes, omneſque curas ſuas conſecrant; ſed contra, de ſpiritualibus, & æternis parum curant, & de Paradiſi gaudiis comparandis, aut parum, aut nullo modo ſunt ſolliciti; iſta non ſolum acquirere non deſiderant, ſed & de iis vix aut raro cogitant.

Quæ autem nunc in Purgatorio cruciantur animæ, Paradiſi gaudia, quorum non ſatis in hoc mundo meminerant, indeſinenter mente revolvunt. Hæ animæ a ſuis ſolutæ corporibus, altiſſimas de Paradiſo habent ideas, perfecte norunt, quam bonum, & quam jucundum in cælo cum omnibus Sanctis habitare; ac continue meditantur, quanta ſit magnitudo, & quantæ divitiæ Paradiſi, quantaque ſit felicitas inhabitantium in eo. Hæ animæ non ſatis æſtimare poſſunt bona, quæ in cælo Deus præparavit diligentibus ſe; eorum nunquam obliviſcuntur; ac recogitantes, ſe eorum in ſæculo non ſatis meminiſſe, & ea non ſatis ardenter deſideraſſe, ſumma triſtitia, & mœrore incomprehenſibili opprimuntur.

Speciali ſupplicio plectuntur in Purgatorio hi, qui in hoc mundo non ſatis ardenter appetierunt Deum videre, & Paradiſum obtinere. Speciale illud ſupplicium vocatur a Sancta Birgitta. *Lib. 4. c 14. Purgatorium deſideris*; ſeu, triſtitia maxima qua cruciantur fideles defuncti; eo quod non ſatis ardenter Paradiſum concupiverint. Heu! inquit in ſemetipſo quilibet ex iis fidelibus, quomodo oblitus ſum infinitæ, immenſæ & æternæ felicitatis, quam Deus mihi dare diſpoſuerat? Quomodo plus de terrenis, quam de æternis comparandis ſollicitus fui? Quomodo tanta mea fuit cæcitas, ut magis de vultu lavando, de crinibus ordinate componendis, & de ſimilibus aliis næniis, quam de Paradiſo comparando curaverim: Quomodo eo ſtultitiæ deveni, ut corporis commodis omni cura & ſollicitudine invigilaverim; Paradiſi vero oblitus ſim? His & aliis ſimilibus cogitationibus in Purgatorio indeſinenter lancinantur defunctorum animæ, & dum in mediis ignibus cruciantur, cogitant de Paradiſo; quem non ſatis ardenter in hoc mundo exoptarant, taliſque cogitatio ſummam iis triſtitiam cauſat.

Cum in Babylone captivi eſſent Iſraelitæ, civitatis Sion recordari non poterant, quin protinus crebras funderent lacrymas: *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion. Pſalm. 136.* Sed quanto graviori comprimuntur triſtitia captivæ in Purgatorio fidelium defunctorum animæ, cum recordantur cæleſtis Sion, a qua exulant? Heu! inquiunt, ſi dum in ſæculo viveremus, cæleſtis Sion oblitæ non eſſemus: ſi ejus crebro meminiſſemus, & ſi pro ea obtinenda fortiter laboraſſemus, jam in his flammis non cruciaremur, & in Paradiſo æterna beatitudine frueremus. O quam infelices nunc ſumus; quia, in mundo exiſtentes ad cæleſtia tabernacula non anhelavimus.

Plebejis, qui ignorant, quam ſuave ſit in aula Regis verſari, durum non eſt, ab ea abeſſe: ſed aulico, qui Regi, aliiſque Magnatibus familiaris fuit; & qui quam ſuave ſit in aula vivere, probe novit; nil durius quam ab illa exulare, & ad ſemotum ab omni propinquorum, amicorum, & nobilium converſatione locum ablegari. Quid autem ſimile accidere ſolet, reſpectu Paradiſi, & aulæ cæleſtis: mortales enim non triſtantur plurimum, eo quod ab ea exulent: quia non perfecte capiunt quanta ſint Paradiſi gaudia: quamque ſuave, quam honorificum, & quam glorioſum ſit in Dei aula verſari. Sed animæ quæ in Purgatorio cruciantur, perfectiſſime norunt magnitudinem & pulchritudinem Regni cæleſtis: probe ſciunt, quam felices ſint qui in cæleſti aula verſantur: quare ad eam ſummo affectu anhelant: ac cogitantes quod ab ea exulent, quia in ſæculo ad Paradiſum ire non ſatis deſideraverint, nec ſatis ferventer pro eo acquirendo laboraverint, in maximam triſtitiam incidunt, ac mœrore opprimuntur.

Cum in hoc mundo viveret David, æternam beatitudinem continue recogitabat, illiuſque non obliviſcebatur: *Si oblitus fuero tui, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea: Pſalm. 136. 5.* Sanctiſſimus ille Vates, qui quanta eſſent Paradiſi bona probe noverat, triſtabatur maxime, eo quod a Paradiſo exularet, & in hoc mundo diu manere cogeretur: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Pſ. 119. 5.* Animæ ſimiliter, quæ in igne purgatorio cruciantur, perfectiſſime cognoſcunt, quanta ſint Paradiſi gaudia; ac deinde recogitantes, ſe iis privari, & æ cæleſti beatitudine exulare, eo quod non ſatis de ea in hoc mundo cogitarint, nec ſatis eam ambierint, ſit amaritudo earum amariſſima, ac incomprehenſibili triſtitia conficiuntur.

O ſi ſciremus, quam bonum, & quam jucundum in Paradiſo habitare! ſi ſciremus, quæ & quanta ſint Paradiſi ſit gaudia, ea certe continue anhelaremus, & maximo afficeremur mœrore, eo quod tanto bono non fruamur. Sed ſi ſciremus, quanto mœrore conficiantur fidelium defunctorum animæ, eo quod a Paradiſi poſſeſſione retardentur, iis quidem

compateremur, easque consolari conaremur. O filii, o hæredes, o amici consolamini parentes, benefactores, & amicos vestros, qui summo dolore in Purgatorio anguntur: consolamini eos orationibus, jejuniis, & eleemosynis vestris; consolamini eos, qui incomprehensibili premuntur tristitia, non solum cum considerant peccata, quæ in hoc mundo perpetrarunt, & virtutes quas acquirere neglexerunt; sed etiam cum considerant Paradisum, quem acquirere non satis desiderarunt; consolamini illos, iisque omnibus modis possibilibus subvenite.

Non satis est, plurima iis præstitisse charitatis officia, cum infirmarentur: non satis est, flevisse multum, ac multa, post mortem eorum, doloris signa edidisse: non satis est, magnis sumptibus, magnoque apparatu pompam funebrem fecisse: alia enim a vobis ad sui solatium expectant. Volunt, ut prompte solvatis debita quibus constricti erant: volunt, ut ea restituatis, quæ scripto vel verbo, restitui mandaverunt; volunt, ut piis a se factis legatis cito satisfaciatis, ut preces pro illis fundatis, & ut eleemosynis multis eos a tetro Purgatorii carcere eruere satagatis: volunt, ut Missas plurimas ad sui levamen dicere & decantare curetis, ac ut omnia faciatis, quæ iis a Deo solatium & misericordiam impetrare valent.

Ecce quid a vobis postulant fideles defuncti, cum gementes clamant ad vos, ut eorum misereamini: *Miseremini mei, miseremini mei*. Eorum, quæso, miseremini; iis illud quod a vobis postulant solatium & auxilium præbete; subvenite illis juxta illorum vota, ab hoc amaritudinis puteo, in quo mœrore conficiuntur, eos liberate; dabitque vobis Deus libertatem filiorum Dei & gloriam sempiternam. *Amen*.

DE
FIDELIBUS DEFUNCTIS.
CONCIO OCTAVA.

Miseremini mei, miseremini mei. Job 19. 21.

FIdelium defunctorum animas adhuc ad nos clamantes audio, lugubres earum voces ad nostras hodie etiam aures veniunt; ac continuis earum clamoribus concipio, quod si audiantur, non tamen exaudiantur; quodque obduratos, & omni sensu carentes invocent homines, qui nullo modo ad earum commiserationem moventur: *Animæ illic ingemiscunt assidue, nec ullus miseretur; clamant e profundis & nemo flectitur: exclamant, & plangunt, & nemo compatitur. S. Cyrillus Orat. de exitu animæ cap. 6.*

Varia eaque urgentissima in præteritis concionibus adduximus motiva, ut propinquos, hæredes, & alios in hoc mundo viventes, ad subveniendum fidelibus defunctis excitaremus; sed marmoreas alloquimur statuas, quæ aures habent, & non audiunt. Quia tamen Christianus Orator semper clamare debet, ut auditorum corda emollire pertentet: *Clama ne cesses*, in hac adhuc concione clamare non desinam; utque auditores ad miserendum fidelibus defunctis allicere valeam, Purgatorium *ut baptismum durum & terribilem* jam proponam, &c. *Ave*.

INternus quidam Baptismus ab omnibus admittitur Theologis, qui ab iis vocatur *Baptismus flaminis*, seu *Baptismus in voto*: qui nil aliud est, quam actus contritionis, aut actus amoris Dei super omnia, quem elicit homo non baptizatus, cum proposito, saltem implicito, Baptismi Sacramentum percipiendi.

Præter hunc Baptismum, duos alios Romana admittit Ecclesia; baptismum scilicet aquæ, & baptismum sanguinis: *Baptismus aquæ* est primum ex institutis a Christo Sacramentis, quo homines ab omnis peccati mundantur macula, Christiani, & filii Dei fiunt, jusque ad Regni cælestis hæreditatem accipiunt: *Baptismus sanguinis* nil aliud est, quam martyrium, quod cum sit altioris & ardentioris charitatis actus, omnia etiam Martyris peccata delet; illumque ex peccatore justum, & ex Dei inimico Dei amicum efficit.

In hoc conveniunt duo ista Baptismata, quod omnia baptizati peccata deleant; sed inter se in hoc differunt, quod per Baptismum aquæ homo non statim in regnum cælorum intromittatur, nisi forte mox post ejus receptionem moriatur; per Baptismum vero sanguinis Martyr protinus in cælorum regnum introducatur. Unde præclare dixit Sanctus Cyprianus, felices esse Martyres: quia mox ut mortui sunt, eorum aperiuntur oculi, ut cælestia contemplentur: *Felices oculi, qui terrenis clauduntur, ut cælestia videant*.

Purgatorium autem præfati utriusque Baptismi virtutem habet: fidelium enim defunctorum animas & a peccatis lavat, & in Paradisum introducit. Unde dici potest, Purgatorium esse quasi Baptismum aquæ, quo mundantur animæ; & quasi Baptismum sanguinis, quo in Paradisum intromittuntur. Sed itidem dicendum, quod Purgatorium est Baptismus durus & crudelis, tum quando animas mundat, tum quando illas in Paradisum introducit: ut enim jam videmus? 1. Purgatorium est Baptismus, qui fideles defunctos igne a peccatis mundat: 2. Purgatorium est Baptismus, qui fideles defunctos igne in Paradisum introducit.

PRIMA PARS.

Purgatorium est Baptismus terribilis, quia fideles defunctos igne a peccatis mundat.

SAcrum Concilium Florentinum expresse declaravit, per Baptismi Sacramentum non solum originale, sed & omnia actualia hominis peccata penitus deleri: ita ut anima ab omnis peccati labe mundetur, eo ipso tempore, quo salutaris lavacri unda corpus abluitur: *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ Originalis & Actualis. Concilium Florentinum in decr. de Armen.* Hanc esse hujus Sacramenti virtutem indicavit Ecclesia, cum olim in baptizatis, & mel, & lac infundi voluit: *Suscepi*

pti lactis, & mellis concordiam prægustamus. Dabatur baptizato mel, ut indicaretur, eum jam divinæ gratiæ dulcedinem incepiſſe guſtare. Et dabatur ei lac; ut omnibus innoteſceret, illius animam, Baptiſmi virtute, ab omnibus peccatis mundam, & lacte candidiorem factam eſſe.

Ita ab omni culpa mundantur qui Baptiſmum recipiunt, ut nulla damnabilis culpa, nec aliquid quomodocumque damnabile in iis remaneat: *Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Christo Jeſu. Rom.* 8. 1. Id eſt, nullæ ſunt peccati reliquiæ in his, qui ſunt juſtificati, & Chriſto in Baptiſmo inſiti. Unde D. Paulus diem in quo quis Baptiſmi Sacramentum recipit, vocat diem redemptionis: *In quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Epheſ.* 4. 30. Hic eſt dies redemptionis: quia, ut explicat Œcumenius, hac die qui baptizatur, fit particeps redemptionis Chriſti, & ab omnis peccati ſervitute redimitur.

Ecce mirabilem effectum Baptiſmi noſtri; cujus virtute, qui baptizatur, ab omnis peccati macula purgatur; Purgatorium autem eſt quaſi Baptiſmus, qui eadem virtute pollere videtur. Verum eſt, quod nec originale, nec mortalia deleat; ſed fidelium defunctorum animas ita ab omni venialium labe purgat, ut S. Paulinus Aquilejenſis Archiepiſcopus, quaſi in extaſim raptus, clamet: *O quam pura, & immaculata eris anima a Purgatorii Baptiſmo. S. Paul. ſerm. 9. tom. 4. Biblioth. SS. Patrum.* Nil certe purius, nil mundius anima, quæ a purgatorii Baptiſmo exit; ibi enim ita mundatur, ut cæli ingreſſu digna ſit.

Fieri poteſt, & ſæpe accidit, inquit Doctor Angelicus, quod homo quidam juſtus, habens venialis peccati conſcientiam, ita prompte, & ſubitanee moriatur, ut nullum ei ſit tempus peccatum illud, cujus eſt conſcius, in ſeipſo quomodocumque delendi. In hoc caſu, ait D. Thomas, quid fiet de illius hominis anima? ibitne in infernum? Nequaquam; quia inferno non adjudicantur juſti, qui in ſtatu gratiæ ſanctificantis ex hoc mundo exeunt. Quid ergo fiet de hominis illius juſti, & peccati venialis conſcientiam habentis anima, cum egredietur e corpore? volabitne mox ad Paradiſum? *Non immediate evolabis ad cælum*, ait Doctor Angelicus, *in 4. diſt.* 21. quia nulla anima, quamdiu mortali, vel veniali peccato eſt inquinata, in cæleſtem civitatem Jeruſalem ingredi poteſt: *Non intrabis in eam aliquod coinquinatum. Apoc.* 21. 17. Quo ergo vadet illius hominis anima, ſi in Infernum non præcipitetur, nec in Paradiſum evolet? Reſpondet D. Thomas, eam in purgatorium ituram, ut ibi a ſua culpa veniali purgetur; eritque illi purgatorium quaſi Baptiſmus, quo a peccato veniali, non ſolum quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam, mundabitur: *In Purgatorio peccatum ejus veniale, quoad culpam, & quoad pœnam expiabitur.* Purgatorium ergo eſt quaſi alter Baptiſmus, quo fidelium defunctorum animæ a peccatorum ſuorum maculis ita mundantur, ut a purgatorio æque mundæ, ac a fonte Baptiſmatis exeant. Mirabilis quidem & efficax eſt iſte Baptiſmus, cum fidelium defunctorum animas mundet & purget: *ſed & eſt terribilis Baptiſmus iſte: quia non eas mundat, niſi per ignem.*

Inſtitutum a Chriſto Salvatore Baptiſmi Sacramentum, ſuave eſt & commodum; ut enim ejus virtute peccata tollantur, oportet ſolummodo, ut a baptizante, verba ſacramentalia proferente, ſupra baptizandi corpus projiciatur aqua naturalis; & mox qui baptizatur, ab omnibus peccatis mundatur. Sed purgatorium eſt Baptiſmus terribilis, cujus virtute mundari ſolent fideles defuncti, ignis ardentiſſimi pœnam perferendo. In purgatorio a peccatis non purgantur per aliquas aquæ guttas, ut fit in Baptiſmi Sacramento: ſed ibi baptizantur, & mundantur per ignem, qui a Deo accenſus eſt, ut in fidelibus defunctis peccatorum reliquias deſtruat, & abſumat: *Igne baptizabunt*, inquit S. Gregorius Nazianzenus: *qui poſtremus eſt Baptiſmus, nec ſolum acerbior, ſed & diuturnior, qui craſſam materiam inſtar ferri depaſcitur, vitiique omnis levitatem abſumit. Greg. Nazianz. Orat. in ſancta lumina.* Igneus ille Baptiſmus in animas ſævit, illas cruciat, & quidquid in eis immundum reperit, exurit, & abſumit. O terribilem Baptiſmum!

Æterna, infinita, & incomprehenſibilis eſt Dei erga nos bonitas: dilexit nos ab æterno & innumera in tempore amoris ſui nobis teſtimonia exhibet. Ita nos amavit, ut pro nobis incarnari, & homo fieri voluerit; ac mox ut humanum corpus aſſumpſit, æterno Patri ſemetipſum pro nobis obtulerit. Hoc ſui ipſius ſacrificium in templo renovavit, cum in manibus Simeonis portabatur, hoc idem ſacrificium pluries in vita iteravit, & tandem in cruce conſummavit. Deus tamen, qui tanto nos amore proſequitur dum in hoc mundo vivimus, portentoſos duos in alio mundo conſtruxit rogos, unum ad ſupplicium, & alium ut baptiſmi locum teneat: *Rogus* ad ſupplicium reorum a Deo paratus eſt in Inferno, & ad hunc rogum omnes condemnabit qui ex hoc mundo in ſtatu mortalis peccati exibunt, quibus omnibus dicet: *Diſcedite a me maledicti, in ignem æternum. Matth.* 25. 41. Hic autem Rogus, Baptiſmi vices numquam geret; quia damnatos a peccatis numquam purgabit; ſed erit ſupplicium quo in æternum plectentur. *Rogus* vero in alio mundo a Deo accenſus, ut Baptiſmi locum teneat, eſt ignis purgatorii, qui fidelibus defunctis eſt ſimul in Baptiſmum & in ſupplicium: *In Baptiſmum*; quia eos ab omnibus peccatorum reliquiis purgat: & *in ſupplicium*, quia illos diriſſime cruciat, nec illos a peccatis aliter mundat, quam torquendo eos. Unde rogus ille purgatorii eſt Baptiſmus quidam efficax & terribilis: *Efficax*; quia fideles ab omnibus peccati ſordibus mundat: *Terribilis*, quia mundat torquendo illos diriſſime.

Præclare docet nos Malachias Propheta, quæ ſit differentia inter ignem quem Deus accendit in Inferno, & ignem quem Deus accendit in purgatorio, dicens quod ipſe veniet *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Malach.* 3. 2. Ignis Inferni, non eſt ignis, a quo mundentur, & a peccatis purgentur damnati; hic enim ignis eos ſolummodo urit, torquet, & devorat: *Quaſi ignis conflans.* Sed ignis purgatorii ſimilis eſt cuidam herbæ, qua in fullonis officinis uti ſolent artifices, ut e pannis maculas tollant: quia hic ignis fidelium defunctorum animas ab omni venialium macula purgat, *quaſi herba ful-*

fullonum. Iſte ignis fideles defunctos mundat ſimul & torquet: eſt Baptiſmus, qui eos mundat; & eſt Baptiſmus terribilis, qui eos mundat torquendo, & terribiliter cruciando: *Igne baptizabuntur, qui poſtremus eſt Baptiſmus*.

Non ſatis concipimus quanta Purgatorii hujus Baptiſmi ſit acerbitas. Verum eſt, quod animam mirabiliter ab omnibus maculis purget, quodque primævam hanc pulchritudinem quam in Baptiſmo perceperat, ei reſtituat: ſed hoc non ei confert beneficium niſi eam ſæviſſime cruciando. Heu! quid non patiuntur fidelium defunctorum animæ in mediis Purgatorii ignibus, ubi ſæpe diutiſſime morantur? Neſcimus, an in hoc igne pluribus diebus, pluribus menſibus, vel etiam pluribus annis manſuri ſimus: *Unde ſcit unuſquiſque, utrum diebus, aut menſibus, aut forte etiam annis per illum ignem ſit tranſiturus? S. Aug. ſerm. 41. de Sanct.* ſed velim, ut quis huic igni ad unam ſolum horam, vel etiam ad unius horæ quadrantem ſit adjudicatus, nonne in brevi illo tempore graviſſima ibi patietur tormenta? Nonne crudele illud ei erit ſupplicium? Nonne baptiſmus ille quo a peccatis ſuis purgabitur, ei ſumme terribilis & acerbus erit? Certe & acerbiſſimus, & intolerabilis ei erit.

Heu! ſi ut quis in hoc mundo baptizaretur, & a peccatorum ſuorum ſordibus lavaretur, neceſſe eſſet, ut unius horæ quadrante, in accenſa fornace remaneret: nonne dirus & crudelis eſſet hujuſmodi Baptiſmus? Omnium plane judicio, acerbiſſimus & intolerabilis cenſeretur. Sed quam durior, acerbior & terribilior eſt Purgatorii Baptiſmus, cum ut ibi fideles a ſuis purgentur peccatis, non unius dumtaxat quadrantis tempore; ſed ſæpe pluribus annis ab igne teterrimo & ardentiſſimo urantur & devorentur.

Ecce Baptiſmum terribilem, & formidandum: ſi ſapiamus, nil non faciemus in hoc mundo, ut Baptiſmi hujus acerbitatem devitemus, Deum ſæpe deprecemur, ut nos ita in hoc mundo a peccatis purget, quod in alio mundo, terribili hoc Baptiſmo non egeamus. Dicamus ei ſæpiſſime: *Domine, talem me reddas, cui igne purgatorio opus non ſit*. Sed & fortiter animabus noſtris ab omni inquinamento peccati purgandis laboremus: mundemus eas in hoc mundo per pœnitentiæ Baptiſmum, ut in alio per ignis Baptiſmum mundari non indigeant.

Pœnitentia, eſt quaſi alter Baptiſmus, quo peccata poſt Baptiſmi receptionem commiſſa, facile abluuntur & remittuntur: *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: Lucæ 3. 3.* Arduam ergo ſuſcipiamus pœnitentiam; nullus ſibi aduletur, ſeipſum fallat nullus, nulluſque ſibi nimis indulgeat; ſed quicumque ſe alicujus peccati conſcium eſſe cognoſcet, ſummo doloris affectu illud deteſtetur, confiteatur illud humiliter, juſtitiæ divinæ omnibus quibus poterit modis ſatisfaciat, baptizet tandem ſe in hoc mundo per pœnitentiam, ut in alio per ignem purgatorium baptizari non egeat.

O quam portentoſa plurimorum inſania, qui cum hic levi pœnitentia reatus ſuos eluere poſſint; differunt tamen ad Purgatorium, ubi non niſi per ignem a culpis ſuis mundabuntur. Dic mihi, quæſo, num tu malles intrare fornacem, an aquam? Haud dubie in aquam ſalubrem & medicatam ingredi præeligeres. Pœnitentia autem eſt hujuſmodi aqua, qua mundamur, & ſanamur ab omnibus peccatis: *Erit fons patens domus David in ablutionem peccatoris. Zach. 13. 1.* Arduam ergo in hoc mundo ſuſcipe pœnitentiam, per eam te ab omnibus purga inquinamentis, ut in Purgatorii fornace nil per terribilis Baptiſmi ignem tibi purgandum ſuperſit. Sed ſi purgatorium eſt Baptiſmus terribilis, qui fideles defunctos per ignem a peccati purgat: *eſt etiam Baptiſmus terribilis, qui eos igne in Paradiſum introducit*.

SECUNDA PARS.

Purgatorium eſt Baptiſmus terribilis quia fideles defunctos igne in Paradiſum introducit.

QUamvis martyrium (quod Baptiſmus ſanguinis dicitur) non ſit Sacramentum a Deo ad delenda peccata inſtitutum; ea tamen penitus delet. Et ut docet S. Bonaventura, major martyrii, quam Baptiſmi eſt efficacitas, non ſolum quia per martyrium homines altius in cælum elevantur, quam per Baptiſmi receptionem; ſed etiam quia per martyrium homines mox in Paradiſum introducuntur: *Baptiſmus ſanguinis glorioſiorem confert palmam: & ſtatim introducit ad gloriam. S. Bon. in 4. diſt. 4. par. 2. art. 1. qu. 2.*

Qui baptiſmi Sacramento ab omnibus inquinamentis animas ſuas abluerunt, in nova peccata incidere ſolent; ſed qui Baptiſmo ſanguinis a peccatorum ſuorum ſordibus loti ſunt, nullis uſquam hujuſmodi ſordibus inquinantur: *Baptiſmus ſanguinis ſecundis ſordibus non inquinatur. S. Damaſc. l. 4. c. 5. de orth. fide*. Immo, ut ait Doctor Seraphicus, per ſanguinis Baptiſmum Martyres non ſolum in eo ſtatu conſtituuntur, quo non ſint amplius peccaturi; ſed etiam in eo ſtatu, quo amplius peccare non poſſint. Iſte Baptiſmus non impeccabiles efficit, ac ab iis non ſolum actum, ſed etiam potentiam peccandi aufert: *Omnem reſecat culpam, & ſecundum actum, & ſecundum potentiam. S. Bonav. ibid.* Et ſi quæras, cur Baptiſmus ſanguinis peccandi potentiam tollat? Ratio in promptu eſt; quia ſcilicet Martyres *ſtatim introducit ad gloriam*, ubi nunquam fuit, nec eſſe potuit peccatum. Unde de Martyribus ſpecialiter loqui videtur Propheta, dicens, quod mox ut mortis ſomno obdormierunt, in cælum æterna hæreditate gaviſuri intromittuntur: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Pſ. 126. 3.* Nec de hoc ullus dubitandi locus: ſtatim enim ut Martyr efflavit animam, tam Deus recipit, oſculatur eam oſculo oris ſui, eamque in Paradiſum introducit, dicens: *Intra in gaudium Domini tui*.

Ecce magnum emolumentum, quod ex paſſionibus ſuis eliciunt Martyres; en magnum privilegium eorum, qui ſanguinis ſui effuſione baptizantur; patiuntur quidem; ſed non ſine mercede: quia mox ut ani-

anima eorum a corpore ſoluta eſt, in Paradiſum introducitur.

Eximium illud demiror privilegium, quod ex Baptiſmo ſanguinis eliciunt Martyres. Sed & fidelibus defunctis idem privilegium confert purgatorium, ita enim in purgatorio mundantur, & purgantur animæ, ut eo ipſo tempore, quo e purgatorio egrediuntur, in Paradiſum intromittantur. Purgatorium eſt quaſi alter Baptiſmus, qui eas in Paradiſum introducit; & a purgatorio non educuntur, niſi ut in Paradiſo recipiantur; *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Pſ. 65. 12.* Poſtquam fideles defuncti in purgatorio remanſerunt quandiu Deo placuit, ad ipſos mittitur Angelus, inquit Rupertus Abbas, qui eos e mediis flammis eripit, & ſtatim in Paradiſum introducit: *Per ignem tranſituri per Angelorum miniſterium ducti, Paradiſum intraturi ſumus.* O magnam Baptiſmi purgatorii virtutem! Non enim minus efficax videtur, quam Baptiſmus ſanguinis: cum mox ille in Paradiſum introducat, ſicut & iſte: *Sed Purgatorium eſt Baptiſmus terribilis: quia fideles in Paradiſum non introducit, niſi per ignem.*

Fideles, qui poſt mortem a Deo in purgatorium mittuntur, in Paradiſum non introducuntur, niſi prius igne probati, & dire cruciati fuerint; oportet utantur, & ſæpe in mediis ignibus diu torqueantur, antequam in cælum ingrediantur. Verum eſt quod ſalutis ſuæ certi ſint qui in purgatorium mittuntur; ſed prius ultricium flammarum vim ſunt perpeſſuri; *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. Cor. 3. 15.* Juſti, qui ex hoc mundo in ſtatu peccati venialis exeunt, in alio mundo a ſuis peccatis baptizabuntur, non aquæ, vel ſanguinis, ſed ignis Baptiſmo. Hi ignis dira ſupplicia perferent; quia, ut ait D. Auguſtinus, hi purgatorii flammis a peccatis ſuis purgabuntur, ut ſalvi fiant, & in Paradiſum introducantur: *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per ignem quendam purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus inquit: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Aug. l. 50. Hom. hom. 16.*

Poſtquam e terreſtri Paradiſo ejectus fuit Adamus, ad feliciſſimi hujus loci fores poſuit Deus Angelum, qui gladium igneum manu geſtabat, ut impediret; ne quis illuc ingrederetur: *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Gen. 3. 24.* Quare ſi Adamus in terreſtrem Paradiſum denuo ingredi voluiſſet, tria illi obvia fuiſſent; Angelus ſcilicet, gladius, & ignis: *Cherubim, & flammeum gladium.* Tria autem his ſimilia in cæli via nobis occurrunt. Occurrit nobis primo Angelus, Chriſtus ſcilicet, qui eſt magni conſilii Angelus, qui ad Paradiſi januam ſtat, & qui in manibus claves habet Paradiſi, ut illum hominibus claudat, vel aperiat. Occurrit ſecundo in via Paradiſi gladius mortificationis, quia ut in Paradiſum ingredi mereamur, crux portanda, ac dira multa perferenda ſunt: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Act. 14. 21.* Occurrit tertio in Paradiſi via ignis accenſus, quo purgandi ſunt quicumque ex hoc mundo exeunt peccatorum venialium conſcii; ſi enim levis alicujus peccati macula coinquinati ex hoc mundo migrent, numquam in Paradiſum ingredientur, ſi eam prius purgatorii igne non deleverint. Ignis tandem purgatorius eſt quaſi Baptiſmus quidam, quo in alio mundo neceſſario a peccatis ſuis prius ablui debent viri juſti, ut in Paradiſum introducantur: *Non poterit a corpore egreſſus, divinitatis particeps fieri, niſi maculas animæ immiſſas purgatorius ignis abſtulerit. S. Greg. Nyſſen. Orat. pro mort.*

O terribilem Baptiſmum! Supra modum ſuave eſt, in cælum ingredi; ſed duriſſimum eſt, ignis Baptiſmo baptizari. O quam acerbum eſt, hoc Baptiſmo ad ingrediendum in cælum ſe diſponere! Melius ſane eſt, ſua in hoc mundo per pœnitentiam purgare peccata, quam ea in alio mundo ignis purgatorii ardoribus abluere. Orate ergo, jejunate, & aliis pœnitentiæ operibus peccata veſtra nunc purgate, ut poſt mortem nil purgatorii Baptiſmo in vobis purgandum & abluendum remaneat.

Cum jam morti proximus eſſet Chriſtus Salvator, Apoſtolis ſe baptizandum dixit: *Baptiſmo autem habeo baptizari. Luca 12. 50.* Crucem & paſſionem ſuam Baptiſmum vocabat, ut doceret nos, cruces, mortificationes, pœnitentiæ opera, eſſe quaſi Baptiſmum, quo in hoc mundo anima noſtra ab omni inquinamento abluitur, & cælo digna efficitur. Hæc quidem opera, ſpecies quædam Baptiſmi ſunt, quia iis a peccatis venialibus mundamur. Fateor etiam hoc Baptiſmi genus durum & acerbum eſſe: ſed o quam durius & acerbius eſt purgatorii Baptiſma! Durum eſt vigilare, jejunare, bona ſua pauperibus erogare, & pœnitentiam in hoc mundo agere: ſed o quam durius & terribilius erit a voracibus purgatorii ignibus uri, torqueri, & purgari? O quam amabilia ſunt jejunia, o quam leves omnes hujus mundi mortificationes, ſi cum formidandis purgatorii ſuppliciis conferantur! Heu! ſi Deo permittente, aliquis ex fidelibus defunctis, qui ignis purgatorii vim jam expertus eſſet, in hunc mundum veniret, quam parvi penderet omnes illas mortificationes, quas tantopere pertimeſcimus! Quam dulce ipſi eſſet diu jejunare! Quam hilariter omni mortificationum genere corpus ſuum cruciaret! Quam facile facultates ſuas pauperibus diſtribueret! Quam jucunde faceret & pateretur, quidquid in via cæli faciendum, & patiendum occurrit!

O NN. facite vos nunc, quod facerent fideles defuncti, ſi iis in hunc mundum redire liceret. Tempus tandem aliquando, & forte cito adveniet, quo in mediis purgatorii ignibus ſepulti clamabitis ad Deum, ut vobis indulgeat, & ad mortales, ut vobis ſubveniant. Tunc quidem optaretis, omnia veſtra peccata in hoc mundo per auſteræ pœnitentiæ opera deleviſſe. Tunc flentes, diceretis: cur jejuniis, orationibus, aliiſque pœnitentiæ operibus noſtra in ſæculo non delevimus peccata? Cur Deo tunc non ſatisfecimus, ut terribilia purgatorii ſupplicia declinaremus? O NN. faciat nunc unuſquiſque veſtrum, quod tunc feciſſe vellet. vultis purgatorii ſuppliciis numquam adjudicari? Faciat quiſque, quod feciſſe vellet, ſi in purgatorio eſſet. Tamquam a facie colubri peccata fugite, quæcumque perpetraveritis, per pœnitentiam delete, mundate & baptizate vos nunc baptiſmo pœnitentiæ, ut ter-

Digitized by Google

terribiii purgatorii Baptiſmo in alio mundo baptizari non egeatis.

Singulis hujus octavæ diebus unam vel plures adduxi rationes, ut vos ad animabus in purgatorio patientibus ſubveniendum aiiicerem. Singuiis diebus audiſtis voces illarum, auxilium a vobis poſtulantium, ac ad vos ciamantium: *Miſeremini mei, miſeremini mei*. Prima die vobis ore meo dixerunt: Purgatorium eſſe *locum tormentorum*, in quo ipſæ ſupplicia gravia, diuturna & juſta patiebantur. Secunda die didiciſtis purgatorium eſſe *præcipitium horrendum*, in quod homines ſacile cadunt, in quo dire cruciantur, & a quo difficile egrediuntur. Tertia die audiviſtis, purgarorium eſſe *carcerem teterrimum*; cum ibi fideles ſint clauſi, & incarcerati in centro terræ, & in ignis abyſſo. Quarta die, purgatorium contempiati eſtis, ut *fornacem* accenſam: in qua eſt ignis corporeus qui agit in ſpiritus, ignis violentus & acerbus qui torquet Sanctos, & ignis ſapiens qui diſcernit merita. Quinta die, purgatorium conſideravimus, ut *terram infortunatam*: quod quidem terra eſt infortunata: cum ſit terra dolorum, terra tenebrarum, & terra oblivionis. Sexta die, Purgatorium inſpeximus, ut *lacum miſeriarum*; in quo miſerrimi ſunt fideles defuncti, cum ibi ſint *ut ſervi*, qui vincula ſua frangere nequeunt: *ut debitores*, qui debita ſua ſolvere non valent, *& ut exules*, qui ad patriam ſuam ire non poſſunt. Septima die purgatorium vobis objecimus, ut *puteum amaritudinis*, in quo fideies defuncti mœrore conficiuntur, cum conſiderant peccata quæ perperrarunt, virtutes quas acquirere neglexerunt, & Paradiſum quem non ſatis ardenter deſiderarunt. Hodie tandem purgatorium deiineavimus, *ut Baptiſmum acerbiſſimum*, quo fideles defuncti per ignem a peccatis ſuis purgantur, & per ignem in Paradiſum introducuntur.

En piurimas rationes, quibus quiſque ad animabus in purgatorio patientibus ſubveniendum allici debet. Subvenite ergo eis, cum ad hoc tot motiva vos urgeant; ſed & eis ſubvenite, ut apud Deum hæ pro vobis intercedant. Si enim precibus, eleemoſynis, & ſacrificiis eas a purgatorio egredi curetis, poſtquam ex illo egreſſæ fuerint, pro vobis Deum enixe orabunt.

Scitis, quod poſtquam, orantibus Apoſtolis, a Chriſto ſanata eſt S. Petri ſocrus, mox illa e lecto ſurrexit, ut illis miniſtraret. *Surrexit, & miniſtrabat eis. Matth.* 8. 16. Eodem modo, reſpectu veſtri, ſe habebunt fideles defuncti, ſi precibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus, illos a purgatorio eruatis; hi miniſtrabunt vobis, ſeu, mox ut ad cælum intraverint, Deum enixe rogabunt, quod ita vos purgari det in hoc mundo, ut ſtatim poſt mortem animæ veſtræ ad cælum evolent. *Amen*.

Digitized by Google

APPENDIX
AD
TOMUM SECUNDUM
REV. PATRIS
FR. ZACHARIÆ LASELVE,

CONCIONES
NOVISSIMÆ
DE SANCTIS.

IN FESTO
S. GERTRUDIS VIRGINIS.

THEMA,

Hortus concluſus ſoror mea Sponſa.
Cantic. 1. 4. 12.

PErvulgatum illud, quod D. Gertrudem Virginem, Hortulanam paſſim appellent, non improbo. Quandoquidem ſub id temporis, quo Sanctæ hujus memoria habetur quotannis feſtiva, reperiuntur horti, humus foditur, ſemina terræ mandantur, flores apparent, univerſaque Topiariæ negotia, poſt triſtia Hyemis otia, jucundius reſumuntur. Attamen placere non poterat mihi ſub hortulanæ vocabulo D. Gertrydis e cathedra hodie laudes celebrare, quando Thema propoſitum non hortulani, nec hortulanæ, ſed Horti mentionem afferebat. Dixi namque: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*. Scio, textum hunc Sanctæ Eccleſiæ per SS. PP. appropriari. Ait enim D. Gregor. *Hortus Sancta Eccleſia exiſtit, quia, dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus concluſus bene eſſe dicitur: Quia charitates vallo circumquaque munitur; ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* Scio & iſtud, quod Beatiſſimæ Virgini Mariæ encomium idem attribuatur a SS. Epiphanio, Ildephonſo, Ambroſio, docentibus, Beatiſſimam Virginem eſſe Hortum propter fœcunditatem, ſed concluſum propter Virginitatem. Liceat addere: Et Sanctitatem. Hoc enim non obſcure inſinuat S. Joann. Damaſcenus, dum de Deipara ſcribit: *Ad hunc Paradiſum ſerpens aditum non habuit*. Nihilominus verba eadem etiam cuivis animæ fideli, præſertim perfectæ, merito applicantur. Audiamus Richardum de S. Victore: *Hortus*, ait, *eſt anima, in qua excoluntur virtutum plantaria, & ſpiritualium ſtudiorum germina. Hic hortus tunc foditur, dum in ea vitia radicitus extirpantur, & mores convertuntur*. Clarè non minus ac præclare D. Gregor. *Anima ſancta*, ſcribit, *eſt Hortus concluſus; quia dum virtutes mittit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione ſe reficit, fructus, quos generat, eadem cuſtodit. Concluſus enim Hortus eſſe dicitur, dum bona ſua intentione vitæ æternæ abſcondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipſa bona intentione ſe circumſepit; ne ad interiora rapiendo hoſtis antiquus irrumpere poſſit*. Hinc de Diva Gertrude, velut anima ſancta, & valde perfecta, in perſona Chriſti recte edixerim: *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa*. Obambulemus, oro, hunc Hortum, luſtraturi ejuſdem delicioſa artificia, artificioſaſque delicias, floſculum ſubinde nobis pariter decerpturi. Precor Vos præeuntem ſequi non pigeat.

Quoniam non omnis fert omnia tellus: minime ſuperſtitioſum erit, pro conſtruendo cultiori horto eam telluris ſeligere plagam, quæ fini huic præ cæteris idonea magis appareat. Et quidem, cæteris paribus, monti præferenda erit vallis, pro eo, quod in valle ſuavior aeris clementia, & ex aquarum irrigatione ſperanda ſit fertilitas amplior. Experientiam

tiam teſtor. Sed & S. Scriptura favet. Dicit enim Pſalmiſta, (*Pſal. 64. 14.*) *Valles abundabunt frumento*. Et unde hoc? Utique quia, quod pariter in Pſalmis eſt, (*Ex Pſalm. 103. 10.*) emittit Creator Omnipotens fontes in convallibus, & inter medium montium facit pertranſire aquas. Moraliter ut anima fidelis Hortus evadat, ab amœnitate, & fœcunditate commendabilis, non montium ſublimitas, ſed vallium adeunda humilitas. Horto, in valle ſito, inſcribitur: *Fœcundior ab alto*. Anima, in valle humilitatis fundata, gratiæ accipiendæ non minus, ac retinendæ, capacior, ab alto mire fœcundatur, juxta illud D. Jacobi Apoſtoli: (*Jac. 4. 6.*) *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Ante Apoſtolum Apoſtolorum cecinerat Regina: (*Luc. 1. 52.*) *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Ad propoſitum apte D. Auguſtinus: (*De verb. Apoſt. 8. 9. c. 3.*) *Humiles*, inquit, *valles ſunt*. Si venerit aqua ſuper altitudinem, *decurrit*, & defluit: Si venerit aqua ad concavum, & *humilem locum*, & *capitur*, & *ſtat*. Et alibi: *Gratia pluvia eſt*, *depreſſa implentur*, alta ſiccantur, Vallem facit; *Imbrem ſuſcipite*. Hortus ille noſter, quem luſtramus, in valle ſitus eſt. D. Gertrudis Virgo humilitatis ima prudenter elegit. Potuiſſet, ſi alta ſapuiſſet, ſe erigere inſtar montis, quippe cujus parentes nobilitate, divitiis, poteſtate, & multiplici dignitate refulſere. Genitor ei erat Pipinus, Gallicanæ Domus Principum maximus. At Gertrudis ſpreta Natalium celſitudine, ad inferiora deſcendit: Ex devotæ Matris, cui ita nomen, ore pendens, ad ejus diſciplina mores ſuos componens, ſuis ipſa famulabatur ancillis. Potuiſſet Gertrudis ſe extollere inſtar montis, quando ad duos quaſi montes invitabatur, experita ut ſponſa a Rege Dagoberto, & Filio Ducis Auſtraſiæ, quorum iſte Paranymphum, hic vero Sponſum agere quærebat. Sed illa, oblati connubii neglecta dignitate, vitam mundo vilem ſibi perplacere, & ſolum Jeſum ad ſponſalia admittendum eſſe, proteſtabatur. Potuiſſet eminere, & promicare montis inſtar, veſtiendo ſe ad pompæ luxuriem. Verum Gertrudis gloriam, quæ a foris quæritur, glorioſe calcans, etiam corporis decora, per naturam conceſſa, deponebat, piæ Matri, venuſtam Cæſariem raſuræ, & velut ſanctimonialem veſtituræ, exponens caput, & quidem hæc erant in D. Gertrudis perfectionis exordia: Hæc Horto noſtro apta planities: Hæc ei vallis, fœcundanda ab alto: Hæc humi, floribus, & fructibus exornandæ, diſpoſitio. Dimidium facti, qui dixiſſes, qui bene cœpit, habet.

Sane jam Hortus ille noſter aliud nihil deſiderare videbatur, ac largiores e Cælo irrigationes, quatenus, qui dederat velle, daret & perficere. Nec deerat Virgini pluviæ ſalutaris copioſa continuatio. Quoniam qui populo ſuo electo olim repromiſerat, dicens; (*Exod. 16. 4.*) *Ego pluam vobis panes de Cælo*, is quoque Gertrudi auxilia plus quam neceſſaria cælitus ſubmiſit. Si ab aqua ad ventum hac vice tranſire liceat, ſuſpirabat Virgo: (*Cant. 4. 16.*) *Veni Auſter*, perfla Hortum meum, & fluant aromata illius, ubi & humoris intercurrit mentio. Nec mirum. Siquidem Spiritus ſanctus tam fonte, quam flatu, ſignatur. D. Gregorius, dabit intellectum, dum in locum iſtum ſic ſcribit: Adveniente S. Spiritu cor, quod prius torpuerat, ad operationem ſe excitat, Mox ſanctæ operationis opiniones per proximos quoſque ſuaviter diſcurrunt; ut quique audientes ad eadem ſe accendant, & Auſtro flante, id eſt, Spiritu S. ſe infundente, virtutum odores demittant; ut ubique ſanctus hortus floreat, & poſt florem fructus redolentes, & reficientes producat. Hæc S. Doctor. Omne illud cernere erat in Horto noſtro, in S. Gertrude proficiente. Auſtro flante, Spiritu S. operante, Hortus hic tot diverſis, tamque artificioſe diſtinctis plaudebat areolis, tot ſpecioſis, tamque ſuaviter redolentibus, abundabat florum generibus, tot erat inſtructus arborearum plantationum gratioſis ordinibus; ut, quod exquiſitiſſimo tribuitur horto, jure Horto huic inſcriptum exiſtimet: *Varietate venuſtior*. Item, *Communia non communiter*.

Vultiſne videre particularia? Vultiſne ex floribus videre Amaranthum? Amaranthus inſtar holoſerici purpuraſcens, tempore diuturno perſiſtit, & jam jam exſiccatus, ſi aquis irrigetur, denuo reviviſcit. Unde aliquot Amaranthi flores, in faſciculum colligati, lemma merentur: *Numquam langueſcimus*. Vivi, & conſtantes B. Gertrudis affectus, quibus mundo valedixerat, & Divini Sponſi ſui ſervitio ſe totam addixerat, hanc mittebant vocem: *Numquam langueſcimus*. Prævenerat pericula languoris, quibus in carne infirma Spiritus: cætera promptus: exponi conſuevit, dum pluribus intentus minor efficitur ad ſingula. Cum enim in Abbatiſſam fuiſſet electa, in ea exteriora domus negotia ad exemplum Moyſis ſic diſtribuit; ut ipſa onere, turbare nato, levata, ſecurius, ac quietius diu noctuque vigiliis, orationibus, jejuniis, ſacris lectionibus, aliiſque operibus bonis intendere, atque adverſus diabuli inſultus tanto fortius, quanto expeditius, dimicare poſſet: *Numquam langueſcimus*.

Vultiſne videre Coronam Imperialem? Hic ille flos, utut glorioſus, gratioſam oſtentet coronam, ex certa campanarum contextam ſerie, Franciſco Raulino obſervante, nativitas ex medulla ſua lacrymas, velut liquidos, ac roſcidos quoſdam beryllos diſtillat, quibus intus coronatur medulla. Quot anſam dedit lemmati: *Intima coronant lacrymæ*. Diva Virgo Gertrudis, inter opera miſericordiæ, miſeris impenſæ, ac zeli Divinam promovendi gloriam, adeo ſublimabatur in Sanctitate: ut ſorores ejus ſacræ ſubinde ſuper caput ipſius ſplendorem, globo ignito ſimilem, quem non immerito coronam nominaverim, conſpexerint. Verum decus hac corona præſtantibus dabant ſanctæ lacrymæ, quas fundebat Sponſa Chriſti, meditationibus aſſueta, Crucifixi Sponſi ſui compaſſivis amoribus intenta.

Quod ſi mavultis, hanc ad Chriſtum paſſum devotionem, florem Paſſionis, non infimas hortorum delicias, appellabo. Hoc floris germen, nunc in ſolo noſtro non paucis notum, origine indicum eſſe perhibetur, &, jucundum viſu pleraque Chriſti patientis inſtrumenta ac ſigna, in ſe mirifice exprimit. Siquidem ſupra foliorum ambitum, columnam, coronam, ſpinas, clavos, Crucem, cæteraque, non

ſine

Digitized by Google

ſine raro naturæ prodigio, oſtentat. Latent autem univerſa, quoad floris gemma ſeſe in orbem expandat. Ad eum modum ſi cor D. Gertrudis diſmembratum, & explicatum, fuiſſet inſpectum, crediderim, inventum fuiſſe Paſſionis Dominicæ ſignis inſignitum. Non latebat Virginem, quantopere deceret adimplere iſtud, quod D. Auguſtinus docet monens: *Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatricem reſurgentis . . . Hæc quanta ſint, cogitate: Hæc in ſtatera cordis veſtri appendite; ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce.* Hunc, quæſo, chariſſimi, vobis carpite florem, florem, inquam, paſſionis. Non terreant prominentes ſpinæ: Innocuæ ſunt. Inſtrumenta, & myſteria Dominicæ Paſſionis in corde deportare recreat, non affligit: Quemadmodum dicto flori inſcribitur: *Tormenta innoxia florent.* Florem, non ſpinam, ſentiebat, qui dicebat: (*Gal. 6. 14.*) *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Sed regrediamur ad Divam Gertrudem.

Vultiſne in hoc Horto videre Heliotropium? Flos iſte ad diuturnam Solis lucem aſſidue defixus, epigraphen gerit: *Soli, & ſemper.* B. Gertrudis in Jeſum, Juſtitiæ ſolem, totaliter defixa, ei ſoli, & ſemper, placere ſollicita, dicere poterat velut Sponſa: (*Cant. 7. 10.*) *Ego à lecto meo, & ad me converſio ejus.* Nec alienum erat aliud, Heliotropio appropriatum lemma: *Uſque ad occaſum ſequor.* Quem enim toto ſpectaverat vitæ præſentis die, hunc ab oculis non amovit, dum moriendo occideret. Immo tanto tunc intimius ſuo ſe conjunxit Dilecto, quanto propinquior erat ad viſibilem ipſius præſentiam. Tribus namque ante obitum menſibus univerſum regiminis opus depoſuit, & in humeros ſororis cujuſdam conſanguineæ repoſuit, quatenus exonerata velocius, & felicius feſtinaret ad dilectum.

Deſideratiſne admirari Hyacinthos? Hyacinthus, ſobrii hominis ſymbolum eſt, lemmate: *Et palles, & places.* Sponſa Chriſti, Gertrudis non fuerit ſine pallore. Pallent enim ora, jejuniis aſſueta; (*Ex Mat. 6. in ed.*) nihilominus & placebat. Non ideo inter Hypocritas triſtis erat, ſed lota facie, & uncto capite ſuo, quemadmodum jejunantibus Chriſtianis Chriſtus (*Ex 2. Cor. 9. 7.*) præſcribit, nemini non erat amabilis, affabilis, benigna, & miteis, non ignorans, quod hilarem datorem diligat Deus.

Expectatiſne Roſas? Roſis abundat Hortus noſter. Si Roſa inter ſpinas inſignitur lemmate: *Vel inter ſentes germinat.* B. Gertrudis inter divitias, & ſæculi voluptates, immunem ſe cuſtodivit ab hoc ſæculo. Si Roſis ſubſcribitur: *Redolentque, ſanantque.* D. Gertrudis merita non tantum odorifera, ſed & ſanativa erant filiabus, quæ in odorem unguentorum ejus currentes, ſalutem ſuam invenere. Si Roſæ *& decidentes redolent.* Bonus odor Virginis non fuit in morte extinctus; ſed, quod in præſentiarum patens eſt, a tot ſæculis uſque modo ſuam reddit ſuavitatem delectantibus de memoria ipſius, Capite, quod imitemini: Roſam carpite.

Quæritiſne lilia? Hæc ſi deſiderarentur, Hortus noſter minus bene inſtructus foret. Quoniam dilectus animatum ſanctarum Sponſus hoc floris genus præ cæteris amat, ſecundum illud: (*Cant. 6. 1.*) *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Eſt porro lilium puritatis, & Caſtitatis ſymbolum ſub lemmate: *Cum candore odor:* de quo D. Gregor. in iſtud: (*Cant. 2. 2.*) *Sicut lilium inter ſpinas*, ſicut ſcribit: *ſola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cæleſtem pulchritudinem aſſurgit, & munditiæ candorem corde, & corpore ſibi ipſi cuſtodit, & proximos quoſque bonæ opinionis odore reficit.* Et quæ nunc anima corpore purior, ac Virgo hæc ſancta, quæ & honeſtiſſimas ſprevit nuptias carnis? quæ anima purior corde, ac D. Gertrudis, quæ ſolemni voto ſuum ſacravit Chriſto? Quæ anima meliorem emiſit odorem, ac Virgo hæc tam humilis, quam ſublimis, tam modica, quam dives; tam ſibi nigra, quam formoſa Deo? *Cum candore odor.* Heu quam rara nunc lilia, quando mera lolia!

Alios tranſeo flores: Duco vos ad plantationes arborum peregrinarum, Orangerie vocant. Locus iſte fertilis adeo, ac amœnus in Horto noſtro (*Cant. 4. 13.*) ut D. Gertrudis acclamandum: *Emiſſiones tuæ Paradiſus.* Ecce enim hic florent Cypri cum Nardo & Croco, quibus tres virtutes Theologicæ: Fides, Spes, Charitas, ſignantur. Ibi germinant Fiſtula, Cinnamomum, Myrrha, & Aloe, quibus quatuor virtutes Cardinales: Juſtitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia denotantur. Ibi univerſa ligna Libani, (*Ex Cant. 4.*) quæ cæterarum virtutum ſigna, ſuccreſcunt. Spectaculum ſane ſtupendum Hortus iſte, cui nemus Aſſueri comparari non meretur.

Nec timendum a fure, aut vaſtatore. Arcentur ab Horto fures, & malæ beſtiæ. Hortus concluſus eſt, clauſus peſſulo, cinctus muro. Chriſti Sponſi gratia, Obſervantiæ Regularis rigor, intentionis rectitudo, ſolitudo, ſilentium, jugis Meditatio, & Sponſi Amor circumdant Hortum, ſervant indecore univerſa decora.

Exire jam liceret; niſi occurreret Umbraculum, viſu digniſſimum. In hortis cultioribus umbracula, vel ex vivo frutice texta, vel ex lapide, lignove erecta, adverſus ſolis æſtum adhibenda, haberi ſolent, quibus merito inſcripſeris: *Huc corpora feſſa recurrent.* In Horto noſtro non deſideratur umbraculum. Immo ipſamet Virgo, D. Gertrudis: aut ſi audire præplacet, ejus benigna, & liberalis miſericordia, miſeris impenſa, apertum erat umbraculum, quo corpora feſſa recurrebant. Loquantur infirmi, quibus compaſſa; pauperes, quibus benefecit; peregrini, quos ſuſcepit. Loquantur Viri Apoſtolici, quos læta fronte, multiſque honoravit beneficiis, Religioſi, Orphani, Viduæ, Captivi, quos liberavit, aut ſaluit, quos fovit, quorum curam egit, quibus ſe munificam exhibuit. Loquatur cum S. Ordine, cujus inſtitutum tenuit, Sancta Eccleſia, cui bona hæreditaria obtulit, ſacravit. Teſtabuntur univerſi, ſuſpexiſſe ſe in D. Gertrude Umbraculum, quo corpora feſſa recurrere fuerint ſolita. Quid? quod etiamnum Divæ Gertrudis, jam in Cælis glorioſa, nobis, in terra degentibus, Umbraculi loco habetur, quando velut Clientes ad ipſius Patrocinium recurrimus, perque ejus preces, & merita, Patrem miſericor-

dia-

diarum, & Deum totius conſolationis nobis propitium reddimus.

Ad Deum devenit oratio mea, finem dicendi invenio. Luſtravimus Hortum. Nihil non placuit: Nihil non in eo admirabile fuit. Hortus noſter commendatus a ſitu, quia in valle poſitus, laudatus a multa Florum elegantia, prædicatus ab Arborum aromaticarum dignitate, celebratus ab Umbraculis ſolariis, Auctorem ſuum mire commendat. Ad quem converſi, Tibi, o digniſſime animarum Sponſe, qui quondam ab una earum Hortulanus putari dignatus fuiſti, Tibi, inquam, o bone Jeſu, gratias, Tibi laudem, Tibi honorem referimus: (*Ex Joann.* 20. 15.) quod talem elegeris famulam, quod D. Gertrudem velut amœniſſimum exornaris Hortum: tot floribus conſitum, quot virtutibus redundantem. Da & nobis vel centeſimam tot gratiarum partem, qui confitemur, quod ſine Te nihil validum, nihil ſanctum. Da, ut vel aliquid, Paradiſo dignum, in nobis floreat, & ad maturitatem ſuccreſcat. *Amen.*

IN FESTO

SS. APOSTOLORUM, PHILIPPI ET JACOBI.

THEMA.

Hi ſunt duæ olivæ. Apoc. 11. 14.

CUm Dominus Jeſus quondam perambularet Jerico, (*Ex Luc.* 17.) erat quidem publicanorum Princeps, nomine Zachæus, cupidus videndi Jeſum, quis eſſet. Non poterat interim voto potiri ſuo; eo quod ſtatura puſillus eſſet, & turba multa circumdaret Dominum. Quid conſilii? Præcurrit Zachæus, aſcendit arborem, occupat viam, qua iturus erat Dominus. Nec fefellit Zachæum induſtria. Siquidem in ſpecula iſta meruit non ſolum videre Jeſum, ſed etiam audire alloquentem, & hoſpitium dignatione mira poſtulantem. Doctore Vener. Beda, Zachæus, qui interpretatur juſtificatus, credentem ex Gentibus populum ſignificat. Hinc innumeros hic mihi videtur videre Zachæos; eo quod, niſi me fallam, omnes vos ex Gentibus deſcendatis fideles. Ex Judæis nemo. Quodnam vero eſt votum veſtrum, ſi Zachæi eſtis? Quem in finem huc veniſtis? Quid expectatis? Utique amatis videre, & intelligere, quinam ſint iſti duo Jeſu Diſcipuli, Philippus & Jacobus? Bene eſt; ſed ſuadeo, cum Zachæo conſcendatis arbores, e quibus Apoſtolos notetis, & noviſſe diſcatis. Ergo quænam hæ arbores? Replicabitis, an illæ, quas tranſmiſſa nox e ſylvis tranſtulit in plateas civitatis, ad fores Benefactorum honoris cauſa erectas? Nolim vobis auctor eſſe, ut ad has confugiatis. Non enim radices habent, nec confidendum filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Ergo ne, dicetis, ad locum, unde exciſæ, properabimus, aſcenſuri patet, ſed radicatas in terra? Antiquam ſylvam repetere, non tato periculoſum.

Sed nec ibi dantur arbores, quas cogito. Ergone, reſpondebitis, cum laudato Zachæo ad ſycomorum volabimus: ut ex arbore videamus Diſcipulos, ex qua ipſe vidit Magiſtrum. Non improbo. Laudabile enim eſt, vanitatem veſtigio ſuo proterere, & errata prioris ætatis corrigere, quod eſt in arborem ſycomorum aſcendere. Nihilominus malim, ut mecum ad arbores prænominatas, quibus in Apocalypſi Henoch & Elias comparantur, tendatis. Dicitur de iſtis: *Hi ſunt duæ olivæ.* De Beatis Apoſtolis, Philippo & Jacobo, id ipſum pronuntio, dicens: *Hi ſunt duæ olivæ.* Ex his arboribus noviſſe licet duos hos viros, quemadmodum mox demonſtro. Videte, & advertite.

Apoſtolicas BB. Philippi & Jacobi virtutes, ac operationes in & ex olea monſtraturus, ab earum multitudine in eas mihi videor redactus eſſe anguſtias, ut gemens clamare debeam: *Inopem me copia fecit.* Parum namque intereſt, ſive nihil, ſive ſine ordine dicam, & dicendi ordinem dicendorum abundantia perturbat. Interim ſermo Domini, quem de octo beatitudinibus habuit; manu me ducit, ut cum ipſo a paupertate ordiar. Et congrue. Etenim, D. Ambroſio teſte, Paupertas ordine prima eſt, & parens quædam, generatioque virtutum. Hujus capitalis virtutis ſymbolum cernere eſt in olea, quando, trunco reciſo, in ſurculos plurimos progerminat, merita hanc gnomam: *Tanto uberius.* Traditur quoque de olea, quod temperatis irrigata pluviis, frugifera efficiatur, copioſis autem obrupta, ſterileſcat. Hinc pluviæ, ſupra olivam deciduæ, inſcribitur: *Juvat, atque nocet.* Philippus & Jacobus Apoſtoli, ſunt duæ olivæ. Has oleas Divinus ille Hortulanus, qui Mariæ Magdalenæ ad ſepulcrum, apparuit, tam acriter, & rigide, ut de terrenorum bonorum frondibus, & ramis nihil ipſis remanere videretur. Vultiſne, ut inſtrumentum excidentis exhibeam Hortulani? *Nolite* (*Matth.* 10. 9. 10.) *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Hæc eſt Apoſtolicæ vitæ regula, quæ novaculæ ad inſtar excindit ſuperflua. Quam quidem Apoſtoli obſervarunt. Cæteroquin enim eorum Caput Petrus, dicere non fuiſſet auſus: *Ecce nos reliquimus omnia,* (*Matth.* 19. 27.) *& ſecuti ſumus te: Quid ergo erit nobis?* Nec inutiliter. Sancti enim Apoſtoli tanto expeditiores fuere ad diſcurrendum per orbem univerſum; quanto minus in eo poſſidebant. Sane ſi paupertas milites hujus ſæculi ad fortiter agendum habiles reddat, juxta illud Alexandri Imperatoris apud Lampridium: *Miles,* dixerit, *non timet, niſi veſtitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zena*; multo magis id locum habet in diſcipulis, a Domino miſſis. Interim dum, quod nocet, & gravat, vetatur, quod neceſſarium, non negatur. Pluvia aliqua oleis conceditur. Sic Chriſtus Dominus Apoſtolis libertatem fecit operariorum inſtar recipiendi mercedem, ſeu ſuſtentationem; quatenus viverent de Altari, qui Altari deſervirent, edendo, & bibendo de illis, quæ forent apponenda. Atque ut verba Domini referam: *Dignus enim eſt,* ait, *operarius cibo ſuo.*: (*Matth.* 10. 10.).

Paupertate inter Apoſtolos ſtabilita, concordiæ jactum erat fundamentum. Sicut enim meum & tuum, frigidum illud verbum, bellum creat & lites,

omnia-

omniaquē mala in genus humanum invehit: Ita paupertas voluntaria, operante Spiritu Sancto, qui ignis eſt, omne armorum genus conflat, & conſumit, paci, & concordiæ conſulit, locum præparat. Virtutem quoque hanc Apoſtolicam legere eſt in olea. Primo namque perhibent, quod olea cum myrto miram habeat ſympathiam. Unde nonnemo eas, mutuo complexu junctas, inſignivit hoc lemmate: *Mutuo amore creſcunt*. Secundo, quod rei noſtræ fortaſſis aptius, referunt, quod olivæ collectæ, ac mutuo unitæ, felicius matureſcant. Unde lemma: *Fovebuntur mutuo*. Si Salvator noſter virtutem aliquam diſcipulis ſuis unquam commendarit, concordiam profecto altius impreſſit, dicendo: (*Joann.* 15. 10.) *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Hanc ſignificabat myſterio 72. diſcipulorum miſſorum ſocialiter, & ut boni irent, juſtorum. (*Luc.* 10. 1.)

Quemadmodum advertit D. Gregorius, deſuper taliter diſcurrens: (*Hom. 17. in Evang.*) *Ecce binos, ait, ad prædicandum diſcipulos Dominus mittit: Quatenus hoc nobis tacitus innuat, quod, qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet*. Idipſum pariter non obſcure colligitur ex Apoſtolorum numero. Cum enim duodecim fuerint electi, conſtans eſt, quod ſex confecerint paria, & ſinguli ſingulos quodammodo habuerunt Collegas. Accedit, quod trium fratrum paria inter Apoſtolos inveniantur, videlicet Petrus, & Andreas: Jacobus, & Joannes: Jacobus minor, & Judas Thadæus, quibus poſtremis aliqui addunt Simonem Chananæum. Igitur vocando tot fratres ad Apoſtolatum Dominus inſinuabat, quam grata ſibi eſſet concordia, & animorum unio. Erat & hæc Apoſtolis proficua: Inde fovebantur mutuo velut olivæ, experti veritatem illius: *Frater qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma* (*Prov.* 18. 19.). Item ex eventu docti iſtud: *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur*. Ex quibus nunc inferre licet, æquum eſſe, ut e ſanctis Apoſtolis aliqui feſtivitates ſuas in Eccleſia habeant bini; prout eorum Principibus Petro & Paulo, Simoni & Judæ Thadæo, Philippo & Jacobo una eademque dies feſtiva eſt. Congrue, ut monui; quatenus intelligatur, & ad memoriam vocetur, quanta ipſis fuerit unitas, dum in terris agerent; ſicut S. Eccleſia de SS. Petro & Paulo canit: (*Br. Rom.*) *Glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati*. Olivæ erant iſti: Olivæ ſunt SS. Philippus & Jacobus: Fovebantur mutuo.

Interim quantam olea cum myrto ſympathiam habet, tantam cum vite fovet antipathiam. Hinc Oleæ, juxta vitem plantatæ, inſcribunt: *Certus interitus*. Quo emblemate ſignificatur, difficillimum & peſſimum eſſe Bacchi & Palladis, vitii & virtutis, ebrietatis, & ſcientiæ connubium. Quare ut SS. Apoſtoli eſſent oleæ virtutes, longius a vite, ab intemperantiæ vitio erant ſemoti, quippe quos Dominus monuiſſet, dicens: (*Luc.* 21. 34.) *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate*. Ingenioſum non minus eſſe videtur, ſi advertamus, quod Hedera Philoſophis ſit ſignum vini venalis (ex ſuppoſito tamen) & hedera, haud ſecus ac vitis, perniciem creet olivæ. Quapropter, ea jam marceſcente, hedera connexa epigraphen accepit: *Mala fœdera perdunt*. Porro quanta cura SS. Apoſtoli ab hoc ſibi periculo caverint, vel ex ſola ſolius Pauli Epiſtola, quam dedit ad Timotheum, prima liquidum eſt. Monet enim virum hunc Apoſtolicum his verbis: (1. *Tim.* 5. 23.) *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Ecce ſancti illi communiter aquam biberunt, & ad modicum etiam vini ſumendum diſcretis aliorum conſiliis provocandi, ſi non adigendi erant. Oleæ erant: Olea vitem fugit, & quidem pro tuendo, & retinendo viroris decore.

Sed quis inde decor oleis myſticis: ſanctis, dico, Apoſtolis? Caſtitatis forma inde effloruit. Huic quam inimicum eſt vinum, ſaltem immodice ſumptum, tam amica exiſtit ſobrietas, & temperantia. Caſtiſſimi erant Apoſtoli, ut eſſent genuinæ oleæ. Olea enim, hirco vicina, epigraphen ſuſtinet: *Noli me tangere*. Similiter oliva, igni adulta, ſterilis efficitur. Unde lemma: *Sterileſcit adulta*. Ad eum modum vita, & vitalitas animæ non patitur ignem luxuriæ citra detrimentum; quod quidem S. Auguſtinus deſcribit: *Violatur ipſa ſocietas*; habet, *quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem natura, cujus ipſe Auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur*. Quantum vero Apoſtoli ab hujus turpitudine vitii abhorruerint, facile divinabit, qui penetraverit monita iſtius Apoſtolici ſanctitatem, ac rigorem: (*Epheſ.* 5. 3.) *Fornicatio autem*, verba Pauli ſunt, *& omnis immunditia ... nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio*.

Hanc Caſtitatis gratiam conciliabat ſobrietas, ita tamen, ut comiti ipſius, ſenſuum mortificationi, ſua non denegetur gratiarum actio. Quod enim de ſapientia in Jobo eſt, hoc caſtitati proprium, vel appropriandum: (*Job* 28. 13.) *Nec invenitur*, legimus poſt alia, *in terra ſuaviter viventium*. Unde qui in Regum, Principumque aulis inter delicias quotidianas virgines ſunt, miracula ſunt; quemadmodum Orbis obſtupeſcit Virginem Caſimirum, Virginem Ludovicum, Virgines alios, aulis repertos, & non maculatos. Mortificanda igitur ſunt membra: caſtigandum corpus, & in ſervitutem redigendum, ut ſpiritus cordis munditiem ſervet. Huc tendebant Apoſtolorum monita: hoc referebant eorum facta, doctrinæ conformia. Oleæ erant. Arbor iſta terris potiſſimum montuoſis, ac ſaxeis gaudet. Ideo inter petras figurata, epigraphen tenet: *Nullibi felicius*. Mens emblematis eſt, virtutem, pietatem, innocentiam, ac vitæ puritatem, nullibi tranquillius, ac inter mortificationis ſalebras proficere. Et ne abſterreat mortificationis vox, adeſt emblema aliud in olea cum lemmate: *Ex amara dulcedo*. Si quidem oleæ cortex cum foliis saporem habet amariſſimum; cum fructus arboris inſigni plenus ſit dulcedine. Referunt quoque de olivis, id eſt, fructibus oleæ, quod intra ſalſas aquas repoſitæ, amatorem ſuum deponant. Unde lemma: *Amaritudine dulceſcunt*. In pœnitente idem evenit. Si enim mortificationis voluntariæ amatorem fuerit amplexus,

xus, ad interioris animæ dulcedinem, veramque lætitiam promovetur. Talis erat viciſſitudo in Apoſtolis. Prædixerat ipſis Dominus, (*Joann.* 16.) *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, cum dixiſſet: *Plorabitis, & flebitis vos*. Plorabant, & flebant fugæ ſuæ turpitudinem, Fidei imperfectionem, & tarditatem, aliaſque imperfectiones coram Magiſtro admiſſas. Verum hæc ad memoriam cum dolore revocaſſe, gratum erat, jucundum erat ſentientibus id, quod Pſalmiſta expertum ſe fuiſſe teſtabatur dicens: (*Pſ.* 93. 19.) *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Accedebat ab extra plurimarum calamitatum, & perſecutionum moles, quæ tamen non minuebat profectum, ſed augebat in viris perfectioni deditis. Olivarum congeries, molæ ſubjecta, epigraphen exhibet: *Compreſſa uberior*. Item: *Terendo ſuccus*. Idem eſto judicium de SS. Apoſtolis ſub mole præfata. Ubi applicabile iſtud D. Auguſtinus: (*In Pſ.* 55.) *Tenetur in torculari corpus ejus, id eſt, Eccleſia ejus. Quid eſt in torculari? In preſſuris, ſed in torculari fructuoſa preſſura eſt.* Et rurſus: *Ingreſſus es torcular; præpara te ad preſſuras; ſed noli eſſe avidus, ne de preſſura nihil exeat*. Apoſtolos Spiritus S. large unxerat; adeo ut ex illis ſub preſſura Dei laus, & gratiarum actio profluxerit. Simile quid ex olea arbore diſcitur. Hæc, ventis quaſſata, radices agit altiores cum lemmate: *Concuſſa firmat*. Hoc eſt, quod Dominus Apoſtolorum uni, Paulo, cum tertio petiiſſet a moleſta quadam tentatione liberari, repoſuit, dicens: (1.*Cor.* 12.) *Virtus in infirmitate perficitur*. Videlicet virtus in infirmitate perficitur, niſi quis infirmitati volens ſuccumbat, moleſtia fractus.

Contra quod periculum perſeverantiæ bono & dono opus eſt. Cui virtuti declarandæ pro more hodierno ad oleam rurſus accedamus. Arbor hæc inter quaſvis anni vices, ac tempeſtates ſemper viret. Unde lemma: *Conſtat ubique ſibi*. Ita vir, Apoſtolica præditus prudentia, inter quævis adverſa mentem retinet pro Deo, & populo immutatam, immutabilemque. *Turpe eſt*, inquit D. Auguſtinus, *mutare ſententiam, ſed veram, & rectam: nam & ſtultam, & noxiam, & ſalubre, & bonum eſt*, ſcilicet mutare. Hujuſmodi ſoliditas a Spiritu Sancto accepta Apoſtolis cum primis aderat. Unde cum Petrus & Joannes, poſt claudum a matris utero, in nomine Jeſu ſanatum, poſiti in cuſtodiam, alteroque mane educti, a Principibus, & ſenioribus, ac Scribis Judæorum, factum negare non auſi, acciperent mandatum, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu, reſpondentes dicebant: (*Act.* 4. 19.) *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate: Non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui*. Atque ideo comminatione neglecta, & hi, & alii nihilominus *virtute magna reddebant teſtimonium Reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri*. Olea conſtat ubique ſibi: Neſcit hyemem. Sed neque a ferro ſibi timet. Gladius enim, in olivam impactus, ob ejus duritiem frangitur, quod exprimitur hoc lemmate: *Frangeris, antequam frangas*. Sanctis Martyribus id proprium erat, & vel ideo Apoſtolis, quippe qui omnes e candidato Martyrum exercitu prominent. In Martyrum morte frequenter cernere fuit, qualiter ipſi tortores fuerint fatigati; cum illi torquendi bono & jucundo perſiſterent animo fortes.

Nec obſtat, quod ſanctis Martyribus amputata non raro fuerint membra, ipſum præciſum caput. Non enim hoc erat cedere malis; ſed rurſus æmulari oleam, quæ ramis putata, tenellos ſurculos e ſtipite iterum emittit, cum lemmate: *Vita longior*. Quo ſpectat illud: (*Eccli.* 44. 14.) *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem*. Ex præmiſſa occaſione etiam inſcribitur oleæ: *Dum pereo, ſpero*. Hæc SS. Martyrum teſſera. Quo ſenſu D. Auguſtinus, ait: *Habent gaudium bonæ animæ, cum de ſæculo exirent. Sed cum facta fuerit reſurrectio, bonorum gaudium amplius erit*. Perierit corpus; quid inde? Olea, diuturnis annis ſtare ſolita, tandem fato inevitabili ſuccumbit ſub lemmate: *Nihil immortale tenemus*. Duæ olivæ noſtræ Martyrio ſuo idem dicere poterant: Nihil immortale tenemus. Moriendum erat ſemel. Sed erro: Immortalem habebant ſpiritum, quem occidere non poterant, quibus libertas erat in corpora. Hunc Deo immortali reddiderunt, qui ſolus in animam & corpus jus pleniſſimum habet. Felix depoſitio! notabile depoſitum!

Quis dabit nobis, ut æmulari liceat chariſmata tam bona? Quis nobis concedat, ut in militantis Eccleſiæ horto ſimus oleæ? quis deducat nos in viam perfectionis Apoſtolicæ, ut ſimus ad eorum imitationem ſpiritu pauperes, in bono unanimes, ſobrii, caſti, mortificati, patientes, conſtantes, fortes, perſeverantes? Opus hic Dei gratia, pro qua ſine intermiſſione orandum. Olea caduca fulcitur ſtipite; inſcribitur: *Adjuta ſtabit*. Apoſtoli cum Paulo dicunt: (1. *Cor.* 15. 10.) *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Gratiam imploremus Divinam; curantes deinde, ne in vacuum eam recipiamus. Aſſiſtet nobis, quæ etiam corporaliter adfuit Apoſtolis, Beata Virgo Deipara. Oliva, Virginis manu ſata, uberior provenit, cum lemmate: *Dat Virgo vigorem*. Tu igitur Oliva ſpecioſa in campis, Apoſtolorum Regina & Magiſtra, inſere pectoribus noſtris dictarum virtutum amorem, qui erumpat in gemmas, flores & fructus, dulces gutturi dilectiſſimi Filii tui. Vos quoque Beatiſſimi Apoſtoli, Philippe & Jacobe, noſtri memores eſtote, ut mereamur gratia Dei eſſe, quod fuiſtis, & olim fieri, quod eſtis: nunc olivæ in militantis Eccleſiæ horto, tunc oleæ in Paradiſo triumphantis. *Amen*.

IN FESTO
S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

THEMA.

Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio.
Eccl. 24. 41.

QUod Doctorum Aquila in S. Innocentibus parvulis, pro Chriſto ab Herode interfectis, dum de ipſis hanc pronuntiavit ſenteutiam: *Ecce profanus hoſtis numquam beatis parvulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio*, hoc ipſum de ipſo Rege Martyrum, Chriſto Domino, hoc de aliis Martyribus, hoc de S. Joanne Nepomuceno effari licet. Flagrabant odio, qui ſanguinem innocentiſſimum ſibi, & filiis ſuis, ſitientes, ad Pilatum, tradito Domino Jeſu, clamabant: (*Luc.* 24. 21.) *Crucifige, crucifige eum.* Sed ſubſecuti ſunt illi, quem perdere volebant. Ideo namque Salvator noſter in mundum venerat; ut hoſtem, qui in ligno vicerat, in ligno vinceret: Ut hominem, fructu arboris ſeductum, per Crucis arborem ad Paradiſum reduceret: Ut regnaret a ligno Deus, ſicut Nationibus fuerat prænuntiatum. Herodiadis adulteræ odium gladium acuerat, quo Præcurſoris Domini D. Joannis Baptiſtæ, caput fuit amputatum. Sed ceſſit honori, quod crudelitas fuerat machinata. Hinc enim D. Joannis Prophetia inventa fuit veridica, qua dixerat: (*Joann.* 30.) *Illum* (Dominum Jeſum) *oportet creſcere, me autem minui.* Sic evenit: Chriſtus crevit in Cruce: Joannes minutus fuit capite. Ægeas Proconſul oderat D. Andream Apoſtolum, Crucis extollentem myſteria: Inde motus, eumdem in Crucem tolli juſſit. Sed gratius nihil Andreæ Crucis amatori præſtare potuiſſet, hanc enim diu deſideraverat, ſollicite amaverat, & ſine intermiſſione quæſierat: inſania erat, furor erat (ut omittam ampliorem & martyribus aliis texere coronam) quo impius Bohemiæ Rex, VVenceslaus, aulæ ſuæ Prædicatorem, & Immaculatum Sacramenti Miniſtrum, Joannem Nepomucenum, perſequebatur, quando reſiſtentem execrando propoſito in Moldavam fluvium noctu dejici imperabat; ſed ipſe in hoc liquido ſepulchro vitam invenit, invenit Martyrii lauream, coronam invenit, & gloriam. Ecce profanus hoſtis numquam ſancto Martyri tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Quod ut confirmem, & ego D. Joannis Nepomuceni Martyris inclyti, laudes pro modulo meo prædicaturus hodie, ex fluvio dicendi ſummo materiam. Quatenus etiamnum deſerviat obſequio, ac honori, flumen, quod a perſecutore contumeliæ, & odio, extitit decretum. Inde erat, quod Thematis loco dicerem: *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio.*

Non me fugit verba, ex Eccleſiaſtico adducta, Increatæ, & Incarnatæ ſapientiæ, Dei Filio attribui, & iſtud non latet, quod frequenter ſecundario communicetur ſanctis, quod primario ipſius ſancti ſanctorum eſt. Chriſtus Dominus Ovis; tamen & Diſcipuli ejus oves. Chriſtus lux; tamen & Apoſtoli mundi lux: Chriſtus Petra; tamen & Petrus Petra audit. Pariter nihil in eo abſurdi, quod cum Chriſtus Dominus tramiti & Fluvio ſe comparet, etiam Viri ſancti Fluvio aſſimilentur, præſertim ſi in eorumdem vita, quod fluvii eſt, inveniatur. Et talis quidem erat D. Joanni Nepomuceno vitæ curſus. Flumen, a ſcaturigine modicum, uno alterove paſſu latum, quo longius excurrit, eo copioſius efficitur, & amplius. Quia proprie ſequens ei attribuitur lemma: *Creſcit eundo.* Item: *Semper abundantius.* Symbolum id eſt facti, ſeu faciendi in virtute profectus. De quo D. Bernardus, ait: *Profectus noſter in eo conſiſtit: ut numquam arbitremur nos apprehendiſſe; ſed extendamur ad interiora, inceſſanter conemur in melius.* Sic eſt: oportet, ut creſcamus, eundo de virtute in virtutem. Oportet, ut ſemper operemur abundantius. D. Joannes Nepomucenus, in fluvio olim vitæ viſurus finem, ab exordio vitæ inſtar fluvii orſus, inſtar fluvii crevit, inſtar fluvii factus ſemper abundantior. Inter ſanctas, religioſaſque exercitationes pueritiam egit: Nam Eccleſiam frequenter adire, ac ſacerdotibus, ad aras operantibus, miniſtrare, in deliciis habebat. Jucundus, ſed tenuior adhuc tum erat Rivulus. Verum exſpecta parumper: Proſequere currentem, & ſpectabis fluvium, eundo creſcentem. Ætate major politioribus litteris, Philoſophiæ, Theologiæ, ſacrorum Canonum ſtudio excolit animum, non oblitus animæ; ſed conſcientiam ſcientiæ anteponens. Incipit facere, priuſquam doceat, Magiſtrum, e Cælo datum, imitaturus, qui, teſte loco, (*Ex Act.* 1.) cœpit facere & docere. Sanctorum amat, & amplectitur ſcientiam, ac exinde ad lucra animarum comparatus, miniſterio verbi Dei ſe penitus addicit, extirpat vitia, errantes ad viam ſalutis revocat, ab eloquentia, & pietate, nominatiſſimus. Sed anguſtiores adhuc hi erant termini; creſcit eundo, dum creſcentibus annis, inter Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis cooptatur, ad Aulam advocatur, futurus Prædicator Regius, præficitur Regiis eleemoſynis, in pauperes erogandis, eligitur in Confeſſarium a Regina, munerum iſtorum partes explet omnes dextertime, pietatem promovet, verbo & exemplo multum in aula valet, reſiſtit execrandæ impietati, obtinet Martyrii lauream, juſtitiæ præmium. Hæc vitæ breviſſima ſynopſis, ſic Joannes inſtar fluvii crevit eundo, ſemper magis, & magis abundavit.

Niſi propoſiti mei foret de D. Joanne Nepomuceno panegyrice loqui; apertus mihi hic campus offerretur ad mores noſtros arguendos excurrendi: ſane non ſumus nos flumini ſimiles, ſed otioſo potius ſtagno. Stagnum, ſuis contentum aquis, & anguſtiis, in fœtidam abit cloacam, amittens & illud, quod videbatur habere. Ita nos, dum in bono, quod habere nos putamus, nobis placemus, ſubſiſtimus, dumque in via Dei non proficimus plane. Currendum eſſet: Ad ampliora conandum eſſet: Perficiendum eſſet, quod bene inceptum: Fluvii æmulandi eſſent. Verum, ne præter intentionem longius abeam, ſiſto gradum, & ad fluvium noſtrum

;regredior, incrementa ejus a principiis indagaturus.

Quod flumina eundo creſcant, non habent ex proprio; quoniam ipſa numquam non *fonte caduns modico*: Ex alieno mutuantur copiam. Dum affluunt amnes vicini, dum imbribus fœcundantur, dilatantur. Primum, hoc ornatur lemmate: *Unita fortiora*; alteri inſcribitur: *Imbribus auctus*, ſubintellige: Fluvius. Moraliter accreſcunt Viri Sancti, & in bono proficiunt, quando aliorum meditantur, & imitantur ſancta veſtigia. Quemadmodum de S. Antonio Abbate legitur, quod tanto virtutum ſtudio fuerit incenſus; ut quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet. Bene & optime: *Unita fortiora*. Per imbres porro multiplex gratia, quibus Sancti cælitus rigantur, (*Br. Rom.* 18. *Jan.*) congrue accipitur. De iſto incrementi principio Paulus cum gratiarum actione teſtatur, dicens: (1. *Cor.* 15. 10.) *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Mittitur hæc de Cælo in modum pluviæ, ſecundum iſtud: (*Pſ.* 6. 10.) *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*. In quem locum D. Auguſtinus (*De Trinit. l.* 4. *c.* 1.) talis eſt: *Pluviam voluntariam*, ait, *non niſi gratiam vult intelligi, non meritis redditam, ſed gratis datam; unde & gratia nominatur: Dedit enim eam, non quia digni eramus, ſed quia voluit*. Fluvius ille noſter incrementa virtutum ex utroque hauſit. D. enim Joannes Nepomucenus per Dei gratiam ſcientiæ Sanctorum totus quantus incubuit. Inde evaſit ampliſſimus. Si miraris in ipſo Humilitatem, qua conſpicuas, a VVenceslao Rege oblatas, dignitates conſtantiſſime recuſavit, ne a Divini verbi præconio evocaretur. Legerat Franciſcos, legerat Dominicos: In S. Franciſco viderat ſingularia Humilitatis ſpecimina: In S. Dominico contemplatus fuerat infatigabilem prædicandi zelum. Et hos imitari Divinæ gratiæ erat effectus; ſi miraris cordatum, quo impio Regis obſtitit petito, animum. Noverat, D. Joannem Baptiſtam liberrime increpaſſe Herodem Regem propter Herodiadem, quam ſibi tulerat, uxorem Fratris viventis. Ad hujus exemplum per Dei gratiam loquebatur intrepide in conſpectu Regum. Si miraris conſtantiam, qua nec minis, nec intentatæ a VVenceslao neci, cedens, mori maluit, quam ſigilli Sacramentalis violare ſanctitatem: didicerat quamplures ex fragili femineo ſexu blanditiis, minis, ac tormentis minime motas, dato capite, dato corpore, ſanguine dato, mortem præelegiſſe, ne fœdaretur Ethnicis moribus. Chariſmata hæc æmulari ſuadebat, urgebatque Dei gratia. Hac, velut imbre, auctus: per iſta unita fortior, Joannes ſuo properabat curſu velut fluvius ad metam ſuam.

Nos, qui in multis offendimus omnes, etiam in hoc deficimus, quod, cum ad ſectanda malorum exempla faciles ſimus, ac proni, Sanctorum premere veſtigia, difficultate apprehenſa territi detrectemus. Quaſi vero Viri ſancti naturæ fuiſſent eminentioris, vitia neſciiſſent, in Adamo non peccaſſent, infirmitate nulla circumdati fuiſſent, atque adeo a nobis imitabiles non eſſent. Profecto ſimiles nobis fuere per omnia. Dato etiam, exceptos ipſos fuiſſe in aliquo eorum, adhuc per Dei gratiam ſequi eos, poſſibile foret. Quoniam & Sanctos Angelos, immo Angelorum Regem, Deum ipſum imitari, dum volumus, poſſumus. Cæteroquin enim ad hujuſmodi imitationes per Sanctos PP. per S. Scripturam, minime invitaremur. Quemadmodum Apoſtolus nos admonet, dicens: (*Epheſ.* 5. 1.) *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi*. Verum in eo claudicat noſtra ſalus, profectus noſter, quod, heu dolor! gratiæ divinæ non cooperemur: Sanctas illuſtrationes in intellectu, pioſque in voluntate motus, utut ſentiamus, negligimus. Supra petram cadit hæc pluvia voluntaria. Amodo, quod rogem, ſuſcipiamus imbrem, vicinos avide bibamus amnes: Gratiæ Divinæ locum demus ſedulo cooperantes eidem, & Sanctorum legamus veſtigia: Et erimus cum Divo Joanne Nepomuceno Flumini feliciter ſimiles.

Sancto huic Martyri fuit & iſtud cum fluvio commune, quod non ierit retrorſum; ſed continuo ad anteriora ſeſe extenderit. Id quod proficere volenti perquam neceſſarium. Sicut devotus Kempenſis innuit, dicens: *Omni die renovare debemus propoſitum noſtrum, & ad fervorem nos excitare, quaſi hodie primum ad converſionem veniſſemus, atque dicere: Adjuva me Domine Deus in bono propoſito, &c.* Quod quidem tanto admirabilius in S. Martyre, quanto validiora occurrebant currenti obſtacula, quibus fortaſſis minus durus, ac magnus, Joannis Rex erat VVenceslaus. Is, eſto Prædicatoris Aulæ ſuæ ſuaſu multa faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet, haud ſecus ac de Herode circa D. Joannem Baptiſtam legitur: (*Marci* 6. 20.) *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: Et cuſtodiebat eum, &, audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat*, damnabili ac ſacrilego pruritu ex Joanne audiendi ſecreta Reginæ, in Confeſſione depoſita, velut Herodiade quadam, ductus & ſeductus, ipſo facto Joannem ſiſtere in curſu ſuo, & retrorſum deflectere, moliebatur. Grandis obex! Tentatio gravis! preces armatæ erant, & minis graviſſimis munitæ. At Joannes fluvii inſtar, non cedit obici, non fugit ad obſtacula; ſed potius cataractas univerſas rumpit, execrando reſiſtens voto, & fidem Sacramentalem ſartam tectam conſervans, meritus, cui appropriet ur, quod Flumini, ruptis cataractis, campos inundanti adſcribitur lemma: *Ab obice fortior*. Magnanimæ mentis, & animæ, divino ferventis amore, index is erat. Quo ſuper audiamus Gilbertus Abbatem: (*Serm.* 37. *in Cant.*) *Magni obices*, inquit ille, *ſed major impetus*, ſi coneris compeſcere, plus creſcit, *& perrumpit obſtantia: Repulſus* (Fluvius) *exurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirens, ſe diffundit uberius. Puro amori etiam obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus injuriis*. Sic eſt: Vexatus injuriis Joannes incrementa cœpit. Erat Confeſſor inclytus: Erat Sacerdos Dei Altiſſimi: Eccleſiaſtes erat eximius: Virtutum propagator erat: Erat vitiorum extirpator: Erat Regius Eleemoſynarius, a miſericordia, & fidelitate amandus: Erat adminiſtrator Sacramentorum integerrimus. Sed, injuriis vexatus, crevit, effectus Chriſti Martyr, iſque omnium primus, qui ob invictum ſacramentale Silentium Martyrii corona decoratus fuerit. *Ab obice fortior*.

Ubi-

Ubinam inveniemus ſimilem Joanni? Laudabimus eum, ſi comparuerit. Nos ad vocem vilis unius ancillulæ cum Petro, adhuc fragili, trepidamus, a bono recedimus propoſito, debiliores, non fortiores vel injurioſis fieri ſoliti. Levis titillatio carnis quamplures a caſtitatis propoſito dejicit. Modicus ſtomachi dolor, exigua cibi eſurialis nauſea, in ſancti jejunii obſervantia fingit laborem. Unius verbi aſperitas minima turbat animum. Verbo: Non perfringimus difficultatum cataractas: Subſiſtimus, retrocedimus vel ad araneæ telam. Non ſumus Fluvio comparandi cum D. Joanne: Longe minores ſumus, ac ut mereamur prædicatum, quod fluvio obturamenta effringenti datur, videlicet: *Obſtantia ſternit*.

Et nunc ad glorioſam uſque mortem D. Joannem ſecuti, obſervemus, eundem neque tunc, neque modo diſſimilem fuiſſe, & fore, Flumini. Fluvio ad mare relapſo, inſcribitur: *Reverſus, unde venerat*. Flumina enim, per meatus ſubterraneos ex mari orta, ad mare per apertos canales regrediuntur. S. Joannes Nepomucenus, natus parentibus, ætate provectis, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, quæ inſuper infanti in vitæ periculo ſervavit vitam, ab ipſis relatus fuit qua acceptus: Cum Chriſti athleta inſtare ſibi mortem noviſſet, Boleslaviam profectus, ad B. V. Imaginem, antiquo cultu celebrem, cæleſte præſidium ad certandum bonum certamen, effuſis precibus imploraturus. Ecce Fluvium, reverſum, unde venerat, aqua mundo datus, per eam natus fuit cælo. Stella maris hanc lucem dedit ſolo, dedit polo. Ibi jam glorioſus etiamnum æmulatur Fluvium. Fluvius *quo longius, eo latius*, ſubaudi: diffunditur. Duliæ cultus, quo Sancta in terris militans Eccleſia Martyrem hunc & Patronum fama periclitantium, proſequitur, in dies amplificatur. Eriguntur ſacella, ſodalitia inſtituuntur, imagines, & ſtatuæ D. Joannem repræſentantes, publicæ venerationi, & venerandæ memoriæ, ubivis locorum ponuntur plures & plures. *Quo longius, eo latius*. Nec eſt, qui ad Patrocinium hujus Tutoris famæ confugere detrectet ea de cauſa, quod ſit Patronus quaſi omnium, juvandis univerſis intentus. Nam non ideo periculum, ne Sanctus ſit minor ad ſingulos. Quinimmo vel ideo acceditur ſecurius. Flumen, ingenti affluentium aquarum numero locuples, ſecurum navigantibus iter præbet, ſub lemmate: *Quo majus, minus hoc periculi eſt*. Haud aliter res habet cum univerſali D. Joannis Patrocinio, &c. &c.

Quibus de Fluvio applicatis, ad finem mea fluxit oratio: Utinam Fluminis inſtar ordine, & jucunde decurrentis ſaltem, quod fluviorum eſt illic revertat, unde orſus fui. Ecce, inquam, profanus hoſtis numquam B. Joanni tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Niſi Sanctus hic in fluvium dejectus, occubuiſſet Martyr; fortaſſis de Fluvio in laudem ipſius ne ſomniaſſem. Verum perexiguum omnino id honoris genus eſt. Iſtud B. Joanni Nepomuceno honorificum eſt, quod in Fluvio conſummatus invenerit gloriam, invenerit vitam, invenerit Martyrii coronam, etiam temporaliter facibus ardentibus, aquis ſupernatantibus, & diſcurrentibus, illuſtrato Martyris corpore. Hæc Tibi, o Chriſti Martyr, ſavemus decora: Tuæ applaudimus gloriæ: Tibi de nova gratulamur laurea: Cultus tui creſcat in terris: Exundet devotio, ad te in plurimis jam vigens, ad omnium oras, & animos Fidelium. Impetra autem nobis clientibus tuis; ut qui tamquam aqua dilabimur ſuper terram, refluamus ad fontem vitæ, Deo auctori noſtro uniamur: ad Tui exemplum, ut oportet, curſum conſumemus, malendo omnia potius mala pati, quam detrimentum animæ ſubite. *Amen*.

IN FESTO

DEDICATIONIS PORTIUNCULÆ:

THEMA.

Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum. Pſ. 33. 7.

SUnt, qui clamarunt, & non ſunt exauditi; ſunt qui clamarunt, & ſunt exauditi; ſunt qui clamarunt, & ſunt pluſquam exauditi. Sunt, qui clamarunt, & non ſunt exauditi. David clamavit pro ſalute pueri, ſibi ex adulterio nati, (2. *Reg.* 12.) non eſt exauditus: Mortuus eſt puer. (3. *Reg.* 19.) Elias clamavit in deſerto ſubter Juniperum, (4. *Reg.* 2.) petens, ut ſibi daretur mori, & non eſt exauditus: Vivit uſque in præſentem diem, igneo curru raptus. Paulus clamavit, (2. *Cor.* 29.) poſtulans, liberari ab angelo ſatanæ, a ſtimulo carnis, & non eſt exauditus, ſolatio dumtaxat hujuſmodi confortatus: *Sufficit tibi gratia mea*, dixit ad illum Dominus, *nam virtus in infirmitate perficitur*. Sunt, qui clamarunt, & non ſunt exauditi. Sunt qui clamarunt, & ſunt exauditi. Suſanna, tam innocens, quam caſta, adulteri falſo accuſata, clamavit, & exaudita eſt, per Danielem, (*Dan.* 13.) divinitus miſſum, a morte, & calumnia feliciter liberata. Tobias Senior, & Sara Virgo, Tobiæ juniori in ſponſam decreta, repleti amaritudinibus opprobriorum, (*Tob.* 3.) clamarunt, & ſunt exauditi ambo interventu Raphaelis Archangeli accipientes medelam. Judas Machabæus contra Lyſiam deſcenſurus ad prælium, cum omni turba clamavit, quatenus a Domino bonum pro ſalute Iſraelis impetraret Angelum, & exauditus eſt, præcedente eos equite in veſte candida, armis aureis ſplendido & vibrante haſtam. Sunt, qui clamarunt, & ſunt exauditi. Sunt, qui clamarunt, & ſunt pluſquam exauditi. Clamavit Anna, (1. *Reg.* 1. 2.) Elcanæ uxor, petens liberari ab ignominia ſterilitatis, obtinendo prolem maſculam, & pluſquam exaudita eſt. Peperit enim Samuelem, & inſuper proles habuit alias utriuſque ſexus; clamavit Iſaac deprecatus Dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis; & pluſquam exauditus eſt, dato Rebeccæ conceptu filiorum geminorum, Eſau, & Jacob. Clamavit (3. *Reg.* 7.) Salomon, facta ſibi facultate a Domino, ut poſtularet quod vellet, petendo cor docile, ac ſapientiam pro regendo populo, ubi ſubito, & pluſquam exauditus eſt, præter ſapientiam eximiam, obtinendo gloriam, & divitias. Sunt, qui clamarunt, & ſunt pluſquam exauditi. Clamavit autem & iſte pau-

per, pauper ille Franciſcus: Pauper ſpiritu, quia humillimus: Pauper corpore, quia una rudi tectus tunica: Pauper mundi ſubſtantia, quia toti renunriavit mundo: Pauper pecunia, quia nummos abdicavit: Pauper rerum uſu, quia ſolo ſimplicis fruſti eſu contentus cum avibus cæli. Iſte pauper clamavit: Clamavit iſte paupertatis viduatæ ſponſus, pauperum Patriarcha, paupertimi Seraphici Ordinis Fundator inclytus. Iſte pauper clamavit ad Dominum, ad inſtar Salomonis habens [a Domino Jeſu, dignantiſſime in ſacra Æde, cui nomen Portiuncula, aſſiſtente Virginea Matre, & numeroſa Angelorum multitudine, ſibi apparente; optionem petendi beneficium aliquod pro hominum ſalute, hac, inquam, facultate utens, ſub implorato Deiparæ patrocinio, clamavit ad Dominum. Sed quomodo ſucceſſit clamaſſe? An Franciſcus relictus inter primos, qui clamarunt, & non ſunt exauditi? An pari ſorte donatus, qua gaviſi ſunt ſecundi, qui clamarunt, & ſunt exauditi? An vero tertiis annumerari meruit, qui clamarunt, & pluſquam exauditi ſunt? Abſit primum: intimo Jeſu Amico in tam gratioſa apparitione, & liberali gratiæ oblatione minus ſufficiens erat alterum. Accidit Franciſco tertium, clamavit, & pluſquam exauditus eſt. Quod dico, probo, explico, demonſtro. Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, concedendo ampliora, ac fuerant a ſupplice expreſſa.

Bona diſpoſitio facilitat formæ novæ introductionem. (*Judith 9.16.*) Ferrum candens tundendo habile. Lignum aridum avide flammam haurit. (*Pſ. 9.13.*) Concluſis articulis, quos in pacis congreſſu præliminares vocant, pax in foribus adeſt. Optima ad impetrandum aliquid diſpoſitio, petentis paupertas eſt. Pauperes clamant altius, rogant ferventius, inſtant ſæpius, flectunt facilius, placent amplius apud Altiſſimum. Hinc ſcriptum: 3.*Reg.* 3.5.) *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Et aliud: *Non eſt oblitus clamorem pauperum.* Et iterum: *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Bene id didicerat a Patre Filius, Salomon a Davide. Cum enim Dominus ei apparere dignaretur, & diceret: *Poſtula, quod vis, ut dem tibi*, & ipſe in paupertate ſpiritus ſuam faſſus ſapientiæ indigentiam, reponeret: *Ego ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum*, pro paupertate ſua, & electione petitionis, Domino acceptæ, qua poſthabitis divitiis, poſtulavit ſapientiam, eatenus meruit exaudiri, ut non tantum tantam acciperet ſapientiam, quantam ante illum nullus habuerat, nulluſque poſt ipſum habebit; ſed etiam hæc, quæ non poſtulaverat, divitias nimirum & gloriam, ultro donata impetraret, & quidem in copia tanta, ut nullus ei ſimilis fuerit in Regibus, cunctis retro diebus. Igitur hic ille pauper quamquam una Regis ditiſſimi ditiſſimus hæres, & filius, ille pauper ſpiritu, Salomon feliciſſime clamavit ad Dominum, & plus quam cogitaſſet, exauditus eſt. Quoniam obtigit Salomoni ſapientia major, ac neceſſaria fuiſſet pro regendo populo, obvenerunt divitiæ, quas non petiverat: Obvenit gloria immenſa, cujus in ſupplica non meminerat.

A Salomone vos duco ad Franciſcum, utens illo, ſi tamen liceat, quod exiſtimem: (*Matth. 12.42.*) *Ecce plus quam Salomon hic. Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Franciſco oranti in habitaculo ſuo, Eccleſiæ Mariæ Angelorum, ideſt, Portiunculæ, vicino, ſignificabatur, in æde ſacra adeſſe Dominum Jeſum, ejuſque Sanctiſſimam Matrem, cum ingente Angelorum multitudine. Accepto oraculo, Franciſcus nil morans, exiliens, & gaudens delubrum ingreſſus, poſtquam Majeſtatem divinam humillime adoraſſet, ab ipſomet Dei Filio monetur, ut beneficium aliquod pro ſalute hominum peteret. Interrumpo hiſtoriæ ſeriem, habeo, quod Franciſco loquar. Franciſce, Franciſce: Attende, & vide, ut hic ita conſulas ſaluti alienæ; ut tamen tui ipſius minime obliviſcaris. Franciſce, utere oblato favore: Paratam habes Dei Omnipotentis gratiam: Beneficiorum Chriſti ærarium patens eſt, ingredere, non egreſſurus, niſi cum dextera ſiniſtram repleveris. Viſne, ut ſuggeram, quid petas tibi? Pete, obſecro, gratiam miraculorum pro te, & tuis fratribus. Conducet illa ad totius mundi converſionem. Pete genera linguarum pro tuis, quos ad Saracenos, alioſque infideles ablegas, Miſſionariis. Hac gratia impetrata ad agnitionem Fidei facilius vocabuntur omnes Gentes. Pete animos hominum, ut Ordo tuus ſacer ſit in omnium corde & ore famoſus. Conducens id erit ad promovendam pietatem. Verum non annuit vir ſecundum cor Dei conſiliis, quæ non ſapiunt ea, quæ ſunt ſpiritus: Digniora petit, & ſolidiora. Primo tamen Dei Matrem adit, ipſius implorat opem: Tumque animas, animas, Chriſti ſanguine redemptas, petit. Petit, ut quotquot Eccleſiam iſtam introierint, omnium peccatorum, poſt Baptiſmum commiſſorum, quorum confeſſionem ſacerdoti feciſſent, impetrarent veniam, & plenariam indulgentiam. Hæc erat petitio pauperis Franciſci. Iſte pauper taliter clamavit, & exauditus eſt. Annuit deſiderio pauperis piiſſimus Dominus, jubens interim, ut Vicarium ſuum adiret, & ab ipſo indulgentiam illam nomine ſuo poſtularet.

Hic rurſus tibi loquor, Beatiſſime Pater. Beatus es, Franciſce; quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater cæleſtis, & Cælorum Regina. Beatus es, Franciſce, quod non petieris gratiam miraculorum, non donum Prophetiæ, non genera linguarum, non donum prædicandi, aut interpretandi ſermones, ſed peccatorum converſionem præfixeris tibi ſcopum. Beatus es, Franciſce, quod non poſtulaveris animos amicorum, ſed inimicorum Dei animas. Quoniam, atteſtante D. Mellifluo, (*L. de an. c. 3.*) *totus iſte mundus ad pretium unius animæ æſtimari non poteſt. Non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit.* Accedit; aut verius præceſſit Bernardum D. Chryſ. dum ait: (*Hom. 3. in 1. Cor.*) *Nihil eſt, quod animæ poſſit æquiparari, ne univerſus quidem mundus. Itaque ſi immenſas eroges pecunias pauperibus, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* Nec mirum, quod anima una a SS. Patribus tanti fiat; cum ipſemet Chriſtus Dominus, ad S. Brigittam dixerit: (*Revel. l. 1. c. 39.*) *O inimici mei! ſic tenere diligit ovės iſtas, quod ſi poſſibile eſſet adhuc mori propter quamlibet ovem ſpeciali morte, qualem in Cruce pro omnibus*

paſ-

Digitized by Google

paſſus ſum: magis eas redimerem, quam eis carerem.

Sed revertamur ad Salomonem. De Salomonis ſapientia ſacer textus habet: *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni*, (3. *Reg.* 4. 29.) *& prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris*. Petierat Salomon in ſpiritus paupertate ſapientiam, ſibi neceſſariam ad regimen populi ſui, & tam abundanter fuit exauditus, obtinuit ſapientiæ copiam immenſam. Iſte pauper clamavit, clamavit Franciſcus ad Dominum: Multum petiit, & impetravit multum indulgentiam plenariam peccatorum omnium: univerſarum iniquitatum, eſto multiplicatæ forent ſupra numerum arenæ maris. Salomoni non fuit propoſita quæſtio adeo perplexa; quin docte eam ſciret enodare pro multitudine ſapientiæ ſuæ. Non eſt conſcientia adeo gravata, & turbata; quin per has levetur indulgentias pro gratiarum copia, ab ipſo Fonte manata. Sed quid ſi adveniat Maria Magdalena; mulier in civitate peccatrix? Dimittuntur ei peccata multa, nec uno relicto. Quid ſi Petrus, trina Domini negatione gravatus, accedat? Reſpicitur a Domino, & recipitur denuo. Quid ſi David adulter & homicida pœnitentibus ſe ingerat? transferuntur peccata ipſius. Quid ſi offeratur quidam homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua? Sanus efficitur homo ille. Quid ſi perjurus, idololatra, ipſius Antichriſti præcurſor accurrat? Si pœnitentiam afferat, remiſſionem refert peccatorum. Non enim eſt ſtatuendus veniæ terminus, quando gratiarum Auctor citra limitationem indulſit indulgentiam peccatorum omnium, quorum ſcilicet quis confeſſionem coram ſacerdote inſtituerit.

Magnum aliquid! beneficium immenſum! Parum nihilominus videri poteſt, ſi rem conſideremus altius. Iſtud erat objectum petitionis, a D: Franciſco factæ, quippe quæ ſe extenderet ad omnia omnino peccata omnium, qui S. Ædem Portiunculæ, de qua uſque modo locutus ſui, pœnitentes eſſent devote viſitaturi. Plus tractu temporis ad gratiam iſtam acceſſit, quemadmodum mox dabitur, poſtquam de Salomonis ſapientia iterato ſumpſerimus exemplar. Poſtulaverat Salomon ſapientiam in regni proprii utilitatem & neceſſitatem. Hanc quidem impetravit, ſed cum exceſſu tam notabili; ut venirent de cunctis nationibus ad audiendam ſapientiam Salomonis, immo ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam ejus. Sed & Regina Saba (3. *Reg.* 4. 34.) Salomonis ſapientiam exploratura; adfuit; quæ plena ſtupore, teſtem Regis, qua ſapientiſſimi, agens, in hæc prorumpebat verba: (3. *Reg.* 11. 7. *Major eſt ſapientia & opera tua, quam rumor, quam audivi*. Franciſcus, in multis Salomone major; petiit, & conſecutus fuit indulgentias pro S. Æde Mariæ Angelorum, vel Portiunculæ; verum non remanſit hæc gratia inter parietes domus tam anguſtæ, non intra limites Umbriæ, non intra terminos Italiæ, immo nec intra Europæ fines. Quoniam ad totum, qua late patet, Catholicum propagata fuit orbem. Et primo quidem, ex illimitata poteſtate clavium ſolvendi quodcumque ligamen, qua ex conceſſione Chriſti gaudent Summi Pontifices, ejus in terra Vicarii, Sixtus IV. 5. Auguſti anno 1481. eamdem gratiam extendit ad Moniales omnes, ut has in ſuis Eccleſiis lucrari valeant indulgentias. Deinde indulſit eaſdem Fratribus omnibus, tam de prima, quam de tertia Regula Seraphici Patris noſtri. Id quod confirmarunt Leo X. & alii Summi Pontifices. Secundo 4. Julii an. 1622. Gregorius XV. Bulla: *Splendor paternæ gloriæ*, extendit ipſas perpetuo ad omnes Chriſtifideles, qui alicubi confitentes, & communicantes ab heſternis veſperis per diem naturalem, ideſt, uſque ad ſecundas hujus Feſti veſperas, celebrandas hodie, immo uſque ad Solis occaſum, uti legimus, ſemel devote viſitant aliquam ex Eccleſiis Franciſcanorum, & ibi preces ordinarias ad intentionem ordinariam pie perſolvunt. Extenſio eſt hæc ſatis ampla, ſed nondum ampliſſima: Plus ultra pergendum. De Sapientia Salomonis omnis quaſi terræ populus proficiebat, aut proficere poterat. De indulgentiis Portiunculæ præter omnem populum Chriſtianum, qui ſuperficiem terræ incolit, etiam participant animæ, ſubter terram ad locum Purgatorii remiſſæ. Etenim Innocent. XI. anno 1687. 2. Januarii fecit eaſdem Indulgentias animabus fidelium defunctorum per modum ſuffragii. Quocirca uſque adeo in impreſſis, publici juris rite factis, datur, probabile fore, quod indulgentias ſæpe dictas eodem hoc die quotannis quis lucrari poſſit pluries, ſemel pro ſe, deinde toties pro animabus in purgatorio, quoties repetita viſitatione alicujus ex Eccleſiis noſtris præſcripta opera reſumuntur, & ceteris ſucceſſive applicantur. Caveant autem rudiores, ne ſint ad eo ſimplices, ut exiſtiment, etiam ſacram communionem idcirco repetendam die eodem. Ecce major latitudo indulgentiæ, Franciſco ſupplicanti datæ, ac latitudo ſapientiæ, Salomoni conceſſæ. Plus in genere ſuo impetravit Franciſcus, ac impetraverit Salomon; niſi apponas, quod Salomon præter id, quod petiit, obtinuerit alia, quæ non poſtulaverat. Verum non ideo palinodiam cantabo: Non irritum volo dictum illud S. Franciſco attributum: *Ecce plus quam Salomon hic*.

Fateor: Salomon ad ſuas, in paupertate ſpiritus depromptas, preces præter ſapientiam valde eximiam, immenſas adeptus fuit divitias, quarum non meminerat in votis ſuis. Verum, quis explicet, & digne æſtimet divitias gloriæ, quibus Beatiſſimus Patriarcha noſter modo in Cælis fruitur, ob ſolum & unicum (ut taceam hic de aliis ejuſdem Sancti meritis) perfectiſſimæ charitatis actum illum, quo a Divina Clementia petiit harum Indulgentiarum Theſaurum? Oculus non vidit, nec in cor hominis aſcendit, quantum gloriæ pondus Deus præparavit Viro Sancto pro innumerabilium animarum lucro, ab his Indulgentiis uſque ad mundi finem emanaturo. Sane magna meriti differentia eſt inter lucrum animæ unius, & lucrum animarum multarum, quemadmodum plus demeretur, qui ſcandalizat multitudinem, ac alius, qui ſcandalum ponit homini unico. Cum igitur, uti D. Chryſoſtomus ſuperius loquebatur, plus efficiat, quiſquis unam converterit animam, ac ſi immenſas eroget pecunias pauperibus, multum, & valde multum effecit Franciſcus, quando tantæ hominum multitudini voluit, & valuit eſſe cauſa ſalutis. Merito reſpondebit præmium in-

in cælis. Hæreſiarcha impœnitens potenter ſuſtinebit in inferno tormenta propter animas ſe ductas. Sanctus Franciſcus remunerationem habebit in cælo propter animas, occaſione Indulgentiarum Portiunculæ ad cælum revocatas. Nolim interim in quantitatem meriti hujus, & gloriæ, indagare pluribus: Potius ad gloriam, quam Salomonis ad inſtar pauper hic Orator ſua petitione in terris acquiſivit, declarandam me accingo.

Vir Dei Franciſcus, ab excelſa humilitate clariſſimus, nihil minus quam gloriam in hoc mundo quærebat; nihilominus ſecuta fuit illum gloria non vulgaris, etiam in his terris, idque (de reliquis ruſus altum mihi ſilentium) occaſione Indulgentiarum Portiunculæ. Gloria ſiquidem Franciſco eſt, quod dictæ Indulgentiæ plurium Summorum Pontificum placitis fuerint approbatæ; ſunt autem: Honorius III. Alexander IV. Martinus IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Joannes XXII. Gregorius XI. Benedictus XI. Sixtus IV. Sixtus V. Leo X. Paulus III. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Vultiſne illuſtriora? Illuſtrius eſt, quod Deus ipſe Indulgentias has per miracula reddiderit glorioſas, Unum eorum in prima promulgatione contigit. Cum enim Franciſcus Indulgentiam, uti erat, promulgaſſet perpetuam, Epiſcopi ſeptem: Aſſiſias, Peruſinus, Eugubinus, Nucerinus, Fulginas, Spoletanus, & Tudertinus, a Summo Pontifice ſolemnem Indulgentiæ dictæ promulgationem facere juſſi, deſuper indignati, ex induſtria, & mutuo conſilio, ſe oppoſuerunt, concludentes, quod ipſi ad decem tantum annos denuntiare vellent Indulgentias Portiunculæ; ac confundente linguas Domino, contra quem non eſt conſilium, & voces dante Verbo Patris, Chriſto Jeſu, qui Indulgentias dederat, aliter ac conventum, locuti ſunt ſinguli, confirmantes tenorem publicationis, qualiter a Franciſco facta fuerat, & denunciantes Indulgentiam non ad decem annos, ſed in perpetuum. Quid illuſtrius? Addo viſionem anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, hac nocte in S. Æde Mariæ Angelorum divinitus exhibitam Fr. Conrado Offida S. memoriæ, qui glorioſus miraculis quieſcit in Domino. Teſtatur ille, vidiſſe ſe, Virginem glorioſam Reginam Cæli inæſtimabili claritate, nimiaque luce circumfuſam, & puerum Jeſum in brachiis tenentem, de ſublimitate cælorum deſcendere; qui puer dulciſſimus omnem populum, in dicto loco ex devotione præſentem, ſine intermiſſione propriis manibus benedixerit, eidemque ſuam gratiam impertiverit. Sed & a populo excubante viſa tum temporis fuit columba albiſſima volatu celeri circuire per quinque vices Eccleſiam, non ſine magno motu, populique ſtupentis tumultu. Quid glorioſius? Jucundum quoque auditu, qualiter dubitantibus quibuſdam de veritate Indulgentiarum Portiunculæ, apparuerint duo Fratres Prædicatores, quorum unus iſtos taliter fuerit affatus. Indubitabiliter hoc ſcitote, quia Indulgentia S. Mariæ de Angelis prope Aſſiſium vera, & certa eſt, & coram Deo major, quam ab aliquibus dicatur. Et ut me verum dicere credatis, noveritis, me eſſe Sanctum Dominicum, & iſtum ſocium meum Sanctum Petrum Martyrem. Quibus dictis, omnibus Fratribus videntibus, diſparuerunt. Quod miraculum juramento, ad Altare Beati Franciſci præſtito, extitit confirmatum. Quid credibilius? Denique & memoria æterna dignum, quod de Sancta Margarita Cortonenſi legitur: Erat ei ſoror, nomine Adriana: Hæc, poſtquam Indulgentias Portiunculæ lucrata fuiſſet, ex labore itineris in morbum incidit, & in mortem. Soror ſuperſtes, Margarita, pro anima defunctæ ſollicita, quondam cum lacrymis ſua pendebat ſuffragia: Et ecce vocem audivit, dicentem ſibi: non plores ulterius animam ſororis Adrianæ; quia merito Indulgentiæ, quam ſuſcepit in Æde Sanctæ Mariæ de Angelis, abſque omni pœna purgatorii Beatorum gloriam eſt adepta. Quid ad illuſtrandas Indulgentias haſce conducibilius? Et hanc Indulgentiarum gloriam redundare in Beatiſſimum Patrem Franciſcum, reddendo ipſum glorioſum magis, quis non videat?

Non vacat hic immorari diutius: eo quod ſuperſit quidpiam quod non tangendum obiter; comparabile vino in nuptiis, de quo dicebatur: *Servaſti bonum vinum uſque adhuc*. A Salomone ruſus ordior. Non petierat Salomon animas inimicorum, & nihilominus crediderim, quod earumdem poſſeſſio inter dona ſibi ad petitionem ſapientiæ divinitus conceſſa, computari poſſit, aut debeat, velut pars gloriæ. Rexit enim Salomon in ſumma pace, habens circumquaque quietem ab inimicis. Quod ſane Dei donum erat, & ad gloriam Regis glorioſiſſimi non parum addebat. S. Franciſcus vi Indulgentiæ hujus prævaluit contra inimicos, quia confixit Hæreticos. Hæretici ſicut ſunt inimici Eccleſiæ, ita inimici ſunt Franciſci Viri Catholici, & ex toto Apoſtolici. Hi vero qualiter per Indulgentias Portiunculæ confundantur, purpuratus Bellarminus, Societatis Jeſu decus clariſſimum, præclaro acumine advertit. Quia videlicet tria potiſſima controverſa Fidei Orthodoxæ puncta iiſdem confirmantur, quæ ſunt: Indulgentiarum in Eccleſia poteſtas, auricularis, & ſpecifica peccatorum Confeſſio, atque ſuprema Summi Pontificis (quod primarium) qua Chriſti Vicarii dignitas, & auctoritas. Hæc enim omnia ex memorato Chriſti ad Franciſcum ſermone, & præmiſſa ejuſdem Sancti petitione liquida fiunt. Primo namque Franciſcus petiit Indulgentias peccatorum omnium, quorum quis confeſſionem coram ſacerdote feciſſet. Ecce confeſſio, apud Orthodoxos uſitata. Secundo, Chriſtus annuit Franciſco, ea tamen lege ut deſideratam Indulgentiam a Romano Pontifice peteret. Ecce Romanus Pontifex poteſtatem habet diſpenſandi Eccleſiæ theſaurum, & Indulgentias impertiendi. Denique tertio, Chriſtus Dominus, Franciſco apparens, Pontificem Romanum appellavit ſuum in Terris Vicarium. Ecce prima ejus in Eccleſia dignitas, atque auctoritas. Cum igitur harum Indulgentiarum conceſſio miraculis ſit ſtabilita, & Deus miracula facere non poſſit in teſtimonium falſitatis, pro eo quod miraculum, dogmati additum, ſit velut ſigillum ab æterna Veritate appoſitum, clare ſequitur contra Hæreticos, quod prætacta Fidei noſtræ puncta ſint veriſſima. O gloriam! o ſolatium! Gloria eſt D. Patri Franciſco, quod tam palpabilem Hæreticorum confuſionem, ac Fidei noſtræ confirmationem una cum Indulgentiis operatus fuerit. Solatium

tium

tum eſt omnibus Orthodoxis, quod poſt & præter innumera, ad confirmationem Religionis noſtræ, & hæc acceſſerint miracula. Profecto dicere poterimus cum Richardo a S. Victore: *Domine, ſi error eſt, quod credimus, a te decepti ſumus. Iſta enim in nobis iis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, quæ non niſi a te fieri potuerunt.* Faceſſant ergo confuſi, qui noſtri non ſunt, aut pacifice noſtris ſe jungant ſacris; cum tamen prius priores poſuerunt errores. Fulgur Indulgentiarum Portiunculæ percutit obſtinatos. Gloria hæc eſt ſolicitatori earumdem, Seraphico Patri noſtro Franciſco.

A quo cum dicere cœperim hodie; non incongrue ab eodem dictionis hodiernæ deſumo Epilogum: *Hic pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Felix ille pauper feliciter oravit, & exoravit. Salomonis inſtar petiit, quod bonorum omnium diſtributori Deo, ſibi apparenti, placitum fuit. Salomonis inſtar exauditus fuit, impetrando longe plura, ac preces expreſſerant. Salomon ſapientiam: Hic Indulgentiam poſtulavit. Salomoni conceſſa ſapientia valde eminens: Franciſco Indulgentia ampliſſima peccatorum omnium pro omnibus Chriſtifidelibus, qui confeſſi S. Ædem Portiunculæ devoto affectu viſitarent. Salomonis ſapientia alienis etiam proderat populis extra proprii regni fines. Franciſci Indulgentia longiſſime fuit extenſa ad omnes familiæ ſuæ Eccleſias per orbem univerſum. Salomon in terris ditiſſimus: Franciſcus in cælis immenſum per has Indulgentias comparavit theſaurum. Gloria Salomonis extitit nominatiſſima: Franciſco glorioſum obtinuiſſe Indulgentias, a fulgore miraculorum adeo glorioſas. Salomon rexit pacifice, nihil ab inimicis patiens, nihil timens: Franciſcus etiam per Indulgentias Portiunculæ paci conſulit Eccleſiæ, & hoſtes ejus confundit, ac deſtruit. Pauper iſte Salomon, non re, ſed ſpiritu feliciter clamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum, concedendo plura ac petierat: Pauper ille Franciſcus & re, & ſpiritu, non minus feliciter ad Dominum clamavit; quia Dominus clamantem exaudivit, tribuendo ampliora, ac petitio ſupplicantis præſeferebat. Quo ſuper, o Beatiſſime Pater, nomine meo, nomine Auditorum meorum, nomine Seraphici Ordinis tui & mei, nomine Fidelium omnium, qui ſingulis poſt te, ut videtur, ſuo Ordine amant currere, tibi gratulor, tibi gratias refero, quod ampliſſimam harum Indulgentiarum benedictionem in ſolatium totius Eccleſiæ a Deo procurare volueris. Cum autem nunc potentior adhuc ſis ad interpellandum pro nobis, reſpice, quæſo, ad nos indignos famulos, laudibus tuis hodie occupatos, & pro nobis potenter intercede; quatenus nihil deſit nobis, quominus hoc ditiſſimo theſauro donemur omnes, eum in finem, ut perfecte abluti, ſanctificati, ab omni reatu culpæ, & pœnæ liberi, & ad ſtatum Innocentiæ quodammodo redacti, mereamur ingredi aulam Cæli, & mundato corde videre verum Salomonem in diademate, quo coronavit eum Pater ſuus, quando de nobis potiori jure pronuntiandum erit, quod Regina Saba de miniſtris Regis Salomonis dixit: *Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Quod concedat gratia & humanitas Salvatoris noſtri Dei, qui harum Indulgentiarum Auctor eſt, & elargitor: Cui honor & gloria in ſæcula. *Amen.*

IN FESTO

S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

THEMA.

Quam ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. Rom. 10. 15.

QUalis artifex perficiens: Quale opus perficiendum; tale ſit perfectionis inſtrumentum, conveniens eſt. Appelles, Junonem in tabula daturus, pennicillo ſubtiliori utique uſus fuerit. Regiis decretis, regia manu ſcribendis, charta adhibebitur regalis. Chirurgus Aulicus, Principi raſurus mentum, novacularum eliget primariam. Orbis e Cælo Magiſter, Salvator, & Arbiter aderat, ſpecioſa nuntia: Pacem, gratiam, ſalutem, mundo denuntiaturus, cum & ipſe eſſet ſpecioſus præ filiis hominum, ſpecioſos in id operis ſubſtituit internuntios: inſtrumenta adhibuit ſpecioſa, quando elegit, & in Orbem miſit Apoſtolos. Hos ex Iſaia Paulus cum admiratione deſcribit, dum exclamat: *Quam ſpecioſi pedes Evangelizantium bona!* Eſt Synecdoche: Pars pro toto ponitur: Pes pro homine ſupponit, pedes Evangelizantium, ſunt Apoſtoli Evangelizantes. Verum quæ & qualis pedem hujuſmodi ſpecioſitas? Quæ Apoſtolorum pulchritudo? An ſapientia? An opulentia? An potentia? An nobilitas? Minime: Has mundi dotes in illis quære, & ſi dignum ſit, ſuſcipe, qui de mundo ſunt, non in Viris, quos de mundo elegit, qui mundum condidit. Quemadmodum D. Ambroſ. monet, dicendo: (*L. 5. Comment. in Luc.*) *Adverte cæleſte conſilium:* non ſapientes aliquos, *non divites, nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit:* Ne traduxiſſe prudentia, *ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret.* Sunt nihilominus ſpecioſi Evangelizantium Apoſtolorum pedes. Igitur titulus alius indagandus. Quocirca Toletus obſervat, Apoſtolorum pedes laudari poſſe primo a velocitate, ſecundo a fortitudine, tertio a munditia, quarto a ſpecie. Quod is fieri poſſe, dictitat, faciendum aſſumo ego, idque ſpecialiter in laudem S. Bartholomæi, velut cui, quod Apoſtolis tribuitur in communi, negari non poſſit, pro eo, quod ſit unus ex ipſis, ſicut hominum quivis participat illud, quod hominum eſt in genere.

Non omnis velocitas laudem meretur; aliqua tamen digna, quæ laudetur. Teſtor Salomonem. Habet ille: *Vidiſti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis ſperanda eſt,* (*Prov. 19. 20.*) *quam illius correptio.* Alibi vero dixerat: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? Coram Regibus ſtabit,* (*Prov. 22. 29.*) *nec erit ante ignobiles.* Veloces erant Apoſtoli in opere ſuo, ad quod aſſumpſerat eos Dominus. Juſſerat, dicens: (*Marci 16. 15.*) *Euntes in mun-*

mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Apoſtoli, juſſa ſecuti, velociores, ac olim Jonas. Is a Domino miſſus, ut in Ninive prædicaret, (*Ex Jon. 1. & 2.*) navigii beneficio fugiebat in Tharſis a facie Domini, ſed caſtigatur, dum fugerat, tempeſtate mari immiſſa, miſſa ſorte, in profundum ejectus, & a cete abſorptus. Ubi in ventre piſcis didicit non reſiſtere, ſed jubenti Domino parere. Velociores erant pedes Evangelizantium pacem, (*Ibid. 10.*) Evangelizantium bona (Jonas quippe in mandatis habebat everſionem prædicare civitati) pedes, inquam, Apoſtolorum velociores erant. Addit enim Evangeliſta, poſtquam expreſſerat mandatum, Apoſtolis datum: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*. Non quidem Apoſtolorum ſinguli ubique terrarum prædicaverunt, ſed diviſo inter ſe orbe, Thomas Indiam, Andreas Achajam, Joannes Aſiam, alii alias ingreſſi Provincias, totum mundum Evangelica prædicatione Chriſto lucrifacere allaborarunt. Signanter D. Bartholomæus Indiam citeriorem, & majorem Armeniam docuit, illuſtravitque. Nec deeſt typus diviſioni Apoſtolorum. Præceſſit enim diviſio, qua olim Deus duodecim Tribubus, & filiis Jacob Patriarchæ terram ſanctam erat partitus. De iſta Pſaltes habet: (*Psal. 77. 54.*) *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis*. Ita idem Dominus duodecim Apoſtolis quaſi per menſuram diviſit orbem terrarum. Sub illam temporis felicitatem merito cantabatur Eccleſiæ iſtud ex Canticis: (*Cant. 7. 1.*) *Quam pulchri ſunt greſſus tui . . . Filia Principis!* nam, ut S. Thomas advertit, (*D. Th. hic.*) *Greſſus Eccleſiæ ſunt veloces prædicationes Apoſtolorum, per quos in omnem terram Evangelium inſonuit*. Velocitatem pedum hujuſmodi declaraturus Rupertus Abbas, notat, Apoſtolos ſignificari per illud Iſaiæ: (*Iſai. 60. 8.*) *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?*) Ut ſit ſenſus: Apoſtoli mei ſunt: Ipſi volant, nullo quieti otio, ſed impellente Spiritu Sancto, cunctis gentibus ſerpentis pluviam ſalutarem portantes. Ipſi ſunt quaſi Columbæ ſimplices, attamen prudentiam habentes. Columbæ iſtæ ſingulæ ſtant ad feneſtras ſuas, id eſt, exercent, quas acceperunt, Spiritus Sancti gratias diviſas ſemper prædicando volantes ut nubes, ſemper contemplando, per illas feneſtras ſuas cælum aſpicientes, meditando gementes, gemendo meditantes. Ita citatus in citatum Iſaiæ locum.

Noſtram ſi hic parumper ſcrutaremur agendi, & Deo obtemperandi methodum: utique inveniremus nos non in ſocietate Apoſtolorum, ſed in fraternitate Jonæ. Dicite enim vero: Nonne Deus per interiorem conſcientiæ remorſum, peccatorum candidam, integramque jubet confeſſionem? Nonne beneficio luminis, & legis naturæ Deus jubet accelerandam male partorum reſtitutionem? Nonne verbo ſuo, & ſæpius audito, & prædicato, Deus jubet injuriarum ſeriam remiſſionem, & amicitiæ cum proximo læſæ ſolidam redintegrationem? Nonne per interiorum gratiarum motiones ſuadet Deus perfectiora clarioraque chariſmata, & bonorum operum abundantem executionem? Suadet: Jubet. Teſtor vos ipſos. Nos autem & iſta, & alia differimus, negligimus: Utinam non inſuper contemnamus! Jonæ non Apoſtolis ſumus ſimiles. Timeamus nobis, ne & pari caſtigatione in nos advertatur. Scriptum enim (*Eccli. 5. 89.*) *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*. Verum hæc incidentaliter.

Videamus pedum Apoſtolicorum fortitudinem. Videbat olim Nabuchodonoſor ſtatuam grandem, (*Ex Dan. 7.*) cujus caput ex auro optimo, pectus cum brachiis ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam para ferrea, quædam erat fictilis. Caput ſat bonum, ſed pedes admodum infirmi. Hinc ſequatur, quod lapis, abſciſſus de monte, percuſſerit ſtatuam in pedibus ejus, quos comminuerit, ac deinde & reliquum ſtatuæ fuerit contritum. Firmiores erant Apoſtolorum pedes. Accipi de illis poteſt, quod legitur: (*Zachar. 10. 7.*) *Erunt quaſi fortes Ephraim*. Ephraim idem eſt apud Interpretes, quod, *frugifer, creſcens*. Frugiferi erant Apoſtoli, verbum ſeminantes Evangelicum: creſcebant Apoſtoli in perfectione, in ſanctitate, in multitudine credentium. Ideo fortes Ephraim, & Ephraitæ. Sed unde Apoſtolis fortitudo, qui, capto Domino, fugerant, quorum primus ad mulierculæ voculam trepidarat, & turpiter Magiſtrum abnegarat (de Petro loquor) unde, inquam, deinde Apoſtolis fortitudo? Dominus, a morte redivivus, aſcenſurus ad Patrem, juſſerat, promiſeratque, dicens ad eos: (*Luc. 24. 49.*) *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Quod qualiter impletum, D. Chryſoſt. (*Serm. 74. in Joan.*) deſcribit: *Apoſtoli, qui prius tremebant, & formidabant*, habet, *poſt Spiritus Sancti acceptionem in media pericula proſilierunt; Per ferrum, ignem, beſtias, pelagus, & omnem calamitatem intrepidi ſe expoſuerunt*. Igitur Spiritus Sanctus pedibus Apoſtolicis ſoliditatem contulit ac fortitudinem. Tunc, quod os Pauli: (*Act. 20. 23. 24.*) ſingulorum eructabat ora: *Vincula, & tribulationes . . . me manent; ſed nihil horum vereor, nec facio animam pretioſiorem, quam me; dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a Domino*.

Ad eumdem recurrite Auctorem, quotquot veſtram cauſamini infirmitatem, fidelibus quaſi pedibus incedentes, dicam: an repentes? Fingitis enim laborem in præcepto: non poſſum diebus quadraginta jejunare: non poſſum motus iracundiæ continere: non poſſum ſalutare inimicum: non poſſum benefacere odientibus me: non poſſum deſerere familiare contubernium luſorum, potatorum: non poſſum dimittere homunculam & utilem, & blandam (intelligenti pauca): non poſſum &c. hæc veſtra vox eſt. Alia Apoſtolorum: alia Pauli: (*Philipp. 4. 13.*) *Omnia poſſum*, inquit hic, *in eo, qui me confortat*. In virtute, ex alto collata, in Spiritu Sancto poteritis & vos, quod non poſſe vos fingitis. Committite vos Deo: Spiritus Sanctus gratiam invocate: auxilia ejus in opus redigite. Et ſentietis, firmos vobis pedes eſſe, ſicut erant Apoſtolis.

Quorum jam tertium ſumimus prædicatum, prædicantes, & commendantes eos a munditie. Ubi facillime progredimur. Quoniam Dominus ipſe Diſcipulos ſuos mundos pronuntiavit, dicens: (*Jo. 15. 3.*)

Jam

Digitized by Google

Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Et in ſpecie pedes Apoſtolorum mundi erant, velut mundati, & loti ab eo, qui ſolus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Quæ quidem mundities in totum refundebatur hominem, & totos conſtituebat mundos illos, ſecundum illud Domini ad Petrum, qui, præter pedes, & manus & caput lotioni offerebat: *Qui lotus eſt*, dicebat Salvator, (*Joann.* 13. 10.) *non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. Id eſt: qui jam in gratia ſanctificante per Baptiſmum, & pœnitentiam reſpective, conſtitutus, is non indiget, niſi ut pedes lavet. Ubi per pedes intelliguntur affectus. Audiamus deſuper D. Mellifluum. Lotus eſt, habet ipſe, qui gratia peccata non habet, cujus caput eſt, intentio, & manus, id eſt, operatio, & converſatio munda eſt. Sed pedes, qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt; quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati, plus quam oporteat, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes. Sic Bernardus. (*Serm. in Cœna Domini.*) Et hæc doctrina etiam in viris ſanctiſſimis locum habet. Quemadmodum Doctor Angelicus de Apoſtolis tradit; quod, licet Spiritus S. ad Apoſtolos deſcendens in Pentecoſte, eos deinceps confirmaverit in prudentia & gratia, ut evitarent omnia peccata mortalia; non tamen adeo firmati fuerint, ut omnia venialia effugerent. Interim ſancti Apoſtoli pedes, leviori maculatos pulvere, amplius & amplius quam citiſſime iterum emundarunt, ſcientes Regnum cælorum ingredi neminem, qui coinquinatis advenerit pedibus. Id quod in aprico erit; ſi noſtros jam tertio pedes Apoſtolicis oppoſuerimus. A contrariis eluceſcunt contraria.

Contrarii namque ſunt affectus noſtri affectionibus mundiſſimis Apoſtolorum. Affectuum in homine primi ſunt, Amor & Timor. Sicut purpuratus Bellarminus in iſtud Pſalmi, (*Pſal.* 90. 12.) *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, declarat, dicens: Pedes, quibus ad lapides offendere ſolemus, ſunt affectus humani. Duo autem ſunt principales affectus, quaſi duo pedes, Amor & Timor; & quocumque homo operando, loquendo, deſiderando pergit, vel Amore movetur, vel Timore. Quibus præmiſſis: Nos, quæſo, quid amamus? Quid timemus? Amamus amari: hominibus timemus diſplicere. Hæc pedum noſtrorum fœditas: pedes Apoſtolorum ab oppoſito ſpecioſi erant. Quod Paulus alte, (*Gal.* 1. 10.) cæteri loquebantur tacite: *An quæro*, inquit iſte, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. Purus erat ab amore mundi. Sed & alterum luſtremus (1. *Cor.* 4. 3.) *Mihi pro minimo eſt*, habet idem Apoſtolus, *ut a vobis judicer, aut ab humano die*. A vano timore purus erat. Adhæc nos amamus vitam hic ducere longævam: timemus relinquere præſentia. Non ſic incedebant Apoſtoli: (*Rom.* 7. 24.) *Infelix ego homo*, ſuſpirabat eorum unus, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nos amamus cutem integram: timemus ne quid adverſi accidat. Contrarii erant Apoſtolorum affectus. Teſtor eumdem, ubi ſcribit: (2. *Cor.* 12. 9. 10.) *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: cum enim infirmor, tunc potens ſum*. Longior forem, ac deceat, ſi quas adducere liceret, omnes adducerem Antitheſes inter pedes Apoſtolorum ab una, & noſtros ab alia parte. Diſcrepamus ab Apoſtolis toto cælo. Errant ipſi, vel nos erramus. De Viris illis ſanctiſſimis ſuſpicari, quod errent, grande nefas eſt, & piandum morte. Erramus nos, fateamur culpam ingenue. Amodo morem geramus monenti: (*Eccli.* 4. 17.) *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens Domum Dei*. Cuſtodiamus pedem amoris: cuſtodiamus pedem timoris; amantes illud, quod amore dignum; timentes ab eo, quod dignum fuerit timore. Hac arte propius accedemus ad quartam in pedibus Apoſtolicis pulchritudinem, pariter aſſumendam.

A ſpecie demum commendabiles habentur pedes Evangelizantium. Interim terminus iſte multas habet ſignificationes; omitto earum plures, duas allego: Species primo denotat formoſitatem; ſecundo, dum pluralis numeri eſt, vox iſta ſignificat aromata. Unde Medicis & Apothecariis de ſpeciebus loqui commune eſt. Utraque ſignificatio facit ad propoſitum: ſecundum utramque Apoſtolorum pedes ſunt ſpecioſi. Primam dotem pulcherrime nobis explanat Nazianzenus, (*Orat. 1. de Pace*) dum vitam Cœnobitarum, & Religioſorum, quorum parentes fuere Apoſtoli, in hunc modum depingit: Vita eorum, ait, ſunt opes in egeſtate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cælibatu: qui delicias aſpernari pro deliciis habent: qui Regni cæleſtis cauſa humilitatem amplectuntur: qui in mundo nihil habent, & mundo ſuperiores ſunt: qui cum in carne ſint, extra carnem tamen vivunt: qui pro portione Deum habent: qui propter Regni ſpem inopia laborant, & propter inopiam regnant. Quanta, ſubinfero, hæc formoſitas! Merito cæleſtis Sponſa, id eſt, Eccleſia, areolis aromatum ſe comparat verbis iſtis: (*Cant.* 6. 1.) *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum; ut paſcatur in hortis, & lilia colligat*. Sicut enim in areolis aromatum videre eſt venuſtatem, amœnitatem, & pulchrum ordinem vernantium herbarum: ita in primis Fidelibus, & præcipue in Apoſtolis, pulcherrimus ordo reſplenduit virtutum omnis generis. Quin & ſicut ex aromatum areolis exhalationes valde odoriferas, ac gratiſſimum percipere eſt odorem: ita in S. Apoſtolis præter ſpeciem primi generis, advertere eſt ſpecies aromatum fragrantiſſimorum; de quibus loquitur Paulus (2. *Cor.* 2. 15.), dum ait: *Chriſti bonus odor ſumus*. Et quidem quemadmodum aromata quo magis premuntur & conteruntur, eo majorem ſpirant fragrantiam: ita ſancti Apoſtoli, quo pluribus, vehementioribuſque preſſuris attriti fuerunt, eo ſuaviorem dederunt odorem. Utriuſque ſignificationis ſpeciem, id eſt, colorem & odorem D. Bernardus apte, ut ſolet, deſcribit, dum exponit iſtud: (*Cant.* 2. 1.) *Ego flos campi, & lilium convallium*. Legamus mel Mellifluí: (*Serm.* 71. *in Cant.*) *Habent mores*, dicit, *colores ſuos, habent & odo-*

Digitized by Google

odores: odorem in fama, colorem in conſcientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, & cordis intentio: odorem moleſtiæ, & virtutis exemplum. Juſtus lilium eſt, in ſe candidum, ſed proximo odoratum. Proximo enim famam: nobis debemus & providemus conſcientiam. Videlicet ad Sanctorum Apoſtolorum imitationem. Quorum quod hic fuerit vitæ tenor, ex reſponſo Pauli, quod accuſatus a Judæis, coram Præſide in ſui defenſionem depoſuit, liquidum evadit: (*Act.* 24. 16.) *Studeo*, inquit, *ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper*. Cæterum adhuc alia inter ſpecies aromaticas, & Apoſtolorum mores intercedit analogia. Sicut enim fragrantia unguenti (aromatum) columbam vegetat, inquit Theophilactus, ſcarabæum necat, & ſicut lumen Solis oculos ſanos recreat, debiles offendit, ignis aurum purgat, ſtipulam abſumit; ſic Chriſtus malis in ruinam eſt, bonis in reſurrectionem. Quod hic de Chriſto, id de Apoſtolis Apoſtolus pronuntiat. Ubi enim dixerat (2. *Cor.* 2. 15. 16.) *Chriſti bonus odor ſumus Deo*; addit: *In his, qui ſalvi fiunt, & in iis, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam.* Fragrantia enim & fama vitæ, morum, prædicationis & miraculorum, quibus Apoſtoli refulgebant, bonis vitam, malis conciliabat mortem, non illorum culpa, ſed horum ſuperbia & obſtinata malitia: quatenus ad tantum fulgorem in improbitate, invidia, odio, proſequendi ardore obfirmabantur.

Diſcamus, Chariſſimi, & hic aliquid: diſcamus conſcientiam colere bonam, & bonam, quantum in nobis fuerit, ſervare famam: non quidem intentione placendi hominibus propter homines, aut nos ipſos, ſed animo placendi Deo, & ad Dei cultum efficacius promovendi proximum; juxta illud: (*Matth.* 5. 16.) *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Æquiſſimum id eſt. Quoniam nullum majus præjudicium Fidei noſtræ inierimus, quam ſi, gloriantes de Fide noſtra, qua una, ſancta & Apoſtolica, tot SS. Martyrum ſanguine, tot miraculorum gloria plaudente, vitam Gentium vivimus, quærimus, quæ noſtra ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, locum ſanctitatis tenemus, & actibus turpiſſimis polluimur. Scandalizantur inde Gentiles, Judæi, Hæretici. Quia, quales non vident in converſatione exteriori, talem judicant Religionem noſtram, & dum nos apparemus contemptibiles, contemnunt quoque Fidem, & Eccleſiam noſtram. Luceat igitur lux noſtra coram iſtis, ita ut non notent in nobis opera mala; ſed videant merа opera bona; quatenus, ſi Deum Patrem non ideo glorificare velint per acceſſum ad Fidem ſalvificam, ad minus nihil habeant mali dicere de nobis. Scarabæi ſint; noctuæ ſint; nihil ad nos; dummodo nobis non deſit lux, & odor bonus. Quamquam vix abeſſe poſſit, quin quoſdam ex ipſis feliciter attrahamus. Quemadmodum, referente D. Baſilio, aucupes quidam, licite, an illicite, non definio, conſueverunt columbarum 'cicurum pennas odore aliquo inficere, quo, velut columbis aliis gratiſſimo, pleraſque illectas in decipulam ſeduxerint. Ita ſanctiori dexteritate poterit Chriſtianus perditos in viam adducere ſalutis, ſi eos bonum ſanctitatis odorem aſperſerit.

A pedibus nunc ad caput redeamus: caput, inquam, non Apoſtolorum, quorum pedes, non caput, deſcripſimus, ſed ad dictionis caput, & initium regrediamur. Recte nimirum pedes Apoſtolorum, & ipſi Apoſtoli, per pedes ſignati, ſpecioſi deprædicantur. Erant enim veloces; fortes erant; erant mundi; pulchri erant, & odoris optimi. Veloces in executione demandatæ ſibi provinciæ, de eundo in Mundum univerſum, & prædicando Evangelio omni creaturæ. Fortes in adeundis laboribus, & ſuperandis periculis, quæ & Angelicis fuiſſent formidanda humeris. Mundi, a ſorde peccatorum toti, & eluendis defectuum pulveribus ſollicite intenti. Pulchri a pulcherrimo vivendi ordine, atque ab odore boni nominis ſuſcipiendi. Gratias agamus Domino, qui tam ſpecioſas, & ſolidas Eccleſiæ noſtræ deſignavit Columnas, miſit pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona adeo commendabiles. Curemus autem inſuper; quatenus & ipſi nos in his inveniamur laudabiles, in quibus dilaudavimus Apoſtolos. Simus in obſervatione mandatorum Dei veloces. Simus in obeundis virtutum actibus fortes & infracti. Sectemur munditiem, & boni nominis famam, homine Chriſtiano dignam. His mediis obtinebimus pacem, comparabimus bona, quæ nobis evangelizata ſunt ab Apoſtolis, quos ſpecioſos diximus. *Amen.*

IN FESTO
SANCTI AMANDI.
EPISCOPI.

THEMA.

Juſtus ut palma florebit. Pſalm. 91. 13.

FEſtivam Patroni veſtri, ſanctiſſimi Præſulis, D. Amandi, ſolemnitatem pro modulo meo panegyrice proſecuturus, dicendi materiam a comparatione deſumere ſtatui pro eo, quod hujuſmodi argumentum dicenti facile, & audienti ſoleat eſſe jucundum. Verum cuinam Virum ſanctum aſſimilabo? An e Cælo Solem orientem, aut Lunam ſplendentem, vel micantem expectatis ſtellam? Non illuc erigatis velim animos; quamquam S. Amandi vita & Solem, & lunam, & ſtellam præſeferat. An ex aere aquilam, avium reginam, aut columbam, a mitítate notam, vel alaudam, a laudibus dictam, divinitatis ſtatuendam in medio? Neque ſit capitis, quo tendam; eſto S. Amandi vita a virtutibus vere regiis, ab Apoſtolica mititate, a Dei laudibus ſpectabilis exiſtat. An e mari margaritas, aut ex terræ viſceribus aurum, argentum, lapidesve pretioſos expetitis? Petatis: non accipitis; quamvis D. Amandi actus & merita univerſis margaritis, omnique auro & lapide pretioſo ſint pretioſiora. Quid ergo? Repeto, quod dixi: *Juſtus ut palma florebit.* Palmæ comparabitur Patronus veſter. Digna ſane comparatio. Quoniam hæc arborum nobiliſſima, & ad ce-

Digitized by Google

celebrandas cujuſdam laudes fertiliſſima. Niſi enim talis foret palma, Spiritus Sanctus in laudem cæleſtis Sponſæ per os Salomonis non dixiſſet: (*Cant.* 7. 7.) *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*. Niſi in palma quid ſingulare lateret; ſancta Eccleſia Beatiſſimæ Virgini Mariæ non adaptaret iſtud Eccleſiaſtici: (*Eccl.* 24. 18.) *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*. Niſi palma arbor foret myſtica turba, quam D. Joannes (*Apoc.* 7. 9.) vidit ſtare ante Thronum in conſpectu Agni, palmas non geſtaſſet in manibus. Neque ego ad celebranda D. Patroni veſtri encomia in medium procederem cum palma; niſi arboris ſatuæ virtutes in hunc finem idoneas intellexiſſem. Igitur ad rem ipſam accedamus, e palma S. Amandi amabiles lecturi laudes. Quod dum aggredior, benevolam eamdem, quam videre mihi videor, animi veſtri promptitudinem in dictionis uſque finem favere mihi, efflagito. Cuncta referentur ad majorem Dei gloriam, ad cultum D. Patroni veſtri, & veſtram ipſorum ſpiritualem ædificationem.

Palma, arbor illa nobilis, non in omni naſcitur tellure, minus ubique fructifera invenitur. In Regionibus ad Septentrionem approximantibus, quia frigidiores ſunt, nuſquam reperitur. In Italia datur; ſed ibi ſterilis exiſtit. In Hiſpania, & quidem in maritima ejus parte, habetur fructifera; at immites habet dactylos. In Africa, dulciori plaudit fructu; ſed dactyli ipſius ſervari detrectant: ſtatim evaneſcunt. Tandem in Oriente palma fructus habet optimoſque; adeo ut vinum ex iis exprimatur, & alicubi etiam panis conficiatur. Quapropter palmæ non inepte ſubſcribitur: *Primus me parturit æſtus*. Quibus de ortu palmæ præmiſſis, ad palmam myſticam, de qua mihi ſermo, convertite oculos, ad D. Amandum, dico, veſtros dirigite cogitatus. Dicite, ubi locorum natus ſit Vir ille ſanctus. Quod ſolum, quæ Regio Div. protulerit Amandum, docete. Scio: ſcietis utique & vos, quod, ſi de naturali nativitate quæratur, S. Amandus ortus fuerit in Aquitania, Regione Galliæ, ex patre Sereno, Provinciæ Duce. Verum ſpiritualis Amandi generatio, educatio, & profectus in ætate, non Galliæ, non Italiæ, non Hiſpaniæ, non Africæ, ſed Orienti aſſignanda. In Oriente palma optima, fœcunda fructibus, a ſuavitate & durabilitate nobilioribus glorioſa, naſcitur: qualis non eſt in Gallia, Italia, Hiſpania, aut Africa. Tres priores nonnihil ad Occidentem accedunt: quarta Regio in Meridie ſita eſt; Oriens, ut nomen indicat, ad Solis ortum locatur. Myſtice loquendo, D. Amandus nec in Occaſu, nec in Meridie, ſed in Oriente ortus eſt lumine. Amandus non in decrepita primum ſenectute, nec in ætatis medio, ſed a prima pubertate ſoli Deo deſervire cœpit, & inſtar palmæ florere ſtuduit. Quamprimum, (*Jac.* 1. 17.) *operante Patre luminum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*, teſtante D. Jacobo Apoſtolo, *deſcendit*, lux Divinæ gratiæ juveni Amando oriebatur: quam primum per ætatem licebat malum inter & bonum, ſæculi hujus vanitatem inter & perfectionis Chriſtianæ veritatem diſcernere, recto erat corde, reſpuenda reſpuens, & amplectens. Proinde & huic palmæ ſubjicio allegatum lemma: *Primus me parturit æſtus*. Bene. Rarum enim eſt ad Solis occaſum frugiferas reperire palmas, tales ad minus, quarum dactyli ſuavitate ſint præditi: rarum eſt hominem, qui, cum reliquam mundo, mundique vanitatibus vixerit vitam, in ultima demum ſenectute Deo ſervire incipit, præſtantem evadere. Rarum eſt in Meridie, in Africa, palmarum fructus aſſervari: rarum eſt, hominem, qui annos juveniles petulanter prodegit, ſtabilem eſſe in bono, quod ſub ætate medium arripuit. Ab Oriente exſpectanda palma dactylorum ſuaviſſimorum & durabilium; ab annis primis Deo ſervire præſtat. Quo Spiritus S. collimavit, dum per Prophetam dixit: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*. Conſonat ejuſdem Auctoris apud alium & iſtud: (*Thren. Jer.* 3. 27.) *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*. Palma præ reliquis melior eſt, quæ dicere poteſt: *Primus me parturit æſtus*. Capite parentes; capite tutores; capite ſexus utriuſque juvenes, quid dicam? Et ipſimet applicate. Mihi non vacat: redeo ad palmam noſtram.

Quemadmodum palma quo ad natale ſolum præ arboribus aliis quid ſingulare requirit: ita in ejuſdem irrigationi miri quidpiam obſervatur. Notum eſt, arborum noſtrarum plantulas, aut recenter ortas, aut alio tranſplantatas, utiliter irrigari aqua, eaque vel omnino impugnata: His adjutæ mediis, & radices figunt altius; & succreſcunt felicius. At de palma Japonica ſcribitur, quod ſi aquis irrigetur, protinus emoriatur: mixtus fuerit ſtercore, aut impermixtus liquor; e contra, ut e Plinii doctrina habemus, ſi ſalem, aut aquam ſalſam aſperſeris, hujuſmodi humor, qui arborum reliquis mortem, palmis plurimum incrementi, ac virium contribuit. Idcirco palma ad aquam dulcem fingitur dicere: *Mors mihi eſt*; ad ſalſam vero: *Salſa gratior unda*. D. Amandus, palmæ ſimilis origine, palmæ non diſſimilis incremento, per irrigationem ſumendo. Aqua dulcis carnis voluptatem ſignat, & mollia mundi oblectamenta: aqua, fimo impinguata, fœtentes, ex ara Veneris quæſitas, denotat petulantias; aqua ſalſa operum pœnitentialium indicat acrimoniam. Amandus, tenera palmæ plantula, aquam dulcem averſabatur, clamitans: *Mors mihi eſt*. Non admittebat, quod caro, quod carnales ſocii, quod mundus immundus, quod fœtidus ab orco ſuggerebat hircus. Salſam prudens præeligebat aquam; *Salſa gratior unda*; ſymboli loco erat. Quandoquidem Clauſtralis vitæ auſteritatem aggreſſus, patre carnali nequicquam obſiſtente, crine tonſo, ſic valedixit mundo; ut non revocarit manum ab aratro, aut reſpexerit retro, dignus, qui vigeret, floreret, viveret æternaliter in regno Dei. *Salſa ei gratior unda*. Hac illa unda irrigabatur annis ipſis quindecim, quos Burdegalæ, in cellula quadam anguſta, ad Eccleſiam a S. Auſtregiſilo ſibi erecta, traduxit, mira utens abſtinentia, cilicio indutus, in cinere haud interruptim cubans, vigiliis intentus, aqua & pane hordeaceo ſuſtentatus. Biberat alte iſtud Salvatoris noſtri ænigma (*Matth.* 16. 25.) *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Simili ſpiritu, diu poſt D.

Aman-

Digitized by Google

Amandum, ſuos hortaturus Fratres, dicere ſolebat S. Franciſcus Patriarcha noſter nemini non amandus: *Voluptas*, inquit, *brevis; pæna perpetua; modica paſſio; gloria infinita*. Sic eſt: Salſæ mortificationum ſanctarum aquæ proceras nutriunt palmas, quas fatuæ deliciarum extingunt undæ. Audi hæc, quæ ades, anima, in deliciis educari ſolita. Vitam tuam deſcripturus Apoſtolus, diceret, quod de vidua petulante pronuntiavit: *Quæ in deliciis eſt* (1. *Tim.* 5. 6.), ait, *vivens mortua eſt*. Sed ad alia, non tamen aliena; quia de eadem una referuntur palma.

Ipſum palmæ corpus miro & inuſitato protenditur modo. Arbores aliæ vel æqualiter ſe in altum extendunt, vel, quod frequentiſſimum, inæqualiter eo ordine; ut inferius ſint corpore ampliori, graciliori ſuperius. In palma ordo cernitur inverſus; quandoquidem arbor iſta ſuperius dilatatur, & inferius arctioris eſt circumferentiæ, inſtar pyramidis inverſæ. Quam proprietatem palmæ exprimunt hoc lemmate: *Turgeſcit in altum*. D. Gregorius (*In Cant.* 7. 7.) ad amores applicat, dicendo: *Palma dum creſcit, deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur; ſic ſancta anima ab imis incipit, & paulatim ad majora creſcendo uſque ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit*. Statura S. Amandi aſſimilata fuit palmæ. Cœpit ab imis, & paulatim ad majora ſeſe dilatavit. Pauperem hic prælegit vitam, ut bona ampliora conſequeretur in ſupernis. Parenti ſuo, inſtitutum monaſticum diſſuadere conanti, ſenſa ſua his exponebat verbis: *Terrena non appeto, tantum mihi permitte, ut Chriſto militem*. Hoc in propoſito Amandum Turonis ad S. Martini ſepulchrum confirmatum fuiſſe, legimus. Ibi namque, præmiſſa oratione, capillos poſuit, & ſtatus Clericalis inſignitus fuit honore. Factum, & facti circumſtantia, notatu digna. Factum: quia, qui ad Clericatum per primam Tonſuram diſponuntur, inſtar palmæ præparantur; ut in imis ſint conſtricti, in ſupernis dilatati. Epiſcopus enim ſub raſura Clericandi ex Pſalmis hæc verba recitat: (*Pſal.* 15. 5.) *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Circumſtantia loci, & orationis ad D. Martinum, ad perficiendam in Amando palmæ ſtaturam conferebat. Siquidem & ſanctus ille Epiſcopus palmam præ ſe aulit, ſicut de eo legimus: *Martinus hic pauper & modicus, Cælum dives ingreditur*.

Felices & ter felices, qui eo in genere Sanctum utrumque, immo Chriſtum cum utroque imitantur. Ampliſſimum enim habebunt theſaurum in Cælis, qui, relictis omnibus, arctam & modicam pro Chriſto vitam duxerint in terris. Infelices e contra, qui de bonis ſupernis parum ſolliciti, cuncta ſua deſideria terrenis ampliandis impendunt. De iſtis Apoſtolus: (1. *Tim.* 6. 9.) *Qui volunt divites fieri*, ait, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Damno ſuo id ipſum experiebatur dives iſte, qui, horrea ſua ampliaturus, audiebat tonitru illud: (*Luc.* 12. 20. 21.) *Stulte! hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Ubi ad propoſitum apte ſubjungit Salvator noſter: *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives*. Verum hæc propoſuiſſe amatoribus mundi, & mundanorum ſectatoribus, eſt ſurdo cantaſſe. Abſterret ipſos apprehenſa in negotio difficultas: ſine dolore non deponunt, quod cum amore poſſident. Vis inferenda naturæ, præſentibus aſſuetæ, & ſupplebit Deus, rer Optimus, de delectationibus, quæ in dextera ejus ſunt, ſi quid amaritudinis ſenſualitati occurrerit ex coarctatis affectibus ad terrena. Haud ſecus ac palma, ut D. Auguſtinus tradit, in infimo ſuo trunco multum aſperitatis habet ac rigoris: nihilominus, Plinio teſte, dulci medulla eſt in cacumine. Præclara iſthæc virtutis idea, velut quæ principio ardua & difficilis; at in ſuaviſſimam amœnitatem deſinit. Guſtavit & vidit hanc Dei bonitatem D. Amandus, cui cella, admodum anguſta, trium luſtrorum ſpatio in paupertate inhabitata, Paradiſus erat.

Neque obſtat, quod Vir ſanctus tandem e ſuis prodierit latebris. Siquidem non motu proprio, non libertatis amore, ſed Divino inſtinctu exivit. Palma erat: aderat tempus, ut, qui floruerat ſibi, jam floreret aliis. Palma delectatur locis ſpatioſis & apertis, quod notatur lemmate: *Tantum in aprico*. Dei providentia decreverat Amandum bono publico admovere. Unde, Divino agitatus fervore, Romam ad ſancta Apoſtolorum limina devotus acceſſit, ubi per B. Petrum Apoſtolum noctu in oratione conſtitutus, monetur, quatenus in Galliam retrovertatur, S. Chriſti Evangelium prædicaturus. Obedit Vir Dei, proxime locuturus victorias. Revertitur, ſumma cum lætitia excipitur, conſecratur Epiſcopus, & demandatam prædicandi Evangelii Provinciam ſuſcipiens, genuinam ſe proximo comprobat palmam.

Petrus Maffejus enarrat, palmam in inſulis Maldivis utilitate tam multiplici fore præditam, ut incolæ hominem quempiam frugi, ac induſtrium, laudaturi, palma utiliorem appellent. Videamus ſingula; Exterius palmæ operimentum ſtuppam præbet, texendis funibus aptiſſimam; fructuum cortex in pocula figuratur; ipſa vero pomi caro pinguedine quadam, & ſapore non ingrato, comedenti jucunda & ſalubris, quin &, exhauſto lacte, paulatim in oleum eliquatur. Totus racemus optimum diſtillat ſuccum, qui varie coctus, in mel, ſaccharum, vinum & acetum convertitur. Folia ſcribentibus pro papyro ſunt, & tegularum loco, tectis impoſita, pluvias arcent. Sed & in veſtium formam facili ſimul, ac ſpiſſo contextu nectuntur. (Pauli Eremitæ toga, quam S. Antonius Abbas hæreditavit, ex palmæ foliis in modum ſportæ erat contexta, ut Brev. Rom. habet (15. *Januar.*) Denique una eademque arbor omnia prorſus ad rem nauticam neceſſaria præbet materialia. E trunco & ramis, malum, aſſumenta, clavos; e comis vela; e ſtuppa funes ſuppeditat palma. Unde non abs re eidem inſcribitur: *Ad omnia utilis*. Talis erat D. Amandus in miſſione ſua, divinitus accepta. Vir erat, palma utilior, utilis ad omnia, (*Ex* 1. *Cor.* 9. 22.) *omnibus omnia factus*. Accedite & fateamini: dicite, an non palma utilior, qui animas innumeras, in idololatriæ tenebris, & umbra mortis ſedentes, ſalvificæ Fidei illuſtrat lumine? An non palma uti-

utilior, qui animas, peccatorum fœce ſordidas, purgante tingit, lavatque unda Baptiſmatis? An non palma utilior, qui Chriſti oves, ſi tamen oves, quæ vocem Paſtoris non audiunt, qui Chriſti oves, inquam, extra ovile errabundas, luporum infernalium morſibus parentes expoſitas, paſtorali pedo ad Electorum ducit, reducitque caulam? An non palma utilior, qui, Chriſtiano utentes, abutentesque vocabulo, & diaboli arte ad inania idolorum elementa iterum declinantes, corrigit, erigit, confirmat? An non palma utilior, a quo ægris ſalus, mœſtis corde robur, afflictis ſolamen, ignorantibus lumen, dubitantibus conſilium, peccatorinus reconciliatio, juſtis in bono incrementum, captivis liberatio, mortuis provenit vitæ reſtitutio? Et hæc erat D. Amandi functio: hic S. Antiſtitis labor: hoc Viri Apoſtolici miniſterium. Salutem ſitiebat omnium, Homo Dei zelo repletus, dicam? an, ſuperabundans? Ex ſuperabundantia enim zeli promanaſſe videtur conſilium de petendo Gandavo, urbe, quorſum tranſeundi ſacerdotum nemini ſatis animi erat; ibi barbaris, arborum & lignorum cultoribus, Deum, qui regnavit a ligno Apoſtolica cum fiducia prædicat. Ex ſuperabundantia zeli ſuperat Danubium; ut Sclavoniam Chriſtianis imbueret dogmatibus. Ex ſuperabundantia zeli provenit generoſa illa oris libertas, qua Regem Dagobertum, cujus ſcandala a ſacerdotibus aliis ex metu diſſimulata, intrepidus increpabat: Ex abundantia zeli Tungros ſuos, quibus in Præſulem datus, oppidatim & vicatim viſitat, ubique per ſemetipſum Dei Verbum diſſeminando. Ex abundantia zeli, Diœceſis ſuæ terminis non contentus, ad partes Vaſconiæ inſuper exivit, Evangelica tuba perſonans, & Regnum Dei annuntians infidelibus. Quid deſideremus amplius ab aliquo duodenarii numeri Apoſtolo? Sane jam in aprico poſitum eſt, D. Amandum inſtar palmæ utilem fuiſſe ad omnia, & idcirco verbis Apoſtoli in Domino gloriari potuiſſe, ac dicere: (1. *Cor.* 9. 22.) *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalves*. O Virum indefeſſum, infractum! Quis, oro, poſſit, hominem, ſtirpe nobiliſſima ortum, delicatius in infantia educatum, tot, tantiſque laboribus invenire parem? Dei Omnipotens dextera Amandum velut palmam plantaverat in horto militantis Eccleſiæ: inde virtus tam infracta.

Palmæ lignum, Plutarcho teſte, ſi ſuperne, onere impoſito, premas, non deorſum affigitur, aut concedit, ſed contra incurvatur, quaſi vi renitens prementi: unde natum lemma: *Adverſus pondera ſurgo*. Haud diſſimiliter D. Amandi animus adverſus pondera ſurrexiſſe dicendus eſt. Dicere poterat cum S. Martino: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem*. Cum Apoſtolo: (*Act.* 20. 23. 24.) *Vincula, & tribulationes .... me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me; dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium Verbi, quod accepi a Domino Jeſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei*. Sic tamquam palma *adverſus pondera ſurgebat*. Referri huc poteſt, quod S. Ambroſius (*L.* 3. *Hexamer*, *cap.* 17.) tradit: Palma virens, ait, ſemper manet conſervatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinaverit folia, ea ſine ulla ſubſtitutionis ſucceſſione conſervat. Hugo Victorinus addit: Palmam, ait, nec frigus hyemis, nec calor æſtatis impediunt, quin ſemper vireſcat. His dotibus Virorum Apoſtolicorum mentes refulgent. Numquam non iidem ſunt in labore, & ſancto otio: in adverſis & proſperis; in perſecutionibus & favoribus; in penuria & abundantia. Hos inter cum primis numeratur D. Amandus, in cujus vita perhibetur, exprimi haud poſſe, quas pro Nomine Jeſu contumelias & injurias fuerit perpeſſus: quoties a barbaris retulerit plagas; quam indigne habitus ab agricolis, a mulieribus; quantam ſcritatem paſſus, loco pulſus, in undas præcipitatus. Nihilominus, palma ſolidior, Amandus Verbum Dei libere annuntiare perrexit. Omitto, qua animi fortitudine ſententiam, a Rege Dagoberto, correctionis impatiente, de exeundo e Regni finibus impie dictam, acceperit. Non refero, qua mentis conſtantia exhortationes ſuas ab ipſo Clero riſui, ac contemptui tolerarit haberi. Sed iſtud omittere nefas ducerem, quod Vir Apoſtolico plenus fervore ipſam Martyrii coronam ſummis affectibus concupierit.

Erat & hæc ad conſummandam laborum ac virtutum Apoſtolicarum gloriam adjicienda portio. Quia palma erat Amandus. Generoſus ſiquidem hominis animus, ſive ad vincendum, ſive ad moriendum paratus, palmæ ſymbolo exhibetur, quæ Cypreſſo connexa epigraphem ſuſtinet: *Erit altera merces*. Aut enim Cypreſſus, mortis ſymbolum, aut palma, victoriæ teſſera, obtingit militanti. Hic erat D. Amando ſenſus: ibat, currebat, barbaris Chriſtum daturus aut ſanguinem. Præmii loco aut enſem, aut rotam, aut ignem, aut beſtias, aut aliud quidpiam Martyrii genus ſibi præparari, ardenter amabat. Clamabat cum Paulo: (*Gal.* 6. 14.) *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Mihi mundus crucifixus eſt: terga mihi vertit, me, doctrinam meam, vitam meam averſatur, contemnit, ridet, ego mundo crucifixus ſum; mundo averto faciem, averto oculos, ne videant vanitatem: mihi mundus ſordet: mihi deſipit mundus. Hinc crediderim deſumptam fuiſſe anſam a Fidelibus, Virum hunc ſanctum, extra crucem pacifice defunctum, cruci affixum cultui publico exponendi. Approbo ingenioſam Fidelium curam. Quoniam, eſto voluntati crux defuerit, & Martyrium, voluntas Amandi non defuit cruci, non defuit Martyrio. Qui coronari non potuit per tyranni perſecutionem, coronatus fuit per propriam fidelem confeſſionem: etiam in hoc genere aſſimilatus palmæ, de cujus eleganti vertice ſcribitur: (*Gen.* 22.) *Se ſe ipſa coronat*. Coronavit ſe Divus Amandus ipſe ſigno Confeſſionis, dum Martyrii laurea ab aliis inſigniri non valuit, ut voluit: Voluntatis promptitudo, dum facti aderat impoſſibilitas, facti loco reputata fuit apud eum, qui volenti dixit: *Quia feciſti hanc rem*. Palma *ſe ſe ipſa coronat*.

Dum de corona loquor, ad coronidem tranſeo. Ubi dico adhuc puncta mihi incumbere videntur: Oportet, ut D. Amandum paucis alloquar: nec intermittendum, quin vobis, Clientibus ſancti, vel

unum

unum pro memoria verbum imprimam. Igitur ad te, Sacerdos magne, Gentium Doctor, Apoſtolicorum Virorum non infime, ad te, o S. Amande, converſus, gratulor tibi affectu demiſſiſſimo de gratiis, donis, miniſteriis, privilegiis tuis, quibus meruiſti ſicut palma nobiliſſima florere, fructificare tibi, fructificare proximo. Congaudeo gaudenti, quod ex horto militantis Eccleſiæ ad Paradiſum triumphantis feliciſſime translatus, operum tuorum fructus immarceſcibiles percipias, & deguſtes. Nunc potentior es ad ſuccurrendum nobis, qui etiam in hac vita omnibus omnia factus. Commendo me cum omnibus, patrocinio tuo plaudentibus, ſub umbra viridantium frondium tuarum. Protege nos: tuere nos. Vobis AA. curæ ſit, obſecro, tanti Patroni pro ſtatus veſtri ratione veſtigia legere. Diſcite juniores ab ætatis primordio propoſitum tenere virtutis. Diſcite grandiores non diſcedere a bonis: palmæ folium non defluit. Diſcite univerſi, non in deliciis, ſed in adverſis nutrire virtutem. Diſcite quærere: quæ surſum ſunt: illuc dilatentur affectus veſtri. Diſcite amare crucem, amare tribulationes, per quas intratur ad gloriam. Sequamini Patronum veſtrum, Ducem veſtrum: D. Amandum ſequamini, ut & aſſequamini ſocietatem ejus. Perſeverate florere in juſtitia inſtar palmæ; quatenus olim digni ſitis manibus geſtare palmam perſeverantiæ finalis, & gratiæ conſummatæ ſymbolum. Deum honorificate: D. Amandum, cujus gaudium eſtis, & corona, lætificate: curate ſalutem propriam. Quod ad preces S. Patroni veſtri vobis concedat Deus Omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. *Amen*.

IN FESTO
SS. APOSTOLOR. SIMONIS
ET JUDÆ.

THEMA.

De mundo non eſtis. Joann. 15. 19.

SI ſancti Apoſtoli non erant de mundo: unde igitur erant? Erantne de Cælo advocati? Minime: eſto Origeniſtæ perperam docuerint, animas noſtras eſſe Angelos, ad corporum carceres detruſos; eo quod, peccante Lucifero, fuerint neutrales. Eſto inſuper Platonici erronee putarint, animas ex ſyderibus velut ſede neutrali, pro curioſitate ſua deſcendiſſe ad hæc inferiora. Erantne de inferno damnatorum? Vel ſomniaſſe talia, horrori foret. Erantne de SS. Patrum limbo? (*Ex Matth*. 27. 52. 53.) Neque id ſapiens dixerit. Quamquam, conſummato Crucis myſterio, multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerit, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem Domini venerint in ſanctam civitatem, & apparuerint multis. Erantne de alio orbe, ab eo, quem incolimus, diſtincto? Fugiamus delirium Democriti, aliorumque philoſophorum, ac Hæreticorum, qui, plures dari mundos, ſuſtinere præſumpſerunt. Erantne de parte illa mundi, quam propterea, quod ab Europæis recenter fuerit inventa, vulgus Novum Orbem dicit; cum ſit noſtro Orbi juncta, alio nomine America? Neque inde erant ad literam. Quoniam conſtans eſt, Apoſtolos fuiſſe Galilæos, vel Judæos, ex Aſia oriundos. Nihilominus moraliter, & myſtice loquendo, licet aſſerere, quod SS. Apoſtoli fuerint de Novo Orbe. Quoniam, ſicut Americani corporaliter, ita ipſi ſpiritualiter noſtri antipodes extiterunt. Quemadmodum mox, Deo concedente, evincam.

Quamquam Mundus Novus, ut vocatur, ſeu America, vere ſit pars unici, qui exiſtit mundi, & Europæ noſtræ compars, nihilominus magnam cum hac mundi plaga diſſimilitudinem, & oppoſitionem habet. Quoniam, ut cætera taceam, ſitus ei talis eſt; ut homines Mundi Novi incolæ nobis ſint antipodes, ideſt, pedibus oppoſiti; adeo ut, ſi quis ex Europa per terræ globum deſcenderet ad punctum loci, quod eſt in meditullio, & eodem tempore alius quis ex plaga Americæ, recte oppoſita, pariter ad cor globi terreſtris ſe dimitteret, ambo ſic convenirent, ut pedum plantis ſe invicem ſuſtentarent. Cum enim mundus ſit figuræ circularis, & Novus Orbis in parte circuli nobis oppoſita inveniatur; neceſſe eſt, talem, qualem deſcripſi, in caſu poſito, contingere Europæi & Americani approximationem, haud ſecus ac duæ lineæ, ex partibus circuli, recte oppoſitis, ad centrum ductæ, in centro ſe collidunt. Dixi Apoſtolos ex Novo Orbe eſſe, noſtroſque antipodes. Nec pœnitet. Siquidem eorum pedes pedibus hominum, juxta hunc mundum viventium vere contrariantur; adeo ut ſe invicem collidant, & ab invicem pellantur. Pedes, in ſenſu morali, animi ſignant affectiones, quemadmodum manus denotant operationem. Sicut enim pedibus corporaliter de loco ad locum movemur; ita animi affectibus moraliter ferimur, quocumque ferimur. Res vulgo ipſi nota. Dicunt enim paſſim: ira prævenit me; cupiditas illum ſeduxit: iſtum rapuit amor. Jam vero affectiones, quibus Apoſtolorum ductus fuit animus, & aliæ, quibus ducuntur mundi hujus amatores, viam, e diametro contrariam, tenent, ut videre erit in particulari.

Theologiæ Myſticæ Doctores tradunt, appetitum in homine alium eſſe concupiſcibilem, iraſcibilem alium. Appetitus concupiſcibilis actus ſunt: amor & odium, deſiderium & fuga, delectatio & triſtitia. Appetitus iraſcibilis actus numerantur: Spes & deſperatio, audacia, timor, & ira. Et hi undecim actus totidem ſunt animi humani affectiones, ſeu pedes. In his mundi hujus clientes contrariantur Apoſtolis. In Amore. Amare eſt alicui bene velle. Quem, aut quos amabant Apoſtoli? Deum amabant, ſeipſos, & proximum propter Deum amabant: his bene volebant. Petri vox erat, ſed omnium inſuper Apoſtolorum, ſi pariter interrogati fuiſſent, fuiſſet proteſtatio, qua Deo, in Carne jam glorioſa ſecum converſanti, dixit: (*Joan. ult*. 7.) *Domine, tu omnia noſti: Tu ſcis, quia amo te*. Hujus amoris ſtimulo impulſi, per Orbem diſcurrebant univerſum, prædicantes ubique Chriſtum, & hunc crucifixum. Pauli erat calamus, omnium Apoſtolorum concordem ſententiam exprimens, qui ſcripſit: (1. *Cor*. 9. *in fin*.) *Ego igitur ſic curro, non*

quaſi

Digitized by Google

quaſi in incertum : ſic pugno , non quaſi aerem verberans ; ſed caſtigo corpus meum , & in ſervitutem redigo : ne forte , cum aliis prædicaverim , ipſe reprobus efficiar . Hæc nimium jubet ſui ipſius amor propter Deum . Rurſus Pauli proteſtatio erat , Co-Apoſtolorum quaſi ore dicentis : (1. *Theſſ*. 2. 7. & 8.) *Cum poſſemus vobis eſſe , ut Chriſti Apoſtoli* (auctoritative exigendo honorem , & alimoniam) *ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum , tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos . Ita deſiderantes vos , cupide volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei , ſed etiam animas noſtras , quoniam chariſſimi nobis facti eſtis* . Ecce amoris ad proximum ſpecimen illuſtre ! Alia via incedunt plerumque homines in hoc mundo . A Deo avertunt oculos , mentem , voluntatem : (*Phil*. 2. 21.) *Omnes , quæ ſua ſunt , quærunt , non quæ ſunt Jeſu Chriſti* . Animæ propriæ ſalutem negligunt , aut obiter ſolummodo tractant . De proximis parum ſunt ſoliciti . Peccet ille : peccat ille : illi cum Caino dicant : (*Gen*. 3. 9.) *Num cuſtos fratris mei ſum ego* ? Atque ita , dum nec proximo , nec ſibi propter Deum , nec Deo bene volunt , amant cutem propriam : hanc fovent : hanc delicatius habent ; huic ut bene ſit , nihil curæ intermittunt , antipodes Apoſtolis , & Apoſtolos velut antipodes contrario prementes veſtigio in genere amandi , per conſequens & in genere odii.

Odiſſe eſt alicui male velle . Apoſtoli oderunt mundum , peccatum , carnem , diabolum . Iſtis male , ſed bene , volebant . Mundum dereliquerunt : peccati opera deſtruxerunt: carni contradixerunt : diabolo reſiſtere docuerunt . Quid hic mundus odio habet , quando conſtat , quod peccato immerſus , carnis opera faciat , & diabolo deſerviat ? Mundus odio habet pœnitentiam , longas orationes , conciones , Religioſos , & Eccleſiaſticos , quorum famæ inſidiatur : quorum bonis , ſi quæ pro ſtatus ſui conditione habeant , perpetuo invidet . O diſcrepantiam ! O quam longe alia hæc ſunt odia ab iſtis , quibus Apoſtoli ſanctiſſime flagrabant ! Deſiderariſne alia ?

Sequitur deſiderium . Eſt autem deſiderare idem , quod affectare bonum abſens futurum , aut poſſibile . Hunc pedem Apoſtoli levabant ad aſcenſum , rogantes : (*Joann*. 14. 8.) *Oſtende nobis Patrem , & ſufficit nobis* . Deſiderium habentes diſſolvi , & eſſe (*Ex Philipp*. 1.23.) cum Chriſto . Alioſum pedem hujuſmodi dirigunt mundi hujus amatores . Ad deſcenſum proni ſunt , parati , ſuccincti . Intendunt colligendis e Mari margaritis : fodiendo ex terræ viſceribus auro & argento , & quod pejus eſt , theſauris , antiquitus depoſitis , ſuperſtitioſe detegendis . Terrenis inhiant . Hinc fraudes , doli , lites , bella Ex Apoſtolis audite unum : *Unde bella , & lites in vobis* ? ait D. Jacobus , (*Jacob*. 4. *init*.) *Nonne hinc ? Ex concupiſcentiis veſtris , quæ militant in membris veſtris ? Concupiſcitis , & non habetis : occiditis , & zelantis , & non poteſtis adipiſci* : Satius ad ſuperna affectum deſiderii emitterent , corde ſæpius , ac ore , dicentes : *Adveniat Regnum tuum* . Ibi bona vera , bona ſolida , bona perpetua , bona deſideriis noſtris digna . Cum præſentis vitæ bona apparentia , & ficta fugam potius mereantur , de qua nunc vel brevibus tractandum .

Fuga eſt declinatio mali abſentis futuri . Apoſtoli quid fugiebant ? An tribulationem ? An anguſtiam ? An famem ? An nuditatem ? An periculum ? An perſecutionem ? An gladium ? Nihil horum Paulus ſiquidem iiſdem , ordine propoſitis , ſubjungit : (*Rom*. 8. 37.) *In his omnibus ſuperamus* , ait , *propter eum , qui dilexit nos* . Iſta , & his ſimilia mundani fugiunt . Fugiunt tribulationem carnis , dum tentationi indulgent , incidentes in ſcyllam , vitata charybdi periculoſiorem . Quoniam facilius eſt declinare primum peccatum , ac omittere ſecundum . Fugiunt anguſtiam , dum loca ſolitaria , Religioſis aptata , haud ſecus ac carceres habent , non experti , quod ſolitudo , ſola beatitudo . Fugiunt famem , dum in præcepto jejunii Eccleſiaſtici fugiunt laborem . Sitim fugiunt , quando primum e lecto efferentes pedem , potum aquaticum avide lambunt , de precibus matutinis , de Verbo Dei audiendo nequiquam cogitantes . Fugiunt nuditatem , de veſtiendo , & ad pompam ornando corpore magis ſoliciti , ac de anima , virtutibus tegenda : excepto , quod feminæ nudatis ameni incedere collo & pectore , immemores illius : (*Matth*. 18. 7.) *Væ homini illi , per quem ſcandalum venit* , ait Salvator noſter . Quid dicam de periculis , perſecutionibus , & gladio ? Felices pronuntio mundi clientes , quod tempora illa non vivent , quibus ferveat perſecutio contra Chriſtianos . Si tamen felix ille , qui infidelis , (*Ex Jac*. 2. 10.) in uno offendit , factus eſt omnium reus . Utinam vel tandem cum Apoſtolis fugiant a ventura ira ! Tum enim vero onus Chriſti cum delectatione ſubituri eſſent .

Delectatio autem eſt voluptas circa bonum præſens . Quorſum Apoſtoli hoc animi pede tetenderint , diſcimus ex Apoſtolo : (1. *Cor*. 12. 10.) *Placeo mihi* , ait , & conſenſere reliqui , *in infirmitatibus meis , in contumeliis , in neceſſitatibus , in perſecutionibus , in anguſtiis pro Chriſto* . Alio pergit mundus . Delectatur , & complacet ſibi in carne & ſanguine , in eſculentis & poculentis , in oculis & loculis , in gloria & victoria . Exempla habes in Amano , Salomone perverſo , divite epulone , in innumeris .

Delectationi opponitur Triſtitia : Eo enim dolor ob malum præſens . Apoſtoli dolebant ob peccata & ſcandala hominum : (2. *Cor*. 11. 29.) *Quis ſcandalizatur , & ego non uror* ? Scribit eorum unus . Dolebant ob prolungationem incolatus ſui , cupientes liberari a corpore mortis hujus . Mundus dolet ob negatas concupiſcentias , ob infirmitates , & præſentis vitæ miſerias , qua impeditivas voluptatum , quibus hic perfruuntur alii , ob promotionem inimici , ob verbum aſperum , & alia id genus futilia . Ex quibus cernere eſt , appetitum concupiſcibilem in Apoſtolis , & eumdem in mundi amatoribus , non fore eumdem in actibus , aut actuum objectis . Apoſtoli dextrorſum , ſurſumve , mundani ſiniſtrorſum , deorſumve abeunt . Antipodes ſunt ad invicem .

Pari paſſu reſpective ambulant appetitus iraſcibiles . Actus primus ſpes appellatur . Sperare eſt deſiderare bonum arduum , fidendo de victoria contra impe-

impediens. Quapropter ſpei ſubordinatur deſiderium, cui fiduciam, ſeu animi erectionem ſuperaddit. Apoſtoli quid deſiderarint, jam audivimus. Bona ſcilicet æterna in affectu habebant; nec ſine fiducia. Audiamus iterato Paulum (*Rom.* 8.) *Certus ſum*, (certam in Domino ſpem habeo, perſuaſum habeo, confido) ait, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro*: per conſequens nec a gratia, aut ejus fructu, qui eſt gloria æterna, reſpondens gratiæ, velut ſemini ſuo. Mundi amatores qua ratione ſperent in multitudine divitiarum, circa quam non habent Divinum promiſſum? De ſufficientia victus, & amictus, adeſt promiſſio, ſed ſub conditione, quam ipſi non adimplent, & juſtitiam ejus: (*Matth.* 6. 33.) *Quærite primum Regnum Dei*, ait Salvator noſter, *& hæc omnia adjicientur vobis*.

Spei opponitur Deſperatio. Eſt enim deſperare idem, quod, deſpondere animum de victoria contra impediens a bono arduo, quod deſideratur. Pravus eſt ille affectus, ideoque in Apoſtolis, juſtitiæ, & ſanctimoniæ ſectatoribus, quærendus non eſt. In hominibus, juxta hunc mundum viventibus; non raro invenitur, præſertim ſub vitæ finem, & æternitatis aditum. Tum enim iero nimis oculos aperiunt, & vident, quod, tota nocte laborantes, nihil ceperint. Tum Judicii inſtantis horror formidoloſos reddit, qui cæteroquin vixerant, quaſi mors nulla ſequeretur, & velut infernus fabula ficta foret. Temporis anguſtia moram denegat. Venio ad Audaciam.

Audacia fundatur in ſpe, & naſcitur ex poſſibilitate victoriæ agnita, urgetque ad proſequendum bonum, quod ſperatur. Sancta hæc audacia inerat Apoſtolis. In Paulo exemplum & hic ſtatuo. Is quondam perrecturus in Jeruſalem ſua his verbis ſenſa pandebat: (*Actor.* 10. 22. *&c.*) *Alligatus ego ſpiritu, vado in Jeruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi, ignorans niſi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jeroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi a Domino Jeſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei*. Sancta ejuſmodi audacia non reperitur in peccatoribus. Alias enim ingruentes tentationes cum Dei adjutorio vincerent: alias ruborem noxium, quo a pœnitentia deterrentur, deponerent. Sunt interim audaces, quoad dolendum, ad effundendum ſanguinem, ad concutiendum, ad calumnias, ad furta, & alia id genus pudenda. Cum audacia & ſpe conſiſtit Timor.

Timere enim eſt anxiari ex conſiderata difficultate victoriæ circa obtinendum bonum, quod ſperatur. Apoſtoli non fuerunt abſque ſancto timore. Timuit ſibi Petrus, quando tertio interrogatus a Domino: num amaret eum; ſicut S. Joannes inſinuat, de eo dicens: (*Joann. ult.* 17.) *Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit tertio; Amas me?* Non erat immemor propriæ infirmitatis, & turpiſſimi lapſus ſui. Timuit ſibi Paulus; quemadmodum advertere eſt ex loco ſuperius citato, qui invenitur 1. Cor. 9. Idem eſto de reliquis judicium. Timor ſanctus longe abeſt ab amatoribus mundi hujus. Timent tamen, & trepidant timore, ubi non eſt timor. Timent ſtomacho, jejunium declinantes: timent crumenæ, eleemoſynas facere detrectantes: timent arduam ad virtutes viam, non intelligentes illud Apoſtoli: *Omnia*, ait, *poſſum in eo, qui me confortat*.

Tandem & de Ira par eſt ratio, diſcrimen idem. Ira eſt actus circa perſonam, a bono impedientem, vel malum inducentem, qua vindicandam. Sanctorum Apoſtolorum Ira erat ſancta. Nil intermittebant; quin hoſtes capitales, a Regno Dei præpedire molientes, perſequerentur. Regnum diaboli deſtruebant officio linguæ, qua Sanct. Chriſti Evangelium prædicabant. Carni bellum inferebant vigiliis, jejuniis, laboribus, orationibus. Mundo adverſabantur, non tantum non pacifice ei loquentes, ſed arguentes, & accuſantes opera ejus, cum fervore, cum zelo. Alia eſt cupido vindicandi in hoc mundo. (*Ex Geneſ.* 37. 4.) Hoſtes prænotatos mundus tolerat reſpective, & reſpective ut amicos fovet, ſuccenditur autem adverſus fratres verbo, vel opere, diſplicentes, quorum defectus tolerandi eſſent cum patientia, ſecundum illud Apoſtoli; (*Gal.* 6. 2.) *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*.

Enarratis nunc appetitus utriuſque actibus, & ad invicem oppoſitis Sanctorum Apoſtolorum & Mundi hujus affectibus, velut animi pedibus, in aprico eſt, Apoſtolos nobis quodammodo antipodes fore, & reſpectu noſtri Americanos. Verum, dicite, rogo, quorumnam viam melior? Quorumnam greſſus ſecuriores? Quorumnam veſtigia nobiliora? Errarunt ne Apoſtoli? An errant hujus mundi incolæ? Sane non errarunt iſti, qui diu audierunt, & proxime ſecuti ſunt eum, qui ait: (*Joann.* 14. 6.) *Ego ſum via, veritas, & vita*. Igitur errant, & a recta via aberrant mundi clientes. Ne & vos, chariſſimi, eodem errandi periculo involvamini; ſegregemini a cœtu horum: aliam legitote viam: mutate caſtra: ex horizonte noſtro fugite: Americam accedite: veſtigia Apoſtolorum ſectemini. Amabilis ibi meta, exitus gratiſſimus; ſicut in præſentiarum cernere eſt, quando SS. Apoſtolorum memoriam in Eccleſia feſtive obimus. Amatorum mundi memoria tranſit cum ſonitu campanæ in diebus ſepulturæ. Igitur Apoſtolos ſequimini: aliorſum dirigite animi pedes: effectus utriuſque appetitus Apoſtolicis conformate actibus: eſtote cives Novi Orbis; quatenus ad illum, qui ſedens in throno, dixit: (*Apoc.* 21. 5.) *Ecce nova facio omnia*, pertingentes, percipiatis olim nova, quæ (*Ex* 1. *Cor.* 2. 9.) nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt *Amen*.

IN FESTO

DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

THEMA.

Hodie in domo tua oportet me manere.
Luc. 19. 5.

QUi eo tempore, quo prælecta contigit hiſtoria, manſit in domo Zachæi, temporibus noſtris manet in ſacris Eccleſiæ Domibus, in Templis, cultui Divino dicatis. Salvator enim noſter, ſub Speciebus ſacris in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento præſens, ita exiſtit in Templis, ubi iſtæ aſſervantur, ut ſi per impoſſibile quoad Divinitatis ſuæ immenſitatem non eſſet ubique, præſens adhuc foret in Templis. Scientibus loquor: probatione opus non eſt. Idem ipſe eſſe & manere exoptat in anima fideli, cujus materiale Templum typus eſt. Quo reſpexit Apoſtolus, quando ſcripſit: (1. *Cor.* 6. 19. 20.) *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt.* Et mox: *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Hujus ſpiritualis Templi Dedicatio in collatione Baptiſmi ſolemniter peragitur. Tunc enim domus iſta purgatur: prior inhabitator diabolus, per preces & Exorciſmos Eccleſiæ expellitur, & Spiritus Sanctus, immo tota Sanctiſſima Trinitas, poſſeſſionem capit. At vero, ſicut Templum materiale execrari poteſt, nimirum quando corruit, aut deſtruitur ex toto, aut ex parte majori ſimul & ſemel, ita ut cum reparata de novo conſecrari debeat, ita templum iſtud ſpirituale poteſt execrari. Et, heu dolor! hæc poſſibilitas nimis frequenter in actum tranſit, videlicet per quodvis peccatum mortale. Quo quid frequentius tempore noſtro, quando refrigeſcit charitas multorum, & Sancti deficiunt a terra? Eo caſu anima pariter quaſi de novo conſecrari indiget, non per iteratam Baptiſmi ſuſceptionem, ſed per pœnitentiam: ita tamen ut in hac quaſi conſecratione, ſeu potius reconciliatione animæ, eædem quodammodo cæremoniæ intercurrant, quæ in Conſecratione ſeu Dedicatione Templi materialis obſervantur. Harum principaliores quinque notantur, videlicet: Aſperſio, Inſcriptio, Inunctio, Illuminatio, Benedictio. Hæc omnia in ſenſu myſtico adſunt, quando anima, per peccatum mortale execrata, per pœnitentiam ad priorem dignitatem Templi ſpiritualis Deo reparatur: uti mox videbimus.

Conſecratio ſeu Dedicatio Templi materialis eſt Actus Ordinis Epiſcopalis, communicabilis tamen Sacerdoti ſimplici, de auctoritate Summi Pontificis. Quiſquis nunc ſit, qui Templum conſecrat, geſtat Aſperſorium ex herba, cui nomen Hyſſopus: Sociatus Clero, Templum multoties extrinſecus circuit, parietes aqua benedicta aſpergendo, univerſis identidem clamantibus: *Kyrie eleiſon.* Hæc in Dedicatione Templi materialis ex cæremoniis primariis prima eſt, dicta Aſperſio. In ſecunda quaſi Conſecratione Templi ſpiritualis, per peccatum mortale execrati, Officians primarius ipſe eſt, qui ab Apoſtolo vocatur (*Hebr.* 7. 26.) *Pontifex . . . excelſior Cælis factus*, qui eſt Chriſtus Dominus, quippe ſine quo nihil poſſumus facere, dicere, aut cogitare ad ſalutem, ut oportet. Hic ille Pontifex Templum, ſibi adhuc occluſum, & dæmoni patefactum, circuit, ſecundum illud. (*Luc.* 19. 10.) *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat;* aſpergit animam, per Verbum Dei prædicatum, per bona Sanctorum exempla, per internas gratias excitando, ut ſibi aperiat, & ad priſtinam ſanctitatem aſpiret. *Kyrie eleiſon* intonatur, dum anima reſipiſcens Dei miſericordiam inclamat, cum pœnitente Rege dicens: (*Pſal.* 50. 1.) *Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Nec deeſt Hyſſopus. Si enim pœnitens perrexerit in Pſalmo, deveniet ad verſum iſtum: (*Ibid.* 9.) *Aſperges me hyſſopo, & mundabor.* Hyſſopus humilis herba eſt, ſed pectoris purgativa. Hinc congrue ſignat gratiam, quæ ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum excitat, aut ipſam Pœnitentiam Sacramentalem. Hæc herba, hoc Sacramentum humiliter, immo viliter habetur ab hæreticis, ridentibus nos Orthodoxos, quod adeo nos abjiciamus, ut Sacerdoti homini, peccata etiam occultiſſima & pudenda, candide aperiamus. Verum hæc humilis herba, pectoris purgativa eſt. Beneficium Confeſſionis Sacramentalis cor & conſcientia evacuatur: purgatur interior homo: redit vox ſonora, pectoris boni index; ut jam non prohibeamur enarrare Dei mirabilia, & juſtificationes Domini per os noſtrum ſumere. Solatio eſt, quod Caſſiodorus de humili pœnitentiæ hyſſopo ſcribit: *O ingenuoſa*, inquit, *ſimplicitas, & mille tergiverſationibus cautior puritas, manifeſtare delictum! Illis non Judex, ſed Advocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria Confeſſione damnarunt.* Lætificat communicatio & reſtitutio gratiæ, de qua Pſaltes: (*Pſal.* 31. 5.) *Dixi*, ait, *confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei;* quod fit per conceſſionem gratiæ ſanctificantis. Recreat aſſecuratio, quam S. Joannes Apoſtolus: (1. *Joann.* 1. 9.) præſtat, dum inquit: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* O felix aſperſio, utut vili, quemadmodum Adverſariis videtur, aſperſorio facta! *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum,* (*Iſai.* 1. 18.) *quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra tamquam vermiculus, velut lana alba erunt.* Igitur præcedit Aſperſio.

Sequitur Inſcriptio. Antiſtes conſecrans, foribus ſibi reſeratis, Templum ingreſſus cum aſſiſtente Clero, Paſtorali pedo in cinere, ad modum crucis Andreanæ per navim Eccleſiæ in hunc finem ſparſo & diſpoſito, ſcribit, in una trabe alphabetum latinum, in altera græcum formando. Ut anima fidelis, per peccatum execrata, rite quaſi denuo conſecretur; poſt Aſperſionem, per gratias ad pœnitentiam excitativas factam, poſt hyſſopi uſum, poſt Confeſſionem Sacramentalem (quanquam & ſub ipſa, immo & ante ipſam) adhibendus eſt cinis. Cinis quid valeat ad placandum Deum, & placendum Altiſſimo,

Digitized by Google

noverat Rex Ninive, qui ad prædicationem Jonæ, qua civitatis ſubverſionem prædicebat, converſus ad pœnitentiam, (*Jon. 3. 6.*) *ſedit in cinere*, non abſque optato, & felici ſucceſſu præſervationis a pœna intentata. Aliis quoque locis Sacra Scriptura perhibet, pœnitentes & lugentes, conſueviſſe caput cineribus conſpergere. Quis in ſenſu myſtico ſit ille cinis, diſcimus a Davide, famoſiſſimo pœnitentiæ in ſpeculo: (*Pſal. 50. 19.*) *Cor contritum*, inquit, *& humiliatum Deus non deſpicies*. Nec negligenda forma S. Crucis. Siquidem ex ſancta Domini Cruce ſpes omnis derivatur. Cæterum & iſta Crux pœnitenti commendanda venit, quam Paulus adhibuit; ſicut teſtatur, dicens. (*Gal. 6. 14.*) *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; id eſt: Ego terga verti mundo, quemadmodum mihi terga vertit mundus. Ego exhorreo & averſor ea, quæ mundi ſunt, ſicut mundus me exhorret velut mortuum aliquod, & crucifixum cadaver. Sed quidnam Pontifex noſter hujuſmodi cinericiæ Cruci inſcribit? Quidnam imprimit cordi, cineris inſtar contrito? Alphabetum repono, idque duplex. Alphabeto non incongrue ſignatur univerſitas legum, eo quod ex uno Alphabeto, varie digeſto, omnes conſiſtant libri. Itaque Pontifex noſter pœnitentis cordi inſcribit Mandata Dei, & Eccleſiæ Præcepta, velut deinceps ſancte obſervanda. Non enim perfecta vitæ emendatio in Contritione, & Confeſſione abſolvitur, niſi addit propoſitum efficax ſervandi omnia Dei, & Eccleſiæ Præcepta in futurum. Atque ideo Chriſtus animæ in hunc modum loquitur: (*Prov. 1. &c.*) *Fili mi: cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili: ſerva mandata mea, & vives, & legem meam quaſi pupilla oculi tui: liga eam in digitis tuis: ſcribe illam in tabulis cordis tui*. Ubi & comprehenduntur Præcepta Eccleſiæ, data ab illis, de quibus Deus-Homo dixit: (*Luc. 10. 17.*) *Qui vos audit, me audit*. Taliter Pontifex noſter ſcribebat in corde mulieris, cui, in adulterio deprehenſæ, iſtud inculcabat monitum: (*Joann. 8. 12.*) *Vade, & jam amplius noli peccare*. Taliter ſcripſerat in corde Zachæi, quando hic, velut Scripturam legens, aut ex lectione motus, ita ſtatuebat: (*Luc. 18. 8.*) *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*. Sequamur Zachæum pœnitentem, ut cum ipſo mereamur audire; *Hodie ſalus domui huic facta eſt*.

Nec eſt, quod terreat cunctorum obſervandorum multitudo aut difficultas. Ecce enim adeſt Unctio Domini. Templum materiale, dum dedicatur, in quinque locis ſingulorum Altarium, & duodecim locis muri, ſeu parietum, oleo ſancto, in modum crucis ducto, inungitur. Anima, pœnitentiæ debite intenta, niſi obicem ponat, multipliciter de Dei miſericordia ſolet iungi ſpirituali oleo gratiæ; ut jam illi fiat jugum Domini ſuave, & onus ejus leve. Ubi impletur illud: (*Pſal. 44. 8.*) *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Hoc olei genus expetabat, qui ita precabatur, (*Pſal. 50. 14.*) *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me*. Hanc inunctionem ſperabat, qui confidebat dicere: (*Ibid. 10.*) *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata*. Unctionis hujus ſuavitatem læta deguſtabat Maria Magdalena ad dulciſſimum iſtud Verbi Incarnati verbum: (*Luc. 7. 50.*) *Vade in pace*; quaſi dixiſſet: Vade ſecura, tranquilla, læta & felix, quæ hactenus ob gravia am ſcelere conſcientiam fuiſti dolens, anxia, ſollicita & infelix. Peccata enim præterita tibi amplius non nocebunt, nec conſcientiam tuam deinceps mordebunt, aut laniabunt. Sublata ſunt: ego ſuſtuli Agnus Dei, qui tollo peccata mundi. O admirandam olei ſuavitatem! O optandam unctionis efficaciam! Deſuper D. Bernard. Serm. de S. Maria Magdalena in hunc modum tractat: *Eſt gaudium*, ait, *continua ſibi jucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecura ſibi conſcientia pollicetur. Talis animaminas aſpernatur, neſcit timorem, ſpem falſam eludit, & omnium ſcandalorum immunis in pace in idipſum dormiens requieſcit*. Sic eſt: rebus ita conſtitutis, *Ipſe Spiritus* (verbis Apoſtoli utor: *Rom. 8. 16.*) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, hæredes autem Chriſti*. Denique & litteræ ad duodecim loca, quæ in parietibus Templi materialis, oleo ſacro, in formam Crucis applicato, liniuntur, alludere. Pœnitenti enim ſpes reviviſcit de admiſſione ad ſupernam Jeruſalem, cujus portæ duodecim ſacratiſſimis quinque Vulneribus patientis Domini, velut totidem clavibus, reſeratæ, dum in Cruce pendens conſummaverat omnia. Sed non vacat huic puncto immorari diutius.

Venio ad Illuminationem. Templum materiale, ſub conſecratione unctum, illuminatur. Ad loca, oleo ſacro linita, duo cereoli figuntur, diſpoſiti in modum Crucis, ita ut in medio ad indicem juncti, in quatuor extremitatibus accenſi, quatuor exhibeant candelas ardentes. Quo fit, ut in unoquoque Altari luminaria viginti, & in parietibus ardeant quadraginta octo. Spectaculum jucundum, quemdam Templi cæleſtis, quod non eget Sole, typum præſeferens. Anima fidelis, unctioni a Spiritu Sancto acceptæ, jam conformiter vivens, non caret lumine: licet ſibi lucet aliis, illuminata & illuminans. Illuminatur ipſa, quatenus deinde perfectius agnoſcit cæcitatem ſtatus prioris, & felicitatem inſtitutæ converſionis. Horret, quando meminit periculi æternæ damnationis, in quo, nihil ſibi timens, temere fuit verſata. Horret, quando in memoriam redeunt pudendæ turpitudines, in conſpectu pulcherrimi Dei, quem amodo ſumme appretiatur, admiſſæ. Hæc ſunt beneficia luminis, a Patre luminum clementer immiſſi. Unde rogat & inſtat, clamans ad Dominum pro lumine majori, ad cavendam recidivam, dicens: (*Pſal. 12. 4.*) *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*. Interim & circa præteritos lapſus, rectius penetrandos, ſubſervit hujuſmodi illuminatio. Quamvis enim ante Confeſſionem Sacramentalem conſcientia fuerit diligenti examine diſcuſſa, potuerunt peccata aliqua memoriam fugiſſe: potuerunt quædam apparuiſſe velut materia non neceſſaria, cum vere eſſent neceſſario exprimenda: potuit ignoratum fuiſſe,

quod

quod concupiſcentia pravi operis, opere non ſecuto, peccaminoſa, quodque moroſæ delectationes malitiam objectorum, circa quæ libere foventur, contrahant. Horum notitia non raro poſt converſionem primum occurrit, quod illuminationis divinæ ſignum eſt & effectus. Pleno nequidem die omnes obſervantur pulviſculi in cubiculo, qui advertuntur, dum quidam Solis radius per rimam in cubiculum penetrat. Ita res ſe habet in præſenti. Activam illuminationem quod attinet: præbetur iſta per bonorum operum publicum exercitium, quibus anima, reconciliata Deo, quæ olim facile erat inſcandalum, jam proximo fit in exemplum, adimplendo illud Salvatoris noſtri: (*Luc. 12. 35.*) *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* In quem locum D. Gregorius talis eſt: *Lucernas quippe ardentes*, ait, *in manibus tenemus, dum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus.* Quemadmodum fieri jubet Dominus, quando ita præcipit: (*Matth. 5. 16.*) *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Quantæ porro ſit efficaciæ lux boni operis, diſcere eſt ex illo, quod de Sancto Luciano Martyre refertur. Hic ſola oris modeſtia, vultuſque ſerenitate, ac compoſitione, Deum verum non ſemel aſtantibus perſuaſit. Unde Imperator Maximianus: (*Sur. 7. Jan.*) timens, ne ſibi, quod aliis eveniret, ne videlicet ex Luciani aſpectu Chriſtianus fieret, illum non niſi eminus poſitum, alloqui voluit. De illuminatione ſatis.

Benedictio tandem Epiſcopi conſecrantis conſecrationi Templi materialis coronidem imponit, & cæremoniarum cunctarum finem facit. De Benedictione, quæ ſit complementum quaſi novæ conſecrationis templi miſtici, animæ, a peccato ſe convertentis, accipite iſtud ex Pſalmis: (*Psal. 83. 8.*) *Benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Proinde Benedictio iſta non conſummatur hic, ſed in altera vita. A morte quoad animam percipitur, quando hæc, gratia finali dorata, lætanter exit, cantans: (*Psal. 33. 2.* *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.* Quoad corpus & animam ſimul impertietur in die noviſſimo, dum Judex venturus poſitos ad dexteram vocabit, dicens: (*Matth. 25. 34.*) *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Ampliſſima, & ditiſſima, iſthæc erit Benedictio. Magni faciebat Jacob benedictionem Patris ſui Iſaac, dicentis: (*Gen. 27. 28.*) *Det tibi Deus de rore cæli, & pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini &c.* Verum vix umbram hic habes Benedictionis illius, quam nobis largietur Pontifex noſter Jeſus Chriſtus. Non rorem cæli, ſed Cælum: non pinguedinem terræ, ſed æternam beatitudinem, quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione, & abundantia, perfectus, iſta conferet ter benedicta Benedictio.

O Benedictio largiſſima! o Benedictio votis omnibus expetenda! Deus eſt, qui benedicit: Deus eſt, qui dono datur ei, cui benedicitur. Quis non amore tantæ Benedictionis modo ſe aduptet ſuſcipiendæ quaſi conſecrationi novæ in domum Dei, & Templum Spiritus Sancti? Deſipit: ſibi nequam eſt, qui tantum negligit bonum. Igitur, Chariſſimi, ex occaſione feſtivitatis hodiernæ, Templum animæ noſtræ, ſi fortaſſis per peccatum mortale fuerit execratum, expurgari, & denuo ſanctificari curemus. Quatenus hyſſopo Pœnitentiæ Sacramentalis aſperſi, & mundati, mandatis omnibus cordi contrito inſcriptis, qua deinceps ſervandi, uncti ſpirituali oleo lætitiæ illuminatis oculis currentes in omne opus bonum, mereamur eſſe tales; ut de noſtrum ſingulis dici olim poſſit: (*Psal. 20. 4.*) *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* AMEN.

F I N I S.

I N-

INDEX CONCIONUM PANEGYRICARUM.

Quæ in hac Appendice Secundi Tomi continentur.

CONCIO I.

In Feſto Sanctæ Gertrudis Virginis. Pag. 477

CONCIO II.

In Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi. 480

CONCIO III.

In Feſto S. Joannis Nepomuceni Martyris. 483

CONCIO IV.

In Feſto Dedicat. Portiunculæ. 485

CONCIO V.

In Feſto Sancti Bartholomæi Apoſtoli. 489

CONCIO VI.

S. Amandi Epiſcopi. 492

CONCIO VII.

In Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ. 496

CONCIO VIII.

In Feſto Dedicationis Eccleſiæ. 499

1:A9 - 500

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google